AUTHOR:

CATHOLIC CHURCH

TITLE:

THESARUS RESOLUTIONUM...

PLACE:

MONACHII

DATE:

1872-

Master Negative #

93-81637

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Mühlbauer, Wolfgang, comp.
Thesaurus resolutionum s.c. concilii quae consentanee ad Tridentinorum pp. decreta aliasque canonici juris sanctiones prodierunt usque ad annum 1871... Monachii 1872

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-5-93 INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


GUIDE TO CONTENTS
for


THESARUS RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

REEL	MASTER NEGATIVE #	DATE	VOLUME
1	93-81636	1872	1
2	93-81637	1875	2
3	93-81638	1879	3
4	93-81639	1883	4

REEL 2

VOLUME 2






AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910



301/587-8202

Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VOLUME 2

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY: CATHOLIC CHURCH
VOL. 2

Bibliographic Irregularities in the Original Document
List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

_____ Illegible and/or damaged page(s): _____

✓ Page(s) or volumes(s) misnumbered: 162 NUMBERED 62; 721 NUMBERED 72

_____ Bound out of sequence: _____

✓ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: ANDOVER-HARVARD THEOLOGICAL LIBRARY
Entire volume.

_____ Other: _____


יהוה
INSTITUTIO THEOLOGICA
PS. CXIX
169
כדברך
JOH. XVII
17.
ὁ λογος
ὁ σος
αληθεια
εστι
ΑΚΡΟΓΩΝ
ΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ

THESAURUS RESOLUTIONUM S. C. CONCILII

QUAE CONSENTANEE AD

TRIDENTINORUM PP. DECRETA

ALIASQUE

CANONICI JURIS SANCTIONES

PRODIERUNT USQUE AD

ANNUM MDCCCLXXIV

CUM

OMNIBUS CONSTITUTIONIBUS ET ALIIS NOVISSIMIS DECLARATIONIBUS SS. PONTIFICUM

AD CAUSAS RESPICIENTIBUS.

PRIMUM AD COMMODIOREM USUM ORDINE ALPHABETICO

CONCINNATUS

OPERA ET STUDIO

WOLFGANGI MÜHLBAUER

CÆREMONIARII ECCL. METR. MONACENS.

REVERENDISSIMIS ILLUSTRISSIMIS EPISCOPIS EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VACANTIBUS APPRIME UTILIS ET NECESSARIUS.


TOMUS SECUNDUS.

MONACHII. MDCCCLXXV.

TYPIS & SUMPTIBUS **ERNESTI STAHL.**

NEO-EBORACI ET CINCINNATII.
FRIED. PUSTET.

PARISIIS. **P. LETHIELLEUX.**
Via Cassette, 4.



B.

Bachanalia.

Vd. *Spectaculum.*

Spectacula inverecunda, festis potissimum diebus frequentari solita, prohibentur.
Venerabilibus Fratribus, Episcopis provinciarum Maritimae et Campaniae aliorumque locorum etc.

Benedictus Papa XIV.
Venerabiles Fratres.
Salutem et apostolicam benedictionem.

Nihil profecto Nobis ad vigilias Dominici gregis assidue excubantibus accidere potuit acerbius nihilque, quod minus hac tempestate opinaremur, quam ut deformes et inverecundi ethnicorum mores, a quibus christiani hominis pudor et modestia semper abhorruit, denuo isthic invecti essent ac veluti postliminio restituti. Quamvis enim minime Nos lateret, scelestos olim lupercalium administros, Sacra Fauno vel Pani per ludum atque lasciviam persolventes, nudos huc illuc per Urbem discurrisse sanctumque Pontificem Gelasium praedecessorem Nostrum tanta commotum impudentia ac obscenum morem execrantem literas dedisse Andronico senatori populoque romano acri nefarii ritus assertori: nihilo tamen minus memoriae proditum est, quinta post Christum saeculo exeunte, Theodorico Italiae Rege et Anastasio Orientis Imperatore, pestem illam penitus fuisse sublatam et extinctam. Nunc vero multorum relatu (quod dolentes dicimus) certisque indiciis admonemur, profanum morem perpetua involvendum caligine et tenebris antiquitatis rursus emergere ac in vestris dioecesibus foede revocari, cum ad sanctorum Patronorum festa solemniter recolenda pueri ac interdum etiam adolescentes cursu in spem bravii nudi contendere jubeantur, maxima utriusque sexus ac omnium aetatum spectante frequentia. Quae quidem spectacula eo nequitiae magis ac improbitatis praeseferunt, quo magis non impuro alicui, ut antea, numini sed piae castaeque Sanctorum memoriae nuncupantur.

§ 1. Qua igitur corporis nuditate impudentissime habita sunt apud veteres lupercalia, eadem festi christianorum dies istic celebrantur; nec minus injuriae in illis verecundia passa est, quam in his hodie morum honestas habeat detrimenti. Dies festi non ad id instituti sunt, ut christianus populus epulis, ebrietatibus, ludis, spectaculis aliaeque id genus licentiae liberius vacet, sed ut fideles in precibus divinisque laudibus frequentes et assidui sint, ut ecclesiis intersint, sacramenta ad animae vulnerum curationem instituta adhibeant seduloque se exerceant in his operibus, quae veram pietatem continent, et ut demum Sanctos unacum Christo regnantes, tamquam patronos, congruis officiis et honoribus prosequantur.

§ 2. Dedecet praeterea membrarum nuditas, atque ita dedecet, ut vetuerit ecclesiastica disciplina Salvatoris imagines nudo penitus corpore in tabulis vel simulacris expressas; et quamvis nudo corpore Christum cruci suae affixum et illorum temporum mores et gravium scriptorum auctoritas suadeant, adhuc christianorum pietas a tali spectaculo semper abhorruit. Athletarum pugnae (ut literis consignatum est) in stadio apud Graecos, in circo apud Romanos usui fuere atque in illis disco, lucta et coestu strenue certatum est utque veterum testantur monumenta, interdum nudi, interdum etiam fascia recti homines dimicarunt. In vestris igitur dioecesibus, Venerabiles Fratres, nonnihil

priscae licentiae adhuc remanet. Et cum in plateis seminudi his luctationibus vacent homines, cumque ex industria saepius, saepius vero ex violento motu nudi penitus circumagantur: facile quisque conjicere potest, quam absonum et indecorum sit, his ludis aditum non intercludere.

§ 3. Quapropter ne injuncta Nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, districte per haec scripta mandamus, ut turpes et obscenae hujusmodi exercitationes puerorum et adolescentum nudorum cursus luctaeque, quocumque nomine vel occasione exhibendae, a vestris dioecesibus eliminentur. Et quia inobedientiae delictum mixti, ut ajunt, fori videri potest, curabimus diligenter, ut, si qui legum vestrarum rationi fuerint refragati, in eos, etiam qui Nostro nomine civitatibus temporaliter praesunt, rigide et condigne animadvertant; sicque fore speramus, ut foeda haec corruptela utroque percussa gladio radicitus evellatur.

§ 4. Verum quia impioribus etiam causis vindices non desunt et perpugnaces assertores, si qui forte sint, qui impudenter exprobrent, hujusmodi ludos Pontificum antecessorum tolerantia ac diuturno usu invaluisse: hi probe sciant, nullum ex temporis lapsu deploratae causae comparari praesidium. Et ne longe a vestris dioecesibus petantur exempla, in memoriam revocent, choreas etiam quasdam mulierum et virorum publice eo die haberi solitas, quo s. Xysti Pontificis et Martyris Alatrinae civitatis Patroni memoria recolebatur, jussu Episcopi provide vetitas fuisse et edictum Episcopi, licet acri calamo romanae curiae advocatorum impeditum, die 2. Aprilis 1694 a Congregatione negotiis Episcoporum et Regularium praeposita strenue fuisse propugnatum. Caeterum cum sancto etiam Gelasio objiceretur, antiqui moris fuisse lupercalia, sanctissimus Pontifex consuetudinem pudori inimicam et honestati detrahentem reprobavit, ratus praedecessorum suorum leges saluberrime institutas non defuisse, sed hominum fraude et malitia leges ipsas fuisse contemptas.

§ 5. Quemadmodum itaque Nos de perspecta praedecessorum Nostrorum vigilantia egregie, ut par est, sentimus et abusum non illorum incuriae, sed subditorum inobedientiae ducimus referendum, sic a Vobis spectabiles ecclesiarum vestrarum Antistites a quavis negligentiae nota vindicentur. Quanti Dei honorem, sanctorum cultum et animarum salutem facitis, Venerabiles Fratres, Vos hortamur et obtestamur, ut corrupti hujusmodi mores, specie quadam laetitiae invecti, reformentur utque creditae Vobis oves ab impuro profanoque ritu declinantes ad piam et fructuosam festos dies celebrandi rationem traducantur. Nos interea in optati eventus auspicium apostolicam benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 12. Augusti 1742.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 305. Ed. Rom.)

Benedictus PP. XIV.

Ad Archiepiscopos et Episcopos Ditionis temporalis pontificiae super Bachanalibus.

Inter caetera bene multa, quae Nos vehementer commovent, cum in hoc Nostro pontificiae ditionis statu bachanalia toleramus, duo praecipua sunt, de quibus religiosiores quidem ejusdem ditionis Episcopi Nobiscum aut verbis praesentes aut absentes epistolis conquesti sunt. Primum illud est, quod vigiliae, choreae, ludi ultima bachanaliorum nocte celebrari soliti non semel usque ad primum quadragesimae diluculum producantur, ita ut multi sint, qui ab hujusmodi choreis, ludis, vigiliis discedentes, deposita quidem larva, iisdem vero induti vestibus, quibus personati quaqua versus processerant, ecclesiam subeant, divinis mysteriis intersint, sacros cineres de more accipiant, domum deinde redeuntes dormiant plerumque totum mane primi quadragesimalis diei, nec dubitent Episcopum nimiae severitatis arguere, si palam queratur, ac tum maxime, si poena velit aliqua in id criminis animadvertere. Nos illud deinde commovet, quod in aliquas status ecclesiastici civitates aut irrepere videatur aut paucis abhinc annis irrepserit perversa haec consuetudo, quae mordicus conservatur, ut festis quoque diebus personati homines pervagentur; circulatorrs autem et id generis blaterones majori spectatorum frequentia diebus festis quam ferialibus populum ludificiant; iisdem demum diebus saltationes et choreae publice ac per summam licentiam celebrentur.

Primi ut abusus perversitas ostendatur, nulla prorsus argumentatione opus est, cum sola illius commemoratio tanti momenti sit, ut ab eo cujusquam debeat animus abhorrere. Et quoniam illorum, qui criminis partes ac vitii sustinent, hoc solet propugnaculum esse maximum, complures nempe Episcopos extitisse sanctitate clarissimos, qui haec cum cernerent tacuerunt. Nos facti ejusmodi, quod perperam plerumque asseritur nec evincitur, non inquirimus veritatem et argumenti loco esse ducimus responsionem celeberrimae cujusdam catholicae universitatis, quae rogata sententiam de quodam festo scandali pleno, quod vulgo „*fatuorum*" appellabatur, quodque aliquibus in dioecesibus sustinebatur, utpote multis ab Episcopis toleratum, non solum illud censuris damnandum censuit, sed objectum etiam argumentum refellens haec prudenter addidit: „*Nolite subdolas hominum voces audire sic dicentium: Praedecessores nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permiserunt; sufficit nobis vivere ut ipsi. Procul dubio istud argumentum diabolicum est, infernalis haec persuasio, vos illorum exitum ignoratis, an bonus vel malus fuerit.*"

Hujus universitatis censuram refert per extensum, ut dicitur, *Joannes Savaronius in appendice operum Petri Blesensis pag. 782* et in tractatu gallico idiomate contra larvas conscripto *pag. 32 et seq.* Quamobrem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, omni cura mandamus, ut in dioecesibus, ubi hujusmodi scandalum aut jam pridem invaluit aut eidem aditus aperitur, nullam operam nullumque studium praetermittatis, ut haec morum perversitas, ubi deest, perpetuo desit, ubi autem invaluit, penitus extirpetur ac funditus evellatur illiusque auctores defensoresque nulla rerum humanarum ratione habita acerrime puniantur. Neque enim omnino decet hoc modo quadragesimam inchoare, uti exclamat s. Basilius *hom. 2 de jejunio, Paris. edit. ann. 1722. tom. 2, pag. 13*: „*Quorum autem primitiae rejiciuntur, haud dubium, quin in his totum quoque sit rejiciendum.*" Et *pag. 15*: „*Hodiernus dies vestibulum est jejunii; neque vero qui in vestibubulis prophanatur, dignus est, qui ad sancta introeat.*" Nimis enim honori ecclesiae debito sacroque ritui suscipiendorum cinerum nimis adversantur ii, qui tametsi absque larva vestibus tamen personatorum propriis domum Dei ingrediuntur, ad altare accedunt, ut sacris cineribus a sacerdote adspersi de seria mortis cogitatione admoneantur.

Ad illud interea, quod est secundo loco propositum, accedentes fatemur, minime Nobis statutum animo esse, aut in bachanalia invehi aut de eorumdem impudentia dissertationem historicam instruere. Quod facere si velimus, profecto haud incommode possemus, exscribentes nimirum ea, quae in hanc rem s. Carolus Borromaeus egregie composuit in suo libro memoriali, edito in septima parte actorum ecclesiae Mediolanensis, ea scilicet tempestate, cum illa civitas a peste importunissima liberata fuit, et pastor optimus populum studiose sapienterque hortatus est, ut in publicum grati animi monumentum bachanaliorum consuetudinem abrogaret. Huic quoque epistolae adjungi possent, quae monachus de l'Isle in suo recenti tractatu *de jejunio lib. VI cap. 6* satis erudite scripsit, ubi de ethnicorum bachanalibus disserens ostendit, quantum nostrorum haec bachanaliorum importunitas sanctissimis christianorum moribus adversetur. Verum tamen satis Nobis erit exponere ea, quamvis aegre, ab ecclesia tolerari, ut omnis aditus malis longe gravioribus intercludatur, quemadmodum post solidam doctamque argumentationem concludit celebris piusque theologus Thomas Stapletonus in sna oratione octava contra bachanalia, *tom. 2. suorum operum pag. 556*; maximum vero discrimen intercedere inter ea, quae praecipiuntur, et ea quae permittuntur: „*Aliud est, quod docemus, aliud quod emendare praecipimur et donec emendemus, tolerare compellimur.*" Verba sunt s. Augustini *lib. XX. contra Faustum cap. 21.* Unde constat, in rebus utcumque ab ecclesia toleratis nullum amplificationi, nullum arbitrio esse locum.

Sapientissime in hac urbe a Nostris praedecessoribus sancitum esse comperimus, ut quamvis perpauci dies bachanaliorum licentiae concedantur, tamen diebus festis ac sexta feria nemini omnino liceat larvam sumere ac publice debaccari. Idem prorsus in reliquo Nostro statu observari jubemus et voluntatis Nostrae Cardinales provinciarum Legatos, praesules locorumque Gubernatores certiores facere non praetermittemus; id etiam enixe cupimus, nullum ecclesiae diem festum circulatorum levitate ac licentia perturbari; illa enim Isaiae verba semper nobis ante oculos obversantur cap. 1: „*Kalendas vestras et solemnitates vestras odivit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens*": et illa *Malachiae cap. 2*: „*Dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*" Sed quoniam ab hominibus, quae expetuntur, illico impetrari haud facile possunt, etiamsi justa sint, ideo significamus mentem hanc esse Nostram, idque

pro regula habendum, ut in urbium oppidorumque plateis vel quibuscunque in locis nec mane nec vespere diei festi circulatores adsint. Quod si hujusmodi abusus alicubi tolerari consuevit, nunquam matutino tempore permittatur; horis quoque pomeridianis, quantum fieri potest, removeatur. At si id sine gravi aliquo incommodo integre fieri nequeat, nunquam supradicta aut id generis solatia tollerentur, nisi post expleta vespertina officia et doctrinam christianam: de qua quidem re Nostrum erit, Cardinales legatos et urbium Gubernatores etiam atque etiam admonere.

In tali rerum statu hanc plane rationem ineundam sibi judicavit s. Carolus Borromaeus in suo *primo concilio provinciali, par. I. tit. „de festorum dierum cultu*“, cujus decretis addenda sunt ea, quae ab eodem pastore in *concilio III. provinciali sub eodem titulo* statuta sunt. Hoc item Clemens XI. fel. record. inculcavit duabus literis ad plurimos eodem exemplo datis, altera scilicet die 11. Januarii 1719, altera 4. Januarii 1721, quae in ejus bullario pag. 533 undecima sunt et duodecima. Ac dum s. Caroli Borromaei vestigiis, quibus institit charissimus praedecessor Noster, Nos libenter inhaerere fatemur, illud monitos omnes volumus, quod cum res desuper enarratas vetamus, interdicto non liberamus caetera omnia, quae sacris canonibus, constitutionibus apostolicis, conciliis aut provincialibus aut dioecesanis, quoad bachanaliorum solatia prohibentur et praecipue quoad ecclesiasticos viros, nunquam enim oculos a concilio Tridentino deflectimus, quod *scss. 22. cap. 1.* postquam sacrorum canonum mentionem fecit, qui ecclesiasticis luxum, convivia, choreas, aleas severe prohibent, sic Episcopos alloquitur: *„Si qua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quam primum in usum revocari et ab omnibus accurate custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectae emendationis ipsi condignas, Deo vindice, poenas persolvant.*“

Cuilibet in ecclesiastica disciplina paulum versato facile compertum erit, quasdam ethnicorum veteres fuisse superstitiones, quae Kal. Januarii in honorem Jani et deae Streniae instituebantur, quibus aliquando christiani intererant, crapulae ludisque dediti, ac mulieres virorum et viri mulierum personas induebant nec sanctos patres in suis sermonibus nec in suis conciliis ecclesia in tam pravum morem invehi praetermisit, quin etiam poenas reis gravissimas indixit. De qua quidem re jam disseruimus, in Nostro opere de *festis Domini* cum de circumcisione Christi ageremus.

Pravissima hac consuetudine funditus extirpata altera enata est, spectans videlicet ad quasdam publicas relaxationes, quae plerumque hebdomadis septuagesimae, sexagesimae et quinquagesimae celebrantur, in quibus ecclesia praecipua redemptionis nostrae mysteria meditanda nobis proponit, nos ut efficiat ad quadragesimalis temporis severitatem alacriores, quod et a Nobis fuit demonstratum in notificatione 14. *tom. I.* inter eas, quas edidimus, cum Bononiae moraremur illius ecclesiae moderatores. Ea vero consuetudo est bachanalium foeditas et corruptela, quam sic describit clarae memoriae Episcopus Gratianus in sua synodo Ameriae habita 1595 pag. 50: *„Hinc factum (adeo nos prava pervertit consuetudo) ut septuagesimam inter et quadragesimam interjecti dies, quos s. mater ecclesia magno mysterio veluti lugubres funebresque habet, pracvalens lasciviae risus, hilaritatis amor, non in laetitiam solum inconditumque gaudium verterit, sed pene communi cuidam insanire dedicarit, coque provecta licentia sit, ut ipsas quoque leges, ipsos magistratus traxerit et quod ne privato quidem cuiquam ulla bene morata civitas concederet, id penitus jam publica auctoritate nitatur et populi veluti obliti nominis, quo feruntur, in ipsos profanarum gentium ritus moresque degenerarunt.*“ Quamobrem illustris Gislenius Busbequius, qui medio saeculo XVI. Ferdinandi I. Imperatoris ad Solimanum II. orator fuit, scriptum reliquit, Turcarum legatum, postquam bachanaliorum tempore in quadam christianorum regione moratus esset, Constantinopolim reversum retulisse, certo anni tempore christianos sui impotes insanire, tum cujusdam pulveris arcana vi, quo eorum capita conspergebantur, redire ad bonam mentem ac resipiscere consuevisse: *„Ut non frustra creditum sit hominem Turcam, qui eo tempore ad nos publici negotii causa legatus venisset, domum reversum retulisse, christianos certis diebus bachari et furere, donec genere quodam cineris in templo respersi redirent ad se et convalescerent.*“

Nec huic morum perversitati ecclesia ut potuit non opportune consuluit et semper precibus operibusque piis enixe Dei praesidium imploravit, ut poenas impiis debitas differret et omnipotenti auxilio suo huic malo remedia praeberet: atque inter caetera pietatis opera ad hunc finem directa illud fuit, ut quaedam religiosorum familiae a carnibus abstinere et lacticiniis solummodo vesci consueverint a die dominica aut septuagesimae aut sexagesimae aut quinquagesimae usque ad diem cinerum, ideoque bachanalia *„carnis privium*“ nuncupantur et in missa Mozaraba dominica sexagesimae *„Dominica ad tollendas carnes*“ appellatur.

Alia quoque religionis opera furente bachanaliorum insania a sanctis viris egregie sunt instituta, inter quae publica et solemnis illa est consuetudo, cujus auctor s. Philippus Nerius extitit, septem scilicet hujus urbis ecclesias invisendi, cujus instituti meminit Baccius in ejus vita. Nostri autem praedecessores, ut in his diebus fidelium animos ad sacramenta suscipienda inflamarent, plurimas indulgentias impertiverunt: *„Nupero sed saluberrimo invento Pontifices summi, depromptis de thesauro ecclesiae largitionibus fideles ad incensam pietatem per sacramentorum participationem in diebus illis* (de bachanalibus loquitur) *frequentandam excitarunt et, ut se dant initia, spes est diabolum inde extrusum adigendum fore ad captandas alias sordes;*“ verba sunt haec Theophili Raynardi *tom. XVI. oper. suor. pag. 412, num. 41.*

Vestrum est igitur, Venerabiles Fratres, hanc viam tenere et ad hanc suscipiendam vestro exemplo caeteris incitamento esse. Praesertim vero divinis officiis bachanaliorum tempore quotidie Vos interesse cupimus, sacrosanctum missae sacrificium coram populo celebrare, ecclesias et xenodochia invisere et ecclesiasticos homines laicosque Vobiscum ad id muneris invitare; hujusmodi enim comitatus et sanctus erit maximeque laudabilis. Curandum praeterea a Vobis est, ut in una aut in pluribus ecclesiis *sanctissimum eucharistiae sacramentum per triduum publico cultui exponatur et quotidie populo ad vesperam benedicatur, in septuagesimae aut tribus omnibus. Nos interea fidelibus hac nostra epistola circulari plenariam indulgentiam concedimus, quae a Vobis solitis formulis promulgabitur, quaeque, cum ad opus pium directa sit, non impeditur alia plenaria indulgentia, quam ecclesia, ubi eucharistia exponitur, aliis de causis habere possit; plenam, inquam, culparum veniam impertimus quibuslibet christifidelibus, qui poenitentia et sacra synaxi rite muniti singulis diebus augustissimum Christi corpus visitarint Deum orantes juxta ecclesiae mentem, quam desuper exposuimus.*

Apostolicum hoc Nostrum munus exigebat, ut Vobis hanc epistolam conscriberemus. Vestrum exemplum, qui Nobis propinquiores estis, longinquiores impellet, ut ad Nos recurrant, qui sane eos omni, qua possumus, ope juvabimus easdemque indulgentias ipsis eorumque dioecesibus concedere non gravabimur. Et demum Vos ex animo amplectentes et Vobis singulis, Venerabiles Fratres, et gregi Vobis commisso apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem, die 1. Januarii 1748.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 375. Ed. Rom. 1749.)

Baculus

Sacerdotis pro missa celebranda.

Missa (celebrans utrum sedere debeat?) *Irregularitas ex def. corporis* (pedibus, apoplexia etc. laborans).

Balneum Regularium.

Sacra Congregatio visis juribus et informationibus utriusque partis, referente Emo Gualterio censuit et decrevit concedendam esse gratiam PP. Observantibus Reformatis

juxta modum praescribendum ab eodem Emo Ponente, videlicet:

1) Quod iidem PP. Observantes Reformati ad commodum religiosorum ad balnea accedentium possint in terra s. Cassiani retinere hospitium s. Mariae de Balneo ibique duo magna cubicula pluribus capacia lectis aliaque duo inferiora, unum ad comedendum, alterum ad usum coquinae parandae, ac nil aliud, ne in figura conventus habeatur aut credatur, a fundamentis erigere aut augere valeant.

2) Quod de tempore ablutionis pro bono regimine atque disciplina regulari tratrum ad memorata balnea migrantium permanere possit religiosus cum titulo praesidentis, cum hac tamen conditione ut post lotionem seu ablutionem finitum in praenarrato hospitio sub quocumque titulo aut praetextu non possit nec debeat remanere, sed illico ac immediate ab eo recedat.

3) Quod in praecitato hospitio toto anni tempore (illo ablutionis excepto) commorari ac remanere non possit nisi unus tertiarius, qui eodem modo se habeat, quo habebatur eremita custos s. Mariae Balneorum, quique quaestuam pro suo quotidiano victu dumtaxat facere valeat, cum illa tamen reservatione, ut infra etc.

4) Circa vero vini quaestuationem, quam reformati praedicti posse fieri supplicarunt, a tertiario tempore vindemiarum ad illud defucatum et bonae qualitatis asservandum religiosis pauperibus ad balnea confluentibus, hoc itidem existimatum fuit, posse permitti dummodo a quacumque alia quaestuatione ablutionis tempore se abstineat.

5) Statuitur insuper, quod PP. Observantibus Reformatis in ecclesia s. Mariae Balneorum eorum hospitii de tempore tantum ablutionis et nunquam in alio quocumque tempore, etiamsi per accidens aut casualiter aliquis eorum pater adesset in dicto hospitio, confessiones audire permittitur.

Declaratum tandem voluit eadem S. C. quod omnia contenta in suprascriptis quinque capitibus seu numeris intelligentur pro modo ab ipsamet s. Congregatione praescripto, restricta ad puram et rigorosam necessitatem, quae respicit essentiam unius hospitii de tempore et occasione usus balneorum et non alias etc.

Romae 14. Junii 1720.

(Anal. J. P. 1866 p. 112.)

Balsamum.

(Alium liquorem substituendi licentia.)

Facultas Episcopis Indiarum utendi in confectione sacri chrismatis certo liquore seu succo in locum balsami.

Pius Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Digna reddimur attentione solliciti, illa ad exauditionis gratiam admittere vota, per quae necessitatibus, in sacramentorum confectione, occurri et consuli possit.

§ 1. Expositum siquidem Nobis nuper fuit quod in partibus Indiarum, ubi Antistites commorantur, non invenitur nec inveniri potest balsamum vel oleum ex balsamo, ad conficiendum sanctum chrisma necessarium; reperitur autem quidam liquor seu succus, mira odoris fragrantia et ad lavanda vulnera admodum conducem, qui communiter habetur pro vero balsamo; praestat enim effectus, quod balsamum ab Alexandria allatum praestitisse perhibetur.

§ 2. Quare iidem partium Indiarum Praesules Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis de reliquo opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur.

§ 3. Nos igitur, necessitatibus hujusmodi consulere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tam Archiepiscopis quam Episcopis illarum partium et pro tempore in ipsis partibus commoraturis Antistitibus, ut de caetero perpetuis futuris temporibus in confectione sancti chrismatis dicto liquore seu succo in locum balsami uti libere et licite possint amplam licentiam et facultatem apostolica auctoritate, tenore praesentium, concedimus ac dicto sancto chrismati, cum dicto succo rite tamen consecrato tantam fidem adhibendum esse, ac si in illo balsamum intervenisset.

§ 4. Non obstantibus praemissis quibusvis apostolicis ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum, die 2. Augusti 1571.

(Bull. r. t. VII. p. 934. Ed. Aug. Taur.)

Baptismus.

1) Adulti.

a) Ante Catechismum saepe collatus.

Si baptismus Mariae Magdalenae in ecclesia collatus haberi non potest pro vero et legitimo baptismate, accipiendum tamen esse videtur pro catechismo sive pro adhibitis caeremoniis consuetis. Nec obstare, quod dicitur in *cap. 2. de cognatione spirituali in 6*: Catechismum scilicet praecedere baptismum; et praecisse hisce verbis: *Per catechismum, qui praecedit baptismum.* Haec enim verba apposita nullo modo sunt, ut intelligatur, catechismum suapte natura praecedere debere baptismo, sed potius *frequentioris usus gratia*, nimirum quia communiter in recto servato ordine catechismus semper baptismum praecedit. Aliquando tamen per accidens et ratione occurrentis necessitatis catechismus baptismum subsequitur, *Ludovicus Lopes. 2. part. instruct. de matrim. cap. 51., col. 3. init.* §: *Ex quo collorarie sequitur, Enriq. lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 2, Piringh. lib. 4. tit. 11. de cogn. spirit.* § *3. num. 24.* et *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 10. num. 7.* Quinimo quidquam nec refert si longo tempore ex necessitate post baptismum catechismus accedat, teste *Hieronymo Paulo in provinc. f. 16.* et *Covar. 4. decret. 2. part. cap. 6.* § *4. num. 11* et refert *idem Sanchez loco citato.*

Die 8. Junii 1782. *Ventimilien.*

b) In ecclesiis singulis parochialibus conferendus est.

Vd. *Baptism.* (In eccles. paroch., decr. *Neapolitana.*)

c) Intentio.

Baptism. adulti (requisita); *Baptismus* (intentio baptizati etc.; Judaeorum, Epistola decret. Bened. XIV: *Postremo* § 50.)

d) Moribundi adulti.

Vd. *Baptis. Judaeor.* (Epist. decret. Bened. XIV. *Postremo:* §. 41.)

e) Requisita.

Vd. *Baptism. sub condit.* (decr. *Constantien. p. 10.* §§. *Tandem; His igitur; Expendendum); Baptism. Judaeor.* (epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* II.)

2) Annus, in quo petentibus infidelibus baptismus conferri potest.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* n. 32. 36.)

3) Aqua corpus tangere debet.

Vd. *Baptism. sub condit. iterand.* (decr. *Constantien. p. 10.* §: *Necesse.*)

4) Baptizans.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decret.: *Postremo* Bened. XIV. n. 31); *Baptism.* (minister.; collatio; ab haereticis etc.)

5) In Cathedrali.

Vd. *Baptism.* (minister, — paroch. Cath.; ab Episcopo etc.)

Cum plurium saeculorum constans praxis apertissime Cathedrali Sulmonensi jus privativum tribuerit infantium baptizandorum atque eadem praxis ostenderit, nullum detrimentum infantes tollerasse, dum ad sacrum lavacrum ducerentur, licet Cathedralis extra urbis moenia sita sit, S. C. decrevit: Sustineri citatae Cathedralis jura ac rejici nonnullorum civium petitiones pro novorum fontium erectione amplius. Die 22. Aug. 1835. *Sulmonen.*

6) Cognatio spiritualis non est procuratoris in baptismate iterato.

Vd. *Baptismus* (procurator; reiteratio *c*).

7) Collatio.

a) Ad depellendos daemones, morbos etc.

Vd. *Baptis. Judaeor* (Bened. XIV. epistola decret. *Postremo* etc. n. 19 etc)

b) Ficta non permissa.

Vd. *Baptis. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* etc. n. 21.)

c) Ante matrimonium contrahendum.

Vd. *Baptism.* (sub condit. non iterandus, decret. *Neapolitana*, *Tarvisina*; sub condit. non iterand., decret. *Nullius Nonnantullae*)

d) A Sacerdote non baptizato.

Vd. *Baptism.* (probatio, decr. *Fesulana*, dub. III.)

e) In Sacristia.

Vd. *Baptism.* (in sacristia etc.)

f) Valida sitne, cum fas non sit baptizare?

Vd. *Baptizm. Judaeor.* (Epistol. decretal Bened. XIV: *Postremo* § 25 etc.)

g) Violenta.

Vd. *Baptism.* (num invitis etc.)

Si baptismus violenter atque animo palam contrario suscipiatur, tunc adultus sic baptizatus est caute et serio examinandus nec facile credendus, ubi responderit se baptizatum non libere sed invite, etiamsi cum juramento deponat, nisi hoc idem comprobent adjuncta plurima et circumstantiae anteced., concomitantes et subseq. et eae quidem momenti sint ineluctabilis et inconcussi. Quod si ex dictis clarissime constet nullam prorsus habuisse voluntatem aut intentionem recipiendi baptismum, tunc hortandus est, ut rite id faciat, quod jam irrito fecit et suscipiat absolute ac libere sacramentum, et si adhuc obstinate repugnet, est remittendus. Si autem res in dubio sit nec intelligi possit, an defuerit intentio, an sufficiens fuerit necne, adultus tunc detinendus baptizandusque sub conditione. Item quoties de baptismi validitate, sive in jure sive in facto, dubitetur, adultos sub conditione iterum baptizari debet.

Bened. XIV. Epistola decret.: *Postremo mense* §§. 49. 50. 52.*)

8) Sub conditione iterandus.

Vd. *Baptism.* (irregular., iteratio, reiteratio), *Baptis. Judaeor.* (Epist. decret.: *Postremo* etc. Bened. XIV. n. 31.) *Baptism.* (forma corrupta; haereticis sub conditione etc.; probatio, decret. *Fesulana*)

Urbis.

(Conc. Trid. can. 11. sess. 6. de baptismo.)

Parochus s. Spiritus in Saxia hujus almae Urbis supplicem exhibuit s. Poenitentiariae libellum, in quo retulit, praeter infantes recenter natos ad archihospitale ejusdem s. Spiritus saepissime etiam infantes deferri duorum, quatuor vel sex aut decem mensium et etiam unius anni cum dimidio, absque ullo certo signo baptismatis recepti et ne ex una parte suo muneri in re tanti momenti deficiat baptismum omittendo et ex alia parte baptismum conferendo se exponat periculo irregularitatis impositae rebaptizantibus ad terminos textus in *cap. ex literarum „de apostatis“*, humillime quaesivit, quid a se esset agendum et a sacra poenitentiaria supplex libellus ad hanc sacram Congregationem remissus est.

Plures adsunt canones a Gratiano collecti de *consecratione dist. 4*, quibus cavetur parvulos et infantes esse baptizandos, quando certa non afferuntur documenta de eorum baptismo: sic in canone: *Parvulos* — ibi: „Parvulos, quia parentibus subtracti sunt et an baptizati sint ignorant, hos ut baptizare debeas, secundum patrum traditionem, si non fuerit, qui testificetur, ratio poscit.“ Sic in canone: *Placuit* — ibi: „Placuit de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos.“ Sic in canone: *Cum itaque*, ibi: „Cum itaque baptismi sui nihil recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, qui sciat consecratum, nec ille, qui consecratur etc., quoniam non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur; atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo penitus sit, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis et cum constiterit hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus

*) Vd. infra: *Baptismus Judaeorum.*

in se nullum scit esse vestigium, nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.“ Sic denique legitur in canone *Si nulla*, ibi: „Si nulla extant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut viciuos, quibus hi, de quibus quaeritur, baptizati fuisse debeantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant, in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum.“

In decretalibus autem summus Pontifex Innocentius III. in cap. *Veniens de presbytero nondum baptizato* ita loquitur: „Et certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.“ Celebreque est pariter in iisdem decretalibus Alexandri III. responsum in *cap. 2 de baptismo*, ibi: „De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.“

Cohaerenter ad haec in terminis puerorum expositorum distinguunt doctores inter eos, de quibus omnimodo ignoratur, an fuerint baptizati, nec ullam habent pro baptismo conjecturam, et inter alios, qui collati baptismatis conjecturam habent, puta schedulam collo vel alteri corporis parti appensam, in qua scriptum sit, eos esse baptizatos, et dicunt baptismum in primo casu esse absolute conferendum et in secundo esse sub conditione ministrandum, *Romaguer. ad synod. Gerund. lib. 3 tit. 18 cap. 5 a num. 9 et seqq., Monacell. in formul. legal. tom. 1 tit. 10 num. 3 pag. „mihi“ 205* et confert resolutio hujus s. Congregationis in *Neapolitana**) 1. Septembris 1714, in qua responsum fuit: Baptizandam esse sub conditione et secreto, antequam matrimonium contraheret, quandam virginem annorum circiter 30, quae cuidam mulieri fuerat consignata, dum erat in aetate sex dierum, absque ullo documento collati baptismatis, licet mulier praedicta formiter interrogata asseruisset se credere eam fuisse baptizatam, cum ad suas manus delata est.

Alii e contra censent, puerum inter catholicos natum, licet expositum, censendum esse baptizatum nec esse sub conditione rebaptizandum, nisi forte concurrerent aliquae circumstantiae, quae suspicionem ingererent, puta, si in loco essent infideles aut anabaptistae, qui filios suos non baptizant, *Enriquez lib. 2 cap. 31 num. 1.* Alii putant, hoc dictum non subsistere, quia mulieres etiam catholicae ad scelus tegendum partum occulte effundunt, parum sollicitae de spirituali salute infantis, sed sustinent, non esse locum baptismo, quamvis sub conditione, si infans reperiatur cum schedula teste baptismi, *Tanner. in 3. par. disput. 4 quaest. 2. dub. 4. n. 113, Diana in edit. coord. tomo 5 tract. 5. resolut. 42*, ubi ait: Baptizandum sub conditione puerum, qui schedulam non habeat, etiamsi ex colore et aliis indiciis natus videretur ante mensem: at alii mordicus tuentur, debere esse locum baptismo sub conditione, etiamsi penes infantem schedula reperiatur de baptismo recepto, cum, ut plurimum, ignoretur, a quo illa scripta sit, et per consequens ejus vigore nunquam constare dici possit de baptismo recepto. Fuse id ostenditur a *Quintadvennas tom. I. singular. 9 de baptismo*, ubi ait: Suae sententiae subscripsisse alios sapientissimos theologos societatis Jesu et late etiam prosequuntur *Leander oper. moral. tom. I. tract. 2 de baptismo disput. 3 quaest. 44, Diana in edit. coordinat. tom. I. tract. 1 resolut. 81.*

Et haec sententia de conferendo sub conditione baptismo etiam his, qui memoratam schedulam deferunt collo appensam, fuit in praxi recepta in archiepiscopatu Hispalensi et in dioecesi Cordubensi, teste *Quintadvennas loco citato*; item in magno hospitali expositorum Toletanae civitatis, teste *Leandro loco pariter citato.* Eidem quoque favet concilium Mediolanense tertium sub s. Carolo Borromaeo tit. *de baptismo infant.*, ibi: „*Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter praerequisita, quemadmodum in concilio romano, adhuc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur: si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo etc.;*“ et confert demum rituale romanum Pauli V., ubi sic legitur: „*Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constet, sub conditione baptizentur;*“ cum verbum „constet“ claram significet probationom et clara dici non possit probatio, quae ex schedula praedicta resultat.

*) Hoc decret. vd. infra. *p. 19.*

Stantibus his dignabuntur EE. VV. decernere:

Quomodo se gerere debeat parochus s. Spir. in Saxia in collatione s. baptismi infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant et etiamsi ex colore et caeteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in aetate sex vel decem mensium vel unius anni cum dimidio?

S. C. C. resp.: Esse baptizandus sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem; et instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae haberet certitudinem.

Die 15. Jan. 1724.

Baptismus est sub conditione administrandus, si de jam collato probabilis est dubitatio.

S. C. C. die 1. Sept. 1714 *Neap.*; 26. Apr. 1732 *Ulyxbon.*

Liberos expositos esse baptizandos sub conditione, praeterquam si schedulam portent in collo vel alia corporis parte appensam, quae habeat certitudinem et in qua scriptum sit, eos esse baptizatos.

Die 15. Jan. 1723.

Infantes ab obstetricibus baptizatos posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem baptismi prima vice collati.

S. C. C. die 29. Decbr. 1682. (Relatum a Bened. XIV. institut. 84.)

Quum infans esset in utero matris aperto, ita ut capitis vertex aspiceretur, a chirurgo baptizatus fuit sub conditione. Postquam natus est, parentes instituerunt, ut iterum sub conditione baptizaretur. Parochus tamen id recusavit et chirurgus juramento confirmavit, aquam verticem attingere debuisse. Quum tamen non constaret, num tettigisset, S. C. C. resp.: baptismum esse iterandum sub conditione.

Die 12. Julii 1794. *Sutrina*

Frater Matthias Hernandez O. P. supplici in libello a SSmo remisso exponit quod in civitate Navarra aliisque locis dioecesis s. Jacobi de Cuba in Indiis occid. parochi solent rebaptizare sub conditione tam infantes domi in casu necessitatis baptizatos non alia ratione, quam quia baptismus non fuit in ecclesia paroch. collatus, tum etiam haereticos ad cathol. fidem conversos, licet asserentes se baptizatos fuisse servata forma et adhibita materia ab ecclesia praescripta, sub unico praetextu, quod ignoretur quae et qualis fuit intentio, cum qua fuerunt baptizati?

Propositis igitur dubiis:

1) *An infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebaptizandi?*

2) *An et in quibus casibus haeretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem cathol. revertantur?*

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi.

Ad 2: Ut supra.

Die 27. Mart. 1683. (Relatum a Bened. XIV. instit. 84.)

Constantien.

Judaeus quidam, nomine David Marcus, natione Polonus ex urbe Kampsa, pluries pro se suaque uxore et quatuor filiis baptismum petierat, quin tamen unquam voti compos evasisset. Quum vero quadam die in hospitali Rottemburgensi cum tota familia maneret nilque minus cogitaret quam de baptismi actu suscipiendo, muliercula quaedam, bona fide putans urgente necessitate quemlibet baptizare posse, nulla praemissa catechesi neque postulato baptizandorum consensu, aqua lustrali aspersit omnes dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen*; eosdemque monuit, ipsos jam esse baptismo initiatos et christianos effectos. Varia post itinera dictus David Marcus cum tota familia Salemium se contulit in provincia Sueviae dubiusque de validitate baptismi a praedicta muliercula collati supplex rogavit rev. Abbatem, ut rite, si opus foret, ipsos baptizare dignaretur et in catholicae religionis mysteriis erudire. Abbas autem Salemitanus, ne quid hac in re imprudenter ageret, S. C. consilium exquisivit postulavitque declarari: an dictus David Marcus cum sua familia denuo baptizari saltem sub conditione deberet.

Datae hinc sunt literae Nuntio apostolico apud Helvetios demandatumque examen tum mulieris, quae baptismum administravit, tum etiam baptizatorum. At quum iidem Judaei patriam dumtaxat linguam callerent Helvetiis ignotam, mulier vero, quae baptismum contulit, moraretur in loco a monasterio Salemitano longe dissito, hinc excepto Davide Marco patre nemo ex reliquis examini subjici potuit.

Ex formali igitur Davidis examine constat, ipsum Rottemburgi ad Nicarum cum

tota familia commorantem, a patribus soc. Jesu baptismum postulasse, sed ideo fuisse repulsum, quia cum uxore et liberis ibidem se sustentare et commorari non posset. Quum autem, idem narrat, in hospitali Rottemburgensi maneret, mulierculam quandam ad eum accessisse praemissisque his verbis: »Ecce! quilibet baptizare potest,« deinde manum in hydriam aquae attinxisse ac primum duos natu minores, Rebeccam scilicet et Abrahamum letali morbo laborantem, aqua aspersisse, cruce signasse, proferendo verbo: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, Amen;* mox reliquos de familia, ipsum videlicet Davidem ac ejus uxorem duosque majores liberos eadem aqua similiter aspersisse. Ipsum autem nescire, an aliorum respectu dicta mulier quicquam pronunciaverit, certum tamen esse, ut, si alter ex infirmis moriatur, sacerdoti notum fieret, eos jam fuisse baptizatos.

Praeter Davidis examen prostat etiam extrajudicialis depositio mulieris, quae baptismum contulit, asserentis, se utrumque parentem ac filios omnes aqua passim aspersisse, repetita quoad singulos baptismi formula: *Ego te baptizo* etc. Interrogata vero: cur et qua mente id fecerit? respondit: Se id in ecclesia, quum infantes sacro fonte lavarentur, vidisse atque in catechesi audivisse, quemlibet urgente necessitate baptizare posse, ideo vero ad hoc faciendum fuisse adductam, quia nemo sine baptismo salvatur. Postea vero rogata, ut panderet: num quicquam Judaeis dixerit ante baptismi collationem, declaravit, nihil ea de re cum ipsis se fuisse collocutam.

Haec testata est eadem mulier Rottemburgi sacerdoti societatis Jesu P. Schovenduman, qui advertit, inane studium fore ulterius progredi, cum dicta mulier, etsi formali examini subjiceretur, a prima depositione non esset recessura nec clarius rem panditura. Asserit enim, eam esse devotam foeminam, sed simplicem, quae sine praecedenti consensu in adultis ad sacramenti validitatem requisito bona fide baptismum administravit, prout apostolicus Nuntius ex ore dicti P. Schovenduman audivisse testatur.

Baptismi formam conditionatam, quae prius mente tantummodo concipiebatur, ab octavo usque saeculo expresse usurpari coepisse liquet ex *lib. 6 capitularium cap. 184 apud Baluzium tom. primo pag. 954*, cujus haec sunt verba: »De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non, omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur, his tamen verbis praemissis: non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.« Hanc disciplinam multis jam locis receptam Alexander III. saeculo XII. non solum approbavit sed ubique etiam servari mandavit, *cap. de quibus tit. 42 de baptismo et ejus effectu,* inquiens: »De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.« Eamdemque sanctionem confirmavit Joannes XXII. apud *Odoricum Raynaldum ad annum 1333 num. 42.*

Verum ut hujusmodi forma conditionata adhiberi tuto possit, non sufficit dubitatio quaevis de baptismi antea collati validitate, sed concurrat oportet dubitatio prudens atque probabilis. »Ea autem probabilis dubitatio est, inquit *Estius in 4. distinct. 4. § 15*, quae facta etiam diligenti indagine discuti non potest, ita ut nec moralis certitudo facti haberi queat.« Idque expresse statuitur in *catechismo romano part. 2 de sacram. baptism. num. 57*, ubi de forma conditionata haec habentur: »Ea baptismi forma ex Alexandri Papae auctoritate in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint, aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione (videlicet conditionis) baptismum alicui iterum ministrare.« Et divus Carolus in suis institutionibus *act. eccles. Mediolan. part. 4. pag. 497* monet, tunc solum conditionatam formam adhiberi posse, cum re diligenter perquisita dubium relinquitur, aut certe non, infantem vel alium, qui baptismo offertur, baptizatum esse. Hoc ipsum quoque in pluribus synodis statutum reperitur, ut videre est apud *Natal. Alexand. theolog. dogm. et moral. lib. 2 de sacrament. baptism. cap. 7. reg. 5.*

Hinc post *Dominicum Sotum in 4. distinct. 3. quaest. unic. artic. 9*, *Petrum Paludanum distinct. 6. quaest. 4.* et *Silvestrum tit. baptismus 4. num. 9.* egregie tradit *Estius loc. cit.:* »Vituperabilem esse consuetudinem quorumdam, qui passim ac sine discrimine infantes ab obstetricibus propter vitae periculum baptizatos iterum sub conditione baptizant, non aliam dubitandi causam habentes, quam quod muliercula forte vel intentione deficere vel in verbis proferendis hallucinari potuerit; cum tamen interrogata

testetur, se rite totum mysterium peregisse.« Eamdemque consuetudinem damnat etiam *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 6. num. 4.* simulque num. 2., minime sectanda esse exempla, quae congesserat *Gobat. tom. 1. tract. 2. sect. 3.*, et *matrim. theolog. tom. 3. tract. 19. disputat. 1. sect. 8. num. 140*, ubi plures sub conditione baptizatos referunt, qui ob merum scrupulum non tam dubitabant quam imprudenter suspicabantur, num rite fuissent baptizati; quam quidem conditionatam Sacramenti iterationem ob id probare videntur iidem auctores, quod animi quietem inducat.

Quamvis autem ex plurium attestatione major profecto hauriatur collati baptismi certitudo, nihilominus sacri canones satis probatum habent hujusce sacramenti collationem per unicum testem, praecipue si de facto proprio testatur, hoc est, si affirmet, illud a se fuisse administratum, nec quidquam sit, quod ejus dicti fidem imminuat. Id scite decrevit s. Leo in *epist. ad Leonem Ravennaten. Episcopum* relat. *cap. Cum itaque 112 de consecratione distinct. 4.*, his verbis: »Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est, in quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille, qui consecrat.... Atque ideo quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo sit penitus, qui testimonio suo jurare possit ignorantiam nescientis.«

Hinc *Glossa in cap. Licet de testibus* ad illa verba: »Nulla causa, quae unius testimonio, quamvis legitimo, terminetur,« sedulo admonet, hujusmodi regulam locum sibi vindicare in alterius praejudicium; secus vero ubi de nullius agitur praejudicio, puta, utrum aliquis sit baptizatus, an ecclesia sit consecrata etc., quia in his unius testimonium attenditur, *Fagnan. in cap.: Licet de testib. n. 15.*, *Bened. XIV. institut. 8* et *constitut. 28. tom. 2. bullar.*, ubi refert responsum s. Congregationis sancti Officii diei 30. Martii 1638, quo declaratum fuit: *Baptismum probari unico teste.*

Quamobrem, cum in s. hac Congregatione propositum fuisset dubium: »*Quomodo se gerere debeat parochus s. Spiritus**) *in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant et etiamsi ex colore et caeteris corporis qualitatis deprehendantur, eosdem esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel etiam unius anni cum dimidio?* die 15. Januarii 1724 responsum fuit: Esse rebaptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem.

Instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae habeat certitudinem. Rationem vero affert praelaudatus Benedictus XIV. *instit. 8.*, quia scilicet ex schedula deprehendi potest auctor, eumque fidem mereri, proindeque unico hoc testimonio baptismus rite traditus satis probatur.

Inquirendum est itaque: an fides habenda sit devotae mulierculae, sed, ut fertur, simplici, quae semel atque iterum extrajudicialiter testata est, Hebraeos singulos a se fuisse baptizatos nec alio id consilio et mente egisse, nisi quia id in ecclesia fieri vidisset, cum infantes sacro fonte lavarentur; atque insuper quia audivisset, neminem sine salutari lavacro aeternam salutem consequi posse, ac demum, quia in catechesibus edocta fuerat, fideles omnes, necessitate urgente, baptismum posse ministrare.

Haec sunt, quae collati baptismi probationem respiciunt. Praestat nunc nonnulla addere ad validam hujusce sacramenti collationem pertinentia. Indubia profecto res est, ad baptismi substantiam qualemcumque personae baptizandae ablutionem sufficere, sive ea immersione, sive perfusione sive aspersione fiat, ac rursus certum est, validum esse baptismum sive totum corpus sive pars aliqua tantum abluatur. Plura de his apud theologos et canonistas. Egregium prae caeteris est illud s. Cypriani Carthaginensis Episcopi *epist. 76. edit. Mur.*: »Nec quemquam movere debet, quod aspergi vel profundi videntur aegri, cum gratiam dominicam consequuntur, quando scriptura sancta per Ezechielem prophetam *cap. 36* loquatur et dicat: »Et aspergam super vos aquam mundam etc.« Deinde allatis textibus ex libro Numerorum *cap. 8. et 19.* sic pergit: »Unde apparet, aspersionem quoque aquae instar salutaris lavacri obtinere et quando haec in ecclesia fiunt... stare omnia et consummari

*) Vd. *supra p. 8.*

ac perfici posse majestate Domini et fidei veritate.« Hinc, cum Apostoli uno die tria, altero die quinque hominum millia baptizaverint, ut habetur ex *cap. 2. et 4. actor. apostolor.*, verosimilius videtur id vel aspersione vel effusione egisse: »Aspersione, inquam, addit *Sylvius in 3. part. quaest. 66. artic. 7.*, non qualis fieri solet in ecclesiis, dum populus aspergitur aqua benedicta: haec enim multos non contigit, nisi in vestibus aut capillis, sed quae singulis adhiberetur, uni per unum, alteri per alium, sive discipulum sive apostolum.« Duo idcirco praecipua sunt.

Primum scilicet, ut tantum aquae et eo modo adhibeatur, quantum et quo modo sufficit, ut quis moraliter censeatur ablutus et aqua perfusus. Quare, licet complures sentiant auctores ratum fore baptismum, si una aut altera solum aquae gutta, quae diffluere possit, corpus aspergat, nonnulli tamen, quos refert *Gonzalez. cap.: Non ut apponeres de baptismo num. 2.*, de hoc merito dubitant.

Deinde necessarium est, ut aqua immediate corpus tangat, quia non alias homo abluitur; proindeque, si vestes aut capilli tantum aspergantur, baptismus validus non censetur. Ad rem praesentem quod attinet, notandum est, quid David Marcus in suo formali examine, quid mulier in extrajudiciali sua depositione dixerint. David Marcus testatus fuit, mulierem duos natu minores liberos primum cruce signasse dicendo: *Ego te baptizo* etc. *Reliquos vero* (sunt haec ipsius Davidis verba) *eadem aqua fontana a praedicta muliere aspersos fuisse: Nescire se vero, an praefata mulier ad aspersionem quidquam pronunciaverit.* Mulier vero fassa est, utrumque parentem ac filios omnes eosque seorsim aqua lustrali aspersisse, pronunciata simul toties baptismi forma: *Ego te baptizo* etc. Verum ex hisce depositionibus non deprehenditur, utrum capilli tantum aut vestes aspersae fuerint seu potius corporis pars aliqua aut caput, ut praescribit *ritual. roman. tit. de baptizand. parvul.*; *s. Thom. 3. part. quaest. 68. art. 11. ad 4.*, *s. Carolus Borrom. act. eccles. Mediol. par. 4. pag. 497. §. Si vero foetus.*

Tandem ubi de adultis agitur, constans et communis apud omnes sententia est, baptizandi voluntatem requiri sive intentionem suscipiendi baptismum, ita ut, si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus, ut inquit *s. Thomas 3. part. quaest. 68. artic. 7. ad 2.*, Vidend. *Benedict. XIV. constitut.: Postremo mense.**) Voluntas haec autem perfecta et praecisa esse debet, nec ei recte collatum diceretur baptismum, qui dubius esset vel indifferens, hoc est neque volens neque nollens, quia is non haberet intentionem recipiendi sacramentum, ut contra Cajetanum docent theologi et Benedictus XIV. in citat. constit. §. 48. Non est tamen necesse consensum esse actualem, sufficit enim aliquando praecessisse et moraliter adhuc perseverare juxta communem theologorum sententiam, quos sequitur laudatus Pontifex *loc. cit.* §. *46.* ibi: »Verum si quis baptismum accipiens praesenti voluntate careat, quam alias tamen habuerit talis suscipiendae lotionis, qualis in ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens deinceps retractata adhuc moraliter perseveret. Nam si nulla praecesserit retractatio et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum sacramentum.«

In praesenti casu integra Davidis familia ex uxore constat et quatuor filiis. Ex filiis duo majores infantiam excesserunt; Lia enim annum duodecimum. Isaac autem septimum annum attigerat; reliqui erant adhuc infantes. Mulier, antequam illos baptizaret, nullum ab iis consensum expostulavit, nullam catechesim praemisit, nec de eliciendo doloris actu eos monuit nec de sacramento, quod ipsis conferre meditabatur, sed repentino quodam zelo correpta exclamavit: »Ecce quilibet baptizare potest,« deindeque omnes aqua aspersit.

Quum vero David cum tota familia Rottemburgum ad Nicarum pergens instructionem in catholica fide et sacrum baptisma petierit, hinc ponderandum occurrit: an petitionis hujus et desiderii conscii fuerint illius filii adulti eique assensum praestiterint. Quodsi de assensu constiterit, inquirendum ulterius est: an voluntas antecedens recipiendi baptismum, quae nunquam videtur retractata, moraliter in ipsis perseveraverit, ita ut ex parte adultorum non defuerit intentio saltem virtualis suscipiendi baptismum.

Haec omnia EE. PP. examinanda proponuntur, ut qua solent maturitate et prudentia definiant:

*) Vd. infra: *Baptismus Judaeor.*

An baptismus ratus haberi debeat vel potius sub conditione denuo conferri in casu?

Die 8. Julii 1763 decrevit: *Dilata et scribatur Episcopo juxta instructionem.*

Datis itaque literis Nuntio apost. apud Helvetios injunctum ei fuit, ut praevio accurato examine tum mulieris, quae baptismum contulit, tum etiam Marci Davidis ejusque uxoris ac filiorum circumstantias omnes percunctaretur. Expleto examine acta transmisit laudatus Nuntius cum nova sua relatione:

»*Mulier, quae baptismum contulit, de his fuit interrogata*:

I. An dum versabatur cum David ejusque conjuge et familia in hospitali Rottemburgensi ipsum inter et mulierem praecedenter de baptismo sermo inciderit?

Resp.: Marcum David patrem a se deponente interrogatum: an baptismus esset, affirmative respondisse.

II. An verba, quae protulit ipsa mulier juxta ejus depositionem »Ecce quilibet baptizare potest« praecedentis sermonis consectaria fuerint vel ex causa letalis morbi infantium, utque eorum aeternae saluti prospiceret, ex ore ejusdem mulieris eruperint?

Resp.: Verum esse quod ipsa deponens dixerit, in casu necessitatis quemcunque posse conferre baptismum, addendo, absque baptismo nullum salvari posse. Ad alia ceteroquin se nullam fecisse reflexionem.

III. An Marcus David constans desiderium suscipiendi baptismum cum sua familia patefecerit, immo indicaverit?

Resp.: Marcum David se declarasse, quod, si occasio se offerret et sibi in xenodochio per aliquod tempus commorari liceret, promtus foret christianam amplecti fidem, praevia tamen instructione.

IV. An ex verbis, quae mulier proferebat, atque ex aquae effusione praedictus David, uxor et filii aetate majores agnoverint aut saltem suspicati fuerint, sibi baptismum conferri?

Resp.: Imaginari sibi non posse, quod ipse David vel ejus uxor vel liberi animadverterint collatum sibi fuisse baptisma.

V. An dicta mulier baptismum conferendo non una vel altera aquae gutta singulorum vestes aut capillos asperserit, sed tantum aquam in singulos effuderit, ut sacri lavacri ritus expletus remanserit?

Resp.: Se deponentem digito in aquam benedictam intincto singulos aspersisse, signum crucis formasse, dicendo: *Baptizo te in nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, Amen*; non recordari autem, utrum ante cujuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.«

Oblati deinde sunt 13 articuli Marco Davidi, Sarae uxori et filiis in haec quae sequuntur verba:

I. An Marcus et ejus uxor voluntatem suscipiendi s. baptismum nunquam abjecerint aut retractaverint, eo praesertim tempore, quo ipsis a muliere collatum fuit?

II. An praecedenter et catechesi christiana ipse ejusque conjux et filii aetate majores aut legendo aut audiendo de christianorum ritibus et praesertim de baptismo ejusque collationis forma edocti fuerint aut notitiam habuerint?

III. An saltem tam ipse Marcus quam uxor et filii aetate majores, quo tempore mulier verba proferebat et aqua singulos abluebat, in suspicionem venerint baptismum conferri?

IV. Quae verba mulier baptizans protulit, quum duos liberos baptizavit, sc. Rebeccam et Abrahamum?

V. An aquam aspersit infantibus, an vero vola manus captam effudit, an denique statim et immediate ex urceo super caput effudit?

VI. Quid dein ulterius fecit mulier circa reliquos praesentes, sc. patrem, matrem, filium et filiam?

VII. An etiam ipsis circumstantibus aquam aspersit, an vero super caput effudit singulorum?

VIII. Quid dixit mulier, dum aquam aspersit, reliquis vobis circumstantibus?

IX. An voluistis ibidem ab eadem muliere non solum liberos infirmos sed etiam reliquos vos omnes baptizari?

X. An non putastis, oportere vos adultos et extra periculum constitutos prius debere instrui et non posse nisi in ecclesia baptizari?

XI. Cur toties hac aetate petiistis baptismi gratiam pro iis pueris, qui periclitabantur infirmitatibus?

XII. Scitisne, quod aeternae damnationis reatum vobis adsciceremini, si jam baptizati velletis rebaptizari tantum ideo, ut aliquas pecunias vel eleemosynas acquireretis?

XIII. Quid adhuc tantopere instatis pro baptismi gratia, quum eandem modo ab anno et dimidio jam habetis, quam post baptismum habituri estis?

Ad haec 13 interrogatoria separatim et ad singulos respective et secundum cujusque capacitatem directa respondit primum Lia filia natu major annorum 12

Ad I.: Nihil.

Ad II.: Se nihil scivisse de baptismo nec quicquam audivisse, quum Judaei non docti de Polonia de hoc ritu (ut quidem dicebat) nihil sciunt aut loquantur, neque parentes sui desuper ipsi aliquid locuti sint, sed tantum inter semet; se etiam nescivisse, quid circa sororem et fratrem suum juniorem mulier illa in hospitali Rottemburgico egerit, donec a muliere, dum ipsis post quadrantem valediceret, audiverit, natu minimum sc. Abrahamum esse baptizatum, nesciens quid esset baptismus.

Ad III.: Minime, sed nec mulierem abluisse reliquos circumstantes nec aliqua verba protulisse, sed tantum aspersisse aqua ex praecedente manus in urceolum intinctione adhaerente versus ipsos per aërem et se quantum putet tactam aliqua gutta fuisse; interim nec voluisse se tunc baptizari nec suspicatam fuisse, quod modo baptizetur, quum nec, si baptismus esset, audierit. Scivisse se, quod parentes catholicam fidem amplecti conentur et se etiam voluisse illam fidem amplecti, quam parentes amplexuri essent, sed modum nescivisse.

Ad IV: Protulisse mulierem aliqua verba, dum fratrem minorem sc. Abrahamum aspergeret et quidem clara voce, se autem verba illa tanquam valde ignota non retinuisse in memoria, maxime quum eo tempore vix aliqua pauca et summe necessaria verba germanica intellexerit et loqui potuerit; ad alteram vero sororem suam juniorem Rebeccam quum venisset mulier illa, rursus manum in urceum misisse, quem ipsa Lia mox antea ad fontem impleverit et attulerit et Rebeccam seorsim madefacta manu contigisse, sed nihil... se audiisse pronunciatum de verbis. Dixisse tamen mulierem postea: »nunc baptizati sunt hi duo liberi, salvari possunt, si moriantur.«

Ad V: Tantum adspersit manu in urceum juxta stantem immersa.

Ad VI: Adspersit omnibus circumstantibus vel potius versus nos omnes aquam manui adhuc adhaerentem nihil dicens et ego, ut dixi, aquam sensi in facie, sed non existimavi me per hoc baptizari, quum nihil scirem de baptismo, sed neque pater, quantum mihi constat, tum voluit ibi baptizari, sed quum gemeret una cum matre, quod a Jesuitis non fuissent suscepti in illius civitatis collegio ad conversionem et mox urbe pellendi forent, mulier ipsa volens parentes meos consolari duos juniores infantes, ex parte etiam infirmos, ita, ut supra dixi, adspersit.

Ad VII: Adspersit tantum versus nos nihil dicens, utique tamen aliquid dixit, dum adspersit Abrahamum natu minimum.

Ad VIII: Nihil dixit.

Ad IX: Nec liberos infirmos neque liberos sanos parentes mei tunc desiderabant baptizari ab illa muliere, sed quum pater et mater tristes essent et mater fleret, quod de civitate catholica iterum pellendi essent infirmis cum infantibus, illa ex proprio suo intellectu, non petentibus parentibus, baptizavit Abrahamum, Rebeccae autem aquam tantum adspersit.

Ad X: Utique Jesuitae nobis ibidem dixerunt, sive Lutheranus veniat sive Calvinista sive Judaeus, prius debere de re hujusmodi instrui. Ego autem nescivi, an in domibus baptismus conferatur, quum nec de baptismo quicquam audiveram.

Ad XI: Quia timuimus, ne moriatur puer elapso vere natus et tunc periculosissime infirmatus, qui nunc vocatur Anselmus Ivo, et alterum, scilicet Abrahamum, nescivimus an a muliere sit baptizatus et ipse morti proximus erat.

Ad XII: Utique et si pater propter pecunias baptizari voluisset apud Lutheranos, potuisset oblatum in pluribus locis, maxime in Oettingensi, baptismum et una sustentationem accipere.

Ad XIII: Ad felicitatem, nam qui non sunt catholici christiani, non possunt fieri beati.

Super iisdem articulis examinata deinde fuit Sara uxor, quae respondit singulatim prout sequitur:

Ad I: Se habuisse voluntatem non interruptam baptismi suscipiendi etiam tum, quum puer minimus baptizaretur, sed quum hoc fieret, tale nihil vel pro puero vel pro semet exspectasse.

Ad II: Se nec catechesi instructos fuisse nec *Pater noster* scivisse nec ritum seu modum baptismi conferendi novisse nec voluisse, ut mulier baptismum exhiberet, sed pu-

tasse, quod soli sacerdotes possint facere catholicos per baptismum.

Ad III: Se pro nihilo habuisse aspersionem illam nec scivisse de facto, cur mulier ipsos circumstantes adsperserit, sed mox de aquali illo bibisse, proin nihil minus quam de baptismo suspicatam fuisse, tanto minus, quanto minus mulier dixerit quid velit facere. Se non ablutam fuisse nec adspersione tactam esse, sed tantum versus ipsos indeterminate in aërem aliquot forte adhaerentes guttas dispersisse sine verbis, sine cruce.

Ad IV: Se linguae germanicae ignaram non advertisse, quid dicat vel quod aliquid dicat super Abrahamum. Super Rebeccam nihil audivisse pronunciatum, nec crucem formatam fuisse a muliere super Rebeccam, uti fecerat apud Abrahamum, ad quem primum accesserat.

Ad V: Non fudisse, sed adspersisse intincta in aquali manu.

Ad VI: Adspersit aquam versus nos nihil dicens, sed formans crucem uti apud aspersionem Abrahami.

Ad VII: A longo tantum adspersit, non singulis seorsim sed fortuito per aërem. Nescio, meam carnem attactam fuisse; forte in vestimentis aspersa sum.

Ad VIII: Se nihil audivisse.

Ad IX: Se nec voluisse, ut baptizaretur ipsa. Quomodo ergo potuissem desiderare, ajebat, ut baptizarer, quum nec sciverim quod mulier possit baptizare? Ego autem incolumis eram.

Ad X: Se nihil scivisse, nec quod oporteret eos instrui; se etiam nescivisse an in ecclesia, an vero extra ecclesiam conferatur baptismus.

Ad XI: Ut in Judaismo non moreretur.

Ad XII: Scio.

Ad XIII: Adeo, quia fides catholica est optima fides.

Haec Sara mater, de qua tamen animadvertitur, quod non vitio naturae sed accidentia puerperii stupidior est ceteris, unde lingua germanica a Jesuitis cursim dicta non intellexerat, quid ii de necessitate praecedentis instructionis locuti fuerint.

Sequitur examen Davidis Marci patrisfamilias, qui ad eadem interrogatoria dixit,

Ad I: Per omnia ut uxor.

Ad II: Se nullatenus instructos aut catechesi informatos fuisse nec ritum baptismi novisse sed putasse, quod soli sacerdotes possent baptizare.

Ad III: Per omnia ut uxor, neque se aqua attactum fuisse, imo se primum postea, dum mulier eis post horae quadrantem valedixit, audivisse, quod filius junior esset baptizatus et in casu mortis salvandus. Ex verbis autem prolatis in aspersione pueri Abrahami adhuc nihil de baptismo suspicatum fuisse, quinimo prohibiturum nec ullo modo concessurum fuisse, ut quis suorum baptizaretur seorsim et sine parentibus.

Ad V. VI. VII. VIII. per omnia ut uxor ejus Sara respondit.

Ad IX: Nec voluisse se, ut baptizaretur ipse vel uxor, nec ut liberi infirmi, eo quod neque apud natu minimum periculum mortis proximum fuerit. Et si voluissem, ajebat, baptizari moribundum, accessissem ad sacerdotem, non ad mulierem, utpote quam baptizare posse ignorabam. Mulier vero non exspectato consensu aut responso statim, ut dixit: »Quid tristamini? Quilibet homo potest baptizare« simul intincta manu baptizavit non jussa.

Ad X: Omnino se putasse, quod eos prius oporteret instrui; an vero in domo vel in ecclesia baptismus conferatur, se omnino ignorasse.

Ad XI: Ut salvarentur et in coemeterium more christiano sepelirentur.

Ad XII: Scio, nec desiderassem baptismum, si essem baptizatus, nam permaneo mendicus post baptismum sicut ante. Si pecunias habere voluissem, acceptassem oblatos a Judaeis 200 florenos in Haigerloch prope Hechingam, item oblatum Salemii primis diebus a servo illo Judaeo, qui saccum plenum pecuniis, si redirem, mihi obtulit, ut testes sunt ii, qui in domo latercularia habitant prope Salem. Habuissem etiam apud Judaeos unde sustentarer. At quid mihi cibus et potus, quem et pecora habent? Volo ergo baptizari, ut via mihi aperiatur ad vivendum inter catholicos catholice et ecclesias catholicas intrare mihi liceat. Nam extra valvas tantum pro concione dicentem audire interim licet. Non habeo fiduciam, quod mea ante baptismum oratio exaudiatur. Denique volo baptizari cum meis, ut possim consequi felicitatem aeternam.

De duobus filiis, Abraham scilicet et Anselmo, nihil opus est inquirere, quum utrique infantes gravi periculosoque morbo aegrotantes a sacerdote sub conditione rite baptizati fuerint.

His igitur opportune praemissis, ex quibus propositi dubii resolutio pendet, inquirendum est, an ex relatis responsionibus certum aliquod de validitate baptismi eruatur argumentum seu potius prudens emergat et rationabilis dubitatio, ut saltem sub conditione debeat iterari, juxta ea, quae in praeterito folio perpensa sunt. Norunt omnes, ad rite judicandum de baptismi validitate inspici diligenter oportere, an adhibita fuerit praescripta a Christo Domino materia et forma debito modo fuerit applicata, an baptizantis adfuerit intentio, an demum, cum de adultis agitur, suscipientium quoque intentio et voluntas intercesserit.

De baptizantis intentione nulla in praesenti casu oriri posse videtur disceptatio. Nam mulier baptizans extrajudicialiter requisita, qua mente baptismum contulerit, respondit: *Se id in ecclesia, cum infantes a sacro fonte levarentur, vidisse; in catechesi se quoque audivisse, quam personam, necessitate quadam urgente, baptizare posse, seque adductam ad id faciendum, quia nemo sine hoc sacramento salvatur*; quemadmodum retulit in suis literis religiosus P. Schovenduman, qui illam interrogaverat: et quamvis in formali examine denuo de hoc ipso requisita non fuerit, nihilominus ex responsionum serie ad alios articulos luculenter deprehenditur, eam fuisse mulieris intentionem, ut baptismum rite conferret, sicuti in ecclesia catholica conferri consuevit. Dubitari autem non potest, adhibitam ad id fuisse aquam naturalem, cum omnes testes in hoc conveniant.

Primum itaque quaestionis caput versari debet circa debitam materiae et formae applicationem. Porro aquae applicatio, quae generatim lotio dicitur seu ablutio, tribus modis fieri potest, perfusione scilicet, aspersione et immersione. Quovis autem ex his modis aqua ad baptizandum applicetur, certum est, tantum aquae et eo modo adhibendum esse, quantum et quo modo sufficit, ut quis moraliter censeatur aqua ablutus, perfusus aut tinctus.

Hinc si una tantum aut altera aquae gutta corpus aspergatur, etsi probabile sit baptismum fuisse collatum, nonnulli tamen non immerito dubitant, ut *Sylv. in 3. part. s. Thom. quaest. 76. art. 7.* aliique apud *Pasqualig. dec. 75.* Atque idcirco *Mastrius theolog. moral. disput. 17. n. 24.* docet, *aliquot saltem aquae quotas necessarias esse, quae corpus tangant cum aliqua sui divisione et partium successione*, *Card. de Lauraca disput. 12. de baptismo n. 20.* requirit durationem *successivam aspersionis etiam minimam*. Et *Gobat de bapt. tract. 2. n. 46.* sustinet oportere esse *aspersos quinque vel sex guttas.*

Necesse tandem praeterea est, ut aqua *immediate corpus tangat*, quia alioquin non censetur homo ablutus; proindeque si vestes tantum aspergantur, nequaquam collatus erit baptismus: si vero capilli tantum, quamvis juxta varias DD. opiniones aliqui pro validitate, alii vero pro nullitate senserint, nihilominus dubia saltem nec satis tuta dijudicanda erit baptismi collatio, ut aliis relatis monet *Clericat. in decis. cler. Patav. ann. 1688 mens. Mart. quaest. 1.* Ac tandem ablutio hujusmodi, nisi aliquid obstet, fieri debet in capite, in quo omnes vigent hominis sensus, *cap. Postquam dist. 4. de consecrat.*, *catechis. roman. de baptismo* et *ritual. roman. in rubr. de baptism.* Vidend. etiam Bened. XIV. *de synod. dioeces. lib. 7. cap. 5. num. 8.*

Jam vero ex formali examine constat, mulierem, quae baptismum ministravit, usam esse aspersione, *digito* nimirum *in aquam intincto*, ut ipsa testata est in responsione ad 5. interrogatorium, *sive manu in urceum juxta stantem immersa*, uti ad 5. pariter respondit Lia filia natu major. Non tamen constat, singulos seorsim aqua fuisse aspersos aut aquae guttas singulos attigisse vel, si fortasse singuli aliqua gutta tacti fuerint, ignoratur, an satisfuerit, ut ablutionis vices impleverit. Quin immo liquet, mulierem baptizantem eo modo aquam adhibuisse et applicasse, quo adhiberi solet aqua lustralis, dum populo benedicitur. Etenim Lia ad 5. testatur, *mulierem tantum aspersisse aquam ex praecedente manui in urceolum intinctione adhaerentem versus ipsos per aerem.* Sara item uxor ad 3. respondit, dictam mulierem *tantum versus ipsos indeterminate in aerem aliquas forte adhaerentes guttas dispersisse.* Et similiter ad 7. ait: *a longe tantum aspersit, non singulis seorsim, sed fortuito per aerem.*

Et quamvis Lia ad 3. asseruerit, *se tactam aliqua gutta fuisse*, et ad 6: *aquam sensisse in facie*, nihilominus Sara uxor ad 3. dixit: *se non ablutam fuisse nec aspersione tactam esse;* et iterum ad 7: *nescio, meam carnem attactam fuisse, forte in vestimentis aspersa sum.* David quoque paterfamilias ad 3. deposuit neque se aqua at-

tactum fuisse. Et denique ipsa mulier baptizans ad 5. respondit: *non recordari, utrum ante cujuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.* Ex his gravis oritur dubitatio de baptismo a Lia suscepto, ob probabilem defectum ablutionis, quae ex una vel altera aquae gutta haberi non potest. Magisque grave exurgit argumentum contra baptismum Davidis patrisfamilias et Sarae uxoris, qui nullo modo aqua fuerunt abluti.

Ex alio quoque capite collatio baptismi, de qua agitur, in maximam venit nullitatis suspicionem, nimirum ex defectu debitae applicationis verborum, quae sacramenti formam constituunt. Si enim depositiones Liae, Sarae et Davidis vel leviter perpendantur, aperte innotescit, nulla prolata fuisse verba a muliere baptizante nihilque ab ea fuisse pronunciatum, dum aqua circumstantes aspergebat, quemadmodum unanimi consensu deposuerunt omnes in responsionibus ad 3., 6., 7. et 9. articulum.

Non est tamen dissimulandum, hisce depositionibus aperte pugnare, quae in priori extrajudiciali examine ipsa mulier baptizans fassa fuerat, nimirum, *se aqua lustrali aspersisse utrumque parentem filiosque omnes, quousque seorsim, pronunciata simul toties s. baptismi forma: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.* Hinc inquirendum est, num mulieri potius baptizanti praestanda sit fides, quam iis, qui baptismum susceperunt, quique nec aqua fuisse attactos nec verbum ullum ab ea prolatum audivisse deposuerunt. Qua quidem in re perpendere primum oportet, quod mulier baptizans *nedum simplex sit et devetula, sed rectae rationis usum, ut communis fert fama, non habeat, praesertim verno et aestivo tempore, ideoque saepius delirans et mente sit confusa*, prout reverendissimo Nuntio apostolico apud Helvetios retulit Praepositus collegiatae ecclesiae sancti Mauritii ad Nicarum, qui de illius mandato dictam mulierem formali examini subjecit. Deinde animadverti debet, quod eadem mulier in formali examine ad quintum interrogatorium respondit, *se non recordari, utrum ante cujuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.* Ac denique notandum, quod, quamvis mulier deposuerit, se aquam benedictam in aspersione adhibuisse, nihilominus Lia filia natu major Davidis ad 4. dixit: *se urceum mox antea ad fontem implevisse et attulisse.* Idemque etiam affirmavit David Marcus in responsione ad 10. articulum prioris examinis. Ex his erui potest, quanta fides adhibenda sit mulieri baptizanti, praesertim cum nihil ea de re in judiciali examine loquuta fuerit.

Expendendum quoque, adultis inesse oportere intentionem seu propositum suscipiendi baptismum. Quae autem intentio requiratur non omnes theologi conveniunt. *Cajetanus in 8. par. s. Thom. quaest. 58. artic. 7.* sufficere existimavit indifferentiam voluntatis, cujusmodi esset in homine infideli dormiente, qui de baptismo christianorum nihil unquam audivisset, validumque pronunciavit baptismum ab eo susceptum, qui nec abnuens nec assentiens baptizaretur. Sententiam hanc fulcire conatus est auctoritate Innocentii III., *qui cap. Majores de baptismo* haec habet: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem.* Huic tamen sententiae adversati sunt theologi plerique, quos inter *Sotus in 4. dist. 5. quaest. unic. art. 7., Estius in 4. dist. 4. §. 10., Sylvius in 3. par. quaest. 68. artic. 7., Valentin. tom. 4. quaest. 3. punct. 2.* asserentes Cajetani opinionem pugnare cum ratione adducta a laudato Pontifice, qui, dum censet cogi posse ad observantiam fidei christianae, qui baptismi characterem susceperit, excludit profecto hominem infidelem, qui absque sui consensu fuerit baptizatus. Addunt etiam, sententiam Innocentii III. rectius desumi ex praecedentibus verbis, quibus consensum et propositum suscipiendi baptismum requisivit, unde non aliter intelligi oportere verba paulo supra relata, quam de voluntate non repugnante sed consentiente, licet non acta consentiat. Egregie more suo hac de re disserit Bened. XIV. in *constit. 28. incipien.: Postremo mense.**)

De intentione suscipiendi baptismi in Lia, Sara et David hoc unum habetur: Liam *scivisse, quod parentes catholicam fidem amplecti conentur et se etiam voluisse illam fidem amplecti, quam parentes amplexuri essent, sed modum nescivisse, uti ad 3.* respondit. *Et ad 6.* addidit: *Aquam sensi in facie, sed non existimavi me per hoc baptizari, neque desideravi baptismum, cum nihil scirem de baptismo: sed neque pater, quantum mihi constat, tunc voluit ibi baptizari, sed cum gemeret una cum matre, quod a Jesuitis non fuissent suscepti in illius civitatis collegio ad conversionem et mox urbe pellendi forent, mulier ipsa volens parentes meos consolari duos majores infantes, ex parte etiam infirmos, ita, ut supra dixi, aspersit.* Ex his patet, immediate, saltem ante aspersionem, propositum Judaeis non defuisse suscipiendi baptismum, quamvis nihil de illo tunc cogitaverint, quia existimarunt nequaquam posse a muliere conferri. Perpendendum itaque: an voluntas amplectendi religionem catholicam et propositum suscipiendi baptismum perseverans in Judaeis etiam tunc, cum nihil de baptismo cogitarent, haberi possit pro intentione saltem implicita et interpretativa. Non est praetereunda responsio, quam Sara uxor dedit ad 1. interrogatorium, asserens: habuisse voluntatem interruptam baptismi suscipiendi, etiam cum puer minor baptizaretur, sed cum hoc fieret tale nihil pro puero vel pro semet expectasse.

*) Vd. intra: *Baptism. Judaeor.*

Haec adultos spectant, Davidem scilicet patremfamilias, Saram uxorem et Liam filiam natu majorem. Supersunt adhuc liberi, quorum duo postremi infantes, Abraham scilicet et Anselmus fuerunt sub conditione rebaptizati. De aliis vero, videlicet Isaacho et Rebecca, habetur, *ut quid circa se actum sit prorsus ignorare comperti sint, cum ex eo tempore unus et dimidius jam elapsus sit annus et ambo aetate inferiores.* Verum Lia soror ad artic. 3. de Rebecca asseruit: *Super Rebeccam nihil audivisse pronunciatum.* Et rursus ad artic. 4. testata est: *Cum venisset mulier illa rursum manum in uxorem misisse et Rebeccam seorsim madefacta manu contigisse, sed nihil audivisse pronunciatum de verbis.* Hinc difficultas oritur tum super defectu sufficientis ablutionis, tum etiam super applicatione debitae formae: eeademque difficultas procedit quoad Isaachum, quem non constat seorsim aspersum, nec super illo formam fuisse pronunciatam.

Nuntius apostolicus denique, ut suam sententiam aperiret, haec scripsit: »Ex hac nova indagine seu examine tum Davidis tum filiorum tum mulierculae baptizantis eaedem emergunt de validitate baptismi dubitandi rationes et sive devotae mulieri sive Hebraeis habenda sit fides, prudens adeo et rationabilis dubitatio oritur, ut pro animi mei sententia baptismum reiterandum esse arbitrarer. Defuit siquidem in adultis intentio omnino necessaria, nulla praecessit catechesis, nemo baptizandos monuit de eliciendo doloris actu nec de sacramento, et Judaei nec praeviderunt nec mente conceperunt quid ageret mulier quidve tentaret. Quodsi Marco patrifamiliae, qui actualem consensum non habuit, aliquo modo prodesse posset voluntas, quam praecedenter habuit et in qua perseveravit, semper deesset intentio in Sara aliisque adultis, quum nunquam de baptismo cogitassent, ignari hujusce sacramenti ejusque efficaciae. Accedit ponderatio, quod juxta omnium examen mulier baptizandos aqua seorsim non adspersit, nec constat quoad singulos repetiisse baptismi formulam, quam non intellexisse asserunt Judaei, unde, etsi de virtuali voluntate suscipiendi baptismum nullum adesset dubium, tamen de sufficienti profusione aut adspersione merito ambigendum est, quum vix una aut altera gutta baptizandos tetigerit, ut asserunt Judaei.

Adversatur quidem huic depositioni examen mulieris, quae singulos aspersisse testatur, repetita semper baptismi formula, sed inspecto mulierculae indole, asserentis quoque Marcum patrem dixisse jam baptizatum esse, ejus confessioni plenam fidem habendam esse non putarem.

Ad dubium itaque:

An baptismus ratus haberi debeat seu potius sub conditione denuo in casu etc.?

S. C. resp.: *Esse baptizandos sub conditione.*

Die 8. Julii 1769 et 20. Jan. 1770.

Neapolitana.

(Conc. Tr. can. 11. sess. 7., cap. 2. sess. 24.)

Maria Roccha annos triginta circiter nata, quae in praesentiarum servitio est addicta nobilis matronae Hieronymae paganae in civitate Neapolis, cupiens saeculares nuptias inire, ex eo praepediri contigit, cum baptismi fidem neque indicare possit. Etenim, ut ipsa exposuit, puellula consignata fuit Annae Rocchae in civitate Barchinonensi ab homine quodam, qui eam expositurus pergebat ad hospitale. Supplex itaque eadem Maria Roccha EE. PP. oraculum imploravit, quatenus ex pronunciato defectu fidei baptismi libere matrimonium contrahere nequeat, ut benigne decernatur, quomodo sit ipsi consulendum. Eminentissimus Archiepiscopus, cui remissae fuerunt preces pro consueta informatione, veritatem expositorum sibi liquere asseruit ex jurata attestatione jam

tactum fuisse. Et denique ipsa mulier baptizans ad 5. respondit: *non recordari, utrum ante cujuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.* Ex his gravis oritur dubitatio de baptismo a Lia suscepto, ob probabilem defectum ablutionis, quae ex una vel altera aquae gutta haberi non potest. Magisque grave exurgit argumentum contra baptismum Davidis patrisfamilias et Sarae uxoris, qui nullo modo aqua fuerunt abluti.

Ex alio quoque capite collatio baptismi, de qua agitur, in maximam venit nullitatis suspicionem, nimirum ex defectu debitae applicationis verborum, quae sacramenti formam constituunt. Si enim depositiones Liae, Sarae et Davidis vel leviter perpendantur, aperte innotescit, nulla prolata fuisse verba a muliere baptizante nihilque ab ea fuisse pronunciatum, dum aqua circumstantes aspergebat, quemadmodum unanimi consensu deposuerunt omnes in responsionibus ad 3., 6., 7. et 9. articulum.

Non est tamen dissimulandum, hisce depositionibus aperte pugnare, quae in priori extrajudiciali examine ipsa mulier baptizans fassa fuerat, nimirum, *se aqua lustrali aspersisse utrumque parentem filiosque omnes, quousque seorsim, pronunciata simul toties s. baptismi forma: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen.* Hinc inquirendum est, num mulieri potius baptizanti praestanda sit fides, quam iis, qui baptismum susceperunt, quique nec aqua fuisse attactos nec verbum ullum ab ea prolatum audivisse deposuerunt. Qua quidem in re perpendere primum oportet, quod mulier baptizans *nedum simplex sit et devetula, sed rectae rationis usum, ut communis fert fama, non habeat, praesertim verno et aestivo tempore, ideoque saepius delirans et mente sit confusa*, prout reverendissimo Nuntio apostolico apud Helvetios retulit Praepositus collegiatae ecclesiae sancti Mauritii ad Nicarum, qui de illius mandato dictam mulierem formali examini subjecit. Deinde animadverti debet, quod eadem mulier in formali examine ad quintum interrogatorium respondit, *se non recordari, utrum ante cujuslibet personae aspersionem toties quoties de novo digitum in aquam benedictam intinxerit.* Ac denique notandum, quod, quamvis mulier deposuerit, se aquam benedictam in aspersione adhibuisse, nihilominus Lia filia natu major Davidis ad 4. dixit: *se urceum mox antea ad fontem implevisse et attulisse.* Idemque etiam affirmavit David Marcus in responsione ad 10. articulum prioris examinis. Ex his erui potest, quanta fides adhibenda sit mulieri baptizanti, praesertim cum nihil ea de re in judiciali examine loquuta fuerit.

Expendendum quoque, adultis inesse oportere intentionem seu propositum suscipiendi baptismum. Quae autem intentio requiratur non omnes theologi conveniunt. *Cajetanus in 8. par. s. Thom. quaest. 58. artic. 7.* sufficere existimavit indifferentiam voluntatis, cujusmodi esset in homine infideli dormiente, qui de baptismo christianorum nihil unquam audivisset, validumque pronunciavit baptismum ab eo susceptum, qui nec abnuens nec assentiens baptizaretur. Sententiam hanc fulcire conatus est auctoritate Innocentii III., *qui cap. Majores de baptismo* haec habet: *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem.* Huic tamen sententiae adversati sunt theologi plerique, quos inter *Sotus in 4. dist. 5. quaest. unic. art. 7., Estius in 4. dist. 4. §. 10., Sylvius in 3. par. quaest. 68. artic. 7., Valentin. tom. 4. quaest. 3. punct. 2.* asserentes Cajetani opinionem pugnare cum ratione adducta a laudato Pontifice, qui, dum censet cogi posse ad observantiam fidei christianae, qui baptismi characterem susceperit, excludit profecto hominem infidelem, qui absque sui consensu fuerit baptizatus. Addunt etiam, sententiam Innocentii III. rectius desumi ex praecedentibus verbis, quibus consensum et propositum suscipiendi baptismum requisivit, unde non aliter intelligi oportere verba paulo supra relata, quam de voluntate non repugnante sed consentiente, licet non acta consentiat. Egregie more suo hac de re disserit Bened. XIV. in *constit. 28. incipien.: Postremo mense.**)

De intentione suscipiendi baptismi in Lia, Sara et David hoc unum habetur: Liam *scivisse, quod parentes catholicam fidem amplecti conentur et se etiam voluisse illam fidem amplecti, quam parentes amplexuri essent, sed modum nescivisse, uti ad 3.* respondit. *Et ad 6.* addidit: *Aquam sensi in facie, sed non existimavi me per hoc baptizari, neque desideravi baptismum, cum nihil scirem de baptismo: sed neque pater, quantum mihi constat, tunc voluit ibi baptizari, sed cum ge-*

*) Vd. infra: *Baptism. Judaeor.*

meret una cum matre, quod a Jesuitis non fuissent suscepti in illius civitatis collegio ad conversionem et mox urbe pellendi forent, mulier ipsa volens parentes meos consolari duos majores infantes, ex parte etiam infirmos, ita, ut supra dixi, aspersit. Ex his patet, immediate, saltem ante aspersionem, propositum Judaeis non defuisse suscipiendi baptismum, quamvis nihil de illo tunc cogitaverint, quia existimarunt nequaquam posse a muliere conferri. Perpendendum itaque: an voluntas amplectendi religionem catholicam et propositum suscipiendi baptismum perseverans in Judaeis etiam tunc, cum nihil de baptismo cogitarent, haberi possit pro intentione saltem implicita et interpretativa. Non est praetereunda responsio, quam Sara uxor dedit ad 1. interrogatorium, asserens: habuisse voluntatem interruptam baptismi suscipiendi, etiam cum puer minor baptizaretur, sed cum hoc fieret tale nihil pro puero vel pro semet expectasse.

Haec adultos spectant, Davidem scilicet patremfamilias, Saram uxorem et Liam filiam natu majorem. Supersunt adhuc liberi, quorum duo postremi infantes, Abraham scilicet et Anselmus fuerunt sub conditione rebaptizati. De aliis vero, videlicet Isaacho et Rebecca, habetur, *ut quid circa se actum sit prorsus ignorare comperti sint, cum ex eo tempore unus et dimidius jam elapsus sit annus et ambo aetate inferiores.* Verum Lia soror ad artic. 3. de Rebecca asseruit: *Super Rebeccam nihil audivisse pronunciatum.* Et rursus ad artic. 4. testata est: *Cum venisset mulier illa rursum manum in uxorem misisse et Rebeccam seorsim madefacta manu contigisse, sed nihil audivisse pronunciatum de verbis.* Hinc difficultas oritur tum super defectu sufficientis ablutionis, tum etiam super applicatione debitae formae: eeademque difficultas procedit quoad Isaachum, quem non constat seorsim aspersum, nec super illo formam fuisse pronunciatam.

Nuntius apostolicus denique, ut suam sententiam aperiret, haec scripsit: »Ex hac nova indagine seu examine tum Davidis tum filiorum tum mulierculae baptizantis eaedem emergunt de validitate baptismi dubitandi rationes et sive devotae mulieri sive Hebraeis habenda sit fides, prudens adeo et rationabilis dubitatio oritur, ut pro animi mei sententia baptismum reiterandum esse arbitrarer. Defuit siquidem in adultis intentio omnino necessaria, nulla praecessit catechesis, nemo baptizandos monuit de eliciendo doloris actu nec de sacramento, et Judaei nec praeviderunt nec mente conceperunt quid ageret mulier quidve tentaret. Quodsi Marco patrifamiliae, qui actualem consensum non habuit, aliquo modo prodesse posset voluntas, quam praecedenter habuit et in qua perseveravit, semper deesset intentio in Sara aliisque adultis, quum nunquam de baptismo cogitassent, ignari hujusce sacramenti ejusque efficaciae. Accedit ponderatio, quod juxta omnium examen mulier baptizandos aqua seorsim non adspersit, nec constat quoad singulos repetiisse baptismi formulam, quam non intellexisse asserunt Judaei, unde, etsi de virtuali voluntate suscipiendi baptismum nullum adesset dubium, tamen de sufficienti profusione aut adspersione merito ambigendum est, quum vix una aut altera gutta baptizandos tetigerit, ut asserunt Judaei.

Adversatur quidem huic depositioni examen mulieris, quae singulos aspersisse testatur, repetita semper baptismi formula, sed inspecto mulierculae indole, asserentis quoque Marcum patrem dixisse jam baptizatum esse, ejus confessioni plenam fidem habendam esse non putarem.

Ad dubium itaque:

An baptismus ratus haberi debeat seu potius sub conditione denuo in casu etc.?

S. C. resp.: *Esse baptizandos sub conditione.*

Die 8. Julii 1769 et 20. Jan. 1770.

Neapolitana.

(Conc. Tr. can. 11. sess. 7., cap. 2. sess. 24.)

Maria Roccha annos triginta circiter nata, quae in praesentiarum servitio est addicta nobilis matronae Hieronymae paganae in civitate Neapolis, cupiens saeculares nuptias inire, ex eo praepediri contigit, cum baptismi fidem neque indicare possit. Etenim, ut ipsa exposuit, puellula consignata fuit Annae Rocchae in civitate Barchinonensi ab homine quodam, qui eam expositurus pergebat ad hospitale. Supplex itaque eadem Maria Roccha EE. PP. oraculum imploravit, quatenus ex pronunciato defectu fidei baptismi libere matrimonium contrahere nequeat, ut benigne decernatur, quomodo sit ipsi consulendum. Eminentissimus Archiepiscopus, cui remissae fuerunt preces pro consueta informatione, veritatem expositorum sibi liquere asseruit ex jurata attestatione jam

dictae Annae Rocchae Barchinonensis, subindeque addit, oratricem vitam pie vivere ac sacramenta poenitentiae et eucharistiae frequentare consuevisse. Caeterum votum suum aperire praetermisit.

Hisce relatis precibus per summarium die 17. Junii praeterlapsi anni placuit EE. PP. rescribere: quod servatis servandis examen exciperetur Annae Rocchae, subindeque causa describeretur in folio. Quibus supremis mandatis obsequendo, praeviis interrogatoriis, praedicta Anna Roccha Barchinonensis recensuit, bene sibi cognitam esse Mariam Roccham eamque tamquam filiam nutrivisse, at de ejus baptismo nihil certi deponere posse: quando quidem per vicum transeunte quodam homine, qui praedictam Mariam tum infantem dierum sex ad hospitale expositurus duxit, eadem ipsa Anna, recens filio orbata, sibi consignari requisivit puellulam, quatenus lactis copia se exonerare posset. At voti compos effecta, credens puellam sacris aquis expiatam fuisse interrogare desuper praetermisit hominem; materno deinde affectu eam nutrire coepit, quam Mariam nuncupabat, eique proprium cognomen indidit, neque praetermisit christianae religionis praeceptis ac pietate ipsam imbuere. Ulterius eadem Anna Roccha interrogata super regionis more circa tempus collationis baptismi respondit: infra terminum dierum octo omnino pueros sacris aquis regenerari solere, ut plurimum vero in secundo, tertio vel quarto die ab eorum nativitate. Hinc subtexuit, quod Maria Roccha, quae puella sex dierum ad ejus manus pervenit, tum poterat esse baptizata, ut sibi persuasum habuit et adhuc in hujusmodi credulitate perseverat. Nihilominus id certo asseverare non posse, inquit, tum quia praememoratum hominem interrogare praetermisit, cum etiam quia nullum signum baptismi recepti secum puella habebat. Caeteroquin vero syngrapham collo appensam indicantem baptismi collationem infantes expositi in his regionibus portare solent. His itaque praelibatis oratrix ipsa preces renovat, quo sibi benigne consulatur, ut possit matrimonium contrahere non obstante defectu fidei baptismi. Dignabuntur itaque EE. PP. solita prudentia et sapientia decernere:

Quomodo oratricis precibus sit annuendum?

S. C. C. resp.: Esse baptizandam sub conditione ac secreto et deinde procedere posse ad contrahendum matrimonium.

Die 1. Sept. 1714.

Ripana.

Contigit anno 1730 in civitatis Ripanae transitu esse hominem quemdam e Germania oriundum, qui appellabatur Jacobus Guilelmus Urciz et ritu peregrini vagabatur per orbem. Erat cum ea puellula, nuncupata Maria Salome, quam ajebat suam esse filiam et hausisse lucem Confluentiae ibique salutis aqua respersam. Hanc puellulam sibi pro filia adoptarunt Michael Angelus Justasius et Catharina conjuges, quibus spopondit peregrinus esse se missuram intra sex menses documentum de suscepto baptismate. At nunquam deinceps hujusmodi documentum allatum est ad memoratos conjuges nec quicquam rescitum de peregrino. Quamobrem ii, quos latet, an Maria Salome vere fuerit christianae religionis sacro fonte initiata, postularunt declarari, an puella sit saltem sub conditione inauguranda baptismo, ut possit admitti ad alia suscipienda sacramenta, quorum fundamentum est baptismus, ut inquit Innocentius III. in *cap.: Veniens de presbyt. non baptiz.*

Datae a sac. Congregatione fuerunt literae ad Episcopum suffraganeum et Vicarium generalem archiepiscopatus Treverensis, cui subest Confluentia, ut diligenter perlustrarentur libri parochiales et indagaretur: an in eos relatum esset nomen praedictae puellae. Responsum, quod ipse dedit, istud est: »Perlustrato diligenter protocollo baptismali, quod extat Confluentiae in binis dumtaxat parochiis ad d. Virginem et ad s. Castorem, nihil prorsus reperitur de Maria Salome nec aliunde notitia super tali baptizata potuit haberi.«

Baptismum esse conferendum iis, quibus nullo certo documento appareat, eos jam hoc sacramentum suscepisse, habetur in *can. Parvulos* et in *can. Placuit*, et in *can. Cum itaque* et in *can. Si nulla de consecrat. dist. 4.* Sed tamen Innocentius III. in d. cap. *Veniens* his verbis rescripsit: »Certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.« Itaque in ea hypothesi censendum esse jam sacris expiatum aquis eum, qui ex parentibus christianis natus est et inter eos educatus, etiamsi nullum de collato baptismate

testimonium proferatur nec in parochialibus libris reperiatur descriptus, tradit eminentissimus *Petra tom. 3. ad constitut. Clementis IV. n. 27.*

In casu tamen proposito animadvertendum videtur, non satis constare, quo loci et quibus ex parentibus nata fuerit puella, itemque ignorari, num peregrinus ille, qui se ejus patrem esse et puellam jam sacro baptismatis flumine regeneratam asseverabat, vere pater fuerit et fide dignus et catholicae religionis cultor. Sed unica, quae proponitur conjectura suscepti baptismatis, posita est in hoc, quod puella orthodoxae fidei rudimentis erat instructa.

Caeterum quando dubitatur: an quis fuerit baptizatus, baptismus ei est conferendus sub conditione; sic enim respondit Alexander III. in *cap. 2. de baptism.* his verbis: »De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: Si baptizatus es, non te baptizo.« Recte tamen explicat rituale romanum *tit. de baptis.* hunc in modum: »Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet; sed prudenter et ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.« Idemque monitum habetur in catechismo sub eodem *tit. de sacram. baptism. pag. 191 his verbis:* »Ea baptismi forma in illis tantum permittitur, de quibus re diligenter perquisita dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint, aliter vero nunquam fas est, etiam cum adjunctione, baptismum alicui iterum administrare.«

Casus non absimilis fuit in hac sac. Congregatione examinatus die 1. Septembris 1714 in Neapolitana.*) Quaerebatur enim: An matrimonium inire posset foemina, quam certo non constabat fuisse sacro profusam lavacro? Erat enim tunc addicta servitio nobilis matronae Neapolitanae, trigesimum agebat aetatis annum et sacramentis poenitentiae ac eucharistiae refici catholico ritu consueverat, sed in Barchinonensi civitate orta sexto post nativitatem die tradita cuidam foeminae fuerat ab ignoto homine, qui eam deferebat expositurus in hospitali, nothorum domo, cum caeteroquin de antea suscepto baptismate nullum extaret documentum? Itaque rescriptum fuit: Foeminam esse baptizandam sub conditione ac secreto et deinde procedi posse ad contractum matrimonii, servatis servandis.«

De infantibus expositis, quos incertum esset, an salutaribus imbuti aquis fuissent, die 15. Januarii 1724 propositum fuit hoc dubium:*) Quomodo se gerere debeat parochus s. Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant et etiam si ex colore et caeteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel unius anni cum dimidio?«

Rescriptumque fuit: »Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis, juxta instructionem, et instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae haberet certitudinem.«

Denique in Ulyxbonen. Orientalis propositus non ita multo pridem fuit hic casus: Simon exposuit, se in lucem editum fuisse, dum ejus parentes catholici navigarent in Indias et a capellano navis fuisse baptizatum, sed deesse testificationem de collato baptismo; parentes atque etiam eos, qui tunc in eadem navi versabantur, jam mortem oppetiisse; ipsum denique Simonem catholico ritu in Lusitania semper vixisse, sacramentis poenitentiae et eucharistiae saepius ei ministratis, at nihilominus parochum ob non probatam baptismi susceptionem dubio haesisse animo, num ei liceret matrimonium contrahere. Die autem 26. Aprilis 1732 inter summaria precum censuit s. Congregatio scribendum Vicario capitulari, ut exquireret interposito jurejurando ab eodem Simone, quomodo sciret se fuisse baptizatum a capellano navis in eadem navi, itemque exploraret, tum ex eo, tum aliunde, quot deinde annis superstites fuissent parentes et an ii christiani vere fuerint et christiano ritu educaverint filium. Quod si constaret, parentes fuisse christianos, vixisse aliquot annos post filii ortum eumque educasse juxta catholicae religionis leges nec contraria occurrerent argumenta, ex quibus manare posset prudens dubium de non suscepto baptismo, Ordinarius liberam Simoni faceret potestatem matrimonii contrahendi; si vero compertae esse non possent praemissae circumstantiae, quibus inniti debuisset moralis certitudo de suscepto

*) Vd. *supra p. 19.*

*) Vd. *supra p. 8.*

baptismate, juberet eum ante matrimonium secreto baptizari sub conditione.

Dignentur itaque Eminentiae VV. declarare: *An Maria Salome baptizari debeat sub conditione in casu?*

S. C. C. resp.: Esse secreto baptizandam sub conditione, et amplius.

Die 12. Decbr. 1733.

Tarvisina.

Consulente hanc s. Congregationem Laura Dolfini in maximo, quo ipsa angitur, timore, ne lustralibus baptismi aquis fuerit unquam abluta, num sibi fas esset baptismum sub conditione recipere, congruum censuerunt eminentissimi patres sub diem 28. Aprilis superioris anni dilata dubii tunc propositi resolutione jubere Archiepiscopo Corcyrensi, ut sedulo inquireretur: an Maria Francisca uxor Petri Dolfini et asserta praedictae Laurae mater adhuc viveret, sique superstes reperiretur, eam examinari curaret tam super matrimonio cum memorato Petro Dolfini contracto quam super controverso praefatae Laurae baptismo. Si vero dicta Maria Francisca jam obiisset, studeret investigare: an tempore, quo ipsa in civitate seu insula Corcyrensi moram traxit, catholicae religionis ritum servaret et an in libris parochialibus legeretur adnotata.

Cum itaque libris juxta praescriptam methodum datis nuper Archiepiscopus responderit, quod jussibus sacrae Congregationis obtemperans multam quidem adhibuit diligentiam, sed nullam de dicta Maria Francisca notitiam fuerit assecutus; quin immo facta, ut ait, omni possibili perquisitione neminem invenit, qui aut ipsam noverit aut de ipsius statu, ritu ac religione deponere vel testari potuerit. In libris vero parochialibus suae archidioeceseos et signate in iis retentis a fratribus Carmelitis, penes quos erat animarum cura in vico Patrarum, ad archiepiscopalem cancellariam in finem eos diligentius pelustrandi delatis nulla inventa sit neque ipsius Mariae Franciscae neque Petri Dolfini sive baptismi sive matrimonii occasione facta descriptio; addens praeterea, antiquiores curae animarum libros memorati vici, ubi verisimiliter dictus Petrus Dolfinus habuit domicilium, dum militaribus Venetae reipublicae copiis adscriptus erat, una cum arce Patrarum in potestatem Turcicarum gentium cessisse; reliquum est, ut Eminentiae VV. resumpto folio dicta die 28. Aprilis distributo dignentur deliberare: *An Laura Dolfini baptizari debeat sub conditione in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative et secreto et sine praejudicio validitatis matrimonii.

Die 4. Maji 1737.

Sutrina.

Desperato jam naturali partu Fortunatae Gioacchini advocatus est chirurgus, ut puerperae periclitanti adjutricem praeberet manum. Foeti caput infixum ille deprehendit tra l'osso pube, ed il sagro. Tum ex aperto jam uteri ostio capitis verticem inspexit, che per quattro buone ditta traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana nel tratto della vagina. Incertus autem, vitalisne esset foetus, priusquam illi educendo manus admoveret, sub conditione baptizandum censuit, licet nullam sui partem ab utero emisisset. Aquam igitur sumpsit — con un bicchiere, buttandola sul vertice della Creatura, eamque sub conditione baptizavit, assuetam proferens formulam: »Si es capax, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Amen«; et requisitus, num tetigisset aqua verticemque abluisset capitis, sub juramento declaravit: che fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti a ripararla, avendone buttata sufficiente quantità.

Hac expleta baptismi collatione ventum ad artis remedia, quorum ope puerpera viventem masculum in lucem edidit. Orta hinc quaestione de collati baptismi validitate institerunt parentes apud parochum, ut iterum sub conditione puerum baptizaret. Votis tamen non cessit parochus, quum jam collatum baptismum validum reputaret. Instante igitur Bonifacio Gioacchini infantis patre delata res est ad EE. Patrum judicium, eamque Sutrinus Episcopus ob *doctorum* pugnam autumans dubiam iterationi baptismi sub conditione locum esse concludit.

Tunc sane baptismum sub conditione reiterari licet, cum post accuratum examen prudens ratio dubii audi occurrat de jam collati validitate, ut *post Alexandrum III. in cap. 2. de baptismo* conveniunt passim theologi et canonistae et praesertim *Layman. theolog. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 5. num. 3, Engel in jus can. lib. 3. tit. 42. num. 7., Benedictus XIV. institut. eccles. 84. num. 9. et 13.* et *de synod. dioeces. lib. 7. cap. 6.*

§. 2. et 3. et s. haec Congregatio in *Novarien. 27. Martii 1683**), in qua ad dubium: *An infantes domi in casu necessitatis baptizati sint sub conditione rebaptizandi?* rescripsit: Negative, nisi adsit probabile dubium invaliditatis baptismi. Hoc enim sacramentum quum imprimat characterem, ut confirmatio et ordo, *s. Concilium Tridentinum sess. 7. can. 9. de sacrament.*, hinc si cessante dubio imprudenter fuerit renovatum, dans et accipiens irregulares evadunt, *cap. ex literarum de apost. et reiteran. baptism.*

His praemissis, quaerendum prae caeteris de requisitis ad validitatem baptismi, materia scilicet, forma et intentione ministri. Praescriptam chirurgus adhibuit formam per ea verba: si es capax, ego te baptizo in nomine Patris etc., neque defuit etiam intentio conferendi sacramentum. Quoad materiam tamen res adhuc in ancipiti versari posset, num scilicet tetigerit aqua verticem capitis. Iterum enim hac de re interrogatus respondit chirurgus, quod aqua fisicamente doveva toccare il vertice, giacchè li capelli non erano bastanti a' ripararla, avendone buttata sufficiente quantità. Inde autem non recte inferretur, revera aquam tetigisse capitis verticem, ex quo tangere debuerat, avendone buttata sufficiente quantità. Hac siquidem non obstante abundanti effusione fieri potuit, ut aqua ex vitreo calice dejecta nullam foetus in utero adhuc latitantis partem, sed unum matris corpus ablueit. Quod si forte illius aspersionis eventus talis fuisset, pro nullitate sacramenti parata esset sententia, quam contra Julianum aliosque haereticos validam protuentes baptismum collatum per ablutionem materni corporis edidit *divus Augustinus in lib. 6. contr. Julian. cap. 5. relat. in can. 114. de consecrat. distint. 4.* confirmavitque *d. Thomas 3. part. quaest. 58. art. 11.* et *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 5. sub §. 2.*

At quatenus etiam aqua verticem tetigerit capitis, ut verisimile est, neque chirurgus aut parochus dubitare videntur, verticem, inquam, qui utero jam aperto, per quattro buone dita traverse chiaramente vedevasi scoperto da ogni membrana, subalterna adhuc quaestio praesentem casum afficere posset, quam *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 5. sub num. 2.* his verbis proponit; *An scilicet reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contigit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi potest?* De hoc quidem dubio in utramque partem disputant theologi et canonistae, quin unquam conciliata fuerit opinionum discordia. Plures enim magnique nominis doctores negativam tenent et praesertim *Theophilus Raynaldus de ortu infant. per sect. caesar. cap. 6. num. 14., Natal. Alex. theolog. dogm. et mor. tom. 2. lib. 2. cap. 7. prop. 2. in fin., Juvenin. de sacrament. disert. 2. quaest. 7. cap. 1. artic. 2. in fin.* et *Gibert. in jus canon. tract. de sacrament. tom. 3. tit. 2. sect. 9. num. 1.*, suamque tuentur sententiam ex sacris literis, ubi Christus Dominus dixit, oportet vos nasci denuo, nisi quis renatus fuerit etc. *Joan. 3.;* ex quibus verbis inferunt, quod, cum baptismus sit sacramentum regenerationis et secundae nativitatis spiritualis, oportet ut prima corporis nativitas hanc spiritualem regenerationem praecedat, quia non potest denuo nasci, qui nunquam antea natus fuit, ut inquit *Benedict. XIV. loc. citat. sub num. 4.* Ac tuentur etiam ex ss. Patrum doctrina, quae iisdem innititur argumentis. Si quidem *divus Augustinus lib. 2. de peccat., merit. et remiss. cap. 27. tom. 10. oper.* docuit, sacramentum baptismi profecto sacramentum regenerationis est, quocirca, sicut homo, qui non vixerit, mori non potest, ita qui natus non fuerit, renasci non potest; et in *epistol. 57. ad Dardanum num. 31. ad. 33*, ibi: Non video, quomodo aedificentur homines in domum Dei ad habendum in se inhabitantem Deum, nisi cum fuerint renati, quod non possunt esse antequam nati etc. Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci: renascitur ergo antequam nascitur, quod fieri nullo modo potest. Eadem probavit angelicus doctor his verbis: »Baptismus *(inquit. 3. p. quaest. 68. art. 11. cap. 6. num. 5)* est quaedam spiritualis regeneratio: non ergo debet aliquis baptizari priusquam ex utero nascatur.«

Eademque demum ex sententia divi Isidori tradita sunt in *can. 115. de consecrat. dist. 4.*, ibi: Qui in maternis uteris sunt, ideo cum matre baptizari non possunt, quia, qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest; atque in *rituali romano de baptismo §. 17.*, ibi: Nemo in utero matris clausus baptizari debet.

*) Vd. *p. 10.*

His non obstantibus affirmativam defendunt *Suarez. in 3. part. disput. 2. quaest. 68. sect. 6. artic. 11. in comment. Tournely tom. 4. pag. 299.*, *Holzmann. theolog. mor. tom. 2. tract. 2. cap. 2. artic. 2. §. 1. num. 137.*, *Layman. in theolog. mor. lib. 5. tract. 1. cap. 3. sub num. 2.*, *Engel in jus can. lib. 3. tit. 47. num. 6.*, *Wiestner, eod. lib. et tit. num. 10. et 11.* et *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 5. num. 5.* Rationum porro momenta, quibus omnes plerumque secundae sententiae auctores ducuntur, erudite collegit *Ligor. in theol. moral. lib. 6. tract. 1. de sacrament. cap. 1. num. 107:* »Talis infans (sic ille) cum jam existat homo viator, bene potest baptismum suscipere. Nec obstat ratio opposita, quod neque queat renasci, qui nondum est natus; vere enim aliquis potest dici natus non solum cum ex utero egreditur, sed etiam cum in utero jam vivit, juxta illud angeli ad Joseph de conceptu Verbi incarnati »et quod in ea natum est, de Spiritu sancto est«; idque asserit idem d. Thomas *in 4. distin. 12. quaest. 1. ad 2.* dicens: Duplex est carnalis nativitas, prima in utero, secunda extra uterum. Et apertius hoc probatur ex *cap. 4. de baptis.*, ubi Innocentius III. exprimit, tum dici hominem nasci, cum concipitur, inquiens in carnali generatione, qua proles ex viro et foemina nascitur etc. Ergo proles tantum ex viro et foemina generata bene dicitur nata. Et de hac nativitate congrue explicari potest textus Joannis: *Nisi quis rennatus fuerit* etc. Nam in *Trident. sess. 5. decret. de peccat. orig.* textus ille sic explicatur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Ergo sicut peccatum originale per solam generationem contrahitur, ita pariter, ut homo per gratiam regeneretur, sufficit ut sit jam generatus.«

Doctrinam deinde ss. Patrum interpretando haec addit: »Atque tandem d. Thomas in hanc sententiam clare descendisse videtur in *eod. artic. 11.*, ubi, postquam negavit, posse puerum baptizari in utero matris, ratione ductus, quia, ut ait, corpus infantis, antequam nascatur ex utero, non potest aliquo modo ablui aqua, statim addit, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lavatur, ad filium in ventre existentem perveniat, sed hoc esse non potest. Ergo s. doctor, sicut etiam s. Augustinus, s. Isidorus et rituale romanum negando, puerum posse baptizari in utero matris, intelligunt de puero in utero omnino clauso, quem valide baptizari per ablutionem corporis matris Julianus et alii haeretici perperam contendebant, contra quos scripsit Augustinus, non vero de puero, qui per aliquod instrumentum potest tingi aqua. Hoc enim casu, ut ait Tournely, explicans verba Augustini, per uteri aperitionem saltem inchoate dicitur natus et ideo d. Thomas dixit, puerum in utero non posse baptizari, nisi ablutio ad filium in ventre existentem perveniat. Addit quidem, sed hoc esse non potest, intelligendo utique de ablutione sine apertione uteri. Ergo si potest ablutio pervenire, ut bene arguit *Benedictus XIV.*, bene potest puer baptizari «

Si novissima haec sententia gravioris ponderis videatur eminentissimis Patribus, iterandum non erit sacramentum; si contra prior magis arrideat vel saltem opiniones utrinque probabiles dijudicent, id unum sane conditionalem baptismi collationem suaderet, ut firmant *Barbosa in jus can. lib. 3. tit. 42. num. 2.* et *Fermosin. oper. can. ad cap. 1. de sacram. non iter. quaest. 3. tom. 3. n. 5.* Neque enim »*intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum,*« ut ait *text. in cap. Veniens de presbyt. non baptiz.* et probabili concurrente dubio censuit sac. haec Congregatio in *Neapolitana**) 1. Septembris 1714 et in *Ripana***) 12. Decembris 1733. Ad dubium vero confirmandum in praesenti casu valde conferunt, quae in rituali romano sub *citat. §. 17.* disposita sunt, nempe: »Si infans caput emiserit (ab utero) et periculum mortis immineat, baptizetur in capite, nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus.« At si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum impendeat, baptizetur et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. Quoties enim spirituali lavacro denuo abluendus sub conditione est, qui non caput sed aliud membrum ab utero emisit, eo sane magis eadem sanctio ad oratoris filium trahi posset, qui vix capitis verticem in uteri vestibulo ostendens nullum de cetero membrum emiserat. Quibus fortasse argumentis moti doctores ipsi, qui pro hujus baptismi validitate pugnant, suis rationibus nec omnino acquiescere videntur neque sibi arrogant decisionem controversiae, in qua ultimum a Sede apostolica judicium desideratur; proindeque tutiorem amplectentes sententiam conveniunt, ut puer, si periculum evaserit, sub conditione denuo baptizare debeat. Ita concludit *Tournely in suis praelect. de sacrament. baptismi quaest. 3. art. 3.*, *Wiestner instit. can. lib. 3. tit. 42. num. 11.* et *Benedictus XIV. de synod. dioeces. cit. lib. 7. cap. 5. num. 6.*, ubi opinionem referens Gualdi in opuscul. de baptism. *cap. 12.* haec habet: Hisce argumentis etc. Gualdus etc. Episcopos hortatur, ut parvulos intra matris uterum adhuc occlusos, cum in vitae discrimine versantur et obstetricis manibus tractari queunt, omnino baptizari praecipiant atque edicant. Verum quoniam ipsemet fatetur, ultimum controversiae judicium a Sede apostolica esse proferendum, tutius erit, ut Episcopus istud expectet nec interim quidquam suis constitutionibus inserat, quo implexae hujus quaestionis decisionem sibi arrogasse videatur. Ad parochos vero pertinebit obstetrices instruere, ut, cum casus evenerit, in quo infantem nulla adhuc sui parte editum mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat et foras prodeat.

*) Vd. supra *p. 19.*
**) Vd. supra *p. 20.*

Ex his igitur decernere dignentur Emi Patres:

An baptismus sit iterandus sub conditione in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 12. Julii 1794.

9) Sub conditione non iterandus.

Nullius Nonantullae.

Vd. *Baptism.* (forma corrupta; haereticis sub conditione etc.; probatio, decret. *Fesulana.*)

Rector Gadii de Plano comitatus Bononiensis in dioecesi Nullius Nonantullae postulat declarari: an quaedam Maria Catharina, quae in sua parochia est annum vicesimum agens, admitti possit ad matrimonium, quod paratum habet, non collato eidem sub conditione baptismo, ob incertos quos habuit parentes. De hoc est cognoscendum.

Facti historiam narrat, unius testis judiciale affirmatione probatam. Thomas Bastiglia ex eo oppido, anno 1740 relicta uxore cum Maria Bonarelli, quae suum etiam virum deseruit, ad austriacum exercitum Mutinae primum, deinde alio se contulit, cupedinarium inter milites mutato sibi nomine agens, sic exculenta cocta ac parata venditando, donec exercitus iis annis, uti notissimum est, in ditionem ecclesiasticam venit, quo tempore Thomas Mutinae se continuit.

Anno 1745 remeato hinc exercitu apud Sardarum copias cum eadem vivendi ratione rediit Thomas. Sequenti anno in parochiam S. Joannis Baptistae Villae Moleae Regien. dioecesis se recepit cum eadem Maria Bonarelli, quae anno 1748 ibi defuncta est. Hinc paulo post ad patriam remigravit et in parochia ss. Philippi et Jacobi Panzani, villae Gadii de Plano contermina, die 24. Januarii 1760 obiit.

Secum e sua peregrinatione traxerat Thomas hanc Mariam Catharinam, de qua sermo est, tunc aetatis annorum quinque. Eam puellulam parentibus orbatam, repertam, non vero suam filiam dixit. Suam tamen moriens fassus est atque ab aliis filiis uti suam haberi jussit, nihil neque de loco, ubi ortum habuerit, neque de ejus baptismo dicens. Maria Catharina autem christianis semper moribus vixit et ad sacramentorum communionem usque ad annum 1757 admissa est.

Eminentissimus Abbas commendatarius interrogatus facti seriem expositam comprobat atque in ea sententia est, ut baptismus sub conditione ei conferatur. Possibile etenim non esse affirmat, ut de collato antea baptismo probatio haberi posset. Juvat in re incerta ac periculi plena ipsa verba, quae aliter sub oculis non haberentur, exscribere: »l'esposto nella compiegata domanda del sacerdote Andrea Placido Ansaloni rettore di Gaggio di Piano, e mio provicario generale in Nonantola, contiene la verità in tutte le sue parti. A me sono note le diligenze usate dal medesimo per ritrovare la fede battesimale della zitella Maria Caterina figlia spuria di Tomaso Bastiglia, e sono di costante sentimento, che non potrà mai trovarsi, perchè essendo morto il detto Bastiglia, che visso facendo il vivandiere nell' armata per più anni con nome finto, sarà moralmente impossibile di sapere, che per non procrastinare ulteriormente il matrimonio della medesima, si potesse battezzare privatamente sub conditione, come si è praticato in tali casi simili, essendo anche morta la madre, come dalla qui annessa fede. Si è cercato nella parochia della Moglie per rilevare come si chiamasse detto Bastiglia, ma ogni ricerca è riuscita inutile.

Sine baptismo alia sacramenta recipi non posse certum est, *can.: Praeter* §. *penult. 32. distinctione, can.: Si quis confugerit 32., can.: Si quis per ignorantiam 51. quaest. 1.* Concilium Florentinum in decret. unionis dixit: »Primum omnium sacramentorum locum tenet sanctum baptisma, quod vitae spiritualis janua est, per ipsum enim membra Christi et de corpore efficimur ecclesiae.«

Rationem dat *d. Thomas 3. parte quaest. 35*: »Nihil potest aliquis recipere, cujus receptivam potentiam non habet; per characterem autem baptismalem efficitur homo receptivus aliarum sacramentorum; unde qui characterem non habet, nullum aliud sacramentum recipere potest et sic character ordinis baptismalem characterem praesupponit: cum enim baptismus sit generatio spiritualis, qui non est genitus in ecclesia, quomodo poterit cum aliis fidelibus ad spiritualia concurrere.«

Certissimum autem est baptismum iterari non posse. *Can. 46. et 49. Apostol., can. Ostenditur, can. Hi de quibus 38., can. Sive haereticos 51., cap.: Quos 52., cap.: Non liceat 107.* et *cap.: Rebaptizare 108. de consecr. dist. 4.*

Quaeri solet de iis, de quibus dubium esse potest, an baptismum susceperint. Habetur epistola nomine s. Leonis ad Rusticum Episcopum Narbonensem in *cod. can. eccles. roman. cap. 38.*: »Si nulla exstant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quaeritur baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut nascantur, ne manifeste pereant; in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non sinit, ut videatur iteratum, nec temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.«

Div. *Gregorius Magnus lib. 12. indic. 8. epist. 31.* ait: »Quoties tam de baptismo aliquorum vel confirmatione quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, utrum baptizati vel confirmati sive ecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales ac confirmentur atque ecclesiae canonice consecrentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat; quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.«

Exstat synodica Lucae Patriarchae cap. 12: »Cum enim infantes ex christianorum regione in Scytis et Agarenis bello capti essent et empti a Romanis, dubitatum est an oporteat venundatos baptizari; dicebant enim nonnulli, quoniam ex christiana regione capti sunt, praesumptio est eos fuisse baptizatos in patria aetate infantili nec denuo baptizandos esse: magis tamen placuit eos debere baptizari, quod nesciant an in infantia fuerint baptizati nec ulli inveniuntur, qui baptismum affirment.«

Clarissime de re ejusmodi rescripsit *Alexander III. in cap. 2.: De baptism.* »De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.« In rituali roman. additur. *tit. De baptism.*: »Hac tamen conditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter et ubi re diligenter pervestigata probabilis subest dubitatio infantem non fuisse baptizatam.«

Verum enimvero ambiguitatem tolli ex facti circumstantiis censuit *Innocentius III. in cap.: Veniens de presbytero non baptizat*: »Et certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos est fideliter conservatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur. Sequitur *Barbos. ad cap. 2. de baptism. num. 3.* Tertio infertur non esse rebaptizandos eos, qui nati et educati fuerint pluribus annis inter christianos et a parentibus christianis, nisi clare constet eos non fuisse baptizatos.«

His positis in quaestione, de qua agitur, quae circumstantiae sint considerandum erit. Advertendum, Mariam Catharinam filiam Thomae esse, non haberi nisi ex dicto ejus morientis: Petrum Melonem testem unicum nihil de hoc certi affirmare: Thomam tempore, quo puella nata est, peregrinum alieno nomine vixisse, adulterum cum adultera itinerantem: dum ad patriam remigravit, suam esse filiam negavisse; imo dixisse puellulam utroque parente orbatam reperiisse.

Sacra Congregatio in una *Neapolitana**) 1. Septembris 1714, cum quaesitum esset: „*An matrimonium inire posset femina, quae licet addicta servitio nobilis matronae Neapolitanae et trigesimum aetatis annum agens, sacramentis poenitentiae et eucharistiae refici consueverat. Attamen sexto post nativitatem die ab ignoto homine tradita fuerat cuidam feminae et certo non constabat fuisse sacro profusam lavacro?* rescripsit: „Esse baptizandam sub conditione ac secreto et deinde procedi posse ad contractum matrimonii servatis servandis.“

*) Vd. *supra p. 19.*

In una *Ulixbonen. Orient.* proposito dubio de quodam Simone in lucem edito, dum parentes »catholici in Indias navigabant, licet ritu catholico semper in Lusitania vixisset et sacramenta poenitentiae et eucharistiae saepius suscepisset atque idem Simon asseret scire se fuisse baptizatum a capellano navis in eadem navi,« attamen, cum desset testificatio de collato baptismo, censuit sub die 26. Aprilis 1732 inter summaria precum scribendum vicario capitulari »ut exquireret, interposito jurejurando, ab eodem Simone quomodo sciret se fuisse baptizatum a capellano navis in eadem navi, itemque exploraret tum ex eo tum aliunde, quot deinde annis superstites fuissent parentes et an ii christiani vere fuerint et christiano ritu educaverint filium. Quodsi constaret parentes fuisse christianos, vixisse aliquot annos post filii ortum eumque educasse juxta catholicae religionis leges, nec contraria occurrerent argumenta, ex quibus manare posset prudens dubium de non suscepto baptismo, Ordinarius liberam Simoni faceret potestatem matrimonii contrahendi: si vero compertae esse non possent praemissae circumstantiae, quibus inniti debuisset moralis certitudo de suscepto baptismate, juberet eam ante matrimonium secreto baptizari sub conditione.«

In una *Ripana* 12. Decembris 1733 *) cum inspectio esset de puella nuncupata Maria Salome e Germania oriunda, licet peregrinus, qui eandem ad Ripanam civitatem duxerat, asseverasset salutis aqua respersam esse et spopondisset se missurum intra sex menses documentum baptismi, attamen, quia hujuscemodi documentum transmissum non fuerat nec quicquam relatum de peregrino, proposito dubio: *An Maria Salome baptizari debeat sub conditione in casu?* rescripsit: Esse secreto baptizandam sub conditione et amplius.

EE. PP. sua, qua clarent, juris sacri universi scientia pronunciabunt:

An Maria Catharina baptizari debeat sub conditione in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 2. Mart. 1765.

*) Vd. *supra p. 20.*

Brixien.

Quum nundinarum tempore se contulisset Cajetanus Vernetti a civitate Brixiae ad cauponam Pauli Caudini prope Gallorum castra ibique vidisset infantulam ex catholicis parentibus Daniele Ceteri Genevensi et Aloysia Surde Galla, eam ob elegantem formam a parentibus petiit. Obtinuitque loco filiorum, quibus ipse carebat. In illa autem tradenda dixerunt parentes, quod »ebbe l'acqua battesimale nel campo di Perpignano da una donna; ma di quest' acqua non sembravano troppo quieti, e tanto l' uno che l'altra mi pregarono di farla battezare e mi lasciarono in libertà di cangiarle anche il nome. — Brixiam igitur reversus atque exhibito testimonio cauponarii Antonio Fontana, quod, era presente, quando ha consegnato il Sig. Daniele Fedrissi (verius Cederi) Genevrino la sua figlia al Sig. Gaetano Vernetti e li ha detto che li donava la figlia col patto di farla battezare al sacra fonte;« rem Vernettius exposuit Episcopo ut de baptismo infantulae deliberaret Vestrumque Episcopus postulavit oraculum.

Quo tutius in re tanti momenti procederetur, demandatum ei fuit die 9. Julii elapsi anni 1796, ut referret de circumstantiis praetensi collati baptismatis et de formula a muliere baptizante in collatione adhibita per declarationem aut saltem per epistolam juramento vallatam ejusdem mulieris et utriusque puellae parentis. Dum haec vero exequi debebat Episcopus, Brixiam venit mater puellae et sub formali examine haec de baptismate filiae deposuit: »Ho dato alla luce una bambina, che saranno circa 24. mesi in Perpignano. Mio Marito cercò l' allevatrice approvata di quella città, dove sono tutti catholici. Alle 10. ore diedi alla luce la bambina, cui diede l' acqua battesimale la sudetta allevatrice, non ritrovandosi Preti in quella città; ho inteso ed ho veduto collo miei occhi proprii nella stanza giacendo in letto a dare l'acqua battesimale e ho inteso ancora la forma: Enfante te batize en Nom de Per, de Fil e de saint Esprit, dando l' acqua sulla testa della bambina in modo di croce. Vi era ancora mio marito nella stanza stessa ed ancora un' altra donna: mio marito al presente ha patito nella mente ed ha perduto il cervello.« Et ex depositione censet Episcopus, quod de validitate collati rite baptismatis satis constare videtur.

Unius profecto testimonium, quod in praejudicialibus non attenditur, sufficienter probat collationem baptismi; *Gloss. in cap.: Nuper de restit.*, ibi: »Quandoque tamen bene creditur uni, quandoque non fit praejudicium alicui, puta utrum aliquis sit baptizatus vel utrum ecclesia sit consecrata. Ita sacra haec Congregatio in *una Urbis 15. Januarii 1724,**) in qua propositum fuit dubium:

Quomodo se gerere debeat parochus s. Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferentur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant et etiamsi ex colore et ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel unius anni cum dimidio? Et sac. Congregatio rescripsit: Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem; et instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae habere certitudinem. Et ita *Benedictus XIV.*, qui tum erat ejusdem sac. Congregationis a secretis; nam eam resolutionem exponendo haec habet in *instit. can. 8. §. ult. in fin.*: Quum ejusdem schedulae autor deprehendi possit, cui fides merito praestanda sit, unico illius testimonio baptismus rite traditus satis comprobatur, uti ex communi scriptorum opinione et apertissime ex jure pontificio declaratur.

Dubitari ergo non posse videretur in nostro themate de baptismate infantis Cederi, de quo luculentissimum perhibet testimonium illius mater, dum propriis oculis aspersionem vidit atque praescriptam audivit gallico idiomate formam: Enfante te batize en Nom de Per, de Fil e de saint Esprit. Aliquam tamen ingerere posset difficultatem solicitudo, qua mulier ipsa ejusque vir Vernettum rogarunt, di farla battezzare, cum facultate etiam mutandi nomen infantis et juxta testimonium Antonii Fontana filiam donarunt, col patto di farla battezzare al sacro fonte. Id enim argumento esse posset, quod dubitarent saltem de valida collatione baptismi. Quod si mater in posteriori examine diversimode deposuit, sibi contradixisse videtur. Nulla autem praestanda est fides testi, qui se contradicit, praesertim cum in nostro casu sit unicus. Pater enim ob mentis debilitatem examinari non potuit et Gallorum sequitur castra. Notandum vero, quod in tradenda etiam infantula dixerit uterque parens eam habuisse l'acqua battesimale nel campo di Perignano; ideoque ad eorum potius scrupulum tribuendum videretur, quod di quest' acqua non sembravano troppo quieti; nam dubitabant fortasse rudes homines de validitate baptismi a sacro ministro non collati et ideo filiam donarunt, col patto di farlo battezzare al sacro fonte.

Quaeritur ergo:

An constet de validitate baptismi seu potius sit locus illius iterationi sub conditione in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 11. Febr. 1797.

Santandrien.

In primo ipso vitae articulo periclitantem puerulum baptizavit obstetrix in quodam pago Santandrien. dioecesis; itaque baptizatum infantem parentes obtulerunt parocho, ut catechismum suppleret sacrosque ritus celebraret. Parochus prae munere sibi imposito duxit interrogandam obstetricem, qua potissimum formula usa esset, cum puerum abluerit. A qua semel pluriesque accepit: se vernaculo idiomate loci, qui est in provincia Castellae veteris, pronunciasse formulam: Jo te battizo en el hombre de Padre, y del Iijo, y del Espiritu sancto; aeque ac si latine dixisset: Ego te baptizo in Homine Patris etc., nam hispanica dictio »en el Hombre« latine redditur »in Homine«.

Ex iis percitae sunt aures parochi et alterius boni viri, qui aderat praesens, dum obstetrix examini subjiciebatur. Ratus hinc parochus in hac formula a muliere adhibita mutatum fuisse substantiale vocabulum: »en el Nombre — in nomine« in alterum »en el Hombre — in homine«, censuit irritum ab ea collatum sacramentum, quod ipso facto non sub conditione, sed pure denuo in eumdem infantem iteravit. Cum vero eadem obstetrix saepe alias per annos viginti plurimos in periculo constitutos infantes baptizasset, subverens parochus, ne illa eamdem semper formulam pronunciaret, binos, quos habebat in cura animarum socios, consuluit de baptismatum hoc modo collatorum validitate. At ceteri parochi responderunt, nil sibi unquam dubii fuisse de validitate baptismatum, quae ab ea muliere administrata fuere, cum saepius antea novissent, obstetricem protulisse semper validam probatamque formulam: »en el Nombre — in nomine«. Tum parochus, ut se ab omni cura expediret Episcopum suum Santandriensem per epistolam certiorem reddidit de iis, quae evenisse naravimus. Nequivit Episcopus, ut in votis habuit, obstetricem interea temporis e vivis ereptam maturo examini subjicere, cumque requisiti ceteri socii parochi constanter assererent, se pluries interrogatam obstetricem audivisse rite formam proferentem nullo nec levi mixto errore, mandavit ipsis ut inquirerent usum populi in pronunciandi vocabulo »Nombre«. Facta per ipsos diligenti inquisitione unus quidem retulit: »Fama compertum quosdam olim cruce se signantes *Hombre* pro *Nombre* usurpasse, pro praesenti vero nullum sic aberrantem reperiri; alter: in juvenem incidisse, qui interrogatus de forma baptismi, quem nuper ministraverat, visus fuit dixisse: *In Homine*, at iterum proferre jussus: In *Nomine*, pronunciasse. Alter: pueros quatuor, qui primis rudimentis operam dabant, jussos se cruce signare In *Nomine* protulisse incunctanter et clare. Alter vero: vetulas duas septem abhinc annis in examine annuo catechistico audisse dicentes; *En el Hombre*, cum se similiter signarent, et interrogatas, quid pro in *Homine* intelligerent idem prorsus dixisse ac *in Nomine.* Tandem parochus quaestionis motor in sua consultatione ad Episcopum dissertis dixerat verbis compertam sibi satis esse erroneam mutationem apud feminas coaevas obstetricis suae. Illas enim caute interrogatas, *en el Hombre* pro *en el Nombre* audivisse dicentes; (cujus sunt relata verba).

Anceps Episcopus, quid consilii caperet, theologos consuluit, qui in diversam abierunt sententiam. Alter enim stetit pro nullitate baptismi ab obstetrice collati, alter vero pro validitate. In hoc opinionum discrimine prudentiae suae existimavit rem omnem s. hujus Congregationis judicio submittere, ideoque postulat ab EE. PP. quid sibi agendum tum quoad baptismum ab obstetrice collatum cum praecitata formula, tum quoad parochum, qui baptismum pure iteravit, tum demum quoad omnes alios infantes ab eadem obstetrice baptizatos et eos praecipue, qui, cum adoleverint, vel sacros ordines susceperunt vel matrimonium contraxerunt.

In primo itaque dubio praecipua quaestio EE. VV. oblata est: *Utrum irritus censeri debeat baptismus in casu, quo dubitatur aliquam variationem vel mutationem irrepsisse in forma ab obstetrice prolata?* Constat vero apud omnes theologos et canonistas, quod, si in administrando sacramento quid variationis aut mutationis inciderit in verbis formae praescriptis, unde sensus moralis et substantialis tollatur formae sacramentalis, tum irritum sit sacramentum, quod non perficitur nisi iis adhibitis verbis retentaque illa significatione, quae a divina institutione proficiscitur quamque variare nefas est, ut *duce Angelico in tert. part. 6. artic. 7. docent Sotus in 4. sentent. in disting. quaest. unic. artic. 7., Natal. Alexand. in theolog. moral. lib. 2. de sacrament. in gen. cap. 3. reg. 7.* Hinc dupplex in casu proposito incidit dubitatio, altera facti: num scilicet re vera obstetrix mutaverit dictionem illam »*en el Nombre*« in alteram: *en el Hombre*; altera juris: num haec variatio tanti sit, per quam moralis et substantialis sensus formae inficiatur. Quae duo conjunctim expendenda videntur. Pro mutatione et variatione stat judicium aurium parochi et alterius boni viri, qui interfuit, dum parochus obstetricem interrogabat. Isti enim Episcopo testati sunt mulierem saepius interrogatam pronunciasse semper: »*en el Hombre — in Homine*«, ita ut ipsi audientes ex materiali sonitu verborum mentem percepissent, quod obstetrix *hombre — hominem* significare voluerit.

Quamquam enim una tantum litera *N* in *H* mutata sit, attamen, cum variatio hujusmodi indicat in principio dictionis, facilius per eam tollitur sensus moralis et substantialis ex regula tradita ab eodem Angelico loco citat., quam exemplis illustrat. Nam si quis pronunciaret: »*In nomine matris* loco *Patris*, et *Milii* loco *Filii*, certe quidem ex variatione unius literae initialis penitus sublatus esset sensus moralis et substantialis formae sacramentalis. Ita pari modo variatus omnino videtur, dum obstetrix »*In homine* protulit pro *in nomine*. Deficeret enim substantiale vocabulum: *In Nomine,* per quod exprimitur invocatio et unitas sanctissimae Trinitatis, quae salva sacramenti validitate omitti non potest, ut *ex Matth. c. XXVIII.* tradunt *Justinus Martyr. in Apolog. I. pag. 80., S. Cyprianus epist. 33. pag. 123., S. Basilius de Spiritu sancto cap. 12. pag. 23., S. Thomas in summa pag. 3. quaest. 66. art. 5.*

Quae perinde esse putant nonnulli theologi, quos refert *Sotus in 4. sentent. distinct. 12*

*) Vd. *supra p. 8.*

artic. 7. quaest. unic., sive mutatio temere fiat vel consulto, sive ex errore vel ignorantia procedat sive minister illud idem sentiat, quod intendit ecclesia sive secus. Nam forma baptismi a Christo Domino praescripta ex nulla causa variari potest semperque inficitur ex mutatione verborum, quae frangit substantialem sensum. Simul ac vero sensus infectus est; haud amplius convalescere potest ex intentione ministri. Non enim tam attentendum videtur, quid verba proferentis significent, quam ipsa germana verborum significatio ex communi loquendi usu derivata.

Verumtamen haec obtinent, cum manifesta sit mutatio verborum formae et variatio sensus substantialis. An vero in casu exposito revera contigerit variatio hujusmodi, ut obstetrix mutaverit: *Nombre* in *Hombre* ut potius: *in homine* quam: *in nomine* significaret, de hoc prudenti ratione dubitandum videtur. Imprimis enim refert Episcopus parochos loci, quo obstetrix baptismata ministravit, testatum facere: »Nullum sibi unquam de baptismis ab obstetrice collatis dubium subiisse, sed et affirmasse illam tum a se ipsis tum ab antecessore quodam suo fuisse examinatam semperque inventam fuisse rite formam proferentem nullo nec levi mixto errore;« difficilius ergo putandum est repente in casu verba formae mutasse eam, quae per tot annos rite pronunciavit.

Maxime quia, ut mulier: *Hombre — hominem* significaret, oporteret ut literam *H* ante *O* praeponeret. Nam deficiente praeposita *H ombre* nihil ferme significat. In iis vero regionibus praesertim a ruricolis aspirata litera *H* instar gutturalis C Tusconum, itaut verbum *Hombre* sonitum reddat ac si aspiratum *Combre* vel Xombre quis diceret. Sive autem Hombre sive Ombre pro Nombre dixerit obstetrix, variatio ex modo pronunciandi desumenda videtur. Etenim qui hispanicam linguam callent quique has de modo pronunciandi suppeditant animadversiones, testantur, quod concurrentibus duobus consonantibus posterior saepissime eliditur, ut in casu: *En el Nombre* elisa litera N ob concursum praecedentis L sonitu verborum exprimeretur: *En el Ombre*. En itaque cur parochi ita de mandato Episcopi inquirentes vulgarem pronunciandi usum illius regionis, quo controversa baptismata collata sunt, retulerunt fama compertum quosdam olim ibi cruce se signantes *Hombre* pro *Nombre* usurpasse: ulterius etiam nunc in juvenem incidisse, qui ita verba *in nomine* pronunciavit *in Ombre* dixisse visus est; demumque plures coaevas obstetrici feminas invenisse, quae, dum se cruce signant, erroneam mutationem retinerent. Quod si pueri atque adolescentes recte nunc verba pronuntiant: *en el Nombre*, vigilantiae solentique studio parochorum tribuendum est. Nil mirum igitur, si annosa et rudis obstetrix communem pronunciationis modum, quam a teneris unguiculis didicerat, semper retinuit.

Ex quibus EE. PP. judicabunt: num obstetrix potius, quam variationem et mutationem substantialem, accidentalem per additionem vocabuli et inflectionem pronunciationis juxta morem regionis commisisse videatur. Tum enim ex doctrina *d. Thomae in 3. par. quaest. 6. artic. 7.* obtinet regula: »*Si autem hoc faciat ex lapsu linguae*...« Si non totaliter auferatur sensus locutionis per ejusmodi corruptelam, nihilominus perficitur sacramentum. Quamvis enim hujusmodi verba corrupta nil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia *ex accommodatione usus* et idea; licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus. Quae sane fiunt ex *cap. Retulerunt 76. de consecrat. distinc. 4.*, in quo Pontifex Zacharias validum pronunciavit baptismum: *In nomine Patria et Filia et Spiritua sancta* collatum a sacerdote, errorem non introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam.

Hanc ipsam regulam secuta est sac. Congregatio in *Quenten. 12. Maji 1733*, in qua scripsit Episcopo: Non oportere reiterare baptismum quippe collatum in regione non acatholica, quamvis sub corrupta formula: *Mi t'ablatezzo in nome del Padre e del Figliuolo, dello Spirito santo.*

Erit judicium EE. PP., quantum haec conferant ad casum propositum, in quo de fide tum obstetricis tum regionis non dubitatur et verba illa: *en el Ombre* nullum alium sensum habere possunt. Quae duo maxime in controversiis hujusmodi attendenda esse monet *divus Thomas 3. hort. quaest. 60 artic. 8* et *Suaresius quaest. 60. sect. 4. circa finem.*

Quatenus vero EE. PP. contra nullitatem baptismi judicaverint, *in secundo dubio* quaeritur: Utrum parochus inciderit in irregularitatem et suspensionem ob iteratum baptisma, quod unum esse ab Apostolo ad Ephes. 4. ecclesia accepit et constanter semper docuit et praecipue in Concil. Trident.

sess. 7. de sacrament. in gen. canon. 9. de baptismo, canon. 13., contra rebaptizantes inflicta est irregularitatis poena *in cap.: Ex literarum 2. de apostatis et reiteran. baptis.*, in quo licet agatur de solo ministrante reiterationem baptismi, attamen ex consuetudine extenditur etiam ad *rebaptizantes*, tradunt *Egid. de sacrament. et censur. tom. 2. disput. 18. dub. 5. n. 14.*, *Bonacc. de censur. tom. 2. disput. 7. quaest. 5.*, *Pirhing. Jus canon. lib. 5. tit. 9. num. 37*; et haec irregularitas protenditur etiam ad jam promotos et impedit, quominus ordines exerceantur secundum probatiorem sententiam, quam tuetur *Benedict. XIV. in instruction. 84. num. 5.*

Quae obtinent cum quis dolo et scienter iterat baptismum cum intentione iterandi. Quibus sepositis irregularitatis poena vitatur, ut notant *Barbosa in Collectanea in jus pontific. in lib. decret. cap. 2. num. 2.*, *Reiffenstuel jus canon. lib. 3. Decretal. tit. 9. num. 7.* Nam cum dubium est: num baptismus aut omnino aut non rite collatus sit, constans ecclesiae disciplina est, quod sub conditione iterum tuto conferri possit. Id quod expresse sancitum ab Alexandro III. legitur in *cap. 2. de baptismo.* Ex iis vero, quae insuper primo dubio in utramque partem disputata sunt, statuere possunt EE. VV.: num parochus in probabili dubio de validitate baptismi constitutus post iterum iterumque interrogatam obstetricem et adhibitum in consilium bonum virum licite baptismum iteravit. Rursus judicabunt: num licite processerit ad iterationem baptismi pure, non sub conditione secundum disciplinam post seculum VIII. in ecclesia introductam, quam expresse probavit *Alexand. III. in allegat. cap. 2. de baptismo.* Si autem haec ipsa iteratio baptismatis sub conditione non temere adhibenda est, sed post diligentem investigationem, itaut qui secus faciat ab irregularitatis poena non sit immunis, ut ex doctrina *catechismi romani part. 2. de sacram. baptism. num. 17.* probat *Benedict. XIV. in allegat. inst. 84. num. 11.*; certe quidem reprehendendus est parochus, qui omissa conditione iteravit baptismum aberrando a vigente ecclesiae disciplina et in irregularitatem incidisse dubitari potest.

Ponderandum quidem est, quod in nullo juris loco irregularitatis poena praescribitur iis, qui in probabili dubio constituti baptisma pure iterant. Nam *allegat. cap. 2. de baptismo* ad illos pertinet, qui *scienter* baptismum denuo ministrant. Doctrina vero catechismi romani attingit illos, qui formam conditionatam adhibent nulla praemissa investigatione et sine probabili dubio. Si poenae extendendae non sunt, *leg. 42. ff. de poenis*, neque irregularitas incurritur nisi in casibus expressis, *ut ex cap.: Is, qui de sentent. excommunicat.* arguit *Suarez. distin. 4. sect. 3. n. 8.*, *Liguor. in theol. moral. lib. 7. cap. 5. dub. 3. n. 344.*

Quatenus parochus irregularitate et suspensione irretitus videatur, ei a SSmo impetranda erit dispensatio et absolutio, quae indulta fuit in terminis presbyteri scienter sed non mala fide iterantis baptisma in *Murana*) Irregularitatis 15. Novembris 1716.* et in dubio quolibet semper fuit in more positum, ut sac. Congregatio »pro absolutione ad cauthelam« rescriberet, ut pluribus omissis in *Assisien. 9. Februarii 1797.*

In tertio proponitur: An et quomodo prospiciendum sit aliis infantibus ab eadem obstetrice baptizatis, eis praecipue, qui jam adulti vel s. ordines susceperunt vel matrimonia contraxerunt. De nullitate horum baptismatum, quae in praeterritum obstetrix contulit, dubitatur, ex quo ipsa in postremo baptismo eam pronunciavit formam, ut disputetur num ex ea perfectum sit sacramentum. Hinc timendum semper in unoquoque baptismo administrando eamdem formam adhibuisse adeoque de validitate collatorum baptismatum ex deductis in primo dubio dubitari potest.

Pro validitate autem fecit praesumptio juris in *cap. Veniens de sacramentis*, ibi: »Certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur.« Haec vero praesumptio confirmatur ex testimonio parochorum, qui affirmant nullum sibi unquam dubium subiisse de validitate sacramentorum, quae obstetrix contulit, cum examini subjecta semper protulit legitimam probatamque formam nullo nec levi mixto errore.

Nihilominus quoad haec omnia, si EE. VV. eritdubitatio de validitate horum baptismatum,

---

*) Vd. infra: *Baptism.* (irregularit. propt. reiterat. etc.)

prospici poterit iis, qui ab obstetrice sacramenta susceperunt, ut denuo baptizentur sub conditione et secreto ad evitanda scandala, ut notat *Cirald. in exposit. juris pontific. part. 1. decretal. tit. 42. de bapt. sect. 615.* Quoad illos vero, qui ordines susceperunt, aperte est juris canonici dispositio, ut iterum ordinentur, in *cap. 1. et 3. de presbyteris non baptizat.* Quoad illos vero, qui matrimonia contraxerunt, diversa subest ratio. Nam matrimonium, licet ob non rite susceptum baptismum discrimen, foret ut contractus pure civilis et naturalis. Nam inter non baptizatos verum existit et validum matrimonium, licet non ratum, secundum *Innocen. III.*, qui scribens Eusebio ceterisque Episcopis Macedoniae matrimonium a cathecumeno contractum dixit legitimum, ideoque etiam validum, legitimamque prolem ex eo susceptam, ut in *cap.: Deinde 2. distin. 26*, quod sequuntur theologi et canonistae et praecipue *Habert. theolog. dogmat. et moral. cap. 9. §. 2. de cultus disparit., Pirching. de divort. num. 3.* Atque ita etiam censuit sac. haec Cong. in *Ripana*)* 12. Decembris 1733. et in *Tarvisina**) Baptismi 4. Maji 1737.*, in qua agebatur de matrimonio contracto per Lauram Dolfini, de cujus baptismate dubitatur. Et ad dubium: *An Laura Dolfini baptizari debeat sub conditione?* rescriptum fuit: Affirmative et secreto et sine praejudicio validitatis matrimonii.

Post haec spectat ad amplissimos Patres respondere tribus dubiis

I. *An constet de nullitate baptismi ab obstetrice in periculo collati in casu?*

Quatenus negative ad primum:

II. *An Parochus inciderit in suspensionem et irregularitatem, ita ut sit consulendum SSmo pro absolutione et dispensatione?*

Quatenus affirmative ad primum:

III. An et quomodo prospiciendum sit iis, qui ab eadem obstetrice baptizati sunt, et iis, qui postea vel s. ordines susceperunt vel matrimonium contraxerunt?

S. C. resp.

Ad I: Provisum in secundo.

Ad II: Consulendum SSmmo pro absolutione ad cautelam.

Ad III: Adquiescant.

Die 11. Julii 1801.

(Vd. etiam Anal. I. P. huitième sèrie p. 1609. 1865.)

---

*) Vd. *supra p. 20.*

**) Vd. *supra p. 22.*

Fesulana.

Mulier plebis Panzano, Fesulanae dioecesis, adeo gravi laborabat morbo, ut in vitae discrimine versaretur, cum puerperii signa apparuerunt; chirurgus spirituali saluti infantis consulere cupiens ac reseratum cernens materni uteri ostium, quamvis corpusculum nulla sua parte in lucem venisset, infantem per siphunculum aqua tinxit baptismi formam proferens. Periculum dein evasit puer ac e sinu matris prodiit: cumque de baptismi validitate nemo tunc dubitaverit, sacrae caeremoniae juxta rituale romanum suppletae fuerunt. Parochus tamen infantis quaestionem postea de hujusmodi baptismo instituit et denuo puerum suis euntem pedibus ad sacrum fontem adduci ac baptizari curavit: verum de hoc quoque lavacro gravis dubitatio proponitur. Affirmant enim duo testes fide digni, presbyterum baptizantem fudisse aquam super pueri caput, postquam formae verba perfecte protulerat, et quamvis addant, quod in giuramento non sarebbero prouti a farlo: nihilominus de facti veritate dubitari posse videtur; praesertim quia presbyter ille in publicis quoque, gravissimisque exercitiis mentis evagatione et negligentia habitualiter laborat, prout millies observatum fuisse testatur parochus.

Novimus autem ex teste ab Episcopo interrogato, presbyterum baptizantem, dum formam pronunciavit, cotylam in dextera habuisse, ese non la teneva sospesa sul capo del bambino, parmi, che la tenesse vicina ad esso —; itemque parmi che appena proferita la forma versasse immediatamente l'acqua sul capo del bambino. Noluit idem Episcopus rem per se definire, sed juxta perpetuam ecclesiae consuetudinem ab Innocentio III. *in cap. majores de baptismo* confirmatam causas majores ac difficiliores quaestiones ad apostolicam Sedem deferendi Vestram EE. PP. sententiam requirit, ut quid in casu agendum sit decernatis.

Pauca de baptismo dicam a chirurgo collato. Validum hujusmodi baptisma affirmant *Victoria in sum. de sacram. quaest. 24., Suarez. in 3. part. disput. 2. quaest. 68. sect. 6. art. 11. in comment., Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 4. quaest. 1. punc. 22. §. Tertio sequitur, Gabriel Gualdo in opusculo de hac re accurate conscripto Patavii impresso ann. 1710*, aliique plures, quorum sententiam Theophilus Raynardus, quamvis

contrariam sequatur, communissimam dicit. Contrariam vero opinionem tenent idem *Raynardas opusc. de ortu infantium per sectionem caesaream cap. 6. num. 14. oper. tom. 14.; Cardinalis de Lauraea in 4. sent. tom. 1. de baptism. disput. 14. art. 4., Natalis Alexander theolog. dogmatic. et moral. tom. 2. lib. 2. cap. 7. prop. 2. in fine, Juvenin. de sacram. dissert. 2. quaest. 7. cap. 1. art. 2. in fine, Gibert. cons. canon. tom. 2. cons. 22. de baptismo per tot., Jo. Laurentius Berti in sua theologia tom. 6. lib. 31. cap. 18* aliique. In hac sententiarum varietate, quum nihil adhuc statutum ab apostolica Sede fuerit, infantes iterum sub conditione baptizandos esse monent plures doctores ac praesertim *Tournely in suis praelectionibus de Sacram. baptismi quaest. 3. art. 3.:* cujus monitum approbari videtur a *Benedicto XIV. de synodo dioecesana lib. VII. cap. V. §. VI.*

Eadem opinionum discrepantia inter doctores est quoad secundum baptisma. Ejus validitatem tuentur *Suarez. loc. cit., Lug. respons. mor. lib. 1. dub. 33., Holzm. tom. 2. par. 3. n. 9., Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 7. n. 5., Diana par. 3. tr. 4. n. 6., Antoine de sacram. cap. 1. quaest. 3., Sam. de baptis. cap. 3. n. 41.* cum aliis, qui in sacramentis simultaneitatem moralem requirunt, ita ut satis esse dicant, si forma immediate post materiae applicationem incipiatur. Idque certius de baptismo tenendum afferunt, quia statim ac ablutio non fit eo momento, quo verbum baptizo a baptizante profertur, eadem tantummodo per unionem moralem verificatur: haec autem unio moralis habetur, sive ablutio eveniat immediate antequam forma pronuntietur sive fiat immediate post formam absolutam. Parva tamen distantia intercedat oportet inter formae prolationem et applicationem materiae seu ablutionem: et major unio requiritur in baptismo, ubi mora unius Pater noster invalidat sacramentum ad tradita per *Tournely et Diana loc. cit.;* idemque docet *B. Alphonsus de Liguor. theol. mor. lib. 6. tract. 1. cap. 1. dub. 2. n. 10.* proposito casui respondens, quod in baptismo.. requiritur talis conjunctio, ut dum minister verba pronuntiat moraliter censeatur lavare etc.

Verum non desunt theologi, etiam magni nominis, qui contrariam sententiam protuentur et affirmant ad baptismi validitatem requiri physicam simultaneitatem lotionis cum formae prolatione, ita ut saltem verba inchoentur, priusquam ablutio perficiatur, vel converso, *Cajetan. opusc. tom. 1. tr. 16., Scotus ap. Suarez in 3. part. D. 2. lect. 2. v. Hinc., Cuniliat. de baptis. n. V., Reiffenstuel. de sacram. in gen. quaest. 2. concl. 3., Viva de sacram. quaest. 1. art. 3. n. 3* aliique. Etenim juxta s. Augustini doctrinam accedit verbum ad elementum et fit sacramentum, si vero forma praecedat aut materiae applicationem sequatur, deesse accessionem verbi ad elementum, ideoque non fieri sacramentum videtur aut saltem valde dubium erit, num perficiatur. Tutiorem vero sententiam servandam esse in praxi, quum de sacramentorum validitate agitur, docet idem *s. Augustinus lib. 1. de Baptism. contra Donatistas cap. 3.*, et constat ex propos 1. inter damnatas ab Innoc. XI.

Cum itaque controversia nunquam a s. Sede definita proponatur de baptismi Sacramento, quod est apprime ad salutem obtinendam, quoniam Redemptor ipse docuit, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, *Joann. cap. 3. v. 5*, videant EE. PP.. utrum denuo baptizandus sit puer sub conditione. Compertum enim est, baptisma sub conditione concedi non posse, nisi prudenter et re diligenter pervestigata probabilis subsit dubitatio. *Rituale rom. de sacram. baptism. num. 9.* Baptisma vero iterantes irregulares evadunt, *cap.: Ex literar. de apostatis et iterantibus baptisma*; quam irregularitatem contrahunt etiam qui baptismum sub conditione conferunt, nisi probabile dubium adsit de validitate baptismi, juxta plurium doctorum sententiam, quam amplexus est *Benedictus XIV Notif. 84.*, auctoritati innixus catechismi romani *part. 2. de sacram. bapt. n. 57.* Dubium in casu adesse omnino negant, qui sacramenti validitatem tuentur: illud autem extare afferunt, qui contrariam opinionem sequuntur. Animadvertere tamen praestat, non requiri evidentem nullitatem baptismi aut dubium ferme ad certitudinem accedens, ut sub conditione baptisma renovetur: sed sufficere, uti licite administretur, probabilem dubitationem, postquam res serio, prudenter diligenterque discussa fuerit.

Denique silentio praetereunda non videtur habitualis negligentia et mentis eva-

gatio sacerdotis baptizantis. In re enim tam gravi, tam necessaria minister omni diligentia curare debet, ut ritus praesertim essentialis exacte impleatur, uti praescribit *rituale roman. tit. 1. num. 11.* Hisce perpensis vestrum erit EE. PP, dirimere dubium:

An sit sub conditione renovandus baptismus in casu?

S. C. resp.:

Dilata et scribatur Episcopo pro examine faciendo sacerdotis baptizantis, patrini et aliorum, si qui baptismo adstiterunt.

Die 24. Maji 1823.

Continuatio.

Examine peracto et ab Episcopo ad hanc s. Congregationem transmisso quaestio iterum proponitur.

Sacerdos Bonaventura Provede juratus affirmat, puerum Joannem Baptistam Vigni, sex circiter ab hinc annis, a se iterum sacro regenerationis lavacro fuisse sub conditione ablutum, *e che proferi la forma, e nel tempo istesso versò l'acqua sopra la testa del nominato Giovane.* Sed infantis pater jurejurando asserit, filium suum fuisse domi a chirurgo baptizatum ob imminens mortis periculum, ac deinde periculo ereptum delatumque ad paroeciam s. Leonini omissas caeremonias perfecisse sacerdotem Petrum Luzzi: biennio elapso dubium super validitate baptismatis domi collati fuisse excitatum, ideoque sub conditione aquis lustralibus perfusum fuisse a sacerdote Bonaventura Provede, qui tamen: *versò l'acqua sopra la testa del medesimo, doper aver proferita la forma,* quamvis *dal' ultima parola della forma, e l'abluzione non vi percorse alcun tempo, e non fece casa alcuna intermedia;* statimque *nel ricondurre a casa il battezzato insorse il dubbio sulla validità di detto battesimo, che poi riferiorono al loro parrocco.* Alius testis juratus Joannes Petrucci confirmat, quae a patre infantis fuere narrata de baptismate a sacerdote Provede administrato, et caeteri, qui adstiterunt, aut dubitanter loquuntur aut formam quidem prolatam, sed utrum aquam eodem tempore sacerdos infuderit, haud advertisse testantur. Duo praeterea testes, etiamsi sacerdotem Provede bonis moribus et sufficienti scientia praeditum fateantur, attamen ipsum ita mentis evagationibus affectum describunt, *che pone a pericolo il ministero.*

Parochiali autem baptizatorum codice perlustrato agnitum est Joannem Baptistam Vigni baptizatum fuisse a parocho Petro Luzzi, susceptumque e sacro fonte a Nicolao Fallici et Maria Vigni *die 6. Septembris* scilicet cum primo fuit ad ecclesiam delatus: et quamvis Maria de collatione baptismi nihil reminiscatur, Nicolaus tamen interposita jusjurandi religione testimonium perhibet, novem circiter ab hinc annis in ecclesia s. Leonini infantem fuisse a memorato Luzzi aqua lustrali ablutum sub conditione: *si non es baptizatus.* Quapropter Episcopus animadvertit: *Ex testimonio viri cujusdam cognomento Fallaci rem aliam sumere faciem. Neque enim, uti ad suam aliorumque quidem turbandam mentem parochus* (s. Leonini) *Montanari, qui, dum pueros iterum sacris aquis lustralibus abluit, somniavit, sacerdos Provede decimo quinto calendas Aprilis anni 1817 baptismum caeremoniis supplevit, sed reapse infans Vigni iterum sub conditione baptizatus est a Petro Luzzi plebaniae s. Leonini vulgo* di Panzano *rectore, sacerdote morum probitate doctrinaque apprime ornato. Quod si* (prosequitur) *unius testimonium satis est, ut baptismus ratus habeatur, quid dicemus, si ad testimonium tabularum etiam,* vulgo registro, *accedat auctoritas?*

Quae in jure animadvertenda forent de baptismo, a sacerdote Provede collato, fuse habent exposita EE. PP. in folio *die 24 Maji 1823*, quod resumere precor, ne actum agere videar. Nonnulla vero perpendenda sunt de baptismo a parocho Luzzi administrato. Sane in qualibet controversia ad plenam probationem unum et alterum probatae vitae sufficere testem cautum legimus in *cap.*: *Veniens 10* et in *cap.*: *Licet universis 13. de testib.*, quinimo uni testi asserenti, aliquem esse baptizatum, plena adhiberetur fides, *can.*: *Parvulos* et *can.*: *Cum itaque de consec.*, et firmat haec s. Congregatio apud *Bened. XIV. instit. eccles. 8. n. 8*, praesertim si collatum baptismum testentur libri parochiales, *Mascard. de probat. concl. 673. num. 1, Reiffenst. lib. 2. decret. tit. 22. n. 127.* In themate autem Nicolaus Fallaci jurejurando affirmat, baptismum sub conditione iteratum fuisse a parocho Luzzi, idemque confirmant libri parochiales, quibus plurimum ponderis addit tum probitas tum praeclara scientia scribentis, ita ut dubitari minime posse videatur, quin veritate nitatur, quod exaratum in ipsis fuit: omnia nempe rite ac

recte fuisse expleta atque ideo non solum caeremonias suppletas, sed etiam sub conditione reiteratum fuisse baptismum, uti in ejusmodi casu faciendum monet *Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 7. cap. 5. n. 6* aliique plurimi.

Verum libri parochiales ac testis Nicolaus Fallici aliqua exceptione notari posse videntur, cum ipsis adversetur infantis pater, qui non iteratum baptismum, sed omissas caeremonias a parocho Luzzi fuisse expletas affirmat. Accedit, caeteros testes de baptismo a parocho Luzzi collato nullam facere mentionem, ac proinde satis innuere, sibi persuasum esse, ab eodem parocho non iterum administratum baptismum sed caeremonias tantummodo suppletas fuisse: remque ita reapse gestam fortasse apertius docuissent, si de eodem baptismo iterato peculiare examen fuisset institutum. Porro uni testi ac libris parochialibus plene creditur, ubi de reiterando baptismate agatur; id tamen obtinet, si nihil aliunde occurrat, quod reddito testimonio fidem detrahat, uti sapienter docet *Bened. XIV. loc. cit. cap. 6. n. 4., Reiffenst. lib. 2. decret. tit. 22. n. 127.*

Itaque EE. VV. qua praestant sapientia dignentur dirimere dubium:

An sit sub conditione renovandus baptismus in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 8. Maji 1824.

Senen.

Quum baptismatis sacramentum characterem imprimat, infantes, etiamsi *domi in casu necessitatis* baptizati sint, nec sub conditione sunt denuo sacro lavacro tingendi, *nisi adsit probabile dubium invaliditatis baptismi*, ut respondit haec s. *Congregatio 27. Martii 1683 apud Benedict. XIV. instit. eccl. 84. n. 7.*, secus et dans et accipiens irregulares evadunt, *cap. Ex literarum de apost. et reiter. baptis., s. Congreg in Sutrina Baptismi 12. Julii 1794.* §. *Tunc.*

Die 16. Aug. 1828.

10) Confessio estne in baptismate exigenda?

Vd. *Baptism.* (haereticis sub conditione etc.)

Non requiritur in ipsis baptizandis exterior peccatorum confessio, ut docet *s. Bonaventura in 4. dist. 16. part. 1. art. 2. quaest. 2.* et *s. Ambrosius l.* 3. *de sacrament. c. 2.* his verbis: Etiamsi non confiteatur exterius peccatum, qui venit ad baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut justificetur, hoc est ut a culpa ad gratiam redeat. Et *s. Thomas q. 68. art. 6*: Duplex est peccatorum confessio, una interior, quae fit Deo et talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, ut scilicet homo sua peccata recogitans de eis doleat, non enim potest inchoare novam vitam, nisi poeniteat veteris vitae. Alia est peccatorum confessio exterior, quae fit sacerdoti et talis confessio non requiritur ante baptismum, quia pertinet ad sacramentum poenitentiae.

11) Consensus.

a) Baptizandi.

Vd. *Baptism. adulti* (requisita p. 7; collatio violenta. p. 8.)

b) Parentum.

Vd. *Baptism.* (filii infidel. etc.)

Baptismus infantibus collatus sine consensu parentum, quamvis illicitus, validus tamen censendus est ex sententia s. Augustini et decreto Congregationis s. Officii *sub die 3. Martii 1633., 30. Martii 1638, 23. Decemb. 1698 et 8. Martii 1708.* Baptizans illicite et absque consensu parentum infidelium filios puniendus est. *Bened. XIV.*) epist. decretal.: Postremo mense* §§. *26. 27. 31.*

c) Parentum eorum puerorum, qui rationis compotes baptismum petunt.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decr. *Postremo* Bened XIV. n. 36. etc.)

12) Demersio.

Vd. *Baptism.* (in diebns Pasch. etc. decr. Leonis I. n. 3 p. 36.)

13) In diebus sabbatis ante Pascha et Pentec. olim collatus.

Leo I. Episcopus universis Episcopis per Siciliam constitutis salutem in Domino.

Divinis praeceptis et apostolicis monitis incitamur, ut pro omnium ecclesiarum statu impigro vigilemus affectu ac, si quid usquam reprehensione invenitur obnoxium, celeri solicitudine aut ab ignorantiae imperitia aut a praesumptionis usurpatione revocemus. Manente enim Dominicae vocis imperio, quo beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mystica sanctionis imbuitur, ut Christi oves,

---

*) Vd. infra: *Baptism. Judaeor.*

qui Christum diligit, pascat, ipsius sedis, cui per abundantiam divinae gratiae praesumus, reverentia cohortamur, ut periculum desidiae, quantum possumus, declinemus, ne professio summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, vana inveniatur in Nobis: quia negligenter pascens toties commendatum dominicum gregem convincitur summum non amare pastorem.

1) Cum ergo mihi de charitatis Vestrae actibus fraterna affectione solicito certis indiciis innotuerit, Vos in eo, quod inter sacramenta ecclesiae principale est, ab apostolicae institutionis consuetudine discrepare, ita ut baptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniae quam paschali tempore celebretis: miror Vos vel praecessores Vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse, ut confuso temporis utriusque mysterio nullam esse differentiam crederetis inter diem, quo adoratus est Christus a Magis, et diem quo resurrexit a mortuis. Quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si, unde consecrationem honoris accepistis, inde legem totius, observantiae sumeretis et beati Petri Apostoli sedes, quae Vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset ecclesiasticae magistra rationis. A cujus Vos regulis recessisse minore posset aequanimitate tolerari, si aliquo commonitionis nostrae increpatio non praecessisset. Nunc autem, quia non desperatur correctio, mansuetudo servanda est, et, licet vix ferenda sit in sacerdotibus excusatio, quae praetendat inscitiam, malumus tamen et censuram temperare et ratione Vos apertissime veritatis instruere.

Semper quidem in aeterno consilio Dei mansit humani generis incommutabiliter praeordinata reparatio: sed ordo rerum per Jesum Christum Dominum nostrum temporaliter gerendarum in incarnatione verbi sumpsit exordium. Unde aliud tempus est, quo annunciante angelo beata Virgo Maria foecundandam se per Spiritum sanctum credidit et concepit; aliud quo salva integritate virginea puer editus exultante gaudio coelestium ministrorum pastoribus indicatur; aliud, quo infans circumciditur; aliud, quo hostia pro eo legalis offertur; aliud cum tres Magi claritate novi sideris incitati in Bethlehem ab Oriente perveniunt et adoratum parvulum mystica munerum oblatione venerantur. Nec iidem sunt dies, quibus impio Herodi, ordinata divinitus in Aegyptum translatione, subtractus est vel quibus ab Aegypto in Galilaeam mortuo persecutore revocatus est. Inter has autem dispensationum varietates accedunt augmenta corporea, crescit Dominus (sicut Evangelista testatur) profectibus aetatis et gratiae. Per dies paschae in templum Jerusalem cum parentibus venit, sedens cum senioribus et inter admirantes magistros disputans invenitur, rationemque mansionis suae reddens: *Quid est* (inquit) *quod me quaerebatis? nesciebatis quod in his, quae patris mei sunt, oportet me esse?* significans ejus se esse filium, cujus esset et templum. Jam vero cum in annis majoribus apertius declarandus baptismum praecursoris sui Joannis expetiit, quid deitatis ejus remansit ambiguum, quando baptizato Domino Jesu Spiritus sanctus in columbae speciem super eum descendit et mansit, audita de coelis patris voce dicentis: Tu es filius meus dilectus, in te bene complacui? Quae omnia ideo, quanta potuimus, brevitate perstrinximus ut notum sit dilectioni Vestrae, universos dies Christi innumeris consecratos fuisse virtutibus et in cunctis ejus actionibus sacramentorum mysteria coruscasse; sed aliter quoque signis denunciari, aliter rebus impleri, nec quaecunque numerantur in operibus Salvatoris, ad tempus pertinere baptismatis. Nam si etiam illa, quae post beati Joannis lavacrum a Domino gesta cognovimus, sub indiscreto honore colamus, omnia tempora continuatis erunt deputanda festis, quia omnia sunt plena miraculis. Verum quia Spiritus sapientiae et intellectus ita Apostolos et totius ecclesiae erudivit magistros, ut in christiana observantia nihil pateretur esse confusum: discernendae erant causae solemnitatum et in omnibus institutis patrum principumque nostrorum rationabilis servanda discretio, quia non aliter unus grex et unus pastor sumus, nisi, quemadmodum apostolus docet, id ipsum dicamus omnes: simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem scientia.

3) Quamvis ergo et illa, quae ad gloriam pertinent Christi, inu nam concurrant eandemque personam totumque quicquid in illo et virtutis divinae est et infirmitatis humanae ad nostrae reparationis tendat effectum: proprie tamen in morte crucifixi et in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam creaturam condit ex veteri, ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita dicente beato Apostolo Paulo: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo*

Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut, quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus et caetera, quae latius magister gentium ad commendandum sacramentum baptismatis disputavit, ut appareret ex hujus doctrinae spiritu regenerandis filiis hominum et in Dei filios adoptandis illum diem et illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii ea, quae geruntur in membris, his, quae in ipso sunt capite gesta, congruere, dum in baptismatis regula et mors intervenit interfectione peccati et sepulturam triduanam imitatur trina demersio et ab aquis elevatio resurgentis ad instar est de sepulchro. Ipsa igitur operis qualitas docet celebrandae generaliter gratiae eum esse legitimum diem, in quo orta est et virtus muneris et species actionis. Ad cujus rei confirmationem plurimum valet, quod ipse Dominus Jesus Christus, posteaquam resurrexit a mortuis, discipulis suis, in quibus omnes ecclesiarum praesules docebantur, et formam et potestatem tradidit baptizandi dicens: *Euntes ergo nunc docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* De quo utique eos etiam ante passionem potuisset instruere nisi proprie voluisset intelligi, regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse. Additur sane huic observantiae etiam Pentecostes ex adventu Spiritus sancti consecrata solemnitas, quae de paschalis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa pertineant, haec semper ad eum diem, qui resurrectione Domini est insignis, occurrit porrigens quodam modo auxiliantis gratiae manum, ut hi, quos a die paschae aut molestia infirmitatis aut longinquitas itineris aut navigationis difficultas interclusit invitos aut quibuslibet necessitatibus impeditos, desiderii sui effectum, dono Spiritus sancti, consequantur. Ipse enim Unigenitus Dei in fide credentium et in virtute operum nullam inter se et Spiritum sanctum voluit esse distantiam, quia nulla est diversitas in natura, dicens: *Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut vobiscum sit in aeternum, spiritum veritatis.* Et iterum: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret universa quaecunque dixi vobis.* Et iterum: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, ille diriget vos in omnem veritatem.* Cum itaque veritas Christus sit et Spiritus veritatis Spiritus sanctus nomenque paracliti utrisque sit proprium, non dissimile est festum, ubi unum est sacramentum.

4) Hoc autem Nos non ex Nostra persuasione defendere sed ex apostolica auctoritate servare satis idoneo probamus exemplo, sequentes beatum Apostolum Petrum, qui in eo die, quo omnem credentium numerum promissus Spiritus sancti replevit adventus, trium millium populum sua praedicatione conversum lavacro baptismatis consecravit, quod sancta scriptura, quae apostolorum actus continet, fideli historia docet dicens: *His auditis compuncti sunt corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remedium peccatorum et accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est repromissio et filiis vestris et omnibus, qui longe sunt, quoscunque advocaverit Dominus Deus noster.* Aliis etiam pluribus verbis testificatus adhortabatur eos dicens: Salvamini a generatione ista prava. Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt et appositae sunt in illa die animae circiter tria millia.

5) Unde, quia manifestissime patet baptizandis in ecclesia electis haec duo tempora (de quibus loquuti sumus) esse legitima, dilectionem Vestram monemus, ut nullos alios dies huic observantiae misceatis.

6) Quia, etsi sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reverentia debeatur, principalis tamen et maximi sacramenti custodienda Nobis est mystericae rationis exceptio, *non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur.* Ita enim ad has duas festivitates connexas sibimet atque cognatas incolumium et in pacis securitate degentium libera vota differimus, ut in mortis periculo, in obsidionis discrimine, in persequutionis angustiis, in timore naufragii, nullo tempore hoc verae salutis singulare remedium cuiquam denegemus. *Si quis autem Epiphaniae festivitatem*, quae in suo ordine debito honore veneranda est, *ab hoc aestimat privilegium habere baptismatis, quia hoc quidam putant, quod in eadem die Dominus ad baptismum*

sancti Joannis accesserit, sciat illius baptismi aliam gratiam, aliam fuisse rationem nec ad eamdem pertinuisse virtutem, qua per Spiritum sanctum renascuntur, de quibus dicitur: Qui non ex sanguinibus neque ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt. Dominus enim nullius indigens remissione peccati nec quaerens remedium renascendi sic voluit baptizari, quomodo voluit circumcidi hostiamque pro se emundationis offerri: ut, qui factus erat ex muliere (sicut Apostolus ait), fieret et sub lege, quam non venerat solvere sed adimplere et implendo finire, sicut beatus Apostolus praedicat dicens: *Finis autem legis Christus ad justitiam omni credenti.* Baptismi autem sui in se condidit sacramentum, quia in omnibus primatum tenens se docuit esse principium, et tunc regenerationis potentiam sanxit, quando de latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis et aqua baptismatis. Sicut ergo vetus testamentum testificatio fuit novi et lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est: sic diversa sacrificia unam hostiam praeformarunt et multorum agnorum occisio illius immolatione finita est, de quo dicitur: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: sic et Joannes, non Christus, sed Christi praevius, non sponsus, sed sponsi amicus fuit adeo fidelis et non sua quaerens, sed quae Jesu Christi, ut se profiteretur ad solvenda calceamenta pedum ejus indignum, quoniam ipse quidem baptizaret in aqua in poenitentiam, ille autem baptizaturus esset in Spiritu sancto et igne, qui duplici potestate et vitam redderet et peccata consumeret. His itaque, Fratres, tot tantisque existentibus documentis, quibus omni ambiguitate submota evidenter agnoscitis in baptizandis electis, qui secundum apostolicam regulam et exorcismis scrutandi et jejuniis sanctificandi et frequentibus sunt praedicationibus imbuendi, duo tantum tempora, id est Pascha et Pentecosten esse servanda, hoc Vestrae indicimus charitati, ut ab apostolicis institutis nullo ulterius recedatis excessu. Quia multum post haec esse non poterit, si quisquam apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas.

7) Quarum illud primitus pro custodia concordissimae unitatis exigimus, *ut, quia saluberrime a sanctis patribus constitutum est binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus:* terni semper ex Vobis ad diem tertium calendarum Octobrium Romam fraterno concilio sociandi occurrant et indissimulanter a Vobis haec consuetudo servetur, quoniam, adjuvante gratia Dei, facilius poterit provideri ut in ecclesiis Christi nulla scandala, nulli nascantur errores, cum coram beatissimo Apostolo semper in commune tractatum fuerit, ut omnia instituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permaneant. Haec autem, quae Vobis inspirante Domino insinuanda credidimus, per fratres et coepiscopos Nostros Bachillum atque Pachasinum ad Vestram volumus notitiam pervenire, quibus referentibus cognoscam, quam reverenter a Vobis apostolicae Sedis instituta serventur, Data XII. Cal. Novembris, Alypio et Ardabure VV. CC. Coss.

Data die 21. Octobris anno Domini 447, pontif. Leon. anno VIII.

(Bull. r. t. I. p. 61. Ed. Aug. Taur. 1857.)

Leo I. Episcopus universis Episcopis per Campaniam, Samnium et Picenum constitutis.

Magna indignatione commoveor et multo dolore contristor, quod quosdam ex Vobis comperi ita esse apostolicae traditionis oblitos et studio suo errores intentos, ut praeter Paschae festum, cui sola Pentecostes solemnitas comparatur, audeant sibimet, non aliqua humanae infirmitatis necessitate cogente sed sola indisciplinati arbitrii libertate, jus baptismatis vindicare et in natalibus martyrum, quorum finis aliter honorandus est quam dies dominicae passionis, regenerationis celebrare mysteria ac sine ullis spiritualium eruditionibus praeparationum ita rudibus et imperitis tradere sacramentum, ut circa renovandos nihil doctrinae ecclesiasticae, nihil in exorcismis impositio manuum, nihil ipsa jejunia, quibus vetus homo destruitur, operentur; neque in tanto mysterio salutis humanae ulla diei habeatur exceptio, quo ipsum donum est conditum renascentibus. Admonemus igitur, et non sine periculo status eorum, qui haec faciunt, protestamur, ut ab hac praesumptione cessetur et summam hanc potentissimamque Dei gratiam nonnisi in Paschali et Pentecostes diebus desiderantibus et credentibus conferatis, manente quolibet tempore gravium necessitatum ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subvenire, ne conditione mortali coarctata infirmitas necessaria liberatione fraudetur, cum servata (sicut praeloquuti sumus) duarum tantummodo festivitatum reverentia propter

multa pericula sit cavendum, ne cuiquam aut in desperata aegritudine aut in hostilitatis incursu aut timore naufragii per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Si quis vero post hoc interdictum in eadem fuerit usurpatione detectus, dignam pertinaciae suae incidet ultionem quoniam ostendit se turpe potius lucrum quam religionis cultum esse sectatum.

Die 6. Mart. 459

(Bull. r. t. I. p. 79. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Gelasius I. dilectis Fratribus Episcopis per Lucianicam, Brutios et Siciliam constitutis.

Baptizandi sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam praeter paschale festum et Pentecostes venerabile sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est, ne morbi crescente periculo sine remedio salutari fortassis aegrotans exitio praeventus abscedat.

Die 11. Mart. 494.

(Ibid. p. 104 n. 12.)

14) In die Epiphaniae non conferendus.

Vd. *Baptismus.* (In dieb. Pasch., decr. Leonis I. p. 35.)

15) Dilatio.

Vd. *Baptismus* (tempus etc.).

Baptismus infantibus protrahi non debet ultra praefixum tempus ab ecclesia. *Bened. XIV. const. 107. Omnium* § *3.*

Natis infantibus baptismus conferri quam primum debet peccantque graviter, qui diu illum differunt, tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romae *anno* 1723 ut infra triduum infans lavetur. *Bened. XIV. instit. eccl. 98* § *3.*

Saint-Office, du 30 juillet 1771 qui oblige les curés à ne pas différer plus de trois jours: *Obligandos esse parochos ad baptizandos infantes absque ulla mora, si mortis instet periculum. Si vero periculum non adsit, ultra tertium diem post nativitatem pueri non differendam baptismi administrationem.*

(Anal. J. P. II. Ser. Romae 1857. p. 1807.)

Bened. PP. XIV. de ritibus in regnis Madurensi etc. Indiar. Orient.

Quia audivimus baptismum infantium ex christianis parentibus ortorum, eorumdem incuria saepe saepius diu protrahi non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine, monemus evangelicos operarios, ut sacrorum canonum memores terminum breviorem, quam fieri possit, attentis circumstantiis, genitoribus praefigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad ecclesiam deferant sacro fonte abluendos.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. 400.)

Ad dubium Episcoporum Madurensium etc.: *An et quomodo supra dictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* „Quia audivimus baptismum infantium etc.“

Eminentissimi dixerunt: „Servandum esse decretum eminentissimi Cardinalis de Tournon.“ (Id est modo dictum roman. mandatum.)

Die 12. Septb. 1744.

(Ibid.)

16) In Domo.

Vd. *Baptism.* (in ecclesia; in sacristia; extra ecclesiam.)

Baptismus extra casum necessitatis sub poena peccati mortalis est omnibus ministrandus in ecclesia, ubi sunt fontes, exceptis filiis Regum et Principum, qui extra ecclesiam et in domibus possunt baptizari, textu expresso *in Clementina unica de baptismo*, ibi: „Praesenti prohibemus edicto, ne quis de caetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos, (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui autem secus praesumpserit aut suam in hoc praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant.“ Sic etiam habet rituale romanum jussu Pauli V. editum: *In privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis deposcentibus dummodo id fiat in eorum capell. seu oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta.*“ Et aliter facientibus a *Conc. Med 1. part. 2. tit. de bapt.* est imposita excommunic. ideoque transgressores peccant mortaliter, cum gravis poena non imponatur nisi pro gravi culpa,

et excommunicatio sit major poena, quam habeat ecclesia, *cap. Corripiantur 17. cons. 24 quaest. 3*, ibi: *Qua poena in ecclesia nulla major est.*

Nomine Principum, quamvis per *Glossam dict. Clementinae*, et Vitalin. ibi *num. 43.* Ugolin et varios alios auctores intelligantur solummodo Principes supremi, neminem in sua ditione superiorem cognoscentes, et non ii, qui Principum titulo et dignitate gaudent sed tamen sunt subditi Regis aut alterius supremi Principis, tamen *Riccius dec. 427, Quintanadren., Singular. tom. 1 sing. 21., apud Gobat tract. 2 de baptis. n. 492* intelligunt etiam Magnates Hispaniae et aliorum Regnorum, Comites, Barones, Legatos Regum et universim omnes obtinentes jurisdictionem temporalem: *Jord. tom. 1. elucubr. lib. 3 tit. 1 num. 15.* Idcirco subjungit *Gobat loc. cit.* in dioecesi Constantienti permittitur petentibus Nobilibus praesertim Sueviae, Hegoiae et Brisgoiae, quorum plerique vel habent jurisdictionem vel progeniti sunt ex majoribus vera jurisdictione praeditis, ut eorum filii baptizentur extra ecclesiam, sed non nisi in sacello vel oratorio, ut loquuntur constitutiones *part. 1 tit. 6 n. 4* extra casum necessitatis. Et per filios seu liberos Principum intelliguntur etiam nepotes et pronepotes; *leg. Liberorum, ff. de verb. significatione*, ibi: *Liberorum appellatione nepotes et pronepotes caeterique, qui ex his descendunt, continentur.* Dummodo descendunt ex filiis masculis, *glossa in cit. Clement. verb. Liberi: Et quod dixi comprehendi nepotes, intellige de descendentibus ex filiis masculis.*

Abellinen.

Episcopus Abellinen. asserens se requisitum a Principe Avellini, qui habet uxorem praegnantem, ut sequuto partu velit prolem in domo ejusdem Princips baptizare, petiit licentiam id faciendi quatenus sacra Congregatio id remisit arbitrio Episcopi.

Die 21. Novembris 1626.

(Anal. I. P. VII. Ser. p. 102. Romae 186..)

Avellinen.

Episcopus Avellinus rogatus a Principe illius civitatis, ut prolem quam exspectabat ab uxore praegnante vellet domi baptizare, consulerat hanc sacram Congregationem, a qua non exspectato responso deliberavit complacere Principi, ut auditum a suo agente. Quare sacra Congregatio non laudans hoc factum mandavit: Scribi Episcopo, quod debebat exspectare responsum.

Die 12. Decembris 1626.

(Ibid p. 193.)

17) In Ecclesia conferendus.

Vd. *Baptism.* (in domo etc ; extra ecclesiam.; in sacristia etc) *Baptisterium intra ecclesiam.*

18) In ecclesia baptizandi privilegio donata.

Vd. *Baptism.* (in eccles. paroch.; in eccles. regular.; ab Episcopo conferendus). *Baptisterium in Cathedralibus.*

Romana.

Praetendente parocho sacrosanctae basilicae s. Petri in Vaticano, vigore cujusdam asserti decreti visitatoris apostolici, consuetudinis etiam, legitime praescriptae, ac indultorum summorum Pontificum et signanter Innocentii III., Gregorii IX., Innocentii VI. ac b. Pii V. ad se spectare cummulative jus baptizandi infantes natos etiam in omnibus aliis parochiis Urbis, et e converso asserentibus illarum parochis assistentia juris suffultis, dictum decretum visitatoris intelligi debere de parochiis filialibus, consuetudinem non esse legitime praescriptam, sed pluries per reclamationes etiam judiciales usque et ab anno 1635 interruptam nullamque in dictis indultis pontificiis mentionem fieri de hoc praetenso jure baptizandi cumulative alienos infantes, imo eamdem cumulativam excludi, ex limitata quatuor parochiarum assignatione eidem sacrosanctae basilicae in eisdem literis apostolicis expressa, cum individuali subjectione fontium baptismalium, jure merito in hac ancipiti et inter partes adeo agitata quaestione rectissimum EE. VV. exspectatur judicium:

An curato s. Petri in Vaticano liceat baptizare commorantes in omnibus aliis parochiis Urbis?

Sacra Congregatio censuit:

Affirmative.

Die 15. Maji 1700.

(Anal I. P. 1866. p. 1594. Ed. Romae.)

Ubi privativum et exclusivum baptizandi jus alicui ecclesiae matrici praesertim consuetudo immemorabilis indubium fecisset, in ea una ecclesia infantes lustralibus undis regenerandos nec in alia quadam ecclesia novum fontem baptismalem esse construendum definivit S. C. *Fabrianen Fontis baptismalis 21. Junii 1732 ad I. dub.* et in *Camerinen. Erectionis fontis baptismalis et juris baptizandi 10. Februarii 1748.* Haud siquidem adversum est ecclesiasticae disciplinae, ut in aliqua civitate vel unus tantum baptismalis fons reperiatur, quem nempe ad essentiam paroeciae non pertinere docet *Card. de Luca de paroch. discept. 37. n. 10.*, *Barbosa de jur. eccl. lib. 2. cap. 1. n. 25.*, et *Gonzalez. ad reg. 8. cancell. gloss. 6. n. 48 et seq.* Etenim parochiales ecclesias a baptismalibus distinguit Tridentina synodus *sess. 21. cap. 4. de reform.*, ubi disjunctive legitur: »Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus;« nec ex sola parochialitate ecclesiae fiunt baptismales, quemadmodum scite observat *Fagnan. in cap. Cum contingat. n. 59. de decim.*, *Garcias de benef. part. 3. cap. 2. num. 167*, *Cavalier. tom. 4. cap. 21.*, ibi: „Quae gratia novi fontis, cum etiam post editum Concilium et laudatum decretum Benedicti XIII ab eadem s. Congregatione Concilii saepe negata fuerit et aliquando concessa, dubium quodvis tollit, quod parochialibus ecclesiis non continuo licet erigere fontem baptismalem, ubi ex veteri disciplina unus dumtaxat vel alter habetur.

Die 28. Jan. 1832. *Spoletana.*

Fabrianen.

(Con. Tr. c. 13. sess. 24. de ref.)

In civitate Fabrianensi quatuor existunt ecclesiae parochiales, prima nimirum cathedralis s. Venantii; secunda collegiata s. Nicolai; tertia s. Blasii, quae regitur a monachis Camaldulensibus, et quarta s. Benedicti, cui praesunt monachi Silvestrini. Fons baptismalis superiori tempore erat dumtaxat in ecclesia cathedrali et in altera collegiata, quarum parochi sacro baptismo inaugurare consueverunt infantes in caeteris quoque parochiis ortos. At anno 1729 monachi Camaldulenses fontem baptismalem erexerunt in eorum ecclesia s. Blasio dicata.

Nova haec res quaerimonias capituli ecclesiae cathedralis excitavit. Contendit enim, eamdem ecclesiam sancti Venantii matricitatis jure pollere, matricem semper appellari consuevisse atque omnibus potiri praerogativis, quae ecclesiae proprie matrici conveniunt. Quin etiam satis constare existimat ecclesiam s. Blasii institutam fuisse parochialem per sectionem parochiae, cui antiquitus praeerat ecclesia s. Venantii.

Itaque capitulum infert non licuisse monachis fontem baptismalem instituere in sua ecclesia, quamvis parochiali, cum per hoc laedatur jus competens ecclesiae matrici, quae ideo talis appellatur, quia sicut mater generat filios, ita haec regenerat homines salutaribus aquis, ut notatur in *Clement. l. circa med. in gloss. verb. Matricem de Sent. exom.*

Hinc testatur *Fagnan. in cap.: Cum contingat n. 59. de decim.* olim fuisse a sac. Congregatione editum in *Causa Urbinaten.* hoc decretum: „Censuit sac. Congregatio in omnibus ecclesiis parochialibus debere esse fontem baptismalem, nisi essent in aliquibus specialiter ecclesiis deputati fontes baptismales, qui matrices vel baptismales ecclesiae vocantur, itaut fiat distinctio matricum ecclesiarum ab aliis curatis.“ Quod etiam refert *Nicol. lucubr. can. tom. 2. lib. 3. tit. 42. sub num. 6.*

Quandoque autem eadem sac. Congregatio facultatem impertita fuit erigendi fontem baptismalem, sed tamen accedente consensu Episcopi et aliorum, quorum intererat, ut in *Massilien Ecclesiae s. Stephani 7. Januarii 1640* his verbis: »Censuit, si SSmo Domino nostro placuerit, gratiam petitam erectionis fontis baptismalis concedi posse, de consensu tamen Ordinarii et interesse habentium.«

Impugnant monachi, quod ecclesia s. Blasii sit subjecta ecclesiae s. Venantii tamquam matrici. Jus vero ministrandi sacramentum baptismi adeoque habendi fontem baptismalem adstruunt ex ipso parochiali jure.

Episcopus confirmat nunquam ante annum 1729 extitisse fontem baptismalem in memorata ecclesia parochiali s. Blasii et subjungit se Abbati, a quo significata tunc ei fuit deliberatio de instituendo ibidem fonte baptismali, respondisse, ut faceret quidquid ei ex juris praescripto liceret.

Sed et in alio vertitur contentio. Etenim ubi etiam permittendum esset monachis habere fontem baptismalem in d. ecclesia s. Blasii, putat nihilominus capitulum cathedralis ecclesiae s. Venantii conservandam esse praerogativam, qua potiri consuevit ejus parochus, ut scilicet sacro profundere possit lavacro etiam infantes in parochia s.

Blasii aliisque parochiis natos, quos ultro parentes ad eam ecclesiam s. Venantii detulerint; et sane factum antiquae consuetudinis revocari nequit in dubium, sic etiam testante Episcopo. Quamvis autem regula sit, quod a proprio solum parocho (excepto necessitatis casu) Sacramentum baptismi debeat cuique ministrari, non tamen improbatur legitime praescripta consuetudo, per quam alicui ecclesiae quaesitum fuerit jus abluendi piaculari aqua infantes, etiam alteri parochiali ecclesiae subjectos, ut docent *Gonzal. ad regul. 8. cancell. Glos. 6.* n. 52. aliique, quos citat Emmus *Petra tom. 4. ad constit. 2. Gregor. XI. n. 35.*, et de sacrosancta Basilica Vaticana judicatum fuit ab hac sac. Congregatione in *Romana*) Juris baptizandi* 15. Maii 1700; in qua proposito dubio: *An curato s. Petri in Vaticano liceat baptizare commorantes in omnibus aliis parochiis Urbis?* rescriptum fuit: Affirmative.

Definiendum itaque erit:

1. An erectio fontis baptismalis facta in ecclesia parochiali s. Blasii substineatur?

2. An liceat parocho ecclesiae cathedralis s. Venantii in ea baptizare natos in alienis parochiis, etiam fontem baptismalem habentibus, seu potius spectet privative ad unumquemque parochum habentem fontem in sua ecclesia baptismum conferre propriis parochianis in casu?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative.
Ad 2: Servetur solitum, et amplius in omnibus.

Die 24. Maji et 21. Juni 1732.

Iterum proposito dubio S. C. resp.

Ad 1: Recedendum a decisis.
Ad 2: Dilata.

Die 22. Novb. 1732.
Die 14. Novb. 1733. resp. S. C.: Praevio recessu a decisis negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Iterum reproposito dubio: An sit standum in decisis die 21. Juni 1732 vel potius 14. Novb. 1733? S. C. resp.: In secundo loco decisis et amplius.

Die 20. Mart. 1734.

Reatina.

Unicum Reate extat baptisterium, quo omnes cujuslibet paroeciae pueri ad suscipiendum baptisma allati semper fuere, illudque a prioribus ecclesiae saeculis in Cathedrali Basilica (cujus origo ad secundum usque saeculum remeare fertur) retentum fuisse non dubia facti argumenta conjicere sinunt. Decem erant volvente anno 1515 totius civitatis paroeciae easque inter paroecia s. Joannis recensebatur, quae cum prae caeteris esset angustior et pene contigua Cathedrali Basilicae, ab Emmo Episcopo Pompejo Colonna praedicto anno eidem Basilicae unita fuit: cujusmodi unionem die 4. Novembris 1536 confirmavit Legatus a latere s. Sedis Emmus Card. Grimani. Eo tum a capitulo translatum fuisse videtur baptisterium; atque hinc factum, ut, quae s. Joannis primitus nuncupabatur, eadem subinde nuncupari coeperit ecclesia s. Joannis in fonte. Certo tamen constat, per pontificium breve sa. nem. Gregorii XVI. die 26. Martii 1836 evulgatum paroeciam hanc suppressam fuisse, reservato nihilominus Cathedrali Basilicae baptisterio ac jure exclusivo sacramentum baptismatis administrandi tam civitatis quam suburbii et agri circumjacentis pueris. At nuper parochi omnes Reatini apud s. hanc Congregationem institere, ut jus ipsis tribueretur baptisterium alterum loco opportuno in communem usum erigendi, sin minus capitulo obligatio injiciatur remittendi ad unumquemque parochum schedulas, quae collatum testentur pueris in eorundem paroeciis degentibus baptisma.

Petitionem suam facti jurisque momentis sustentare studet parochorum collegium. Et quoad factum commemorat ideo baptisterium antiquitus in cathedrali ecclesia fuisse retentum, quod ea unica erat civitatis universae paroecia: deinceps autem adaucto animarum numero ac dispertita in plures paroecias civitate omnes pueros baptizatum adductos semper fuisse ad ecclesiam cathedralem, eo quod in reliquis paroeciis baptisterium deerat. Deventum ita est ad annum 1836, quo capitulum, diuturna praeeunte contentione, aboleri parochialitatem ecclesiae suae optinuit, proindeque, parocho seu canonico curato dimisso, baptismatis collationem coetui clericorum commisit. Eos vero, sive ex oscitantia sive ex ignorantia, in errores defectusque non leves saepe incidisse conqueritur

*) Vd. *p. 40.*

Hisce factis praemonitis demendum esse contendit Cathedrali Basilicae privativum jus retinendi baptisterium, non modo quia causa cessante effectum quoque cessare debere rationi congruūm est, sed etiam quia necessitas removendi errorum ac defectuum occasionem idipsum suadet.

Nec juris subsidio se destitui parochi subdunt ut baptisterium, nisi in singulis paroeciis, in loco tamen omnibus opportuniore ad communem collegii usum extruere queant. Inquiunt enim, jus baptizandi cunctis parochis inhaerere, quippe quia baptizare pertinet ad minores principes ecclesiae, quemadmodum quoque eruitur e text. in *can. Clericos de consec. dist. 1. Clem. un. de bapt.* atque e ac. Congregationis hujus decretis in *Neapolitana*) Juris baptizandi 22. Septembris 1687, 21. Februarii et 28. Augusti 1688.* Quamobrem ecclesiae cathedrali, quae cum parochialitate omnia hujus accessoria amisit, nefas omnino est parochorum jura usurpare aut muneri suo commodius obeundo semitam ipsis praecidere.

Etsi autem jus retinendi baptisterium denegari parochis velit, hoc saltem concedendum sibi contendunt, ut capitulum remittere semper ad parochos debeat schedulas collati baptismatis, non secus ac parochi cum Episcopo agent quoad pueros, qui sacro roborantur chrismate. Nec paucas exinde utilitates in sui muneris exercitio sibi pollicentur parochi. Praeprimis pueros in paroecia natos eorumque parentes illico quisque parochus agnosceret exactumque familiarum regestrum conficere posset. Aetatem praeterea singulorum, quae a fallaci plerumque alterius dicto haurienda est, e suismet libris depromerent. Quod sane quam plurimas ob causas necessarium parocho est; puta ne pueris septennio minoribus sacrum chrisma conferatur, ne puellae, quae decimum sextum annum aetatis suae haud attigerint, in notulam pro collatione dotium recipiantur contra supremam testatorum voluntatem, ne qui error impingat quum nomina in defunctorum librum conscribuntur, quorum aetas est designanda ad tramites ritualis romani, atque ita porro.

Capituli allegationem transmisit Ordinarius, hoc tantum animadvertens, nempe: „Inconvenientiam quoad descriptionem baptizatorum in libris, qui apposito in archivio cathedrali servantur, aliaque ejusmodi in precibus parochorum memorata emendata fuisse cautumque insimul ne amplius renoventur.“

Jam vero a jure exorditur capituli defensio. Errorem primo omnium, ait, in jure gravissimum fovent parochi, dum jus proprium cujusque paroeciae esse collationem baptismatis asserunt eamque ad ecclesiam cathedralem non pertinere defendunt, nisi parochialis quoque sit, adeo ut parochialitate amissa jus ipsum baptizandi velut accessorium evanescat. Et requidem vera recolendum est, primis ecclesiae temporibus Episcopos solummodo consuevisse sacramentum baptismatis conferre ac solas cathedrales ecclesias, in quibus residebat Episcopus, baptisterium retinuisse, *Marten. de antiq. eccles. rit. lib. 1 cap. 1 art. II cap. 15, Benedict.* XIV. *inst. eccles. I num. 4.* Ac licet sub tertio saeculo institutae jam essent paroeciae, *Baron. ad ann. 270 § XVI.*, nihilosecius Episcopi tunc et posterioribus quoque saeculis hujusmodi officium exercuerunt, atque ecclesiae cathedrales ubique ad decimum circiter saeculum baptisterium retinuere, et complures adhuc in Gallia, Hispania ac Italia retinent, *Marten. loc. cit. § 15* et *Chardon. stor. del. sacram. lib. 1 cap. X.* Adeoque rigide hujusmodi disciplinae adhaerebat clerus, ut sacerdos quivis non auderet absente Episcopo sacramentum baptismatis conferre, *Selvagi antiq. christ. lib. III. cap. II. § 2.* Hinc frequentes admodum quaerimoniae de Episcoporum per vim aut aliis de causis extra dioecesim detentorum absentia, eo quod magna populi multitudo sine baptismate moreretur, *Marten. loc. cit. lib. 1. cap. 1. art. III. § 2, Lupus Conc. tom. II. append. ad Ephes. cap. III. pag. 226, s. Gregor. Magn. lib. 1. epist. 33.* Complures insuper casus enumerantur, quibus facultas construendi inferiores ecclesias concedebatur, expressa addita prohibitione erigendi baptisterium, *s. Greg. lib. II epist. 12, lib. IX. epist. 70, Marten. cit. art. III § 4, Chardon. op. cit. lib. 1. cap. X. pag. 135.*. Quae sane mirabitur nemo, qui consideret Apostolis tantum atque Episcopis in eorumdem personis mandatum dedisse Christum: „Euntes . . . baptizate omnes gentes.“ Quamobrem uno ore tradiderunt canonistae, proprium Episcopi officium esse collationem baptismatis, teste *Wan-Espen Jus eccl. un. par. II. tit. II. cap. II. § 1.*

*) Vd. infra p. *46.*

Ampliato dein christifidelium numero ac divisis dioecesibus per decanias, ita nuncupatas a numero paroeciarum, quas complectebantur, illarum cuique caput praepositum fuit, qui decanus christianitatis dicebatur, atque ad hunc pertinebat baptismatis ministrandi munus, *Thomassin de vet. et nov. eccl. disciplin. par. I. lib. II. cap. VI.* § *3.*, *Bened. XIV. inst. eccles. I.* § *5.* Decanorum nonnullos sub Concilio Tridentino alicubi superfuisse constat, *Thomass. in. loc. cit.* § *2. 3.*

Invaluit utique post nonum praesertim saeculum consuetudo concedendi parochis usum baptisterii, sed in ruralibus solummodo ecclesiis, haud vero in civitatibus, in quibus residebat Episcopus, *Benedict XIV. inst. 1.* § *5*, *Chardon. lib. I. cap. XVII. pag. 226,* in hisque apud cathedrales ecclesias solum superfuit fons baptismalis et Canonici locum Episcoporum in baptismale conferendo subierunt. Ex quo factum procul dubio est, ut solae ecclesiae cathedrales baptisterium ad haec usque tempora servarint in celebrioribus Italiae ac potissimum pontificiae ditionis civitatibus. Quod si alibi baptisterium aliis quoque in ecclesiis erectum fuit, id suadente temporum locorumque necessitate permissum est.

Haeč profecto probant, parochorum officio jus baptizandi minime inhaerere, neque a parochiali qualitate ecclesiae ad jus retinendi baptisterium posse argumentum educi. Recte propterea sacri canones ecclesias parochiales a baptismalibus distinguunt, Conc. Trid. *sess. XI. de reform. cap. 10., Fagnan. in cap.: Cum contingat num. 54. de decimis, Barufald. Comment. in rit. rom. cap. XVI. num. 1.* et sac. Rituum Congregatio in decreto *Urbis et Orbis 10. Decemb. 1703. resp. ad VI.* declaravit: „Benedictionem fontis baptismalis non esse de juribus mere parochialibus.“ Ex quibus infert capitulum, jure merito se hodiernae parochorum intentioni resistere. Utque ea, omni remota ambigendi ratione, rejiciatur, auctoritatem sacrae hujus Congregationis invocat, quae, teste *Fagnan. loc. cit. num. 59.*, nunquam consuevit erectionem baptisterii parochis concedere, ubi ecclesiae baptismales adessent „ut fiat distinctio matricum ecclesiarum ab aliis curatis.“ Et ad rem profert resolutionem sacrae Congregationis in *Lycien. diei 19. April. 1606,* in qua decretum fuit: „Fontem baptismalem in sola cathedrali ecclesia esse asservandum, eoque infantes totius civitatis ad sacramentum baptismatis suscipiendum esse deferendos.“ Eademque fuit sacrae Congregationis sententia in *Cassanen. Jur. parochial. 9. Julii 1672,* in *Bajonen. Jur. parochial. 24. Maji 1732*, in *Vercellen. Jur. parochial. 18. Novembr. 1747*, et in *Cassanen. Jur. parochial. 9. Febr. 1772.* Quinimmo idipsum tenuit in *Camerinen. Erect. font. baptism. et jur. baptiz. 10. Febr. 1748*, ea solum de causa, quod baptisterium in ecclesia cathedrali extabat, „quamvis incommoda nonnulla in sacro infantium baptismate suscipiendo probarentur.“

Ad factum descendens capitulum nullatenus comprobari inquit ecclesiam suam parochialitatis jure potius quam uti Cathedralem retinuisse baptisterium atque administrasse universae civitatis pueris baptisma. Unionem ecclesiae parochialis s. Joannis ejusque adnexionem cum Cathedrali mere accessoriam fuisse subdit, itaut illa neque curam animarum, neque parochialia jura sua amiserit, nec invicem capitulum Cathedralis Basilicae juris baptizandi eamdem participem fecerit. In id autem capitularia statuta ac plurimum Episcoporum synodos refert, e quibus patere ait jus baptisterii et collationis baptismatis capitulum ut suum privative asservasse perpetuoque exercuisse.

Sed praeter erectionem baptisterii negandum quoque esse parochis contendit jus condicendi baptizatorum schedulas. Metuendum inprimis est, ne exinde praetextus jurgiorum adaugeantur. Praeterea id servitutis speciem redoleret Canonicis gravissimam, indignam Cathedralis Basilicae, quae hoc pacto a parochis quodammodo penderet, ac demum inusitatam hucusque, utique exempla tot aliarum Cathedralium testantur. Quod vero spectat ad ea damna, quae vitari aliter nequire autumant parochi quam per communicationem schedularum, id obtendi non posse capitulum respondet, quin gravis injuria innumeris Episcopis ac summis Pontificibus irrogetur, qui nunquam tot damnis occurrere sategissent, dum quidem tot in locis una cathedralis ecclesia baptisterium retinet, absque eo quod schedulas baptizatorum ad parochos transmittat. Nec satis: cuncta, quae ad fulciendam petitionem suam parochi objiciunt, singillatim refellere capitulum aggreditur.

Ad numerum puerorum, qui in paroeciis nascuntur, dignoscendum schedulis opus non est: nunquam enim hominum memoria in civitate accidit ut parentes occultarent liberos suos legitimos. Quoad illegitimos autem, ii absque parentum, plerumque ignotorum, nomine adnotantur, ideoque in una potius quam in altera paroeciae familia recenseri nequeunt. Inutiles item sunt schedulae pro status animarum confectione: hic enim „praescribitur ut testimonium praebeat de existentia, non autem de aetate personarum“, *Barufald. comment. ad rit. rom. edit. Ven. ann. 1763 pag. 246.* Pro collatione sacri chrismatis haud requiritur literaliter aetas annorum septem sed tempus quo natura atque effectus Sacramenti concipi animo possint: id vero parochiales libri neutiquam testari valent. Puellis dotandis nunquam omnino fidem suscepti baptismatis capitulum recusavit. Postremo defunctorum aetatem adnotari jubet rituale romanum „si sciri possit“; ideoque Monacellius in suo formulario modulam pro regestro mortuorum tradit iis verbis „aetatis suae annorum . . . . circiter etc.“ *tit. X. form. 10.* Ceterum si hunc in finem schedulae baptizatorum tradendae essent parochis, eodem jure has sibi vindicarent ecclesiae s. Augustini, s. Dominici ac s. Francisci, in quibus longe major quam in paroeciis numerus mortuorum sepeliri solet; quod nemo non videt quanto graviorem capitulo servitutem afferet. Neque est praetereundum, novem circiter ex decem populi partibus proletariis constare, queis nulla est stabilis mora, nulla habitatio sua, adeout de una in aliam paroeciam domumque quotidie commigrent. Quare, etsi schedulae parochis tradantur, imperfectus semper ac pluribus erroribus et defectibus obnoxius maneret animarum status.

Proponuntur post haec dubia:

I. An et quomodo sit annuendum petitioni parochorum pro erectione fontis baptismalis in casu?

Et quatenus negative:

II. An sit locus traditioni schedularum collati baptismatis in casu?

S. C. resp.

Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

19) In ecclesia cathedrali.

Vd. *Baptism.* (in ecclesia baptizandi privilegio donata p. 40; in ecclesia paroch.; ab Episcopo etc. Baptisterium in cathedrali.

20) In ecclesia parochiali.

Vd. *Baptism.* (jus baptizandi estne parochiale; minister-missionarius); *Baptisterium in eccles. paroch.*

Ferentina.

Postquam Dionysius Papa I. proprios cuique gregi constituit pastores, ut colligitur *ex can. I. quaest. 1.* et *cap. Pastoralis de iis, quae fiunt a Praelatis*, deferebantur reonati omnes ad civitatem, ubi Episcopus residebat suscipiendi baptismatis causa, *Catalan. in comment. ad Pontific. roman. tom. 2. tit. 1. de benedictione et impositione primi lapidis pro ecclesia aedificanda* § *1. num. 27*; deindeque pro majori fidelium commodo ad matricem cujusque loci ecclesiam, quae una baptismalem habebat fontem, *Thomasin. de vet. et nov. eccles. disciplin. part. 1. lib. 21. num 8., Panvin. in opusc. de septem Urb. eccles.* Atque hinc orta fuit distinctio inter ecclesias baptismales et simplices parochiales, quam Tridentina synodus in *sess. 24. cap. 13. de reform.* sarctam tectamque servavit, secundum *Reclus. de re paroch. tom. 1. tit. 3.* et *Rota coram clar. mem. Crescent. decis. 263. num. 24.*

Die 18. Mart. 1797.

Aesina.

Soli primum Episcopi baptismum conferebant in ecclesiis cathedralibus. *Jo. Dartis ad Gratian. decret. part. 3. de consecra'. dict. 4.* § *Sed non erat*, et *Marten. de antiq. eccles. ritib. lib. 11. part. 11;* sed aucto deinde fidelium numero constituti fuerunt in aliis parochialibus fontes baptismales ac tamquam vicarii et coadjutores Episcopi sacramentum administrare coeperunt eorum rectores, *Abb. in cap. fin. de offic. archipresbyt.* et *Fagnan. in lib. 4. decretal. cap. Literae de matrim. contrah. num. 18.* Ita profecto evenit Aesii. Nam ad sacculum decimum sextum unus in Cathedrali ad Aesinorum omnium regenerationem fuit fons baptismalis, sed paullo post sac. Concilium Tridentinum aliae per Aesinum Episcopum Gabrielem a Monte institutae fuerunt suburbanae parochiae, nimirum sanctae Mariae del Piano, s. Luciae et s. Mariae in Tebano, quarum una dumtaxat ob ejus propinquitatem civitati et Cathedrali donata non fuit fonte.

Die 15. Julii 1797.

Minister baptismi ordinarius ex officio et solemniter administrandi cum solitis ecclesiae caeremoniis est Papa in toto orbe, Epi-

scopus in sua dioecesi et parochus in sua parochia vel alius sacerdos ab ipsis delegatus. *Clemens I. epist. 3. Conc. Florent. in decreto Unionis; Concil. Mediolanense I. part. 2. tit. de baptismo; Constit. apost. lib. 3. cap. 11, cap. Constat. 19. de consecr. dist. 4.* Et ratio est, quia administratio baptismi ex officio est actus pastoris et per consequens requirit in administrante jurisdictionem ordinariam vel delegatam, quam jurisdictionem ordinariam habet Papa in totum orbem, Episcopus in suam dioecesim et parochus in suam parochiam; et jurisdictionem delegatam habent alii sacerdotes juxta amplitudinem suae commissionis et delegationis.

Sacerdotes sive parochi alienae parochiae baptizantes alienum subditum sine licentia proprii parochi vel Episcopi extra casum necessitatis peccant mortaliter et puniri revere possunt, quia in re gravi sibi usurpant jurisdictionem alienam contra dispositionem Concil. Trident. *sess. 24. c. 13*, ubi praecipiens Episcopis distinctionem populi in proprias certasque parochias sic ait: Unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat, a quo solo licite sacramenta suscipiant; et contra canonem: *Ecclesias caus. 13. q. 1.*, ubi Dionysius Papa ad Severum Episcopum sic scribit: Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias et coemeteria eis divisimus et unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiae terras, terminos aut jus invadat sed unusquisque suis terminis sit contentus. Ex quibus deducitur, ut quamvis Episcopus alteri sacerdoti etiam parocho invito facultatem baptizandi aliaque sacramenta ministrandi delegare possit, id tamen raro et nonnisi urgenti de causa faciendum est, ut decrevit Sac. Cong. Episc. et Regul. in *Tranen. 21. Augusti 1580, in Neapolitana 14. Decembris 1604.* et in *Thelesina 12. Januarii 1618.* Non tamen sacerdotes seu parochi alienum subditum sine licentia baptizantes incurrunt aliquam censuram et irregularitatem, cum nullibi reperiatur imposita haec poena censurarum vel irregularitatis, ut tenet *Barbosa de offic. et potestat. parochi part. 2. c. 18. n. 11, Suarez. tom. 3. in tertiam part. d. Thomae disp. 41. sect. 4. vers. Sed quaeres; Armilla verb.: Baptismus n. 39, Valentina, Bonacina* et alii passim.

Baptismus conferendus est a propriis respective parochis in propria parochia, non obstante contraria consuetudine. Sacra Congreg. Concilii 6. Febr. 1734, Rota in *Romana Juris baptizandi 14. Jun. 1533. cor. Samminiato apud Ursayam tom. 9. p. 1. discept. 32. sub num. 157. 158.*

Spoletana.

Explorata est regula, ut a proprio tantum parocho (excepto necessitatis casu) sacramentum baptismi debeat cuique ministrari, declarat s. Congregatio in *Fabrien.*) Fontis baptismalis et juris baptizandi 24. Maji 1732* §: *Sed*; nec nisi legitime inductam admitti posse consuetudinem, per quam alicui ecclesiae quaesitum fuerit jus abluendi piaculari aqua infantes etiam alteri parochiali ecclesiae subjectos, docent *Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloss. 6. num. 52* aliique, quos citat Emus. *Petra tom. 4. ad constit. 2. Gregorii XI. n. 35.*, ac ipsa tradit in ead. *Fabrianen.* §: *Ead. s. Congregatio.*

Die 28. Jan. 1832.

Neapolitana.

Pro Rev. P. Francisco de Hieronymo societatis Jesu et aliis contra promotorem fiscalem seu rev. D. Vicarium capitularem.

Dub. 1: *An edictum, de quo agitur, substineatur quoad casum baptismi jam sequuti?*

2. *An substineatur suspensio inflicta patri Franzisco de Hieronymo ab audiendis confessionibus personarum saecularium?*

Cum quatuor infideles maumethani mancipati triremibus regis catholici in civitate Neapoli vellent nostram fidem amplecti et sacro baptismatis lavacro regenerari, fuerunt instructi et cathechizati a P. Franzisco de Hieronymo societatis Jesu professo ac in dicta civitate et regno a multis annis indefesso missionario, et omnibus christianis virtutibus ornato, ut testantur Rmmus Archiepiscopus Iconiensis et alii quinquaginta probati viri, tandem ab eodem patre fuerunt conducti ad parochialem ecclesiam Castri Novi, ubi a parocho dictae ecclesiae fuerunt baptizati sub die 17. Junii proxime praeteriti.

Ex hoc actu putavit R. D. Vicarius capitularis fuisse laesum jus ecclesiae cathedralis et proinde publicavit edictum ac affigi mandavit sub die 23. dicti mensis, in quo narratis praetenso jure ecclesiae cathedralis faciendi hujusmodi baptisma adultorum ac etiam supradicto baptismo jam sequuto mandat omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus et laicis cujuscumque conditionis ne sub poena suspensionis, interdicti et excommunicationis respective ipso facto incurrendis audeant similia perpetrare extendendo eas poenas ad cooperantes, permittentes, fautores aut consultores, et quoad actum sequutum et consummatum generaliter declaravit incursos omnes praenominatos in praefatas poenas.

*) Vd *supra p. 41.*

Immo ex post dictus Vicarius deveniendo ad individua eumdem P. Franciscum de Hieronymo ab exercitio confessionum suspendit; unde habito recursu ad Emos Patres fuerunt datae literae pro informatione ad eumdem Vicarium, qui respondendo plura cumulavit contra dictum patrem de Hieronymo ad effectum substinendi edictum et suspensionem, quibus omnibus infra satisfaciam in facto et in jure et illorum insubsistentiam, saltem quoad casum praesentem, demonstrabo. Stante hac facti serie, omissa disputatione primae partis edicti quoad futura baptismata, uti concernente jus parochiale seu praescriptum ecclesiae Castri Novi, quodque in alia Congregatione defendent illi, ad quos spectat, fuerunt pro parte dicti P. Franzisci de Hieronymo data supradicta duo dubia negative resolvenda, stantibus nullitate et injustitia.

Si quidem quoad primum dubium certum est, quod dictus Vicarius capitularis pro culpa et offensa praeterita (si tale nomen iste actus meretur) non poterat promulgare sententiam excommunicationis, suspensionis et interdicti absque competenti monitione, *text. express. in cap. Romana 5 de sent. excommunication. in 6.* ibi: »Sed nec in specie nec in genere pro culpis et offensis praeteritis vel praesentibus excommunicationum sententias absque competenti monitione praemissa promulgent, et si contra praesumpserint, injustas noverint esse illas.«

Crescit injustitia quoad patrem de Hieronymo omnesque alios, quia ipse uti instructor spiritualis solum duxit dictos maumethanos ad ecclesiam parochialem Castri Novi et baptismum contulit parochus dictae ecclesiae; et esset ridiculum dicere, quod, si pater et consanguinei ducerent filium ad baptizandum extra parochialem, essent excommunicati, quando nec etiam baptizans solemniter infantem alicujus parochiae sine licentia proprii parochi, licet peccet mortaliter cum usurpet alienam jurisdictionem et munus, nullam incurrit excommunicationem vel irregularitatem, cum haec poena nullibi reperiatur expressa. *Barbosa de paroch. cap. 18. num. 11.*

Tanto magis quod dictus P. Franziscus de Hieronymo totum fecit bona fide, et bona fide factum non meretur aliquam poenam. *Caputaquen. decis. 82 n. 6. p. 1.*, et cum bona fides excusat a culpa, in consequentiam etiam excusat ab excommunicatione et censura, ut de communi testatur *Pignatell. consult. 16. n. 5. p. 1.* Bona fides est indubitata, dum in dicta ecclesia parochiali Castri Novi ab anno 1571 usque ad annum 1685 fuerunt sacro fonte baptismi abluti manmethani et Hebraei centum nonaginta octo et dictae functiones in totum sunt centum sexaginta octo, ut ex partitis extractis ex libris dictae parochiae Castri Novi legalizatis a R. P. Nuntio, nec ullus ex adverso datur actus contrarius; et quatenus daretur, non ex hoc causaretur mala fides in P. de Hieronymo ac in ullo alio, et de parochialitate ecclesiae Castri Novi in triremibus etiam quoad alia sacramenta est indubitatum per totam Darsenam, et nulla super hac fuit allata justificatio tamquam de notorio, et eo quia pater de Hieronymo non intendit disputare de juribus ecclesiae praedictae, prout quoque ex hoc capite fuerunt omissa privilegia Clementis VIII. et Leonis X., quibus ibi passim discurritur esse munitam, sed erunt partes parochi suo tempore hoc facere.

His in facto et in jure praemissis respondendum remanet motivis a Vicario capitulari in sua informatione deductis, quae sunt:

Primo, quod, cum pertineat ad solam cathedralem baptismus infidelium adultorum ex consuetudine immemorabili, edictis, synodis et statutis praedecessorum et ex rubrica ritualis romani, non poterat nec debebat in hoc pater de Hieronymo perturbare jus ecclesiae cathedralis et subvertere ejus pacificam possessionem.

Secundo, quod ad hunc effectum fuerunt factae processiones solemnes egredientes ab ecclesia SSmi Jesu ad illam Castri Novi per plateas et vias magis conspicuas et frequentes, praeeuntibus fratribus congregationum dictae domus professae, et comitante

caterva mancipiorum triremium cum eorum musicis instrumentis et cantu, sequente cruce, ante quam ibant baptizandi mixtis pueris more angelorum vestitis et adolescentulis delli Torchini cum eorum cottis ac instrumentis et cantu, et ob hoc fuisse contraventum publicis decretis de non faciendis processionibus a regularibus extra ambitum eorumdem ecclesiarum.

Tertio, quod totum factum fuit animo fundandi novam regaliam in dicto Castro sede vacante unitim cum capellano majore, a quo petierunt licentiam, dum die antecedenti Nuntius apostolicus denegaverat.

Quarto tandem, quod ad movendum omnem lapidem contra Cathedralem fuit habitus recursus ad regia tribunalia, et stante istorum rejectione habuerunt recursum Romam ad EE. VV. contra Cathedralem, ostendentes se ingratos uti immemores beneficiorum.

Sed generaliter posset omnibus responderi, quod gratis asserentur a Vicario, et quod illa non substituunt; tamen dictus pater de Hieronymo ad primum respondet quod nec ipse nec sua religio unquam habuit in animo intervertere jus cathedralis nec intervertere ejus possessionem nec alicujus jura fovere, sed solum secutus fuit antiquorum morem practicatam supra centum et decem annos, et est improprium dicere, quod dicti actus sint furtivi et clandestini, dum sunt tot et per tantum tempus et in civitate et coram praesulibus vigilantissimis, quando etiam plura baptismata facta fuerunt publice, ut ex fide congregationis della dei Banchi; quo vero ad constitutiones synodales non ostenduntur, et enunciatae de anno 1584 solum disponunt, quod addulti non baptizentur temere, sed sint bene instructi; aliae sunt ignotae et possunt dici tangere aliam jurisdictionem, non autem illam Castri Novi, quam non intendit ipse probare, cum ipse sequutus fuerit consuetudinem plusquam centenariam, quae sufficit etiam contra ecclesiam romanam. *Innocent. in cap. Ad audientiam 13. de praescrip.*

Ad secundum respondetur quod processio, de qua agitur, non fuit publica, cum talis modus incedendi sit in usu in dicta civitate quoad fratres congregationis et filiolos pietatis, ut ex attestationibus, et certum est, quod in associatione non intervenit ex sacerdotibus societatis nisi pater de Hieronymo, et sic non potuit esse processio, sed hic necessarium est dicere, quod, si dicta associatio fuisset facta ad Cathedralem, non diceretur hodie publica processio, et dictus pater de Hieronymo libentius accessisset ad Cathedralem, nisi contraria consuetudo plusquam centenaria contrarium non suasisset, et ipse nullum alium in hoc habuit finem, quam cum isto apparatu et quasi prophana solemnitate movere animum aliorum infidelium praesentium et caeterorum adstantium et intervenientium.

Ad tertium ignoramus ubi Vicarius fundet suam assertionem graviter injuriantem societatem, nempe de animo introducendi novam regaliam contra Cathedralem viduatam, cum horreat animus in solo auditu, sed solum fuit sequutus antiquum morem et consuetudinem plusquam centenariam.

Minusque est vero assertio, quod pater de Hieronymo petiit licentiam a capellano majore et quod antecedenter fuerat denegata a r. Nuntio, et ulterius ad magis convincendum ostenditur licentiam fuisse petitam a paracho, a suo capellano majore, ut ex attestione; a Nuutio non fuit petita licentia baptizandi in parochia Castri Novi, sed incidenter et ex se absque alicujus ordine a P. Cardino baptizandi sub asserto exemplo in ecclesia societatis, et fuit dictum quod daretur exemplum assertum, et quia non fuit datum, ita nec amplius discursum fuit, nec etiam concessa licentia, ut ex juribus.

Quoad quartum et ultimum, cum non exprimat Vicarius illos, qui habuerunt recursum ad regia tribunalia, non esset respondendum, sed ultra quod constanter negatur, est improbabilis assertio, quia utique regii non neglexissent jura regiae parochiae, et etiam quia edictum fuit affixum die 23. Junii et die 27. fuit habitus recursus ad s. Congregationem et sub die 7. habitum rescriptum, immo sub die 26. Junii r. Nuntius ex officio literas dederat ad SSmum D. N. Nisi tamen Vicarius intelligat pro recursu ad regios procurasse fide baptismatum habitorum in parochia Castri Novi ad effectum transmittendi cum aliis scripturis ad s. Congregationem, quod non potest dici recursus, sed parari defensiones.

Ex quibus sequitur pariter negativa resolutio ad secundum dubium, quia cum pater de Hieronymo in nihilo deliquerit nec in aliquo saltem temere seu sine bona fide laeserit praetensa jura Cathedralis, utique non poterat nec debebat privari facultate

audiendi confessiones personarum saecularium; ex qua suspensione et edicto Vicarii, non autem ex gestis per dictum patrem de Hieronymo orta sunt scandala maxima in civitate Neapolitana, ut est notorium. Quare ec.

(Anal. I. P. 1866. p. 1578. Ed. Romae.)

Neapolitana. *(Continuatio.)*

Dub.: An parochus ecclesiae metropolitanae ut parochus baptizare possit infideles conversos ad fidem et suae curae non subditos, seu filianos degentes in districtibus aliarum parochiarum?

Et quatenus negative:

An Archiepiscopo licitum sit eadem baptismata perpetuo vel frequènter delegare parocho ecclesiae cathedralis?

Emi ac Rmi DD. Praetentiones in praeinsertis quaesitis expositae patenter exorbitantes dignoscuntur distinguendo ecclesiam cathedralem seu metropolitanam, quamvis unam materialem, in duas formales seu spirituales, videlicet cathedralem et particulariter parochialem.

Quod enim una ecclesia materialis possit esse duplex formalis seu spiritualis habemus in Urbe, ubi ecclesiae patriarchales sunt cathedrales pro summo Pontifice cum Cardinalibus, et collegiatae pro Archipresbyteris cum Canonicis; extant etiam ecclesiae titulares simul et regulares, itidem regulares simul et parochiales. Eadem duplicitas notatur in *dec. unica de sepultur. in antiquis num. 3. lit. D. p. 435, in dec. 67. coram Verallo p. 1. p. 43; in dec. 225. num. 21. ad 24. p. 19. recent.* fuitque decisa per hanc s. Cong. Episcoporum in *Reatina sub die 7. Julii 1684*, quinimo specifice, quod eadem ecclesia materialis sit duplex formalis videlicet cathedralis pro Episcopo cum Canonicis et particulariter parochialis pro parocho praecisi districtus, tenuit haec s. Congregatio in *Tiburtina sub die 12. Maji 1685*, reprobans similes praetentiones parochi ecclesiae cathedralis, quem tale nuncupandum demonstrative, non specificative censuit, et habendum ac si particularis parochia instituta foret in particulari ecclesia extra cathedralem. Adest insuper decretum relatum a *Barbosa dec. apostol. collect. 556. num. 2.* ac notat *Lavor. elucubrat. tit. 2. cap. 11. num. 78.*

Hac distinctione praemissa et constito de particulari districtu parochiae in ecclesia metropolitana erecta, negative ad ambo quaesita respondendum est, ut suppliciter instamus.

Generaliter enim vetitum est parocho ecclesiae cathedralis, quia est parochus territorii particularis, ministrare sacramentum degentibus in districtu alterius parochiae vel extra suum particularem districtum, ut decrevit sacra Congregatio relata per *Barbosa collect. 556. num. 2*; rursus *de officio parochi cap. 19. num. 14;* etiam quoad Canonicos ecclesiae cathedralis in territorio alterius parochiae babitantes, ut firmat *Lap. alleg. 62. L. D*; *Lavor. elucubrat. tit 2. cap. 11. n. 77.* censuitque sac. Cong. in *Mantuana sub die 16. Martii 1680 super 4. quaesito;* in *Sarzanen. sub die 12. Maji 1685.* Nequit ergo parochus ecclesiae cathedralis licite alienos filianos baptizare, dum in propria illorum parochia extat fons baptismalis, ut de jure vetitum notat *Barbosa de officio parochi cap. 18. n. 7. ad 11* loquens de baptismo, *Bonac. de sacram. disput. 2. quaest. 2. num. 10. p. 45. t. 1.*

Quae ipsa est ratio ne liceat Archiepiscopo per generalem delegationem vel frequentes delegationes baptismata infidelium delegare parocho ecclesiae cathedralis cum praejudicio propriorum parochorum, ut decretum refert *Nicol. in floscul. verbo: Parochus num. 27;* quia debet unicuique tribuere jus suum a partialitatibus abstinendo.

Ad praetensam consuetudinem a parocho ecclesiae metropolitanae deductam faciles sunt responsiones:

1. Quod ipsum baptizasse alienos filianos non probatur attestatione sua de hac qualitate, cum nequeat esse actor et testis, ut in *dec. 160 et 324 num. 5. coram Coccino.*

2. Quod haec asserta baptismata non constito de scientia et patientia proprii parochi nihil valent nec ad simplicem possessionem manutenendam, ut abunde apud *Posth. observ. 40. num. 6. ad 18*, stante praesertim assistentia juris pro parocho proprio, quam deducimus sub §. *Generaliter enim.* Quod haec asserta baptismata constito de aliis factis a proprio parocho adultorum ad fidem conversorum nihil valent in praejudicium proprii parochi possidentis, nec indicium assertae consuetudinis important in *dec. 538. num. 25; dec. 742. num. 7.; dec. ultima num. ult. p. 18. recent.*

Ad praetensam reservationem pro ecclesia cathedrali factam facilis pariter est responsio,

eam intelligendam prout de jure, videlicet, pro ecclesia cathedrali ut tali, quatenus sedes Archiepiscopi est, ad praescriptum ritualis *de baptismo adultorum pag. 20.* praecipientis hujusmodi baptismum, si commode fieri potest, ad Episcopum deferri, ut ipse si voluerit baptizet, alias parochus utatur jure suo. Quod nihil prodest parocho Cathedralis habentis particularem districtum, nec importat, quod proprii parochi baptizare debeant jure delegato vel de licentia Episcopi, ut per se patet ac etiam diu comprobavit observantia interpretativa. Joannes Vincentius Russophilus.

(Ibid. *p. 1586.)*

Neapolitana. Continuatio.

Emmi ac Rmi. DD.

Pars adversa, ut parochum ecelesiae cathedralis ostenderet vicarium Archiepiscopi, attulit in hodierno summario literas patentes verificantes vicarium curatum ecclesiae cathedralis verum esse parochum particularis parochiae cum titulo collativo, videlicet, publico edicto affixo in concursu ad formam concilii, et eumdem titulum collativum patentius verificat decretum bo. me. Cardinalis Gesnaldi ut in no:tro summario impresso: „Parochorum titulos collativos erexit in ecclesia metropolitana s. Eligii etc.“

Nec dubitandum est de praefinitione territorii ac personarum: „Constituit et limitavit terminos, intra quos debeant parochi ministrare sacramenta commorantibus in iisdem confinibus.“

Ecce quod vicarius curatus ecclesiae cathedralis est parochus titulatus particularis, quales sunt omnes, non minister mercenarius pro Episcopo, ut apud *Fagnan. in l. constit.n. 24. de filiis presbyt. primi decret. p. 2. pag. 340 in C.*

Ad ostendendam vero assertam reservationem baptismorum pro ecclesia cathedrali dat pars adversa decretum Emmi Archiepiscopi sub die 26. Martii 1586, videlicet: „Il battesimo dei catecumeni non si faccia se non nella chiesa cattedrale in giornatta solenne con le solite ceremonie.“ Sed ultra responsionem alias datam, quod talis reservatio non loquens de vicario curato ecclesiae cathedralis nec de baptismo minus solemni reducto ad simplicem ritum presbyteralem intelligenda sit conformiter ad dispositionem ritualis romani, *pag. 20.* § *3.*, adhuc, si Emmus Archiepiscopus anno 1586 reservationem fecisset pro vicario curato in statu vicarii, quando cura residens in Archiepiscopo exercebatur per simplices vicarios mercenarios ejusdem, nec ullus extabat titulus collativus, postmodum anno 1597 talis reservatio novata et extincta fuisset per extinctionem vicariatus in statu simplicis ministerii mercenarii pro Archiepiscopo et erectionem tituli collativi parochorum, etiam in ecclesia cathedrali, cum praefinitione territorii et personarum, et executionem juris communis sacrique Concilii Trident. *sess. 24 de reformat. cap. 13 vers.*: *In iis quoque.* Mutato igitur statu curae per institutionem tituli collativi parochorum, ex tunc viguit regula juris in *can. 1. 13 q. 1,* s. Concilii *sess. 24 cap. 13* ac plurium doctorum, nec ab inde potuit Archiepiscopus quidquam decernere contra regulam juris et Concilii, prout nihil decrevit.

Eadem responsione confutatur objectum praetensae consuetudinis; nam ultra responsiones datas in scripturis impressis sat esset respondere, quod, si vicarius curatus ecclesiae cathedralis continuavit baptismos in exequutionem decreti facti anno 1586 postmodum anno 1597 novati seu sublati, nulla est consuetudo in continuatione, ut notat *Soccin. in L. si filius n. 7 ff. de liber. et posthum.*, quia nullus fuit animus consuetudinem inducendi ut legem non scriptam, sed tantum error in continuando exequutionem decreti extincti.

Nec subsistit opinio *Frances de cathed. eccles. cap. 21 infra n. 87*, ubi supposuit, quod parochus ecclesiae cathedralis baptizat jure proprio ipsius cathedralis; hoc enim suppositum Frances nec probavit ullo textu aut doctrina, nec probare potuit contra regulam et sac. Concilium Tridentinum; quinimo convincitur per suam ipsius doctrinam sub n. 66, ubi distinxerat duplicem usum ecclesiae cathedralis pro Episcopo, et ut particulariter parochialis pro parocho particularis dictrictus, ac si duae forent ecclesiae materiales duoque fontes baptismales, alias posset parochus in ecclesia cathedrali ministrare omnia sacramenta omnibus dioecesanis, quod ut contrarium sacro Concilio improbavit SSmus die 7. Februarii 1682, atque ideo argumentum, quod nimis probaret, nihil probat, ut in *dec. 440 n. 4. p. 13 rec.*

Et quidem ad sensum partis adversae parochus titulatus in Cathedrali esset tertium quid cummulative medium inter Episcopum et parochum domiciliarem, contra sacrum Concilium taxative loquens de parocho videlicet: *A quo solo sacramenta suscipiant,* et contra rituale loquens de parocho post Episcopum praeceptive: *Parochus ipse baptizet.* — Joannes Vincentius Russophilus.

(Ibid. p. 1587.)

Neapolitana.

Praetendente parocho seu vicario curato ecclesiae metropolitanae sibi competere jus baptizandi per se vel per alios ab ipso delegandos infideles ad fidem conversos privative quoad parochos parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt, iidem parochi recursum habuerunt ad hanc s. Congregationem pro quaestionis resolutione.

Vicarius tunc temporis generalis auditus plura retulit favore dicti vicarii curati, ut ex ejus relatione per manus circumferenda, qua perpensa simul cum caeteris per informantes deducendis decernendum est:

An jus baptizandi dictos infideles ad fidem conversos competat vicario curato ecclesiae metropolitanae vel potius parochis parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt?

Sacra Congregatio rescripsit: Iterum proponatur. Die 6. Septembris 1687.

(Ibid. p. 1589.)

Neapolitana. Continuatio. — Cum ob suffragiorum discordiam jussum fuerit in anteacta Congregatione causam hanc iterum proponi, dignabuntur Emmi PP. in praesenti decernere:

An jus baptizandi infideles ad fidem conversos competat vicario curato ecclesiae metropolitanae vel potius parochis parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt?

Sacra Congregatio rescripsit: Spectare ad parochos domicilii servata forma ritualis romani.

Die 22. Septembris 1687.

(Ibid. p. 1589.)

Neapolitana. Continuatio. — Pro DD. parochis habentibus fontem baptismalen contra vicarium curatum ecclesiae metropolitanae. Altera facti et juris pro confirmatione decreti.

An sit standum in decretis?

Emmi ac Rmi DD. censuerunt die 27. Septembris proxime lapsi: Prout ab hac sacra Congregatione decretum baptismos adultorum pertinere ad parochos domicilii, rejecta praetensione parochi ecclesiae cathedralis. Et hodie id ipsum decretum confirmari suppliciter instamus.

Est enim certum et non controvertitur, jus administrandi sacramenta pertinere ad parochos domicilii privative quoad omnes, ut est lex in *can. 1. 13. quaest. 1* et sancitur in Concilio Tridentino *sess. 24. de reform. cap. 13.* videlicet: Peculiarem parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant, ut etiam specifice de baptismo tenent *Bonac. de sacram. disp. 2 q. 2 punct. 5. n. 10 pag. 45 tom. 1, Barbos. de paroch. cap. 18 n. 7, Frances de cathedralibus eccles. cap. 21 ad num. 82,* ac magis specifice de baptismo adultorum (qui sunt termini nostri) glossa interpretans *can.: Nec numerus 10 quaest. 3 sub verbo: Aut in electa.* Optime Cardinalis *Turrecremata tom. 2 fol. 175* ad eumdem *can.*: *Nec numerus*: »Caeterum illud nota quod si pagani vel judaei habent domicilium in parochia mea, non sunt suscipiendi ad baptismum in alia parochia.« *Praepositus* 2. pag. decreti ad eumdem *can.: Nec numerus n. 2 fol. 200, Archidiac. ibidem num. 2, Bellamera in decret. causa 10. quaest. 3* §. *Nec numerus, versic. in glossa, Germonius ibidem vers. Sed illico nota, fol. 285.*

Certum pariter est nec controvertitur, quod parochus ecclesiae cathedralis non est parochus dioecesis vel civitatis, sed particularis districtus, quem Neapoli distincte descriptum assignavit bo. me. Card. Gesualdus Archiepiscopus anno 1597, ut authentice apud D. Secretarium; atque ita patet, quod hic parochus non potest licite sacramenta ministrare in alio districtu aut parochianis alterius parochiae, obsistentibus legibus hic allegatis, sed tantum potest ministrare in suo districtu suisque parochianis, ut extat *decretum bo. me. Card. Gesualdi.* Atque contra parochum ecclesiae cathedralis decrevit sacra Congregatio relatum per *Barbos. decis. apost. collect. 556 num. 2,* per *Gavantum in manuali Episcop. verbo: Parochorum munera, in additione num. 2.* et distinguendo ecclesiam cathedralem, quatenus est sedes Episcopi, ab eadem ecclesia, quatenus est sedes parochi particularis, comprobat *Frances de cathedral. eccles. cap. 21. num. 66.* Tenuit quoque s. Congregatio in *Tiburtina sub die 12. Maji 1685,* non secus ac si duae forent ecclesiae materiales separatae, cathedralis et parochialis.

Unicum objectum, quod parochus in Cathedrali existens saltem jure delegato per Episcopum sive ut habens delegata jura ecclesiae cathedralis possit licite baptismum conferre alienis parochianis, facile refellitur decreto Card. Gesualdi limitativo juris parochialis in ecclesia cathedrali quoad particulares personas in eo contentas. De jure pariter improbatur talis praetensa delegatio super parochianis ecclesiarum parochialium habentium fontem baptismalem, erga quos licitum non est Episcopo delegare baptismos, nec in ecclesia cathedrali, praesertim presbyteris aequalibus proprio parocho in ordine presbyteratus, ut authoritate sac. Concilii Tridentini decrevit s. Congregatio Episcoporum decreto relato per *Nicol. in flosculis verbo: Parochus num. 27*; nec matrimonia licite potest Episcopus delegare, ut ibidem, neque functiones solemnes in choro celebrandas, etsi ad Episcopum pertineant, ut apud *Barbos. dec. apost. collect. 253 infra num. 19, collect. 391. num. 2, Juris ecclesiastici lib. 1. cap. 24. num. 46. de Canonic. cap. 5. num. pariter 46*; tenuitque sac. Cong. Rituum in *Baren.* ad relationem D. Card. Azzolini sub die 6. Maji 1679 perpetuum silentium desuper imponendo: quibus decretis ita praevalentibus nihil valet opinio cujusque doctoris in contrarium, quia nefas foret particularem doctorem opponere oraculis sac. Congregationis immo et s. Concilii Tridentini.

Praevalet insuper ratio potissima, nam delegare, quod alteri debetur jure proprio, injuria est, non committenda per Episcopos, qui dati sunt ad jura singulis servanda, ut specifice praetensam delegationem in parochos Lateranen. ac Vatican. quoad communionem in Paschate improbavit SSmus D. N. Innocentius XI. die 5. Februarii 1682 praesentibus D. D. Card. Carpineo et de Angelis tunc Vicesgerente cum omnibus parochis, derogavitque consuetudini etiam immemorabili, privilegiis et decretis ss. Congregationum, ut refert *Pignatellus consult. 89. num. 17. tom. 7.*

Nec parocho cathedralis prodest sed obest rituale romanum *pag. 20. §. 3.* quia praeceptive loquitur: Adultorum baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut si placuerit solemnius ab eo conferatur, alioquin parochus ipse baptizet statuta caeremonia. Ecce literalem legem ritualis distincte mandantis quod requiratur Episcopus: an baptizare velit adultos ritu solemniori, videlicet pontificali praescripto.

Nec rituale dicit, quod Episcopus deleget vel delegatus Episcopi baptizet ritu presbyterali, quia talem injuriam proprio parocho facere noluit, atque ita rituale conformatur cum dispositione juris communis, qua baptismus adultorum pertinet ad parochum domicilii. Viget quoque notissima observantia juris communis et ritualis in Urbe omnium ecclesiarum magistra, nam baptismi pontificaliter et ita solemnius conferuntur adultis per eminentissimum Vicarium vel Vicesgerentem, nunquam tamen ritu presbyterali per vicarium curatum Lateranensem, nec ut delegatum, neque per alium similem presbyterum, excluso proprio parocho, ut ex certa scientia testificari possunt Emi DD. mei Carpineus et de Angelis. Quae observantia in facto et non facto praevaleret interpretationi de jure meliori, si opus foret, ut in *dec. 520. num. 11. ad 15. p. 1, dec. 5. num. 17. ad 20. p. 14, dec. 21. num. 15. p. 19.*

Deduxit novissime vicarius curatus ecclesiae cathedralis praetensam consuetudinem seu praescriptionem de baptismis adultorum; sed nullatenus consuetudo seu praescriptio subsistit.

Quatenus enim deducuntur testimonia extrajudicialiter emendicata, nihil valent ad consuetudinem vel praescriptionem verificandam, ut dixit *Rota dec. 1014 coram Coccino 331. n. 11. p. 16. recent.*

Quatenus deducuntur mille baptismi adultorum notati apud congregationem doctrinae christianae ab anno 1597 ad 1687, nihil ex adverso probatur, quia partitae hujusmodi baptismorum non specificant adultos alienae parochiae a Cathedrali, quamvis dicant eos baptizatos in Cathedrali; estque regula, quod consuetudo vel praescriptio probetur tantum actibus certis et specificis seu specifice conformibus ad terminos controversos, ut in *decis. 379. num. 23. coram Priolo 355. n. 5. pag. 14, decis. 96. num. 20. cum seq. 188. num. 30. 208. num. 16. 279. num. 7. p. 7. recent.*

Quatenus quoque deducuntur ducenti baptismi administrati extra ecclesiam cathedralem de licentia vicarii generalis Neapolitani vel Prioris ejusdem congregationis, non probatur delegatio, sed tantum licentia necessaria quoad capacitatem adultorum, qui

fide christiana instruuntur apud congregationem doctrinae christianae suntque incapaces baptismi donec constet ipsos fuisse sufficienter instructos. Ideo patet nihil probare hujusmodi actus non specificantes praetensam delegationem in proprios parochos baptizatorum.

Praeterea nullibi constat de scientia et patientia parochorum, quod baptismi non solemnes ministrarentur in ecclesia cathedrali a vicario curato; estque certum sine scientia et patentia ejus, cujus interest, nullam induci consuetudinem vel praescriptionem, ut notat *Spada cons. 42. num. 11. tom. 2, Rot. decis. 19. num. 12. cum. seq. coram Buratt. 266. num. 25 p. 15. dec. 340. num. 21. p. 19.*

Ulterius constat de baptismis adultorum per proprios parochos domiciliares collatis; quibus impedita est omnis consuetudo vel praescriptio in contrarium, ut apud *Rotam decis. 288. num. 5. coram Pamphilio 114, num. ult. coram Carillo 232. infra num. 8. coram Celso 566. num. 21. cum sequ. coram Card. Cerro 206. num. 17. p. 16, decis. 208. num. 15. 279. infra num. 8. p. 17, decis. 538. num. 25. 742. num. 7, decis. 820. num. ult. part. 18.*

Quinimo sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 13. de reformat.* improbat consuetudines etiam immemorabiles, pro alienis parochis quoad omnia sacramenta, praesertim in civitatibus aut locis, ubi parochiae sunt distinctae, prout in Urbe improbavit SSmus D. N. die 5. Februarii 1682.

Neque relevant praetensae attestationes, quas importunis requisitionibus pars adversa extorsit a manu aliquot parochorum, quia sunt acquivocae ac recta datur interpretatio ad terminos ritualis per eosdem parochos, ut de jure licitum dixit *Rota decis. 282. num. 11 coram Phamphilio decis. 63. num. 5. p. 17. per text in c.: Si quis intentione 66 cum glossa*, et *Bartolom. num. de judic.*; immo rectoribus ecclesiarum agentibus pro ecclesiis licitum est improbare factum proprium etiam juratum, ut in *decis. 490. num. ult. coram Merlin 313. num. 10. p. 13.* Sed insuper constat de vano labore in emendicandis vel extorquendis attestationibus, dum generaliter sac. Concilium Tridentinum improbat consuetudinem immemorabilem pro alieno parocho in omnibus sacramentis.

Joannes Vincentius Russophilus. Nicolaus Clausus.

(Ibid. *p. 1590.*)

Neapolitana Continuatio.

Adversus resolutionem, quae in secunda hujus causae propositione capta fuit sub die 27. Septembris proximi praeteriti*) informantes pro vicario curato ecclesiae metropolitanae plura cumulant, tam in facto quam in jure, quibus perpensis Emi PP. non gravabuntur decernere:

An sit standum vel recedendum a decisis?

Sacra Congregatio respondit: In decisis.
Die 21. Februarii 1688.
(Ibid. p. 1593.)

Continuatio.

Postquam sacra Congregatio sub die 27. Septembris 1687 et 21. Februarii currentis anni decreverat, jus baptizandi infideles ad fidem conversos spectare ad parochum domicilii baptizandorum servata forma ritualis romani, Prior archiconfraternitatis doctrinae christianae et vicarius curatus ecclesiae metropolitanae oblatis Vicario generali Emi Archiepiscopi precibus sequens rescriptum seu decretum ab eodem obtinuerunt: Rev. parochi civitatis et dioecesis Neapolitanae non audeant in futurum baptizare infideles nisi prius petita licentia obtentaque attestatione a Canonico Priore generali archiconfraternitatis doctrinae christianae nostrae Cathedralis, an sufficienter sint instructi catechismo catholico et an sint capaces dicti sacramenti, quae attestatio super utraque qualitate fiat jurata et in scriptis, sub poena suspensionis.

Hinc parochi caeterarum ecclesiarum civitatis et dioecesis opinantur tali modo elusa esse decreta sacrae Congregationis, sed nihilo addito vel detracto adamussim servanda. Unde utraque parte informante resolvendum proponitur:

An supradictum rescriptum seu decretum Vicarii generalis Neapolitani sit servandum?
Sacra Congregatio respondit: Ad mentem. Mens est, quod deleantur a decreto Vicarii illa tantum verba: »petita licentia.«

Die 28. Augusti 1688.

*) Vd. *p. 51.*

21) In ecclesiis Regularium.

Vd. *p. 40. n. 18.*

Innocentius PP. II. Joanni Abbati s. Salvatoris Papiens. dioecesis.

In ecclesiis ad ipsum monasterium pertinentibus baptismum celebrare permittimus, in quibus videlicet usque ad haec tempora constat esse celebratum.

Die 3. Junii 1133.

(Bull. r. t. II. p. 387. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Eugenius PP. III. Oberto Abbati Papien. dioeces.

In ecclesia sancti Anastasii Olonae et in ecclesia sancti Salvatoris Monticelli baptismum apostolica auctoritate concedimus et in aliis ecclesiis eidem monasterio pertinentibus, in quibus usque ad haec tempora constat esse celebratum.

Die 24. Apr. 1145.

(Ibid. p. 511.)

22) Extra ecclesiam.

Vd. ***Baptism.** in domo p. 39.*

Episcopus non concedat facultatem baptizandi extra ecclesiam excepto casu necessitatis. S. R. C. 7. die 16. Julii 1757.

23) Ab Episcopo olim conferebatur in Cathedrali.

Vd. ***Baptismus*** (in ecclesia paroch. p. 45; in ecclesia baptizandi privilegio etc. p. 40)

Caesenaten.

Certum est, quod in ecclesiastica antiquitate soli Episcopi baptisma primum conferebant in solis ecclesiis cathedralibus, veluti post alios observarunt *Jo. Dartis ad Gratian. decret. part. 3. de consecr. dist. 4. §. Sed non erat pag. 314.*, et *Marten. de ant. eccles. ritib. lib. 1. p. 11.* Sed aucto numero eorum, qui baptisma suscipiebant, in ecclesiis parochialibus, quae discretae fuerunt a Cathedralibus, fontes baptismales constituti sunt et parochi tamquam Episcopi Vicarii et coadjutores *(Fagnan. in lib. 4. decretal. cap. literae quas de matrim. contrah. num. 18*, et *Abb. in cap. fin. de offic. Archipresb.)* hujus sacramenti ministri esse coeperunt, interdicto aliis ecclesiis jure habendi fontem, sive filialibus sive intra ambitum parochialibus existentibus, itaut collatio baptismatis nunc inter parochialia jura censeatur, eaque non in aliena parochia nec ab alieno sed a proprio parocho et in sua parochiali ecclesia administrari debet, ut suas agnoscat oves, quae per baptismi sacramentum in gregem Christi Domini cooptantur, ut solide advertit *Rota in Romana Juris baptizandi 12. Januarii 1733. fere per tot. cor. bo. mem. Saminiato.*

Die 15. Jan. 1780.

24) Filiorum.

Vd. ***Baptism. infantium.***

25) Forma.

a) Conditionata.

Vd. *Baptism.* (sub condit. iterandus, decret. *Constantien* §. *Baptismi forma* etc. p. 11.; sub conditione non iterandus p. 25.)

b) Corrupta.

Vd. ***Baptismus*** (Probatio, decr. ***Fesulana***; sub conditione iterandus p. 8. non iterandus decr.: *Santandrien*; p. 28; forma non valida.)

Geneten.

In decreto Genetensi S. C. Episcopo mandaverat: »ut suae dioecesis obstetrices de recte proferenda baptismi forma in casu necessitatis praevio examine curet edoceri eisque hujusmodi exercitium inhibeat, nisi circa eandem formam optime instructae ac approbatae fuerint.« — Causa erat, quod mulier hanc adhibuerit formam: *Mi te abbattezzo in nome del Patre e del Filiuolo-dello Spirito santo*, qua valide caeteroquin, baptismum collatum esse S. C. resolvit.

Die 12. Maji 1753.

Fesulana.*)

Interrogata Cajetana Vinci obstetrix de verbis recitatis in abluendo puero respondit: „Mi ricordo che dissi: Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliolo e dello Spirito santo. Dominicus vero Milanesi pater idem confirmat: Mi ricordo che disse (scilicet obstetrix): Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliolo, e dello Spirito santo, Amen: „nè posso asserire con certezza, se ella proferisse la proposizione, *In*; perchè ero attento all assistenza della mia Moglie nè c' abbadavo.“ Discrepat ab his Julia Milanesi quae ait: „Da me interrogata almen tre volte la d. Gaetena Vinci, come proferisse le parole nel battezare, mi pare che rispondesse nel proferire tali parole: Jo ti battezo Padre, Figliuolo, Spirito santo, Amen.“ Cum tamen haec postrema nec certa sit de verbis, quibus eadem obstetrix formam protulit, nec certa sit de verbis quae eadem obstetrix postea se pronunciare respondit, retinenda sane videtur formula, in qua tum obstetrix tum Dominicus Milanesi pater conveniunt scilicet: „Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliuolo, e dello Spirito santo.“

*) Vd. ***Baptism.*** (probatio, decr. ***Fesulana.)***

Tria autem in hac formula deficiunt scilicet propositio *In*, quae conjuncta cum vocabulo *Nome* exprimit invocationem ss. Trinitatis, particula *E*, quae distinctionem personarum denotat, et tandem articulus *del*, qui ex nativa significatione vernaculi idiomatis Italiae determinat vocem: „Padre Figliuolo“ ad divinum Patrem et Filium. Invocatio autem ss. Trinitatis et distinctio personarum ab institutione divina proficiscitur, ut ad *Matthaei cap. XXVIII.* tradunt *Justinus Martyr.* in *apolog. I. pag. 80.*, s. *Cyprianus*, *epistol. 33. pag. 123.*, s. *Basilius de Spiritu sancto cap. 12. pag. 23.*, s. *Thomas in summa part. 3. quaestion. 66. artic. 3*; salvo itaque sensu morali et substantiali formae omitti non potest praepositio „In“, ut in terminis docet *Sotus in 4. distin. 3. quaest. 2.*, *Toletus lib. 2. cap. 19.*, *Reginaldus lib. 23. cap. I. num. 30.* Id quod magis retinendum videtur inter modernos Italos, apud quos non ex diversa vocum declinatione, ut inter Latinos obtinent, sed ab articulo vel, *segnacaso*, nomina determinantur. Deficiendo ergo praeposito „segnacaso“ insubsequens vocabulum „Nome“ nullum nec naturalem sensum habet. De particula vero „*E*“ tradit *Gabriel*, *Major*, *Reginaldus apud Dianam part. 2. tractat. 15.* et *Ferrar. in bibliotheca* vocab.: *Baptismus artic. 3.* num. 14. Cum vero in verbis formae aliquid omittitur vel variatur, unde penitus tollatur sensus moralis et substantialis formae sacramentalis, sive hoc temere fiat vel consulto sive ex errore vel ignorantia procedat, nunquam certe perficitur sacramentum ex doctrina *Angelici in 3. parte 60. artic. 7*, quam exornant *Sotus in 4. senten. distinct. in artic. 7*, *Natal. Alexand. in theolog. moral. lib. 2. de sacrament. in gen. cap. 3. reg. 7.*

Manente autem sensu substantiali cum baptismus collatus sit ab ea „quae in mente certe non habuit inducendi novum errorem“, ut testatum facit Episcopus, et ministratum sit sacramentum in ea regione, quae ortodoxae fidei semper studuit, tum exploratum est et ex dispositione juris et ex declarationibus hujus sac. Congregationis, quod perficiatur sacramentum nihilominus, quod collatum sit sub corrupta forma. Nam ex *can.*: *Retulerunt 16. de consecrat. distin. 4.* habetur, quod Pontifex Zacharias ratum validumque habuit baptisma: „In nomine Patria et Filia et Spiritua sancta“, quod contulit sacerdos errorem non introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam. Sacrae vero Congregationi propositum fuit in *Geneten. 12. Maji 1732* baptisma ministratum sub corrupta formula: „Mi t'abbattezzo in nome de Padre, e del Figliuolo, dello Spirito santo,“ quod tamquam collatum in regione non acatholica declaravit non esse reiterandum ne quidem sub conditione, quamvis in illa formula tum adhibita praeter vocabulum corruptum *Abbattezzo* deficeret particula „*E*“ ante *dello Spirito santo*, ad denotandam distinctionem divinarum personarum.

Quae sac. Congregationis declaratio in allegata *Geneten.* *) nos omni cura solvit quoad defectum particulae »*E*« ante *di Padre*, *di Figliuolo*, nam si haec particula necessaria est ad indicandam distinctionem divinarum personarum, ejus defectus esset attendendus magis cum requiritur ante: *dello Spirito santo*, cum nomen dello *Spirito santo*, ut Scholastici ajunt, per se non sit nationale, scilicet denotans processionem tertiae personae. Nomen enim Spiritus sancti competit tam Patri quam Filio. *Liguor: Lib. 6. tract. 2. cap. I. §. 3.* Ut igitur in forma baptismi distinctio fiat Spiritus sancti tamquam tertiae personae ss. Triadis, necessaria omnino videretur particula *E*, ne suspicari possit Spiritum sanctum invocatum fuisse tanquam Dei attributum aut qualitatem secundum Socinianorum haeresim. Nihilominus haec omnia censuit sac. Congregatio in illa *Ceneten.*, quod, licet deficeret particula *E* ante *dello Spirito santo*, attamen, cum collatum esset baptisma in regione non acatholica, perfectum rite esset sacramentum nec ullo modo reiterandum. Multo sane magis haec retinenda videntur casu proposito, in quo deficit particula *E* ante *di Padre, di Figliolo*, quae vocabula

*) Vd. *supra p. 54.*

sunt per se nationalia et propria et vi distinguunt duas diversas personas, cum Pater non possit esse simul Filius nec viceversa Filius simul Pater. Maxime cum ex communi loquendi usu, quoties plura nomina uni verbo junguntur, sufficit, ut praepositio *Et* praeponatur nltimo nomini, adeoque satis denotata videtur distinctio personarum in forma, de qua agitur: In nome di Padre, di Figliolo e dello Spirito santo.

Parum quoque sollicitos esse oportet, si in forma ab obstetrice adhibita loco articuli *del* pronunciatum sit *segnacaso di Padre*. Etenim ex rigore grammaticae interest multum inter *segnacaso* et articulum, quorum ille genus vel species, hic individuum indigitat adeoque exprimens *Di Padre* exprimitur Pater quicumque in genere, non divisus Pater, quem articulus *del* Padre determinaret. Verum baptismus collatus est a rudi muliercula, quae regulas grammaticales certe callere non poterat, sed quae probatam habet fidem. Quare tribuendum est proferentis ignorantiae, si dixit: *di Padre*, *di Figliolo*, et ex linguae ignoratione censetur incidere in quamdam accidentalem mutationem formae, per quam salvo sensu morali non videtur voluisse errorem aut haeresim introducere. Quibus in terminis aperta est dispositio allegati *can. Retulerunt*, ut validum sit baptisma, quod proferem ex ignoratione locutionis non haeresim introducens ut *in Nomina Patria et Filia etc.*, quae certe verba minus determinant divinum Patrem et Filium, quam illa: *di Padre*, *di Figliolo*, quae in casu proposito obstetrix pronunciavit.

Die 12. Sept. 1801.

Forosempronien.

Rectori ecclesiae s. Mariae Vallis, Forosempronien. dioeceseos, delatus fuit infans per mulierem rusticam domi baptizatus, sed jam vita functus, ut ecclesiasticae sepulturae traderetur. Examinata per rectorem muliere baptismatis administra cognovit hanc fuisse formam adhibitam italo idiomate: *Jo ti battezzo col nome del Padre*, *del Figliuolo e dello Spirito santo*. Audita forma rector ob ea verba *col nome* non modo pro nullitate baptismi sensum suum exposuit, sed illico infantile corpus extra locum sacrum humari jussit: nunc autem ab EE. VV. petit, num bene senserit ac recte se gesserit? Episcopus fuit rogatus, ut auditis sub formali examine parocho, obstetrice, parentibus infantis aliisque testibus de re instructis, referret praecise de forma adhibita in collatione baptismatis et an mulier baptizans recte sentiat de catholica religione utque votum suum panderet; ipse autem mox narratam facti seriem confirmavit ac addidit: Mulier vero baptizans relate ad fidem optime sentit, quinimo in simplicitate cordis credit et moribus optimis praedita est. Non incumbit autem in obstetriciam artem, quamvis suppleat defectum aliquando alterius feminae, quae ex professo artem illam profitetur. Quare dici nequit, mulierem praefata formula usam fuisse ad inducendum errorem, sed potius locutam esse tali modo solum ex ignorantia ac rusticitate innocenti.

Ut vero EE. VV. RR. dictis paream meam sententiam exposcentium censeo, baptismum hoc validum esse. In ipso enim exprimitur actus ablutionis per verba: *Jo ti battezzo* — exprimitur unitas divina per verbum *nomen*, exprimitur Trinitas personarum per verba *del Padre*, *del Figliolo e dello Spiritu santo*, quae omnia aperte patere debent in collatione baptismi. Neque obstat particulam *col* substitutam fuisse particulae *nel* quia haec variatio est mere accidentalis nec in substantiam redundat; quinimo saepissime in latino idiomate et in sacro etiam eloquio propositiones *in* et *cum* pro invicem indiscriminatim accipiuntur. Cumque haec particula ad inducendum errorem in ecclesia non sit variata, validum baptisma reputandum videtur. Communi doctorum sententia receptum est, mutationem idiomatis in forma baptismi esse tantum accidentalem neque ejusdem baptismi nullitatem secumferre: admonet imo cum aliis *la Croix* melius esse, ut mulieres caeterique rudes, si baptizent, utantur lingua materna, cum nesciant perfecte proferre latinam, *lib. 6. part. 1. de baptism. dub. 2. n. 268.* Cum autem ex Episcopi relatione compertum sit, mulierem sacramenti ministram, cum dixit *Jo ti battezzo col nome*, particulae mutationem nequaquam fecisse pravo animo aut inducendi causa errorem aliquem in ecclesia: credamus oportet, eam formam a praefata muliere adhibitam fuisse ex errore, uti theologi ajunt, materiali, nempe quia putaverit particulas *in* et *cum* una eademque significatione pollere.

Verum perticulam *in* esse de essentia in collatione baptismatis complures doctores affirmant, inter quos *Scotus in 4. distinct.*

3. 2., *Toletus lib. 2. cap. 19.*, *Reginaldus lib. 23. cap. 1. num. 30.* et alii plures, quia particula *in* cum verbo *nomine* significat invocationem sanctissimae Trinitatis, ut *Tournel. in prael. tom. 7. pag. 54.*; alia vero *cum* est copulativa et ministerii societatem significat. Unde sequitur, formam in casu adhibitam invalidam censeri debere, namque variatio formae substantialis, quae irritat sacramentum, habetur, quando verba vocalia sic mutantur, ut non maneat sensus a Christo Domino institutus ac determinatus tamquam necessarius. Parum vero prodesse videtur bona mulieris fides; in sacramentorum enim administratione forma necessaria requiritur, nec valide conferuntur, si forma etiam bona fide mutetur.

Responsionem tamen in *can. 86. dist. 4. de consecr.* habemus Pontificis Zachariae ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, qua validum dicitur baptisma sub hac forma collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria et Filia et Spiritua sancta*: et Pontifex assignans validitatis causam dicit, si ille, qui baptizavit, non errorem introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam ut supra baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.

Si serio formam illam consideremus, in verbo *patria* videtur adesse substantialis mutatio, quia pro patre nunquam accipitur patria, cum hac voce designetur regio, civitas, pagum, in quo quis ortum duxit. Verum ea mutatione non obstante validum baptismum declaravit Pontifex. Praeterea non mutatam substantialiter formam censuit, ideoque validum fuisse baptismum hisce verbis collatum: *Mi te abbatezzo in nome del Padre e del Figliuolo*, *dello Spirito santo*, respondit haec sac. Congregatio in *Geneten. 12. Maji 1753.**) Idem igitur dicendum videtur de baptismo, in quo conferendo particula *con* pro *in* ab obstetrice per ignorantiam fuit usurpata neque forma in substantialibus mutata.

Responsum addo, quod s. Congregatio universalis inquisitionis die 23. Maji 1720 in simillimo casu hisce verbis edidit: Lecto Memoriali N. N., quo proponit dubium; *An recte sint baptizati duo pueri sub hac forma*: *Jo ti battizzo col nome del Padre*, *del Figliolo e dello Spirito santo? et an sit reiterandum baptisma sub conditione?* Emi Domini decreverunt: Pueros, de quibus agitur, fuisse valide baptizatos ideoque non esse rebaptizandos neque sub conditione.

A validitate vel invaliditate collationis baptismi pendet omnino resolutio super re bene vel male gesta a rectore, qui sepulturam ecclesiasticam infanti denegavit.

Quamvis autem validum declaretur baptisma, ne tamen dubium in posterum oriatur, praecipue vero ne nova forma inducatur, videant EE. PP.: *An aliquo modo providendum sit in futurum?* S. Carolus Borromaeus in altero ex suis Mediolanensibus synodis praescripsit, ut obstetrix probata cum baptizabit curet quoad fieri potest ut duae saltem mulieres ac mater praesertim, si potest, testes praesentes adsint, quae in baptizando verba ab ea prolata audiant. Exemplum secutus Benedictus XIV., dum Bononiensem regebat ecclesiam, statuit, quod nulla mulier obstetriciam artem exercere valeret, nisi prius super idoneitate administrandi sacramentum baptismatis examinata et probata fuerit, prout videre est in VIII. ejus notificatione: haec autem Congregatio in citata *Geneten. 12. Maji 1753* Episcopo mandavit, ut suae dioecesis obstetrices de recte proferenda baptismi forma in casu necessitatis, praevio examine, curet edoceri eisque hujusmodi exercitium inhibeat nisi circa eamdem formam optime instructae ac approbatae fuerint ut in *regest. liter. anni 1753.* Animadvertendum vero mulierem, quae in casu baptizavit, non esse obstetricem, quamvis aliquando ejus vices gerat.

Dignentur itaque EE. VV. respondere, quae proponuntur, dubiis:

I. *An valida sit baptismi collatio in casu?*

II. *An recte se gesserit rector denegando infanti ecclesiasticam sepulturam in casu?*

III. *An et quomodo sit providendum quoad futurum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II.: Non esse reprehendendum in casu et nunc ab eo curandum, ut, si fieri potest, detur infanti ecclesiastica sepultura.

Ad III.: Detur decretum, ut in *Geneten.* 12. Maji 1753.

Die 24. Maji 1823.

Senen.

In Senensi et in finitimis dioecesibus nonnunquam accidit, ut obstetrices pueros periclitantes sacro regenerationis lavacro ablue-

*) Vd. *p. 54.*

rint hac adhibita forma: *Jo ti battezzo col nome del Padre, de Figliuolo e dello Spirito santo. Amen.* Ex hac baptismatis forma quidem haerere coeperunt de sacramenti validitate ac rem ad proprios detulerunt animarum curatores, quorum plerique validum existimantes collatum baptismum illum vel sub conditione reiterare detractarunt, nonnulli autem contrarium arbitrantes baptismum denuo conferendum censuerunt. Hac de causa se minus recte gessisse ac propter reiteratum baptisma irregularem evasisse dubitans Aloysius Papi olim rector paroeciae s. Christofori *a Vagliagli* Senarum consuluit Archiepiscopum. At prudens Antistes vestigiis sanctissimorum Praesulum inhaerens ac probe noscens, causas majores et difficiliores quaestiones, fidem aut disciplinam spectantes, perpetua ecclesiae consuetudine, ab Innocentio III. *in cap. Majores de baptismo* confirmata, deferendas esse ad apostolicam Sedem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis et fulcitur munimine auctoritatis, nihil sibi definiendum statuit ac summum adiit Pontificem Leonem XII. hac super re pontificium implorans oraculum.

Re huic sacro Ordini a sacratissimo Principe ablegata memoratum Archiepiscopum rogavi, ut referret, an mulieres baptizantes recte sentiant de catholica religione ita ut novum errorem inducere noluerint. Is vero responsum dedit: *E' fuori di ogni dubbio che non per poca religione nè per indurre un nuovo errore, ma per sola ignoranza le levatrici usarono la formula* col nome etc.

Quum baptismatis sacramentum characterem imprimat, infantes, etiamsi domi in casu necessitatis baptizati sint, nec sub conditione sunt denuo sacro lavacro tingendi, *nisi adsit probabile dubium invaliditatis baptismi,* ut respondit haec s. Congregatio *27. Martii 1683. apud Benedict. XIV. instit. eccl. 84. n. 7.*, secus et dans et accipiens irregulares evadunt, *cap. Ex literarum de apost. et reiter. baptis.*, s. Congreg. in *Sutrina Baptismi 12. Julii 1794. §. Tunc.**) In praesenti igitur casu perpendere oportet, an ob immutatam baptismi formam probabile subsit dubium de sacramenti validitate.

Jam vero ea est moralis et substantialis formae corruptio, quae significationem destruit ac sensum tollit ab ecclesia intentum, ita ut vel unius vocis in aliam mutatio, sive

*) Vd. *p. 22.*

id temere fiat sive consulto, si idem sensus secundum communem existimationem integer non maneat, corruptionem secumferat, *Drouvoen. lib. 1. de sacram. in gen. cap. 1. §. 6. quaest. 3.*, *Sotus in 4. dist. 1. q. 1. art. 8.*, *Bellarm. de sacram. in gen. lib. 1. cap. 21*, *s. Congreg. in Fesulana 12. Septembris 1801. §. Tria.**) Sane corruptio formae, quam in conferendo baptismate pluries contigisse affirmat Senarum Archiepiscopus, substantialis fuisse videtur. Etenim invocatio ss. Trinitatis in collatione baptismi ab institutione divina proficiscitur juxta illud *Matth. cap. 18.*: *Euntes in mundum universum docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti:* praepositio autem illa *In* conjuncta cum vocabulo *nomine* exprimit invocationem ss. Trinitatis et unitatem divinae naturae. Hinc praepositionem *In* ad essentiam formae pertinere scribunt plures, quos inter *Scotus in 4. dist. 3*, *Natal. Alex. theol. dogm. moral. de sacram. bapt. cap. 1. art. 3. reg. 11.*, *B. Ligor. de baptismo dub. 2. n. 112.* Cum igitur in themate loco vocis *In* adhibita fuerit praepositio *Cum*, quae vim habet conjunctionis, instrumenti, societatis, saltem probabile dubium occurrere videtur super validitate baptismatis, ideoque sub conditione foret reiterandum.

Attamen ejusdem vocis mutationem haud secumferre substantialem formae corruptionem facile intelligitur, si animadvertatur, omissionem praepositionis *In* et subrogationem vocis *Col* minime sensum moralem destruere aut invocationem tollere ss. Trinitatis. Substantialis quidem haberetur formae mutatio, si reticito verbo *nome*, quod unitatem naturae in tribus divinis personis significat, *cap. Eodem modo 81. de consecr. dist. 4.*, *s. Augustinus lib. 2. contra Maximum cap. 23.*, *s. Thomas 3. part. sum. quaest. 66. art. 5. ad 6.*, baptismus conferretur his verbis: *Jo ti battezzo col Padre, col Figlio e collo Spirito santo*, quia corrumperetur forma divinitus instituta, *Natal. Alexander loc. cit. reg. 14.*, *B. Ligorius loc. cit. n. 108.* Cum vero in themate praepositio tantum *In* omissa fuerit, ei suffecta voce *Col*, patet expressam fuisse nedum unitatem naturae, sed etiam invocationem divinarum personarum. Quae igitur obtigit mutatio, accidentalis est judicanda nullumque suppeditat probabile dubium, quod suadeat baptisma esse denuo conferendum; si quidem accidentalis mutatio irritum non reddit sacramentum, nisi, uti monet angelicus doctor *3. part. quaest. 60. art. 8*, aliquis formam sic mutando *intendat alium ritum inducere, qui non sit ab ecclesia receptus, quia non videtur, quod intendat facere, quod facit ecclesia.* At vero tam longe abfuit in praesenti casu animus novum inducendi ritum, ut Archiepiscopus certos nos reddat, obstetrices formam immutasse *per sola ignoranza.*

*) Vd. *p. 55.*

Qua ex re baptismus ab obstetricibus sub illa forma ex ignorantia collatus ne sub conditione quidem est reiterandus. Etenim s. Congregatio supremae inquisitionis die 23. Maji 1720. in simillimo casu edidit hoc decretum: *Lecto memoriali N. N., quo proponit dubium: An recte sint baptizati duo pueri sub hac forma:* »Jo ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito santo,« *et an sit reiterandum baptisma sub conditione? Emi Domini decreverunt: pueros, de quibus agitur, fuisse valide baptizatos ideoque non esse rebaptizandos neque sub conditione.* Similiter haec s. Congregatio in *Forosempronien.*) Baptismi 24. Maji 1823.* rogata: *An esset validum baptisma a quadam muliere ex ignorantia ac rusticitate hisce verbis collatum: »Jo ti battezzo col nome del Padre, del Figliolo e dello Spirito santo?* responsum dedit: *Affirmative.* Ne tamen in posterum propter obstetricum ignorantiam nova baptismi induceretur forma et dubia orirentur, addidit: *Detur decretum ut in Geneten.**) 12. Maji 1753.*, quo decreto mandavit Episcopo, *ut suae dioecesis obstetrices de recte proferenda baptismi forma in casu necessitatis praevio examine curet edoceri eisque hujusmodi exercitium inhibeat, nisi circa eamdem formam optime instructae ac approbatae fuerint.*

Restat nunc, ut sermo instituatur: An sacerdos Papi in irregularitatem inciderit. Profecto jam supra innui ac tradit Benedictus XIV. *instit. eccl. 84. num. 9.*, irregularem evadere, qui sine probabili dubio invaliditatis primi baptismatis puerum sacro regenerationis lavacro denuo tingit, etiamsi conditionem adhibeat. Probabile, imo grave super validitatis primi baptismatis extitisse dubium, adeo persuasum erat sacerdoti Papi, ut baptismum illico reiterandum censuerit.

*) Vd. *supra p. 56.*
**) Vd. *supra p. 54.*

Et sane ipsum latebat Congregationem universalis Inquisitionis et hunc sacrum Ordinem alias validum declarasse baptismum sub illa forma collatum; Vignerius et alter ex theologis formam illam *col nome* expendendam suscipiunt atque isti irritum arbitrantur baptisma illis verbis collatum. Praeterea adversa infantis valetudo non sinebat, ut reiteratio baptismi protraheretur, et revera *dopo qualche giorno*, ait Archiepiscopus, *la creatura cessò di vivere.* Verum non apparet infantis infirmitatem adeo gravem fuisse, ut tempus non suppeteret consulendi Archiepiscopum vel saltem viciniores parochos, antequam reiterationem baptismi aggrederetur.

Itaque Emi Patres definire dignentur:

I. *An sit validus baptismus ex ignorantia collatus sub hac forma »Jo ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito santo« in casu?*

II. *An et quomodo sit providendum quoad futurum in casu?*

III. *An sacerdos Aloysius Papi in irregularitatem inciderit, ita ut sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Detur decretum in Geneten. 12. Maji 1753.

Ad III. Consulendum SSmo pro dispensatione ad cautelam.

Die 16. Aug. 1828.

c) Dubia.

Formae dubiae sunt:

I, Si dicatur: »Ego te baptizo in virtute Patris et Filii et Spiritus sancti.«

II. Si dicatur: »Ego te baptizo in Patre et Filio et Spiritu sancto,« vel in uno Deo Patre, Filio et Spiritu sancto.«

III. Si dicatur: »Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti et Procedentis ab utroque,« vel »In nomine Ingeniti, Geniti et Doni,« vel »In nomine Creatoris, Redemptoris et Sanctificatoris,« vel »In nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni,« vel »In nomine primae, secundae et tertiae personae ss. Trinitatis.«

IV. Si dicatur: »Ego te baptizo in nomine Filii et Patris et Spiritus sancti,« vel »In nomine Spiritus sancti et Patris et Filii,« vel »In nomine Filii et Spiritus sancti et Patris.«

V. Si dicatur: »Ego Patris baptizo te in nomine et Filii et Spiritus sancti.«

VI. Si dicatur: »Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus,« omittendo *sancti*.

VII. Si dicatur: »Ego te baptizo nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,« omittendo: *In*. Unde baptizati in istis et similibus formis dubiis debent iterum rebaptizari sub conditione, dicendo v. g.: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, *textu expresso cap. De quibus dubium 2. de baptismo et ejus effectu.*

26) Ab Haereticis et Criminosis collatus.

Vd. *Bapt. reiteratio* (quando facienda, decr. Leonis I. n. 2. diei 24. Oct. 451.); *Bapt. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo mense* n. 31); *Matrimon. contrah. inter Judaeum et mulier. haereticam* §. *12 etc.*

S. Leo I. Episcopus Nicetae Aquileiensi Episcopo.

Hi, qui baptismum ab haereticis acceperunt, cum baptizati antea non fuissent, sola invocatione Spiritus sancti per impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt. Et hanc regulam ut scite servandam omnibus ecclesiis praedicamus ut lavacrum semel initum nulla iteratione violetur, dicente Apostolo: Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Cujus ablutio nulla iteratione temeranda est, sed (ut diximus) sola sanctificatio Spiritus sancti invocanda est, ut quod a haereticis nemo accipit, a catholicis sacerdotibus consequatur.

Die 21. Mart. 458.

(Bull. r. t. I. I. p. 79. n. 7. Ed. Aug. Taur. 1857)

Urbanus PP. II. Lucio Praeposito ecclesiae s. Iuventii apud Ticinum.

Sciendum est, quod canones Apostolorum, quorum auctoritate orientalis et ex parte romana utitur ecclesia, et insignis martyr Cyprianus et LXXX Episcopi cum eodem baptismum haereticorum lavacrum diaboli appellant. Stephanus vero et Cornelius, martyres et Pontifices romani, et venerabilis Augustinus in *libro de baptismate* eumdem Cyprianum et praefatos Episcopos hanc ob causam vehementer redarguunt affirmantes, baptismum sive ab haeretico sive a chismatico ecclesiastico more celebratum ratum esse, et merito, quia alia in baptismo et alia in reliquis sacramentis consideratio est; quippe cum et ordine prior et necessarior sit; subito enim morituro prius baptismate quam Dominici corporis communione vel aliis sacramentis consulitur; et dum forte catholicus non invenitur, satius est ab haeretico baptismi sacramentum sumere quam in aeternum perire. Et hanc sententiam praescriptorum Pontificum Cornelii, Stephani et Augustini secuti sunt Innocentius, Siricius, Leo, Anastasius et Magnus Gregorius et omnis ecclesia.

Anno 1099.

(Bull. r. t. II. p. 206. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Urbanus PP. II. Lucio Praeposito ecclesiae s. Iuventii apud Ticinum.

Ad hoc, quod subjungitur in epistola, id est: utrum sit utendum ordinationibus et reliquis sacramentis a criminosis exhibitis ut ab adulteris et a sanctimonialium violatoribus vel hujusmodi, ad hoc, inquam, ita respondemus: Si schismate vel haeresi ab ecclesia non separantur, eorumdem ordinationes et reliqua sacramenta sancta et veneranda non negamus sequentes beatum Augustinum, qui super Joannem de hujusmodi tam copiose quam veraciter disseruit; ait enim: baptizet vos servus bonus sive servus malus non sciat se ille, qui baptizatur, baptizari non ab eo, qui sibi tenuit baptizandi potestatem; et paulo post: Non horreat columba ministerium malorum, respiciat domini potestatem; si fuerit superbus minister, cum Zabulo computatur; sed per illum Christi sacramentum non contaminatur. Quod per illum fluit, purum est; quod per illum transit, liquidum est. Idem: Spiritualis vero virtus sacramenti ita est ut lux, quae ab illuminandis pura excipitur, etsi per immunda transeat, non inquinatur. Quos baptizat ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus baptizat; et caetera hujusmodi. Attamen decessores nostri Nicolaus et Gregorius a missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverant, et ut peccandi licentiam caeteris auferrent et hujusmodi ad dignae poenitentiae lamenta revocarent. Scribit hoc Praedecessor Noster Gregorius Rudolpho et

Bertholdo ducibus inter caetera: Officium simoniacorum et in fornicatione jacentium scientes nullo modo accipiatis, et quantum potestis, tales sanctis deservire mysteriis vi, si oportuerit, prohibeatis etc.

Porro ad haec, quae tibi sylogistice in eadem epistola objiciuntur, idest, si corpus et sanguis Christi non sunt, et alia, quae praediximus, proprias non habent virtutis dignitates, quid agentibus obsunt? quod si habent, cur spernuntur, sicubi ab indigno praesumantur? Ad haec, inquam, ita respondemus: Proprias quidem habent virtutis dignitates, ut praefatus Augustinus ait super Joannem contra Donatistas, sed agentibus vel suscipientibus eadem sacramenta contra praefatorum Pontificum instituta, nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat, eis, inquam, in tantum obsunt, ut veri idolatrae sint, cum talibus et ordinationum et sacramentorum confectio et aliter quam praemissum est scienter susceptio vehementer a sanctis canonibus prohibeatur; ait namque Samuel propheta: Quoniam peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idolatriae nolle acquiescere. Haec de malis catholicis, qui intra ecclesiam sunt; caeterorum shismaticorum et haereticorum sacramenta, quoniam extra ecclesiam sunt, juxta sanctorum patrum traditiones, sicut Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini Hieronymi, formam quidem sacramentorum non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem.

Anno 1099.

(Bull. r. t. II. p. 205. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Etiam extra casum necessitatis validus est baptismus collatus a quocumque etiam haeretico et pagano, ut communiter tenent doctores, quia Nicolaus Papa in *cap. A quodam Judaeo* statuit: Baptismum a Judaeo sub legitima forma collatum esse validum, nulla facta mentione necessitatis, et sic etiam nulla facta mentione necessitatis definivit Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 4. de baptismo*: Si quis dixerit baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spir. s. cum intentione faciendi, quod facit ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit. Et in *c. Ventum est. 18. caus. 1. q. 7.*, adultus, qui voluntarie recipit baptismum ab haeretico, declaratur quidem irregularis, sed non invalide baptizatus. Adde quod valide sunt baptizati, ita ut neque sub conditione sint iterum baptizandi, etiam qui sunt baptizati ab haereticis.

Universim sanxit ecclesia, haereticos ad fidem catholicam conversos non esse rebaptizandos; *cap.*: *Ostenditur*; *cap. Ili de quibus*; *cap. Nullus autem*; *cap. Sive Haereticus. de consecr. dist. 4.* Quos omnes ad fidem conversos non esse rebaptizandos, nisi adsit probabile dubium invaliditatis baptismi, respondit sacra Congr. Concil. in dubiis baptismi 27. Martii 1683.

Baptizati ab haereticis materium et formam debitam adhibentibus nec sub condione iterato baptizari debent; Benedictus XIV. Const. incip. *Jam inde* §. *3. et* 5.

27) Haereticis sub conditione quando conferendus?

Vd. *Baptism.* (sub conditione iterand. p. 8.; sub condit. non iterand. p. 25.); *p. 35. n. 10.*

De confessione sacramentali exigenda haereticis, qui in sinum catholicae ecclesiae redeuntes sub conditione rebaptizantur.

Beatissime Pater.

Inter decreta primae synodi provincialis Westmonasteriensis sub c. XVI. n. 8., ubi sermo est de subjuratione protestantium adultorum et de baptismate sub conditione eis conferendo, additur: »Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda.« In adnotationibus, quas adjecit pater Ballerini editioni romanae theologiae moralis P. Gury, dicitur hanc confessionem esse conformiorem instructioni a suprema s. Officii Congregatione super modo reconciliandi haereticos editae, ex qua instructione deducitur, opportunam esse integram peccatorum confessionem. In textu P. Gury tenetur eam esse suadendam in praxi.

Quum vero hic auctor tam in theologia quam in casibus conscientiae citaverit opinionem aliorum auctorum docentium propter existentiam dubii de primo baptismate a neoconversis tempore infantiae suscepto (adeo ut si nullum id fuerit, vera baptismi susceptio sit ea, quae occasione abjurationis sub conditione traditur) dubiam esse obligationem

peccata integre confitendi ante hoc baptisma conditionatum, nonnulli confessarii in Anglia censuerunt, eos auctores secuti, dubiam confessionis integree obligationem esse nullam obligationem: ac propter repugnantiam conversorum ad eam faciendam et propter periculum confessionis imperfectae vel etiam sacrilegae omnino expedire, ut conversi aliqua tantum peccata confessario exponant, ut ab eo absolutionis sacramentalis, si forsan ea opus sit, beneficium impetrent.

Ex alia parte habetur praxis constans maximae partis confessariorum regni integram confessionem tam ante quam post approbationem Concilii provincialis non modo suadentium, sed etiam exigentium; habetur difficultas conversorum intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in sacramento poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo conversus rite sit ad ipsum baptisma dispositus velitque ex. gr. restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per s. Sedis dispensationem (ut in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civilis contracti) illud sanari nequeat; habetur insuper necessitas suae saluti per justificationem in sacramento poenitentiae prospiciendi, a cujus integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi attenta praesertim diligentia juniorum e clero anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde majori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare.

Quum vero certum sit, quod post plures annos confessionis integrae obligatio vim suam omnino sit amissura, si in praxi sequi valeant theologi uti tutam opinionem auctorum praefatorum, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliae enixe rogant, ut Sanctitas Vestra, pro sua in missiones Angliae benignitate, dignetur declarare hac super quaestione gravissima mentem ecclesiae:

An debeat, juxta synodi provincialis decretum a s. Sede probatum, confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi et an ea debeat esse integra?

Decretum.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis habita in conventu s. Mariae supra Minervam coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito suprascripto dubio praehabitisque DD. consultorum suffragiis iidem Emmi ac Rmi Patres ad utramque dubii partem censuerunt respondendum esse: *Affirmative et dandum esse decretum latum sub die decima septima Junii anni millesimi septingentesimi decimi quinti.*

SSmus D. N. Pius divina providentia Papa IX. in solita audientia R. P. D. adsessori sancti Officii concessa resolutionem Emorum Patrum adprobare ac confirmare dignatus est eamque una cum memorato decreto mandavit remitti R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi.

Angelus Argenti S. R. et U. I. Notarius.
Die 18. Decemb. 1868.
Decretum die 17. Junii 1715.

Ad dub.: An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in ducatu Muxlemburgh praedicanti et lectori theologiae Lutheranae quietisticae superintendenti et doctori primario sectae Lutheranorum Quietistarum, s. fidei catholicae reconciliato in s. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in ejus baptismo: an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut caeterorum illius sectae seu regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur,

Quaeritur: *An dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative: an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative: an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative; an confessio praeponenda sit vel postponenda baptismo conferendo sub conditione?*

SSmus auditis votis Emorum dixit: Carolum Ferdinandum esse baptizandum sub conditione, et collato baptismo ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.

Praesens copia concordat cum suo originali.

Ita est. Agnelus Argenti.
S. R. et U. I. Notarius.

Heic praeter caetera animadverti potest:

I. Cum de actu certe gesto agitur, standum esse pro validitate actus nisi de ejusdem nullitate constat; maxime vero si de actu solemni agatur, qui praeterea ex divina lege praescriptus iterari rescindique non possit.

II. Quare omnes obligationes, quae cum eodem actu, quem non constet esse nullum, aliquo nexu consociantur, in suo vigore manere.*)

III. Quare cum post baptisma non aliud in ecclesia supersit sacramentum, quo Deo peccatores reconciliari possint, ab hac obligatione solutos dimitti nec debere nec posse eos omnes, qui, baptismate in haeresi suscepto, de cujus nullitate non constet, in ecclesiae catholicae sinum redeunt.

IV. Neque interesse, an abjurata haeresi sub conditione rebaptizentur: quod enim in re tam gravi ad cautelam commodumque conversi geritur, in argumentum trahi non posse ad infirmandas obligationes, quae cum actu certe gesto connexae intelliguntur.

V. Colliges demum, cum de sacramentis agitur, tutiorem viam esse ineundam.

*) Haec illustrari possunt exemplo desumpto ex sacramento matrimonii. Non raro contigit in agendis matrimonialihus causis ut dubitetur de matrimonii validitate ita, ut judicari non possit matrimonium esse nullum, neque judicari possit matrimonium esse validum: haec judicii suspensio locum identidem habet non solum ob defectum plenae probationis nullitatis in foro tantum externo, sed etiam in foro interno. Hisce in adjunctis ss. Congregationes respondere solent: *Non constare de nullitate matrimonii.* *) Hac responsione coguntur conjuges in matrimonio contracto persistere et a nulla obligatione matrimoniali soluti certissime censentur.

Si porro liceret ita ratiocinari: posita probabili invaliditate matrimonii, probabilis est ab obligationibus matrimonialibus libertas; ejusmodi enim obligationes sequi non possunt nisi matrimonium rite initum; quisque videt quaenam consequerentur absurda.

Negari quidem non potest, discrimen intercedere inter obligationem confitendi peccata post baptismum commissa et obligationes quae ex matrimonio consequuntur: cum hae immediate et directe ex matrimoniali contractu derivent, illa autem ex alia lege baptismatis extrinseca, idest, quia ex divina institutione post baptismum non aliud sacramentum peccatori superest, quo Deo roconcilietur, praeter poententiae sacramentum, cujus materia sunt peccata: et ideo obligationes matrimoniales cum matrimonio connectuntur tamquam effectus cum causa; obligatio confitendi peccata connectitur cum baptismo tamquam conditionatum cum conditione. At vero ejusmodi nexus discrimen, quo obligationes consociantur, tale non esse videtur quod comparationem labefactet. Namque si obligatio confitendi peccata in hac quaestione pendeat unice a validitate baptismi, cum pro validitate baptismi sine dubio standum sit quousque de ejus nullitate non constet, ita pariter sine dubio standum est pro obligatione confitendi peccata post eumdem baptismum commissa.

Sed fortasse dices: facta hypothesi, qua baptismus primus, de cujus validitate dubitatur, sit nullus et secundus sit validus, imponeretur obligatio, quae converso ad fidem posset esse gravissima, dum e contrario peccata eadem neque essent materia capax sacramenti.

Haec quidem quamvis contingere possint, non sunt satis ad removendam obligationem, quousque standum sit pro validitate baptismatis. Idem fere dici posset de matrimonio: facta hypothesi, qua matrimonium, de cujus validitate dubitatur, sit nullum, imponeretur obligatio, quae conjugibus esset gravissima, dum e contrario neque possent nec vivere deberent tamquam conjuges.

Fortasse dices: si haec peccata non remittantur per secundum baptismum invalidum ob prioris validitatem, remitti poterunt sive per contritionem perfectam sive indirecte per absolutionem cum attritione. Sed haec supponunt, standum esse pro validitate secundi baptismatis, quod tamen conferri solet unice ad cautelam, cum de re tam gravi agatur, in qua tutiorem semper viam sequi tenemur.

Haec quidem in hac quaestione, praeter caetera in adductis precibus animadversa, dicenda videntur, quae insuper illustrari etiam possent per similia, quae traduntur de sacra ordinatione, religiosa professione etc.

Verum quidem est, illud generale principium, quo standum esse dicitur non valore actus, quousque de ejus nullitate non constet, suas admittere exceptiones; praesertim quando agitur de actu solemni, qui non alium ex sese producat effectum nisi gravem obligationem, ut ex. gr. contingit in contractu sponsalium. Namque cum proniores esse debeamus ad auferendas obligationes, contrarium in sponsalibus vigere censetur principium: idest, standum esse pro nullitate sponsalium, quousque de eorumdem validitate non constet. Neque interest, an dubitatio de eorumdem validitate oriatur ex aliqua circumstantia facti vel ex aliqua ratiuncula juris. Quare s. Rota ex quibusdam ratiunculis constanter tenuit, sponsalia contracta sub conditione, si Papa dispensaverit, nulla in ipso suo initio esse: et s. Congregationem Concilii eamdem sententiam esse secutam non obscure deducitur ex pluribus resolutionibus. Vd. *Sponsalia.*

*) Vd. *Matrimonium* (nullitas non constat.)

28) Infantium.

a) A parentibus expositorum.

Vd. *Bapt.* (sub condit. iterandus, decret. *Urbis* p. 8; *Ripana* p. 20.) *Baptism. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV.: *Postremo* §. 4 etc.; epistola decret.: *Probe te* §. 14 etc.)

Proposito dubio in sacra Congregatione Concilii die 18. Decembris 1723: *Quomodo se gerere debeat parochus sancti Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant: et etiamsi ex colore et ceteris corporis qualitatibus deprehendatur etiam esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel unius anni cum dimidio?*

Sacra Congregatio die 15. Januarii 1724*) respondit: Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus, excepto tamen casu schedulae, quae habeat certitudinem.

b) Apud infideles parentes permanentium.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (epist. decr. *Probe te* §. 10.)

S. Congrégation du st. Office, en 1777, en ces termes: *Non licere extra periculum seu articulum moraliter certum imminentis mortis (siquidem in decretis articulus et periculum promiscue accipiuntur) infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt.*

La s. Congrégation déclare, le 22. juillet 1840: *Utroque parente in infidelitate permanente non licere, secluso tamen mortis periculo, quando filii sint in eorum potestate relinquendi, etiamsi detur promissio filios, cum adoleverint, de suscepto baptismo certiores faciendi eisdemque permittendi exercitium religionis christianae. Quando vero unus eorum sit infidelis et alter christianus et ambo concordes postulant baptismum pro filiis, licere in casu, quo vitae periculum imminere videatur. Monendum tamen parentem christianum, ut filium vel filios in religione christiana educare sedulo debeat, si convaluerint. Vicarius apostolicus vero prae oculis habeat constitutionem Clementis IX., quae incipit:* Apostolico spiritu, *eamque missionariis proponat.*

La s. Congrégation du st. Office, sous la date du 2. Maji 1703, a tracé la règle à suivre en pareil cas: *Teneri missionarium vel per se vel per alios, quantum fieri potest, instruere filios infidelium imprudenter et considerate baptizatos, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam missionariis, immo et Episcopo, quatenus opus sit.*

(Anal. I. P. II. Ser. Romae 1857. p. 1806. 1807.)

c) Invitis parentibus.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* §. 4. etc, et altera: *Probe te meminisse* etc. §. 10. 11. 18); *Baptism.* (Judaei pueri clam baptizati.)

d) Ex civili contubernio natorum.

Parochus N. sacrae Congregationi sequentia exposuit:

Hac mea in paroecia ab immemorabili mos invaluit ut spurii infantes baptizentur sine populi concursu sonituque organi vel aeris campani, adhibitis tamen in loco sacro caeremoniis a rituali rom. praescriptis.

Pluribus meis est nuper ovibus ingesta opinio contractum civilem minime differre a catholico matrimonio ex hoc, quod prima vice illis, qui solemnem suis natis collationem baptismi postulaverunt, quamvis jungi ab ecclesia renuerint, acquievi, suadente mei Episcopi epistola etc.

Quaerebat itaque parochus: Quomodo se gerere debuisset. Sacra autem Congregatio, re cognita, sequentem epistolam ad Episcopum ejusdem parochi mittendam censuit.

Perillustris ac Revdme Domine.

Pro certo habet sacra haec Congregatio Amplitudinem Tuam firmiter tenere, eos, qui matrimonii contubernio vivunt, quin sacramentale foedus coram ecclesia celebrent, in locis, ubi lex sacrosancti Concilii Tridentini viget (cap. 1. *Tametsi sess. 24. de refor. matr.*) habendos esse, juxta catholicam doctrinam, tanquam *publicos concubinarios* eorumque propterea filios censeri et esse illegitimos.

Quamobrem, quum in quibusdam tuae dioecesis paroeciis ab immemorabili, uti fertur, mos invaluerit, ut illegitimi quilibet infantes baptizentur, adhibitis tantum in loco sacro caeremoniis a rituali romano praescriptis, at absque populi concursu et sine organi aerisque campani sonitu, quo legitime natorum baptisma celebratur, sacra haec Congregatio censet, praefatam consuetudinem, quae obtinere etiam dignoscitur in pluribus locis tuae dioecesi finitimis, observandam esse in casu, quo aqua baptismi abluendi sint infantes eorum parentum, qui sub civilis conjugii praetextu scandalosam vitae communionem inierunt, quum nullum prorsus inter eos matrimonium existat coram Deo et ecclesia neque legitimi sint filii, qui ex ipsis nascuntur.

Caeterum, sublata praedicta consuetudine, facile fieret, ut ignarae plebis multitudo nullam prope adesse differentiam suspicaretur inter civilem actum et catholici matrimonii sacramentum, si absque usitata distinctione in extrinseco apparatu eamdem solemnitatem, quae hucusque locum tantummodo habuit in legitimorum natorum baptismo, adhiberi cerneret pro illegitimis ex civili contuberino.

Quinimo, quum extrinseca illa solemnitas, qua aeris campani et organi sonitu populus advocatur ad infantium baptisma, etiam in parentum honorem aliquatenus cedat, ita sicuti dignum est ut hujusmodi honore gaudeant ii, qui ritu catholico magnum sacramentum in Christo et ecclesia susceperunt, sic indignum prorsus reputatur, ut eodem honore fruantur, qui publice in peccato vivunt et gravissimo scandalo caeteris fidelibus offensionem et ruinam pariunt. Itaque dum curandum potius est, ut infantes ex hujusmodi parentibus nati quantocius per baptismi lavacrum renascantur, insimul erit, ne praefatae solemnitates pro his adhibeantur.

Haec Amplitudini Tuae significare opportunum duxit sacer hic Ordo, quoniam relatum est, parochos, qui praedictae consuetudini inhaerent, per aliquos etiam ecclesiasticos viros incusari, quasi regulas nimis rigorosas sequerentur, dum e contra clare patet eos se gerere in re tanti momenti, uti probos parochos decet, ac propterea mereri ut Amplitudinis Tuae auctoritate foveantur ac tutentur.

Interim impensos animi mei sensus testatos volo Amplitudini Tuae, cui fausta omnia adprecor a Domino.

Datum Romae ex S. C. Concilii die 31. Julii 1867.

Amplitudinis Tuae

Uti frater

P. Card. Caterini Praefectus.
Petrus Archiep. Sardianus Pro-Secretarius.

Ex quibus colliges:

I. Civile, ut ajunt, matrimonium in locis, quibus Tridentinum decretum *Tametsi* viget, quod servatum non fuerit, Romae appellari civile contubernium.

II. Filios ex eo natos illegitimos reputari, tamquam ex concubinatu progenitos.

III. Quare parochos in eorum baptismate ea ratione se gerere debere, prout juxta legitimos locorum mores se gerunt erga filios ex concubinatu progenitos.

IV. Maxime vero si hac agendi ratione neglecta irrepere possit in populo ea opinio, civile contubernium matrimonium verum legitimumque esse.*)

e) Eorum, qui occultatores fidei christianae sunt.

Vd. *Professio fidei* (Occultatio etc., Constit. Bened. XIV. n. 6.)

f) Judaeorum.

Vd. *Baptism.* (Judaei pueri; Judaeorum).

g) Principum.

Vd. *Baptism.* (in domo; in eccles.)

h) Servorum.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Bened. XIV. Epistola decret. XIV.: *Probe te* etc. §. 15. etc).

29) Intentio baptizati Adulti.

Vd. *Baptis. Judaeor.* (constit. Bened. XIV.: *Postremo* etc. n. 43.); *Baptism. adulti* (requisita). *Confirmatio* (intentio confirm.); *Ordinatio* (intent. ordinantis.)

30) Interrogationes.

Dubium: *An in administratione baptismi interrogationes, quibus respondere debet patrinus infantis vel cathecumenus baptizandus, fieri debeant lingua vulgari, prout ipsum rituale innuere videtur de baptismo adultorum §.: Catechumenus instructus?*

S. C. resp.: Negative.
Die 12. Aug. 1854.
(Anal. I. P. II. Ser. Romae 1857. p.2199.)

---

*) Vd *p. 10.*

*) Recoli possunt proscriptae propositiones in Syllabo, ex quibus haec omnia tamquam consectaria etiam inferuntur. Affinitatem habent cum re praesenti ea, quae rescripsit Gregorius XVI. s. m. ad Archiep. Freiburgensem de solemnitatibus in matrimoniis mixtis.

Ad dub.: *Utrum in collatione baptismi interrogationes possint fieri vernacule vel saltem vernacule iterari, postquam latine factae fuerint?*

Resp.: Rituale romanum tit.: *De iis quae in administratione sacramentorum generaliter servanda sunt*, haec habet inter caetera: In sacramentorum administratione (parochus vel quivis etc.) eorum virtutem, usum ac utilitatem et caeremoniarum significationem, ut Concilium Tridentinum praecepit, ex ss. Patrum et catechismi romani doctrina, ubi commode fieri potest, diligenter explicabit.

Ut igitur proposito dubio respondeam, interrogationes ab interrogationibus distinguo, quas rituale romanum fieri mandat in administratione baptismi. Aliae enim sunt, ut ita dicam, praeparatoriae, et eas generice faciendas esse mandat. Ita *cap. De sacris oleis et aliis requisitis in fine: Interrogat (nisi de his bene sibi constet) an sit suae parochiae*, masculus an foemina, an sit domi baptizatus etc. Aliae sunt interrogationes determinatae, quas certis verborum formulis ad literam subjicit, prout videre est in ordine baptismi parvulorum. Primae faciendae quidem sunt vernacule; at de secundis affirmo non aliter, quam quomodo in rituali romano continentur, id est latina lingua fieri debere. Idque assero

I. Ex verbis apostolicarum literarum *Apostolicae Sedis* 17. Junii 1614, quibus Paulus Papa V. venerab. Fratres Patriarchas etc. in Domino hortatur, *ut in posterum tamquam ecclesiae romanae filii ejusdem ecclesiae omnium matris et magistrae auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quae catholica ecclesia et ab ea adprobatus usus antiquitatis statuit, inviolate servent.*

II. Ex paritate rationis, qua sacra Congregatio in una *Ordinis Minorum Cappucinorum 29. Maji 1835* ad 3. decrevit, eliminandam consuetudinem dicendi in communione fidelium: *Ecce Agnus Dei etc.* et: *Domine non sum dignus etc.* idiomate vulgari.

III. Denique ex paritate ducta ab ipso ritualis romani libro, qui, ubi voluit interrogationes fieri vernacula lingua, aperte declaravit ut in sacramento matrimonii: *de consensu in matrimonium* (parochus) *interroget utrumque* (virum et mulierem) *singillatim in hunc modum vulgari sermone.* Ad quem locum haec habet in suis commentariis *Hieronymus Baruffaldi tit. 42. §. 11*, ex quibus facile deducitur, quam si tenax esset latinae linquae: *Quod si tum sponsi contrahentes tum testes bene callegerent linguam latinam vel latini essent, non video, cur parochus eos non possit latina forma, a rituali descripta, interrogare et responsum accipere. Idioma enim nonnihil alterat essentiam sacramenti et contractus, sicuti non adimuni quidquam in baptismo abrennunciationes et interrogationes, quae a sacerdote fiunt baptizandis juxta praescripta.*

Proposito itaque dubio respondendum esse censeo: Quoad interrogationes, quae baptismi ordinem praecedunt vel sequuntur ac pro quibus rituale nullam exhibet formam, *affirmative*, quoad interrogationes, quae in ipsomet baptismi ordine occurunt ac pro quibus formulae in rituali extant, *negative ad utramque partem.*

S. C. resp.: Quoad interrogationes, quae baptismi ordinem praecedunt vel sequuntur ac pro quibus rituale nullam exhibet formulam: *affirmative.* Quoad interrogationes, quae in ipsomet baptismi ordine occurrunt ac pro quibus formulae in rituali extant: *Negative ad utramque partem.*

Die 12. Septembris 1857.

(Anal. I. P. III. Ser. p. 324. Romae 1858.)

Ad dub.: An in administratione baptismi interrogationes, quibus respondere debet patrinus infantis, fieri possint vernacula lingua, quandocumque dictus patrinus latinam ignorat; an saltem interrogatio sermone latino facta, ut fert rituale, illico in vulgarem transferri possit?

Resp.: Negative ad utrumque juxta decretum in Molinen. die 12. Septembris 1857 ad 17.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 31. Augusti 1867.

31) Num Invitis et Nolentibus conferendus est?

Vd. *Baptism. Judaeor.* (epistola decretal. Bened. XIV.: *Postremo* etc. n. 38; et altera.: *Probe te* etc. §. 14. etc.) *Baptism.* (collatio violenta p. 8; infantium apud infideles parentes etc. p. 64.)

32) Irregularitas propter reiterationem baptismi.

Vd. *Baptism. (sub condit.* p. 8; sub condit. non est iterand. decret. *Santandr.* p. 28; forma corrupta — decr. *Senen.* p. 57. —)

Baptismi collatio sub conditione non causat juxta nonnullos doctores irregularitatem; contraria vero sententia probabilior videtur, maxime, si deficiat probabile dubium prioris baptismi. Nulla tamen dissensio extat in reiterato baptismo absolute. Hujus irregularitatis poena est prohibitio ascensus ad majores ordines. *Firm. Disp. ab irreg. 7. April. 1781. dub. 9. 10. et 11*

Baptismus imprimit characterem, ut confirmatio et ordo. In dubio validae collationis iterari debet sub conditione. Si absque prudenti tamen iteratur dubio dans et accipiens evadunt irregulares. *Sutrina Baptismi 12. Julii 1794. dub. 3.*)*

Alethen.

Petrus Arcens presbyter et rector parochialis ecclesiae exponit, quod alias sciens unum puerum suae parochiae in sui recusationem ab alio rectore vicino fuisse baptizatum adstrinxit tamen parentes dicti pueri baptizati, ut deferrent puerum ad suam parochiam, et ibi eum sub conditione rebaptizavit. Cum autem dubitet propter praemissa ecclesiasticas sententias, censuras et poenas incurrisse et irregularitatem contraxisse, per supplicationem a Dataria remissam supplicat pro absolutione ac rehabilitatione ad ordines et beneficia.

Circa preces hujusmodi Episcopus pro informatione requisitus responsivas literas dedit dignas, quae per extensum inserantur, ex eo praesertim capite, quod super iis pro parte Episcopi per ejus agentem in curia aliquod responsum petitur.

Literae igitur sunt hae: — Eme Cardinalis.

Gratias tibi debeo maximas, quod me eo persequaris honore ut mentem meam expostules circa libellum supplicem SSmo D. N. oblatum pro parte Petri Arcens rectoris loci de s. Just. Alethen. dioecesis. Servet Deus incolumen revera sanctum et peritissimum quem praefecit ecclesiae suae summum Pontificem, qui, qua pollet auctoritate, ea nonnisi in aedificationem uti omnibus viribus nititur, nec ad id certe efficacior modus haberi potest, quam si quae Apostolicae Sedis fastigio penitus pendent, nihilominus tamen cum Ordinariis locorum perpendantur sive ad rei gestae elucidationem sive ad meritorum explorationem. Jam itaque de facto dicam, circa quod Cardinalis Eme quid veri sit indagas. Dicam mihi constare rem ita se habere, uti in supplici libello exponitur. At cum non est de gravitate casus mentem meam proponere, sed de persona quoniam inquisitum est, monebo me eam novisse data occasione visitationis parochiae de saint. Just. cui praefectus est, mihique compertum fuit non illud tantum rebaptizationis crimen objici, sed et multis in rebus suspectos fuisse illius mores praedecessori meo Nicolao de Pavillon parumque probatos esse ipsius parochianis.

Vir sexagenerarius est, magna difficultate aurium praepeditus.

His omnibus adductus momentis hortatus sum, ut loco suo cedere vellet, quod quidem pollicitus est. Existimarem ergo SSmum D. N. pro paterna sua benignitate hoc rebaptizationis crimen ipsi condonare posse, sed ea tamen lege, ut beneficiis cum cura animarum non amplius praefici posset.

Haec merito illius culpae dabitur poena personaeque rationi decentissima erit. Sic ea ingenuitate perscribo, ut tibi morem geram, Card. Eme etc.

His per summarium relatis Emi PP. causam in folio describi mandarunt pro maturiori resolutione capienda, dum ex doctoribus alii stant pro irregularitate, alii contra.

Proinde videtur inquirendum:

I. *An orator propter praemissa incurrerit in irregularitatem seu aliam poenam?*

II. *An et cum quibus conditionibus restrictivis petita absolutio et rehabilitatio sit concedenda?*

Sacra etc. resp.:

Ad I. Dispensandum ad cauthelam.

Ad II. Cum poenitentiis ab Ordinario arbitrandis.

Die 16. Decembris 1679.

Tudertina.

Eme et Rme Domine.

Cum de mense Februarii currentis anni Jacobus Joanninus de Turre Laurenzetti parochialis ecclesiae villae s. Faustini abbatiae

*) Vd. *p. 22.*

nuncupatae, cujus curam in praesentiarum substinet Abbas salvator Angelucius Tudertinae dioecesis, ex Beatrice uxore prolem foeminam suscepisset, eam baptizandam detulit ad Bartholomeum Felicem parochum Collis Petrazzi ejusdem dioecesis, qui peractis sacris functionibus, quae in baptismate praemitti debent, infantem absque sacramentali ablutione dimisit, ut ex fidibus, quae dantur, apparet. Unde pater baptizandae, qui una cum obstetrice praesens fuerat, hujusmodi defectum animadvertens de sacramenti validitate vehementi dubio correptus fuit ac proinde valde anxius de animae salute propriae filiae adivit dictum Abbatem villae s. Faustini proprium ejus parochum, qui, licet ab eodem patre enixe rogatus fuerit, ut defectum praedictum, quem dictus pater et obstetrix certo se vidisse asserebant, suppleret, attamen dictus Abbas, perpenso diutius dubio, illud prius contulit cum P. Angelo de Perusia minorum observantium, qui tunc temporis quadragesimalis praedicatoris munere ibidem fungebatur, donec iterum iterumque apud ipsum reclamantibus inconsolabiliter parentibus, haud quaquam propriae prudentiae innixus, sed praedicto concionatoris consilio non semel praemonitus, ut parentes ipsos ab ea animi qua angebantur perturbatione conditionali adhibita ablutione sublevaret, eorumdem ac obstetricis assertioni fidem praestans infantem illam sub conditione ac sub eadem bona fide secreto ac imposito praedictis parentibus silentio rebaptizavit, ut ex attestationibus constat dicti concionatoris aliarumque personarum.

Attamen id cum ad aures dicti parochi Collis Petrazzi devenisset, aegreferens de reiterati baptismatis crimine adversus Abbatem praefatum quaerelam instituit coram Ordinario, qui instruxit desuper processum, quia irregularitatis poena comminare videbatur. Dictus Abbas, ut tantum gravamen effugeret, recursum habuit ad hanc sacram Congregationem, quae datis literis ad eumdem Ordinarium ex ejus praelonga informatione dubitare contingit: An ex hujusmodi actu fuerit talis injuria illata sacramento, ut praedictus Abbas irregularitatis poenam ex dispositione textus in *cap. Literarum de apost. et reiteran. baptism.* incurrisse censeatur?

Sed negative respondendum fore non dubitamus. Animadvertendo irregularitatem hujusmodi esse ex illis, quae ex delicto contrahitur, infertur ut poena, quae cum sit gravissima, non debet incurri ob levem et venialem culpam, ita *Navar. Manual. in cap. 27.*, *Sanchez lib. 9. disp. 32*, *Suarez disp. 40. sect. 3. num. 19.* et alii plures, quos refert et sequitur *Bonacina de irregularit. tit. 1. disp. 7. quaest. 1. punct. 3. n. 2.*

Verum hic actus rebaptizationis, de quo quaeritur, fuit undequaque innoxius; fuit enim exercitus in favorem animae, de cujus salute ex probabili fundamento haesitabatur, et ad removendum dubium a mentibus parentum rationabiliter conceptum ex omissione ablutionis, quae, ut est materia proxima hujus sacramenti, nisi adhibeatur saltem moraliter unitim cum prolatione formae, inducit defectum essentialem, cujus causa rebaptizans, etiamsi id agat absolute et sine conditione, non incurrit irregularitatem, quia non judicatur reiteratum id quod ambigitur esse factum, *cap. fin. de presbyt. non bapt.* et *cap. Cum itaque de cons. dist. 4.*, *Bonac.* ubi *sup. qu. 3. n. 5.* Quidquid sit an peccet rebaptizans sine conditione, quia fortasse se exponit periculo reiterandi baptismum, ut opinantur *Avila disp. 7. dub. 2. conclus. 45.* et alii ibidem relati a Bonacina, Nos autem versamur extra omnem difficultatem, dum parochus, qui de crimine reiterati baptismatis fuit accusatus, rebaptizavit cum conditione etiam exterius expressa, juxta formam traditam ab *Alexandro III. in celebri textu 3. De quibus de baptism. ejusque effectu,* idque optima ratione, quia, cum praetensum delictum provenire dicatur ex reiteratione baptismatis, excluditur omnino eo ipso, quo baptizans utitur formula conditionali: *Ego te baptizo*, *si non es baptizatus*; siquidem si puer ille non erat valide baptizatus, adhuc existebat subjectum capax sacramenti, si autem erat valide baptizatus, cum ex vi conditionis includatur in praedicta forma virtualiter: non te baptizo, infertur quod, si vero non erat baptizatus, fecit actum licitum et validum et quidem necessarium, siquidem ex eo tantum irrogatur injuria sacramento, quod semel impresso in anima charactere, id ipsum reiterari praesumatur.

Si autem forsan erat baptizatus, actus ille ex vi intentionis expressae etiam in actu exercendi sacramentum resolvitur in extrinsecam et materialem ablutionem, quae cohonestata a praedicta rationabili parentum haesitatione, utique citra omnem culpam exerceri impune potuit. Ita *Navar. supra cit. n. 246*, *Henriquez lib. 14. cap. 4. num. 3*; *Conink. disp. 18. dub. 5. n. 38*; *Suarez tom. 5. disp. 47. sect. 1. n. 1.* et alii, quos refert et sequitur *Bonacina q. 9. 3. punct. 3. n. 4.* Et tanto minus redarguendum videtur factum dicti Abbatis, tum quia notorium est parochum Collis Petrazzi mentis aegritudine laborare, quod omnibus patefactum fuit cum semetipsum dejecit in puteum; illumque hujusmodi animi imbecilitate detineri fassus fuit idemmet Ordinarius, qui idcirco sibi causam rebaptizationis, praenarrente concionatore praedicto, tamquam legitimam approbavit, ut medio juramento in sua attestatione deposuit idem concionator, tum etiam quia ad ipsum tamquam proprium parochum spectabat; et cum sequendo prudentis viri consilium, qualis praesumitur esse publicus concionator, regularis a suis superioribus ac ab ipsomet Ordinario approbatus maxime in loco rurali, ubi prudentioris consuli nequeunt, rationabiliter egit. Unde succedit notissima regula quod prudenter agit, qui rationabiliter agit, et praesertim favore animae, qui reddit licitum etiam id quod alias foret illicitum, ut est *text. in cap. 1. q. 7. c. 1 de feriis*, et *cap. 3. de celeb. miss.* et docet *Fagnanus in cap. Nihil, de elect. n. 26.* Et ad propositum nostrum *glossa in dicto capite de quibus in primo notabili.*

Et licet multa congesserit Ordinarius in sua informatione, attamen omnia facillime diluuntur, et quidem auctoritates ss. Patrum et Conciliorum, quos fusius adduxit, sunt omnino extra casum et propositum nostrum; loquuntur enim de errore annabaptistarum et Donatistarum, necnon de iis, qui pertinaciter approbabant rebaptizandos esse eos, qui discesserant a fide, et postmodum poenitentia ducti ad ecclesiam revertebantur, ac eos, qui ab haereticis servata forma ecclesiae baptizabantur, et haec sane fuit haeresis a divo Augustino detestata, a Melchiade Papa et a concilio Arelatensi damnata.

Caeterum nullus ss. Patrum nullumque conciliorum non solum non prohibent rebaptizari sub conditione eos, de quibus rationabile dubium emergit, an legitimum baptismum susceperunt, quinimo omnes doctores consulunt rebaptizandos esse sub conditione ab Alexandro III. praescripta.

Neque urgent verba catechismi romani relata in informatione Ordinarii sub *titulo de sacramento baptism.* baptismum sine sacrilegio iterari non posse. Catechismus enim ibidem in immediate antecedentibus verbis, quae nescitur quare omiserit referre, mirabiliter favet intentui nostro, inquit enim, (sunt verba praecisa): »Neque vero quisquam putet eum ab ecclesia iterari, cum adhibita hujusmodi verborum formula aliquem abluit, de quo incertum est an baptizatus prius fuerit: »Si baptizatus es, te iterum non baptizo, si vero nondum baptizatus es, ego de baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.« Ita enim non impie reiterari sed sancte, cum adjunctione baptismum administrari dicendum est.« Deinde sequuntur verba relata ab Ordinario, quibus catechismus redarguit parochos illos, qui non prius, quam cum adjunctione illa baptizent, diligentiam adhibent, an vere baptizandus ablutus fuerit, ibi: »Qui nihil prorsus quaerendum putant, an is prius ablutus fuerit, sed statim baptismum tribuunt.« Hoc quidem non egit Abbas s. Faustini, qui prius auditis patre et obstetrice asserentibus infantem illum ablutum non fuisse, neque praesumendum patrem voluisse reiterari legitimum baptismum in propria filia, in eaque comitti tam detestandum sacrilegium, et post adhibito consilio prudentis viri theologiae professoris et publici concionatoris secreto cum conditione rebaptizavit.

Removetur pariter alterum motivum, in quo valde insistere videtur Ordinarius in sua informatione, quod scilicet debuerat prius se ipsum consulere; sed omisso, quod tunc temporis se transtulerat ad ss. Liminum visitationem, respondetur id in jure cautum non reperitur. Cum enim a jure fuerit praescripta forma pastoribus rebaptizandi eos, de quibus dubium sit an rite baptizati fuerint, ut loquitur *text. in dicto cap. 2* et praecitatus catechismus, nullatenus talis requiritur consultatio, et praesertim a praedicto Abbate, qui in illo vicariatu foraneo partes sustinet superioris.

Ex quibus omnibus, cum rationabile dubium insurgere potuerit de validitate baptismatis a dicto parocho collati, non solum proprius sed etiam alienus parochus poterat citra usurpatae jurisdictionis culpam cum conditione rebaptizare; ex *cap. Placuit et seq. de const. dist. 4.*, *Trullench. de sacr. lib. 2. cap. 1. dub. 5. n. 12. juncto n. 13.*

vers.: *Quando vero dubium est probabile.* — Quare etc. — A. B. Nardius.

Tudertina. Continuatio.

Abbatem Villae s. Faustini rebaptizando cum conditione in dubio, de quo agitur, non solum non erasse, sed partes bene consulti pastoris complevisse disertissime comprobat de more suo Emus D. meus *Cardinalis de Laurea* sublimis nostrorum temporum theologus in *tract. de sacramentis et de baptismo, disp. 15*, sicque satis superque dixisse sperare possemus; verum quia audivimus magnam vim fieri in eo, quod aliqui testes in processu informativo deponant parochum Collis Petrazzi, licet omiserit abluere puellam prope fontem baptismalem, illam tamen abluisse ad altare majus, quidquid sit an dicti testes sufficienter probent ablutionem hujusmodi ipsamque fuisse factam saltem moraliter unitim cum prolatione formae, ut requiritur, respondetur quod, etsi supponendum foret veram esse eorumdem depositionem, non tamen exinde deduci potest, quod praedictus Abbas rationabile dubium non conceperit ex assertione patris et obstetricis et praesertim ex mentis imbecillitate dicti parochi, quae quidem valde considerabilis est in casu nostro, dum eo dementiae progressus fuit, ut semet in puteum demergendum projecerit.

Animadvertendum enim est dubium, quod requirit *textus in cap. 2. de baptismo et ejus effectu*, esse dubium facti, quod sufficit, ut valeat producere suspensionem in intellectu circa veritatem propositionis ortam ex ignorantia objecti et ex circumstantia actus humani; unde fit ut probatio oppositi in una, etiam circa munus idem, nos destruat dubium conceptum in altera circumstantia et persona, et sic stare possunt simul, quod parochus Collis Petrazzi rite forsan baptizaverit et quod Abbas s. Faustini adeo rationabiliter dubitaverit de validitate hujusmodi baptismi, ut rebaptizare teneretur.

In dubiis autem facti, quoties de salute animae agitur, tutiorem partem esse eligendam constat ex *cap. Juvenis, de spons.*, *ex cap. Si quis autem, de poenit. distinct. 7.*: Tene certum et dimitte incertum.« Certa enim fit salus in dubio rebaptizando cum conditione, incerta remanet non rebaptizando; quod fortius procedit in infante, ad quem rebaptizandum minus dubium requiritur quam in adulto, in quo supplere potest baptismus flaminis et praesertim cum versemur in sacramento necessario necessitate medii, sententiam tutiorem pro salute illius, cui illud conferendum est, amplectendam esse firmant omnes moralistae, ut afferendo exemplum de puero, de quo dubitetur an rite fuerit baptizatus, rebaptizandum cum conditione concludit absolute Ludovicus *Abelli in sua medul. theol. p. 2. tract. 2. cap. 1.* Et contrariam opinionem damnavit ssmus D. Noster Innocentius XI., quae est prima inter 65 damnatas die 2. Martii 1679 in generali congregatione s. romanae inquisitionis. Et demum benignitas Salvatoris Nostri Dei proprio firmavit exemplo se melius existimasse, imo maluisse ejus sanctissimam humanitatem tot tantisque contumeliis et injuriis affici, quam electorum animas perdere in gehennam; eique oppositum suadentem uti satanam rejecit ipsum principem Apostolorum. Quare etc. — A. B. Nardius.

Tudertina. Continuatio.

Sub praetextu quod die 10. Aprilis proximi praeteriti Salvator Angeluccius Abbas curatus ecclesiae ruralis s. Faustini nullis praemissis diligentiis et inconsulto superiore in eadem ecclesia januis apertis pluribus personis adstantibus sub conditione rebaptizasset Angelam filiam Jacobi Joannis de Turre Lorenzetti membri dictae curae antea sub die 19. Novembris 1684 baptizatam a Bartholomeo de Felicibus parocho ecclesiae oppidi Collis Petratii, Vicarius generalis Tudertinus eidem Abbati praecepit ut a celebratione missae abstineret atque Episcopus suasit, ut ex hujus s Congregationis oraculo intelligeret:

An irregularitatem praefata ex causa contraxisset, et quatenus affirmative, super illa dispensari curaret.

Habuit proinde Abbas recursum ad eamdem sacram Congregationem, ut declararetur ipsum nullo prorsus vinculo innodatum esse, dum eatenus dictam puellam sub conditione rebaptizavit, quatenus Jacobus illius pater et Lucia obstetrix ei constanter asseruerant parochum Collis Petratii, qui alias mentis infirmitate laboraverat, in conferendo priore baptismo necessariam aquae aspersionem omisisse, quo casu baptismum sub conditione repetendum esse consuluit P. Angelus Maria de Perusio Minorum observantium s. Francisci in dicta ecclesia s. Faustini tunc concionator, prout idem se consuluisse testatur.

Hinc datae fuerunt solitae literae pro informatione ad Episcopum, qui respondens transmisit processum ad delationem dicti parochi Collis Petratii in episcopali curia confectum, ex quo habentur.

Catharina quondam Joannis Pauli, Agnes quondam Sabatini Paulucci, Martha quondam Domiti commater, quae baptismo per parochum Collis Petratii collato interfuerunt, examinatae deponunt aquam mediante parvo cochleare vulgo ramajoletto effusam fuisse a dicto parocho in caput puellae, non quidem intus fontem baptismalem, sed ante contiguum altare s. Andreae.

At Lucia obstretrix bis examinata prima vice deponit, interrogatam fuisse ab Abbate praefato quomodo se habuerit factum baptismi collati a parocho Collispetratii, eique respondisse: »Che la figlia del caporal Giacomo la alli fonti non ce l'avevo vista, ma che, se gl'aveva data altrove l'acqua, io non l'avevo visto, nè lo sapevo.« Et interrogata, ut dicat, quidnam dicere vellet praefatus Abbas petendo ab ea: an Bartolomeo è il curato di Castel Petrazzo? detto signor Abbate mi domandò, se io avevo visto dare l'acqua alla detta figlia di Giacomo, atteso chè detto D. Bartolomeo, quando gli fù portata a battezzare, io non viddi che gli butasse l'acqua, com'e solito, in testa a chi si battezza nelli fonti. Demum interrogata ut recenseat factum secuti baptismi, asserit non recordari.

Secunda vero vice factum recensendo concordat cum depositione caeterarum mulierum, etiam quoad aspersionem aquae, subdens: »È verissimo che io deposi di non aver visto dar l'acqua alla figliuola di Giacomo, perchè a Colpetrazzo è usanza di portare le creature ivi al fonte del s. Batesimo, e perchè detta creatura non fù condotta, io dissi che l' acqua del battesimo non gli era stata data, non credendomi, e che potesse servire quella che stava in detto remaioletto.« Et interrogata: an de praenarratis cum aliquo colloquium habuerit? respondit: »Ne fui richiesta dal signor abbate della Villa e gli risposi, che D. Bartolomeo aveva fatte le funzioni nell' altare di s. Andrea, ma che là alli fonti la detta figlia non ce la viddi portare, ma che Marta, commare di detta creatura mi a veva detto, che gl'era stata data l'acqua da Bartholomeo, ed è vero, che io gli dissi che non avevo visto dargli l'acqua, perchè volevo intendere: delli fonti del battesimo.«

Jacobus vero puellae pater deponit: »Quello che Bartolomeo si facesse in battezzare la mia figliuola, io per la mia peggio. perchè son cieco, non lo viddi, nè lo so; ma bensi osservai, che non vennero lì al fonte del battesimo; per la qual causa nel ritornare a casa dissi alla detta Marta commare, che voleva dire, che la mia figlia non era stata portata al fonte, e non gli era stata data l'acqua? ed ella rispose due volte a mezza bocca, non so assai, non so assai, per la quale causa giunti a casa lo discorrei con Lucia, la quale mi disse, che nè meno lei aveva visto maneggiare nè dare l'acqua alla mia figlia, qual risposta maggiormente m' insospettì, che la mia figlia non fosse battezzata.

De hac Jacobi credulitate orta ex dicto Luciae obstetricis deponunt etiam Liberata quondam Petri, quae a Martha commatre missa ad ferendum Jacobo cereum, prout mos est illius regionis, rejecta fuit a Jacobo asserente, Martham non esse commatrem suam, quia Angela filia ex omissione aquae non fuerat baptizata, necnon Anna Lucia Polycarpis, quae occasione secundi baptismi puellam e sacro fonte levavit.

Demum constitutus Abbas Angeluccius deponit dictam Luciam obstetricem et Jacobum puellae patrem ei constanter asseruisse dictam puellam non fuisse aqua ablutam, et serio monitos, ut caverent, ne errarent, idem dictum confirmasse addentes baptismo praeter eos interfuisse dumtaxat Martham la quale prima condiscendeva al loro detto, ma dopo si era rivoltata, e per essere serva di Bartolomeo dubitavano l'avesse svoltata perchè diceva, che l'acqua gl'era stata data.

Deinde facti seriem recensendo asserit: Ad effetto di sfuggire le ciarle e mormorazioni, e per sodisfare al mio obligo, atteso che la detta creatura fosse della mia cura, sotto li 10. Aprile scorso dopo mezzo giorno la battezzai sub conditione, si non es baptizata etc. nella mia chiesa parrochiale di s. Faustino, e per commare fu una figliuola di Policarpo; anzi prima di fare il battesimo, io mi dichiarai che intendevo di farlo per togliere le mormorazioni e ciarle contro

Bartolomeo, per assicurare la salute di quella creatura, e per le molte istanze, che mi si facevano; che per altro poteva essere benissimo, che essi si fossero ingannati sopra l'apprensione fatta, che Bartolomaeo non gli avesse data l'aqua; e questo io lo dissi, perchè Beatrice madre della creatura mi disse chi doveva tenere per commare, e però anche gli dissi, che tenessero per commare la prima, e, se gli mandava la solita candela, l'avessero presa. Alla detta creatura nel battesimo, ch' io feci, fu posto il nome del primo battesimo, del quale non mi ricordo perchè non scrissi niente nel libro, anzi la madre mi disse che gli voleva mutare il nome, a che io risposi che non si doveva mutare, potendo essere che essi fossero ingannati, cioè, che gli fosse stata data l'acqua.

Caeterum fatetur ante collatum ab eo baptismum bis sermonem habuisse cum parocho Collispetratii, il quale mi disse che Lucia andava discorrendo che lui non aveva data l'acqua alla creatura, e che lo diceva per malignità perchè lui glie l'aveva data, ed iogli replicai che non solamente lo diceva Lucia, ma anche asserentemente lo diceva Giacomo; anco nel secondo discorso Bartolomeo ne voleva dare parte, e far castigare detta Lucia, a che io sogginnsi che non facesse, e si poteva rimediare in altra forma.

Subdit denique numquam fuisse sciscitatum a Martha quomodo factum prioris baptismi se habuerit: In riguardo che avendomi detto Giacomo e Lucia, che detta Marta concorreva con il detto loro e che dopo si era svoltata, dubitai che l'avesse svoltata Bartolomeo per essere sua, serva; nec etiam consuluisse superiores, perchè dubitavo, che parlandone al superiore, avesse potuto castigare D. Bartolomeo quando l'avesse trovato colpevole, e però ne fosse venuto scandalo e mormorazioni.

Ex his censet Episcopus Abbatem Angeluccium praemissa de causa effectum fuisse irregularem, sed nihilominus esse cum eo misericorditer dispensandum. Quocirca Fmi PP. pro eorum eximia sapientia decernere dignabuntur:

An dictus Abbas Angeluccius inciderit in irregularitatem?

Et quatenus affirmative,

II. *An cum eo sit dispensandum?*

Sacra Congregatio censuit: In casu, de quo agitur, ad cautelam esse dispensandum.

Die 17. Novembris 1685.

(Analecta I. P. 1865. p. 1694 etc.)

Murana.

Sacerdos Vitus Malanca die 7. Julii 1715 in ecclesia parochiali oppidi Bellae absente parocho baptizavit puellam eadem die natam propter imminens periculum vitae absque debitis caeremoniis, ut probatur ex schedula ab ipsomet conscripta et parocho consignata; successive die 21. ejusdem mensis de licentia parochi iterum eamdem puellam in eadem parochiali ecclesia baptizavit, ut ex altera ejus schedula resultat et plenius ex depositione quatuor testium a curia episcopali examinatorum, quorum duo deponunt de baptismo collato ob vitae periculum cum monitione, ut in casu superviventiae puellam iterum ad ecclesiam parochialem educerent, per farla battezare solennemente. Duo alii ex dictis testibus deponunt, sacerdotem Malancam secunda vice non adhibuisse tantum caeremonias ecclesiae, sed iterum verum baptismum contulisse denuo adhibita forma et materia sacramenti. Hinc Episcopus ipsum declaravit irregularem. Orator autem praetendit irregularitatem ex *cap. Ex literarum de apostat. et reiterant baptism.* esse partialem et impeditivam ascensus ad ordines, non autem privare usu et exercitio ss. ordinum, juxta deducta per del *Bene de offic. sanct. Inquisit. p. 1. dubit. 91 sect. 1. num. 3.* Sed in contrarium urget authoritas Cardinalis *Tolet. in summ. lib. 1. cap. 65. num. 4.*, ubi censet sacerdotem rebaptizantem uti non posse ordinibus, si crimen notorium sit, ex irregularitate non speciali sed communi omni publico delicto ad text. in *cap. Quaesitum, de temp. ordin.* Verum etsi aeque eodemque canone *de consecrat. distinct. 5.* prohibita sit iteratio baptismi et confirmationis, nihilominus nulla reperitur in jure canonico expressa et specialis decreta irregularitas pro illis, qui etiam scienter his confirmationis sacramentum vel susceperint vel contulerint, ea forsan de causa, quia in iteratione baptismi urget suspicio haeresis Donastitarum vel Anabaptistarum; ideoque si haec longe abest ab oratore, qui ex crassa et mera ignorantia ad iterationem baptismi processit, summae erit sapientiae EE. VV. despicere, an grave scelus commiserit, et decernere

I. *An orator incurrerit irregularitatem ex iteratione baptismi?*

Et quatenus affirmative in casu,

II. *An sit locus dispensationi in casu?*

Sacra Congregatio censuit

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Affirmative peractis exercitiis spiritualibus.

Die 14. Novembris 1716.

(Anal. I. P. 1865. p. 1694—1701.)

Imolen.

Delatus fuit ad episcopalem audientiam Imolensem de iterato baptismate Lucas Antonius Fabri Canonicus et Vicarius curatus collegiatae ecclesiae ss. Petronii et Prosperi terrae Lugi. Delatorem credit Vicarius Josephum Brozzoli sibi infensum, quod a munere cancellarii foranei remotus fuerit: atque hunc vindictae cupidum detulisse Episcopo Vicarium infantem natam e Dominico Baldini vilis conditionis homine ante hoc triennium, cui illico post editum partum obstetrix baptisma contulerat, iterum baptizasse. Quidquid autem de delatore sit Vicarium in irregularitatem incidisse contendebat promotor fiscalis, ideoque decretum fuit ab episcopali audientia, ut processus criminalis in eadem terra Lugi conficeretur, sicuti factum est pluribus a fisco examinatis et repetitis testibus, ac praesertim patre, matre, matrina, obstetrice aliisque mulierculis. Re a Vicario comperta confugit ad hoc sacrum Tribunal, cujus reverentia abstinuit Episcopus a pronunciando de irregularitate. Causa nunc eminentissimis Patribus definienda proponitur disputatque Vicarius teneri Promotorem fiscalem duo concludenter probare: et collatum prius fuisse ab obstetrice baptisma infanti recens natae et scientiam Vicarii, qui sciens prudens baptisma domi collatum fuisse rite valideque voluerit tamen iterum infantem in ecclesia baptizare: neutrum a promotore fiscali suis testibus probari. Facti igitur haec causa est, non juris et tota pendet a dictis testium eorumque qualitate, ut dignoscatur, quaenam illis habenda fides sit, quidve probent. Longum esset eorum dicta referre, et quibus reprobentur acceptionibus. Legent haec eminentissimi Patres in libellis. A promotore fiscali nihil hactenus habuimus.

Dubium vero definiendum hoc est:

An constet de irregularitate in casu?

S. C. resp.:

Esse absolvendum ad cauthelam.

Die 11. Decbr. 1756.

Firmana.

Delatis ad Firmanam curiam nonnullis querlis adversus sacerdotem Franciscum Monti parochum ecclesiae s. Mariae ad Mare in Castro Palmarum, dum pro confectione processus notarium expedire Archiepiscopus decreverat, accessit relatio, quod idem parochus baptismum iterum contulerat infanti rite baptizato. Novo itaque hoc facto per ipsum notarium Archiepiscopi jussu etiam examinato confectoque desuper processu depraehensum est, quod dictus parochus, licet de collato per medicum baptismo ob imminens periculum bis ab obstetrice rotundis verbis monitus fuisset, voluit nihilominus sacramentum iterum *sub conditione* conferre.

Cum vero de rite per eumdem medicum collato baptismo nulla parocho fuerit rationabilis causa dubitandi, eumdem in irregularitatem lapsum fuisse existimans Archiepiscopus ad curiam vocavit civitateque Firmi loco carceris assignata jussit, ut Sacris ulterius abstineret, oeconomo interim pro supplendis parochialibus muneribus deputato.

His omnibus qua par erat submissione adamussim obediens parochus Archiepiscopum adivit suppliciter deprecans, ut tum de hoc crimine tum de aliis, quorum fuerat accusatus, oeconomica ratio haberetur, et omnia absque ulterioris judicii forma absolverentur; suam itaque Archiepiscopus sententiam dixit super singulis criminibus et praesertim super reintegratione baptismi, circa quam decrevit, ut ad sacram hanc Congregationem recursum haberet pro dispensatione obtinenda ab irregularitate.

Aequissimo huic decreto iterum obtemperatus parochus preces s. huic Congregationi humillime obtulit exponens, scilicet conscium baptismatis a medico, qui puerperio adfuerat, collati, illud tamen *sub conditione* iterasse, itidemque post hanc iterationem bona fide ductum nunquam a missa celebranda sacramentisque administrandis destitisse, donec a propria curia monitus fuit, ut a Sacris abstineret usquedum s. haec Congregatio super contracta irregularitate secum benigne dispensare dignaretur.

Datis literis Archiepiscopo Firmano pro informatione et voto factum iisdem pene verbis, ut supra narravimus, exposuit precesque oratoris veritati inniti adfirmavit addens, easdem in una dumtaxat re deficere, quae post latam sententiam ad tribunalis sui no-

titiam delata fuit cuique insimul est opportune consulendum, nimirum, inquit Archiepiscopus, ex jurato *obstetricis dicto ac etiam ex testibus extra judicii formam auditis constat quod idem orator in aliis octo casibus baptismum ab ipsa obstetrice collatum iterum contulerit, licet ab eadem in unoquoque casu opportune monitus fuerit. Utrum vero absolute vel sub conditione id egerit est incertum; sed si libri parochiales inspiciantur absolute iterum contulisse affirmari potest etiam in casu, de quo peculiariter agitur; nulla siquidem ibi adnotatio legitur prout opus fuisset de baptismis sub conditione collatis, sed omnia ita recensentur ac si res fuisset de baptismis absolutis. Orator itaque non solum dispensationem ab incursa irregularitate in casu, de quo est sermo, petere debet, sed ut suae consulat conscientiae etiam quoad alios superius relatos et ad forum deductos post sententiam, licet curia mea hactenus non inquisiverit.* Suam deinde aperiens animi sententiam prosequitur Archiepiscopus: *Exaudiendum porro oratorem in ejus petitione censerem quandoquidem suspensionem patitur a Divinis tribus* (nunc vero quinque) *abhinc mensibus: et aliis, quae in sententia mea praescribuntur, jam adamussim satisfecit praesertim quoad fiscum et spiritualia exercitia, quibus per lapsum dierum vigintiquinque in hac domo missionis vacavit; emendandi tamen sunt libri parochiales sive potius adnotandum est id, quod describere parochus omisit, ne alias illa insurgeat spiritualis cognatio, quam in hujusmodi baptismis non intercessisse dicendum etc.*

Dum haec agerentur, aliae oblatae sunt preces ex parte communitatis Turris Palmarum, cujus publici repraesentantes, exposita praedicti sacerdotis in obeundo parochiali munere negligentia et suspensione ob narratas causas inflicta allegataque asserta ejusdem in latinis literis imperitia ob pauca errata, quae ex ejus calamo in parochialium librorum regestis irrepsisse noscuntur, suppliciter postularunt ab EE. VV., ut probum doctumque capellanum curatum, qui animarum commodis diligentius inserviat oratori in posterum substituere dignarentur eo magis, quod hanc substitutionem commode ferunt parochiales redditus, qui summam scutorum 160 annuatim attingunt.

Duo itaque Eminentiis Vestris ponderanda in hac causa proponuntur: Primum scilicet: an irregularitatem incurrerit et dispensationem nunc mereatur orator parochus: Alterum: an juxta communitatis votum adjiciendus eidem sit ex officio capellanus, qui eumdem in administranda parochia coadjuvet.

Quoad primum cum nulla adsint argumenta positiva, quae evincant, credendum esse dicto oratoris, qui affirmat se sub *conditione* tantum rebaptizasse, quippe quia agitur de re, quae pendet ab interna mentis intentione, de qua nemo melius testari potest, quam idem orator.

Posito autem, quod novem baptismata, de quibus agitur, *sub conditione* tantum iterata fuerint, negant aliqui non spernendae auctoritatis tum canonistae tum theologi, irregularitatem in hoc casu incurri; inter primos numeratur praecipue *Passerinus in cap. Ut inquisitionis de haereticis sub num. 57*, inter secundos, Gobat. *tom. 1. tract. 2. sect. 3.*

Inquiunt enim fundamentum hujus irregularitatis unice constitui *in capit. Ex literarum 2. apostat. et reiter. bapt.*, ibique agi de baptismo absolute, non autem sub conditione iterato, nec susceptorum ordinum exercitium interdici, sed solum prohiberi ascensum ad majores, in quo notabile putant inesse discrimen; innituntur insuper vulgatae regulae, quod in poenalibus non sit locus argumentandi a casu ad casum diversum quodque poenae molliendae sint potius quam asperandae, *Leg. 56 et 155. de reg. jur.* et *Leg. 42. ff. de poenis*, proindeque concludunt promotum sub conditione rebaptizantem ex hujus capituli tenore nullam contrahere irregularitatem.

Fatendum nihilominus est, contrariam sententiam probabiliorem visam fuisse gravissimis auctoribus eamque praesertim doceri a catechismo romano *part. 2. de sacr. bapt. num. 57.*, ab *Hostien. in capit. 2. de apost. et reit. bapt.*, et s. *Carolo Borromaeo in inst. act. eccles. Mediolanen. part. 4. p. 497. de forma condit. bapt.*, et s. mem. Benedict. XIV. tum *in instit. eccl. 84. n. 13.* tum *in synodo dioeces. lib. 7. cap. 6. num. 3*, qui omnes tenent irregularitatis laqueo etiam illum irretiri, qui sub conditione rebaptizat absque dubio probabili prioris baptismi.

Quo vero ad communitatis preces, quae capellani curati deputationem expostulat, sunt quidem non levis momenti causae a publicis repraesentantibus adductae; animadvertendum tamen est parochum pro iisdem jam poenas dedisse a suo Ordinario inflictas.

Quanti tamen et culpa parochi et poena ab ipso expleta habendae sint, et an per deputationem capellani curati sit providendum, seu potius sperandum sit in futurum de solerti et fideli parochi administratione, pro eorum prudentia decernent Emi PP., quorum judicio proponuntur sequentia dubia:

I. *An locus sit dispensationi ab irregularitate?*

II. *An substitui debeat alter capellanus juxta preces communitatis?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative, facto verbo cum SSmo.

Ad II. Archiepiscopus utatur jure suo ad formam Concilii Tridentini.

Die 7. et 28. Apr. 1781.

Baptisma iterantes irregulares evadunt, *cap. Ex literar. de apostatis et iterantibus baptisma;* quam irregularitatem contrahunt etiam, qui baptismum sub conditione conferunt, nisi probabile dubium adsit de validitate baptismi, juxta plurium doctorum sententiam, quam amplexus est *Benedictus XIV. notif. 84*, auctoritati innixus *catechismi romani part. 2. de Sacram. bapt. n. 57.*

Die 24. Maji 1823. *Fesulana.*)*

Quum baptismatis sacramentum characterem imprimat, infantes, etiamsi domi in casu necessitatis baptizati sint, nec sub conditione sunt denuo sacro lavacro tingendi, *nisi adsit probabile dubium invaliditatis baptismi*, ut respondit haec s. Congregatio *27. Martii 1683 apud Benedict XIV. instit. eccl. 84. n. 7.*, secus et dans et accipiens irregulares evadunt, *cap. Ex literarum de apost. et reiter. baptis.*, *s. Congreg. in Sutrina Baptismi 12. Julii 1794: Tunc.*

Die 16. Aug. 1828. *Senen.**)*

33) Irritus.

Nulla est collatio Baptismi per aspersionem corporis materni, *divus Augustinus in lib 6. contr. Julian. cap. 5.*, *relat. in can. 114. de conscerat. distint. 4.* confirmavitque *d. Thomas 3. pte. quaest. 68. artic. 11.* et *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 5. sub §. 2.*

*) Vd. *supra p. 32.*
**) Vd. *supra p. 57.*

At quatenus etiam aqua verticem tetigerit capitis, ut verisimile est, neque chirurgus aut parochus dubitare videntur, verticem, inquam, qui utero jam aperto »per quattro buone dita traversè chiavamente vedevasi scoperto da ogni membrana, subalterna adhuc quaestio praesentem casum afficere possit, quam *Benedictus XIV. de synod. dioec. lib. 7. cap. 5. sub. num. 2.* his verbis proponit: An scilicet reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contigit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui pars in lucem prodierit, aqua nihilominus saltem per siphunculum tingi potest. De hoc quidem dubio in utramque partem disputant theologi et canonistae, quin unquam conciliata fuerit opinionum discordia. Plures enim magnique nominis doctores negativam tenent, et praesertim *Theophilus Raynaldus de ortu infant. per sect. caesar. cap. 6. num. 14.*, *Natal. Alex. theolog. dogm. et mor. tom. 2. lib. 2. cap. 7. prop. 2. in fin.* et *Gibert. in jus can. tract. de sacrament. tom. 3. tit. 2. sect. 9. num. 1.* suamque tuentur sententiam ex sacris literis, ubi Christus Dominus dixit, oportet vos nasci denuo, nisi quis renatus fuerit etc. *Joan. 3.*; ex quibus verbis inferunt, quod cum baptismus sit sacramentum regenerationis et secundae nativitatis spiritualis, oportet ut prima corporis nativitas hanc spiritualem regenerationem praecedat, quia non potest denuo nasci, qui nunquam antea natus fuit, ut inquit *Benedict XIV. loc. citat. sub num. 4.*

Die 12. Julii 1794. *Sutrina.*)*

34) Iteratio sub conditione vel non.

Vd. *Baptis.* (sub condit. non est iterandus p. 8. 25.; irregular. etc. p. 67; reiteratio)

35) Judaei pueri clam baptizati.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decretal. Bened. XIV. *Postremo); p. 10* decret. *Constantien.*

Confirmatio decreti editi super baptismo clam puero Hebraeo collato.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Alias emanavit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

*) Vd. *p. 22.*

Feria V. die 9. Februarii 1764.

§. 2. In Congregatione generali sanctae romanae et universalis Inquisitionis habita in palatio apostolico Quirinali coram sanctissimo Domino Nostro Clemente divina providentia PP. XIII. ac eminentissimis dominis S. R. E. Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a sancta Sede apostolica specialiter deputatis.

Proposita causa Aveniensis Carpenctoratensis circa baptismum clam puero Hebraeo collatum a cathecumeno Ain de Cavaillon et circa recursum quatuor universitatum Hebraeorum provinciae Avenionensis super minis, quae quotidie inferuntur a pravis et otiosis hominibus, conferendi baptismum infantibus Hebraeis invitis parentibus ad finem extorquendi pecunias ab Hebraeis divitibus, relatis scripturis desuper pro parte Hebraeorum distributis aliisque omnibus juribus deductis: Sanctissimus Dominus Noster Papa, praedictis auditis eminentissimorum et reverendissimorum dominorum Cardinalium generalium inquisitorum suffragiis (proviso tam quoad baptismum supradicti pueri Hebraei, quam quoad minas et instantias matris et sororis de Cavaillon in Hebraeorum claustro civitatis Carpenctoratensis commorantium) decrevit: Scribendum esse tum Episcopo Carpenctoratensi, ut nullo modo permittat accessum ad suam dioecesim Hebraeis fratribus de Cavaillon absentibus, tum Vicelegato Avenionensi, ut poenam exilii a toto comitatu Venesino debitis formis praedictis Hebraeis fratribus de Cavaillon sub gravibus poenis, in casu etiam primae contraventionis, intimet.

§. 3, Item Sanctitas Sua eidem Carpenctoratensi Episcopo ac patri inquisitori Avenionensi scribendum statuit, ut nomine sanctae Congregationis publicent novum edictum, comminatis poenis gravioribus etiam afflictivis et corporalibus (scilicet triremium quoad homines, fastigationis vero quoad mulieres) irremissibiliter incurrendis contra baptizantes, ut supra, invitis parentibus, infantes Hebraeos et minas eisdem respective inferentes ad supradictum effectum.

Petrus Pauluccius sanctae romanae et universalis Inquisitionis Notarius.

§. 4. Nunc autem nomine praedictarum quatuor universitatum Hebraeorum Nobis expositum fuit, quod ipsae, ut decretum hujusmodi firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae etiam Nostrae confirmationis patrocinio communiri plurimum desiderant.

§. 5. Nos igitur praeinsertum decretum memorata a Congregatione, ut praefertur, editum, cum omnibus et singulis in eo contentis et expressis auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate ejusdem Congregationis.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari ac respective ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum 15. Maji 1775.

(Bull. r. Contin. t. V. p. 60. Ed. Romae.)

36) Judaeorum.

Vd. *p. 10.* decr. *Constant.*

Confirmatur decretum Congregationis s. Officii quoad Hebraeos denunciatos, quod voluntatem suam declaraverint de suscipiendo baptismo.

Benedictus Papa XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

Emanavit nuper a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum auctoritate apostolica deputatorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet:

Feria 4. die 7. Februarii 1727.

In Congregatione generali s. romanae et universalis Inquisitionis habita in conventu s. Mariae super Minervam coram Eminentiss. et Reverentissimis DD. sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus a s. Sede apostolica specialiter deputatis.

§. 2. Cum plures exortae sint controversiae super intelligentia et executione decreti

ab hac sacra Congregatione editi die 8. Julii 1641 quoad Hebraeos utriusque sexus denunciatos de animi declaratione suscipiendi baptismum, Emi. et Rmi DD. Cardinales generalis inquisitionis dictum decretum declarando et quatenus opus sit reformando, in posterum illud sequenti modo exsequi mandarunt et decreverunt, nempe quod testes, qui Hebraeos denunciabunt, sive mares sive feminas, de declaratione animi suscipiendi baptismum per notarium juxta interrogatoria generalia a R. P. D. Vices-Gerente praescribenda cum speciali monitione relevantiae juramenti in scriptis coram eodem R. P. D. Vices-Gerente et eo impedito coram ejus auditore examinentur, qui etiam examen praefatum subscribere debeant, et quatenus duo testes sint de loco, tempore et occasione contestes tunc denunciati ad domum catechumenorum duci et collocari in loco separato ad hunc effectum destinato, in eoque per duodecim dies detineri possint, ut super veritate et constantia declarationis eorum voluntatis suscipiendi baptismum explorentur. Si autem testes erunt singulares vel unus adest testis idoneus et fide dignus, tunc denunciati non statim post denunciationem et testium examen aducendi erunt ad domum catechumenorum, sed per R. P. D. Vices-Gerentem extra Ghettum vel in ejus domo vel in aliqua ecclesia vel alio loco beneviso, et intra tempus necessarium et opportunum juxta facti speciem et circumstantias pro arbitrio ac prudentia dicti R. P. D. Vices-Gerentis eorum voluntas exploranda erit.

Antonius Laucionus s. rom. et universalis Inquisitionis notarius. Loco Sigilli.

§. 3. Nunc autem Nos perenni decreti hujusmodi robori exactaeque illius observantiae peramplius providere volentes motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine decretum praeinsertum tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus illique inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, si qui desuper quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi nunquam possent plenissime supplemus et sanamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctum Petrum die XIV. Februar. 1727.

(Bull. r. t. XIII. p. 274. Ed. Luxbg.)

Brevis conspectus sequentis longioris epistolae decretalis Bened. XIV. »Postremo« ad commodiorem cognitionem concinnatus.

Cum Antonius quidam Vivianus domum hebraeae ingressus tres ejus filias, quarum major duodecim annos non excedebat, baptizasset, consultus Pontifex fuit ab Archiepiscopo, Romae Vicesgerente, de hoc Viviani facinore et de baptizatarum puellarum educatione §. *1.*

Quoniam facta hujusmodi frequenter audiuntur, ideo illis prospecturus materiam dividit Pontifex in duas partes, in quarum prima discussurus sit: *An invitis parentibus Hebraei infantes baptizari licite possint? Quando id liceat? Cum non liceat, sitne ratus an irritus baptismus impertitus? Quid in praxi observandum? Quomodo collatio baptismi sit probanda?* In altera vero de adultorum baptismate loquuturus, §. *2. 3.*

Quoad infantes Hebraeorum, adductis DD. opinionibus, negat eos posse reluctantibus parentibus baptizari, §§. *4. 5. et 6.*

At varios excipit casus:

1. Si ii sint in mortis extremo constituti; §. *7.*

2. Si a parentibus projecti destitutique inveniantur. §. *8.*

3. Si expositi, etiamsi repetantur postea a genitoribus, qui eo casu patriam amittunt potestatem; §. *9.*

Hic obiter, et qui veri expositi dicantur et quam servitutem Hebraei serviant; §. *10. — 12.*

Quare in ditione ecclesiastica habitare permittantur; §§. *12. et 13.*

Transit deinde Pontifex ad tutores, quorum deficientibus parentibus consensum ad infantium baptismum requiri; §. *14.* Si eorum pater christianus fiat, matris dissensum non officere; §. *15.*

Viceversa nec dissensum patris attendendum, si mater christiana consentiat, exponit. §. *16.*

Imo nec dissensum matris, si mortuo jam patre avus paternus nepotem baptizari permittat; §. *17.*

Si pater filios christianos fieri velit, postmodum vero eum poeniteat, poterunt, si in-

fantes, baptizari, si adulti, catechizari, ut eorum voluntas exploretur; §. *18.*

Infidelium filii a parentibus ob superstitionem aliquam sacro lavacro mundari permissi, non ut christiani fiant, non ideo haud regenerantur, §. *19.*

Quidquid senserit synodus anno 1148 sub Patriarcha Luca habita, §. *20.*

In praxi vero non licet eos baptizare, si in parentum infidelium potestate sint relinquendi, secluso tamen mortis imminentis articulo; §§. *21 ad 24.*

Baptismus Hebraeis infantibus impertitus licet illicite ratus ille erit, non obstante singulari Durandi opinione, §§. *26. et 27.*

Hebraeorum infantes illicite baptizati e manu parentum sunt recuperandi et a christianis educandi et si postea a fide desciverint, poenis coercendi, §§. *28. et 29.*

Nec attendenda Calderini opinio, qui existimavit, eos parentibus sub cautione restituendos; §§. *29. et 30.*

Qui illicite Hebraeorum infantes baptizavit, quod id fecerit, quod ecclesia vetat, judicis arbitrio erit puniendus. Baptismati autem comprobando unius sufficit testimonium, si testi fides prudenter adhiberi possit, aut si idem testetur, qui baptizavit, §. *31.*

Haec quoad infantes: quoad adultos vero, qui regulariter tales sunt censendi septennio expleto, §. *32.*

Jis petentibus baptismus non est denegandus, si de eorum perfecto rationis usu non dubitetur; alias Sacramentum esset differendum et petentes retinendi et instruendi, §§. *33. 34. et 35.*

Parentum consensus non attenditur, §§. *36. et 37.*

Jis non obstantibus, quae a Carolo Magno Imperatore et a Sisebuto Hispaniae Rege facta sunt, quorum is Saxones idololatras, hic Hebraeos vi ad baptismum recipiendum compulere, §§. *38. et 39.*

Nam ad hoc, qui fidelis nunquam fuit, vi nunquam erit compellendus, §. *40.*

Sed adultus tantum recipiendus, qui petat et idoneus inveniatur, §. *41.*

Tandem inquirit Pontifex, quid dicendum de adultis, quibus non petentibus baptismus impertitus sit? Eos quidem retineri oportere, ait, inquirere a quo et quomodo fuerunt baptizati, et instruere, §. *42.*

Si vero dissentiisse ex probationibus comperiantur, non obstante glossa *in can. Solet. de consecr. dist. 4.* invalidum declarandum erit juxta s. Thomam baptisma iis collatum, §. *43.*

Quare debent interrogari, quo animo non postulatum acceperint Sacramentum; §. *44.*

Si enim voluntate lavacrum ecclesiae proprium accipiendi erit validum, §. *45.*

Idem dicendum, si nulla praesenti voluntate id faciendi, sed antecedenti tantum, non retractata, §. *46.*

Si vero vultu composito ac mente alienissima accesserint, ac ideo neutra voluntate, invalidum erit, §§. *47. et 48.*

Tandem si adultus ad baptismum vi adigatur et, licet vi adactus, tamen accedat, valide baptizatur; si ipsi reluctanti baptismus administretur, erit invalidus, §. *49.*

Ut autem probetur voluntas adulti quae fuerit, cum baptismum suscepit, is primo est audiendus, non tamen credendus, nisi ejus dicta comprobent circumstantiae, §. *50.*

Ex quibus si evincatur nullam ei fuisse voluntatem, hortandus est, ut rite suscipiat sacramentum; si nolit, remittendus. In dubio vero erit baptizandus sub conditione juxta s. Thomam, §. *51.*

Et taliter baptizatus tenebitur christianam fidem observare; §. *52.*

Hic Pontifex, antequam epistolae finem imponat, alia dubia circa hanc materiam solvere opportunum existimat, §. *53.*

Cum a vico sit evocandus Hebraeus christianisque tradendus, qui nuntio haud dubio delatus est desiderare baptisma, quandonam haec denunciatio minime dubia erit habenda? §. *54.*

Resp.: Licet unus testis regulariter non sufficiat, hoc tamen varias habet limitationes recipieturque in casu nostro testis sive vir sive mulier, claris suffultus indiciis et conjecturis, §. *55.*

Dummodo sit notae probitatis et fidei. Oportet deinde testem vel testes examinare, et si duo in omnibus concordent, Hebraeus erit ad catechumenorum domum evocandus; sin minus, judex Hebraei voluntatem explorabit, ut vel ad vicum remittat vel ad catechumenos amandet, §. *56.*

Hoc decretum est a Congregatione s. Officii anno 1727. Bened. XIII. approbante, §. *57.*

Altera quaestio pertinet ad sponsas et conjuges ab eorum viris fidei oblatis christianae. Notandum autem

I: Statim ac vir s. lavacro inunctus ad secundas nuptias transit, primum solvi matrimonium cum Hebraea non baptizata, licet de hac ab aliquibus dubitetur, an ideo libera evadet; §. *58.*

II. Notandum, apud Hebraeos sponsum in sponsam auctoritatem majorem habere quam apud christianos, §. *59.*

Ideo Hebraeorum nulla querela est, si sponsus aut vir sponsam vel mulierem ad fidem offerat, et haec oblatio non erit ab ecclesia rejicienda, §§. *58. et 59.*

Conqueruntur autem Hebraei, aliquando fictitia esse sponsalia, ut possit quis virginem apud nos ducere, quam apud eos numquam fortasse duxisset, §. *60.*

Et per hoc duram existimant virginis e vico extractionem et in domo catechumenorum per quadraginta dies detentionem, §. *60.*

Hic Pontifex suam ecclesiasticam eruditionem ostendit de Hebraeorum sponsalibus tam ex eorum scriptoribus quam ex rabbinorum dictis disserens; decernitque, si de contractis sponsalibus ea argumenta adsint, quae apud christifideles sufficiant, virginem esse evocandam et explorandam. Si vero probationes etiam apud Hebraeos contracta sponsalia evincant, tunc statim domui catechumenorum praepositis esse tradendam. §§. *61. ad 70.*

Suppositis tandem Hebraeorum fraudibus, qui Hebraeum christianam fidem amplecti cupientem alio mittunt, desponsatam virginem alteri matrimonio conjungunt, sponsalium probationes ocultant vigilantem ecclesiasticum judicem esse oportere, ac poenis etiam Hebraeos in officio ab eo continendos, sedulo inculcant, §. *71.*

De baptismo infantium et adultorum Judaeorum.

Epistola decretalis Benedicti PP. XIV.

Venerabili Fratri Archiepiscopo Tarsensi.

Postremo mense superioris anni, cum de more ad Nos accessisses retulissesque Antonium quemdam Vivianum in Hebraeorum vico domum Perlae Misani hebraeae ingressum esse ibique cum tres ejus filias, quibuscum puer dumtaxat aderat, earum frater, annos natus duodecim, invenisset, eam, quae nonum annum agebat, baptismate abluisse, sacramenti verbis rite eodem tempore pronunciatis, quo caput aqua lustravit, idemque deinceps cum reliquis duabus sororibus primae adhuc aetatulae peregisse, marem autem non baptizasse, quod aquam sibi deesse viderit, tunc Nobis quoque significasti, quid ad mulctandam Viviani audaciam statueras quidque de puellis sacro baptismate initiatis statuere in animo habebas: id porro a Nobis omnino probatum fuit.

2. Sed quoniam facta hujusmodi frequenter Romae et alibi audiuntur, quotiescunque id vero accidit, multae hinc statim opiniones maximeque diversae, perinde quasi tunc id primo evenerit, excitantur, quod sane inde oritur, quia bene multi temere obloquuntur, cum hac de re scriptos neque expenderint libros neque noverint, alii vero, qui scriptores legerunt, cum eosdem non semel videant sibi invicem adversantes, non satis ingenii et facultatis habent ad judicandum, quis eorum prudenter senserit, quis vero secus, alii demum aut nunquam tribunalium judicata cognoverunt aut eorum certe non reminiscuntur, ideo operae pretium existimavimus, epistolam hanc scribere eandemque typis impressam in lucem edere, quae, si tibi usui non erit, quia probe jam nosti omnia, quae hic continentur, non parum opinor iis fortasse proderit, qui in eodem vicegerentis munere tibi succedent vel aliis extra Romam degentibus, ad quos pertinet, quemadmodum ad vicesgerentem Romae spectat, hujusmodi casibus providere aut non omnino diversis aut huic plane similibus, qui novissime in urbe accidit quique, ut vulgo dicitur, *»dat causam edicto.«*

3. Atque ut omnis, quoad fieri potest, confusio evidetur, materiam duximus in duas partes distribuendam:

In prima enim de Hebraeorum infantium,

In secunda de adultorum baptismate disseremus.

Prima autem pars multifariam dividitur. Primo enim expendetur:

Utrum invitis parentibus ac reluctantibus Hebraei infantes baptizari licite possint?

Secundo: *Si hoc nefas esse dixerimus an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit sed etiam liceat planeque deceat?*

Tertio: *Baptismum Hebraeis infantibus tunc impertitum, cum fas non sit, ratumne an vero irritum haberi debeat?*

Quarto: *Quid sit faciendum, quum infantes Hebraei asseruntur, ut baptizentur, aut*

compertum sit, eos jam fuisse sacro baptismate initiatos?

Demum: *Quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus jam lustratos fuisse?*

I. De Baptismo Judaeorum infantium.

Vd. *p. 75. n. 35.*

4. *De primo primae partis capite si sermo sit: Utrum nempe dissentientibus parentibus hebraei infantes baptizari possint*, aperte asserimus hoc jam a s. Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe in *quodlibet. 2. art. 7, in 2. 2. quaest. 10. art. 12,* ubi ad examen revocans quaestionem in quodlibetis propositam: »*Utrum pueri Judaeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi?*« ita respondit: »*Respondeo dicendum, quod maximam habet auctoritatem ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda. Hoc autem ecclesiae usus nunquam habuit, quod Judaeorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus, Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi: et ideo periculosum videtur assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem hactenus in ecclesia observatam Judaeorum filii invitis parentibus baptizarentur.*« Transitum deinde facit doctor augelicus ad exponendas rationes atque ita ait *in 3. par. quaest. 68. art. 10:* »*Respondeo dicendum. quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis aut non habent. Si nondum habent usum arbitrii liberi, secundum jus naturale sunt sub cura parentum quamdiu ipsi sibi providere non possunt: unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum; et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri* invitis parentibs baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur *invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes; et ideo non habet hoc ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*«

5. *Scotus in quarto sententiarum distinct. 4. quaest. 9. num 2.* et in *quaestionibus relatis ad quaest. 2.* censuit laudabiliter posse principem imperare, ut invitis etiam parentibus occidantur. Habet sectatores haec sententia suos non solum in scholis verum etiam apud auctores recentiores in saecularibus negotiis apprime versatos, quos inter recensendus est *Loaysa in notis ad concilium decimumseptimum Toletanum pag. 761. tom. 2. collect. Concil. Hispan. clar. me. Cardinalis Albizi de inconstantia in fide« cap. 11. n. 32.*, atque inter theologos canonumque peritos vulgatior est, quorum nomina recensentur a *Cardinale Santorio in rituali sacramentorum*, ut videre licet *pag. 209 et seqq.*, in quo rituali complures viri doctrina illustres multum laboris atque operae insumpserunt, quos inter Cardinalis Bellarminus.

6) Ut colligi potest ex nuper allatis s. Thomae verbis, sententiae ipse suae praecipuum statuit in ecclesiae consuetudine fundamentum; quod si, ad gravissimi hujus argumenti vim labefactandam, Matathiae aliorumque exemplum proponeretur, qui nimirum, ut legitur *in lib. I. Machabaeorum cap. 2.* »*circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot invenerunt in finibus Israel*«, quòd quidem invitis eorum parentibus evenit: respondet Liranus, solos Hebraeorum filios circumcisos fuisse; cujus sententiam secutus est *Verhost. de lib. Machabaeorum pag. 88.* Concedit Sotus in Haebraeorum filios hoc gestum esse, sed ulterius procedens addit, quod si hoc pariter in ethnicorum liberos factum esset, Matathias erravisset; scriptoris haec sunt verba *in 4. sent. dist. 5. quaest. unic. art. 10. §: Quod si historiam:* »*Respondetur, eos, qut Judaeis parentibus erant prognati, jure poterat vi circumcidere; si quos autem inter eos circumcidit gentilium, fecit zelo fidei, sed tamen non secundum scientiam.*« At enimvero cum in divinis literis nulla occurrat distinctio inter Hebraeorum et infidelium filios, illa sane responsio videtur certior ac probabilior, Matathiam nempe, quotquot invenit pueros, circumcidisse; cumque idem vir esset virtute egregius et sanctitate clarus, id jure gessisse optimo, cum illi infantes lege belli captivi essent sui, quos propterea merito quidem vel invitis parentibus circumcidi jussit, quemadmodum multa cum laude christiani solent Turcarum filios in bello captos sacrosancto baptismate initiare. Sapienter ita disserit *Suarez in 3. parte s. Thomae tom. 3. quaest. 68. art. 10. disp. 25. sess. 4. §.: Secundo est certum, Cornelius a Lapide lib. I. Macab. cap. 2. vers. 46.*

7. Hoc igitur posito, quod nefas sit Hebraeorum infantes reluctante parentum arbi-

trio baptizare, nunc juxta ordinem initio propositum descendere jam oportet ad alteram partem: *An videlicet contingere unquam possit occasio aliqua, in qua id liceat et conveniat?* Ex his quidem casibus unum modo exposuimus, cum Matathiae exemplum consideravimus. Sed quum ejusmodi eventus nostris hisce temporibus contingere nusquam possint, cum neque Hebraeorum quisquam contra christianos stipendia mereatur neque talis eorum conditio sit, ut bellum indicere christianis valeant, rem fore opportuniorem ducimus, si sermo hic noster de frequentibus tantum casibus habeatur in iisdemque si prudens, si certa methodus proponatur, cujus etiam hoc loco addatur non inutilis aliqua declaratio.

8. Duo ut plurimum casus evenire solent: *Cum christianorum aliquis Hebraeorum infantes invenit in extremo mortis discrimine constitutos; aliter autem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus projecti destitutique inveniuntur. Cum id eveniat, ut ab aliquo christiano Hebraeorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem Deoque gratam is certe efficiet, qui salutem puero aqua lustrali praebeat immortalem.* Inter caetera Congregationis sancti officii decreta unum extat latum postridie Kalend. Novembris anno 1678, cujus verba haec sunt: »*Cum filius Hebraeorum consignatus fuisset nutrici christianae in deficientia nutricum Hebraearum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus, et sacra Congregatio declaravit: Praedictum puerum fuisse licite baptizatum.*« Cum quo convenit alterum emanatum die 18. Februarii anno 1705 quaestioni respondens fel. mem. Praesulis Caroli Maigrot; illud autem est hujusmodi: *An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus?* Eminentissimi audito voto DD. consultorum dixerunt: *Non licere nisi in articulo mortis. Gobat. in theologia experimentali tractatu 2. cas. II. num. 329* maxime commendat virum religiosum de societate Jesu, qui, cum vi quasi coactus mahumetani domum ingressus esset, veluti medicus, ejus puellam morti proximam invisurus eam caute baptizavit, quin id pater cognoverit; quae quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad coelum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eandem sententiam *Suarez in tertiam partem s. Thomae disp. 78. quaest. 25. art. 3 §: Ex his autem, Becanus de sacram. baptismi cap. 10, quaest. 7. num. 7, Hurtadus de sacr. bapt. disp. 3. diss. 3, Azorius part. 1. lib. 8. c. 25, 9. 10, Castrus Palaus tract. 19. disp. unic. de bapt. punct. 9. n. 16, Paschal. de viribus patriae potestatis part. 1. num. 11, Barbosa in canon. Judaeorum 28 quaest. 1. n. 3.* Ad hanc rem praeclare facit epistola s. Francisci Xaverii *pag. 67* Romae typis edita, in qua confirmans patrem Franciscum Henricum, quod quereretur paucos a se infideles in Indiis ad veri numinis cultum revocari, sic scribit: »*Plus itaque proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos per baptismum coelo parturiendo.*« Nam certum est, Xaverium hic loqui de Jndorum infantibus extremum vitae agentibus, quos pater Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat. »*At memento, te octo mensibus, quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.*«

9. *Sit item eveniret, ut puer aliquis hebraeus projectus esset atque a parentibus derelictus, communis omnium sententia est pluribus quoque confirmata judiciis, eum baptizari oportere, reclamantibus etiam repetentibusque* parentibus, ut recte docent *Azorius Jnst. moral. par. I. lib. 8. cap. 25. quaest. 5., Ricciul. Lucubrat. lib. 2. cap. 32. num. 30., Clericatus de jurisdictione, discord. 17 n. 12, Sessa de Judaeis cap. 51. n. 110. et seqq.* At Hebraeorum parentes patriam se in filios habere potestatem contendunt nec plane injuria. Compertum est, patriam potestatem neque ad jus divinum positivum, neque ad jus naturale neque ad jus gentium pertinere, sed juris, ut ajunt, »*Romani*« esse; cum autem civitate Romana Antoninus imperator omnes imperio romano subjectos donaverit, juxta ea, quae leguntur in *l. in orbe romano*, quaeque in aliis exemplaribus incipiunt »*in urbe Roma ff. de statu hominum,*« et Hebraei imperio romano tunc essent subditi, hoc ipsis argumentum suppeditat pro patria in filios potestate. Sed disserit *Abbas in cap. cit. Ex literis n. 3. de convers. infidel.:* »*Judaeus habet filium in potestate; et est ratio, quia Judaei contrahunt justas nuptias, sunt sub romano imperio et sic gaudent legibus imperialibus.*« Sed itidem plane constat praedictam patriam potestatem tunc certe amitti, cum filius derelinquitur projiciturque juxta responsum *Gregorii IX. cap. I. de infantibus et languidis expositis,* cujus haec sunt verba: »*Si a patre sive ab*

alio sciente ipso aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus.«

Animadvertendum tamen est, eum infantem non inter projectos expositosque adnumerandum, quem sine patre, sine matre, nullo comite aut per urbem aut extra hebraeum vicum temere vagantem inveneris, *sed quem in loco publico solum derelictum, abjectum atque omni cura et spe destitutum offenderis, is absque dubio projectus, is sane expositus censendus est.*

11. Benigna haec interpretatio nonnullis improbanda videtur; neque enim ignoramus, apud auctores multas hac de re sententias valde huic nostrae dissimiles inveniri, quae eo potissimum innituntur, quod Hebraei, quamvis non jure belli, christianorum tamen mancipia sunt. Itaque cum servitutem serviant, tametsi sententia admittatur, eorum infantes sine parentum consensu baptizari non posse, non decere tamen subtiliores addere limitationes. Multa de hac re habet *Antonius Francus in additionibus in Abb. cap.* »*Ex literis,*« *litera B. de conversione infid.* Nostri autem instituti non est in hanc epistolam omnes congerere limitationes explicationesque regulae; non enim tractatum, sed simplicem tantum methodum hic proponimus quoad casus et eventus passim obvios ac frequentes. S. Thomas in locis praefatis docet, Hebraeos in servitute quidem apud christianos esse, non vero poenali libertatique contraria, sed civili, quae, licet in abjectissimo gradu constituat, non eum tamen praebet, quem altera, dominatum: quod item in rem nostram sapienter a *Suarez* consideratur *in 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10 disp. 25. sess. 4.* §: *Dico secundo*, et a *Sylvio in 3. part. s. Thomae tom. 4. quaest. 68. art. 10. concl. 7.*

12. San. mem. Pius V. Praedecessor Noster in sua constit. 80. omnes Hebraeos ab omni ecclesiastica ditione exceptis Romae et Anconae civitatibus eliminavit. Sixtus V. iisdem concessit omnia ditionis ecclesiasticae loca, dummodo septa moenibus essent, habitanda. Sed Pontifex Clemens VIII. rem in antiquum statum restituit; Romae tamen Anconaeque Avenionem adjunxit, ut videri potest in ejus *constit. 19.* Cum vero apostolica Sedes Urbini Ferrariaeque ducatus recepisset, non ejecti fuere Judaei ab iis urbibus oppidisque, ubi ante per duces iis licuerat commorari. At si quis peteret, qua de causa non Hebraeis negatum fuerit nec negetur, in pontificia ditione ac Romae etiam libere permanere, is quidem quaestiones adeat theologicas *Piette*, qui *part. V.* usitata ingenii sui sagacitate quaestionem agitat: *An infantes Hebraeorum possint invitis parentibus baptizari,* tum id affirmantes (quorum et sententiam ipse amplecti videtur) hac interrogatione provocat *pag. 335.* »*Cur ergo Romae ecclesia filios Judaeorum non baptizat baptizatosque a parentibus non avellit, ne in odio Christi multiplicique impietate enutriantur?* hanc deinde responsionem subjungit: »*Respondeo et peto vicissim ego: Cur infensissimos illos Christi hostes Christi ipse Vicarius Pontifex romanus in sua civitate tolerat? Cur eos inde non amandat?* Sicut ergo habet suas *rationes gentem illam Deo abominabilem Christoque infestissimam tolerandi, ita et rationes habet, quare infantes eorum, ipsis invitis, non baptizet nec ab eis avellat.*« Et inter caetera, quibus nititur, argumenta, unum extat *s. Augustini lib. 18. de civitate Dei cap. 46*, in quo exponit, Deum non eos extingere penitus voluisse, sed tantum dispergere ac dissipare, ut quocunque pergerent, sacras literas ferentes, id boni ecclesiae parerent, ut suorum codicum testimonio Christi vaticinia vel invito animo ubique terrarum disseminarent. »*Ideo parum fuit*, (verba sunt Augustini) *ut diceret:* »*Ne occideris eos, ne quando obliviscantur legem tuam, nisi etiam adderet:* »*Disperge eos; quoniam, si cum isto testimonio scripturarum in sua tantummodo terra non ubique essent, profecto ecclesia, quae ubique est, eos prophetiarum, quae de Christo praemissae sunt, testes in omnibus gentibus habere non posset.*«

13. Hoc vero obiter attigimus non contendentes veram causam constituere, cur Hebraeis liceat et Romae et in aliquibus pontificiae ditionis urbibus moram facere; id enim ad rem propositam satis est, quod, si Hebraei servitutem christianis serviunt, ea quidem non poenalis est sed civilis, ac si Romae aliisque in pontificiis urbibus commorantur, id potissimum summorum Pontificum indulgentiae acceptum referunt; ex quo quidem colligere aperte licet, non id ab iis expetendum esse, quod jure non potest exigi, tum etiam eorum ad Christum conversionem atque infantium baptismum, moderate, religiose, pie procurandum esse, sine ulla vi

aut injuria, quoniam, quicquid injustitiam sapit, christianorum indignum est; contumelia vero omnis asylo ipsis concesso penitus adversatur S Gregorius Pontifex ad Paschasium Episcopum Neapolitanum scribens eum admonet, ut humaniter et mansuete in Hebraeos se gerat, qui tunc eam civitatem incolebant. *Agendum est ergo, ut potius ratione et mansuetudine provocati sequi nos velint, non fugere, ut eos ex eorum codicibus ostendentes, quae dicimus, ad sinum matris ecclesiae Deo possimus auxiliante convertere.*« Et quoniam Paschasius quasdam iis celebritates jampridem concessas interdixerat, haec subjungit: »*Itaque fraternitas tua eos monitis, prout poterit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat, sed omnes festivitates feriasque suas, sicut hactenus tam ipsi quam parentes eorum per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam.*« Et quae in eadem epistola decernebantur, pertinere quoque voluit ad omnes Episcopos, in quorum dioecesibus Hebraei commorabantur: »*Item universis Episcopis per Galliam et Europam et Germaniam constitutis.*« Haec autem epistola recensetur *in can.* »*Qui sincera,*« *dist. 45.*

14. Postquam casus magis obvios exposuimus, in quibus nostra haec regula prohibet, Hebraeorum infantes, invitis parentibus, baptizari, aliquas insuper declarationes addimus ad hanc regulam pertinentes, quarum haec prima est: Si parentes desint, infantes vero alicujus Hebraei tutelae commissi fuerint, eos sine tutoris assensu licite baptizari nullo modo posse, cum omnis parentum potestas ad tutores pervenerit. Sic *Azorius Instit. moral. par. I. lib. 8. cap. 25. quaest 9, Thomas a Jesu de convers. gent. 212, Sessa de Jud. cap. 25. num. 30*: alios praeterea auctores eadem sentire non ignoramus, a quibus recensendis brevitatis gratia supersedemus.

15. Secunda est: Si pater christianae militiae nomen daret juberetque infantem filium baptizari, eum quidem vel matre Hebraea dissentiente baptizandum esse, quum filius non sub matris sed sub patris potestate sit habendus, juxta *textum in lege* »*Nulla ff. de suis et legitimis haeredibus,*« et *in* §. »*Foeminae*« *instit. tit. de adoptionibus,* quod quidem ad verbum statuit Gregorius IX. in sua decretali ad Argentinae Episcopum scripta et relata in *cap.: Ex literis, de conversione infidelium.*

16. *Tertia est: Quamvis mater filios sui juris non habeat, tamen ad Christi fidem si accedet et infantem offerat baptizandum, tametsi pater hebraeus reclamet, eum nihilominus aqua baptismatis abluendum esse:* Ita cum caeteris *Azorius* verba facit in loco praefato *quaest. 3:* »*Ubi de communi fidei bono agitur, nulla habenda est ratio patriae potestatis, quam leges et jura romana sanxerunt; et propterea mater fidelis, quamvis ei jus civile patriam potestatem non tribuat, jus habet ad baptismum filium offerendi.*« *Huic quidem sententiae favet praedicta decretalis Gregorii IX., in qua, licet loquatur de patria potestate in eo casu, quem explicabat, patris nempe christiani filium aquis lustralibus offerentis, matre hebraea perperam discrepante, statuit tamen sententiae suae in favore fidei fundamentum:* »*In favorem maxime fidei christianae respondemus, patri eundem puerum assignandum:*« favor autem fidei in utroque casu valere plurimum pure debet.

17. *Quarta est: Quod si pro certo habeatur, parentum voluntatem esse infantium baptismati necessariam, quoniam sub appellatione parentum locum quoque habet paternus avus,* ut observatur in *l. justa interpretatione 202,* ubi *glossa in verb.* »*Avus*« *ff. de verb. signif.* cum eo, quod amplius legi potest in *discept. 977. num. 4. Gratiani*: hinc necessario sequitur, *ut, si avus paternus catholicam fidem amplexus sit ac nepotem ferat ad sacri lavacri fontem, quamvis mortuo jam patre mater hebraea repugnet, tamen infans sit absque dubio baptizandus.* Martinus Navarrus vir sacrorum canonum doctrina excellens, cum hic Romae casus hujusmodi evenisset, plus valere contendebat matris dissensum, ut videre licet in ejus *cons. 4. lib. 2. de conversione infidelium.* Contra eum scripsit praesul Rutilius Benzoni. Pontifex autem Gregorius XIII. pro avo sententiam tulit, ut ipse refert in suo *speculo Episcoporum lib. 1. quaest. 9, dub 1.*, ubi testatur, haebraeo infanti baptismum se contulisse. Quam ob rem in fine consilii Navarri haec leguntur: »*Advertendum autem, contra opinionem esse latam sententiam infantemque traditum fuisse avo christiano et demum baptizatum perseverareque adhuc in fide.*« Hujusce facti *Marchinus* etiam testis est »*de bello divino*« *par. 1.*

cap. 2. Non desunt alia judicata, quorum vi avus ad fidem conversus praeferri debet, non solum si mater sed etiam, si pater dissentiat, et quamvis ambo pariter protestentur, sese filii baptismati non assentiri, ut videri potest in *cit. disc. 977. Gratiani*, cum praeter favorem religionis, qui maximi habendus est, argumenti loco etiam esse debeat *text. in can.: Patrem 32. q. 3*, ubi in neptis nuptiis avi sententia patris judicio anteponitur, cum avus liber, pater autem servus existit. »*Patrem puellae ecclesiae nostrae famulum, avum vero ejus liberis ortum constat esse natalibus et ideo avi magis electionem de conjunctione neptis quam patris ejus, cujus nullomodo liberum potest esse arbitrium, decernimus attendi. Quia ergo electione avi huic ista nupsisse probatur, hanc constat legitime esse copulatam.*«

Fictitia res non est, quod aliquando pater haebraeus se velle catholicam religionem amplecti praedicet ac se ipsum filiosque infantes baptizandos offerat, postmodum vero sui se consilii poeniteat ábnuatque filium baptizari. Id Mantuae evenit, ubi Hebraeus quidam non modo cum viro perhonorificum dignitatis gradum tenente, sed ipso etiam cum duce id rei gessit. Duos habebat infantes liberos totidemque pueros atque uxorem, cumque deinceps ad Christi fidem accedere recusasset ducisque spem frustratus esset, res ad examen deducta est in Congregatione sancti officii ac Pontifex die 24. Sept. 1699 statuit, ea fieri, quae sequuntur: »*Sanctissimus, auditis votis Eminentissimorum, decrevit, quod duo filii infantes, alter scilicet triennis, alter quinquennis baptizentur. Alii, nempe filius octo annorum et filia duodecim, collocentur in domo catechumenorum, si ea Mantuae adsit, sin minus, apud piam honestamque personam, ad effectum explorandi ipsorum voluntatem eosque instruendi. Uxoris quoque in loco a filiis separato exploretur voluntas. Patrem vero et maritum respective, qui a proposito suscipiendae fidei christianae recessit, non esse cogendum sed contra eum posse procedi prout de jure.*« Idem ferme accidit Augustae Taurinorum, ubi cum Hebraeus quidam religionem catholicam amplecti nollet, postquam id se facturum promiserat, cumque instaret, ut filiola, quam baptizandam oblatam christianae nutrici lactandam dederat, in potestatem rediret suam, Congregationis sancti officii auctoritate Romae sancitum fuit: ut puellula christianos penes esset et ad sacrum regenerationis fontem elevaretur, quod videri potest apud *Sessam cap. 51. num. 98* Hoc autem prudenter statutum est, ne scilicet parentes hebraei, quibuscum summa aequitate apud christianos agitur, eo impudentiae deveniant, ut et nos et ecclesiam audeant irridere.

19. *Sunt quoque aliqui infideles suos infantes christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur, sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe baptismi beneficio existimant eosdem a malignis spiritibus et a foetore aut morbo aliquo liberandos.* S. Augustinus in epistola ad Bonifacium Episcopum *tom. 2. typis patrum s. Mauri num. 5.* de hac re ita disserit: »*Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur; celebrantur enim per eos necessaria ministeria et verba sacramentorum, sine quibus consecrari parvulus non potest.*« Mens quippe non infantem baptismo offerentis sed baptizantis est serio consideranda: »*At non parentum, sed ministrorum mens est spectanda, hi enim si bona et recta mente voluerunt exequi, quod ecclesia postulat, omnino baptismum valide contulerunt.*« Verba sunt *Arcudii lib. de concordia ecclesiae occidentalis et orientalis lib. 1. cap. 12,*

20. Res ad examen revocata fuit in synodo habita anno 1148 sub Patriarcha Luca, de qua synodo sermonem habet *Balsamon super canone 84. Trullano.* Agareni quidam synodo adfuerunt, qui ut baptismum reciperent invitati illico responderunt, sese jam pridem sacro baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad sacerdotes catholicos deferri solitos ac baptizari: »*Non tamen admissi fuerunt; audierat enim* (praedictus scilicet Patriarcha) *quod baptismus, quem infideles a christianis petunt, non bona affectione et orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis, fore, ut sui liberi a daemone vexentur et tanquam canes male oleant nisi baptismum christianum assequantur.*« Verba sunt Balsamonis e graeco idiomate in latinum versa a *Card. Baronio*

in annalibus ad annum praedictum 1148; unde significari videtur, illius concilii patres baptismum ratum ac validum nequaquam existimasse.

21. Cum ad theologos canonumque peritos hujus quaestionis examen transisset, varii casus propositi ac discussi fuerunt. Infideles aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, baptismi gratia infantes suos a morbis daemonumque vexationibus liberatum iri, eo dementiae adducti sunt, ut mortem quoque minitati sint catholicis sacerdotibus, qui utpote eorum pravae mentis conscii baptismum eorundem liberis constantissime denegabant. *Navarrus in suo cons. 5. de tit. bapt.* respondit, pueros jam rationis compotes in casu ejusmodi a baptismi fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos esse, qui adhuc rationis expertes sint. Alii vero perperam sentiunt, omnibus conferri baptismum posse, mors ut evitetur, dum materia solum, non autem forma adhibeatur. At huic sententiae refragatur Congregatio sancti officii coram Pontifice habita die 6. Septembris 1625. »*Sacra Congregatio universalis inquisitionis habita coram Sanctissimo relatis literis Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An, cum sacerdotes coguntur a Turcis, ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo et lupis, an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare, adhibita baptismi materiae sine debita forma? Respondit:*

Negative, quia baptismus est janua sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.« Hoc decretum typis editum extat in *Vericello* »*de apostolicis missionibus*« *tit. 5. ad verb.:* »*Baptismus*« *quaest. 219.* Neque hoc loco praetermittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocentio XI. damnatas die 2. Martii 1679 esse hujusmodi: *Urgens metus gravis est justa causa sacramentorum administrationem simulandi.*«

22. *Si tamen mortis discrimen absit*, omnibus haec opinio insedisse videtur, *baptismum conferre nefas esse, cum dubitari prudenter possit, id futurum, ut baptizatus tractu temporis a catholica religione desciscat:* quod quidem experentia docet plerumque iis infantibus evenire, qui a parentibus infidelibus oblati, ut ab infirmitate aliqua baptismo liberentur, postea vero in eorum educationem ac potestatem revertuntur. Hoc idem comprobat suffragio suo *Castrus Palaus tom 4. suorum operum moralium tract. 19. disputat. unic. punct. 6. num. 11, Cardinalis Albizi de inconst. infid. cap. 33. num. 47. Vericellus de apostolicis missionibus titul. 6. quaest. 113. n. 8.* Hinc vero id sequitur, *quod, si baptizatus infans non ad parentes infideles rediret, sed christiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet, etiamsi non a parentibus oblatus esset, ut catholicus evaderet, verum ut ab aegritudine ac morbo aliquo servaretur.* Apposite ita concludit *Azorius instit. moral. par. I. lib. 8 cap. 25. quaest. 6:* »*Ex quo perspicuum est, ejusmodi infantes jure donari et ablui baptismo posse, quoties commoda occasio se obtulerit a patrio eos jure et potestate liberandi.*«

23. Negari profecto nequit grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Episcopus Quebec alias significavit, barbarorum aliquot, etiamsi christianae militiae adscriptos, nullum religionis specimen exhibere; hoc enim habent in more positum, ut statim ac filius nascitur, eum christianis offerant baptizandum; is vero, ubi adolevit, a religionis nostrae sanctimonia abhorret, parentum scilicet exemplo edoctus. Quare non sine causa praedictus Episcopus postulavit, iis ne infantibus sacramentum esset baptismatis conferendum. Huic petitioni diligenter expensae in Congregatione sancti officii habita die 3. Maji 1703 responsum fuit: *Baptismum conferri infantibus non licere, qui filii infidelium essent atque in eorum potestate mansuri.* Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur: *Non licere, si sint filii infidelium et in potestate eorum relinquendi: secluso tamen mortis imminentis periculo.*« Licere autem, si filii quidem barbarorum sint, sed jam Christi militum, dum tamen aut a viris apostolicis illic degentibus aut ab ipsis parentibus de sanctae religionis praeceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint: *Licere vero, si sint filii barbarorum baptizatorum, curandum tamen per missionarios ac per ipsosmet eorum parentes, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se vel ab aliis instruantur, praesertim in illis regionibus, si non praevideatur in promptu ad futuros ministros evangelicos, qui in hoc parentum commode supplere defectum.*« In Servia audivimus pauperculas esse christi-

anas mulieres invito cum Turcis matrimonii vinculo copulatas, quae, cum filium pariunt, eum sacerdotibus offerre solent, ut baptizetur. Idcirco postulatum fuit, qui debeant in casu hujusmodi sese gerere sacerdotes. De hac re decretum habetur in nostro *bullario n. 89. §. 8. n. 304,* ubi apparet, conferendum esse baptismum. si constet mortem oblato puero imminere: *Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent.«* Si nullum adsit vitae periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias, et praesertim *»vel eos in evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos vel christiana educatione ab ejusmodi matribus fraudatos mahometani patris impietatem secuturos esse.«* Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, aequum honumque existiment praedictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen inixe admonerent de gravissimo, quo tenentur, munere filios de christiana religione sedulo edocendi.

24. Nos certe ignoramus accidisse, ut pater aliquis hebraeus Romae aut alibi infantem obtulerit sacris baptismi aquis tingendum, non quod cum cuperet christianum fieri, sed a morbo aliquo liberari. Hoc si unquam eveniat, s. Augustini sententia, nempe pravam parentum intentionem baptismati non obesse rite collato, prae oculis habita et conjunctim communi opinione considerata, in hoc casu baptismum minime negandum esse, dum nullum periculum sit perversionis, quod sane est maximum, si baptizatus in infidelium potestatem sit rediturus; prudentum certe judicio rite lustrari deberet infans et christianis tradi, ut probe educatus aetate et sapientia coram Deo proficeret; hoc autem, si diligenter fieret, ut semper post baptismi sacramentum decet, nullum esset periculum perversionis; quod vitari non potest, si patri hebraeo filius restituatur; atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur, quae saepissime in causa fuit, cur responsio categorica missionariis negata sit innixe postulantibus, liceretne baptismum conferre infidelium infantibus sacro fonti oblatis, non pietatis, non religionis causa sed rerum temporalium caducarumque cupiditate. Vid. *Card. Albizi cit. cap. 33. de inconstant. in fide num. 47.*

25. Satis abunde diximus non solum de primo hujus partis capite: utrum nempe invitis parentibus hebraei infantuli baptizari possint, verum etiam de secundo: an casus unquam contingat aliquis, in quo id aeque licitum sit ac decorum; ad tertium nunc accedimus: *baptismum videlicet hebraeis infantibus impertitum, cum fas non sit, ratumne an verum irritum haberi debeat?*

26. Nulla de hac re inter sanctum Thomam et Scotum dissensio est, cum non in eam sententiam disputaverint, utrum baptismus hebraeis infantibus sine parentum consensu conferri valide possit, verum an licite, ut prudenter animadvertit *Cardinalis Lauria* egregius scotista *in tom. I. lib. 4. sententiar. disp. 14 art. 5. num. 58*: *»Et nota, quod sermo non est de posse valido, quia si baptizarentur, certum est remanere baptizatos, sed de posse licito, idest, an licite fiat, si baptizentur.« Durandus in 4. sent. dist. 4. quaest. 7. art. 13.* contendens irritum baptismum esse sine consensu saltem interpretativo illius qui baptizatur, ideo si hoc sacramentum hebraeorum aut infidelium filiis, invitis parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat ea ratione ductus, quod infantulis non alia quam parentum voluntas sit, quae si desideretur, omnis deest voluntas, cujus necessitas est sane maxima, baptisma ut validum habeatur. Verum haec Durandi opinio singularis nunquam aut plausum aut existimationem nacta est, quod revera *constet baptismum esse ratum ac validum, quotiescunque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat.* Quamobrem Durandi sententiam Suarez falsam, Cajetanus a ratione alienissimam esse affirmant. Praefati argumenti, validitatem baptismi collati sine consensu patris contra Durandum comprobantis, *Silvius* auctor est, doctissimus s. Thomae sectator *in 4. tom. in 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10*: *»Si filiis quorumcunque infidelium conferatur baptismus, erit validus, etiamsi parentes sint inviti, quia subjectum est capax, et minister cum debita intentione adhibet et materiam et formam. Nihil autem aliud requiritur, ut baptisma parvulorum teneat; nam intentio parentum est impertinens.«* Et *Phrassea* eximius scotista *tom. 10. sui Scoti academici tract. 10. disput. 1. art. 2. quaest. 3* Durandi sententiam refellens et ejusdem argumento, hoc est, in baptismo infantium voluntatem deesse, si parentum vel offerentium voluntas desit, respondens admonet, ecclesiae voluntatem semper inesse: *»Quid si nullus offerat, sed solus minister baptizet? Recte intelligitur respondere tota mater ecclesia, quae in sanctis est, quia tota omnes, tota singulos parit per voluntatem ministri, suo et christiani nomine baptizantis.«* Quae quidem responsio s. Augustino auctoritatem debet, qui in memorata epistola ad Bonifacium sic scribit: *»Offeruntur ad percipiendam spiritualem gratiam non tam ab eis, quorum gestantur manibus, quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet, quod offeruntur, et quorum sancta et individua charitate ad communionem sancti Spiritus adjuvantur. Tota ergo mater ecclesia, quae in sanctis est, pueros gestat et offert, quia tota omnes, tota singulos offert.«*

27. Argumentis per se clarissimis tantorumque auctoritate hominum corroboratis alia addere supervacaneum ducimus; quaedam vero Congregationum responsa in medium proferre nullo modo non possumus, inter quae primo loco afferemus illud Congregationis sancti officii habitae die 30. Martii 1688.: *Circa baptismum datum parvulae puellae annorum trium circiter filiae Hebraeorum a Faustina christiana, invitis parentibus, eminentissimi domini censuerunt, parvulam puellam esse vere baptizatam, concurrente materia, forma et intentione; baptismum probari unico teste; et quamvis filii Hebraeorum non possint invitis parentibus baptizari, si tamen de facto baptizentur, valere baptismum et characterem imprimi et filiam baptizatam penes christianos alendam; mulierem baptizantem acriter monendam, ut in posterum caveat a similibus; notificandum vero populo, non licere invitis parentibus filios Hebraeorum baptizare, quia, licet finis sit bonus, media non sunt licita, praesertim stante bulla Julii III. imponente poenam mille ducatorum et suspensionem baptizantibus filios Hebraeorum invitis parentibus.«* Ante hanc resolutionem alia extat die 3. Martii 1633, cujus haec sunt verba:

»Quaeritur: an infantulus filius Judaei a nutrice christiana baptizatus inscio patre hebraeo sit vere baptizatus et hujusmodi baptismate teneatur et apud quem debeat infantulus educari? Respondetur:

Infantulum esse vere baptizatum baptismumque esse validum, eundemque educandum apud christianos, a quibus instruatur et cum pervenerit ad usum rationis, posse cogi ad perseverantiam in fide catholica, eidemque providendum, a patre, si habeat in bonis, sin minus, in necessariis ad minus ad sustentationem.«

Conveniunt aliae quoque ejusdem Congregationis resolutiones, quarum altera emanavit die 23. Decembris 1698, altera die 8. Martii 1708. et a *Leone in suo thesauro fori ecclesiastici part. 4. cap. 4. num. 8*, alia huic similis producitur in Congregatione Concilii habita in causa Fossani, quae tamen cum registris conferri non potuit.

28. Nihil aliud nunc restat, ut primae parti finis imponatur, quam exponere: *Quid sit faciendum, cum infantes hebraei aut baptizandi offerantur aüt compertum sit, eos jam fuisse sacro baptismate initiatos, demum, quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus fuisse rite lustratos?* Quae postrema sunt hujus partis capita, et quorum explicationem paucis expediemus.

29. Nihil hoc loco cum iis infantibus Nobiscum est, qui vel ad sacrum fontem ab iis feruntur, quibus id faciendi jus constat, vel qui juxta sacrarum legum vim, invitis licet reluctantibusque parentibus, sunt baptizandi, ut ante demonstravimus; de his, inquam, infantibus nullus hic sermo est, quoniam patet, omnino esse ad sacrosanctum regenerationis lavacrum elevandos. *Ad eos itaque spectat hic sermo noster, qui baptismo neque a parentibus nec ab aliis, qui jus in eos habeant, offeruntur, sed ab aliquo nullam habente auctoritatem.* De iis praeterea agitur, quorum casus non comprehenduntur sub ea dispositione, quae sinit baptismum conferri, etiamsi majorum consensus desit: hoc quidem in casu baptizari non debent, sed ad illos remitti, quorum in potestate ac fide sunt legitime constituti. Quod si jam sacramento initiati essent, aut tenendi sunt aut ab hebraeis parentibus recuperandi tradendique christifidelibus, ut ab illis pie sancteque informentur; hic enim baptismi licet illiciti tamen veri valdique effectus est. Ex quibusdam paulo ante citatis resolutionibus hoc eruitur, quibus accedit Concilii Toletani quarti textus expositus in *can. Judaeor. dist.*

26. quaest. 1: »*Judaeorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut monasteriis aut christianis viris aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum fidei discant atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant.*« Si autem, postquam adoleverint, suo ipsi infortunio catholicam fidem desererent et hebraeorum ritibus adhaerent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra haereticos, juxta decretalem Bonifacii VIII. in *cap.* »*Contra christianos, qui ad ritum transierint vel redierint Judaeorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes etc. baptizati fuerunt, erit tanquam contra haereticos, si fuerint de hoc confessi aut per christianos seu Judaeos convicti etc., procedendum.*«

30. Dura nonnullis haec sententia est, qui, eamdem ut minus asperam facerent, existimarunt fas esse, puerulos judaeis parentibus restituere, dummodo ipsi parentes cautione aut fidejussione data, ingenue spondeant, se filios, vix ad convenientem aetatem pervenerint, christifidelibus restituendos nec quidquam contra fidem catholicam edocendos. Ita opinatus est *Calderinus in suo consil. 3. de Judaeis*, quem secutus est *Graffius in suis decis. cas. conscien. part. 2, lib. 2. cap. 23. num. 23.* Verum haec Calderini sententia a caeteris omnibus erroris insimulata fuit, ut *Afflict. decis. 151. n. 13, Sperel. decis. 1. n. 42, Sessa de Judaeis cap. 55. et n. 64, Piton. Discept. eccles. p. 4, discept. 146. dub. 3. et n. 33, Card. Albizi de inconst. in fide c. 11. n. 33* Et vere scio, in hac sacra Congregatione, — loquitur de Congregatione sancti officii — *sententiam Calderini uti erroneam fuisse rejectam.*

31. In quibusdam praefatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebraeorum filios sine parentum consensu baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, poena mulctandum esse; baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primae parti hujus nostrae instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam praedictorum resolutionum judicium confirmare, et quidquid in iisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est; et ea quicunque facit, quae ecclesia fieri vetat, pro judicis prudentia mulctari debet, poena scilicet aut mitiori vel severiori juxta circumstantias. Additur etiam, qui infantes Hebraeorum liberos baptizare solent, eos plerumque aut laicos aut mulieres esse; quod neutris liceat, nisi necessitas interfuerit, ut videri potest in *can. Ad limina 30. quaest. 2, in can. Sanctum,* in *can. In necessitate de consecr. dist. 4*; *in Conc. Flor. Armen. instruct.*: »*In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.*« Hoc etiam in trigesimo octavo Concilii Illiberitani canone statutum est, »*peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate.*« Et quamvis *Petavius in not. ad sanctum Epiph. pag. 441.* miretur, concilium, etiamsi necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere: »ergone *a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?*« Mendoza tamen et Albaspineus ajunt in canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adsint rei conficiendae magis idonei, quod catholicus ethnico, laicus autem non bigamus jure sit bigamo anteponendus. *Jam vero baptismati comprobando unius sufficere testimonium, vetus jurisperitorum axioma est,* ut videtur in glossa *cap.* »*Nuper*« *ad verbum:* »*nisi juratus, de testibus et attestationibus:*« *Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praejudicium alicui; puta, utrum aliquis sit baptizatus vel utrum esset ecclesia consecrata, et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per confessorem suum.*« Et in *can.*: *Placuit, in verbo:* »*Utentur,*« *de consecrat. dist. 4:* »*Creditur ergo testimonio unius in baptismo et in consecratione ecclesiae.*« Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi aut mari aut foeminae fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur, qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens baptismum hebraeo infantulo ministrasse, non rem modo a se gestam, sed etiam poena dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In s. Spiritus xenodochium, projectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam prae se ferentes, in qua scriptum legitur, jam baptismum eidem collatum esse. Cum adhuc in minoribus a secretis sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, sancti Spiritus parochus interrogavit: *Quid sibi agendum esset, in hujusmodi casibus?* Praeposita quaestio fuit in Congregatione die 18. Decembris 1723*); die autem 15. Januarii 1724 ita rescriptum fuit: *Si non lateret, qui chartulam scripserat eidemque fides tuto praestari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse ac ne baptismo quidem initiandum sub conditione.*

II. De baptismo Judaeorum adultorum.

32. Haec sunt, quae breviter exponenda quoad primam partem ad Hebraeorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundam descendimus sermonem de hebraeis adultis ac ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine utamur et claritate, disseremus:

I. *De iis, qui ultro baptismum petunt.*

II. *De iis, qui jam baptizati ad ecclesiam se conferunt.*

Verum in primis constituendum est, quaenam plerumque ea aetas sit, in qua hebraeus sponte baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est et quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos jurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est, *Nattam* scilicet *in consil. 454 lib. 2.* et *Bursat. in consil. 231 lib. 3.*, quibus in casu, de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum aetas; id autem perperam quibusdam decretis probant aeque antiquis ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus accuratusque praesul *Sperellus in sua decis. I. num. 32 et duobus seqq.*, ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus praeclara quaedam in unum collegit *Cardinalis Albizi de inconst. in fide cap. 11. num. 39, Ricciul. in tract. de personis extra gremium ecclesiae lib. 2. cap. 33. num. 2., Clericat., de jurisdict. discord. 18. num. 25, Sessa de Judaeis cit. cap. 43*, quibus addimus Congregationis concilii resolutionem, in quadam causa Vilnae die 16. Julii 1639. Sacra Congregatio concilii respondit: *Filios hebraeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam; et tunc, si ipsi consentiant; aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.*« Animadvertere opus est illud »*regulariter,*« nam indicat oportere praesidem ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit baptismi petitor, cum possit contingere, ut is etiam non completo septennio sufficienti sit praeditus ratione, ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit *Scotus in 4. sententiar. dist. 5. quaest. unic. art. 10. dub. 2:* »*Certissima regula est, quod, si citra illam aetatem certo constat, puerum fidei cathechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari et quemadmodum fit professio christianae legis, baptizandus est, quoniam aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divini baptismi neutiquam ab humana dependet.*«

33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur et baptismum implorantis capacitas anceps ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem baptismum ad Hebraeos et ad patrem potissimum, si supersit, necessario remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam ejusmodi approbandam et axioma, cujus dumtaxat est ratio habenda in causa aequali; nulla vero aequalitas intercedit Hebraeos inter atque christifideles; ac multo minus inter patrem et filium; quum alter patriae potestatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret, aerumnae alter gravissimae provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cujus periculum certe subiret regressus ad infidelium curam ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed hic qui postulat retinendus ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

34. *Suarez in 3. par. s. Thomae tom. 3. quaest. 68 art. 10. disp. 25. sect. 3. ad fin.* sic scribit: »*Ad cognoscendum autem an pervenerit parvulus ad eum statum et facultatem usus rationis, utendum est signis et conjecturis ex experientia desumptis et hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam et aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, exspectari potest et debet commodior occasio et major cognitio.*« Magni hujus theologi auctoritas quidquid supra diximus mirifice probat, baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum; adultum vero id temporis a christifidelibus detinendum procul a genitoribus, ex his, quae subjungimus, aperte patet. *Cardinalis de Lugo lib. 5. respons. moral. ad dub. 4.* hoc Romae accidisse narrat aetate sua: »*Contigit Romae ut parvula quaedam puella casu inveniretur longe ab Hebrae-*

*) Vd. *p. 10.*

26. quaest. 1: »*Judaeorum filios vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus, deputatos aut monasteriis aut christianis viris aut mulieribus Deum timentibus, ut sub conversatione cultum fidei discant atque in melius instituti tam in moribus quam in fide proficiant.*« Si autem, postquam adoleverint, suo ipsi infortunio catholicam fidem desererent et hebraeorum ritibus adhaerent, contra eosdem legibus utendum esset, ut contra haereticos, juxta decretalem Bonifacii VIII. in *cap.* »*Contra christianos, qui ad ritum transierint vel redierint Judaeorum, etiamsi hujusmodi redeuntes, dum erant infantes etc. baptizati fuerunt, erit tanquam contra haereticos, si fuerint de hoc confessi aut per christianos seu Judaeos convicti etc., procedendum.*«

30. Dura nonnullis haec sententia est, qui, eamdem ut minus asperam facerent, existimarunt fas esse, puerulos judaeis parentibus restituere, dummodo ipsi parentes cautione aut fidejussione data, ingenue spondeant, se filios, vix ad convenientem aetatem pervenerint, christifidelibus restituendos nec quidquam contra fidem catholicam edocendos. Ita opinatus est *Calderinus in suo consil. 3. de Judaeis*, quem secutus est *Graffius in suis decis. cas. conscien. part. 2, lib. 2. cap. 23. num. 23.* Verum haec Calderini sententia a caeteris omnibus erroris insimulata fuit, ut *Afflict. decis. 151. n. 13, Sperel. decis. 1. n. 42, Sessa de Judaeis cap. 55. et n. 64, Piton. Discept. eccles. p. 4, discept. 146. dub. 3. et n. 33, Card. Albizi de inconst. in fide c. 11. n. 33* Et vere scio, in hac sacra Congregatione, — loquitur de Congregatione sancti officii — *sententiam Calderini uti erroneam fuisse rejectam.*

31. In quibusdam praefatis resolutionibus innuitur, eum, qui Hebraeorum filios sine parentum consensu baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus, in quibus hoc liceat, eum, inquam, poena mulctandum esse; baptismum autem unius testimonio comprobari. Ut primae parti hujus nostrae instructionis extrema manus accedat, nihil aliud restat, quam praedictorum resolutionum judicium confirmare, et quidquid in iisdem continetur, nostra quoque sententia stabilire. Baptizantis mentem esse sanctam rectamque non dubitamus; modus autem omnino illicitus habendus est; et ea quicunque facit, quae ecclesia fieri vetat, pro judicis prudentia mulctari debet, poena scilicet aut mitiori vel severiori juxta circumstantias. Additur etiam, qui infantes Hebraeorum liberos baptizare solent, eos plerumque aut laicos aut mulieres esse; quod neutris liceat, nisi necessitas interfuerit, ut videri potest in *can. Ad limina 30. quaest. 2, in can. Sanctum,* in *can. In necessitate de consecr. dist. 4*; *in Conc. Flor. Armen. instruct.*: »*In casu autem necessitatis non solum sacerdos vel diaconus sed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus et haereticus baptizare potest.*« Hoc etiam in trigesimo octavo Concilii Illiberitani canone statutum est, »*peregre navigantes, aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate.*« Et quamvis *Petavius in not. ad sanctum Epiph. pag. 441.* miretur, concilium, etiamsi necessitas interfuerit, bigamis, ne quemquam baptizent, interdicere: »ergone *a bigamis baptizari in tanta necessitate non licuit?*« Mendoza tamen et Albaspineus ajunt in canone quemquam baptizari a bigamis interdici, cum plures adsint rei conficiendae magis idonei, quod catholicus ethnico, laicus autem non bigamus jure sit bigamo anteponendus. *Jam vero baptismati comprobando unius sufficere testimonium, vetus jurisperitorum axioma est,* ut videtur in glossa *cap.* »*Nuper*« *ad verbum:* »*nisi juratus, de testibus et attestationibus:*« *Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praejudicium alicui; puta, utrum aliquis sit baptizatus vel utrum esset ecclesia consecrata, et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per confessorem suum.*« Et in *can.*: *Placuit, in verbo:* »*Utentur,*« *de consecrat. dist. 4*: »*Creditur ergo testimonio unius in baptismo et in consecratione ecclesiae.*« Hoc tamen intelligendum est, dummodo testi aut mari aut foeminae fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur, qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens baptismum hebraeo infantulo ministrasse, non rem modo a se gestam, sed etiam poena dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In s. Spiritus xenodochium, projectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam prae se ferentes, in qua scriptum legitur, jam baptismum eidem collatum esse. Cum adhuc in minoribus a secretis sac. Congregationis Concilii munere fungebamur, sancti Spiritus parochus interrogavit: *Quid sibi agendum esset, in hujusmodi casibus?* Praeposita quaestio fuit in

Congregatione die 18. Decembris 1723*); die autem 15. Januarii 1724 ita rescriptum fuit: *Si non lateret, qui chartulam scripserat eidemque fides tuto praestari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse ac ne baptismo quidem initiandum sub conditione.*

II. De baptismo Judaeorum adultorum.

32. Haec sunt, quae breviter exponenda quoad primam partem ad Hebraeorum infantes unice pertinentem. Itaque ad secundam descendimus sermonem de hebraeis adultis ac ratione pollentibus habituri. Atque ut ordine utamur et claritate, disseremus:

I. *De iis, qui ultro baptismum petunt.*

II. *De iis, qui jam baptizati ad ecclesiam se conferunt.*

Verum in primis constituendum est, quaenam plerumque ea aetas sit, in qua hebraeus sponte baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est et quodammodo adultus, atque hac quidem in re duos jurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est, *Nattam* scilicet *in consil. 454 lib. 2.* et *Bursat. in consil. 231 lib. 3.*, quibus in casu, de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum aetas; id autem perperam quibusdam decretis probant aeque antiquis ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus accuratusque praesul *Sperellus in sua decis. I. num. 32 et duobus seqq.*, ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus praeclara quaedam in unum collegit *Cardinalis Albizi de inconst. in fide cap. 11. num. 39, Ricciul. in tract. de personis extra gremium ecclesiae lib. 2. cap. 33. num. 2., Clericat., de jurisdict. discord. 18. num. 25, Sessa de Judaeis cit. cap. 43*, quibus addimus Congregationis concilii resolutionem, in quadam causa Vilnae die 16. Julii 1639. Sacra Congregatio concilii respondit: *Filios hebraeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam; et tunc, si ipsi consentiant; aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.*« Animadvertere opus est illud »*regulariter,*« nam indicat oportere praesidem ecclesiasticum etiam atque etiam considerare, quisnam sit baptismi petitor, cum possit contingere, ut is etiam non completo septennio sufficienti sit praeditus ratione, ideoque baptizandus, invitis licet reluctantibusque parentibus, ut sapienter disserit *Scotus in 4. sententiar. dist. 5. quaest. unic. art. 10. dub. 2:* »*Certissima regula est, quod, si citra illam aetatem certo constat, puerum fidei cathechismis instructum satis intelligere, quidnam sit baptizari et quemadmodum fit professio christianae legis, baptizandus est, quoniam aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divini baptismi neutiquam ab humana dependet.*«

33. Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur et baptismum implorantis capacitas anceps ac incerta esset, cavendum est ab eorum sententia, qui juxta tritum illud axioma, in dubio nimirum semper possidentis conditionem meliorem esse, contendunt, petentem baptismum ad Hebraeos et ad patrem potissimum, si supersit, necessario remittendum. Cavendum est, inquam, ne quis arbitretur sententiam ejusmodi approbandam et axioma, cujus dumtaxat est ratio habenda in causa aequali; nulla vero aequalitas intercedit Hebraeos inter atque christifideles; ac multo minus inter patrem et filium; quum alter patriae potestatis jacturam ad breve tempus, damnum nempe levissimum evitaret, aerumnae alter gravissimae provideret, hoc est mortem fugeret sempiternam, cujus periculum certe subiret regressus ad infidelium curam ac sub patriam potestatem. Quare in supradictis casibus sacramentum est differendum, sed hic qui postulat retinendus ac sic interea informandus, ut idoneus evadat baptismati postmodum suscipiendo.

34. *Suarez in 3. par. s. Thomae tom. 3. quaest. 68 art. 10. disp. 25. sect. 3. ad fin.* sic scribit: »*Ad cognoscendum autem an pervenerit parvulus ad eum statum et facultatem usus rationis, utendum est signis et conjecturis ex experientia desumptis et hominis prudentis arbitrio judicium ferendum est. Quod si signa non fuerint satis evidentia, tamen rem faciant dubiam et aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, exspectari potest et debet commodior occasio et major cognitio.*« Magni hujus theologi auctoritas quidquid supra diximus mirifice probat, baptismum nempe, donec dubio locus fuerit, protrahendum; adultum vero id temporis a christifidelibus detinendum procul a genitoribus, ex his, quae subjungimus, aperte patet. *Cardinalis de Lugo lib. 5. respons. moral. ad dub. 4.* hoc Romae accidisse narrat aetate sua: »*Contigit Romae ut parvula quaedam puella casu inveniretur longe ab Hebrae-*

*) Vd. *p. 10.*

orum domibus, quae interrogata de suis parentibus, respondit, se parentes habere hebraeos et velle fieri christianam. Conducta ergo ad catechumenorum domum parens petiit filiam sibi restitui, quae adhuc sui juris non erat nec rationis compos ad deliberandum de religione.« Consilium expetitum est sapientissimi Cardinalis, qui, postquam diligenter puellam examinasset, dubitavit: an perfecto rationis usu praeditam judicaret: »*Consultus ergo tunc fui et examinavi puellam, nec perfectum rationis usum affirmare potui nec etiam sufficientem negare sed mansi dubius.«* Cum puella septennium adhuc non complevisset dubitaretque Cardinalis de perfecto rationis usu, baptismum protrahendum esse respondit et puellam interea apud catechumenos detinendam: »*Ego, quoniam puella illa septennium non compleverat et de sufficienti rationis usu dubitabatur, dixi, baptismum quidem suspendendum esse, donec cum pleno rationis usu certo constare posset de sufficienti ejus voluntate; interim tamen non debere nec posse restitui, sed custodiae causa retinendam in eadem catechumenorum domo.«* Atque ita gestum est ac puella deinceps, nova adhibita diligentia, baptizata fuit, ut videtur in fine praedicti dubii IV. »*Non erat controversia: An puella baptizanda esset, sed an patri reddenda in dubio de rationis usu sufficienti; in quo dubio de facto reddita non fuit, sed in loco tuto deposita, donec suo tempore et explorata jam ejus voluntate, cum certissimo rationis usu, baptizata fuit.«*

35. Species facti, quam modo exposuimus, de puella est, quae septennium nondum expleverat; si autem illud superasset et non constaret de perfecto rationis usu, non ideo hebraeis parentibus reddenda esset, sed christianorum curae mandanda. Etenim idem argumentum et ad puellam detinendam et ad baptismum protrahendum in utroque casu valeat necesse est, auctore *Sessa de Jud. cap. 54. num. 8. et seq.*: »*Ego vero adhaerendum puto sententiae Henriquez, ut baptizari in dubio usus rationis non debeat, sive septennium compleverit, sive non* etc., *modo non urgeat periculum mortis*, etc. *Erit tamen eo casu a parentibus segregandus et in domo catechumenorum vel pencs honestam mulierem collocandus, ad vitandum periculum ne a parentibus subvertatur.* Et ante Sessam id docuerat Sotus loco cit.: »*Quia vero, quando res esset aliquo modo dubia, nempe si bonae essent conjecturae et indicia puerum annum agentem octavum intelligere, quid vellet profiteri baptismumque peteret, esset baptizandus ac subinde ab eorum educatione subtrahendus.«*

36. Tempore constituto, in quo hebraeus rationis compos prudenter censendus est, statuto etiam, quid sit agendum, cum baptismi petitor, an sit idoneus, dubitatur; *de iis jam disseremus, qui aut ab adolescentia aut aetate etiam maturiori baptismum postulant. Quoad hanc aetatem parentum consensum necessarium omnino non esse*, auctor est s. *Thomas in praefat. loc.* idest *in 2. 2. quaest. 10. art. 12.*, quo in loco disputans de baptismo filiorum hebraeorum dissentientibus parentibus sic scribit: »*Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii jam incipit esse suus et potest quantum ad ea, quae sunt juris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem, non coactione, sed persuasione, et potest etiam invitis parentibus consentire fidei et baptizari, non autem, antequam habeat usum rationis.«* Eadem vero repetit in *3. part. quaest. 68. art. 10:* »*Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis aut non habent. Si autem habent, jam quantum ad ea, quae sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse; et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt baptismum suscipere sicut et matrimonium contrahere; et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum.«* Quae quidem cum iis conveniunt, quae scripta reliquit idem doctor angelicus in *quodlibet 2. art. 7.*

37. S. Thomae doctrina de modo, quo hebraei jam rationis compotes ad fidem catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum s. Gregorii sententia in *canon.: Qui sincera, dist. 45*, cujus haec sunt verba: »*Qui sincera intentione extraneos a christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne, quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicunque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quam Dei causas probantur attendere.«* Accedit concilii Toletani IV. auctoritas in *can. de Judaeis dist. 45*: »*De Judaeis autem praecipit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult,*

Deus miseretur; et quem vult, indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia dei propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.« Idem sentit Clemens III. in sua decretali, cujus hoc est exordium: »*Sicut Judaei sub tit. de Jud. et Saracen*: »*Statuimus, ut nullus invitos vel nolentes Judaeos ad baptismum venire compellat: si quis autem ad christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.«*

38. Neque plane obest huic sententiae auctoritas Adriani Pontificis, qui baptismum a Carolo Magno Saxonibus vi collatum, ut fertur, comprobavit, cum infidelium ratio aeque ac hebraeorum habenda sit, juxta s. Thomae sententiam *in 2. 2. quaest. 10. art. 8*, ubi sic scribit: »*Infideles quidam sunt, qui nunquam susceperunt fidem sicut gentiles et judaei, et tales nullo modo sunt ad fidem compellendi, ut ipsi credant; alii vero sunt infideles, qui quandoque fidem susceperunt et eam profitentur, sicut haeretici et quicunque apostatae; et tales sunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiserunt, et teneant, quod semel susceperunt.«* Nullius quoque momenti sunt, quae gesta fuerunt a Sisebuto Hispaniarum rege, quem consilium IV. Toletanum *cap.*: *Majores de baptismo* principem religìosissimum compellavit, propterea quod vi ac minis Hebraeos ad baptismum impulerit, cujus vestigiis institerunt rex Aegaea, Ferdinandus atque Isabella, ut videre licet in *Mariana novissimae editionis ann. 1733 tom. I. pag. 202* et *in tom. 3. pag. 184 et 211.*

39. Placet hic vero nonnulla breviter adnotare, ac primo, Pontifex Adrianus gratulatus est quidem Carolo Magno, quod Saxones jussisset ad baptismum accedere; in ejus tamen epistola typis impressa in *tom. 2. concil. antiqu. Galliae pag. 112*, quod unum extat facti ejusmodi monumentum, in ejus, inquam, epistola ne leviter quidem commemoratur modus, quo fuerant Saxones baptizati; deinde iidem Saxones fidem imperatori dederant, sua se sponte ad baptismum venturos, quum armis superati et praelio victi se Carolo tradiderunt: »*Spoponderunt se esse christianos et se sub ditione domni Caroli regis et Francorum subdiderunt*: ut narrat annalium scriptor *Loisselianus tom. 6. Annal. ecclesiastic. Galliae patris Le Cointe p. 110.* Tertio, rex Sisebutus non ubique fuit neque ab omnibus commendatus. Qua propter rex Sisenandus imperavit, ut nulla vis in posterum adhiberetur, quod *Mariana testatur tom. I. pag. 207*: »*Judaeos amplius ad religionis christianae professionem cogere nefas etc.«* Quarto, religiosissimi nomen Sisebutus non scientiae merito sed pietatis causa est consecutus, propter zelum, quem habebat, licet is non esset secundum scientiam, ut notat *Sylvius in 2. 2. s. Thomae quaest. 10. art. 8. concl. 4. §: »Ad hoc tamen.«* Quinto in Hispania per eam aetatem ecclesiastica disciplina nimis remissa erat; ideoque Episcopi non ausi sunt regum voluntati adversari uti animadvertit *Natalis Alexander in sua theologia dogmatica et morali, de sacr. bapt. lib. 2. cap. 7. propos.* 7. *ad fin.*: »*Mores illos in Hispaniarum ecclesiis viguisse negari non potest, Episcopis ecclesiasticam disciplinam ad nutum regum suorum flectentibus; sed saniorem fuisse ut et antiquiorem disciplinam de Judaeis ad fidem christianam per baptismum non cogendis perspicuum est.«* Demum principum gesta legem praescribere privatis nequeunt. cum fas sit regibus infideles devictos captivosque suos vi ad baptismum impellere edictoque sancire, ut, illud accipere si recusent, a regno eliminentur; id autem regibus non licet sine causa: metuunt enim, ne ipsi aliquando ad rebellionem deficiant aut alios ad infidelitatem perducere moliantur. Quam ob rem s. Augustinus in epistola ad Vincentium, quae nunc XCIII. est, olim XLVIII., postquam suam sententiam semper fuisse ait: »*Neminem ad unitatem Christi esse cogendum,«* hoc ad rem nostram addit: »*Legum terror, quibus promulgandis reges serviunt divino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant . . . gratias Domino, qui vincula nostra dirrupit et nos ad pacis vinculum transtulit.«*

40. Hebraeis igitur, ut baptismum accipiant, vim facere nefas est; quare si quis Hebraeorum expleto jam septennio catholicam religionem amplecti cupiat, aut si non dubia sed certa significatio datur, hebraeum aliquem praedictae aetatis baptismum petere,

in hoc casu tum index, qui hoc admonet, est retinendus, tum sacramenti petitor ex hebraeorum vico evocandus christianisque tradendus est, ut interrogetur, qua potissimum de causa velit ab hebraeorum institutionibus ad Christi cultum accedere; diligenter demum instrui debet, ut paulo post edocebimus. Hac autem adhibita diligentia, si forte incapax inveniretur, iterum absque dubio Judaeis tradendus esset. »Et memini, *verba sunt Cardinalis Albizi de inconst. in fide cap 11. sub n. 38*, a Congregatione consultorum sancti officii revocatum fuisse ad examen puerum quemdam hebraeum, qui supponebatur petiisse baptismum et ad domum catechumenorum redactus fuerat; qui tamen adeo hebetis ingenii visus fuit, ut, etiamsi explevisset septennium, nihilominus patri hebraeo restitutus fuit.«

41. Si contingat, ut hebraeorum aliquis aetate adultus baptismum cupiat, is quidem est retinendus aut e vico evocandus, dum ejus optimam voluntatem quispiam fide dignus attestatur. Magna hic vero diligentia opus est experientia edocente, hebraeas seu mulieres seu puellas frequenter ad baptismum confugere, non religionis sed matrimonii causa, quod nimirum christianum aliquem depereant: mares autem christianae fidei desiderium affectare, quod matrimonii jam contracti laqueos declinare cupiunt et uxorem hebraeam relinquere, aut quod aere alieno gravati sunt ac solvendo impares. Atque utinam in praesentiarum non eveniret, quod *Stephanus Tornacensis* scripsit in *epistol. XXXII*: »*Raro accidit ut de plebis circumcisae duritia in novam ecclesiae renatus infantiam fideliter aliquis conversetur.*« Hanc vocem »*raro*« ita interpretamur, ut non negemus persaepe hebraeos ad veram fidem divinitus evocatos ea fecisse omnia, quae bonos viros et utiles christianos decent. Eorum elenchum vide apud *Possevinum* et *Thomam a Jesu de convers. gent. lib. IX. par. 2. cap. 1. pag. 635.* Praeviam institutionem multum ad hanc rem conferre fatendum est. Sapientes instructiones pro missionariis Romae in lucem editae anno 1699. pag. 187 haec habent: »*Enimvero comprobatum est experientia, christianos pejores non eveniri, quam qui ante competentem instructionem ad baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimum nuntium ei remittunt etc., quodque miserabilius est, deteriores multo sunt, quam ante baptismum et correctionis omnino impatientes.*« Concil. Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* indicat, quae adulto ad baptismum cum spirituali utilitate accipiendum sunt necessaria. Catechismus romanus *par. 2.* »*de baptismo*« moram et tarditatem in hoc negotio inculcat, cum mortis discrimen abesse videatur. »*Dilatio aliquas videtur utilitates afferre: primum enim quantum ab ecclesia providendum est, ne quis ad hoc sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qua ad baptismum accedunt, magis exploratur atque perspicitur; deinde in fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius.*« Quoad ea, quae ante baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium et quaestio ab Episcopo Quebec. sancti officii Congregationi proposita, definita 3. Maji 1703: »*Utrum, antequam adulto conferatur baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret, si moribundus promitteret fore, ut, ubi e morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod ei praescriptum fuerit?* Respondetur: *non sufficere promissionem sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*«

42. Hactenus verba fecimus de hebraeis adultis ultro baptismum petentibus; modo finis ut epistolae imponatur, *de iis sermonem instituemus, quibus, infantium aetate completa, nec ipsis quidem petentibus, baptismus impertitur*, ut re ipsa contigit in Viviani facto, unde oblata Nobis hujus epistolae conscribendae occasio fuit. Is enim praeter infantes filiam annorum novem baptismate consecravit, idem cum filio jam duodenni facturus, nisi aquam deficere comperisset, Eos itaque et retinere oportet et diligenter inquirere, a quo baptizati sint, an debita forma et materia adhibita; tum etiam oportet eos instruere et docere supplendo quidquid antea non factum fuit ac fieri omnino debuit; neque vero haec satis sunt, sed nonnulla insuper observari necessario debent.

43. Non raro fit, ut puer adhuc rationis impos in rebus momenti maximi cogatur alienae inservire voluntati, quod solebat olim ex veteri disciplina frequenter usuvenire.

Quos enim ab infantia parentes ad monasterium miserant, ii toto vitae spatio solitudinem colere tenebantur, quamquam, ubi adolevissent, sese palam profiterentur ab instituto ejusmodi abhorrere. Vide *can.* »*Audistis*« *20. quaest. I.* Atqui adultus alienae obnoxius voluntati nisi sponte sua obligari nequit: quare quum baptismo catholicae religionis observantia conjuncta sit, hinc sane oritur, *hoc sacramentum non esse validum in adulto palam ac libere dissentiente. S. Thomas 3. part. ad quaest. 68. art. 7. quaerit:* »*Utrum ex parte baptizati requiratur intentio suscipiendi sacramentum baptismi?*« Et quibusdam more suo propositis argumentis intentionem non esse necessariam probantibus ita quaestionem solvit: »Respondeo dicendum, *quod per baptismum aliquis moritur veteri vitae peccato et incipit quamdam vitae novitatem etc. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vitae, requiritur, secundum Augustinum, in habente usum liberi arbitrii voluntas, qua eum veteris vitae poeniteat, ita requiritur voluntas, qua intendat vitae novitatem, cujus principium est ipsa susceptio sacramenti; et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas seu intentio suscipiendi baptismum.*« Glossa canonica in *can.: Solet* ad verbum: *Implorandum de consecratione dist. 4.* intentionis necessitatem in adulto, qui baptizatur, *non requirit*, sed baptizantis tantummodo satis esse affirmat. »*Si baptizans intendit baptizare, qualemcunque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum, sed si non intendit baptizare, licet verba proferat, non est baptizatus.*« Sed juxta *Sotum in 4. sent. dist. 5. quaest. unic. art. 7.* §: »*His igitur*« supradicta glossa sicut et alia in *cap.* »*Majores*« *de baptismo, tum contra veritatem tum etiam contra textus ipsos aperte pugnant.* Ratio vero, qua glossa innititur, nempe baptizatum patientis partes agere in sacramento, intentionem autem quoad agentem, minime quoad patientem necessario requiri; ratio, inquam, ejusmodi refellitur a s. Thomae loc. cit. in responsione ad primum argumentum: »*Ergo dicendum, quod in justificatione, quae fit per baptismum, non est passio coacta sed voluntaria et adeo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.*« Quidquid sanctus doctor in summa de hac voluntatis necessitate scribit, jam antea declaraverat in *4. senten. distinct. 6. quaest. 1. art. 6. quaestiuncul. 3.*

44. Cum ergo voluntatis sive intentionis in adulto quoad baptismum necessitas certa sit, is debet ideo interrogari, quo esset animo aut voluntate, cum a se non postulatum acciperet sacramentum; fieri enim potuit, ut in ipso actu intentionem habuerit accipiendi baptismum aut quoddam veluti lavacrum in ecclesia solitum frequentari aut ut profanam quamlibet lavacri speciem. Nihil prohibet, quominus ante baptismum intentio fuerit illius, ut lavacrum est ecclesiae proprium, accipiendi ac deinde intentione in ipso actu caruerit, cum lustraretur. Contingere item potuit, ut animo ac voluntate extiterit sacramento contraria, licet modestam vultus ac corporis totius compositionem in accipiendo baptismate prae se ferret. Nihil demum impedimento est, quin ipsa rei novitate perculsus nulla omnino voluntate nec assentiendi scilicet nec abnuendi fuerit; et fieri etiam potest, ut animo prorsus a sacris mysteriis alieno vel voluntate coacta et repugnante baptismum acciperet.

45. Si quis adultus ad salutis fontem accesserit voluntate animatus accipiendi non quodcunque lavacrum sed unice ecclesiae proprium ac peculiare, baptismum esse validum dubitari non potest. Ita *Aest. lib. 4., sent. dist. 4, §. 10:* »*In his enim ad veritatem baptismi sive ad characteris susceptionem omnino necessaria est intentio suscipiendi sacramentum, non tamen ut est lotio quaedam in genere, sed ut talis, qualem frequentat ecclesia.*«

46. Verum si quis baptismum accipiens praesenti voluntati careat, quam alias tamen habuerit talis suscipiendae lotionis, qualis in ecclesia frequentatur, tunc examinare oportet, utrum voluntas antecedens, nunquam deinceps retractata, adhuc moraliter perseveret. Nam ubi nulla praecesserit retractatio et moraliter perdurare intentio videatur, est certe validum sacramentum. Hic casus ad eos spectat, qui ante furorem vel somnum baptismum petunt, accipiunt vero, dum aut insania vexantur aut somno indulgent, et hoc genus hominum valide baptizatum dicitur in *Conc. III. Carthagin. cap. 34.* Non secus accidit s. Augustini amico, qui febris ardore delirans »*baptizatus est nesciens, mente atque sensu absentissimus,*« ut habetur in *lib. 4. confess. cap. 4.* Is enim cum adhuc inter catechumenos versaretur, propositum absque dubio habuerat baptizandi. Ad hanc rem animadversione dignissima verba

sunt *Innocentii III. cap.* »*Majores*« *ad* §*: Verum de baptismo, ubi haec leguntur:* »*Dormientes autem et amentes, si, priusquam in amentiam inciderint aut dormirent, in contradictione perstiterant, quia in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare, si fuerint sic immersi, characterem non suscipiunt sacramenti: secus autem, si prius catechumeni extitissent et habuissent propositum baptizandi.*«

47. Qui vultu atque oculis ac toto corpore ad modestiam composito voluntate tamen alienissima ad hoc sacramentum veniat, is aditum aperit ad controversiam non parvi momenti. Quidquid sit de opinione Caterini, qui sustinet, conferenti exteriorem sufficere compositionem, etiamsi non id animo proponat facere, quod ecclesia solet, de qua opinione multa alibi diximus in *nostro tractatu de sacrificio missae ad part. 4. sect. 2. num. 76 et sqq.* Haec, inquam, opinio minus habet difficultatis, cum non de conferente agatur, sed de accipiente baptismum. Propositio autem ab Alexandro VIII. damnata, objici Caterino solita, conferentem respicit non accipientem: *Valet baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptismi observat, intus vero et in corde suo resolvit, non intendo facere, quod facit ecclesia.*«

48. Qnotiescunque sacra haec mysteria suscipiuntur indifferenti prorsus animo ac proposito, neutra scilicet voluntate, *Cardinalis Cajetanus art. 7. in summa s. Thomae 3. par. quaest. 58*, admissa in recipiente intentionis necessitate, docet, intentionem non per se, ut scholae loquuntur, sed per accidens necessariam esse, ut nimirum contraria voluntas, si adfuisset, sublata penitus intelligatur. Itaque si quis nec abnuens nec assentiens, neutra videlicet voluntate, baptizaretur, censendus esset baptismum valide suscepisse. At enim *Sotus 4. sent. dist. 5. quaest. unic. art. 7.* Cajetano vehementissime adversatur, et ea quidem felicitate, ut plurimos habeat sententiae suae theologos assertores. *Silvius* tom. 4. *in 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 7.*, postquam rem prolixe discussit, ita concludit: »*Ex jam dictis certum est, non sufficere, quod quis neque sit volens neque sit nolens, quia talis non habet intentionem recipiendi sacramentum.*« *Valentia tom. 4. suorum comment. theolog. disp. 4. quaest. 3. punct. 2* Cajetano valere jusso adhaeret Soto: »*Quodsi neuter prorsus aliquis esset, id est qui neque vellet neque nollet suscipere, putavit Cajetanus, si sic baptizaretur, fore baptismum validum, sed admodum false id putavit, ut multis argumentis probat Sotus.*« Consulendus quoque est *Cardinalis Lauria lib. 4. sent. tom. 1. disp. 11. quaest. 2. num. 22. et seqq.* Cajetanus fulcire studet sententiam suam auctoritate decretalis Innocentii III., de qua mox sermo erit, in *cap.*: *Majores de baptismo*, ubi leguntur haec verba: »*Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariae voluntatis non invenit obsistentem;*« ubi sentire videtur, baptismo satis esse, recipienti voluntatem non inesse contrariam. At enim vero animadvertatur necesse est, Pontificem Innocentium respondere quaestioni: utrum amentes baptizari absque consensu possint, ac decernere hoc licere, eorum si consensus adfuerit furori praevius, secus vero, si nullus dementiam consensus praecesserit ac voluntas. Itaque Pontificis postea asserentis sacramento imprimi characterem, »*quando non obvenit obicem contrariae voluntatis,*« nemo non videt, hanc mentem esse, baptismatis habere effectum, quando quis vel in actu assensum praebeat vel ante praebuerit. Quod si Pontifex ea in sententia fuisset, suscipiendo baptismati satis esse voluntatem non obsistentem, utique non decrevisset, ut revera statuit, in amentibus voluntatem necessario requiri antecedentem.

49. Demum si baptismus violenter atque animo palam contrario suscipiatur, supradictus Pontifex Innocentius III. eadem in *decretali: Majores de baptismo* distinctione utendum judicat. Etenim eos, qui minis ac terrore correpti violentiae cedunt, baptismum, ut sibi consulant, suscipientes ab iis distinguit, quibus, vi etiam illata, contradicentibus palam et reluctantibus hoc sacramentum per vim confertur. Decernit autem in primo casu, non in secundo, baptismatis imprimi characterem: »*Is qui terroribus atque suppliciis vehementer attrahitur, ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum etc., ille vero, qui nunquam consentit sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit sacramenti, quia plus est expresse contradicere, quam minime consentire; sicut nec ille notam alicujus reatus incurrit, qui contradicens penitus et reclamans thurificare idolis cogitur violenter.*« Distinctio ejusmodi occurrit quoque in glossa canonica in can.: *De Judaeis*, ad verbum*: Coacti sunt, dist. 45.*, in *cap.*: »*Majores* §*: Item quaeritur*« ad verbum*: Conditionaliter de baptismo*, et in *cap.* »*Contra christianos*, ad verbum: *Absolute*« *de haereticis in VI.*

50. *Examen porro si haberi debeat de adulti proposito aut voluntate, cum baptismum accepit, is profecto est ante caeteros audiendus et interrogandus*; cavendum tamen, ne inconsulto fides eidem illico habeatur, ubi responderit, se baptizatum non libere, sed invito. Fieri enim potest, (nec casus sane hic metaphysicus est) ut ipso in actu intentionem habuerit sufficientem, diabolicis deinde stimulis irritatus et victus ad vomitum rediturus mendacium proferat, et de intentione interrogatus nigrum pro albo, ut inquiunt, repraesentet. Qui in foro, in curia, in republica versatus est, non ignorat et saepe alias contigisse et frequenter usuvenire, ut sacris ordinibus initiati ac vitam regularem professi inixe postulent contractis a vinculis solutionem dictitantes nimirum et nonnunquam jurejurando affirmantes, sese illo tempore aut nullam penitus intentionem aut omnino contrariam habuisse. In hoc rerum statu, quid solet consilii capere judex cautus et prudens? Clamores aspernatur, respuit jusjurandum, nisi hoc idem comprobent adjuncta plurima et circumstantias antecedentes, concomitantes et subsequentes, et eae quidem momenti sint ineluctabilis et inconcussi. Hac profecto ratione, hoc examine, hac diligentia opus est, ubi adultus post baptismum aut intentionem sibi fuisse pernegat, aut non idoneam minimeque sufficientem extitisse contendit.

51. Quod si nulla sit reliqua dubitatio planeque constet hac luce clarius, adulto baptismum accipienti nullam prorsus fuisse voluntatem aut intentionem, nil restat aliud, quam eundem et hortari et admonere, ut rite id faciat, quod jam irrito fecit et suscipiat absolute ac libere sacramentum; ac si obstinate repugnet, tum nihil aliud superest, nisi ut remittatur. Si autem res in dubio sit nec intelligi possit: an defuerit intentio, an sufficiens affuerit necne, adultus tum retinendus baptizandusque sub conditione: *S. Thomas 3. par. quaest 68. art. 7*, ubi, ut antea diximus, in baptizato intentionis necessitatem probans hoc sibi objectum ponit secundo loco: *Cum de intentione baptizati non constet, quilibet posset petere se denuo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo, quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat sacramentum:*« atque ita respondet*: Dicendum ergo, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus; si tamen hoc non constaret, esset dicendum: si non es baptizatus, ego de baptizo.*«

52. Demum quotiescunque aliqua ex parte de collato baptismate dubitetur aut in facto aut in jure, cum ex facto articulus juris oriatur, de quo nihil adhuc certi ecclesia statuit, theologorum autem scriptorumque sententiae divisae sunt, hebraeus jam lustratus non remitti sed retineri debet et baptizari sub conditione, juxta regulam Alexandri III. in *cap.: De quibus*, sub titulo *de baptismo*: »*De quibus dubium est: An baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Non te rebaptizo, sed, si nondum baptizatus es, ego baptizo te.*« Hi porro ita baptizati tenentur omnino fidem catholicam observare eorum instar, qui minis ac terrore adducti suscipiendo baptismati assensum libere praebuerunt: vide cit. *cap.*: *Majores* §: *Verum de baptismo:* »*Et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est tamen ad observationem fidei christianae.*« Et prolixius in *can.: De Judaeis ad dist. 45*, ubi sic legitur: »*Oportet, ut fidem, quam etiamsi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur et fides, quam susceperunt, vilis et contemptibilis habeatur.*«

53. Statutum hic Nobis fuerat, epistolam terminare, sed deinceps audimus operae pretium esse, quasdam quaestiones solvere huc spectantes, quarum usus haud infrequens esse solet. Tenemur itaque huic epistolae additamentum nectere et opportunius hoc fore existimavimus, quam opus jam perfectum retexere aut fasciolas, ut dici solet, a frustula infarcire.

54. Superius, hoc est num. 40, e vico evocandum tradendumque christianis diximus eum, qui nuncio haud dubio sed certo et indubitato delatus est et dedisse et adhuc exhibere indicia desiderii, quo flagrat, suscipiendi baptismatis. Hoc praemisso, in praesentia quaeritur: quandonam ejusmodi denunciatio tuta minimeque dubia habenda sit? Cum non de adulto ad salutis fontem ultro se conferente, sed de eo nunc sermo est,

quem alii significant baptismum votis omnibus exoptare, jam patet non posse quaestionem solvi, nisi decernatur, cujusmodi et quot esse testes debeant, *eorum ut denunciatio non incerta, non anceps, sed fide dignissima existimetur*.

55. Regula generalis, quam te non ignorare compertum habemus, aperte jubet non unius testimonio haberi fidem. Haec vero jure divino innititur, »in ore« scilicet »duorum vel trium stabit omne verbum,« concordat jus pontificium in *cap.: Veniens 10* et *cap.: Licet universis 23. de testibus*, et jus civile in *leg. Jurisjurandi C. de testibus*. Aliquae porro sunt hujus regulae limitationes, quarum unam paulo ante produximus, nimirum collationem baptismi unius testimonio probari: praeter hanc si quis alias unde triginta legere cupiat, speculatorem adeat *tit. de testibus num. 8*. Nobis in praesentiarum satis erit earum unam memoravisse, rem nempe aliquam unico etiam teste probari, dum is tamen fultus haud dubiis indiciis fuerit et claris oppido conjecturis: ita *Farinaccius de test. quaest. 63. cap. 1. num. 35, Pax. Jordan. Elucubr. lib. 14. tit. 18. n. 66., Panimoll. decis. 23. annot. 5. num. 18.* Quoad testium conditionem usus invaluit tam in judiciis canonicis quam civilibus admitti mulierum testimonia, ut apud *Tiraquell. de legib. connub. leg. 9. num. 64. et seq., Farinac. de test. quaest. 59. per tot., Pax. Jordan. loc. cit. num. 529, Pirhing. titul. de test. num. 65. et 69., Anaclet. ad eundem tit. num. 84, Sperell. decis. 81. num. 45.* Quidquid hactenus dictum est, probatum suis, ut inquiunt, a principiis videre, qui cupiat, suffragium perlegat admodum elaboratum, et 19. Julii 1709 typis editum a bon. mem. Praesule Frosini Pisarum Archiepiscopo in quadam controversia, quae ipsi cum illius civitatis hebraeis intercessit.

56. Ut ergo regulae hae generales in quaestione proposita locum habeant, cavendum est, ne inconsulto ac temere quidquam fiat, si testes hebraeum aliquem serio baptismum petere significaverint. Ac in primis videndum, num index, sive mas sive foemina fuerit, certae sit probitatis ac notae fidei: deinde examinari debet et admoneri de gravitate jurisjurandi; tum ejus examen est describendum, cui et index ipse subscribat necesse est. Si duo inter se testes concordent quoad locum, tempus et occasionem, in qua hebraeus suscipiendi baptismatis voluntatem aperuit, tunc prudentis erit praesidis hebraeum ad catechumenos evocare eundemque ibi ad dies duodecim detinere, ut non minus rei veritas quam voluntatis constantia cognoscatur. At cum rem denuntiant aut duo testes singulares aut unus tantummodo sed fide dignus et omnem citra dubitationem idoneus, et multo magis, si adminiculis suffultus, tunc habito, ut diximus, testium vel testis examine non oportebit hebraeum ad catechumenos ducere, sed judex catholicus, qui Romae est vicegerens pro tempore, ejus voluntatem extra vicum vel domi suae vel in templo aliquo semel atque iterum aut etiam pluries explorabit, ut hebraei consilio clare perspecto et cognito eum tuto jubeat, aut ad vicum remitti aut catechumenis recenseri.

57. Neque id vero recens inventum est sed decretum a Congregatione sancti officii anno 1727, cum adhuc in minoribus eadem in Congregatione consultoris munere fungeremur; itemque hoc postea confirmavit per literas apostolicas die 14. Februarii anni praedicti Benedictus PP. XIII. fel. rec., cujus in Nos beneficentia haud parva fuit; ejus decreti verba talia sunt: *Feria 4. die 7. Februarii 1727 in Congregatione generali etc.* *(Sequentia vd. supra p. 76.)*

58. Hinc alia quaestio sequitur *ad sponsas pertinens atque conjuges hebraeorum, quae viri jam christiani aut sponsi opera fidei catholicae offeruntur.* Nulla Judaeorum quaerela est, quod a viris aut sponsis christifidelibus sponsae aut conjuges ad lavacrum sanctissimum offerantur; non enim nesciunt vel hebraei, nullam hac invitamenti vel adhortationis specie violentiam includi, ita ut, si mulier baptismum respuat, matrimonium in Judaeismo contractum omnino solvatur, teste Apostolo I. ad *Corinth. cap. 7.* et juxta decretalem: *Quanto de divortiis*, quae quidem matrimonii solutio fit statim ac Judaeus ecclesiae gremio admissus transit ad alias nuptias, ut a Nobis longa disceptatione probatum, cum in Congregatione Concilii a secretis essemus, in quadam causa Florentina proposita 27. Julii 1726. Quando infidelis ad Christum conversus transitum facit ad alias nuptias, an eadem sit libertas conjugi infideli alias contrahendi nuptias, res adhuc in dubio est. Sententiam negativam sustinet *Pontius de matrim. lib. 7. cap. 48.*

num. 25., affirmativae adhaeret *Sanchez. de matrim. lib. 7. disp. 77. n. 6.* Utramque probabilem *Diana* existimat *in edit. coordinata de matrim. tom. 2. resol. 122. tract. 6.*

59. Illud quoque haebraeis est probe cognitum, conjugem viro esse obnoxiam ejusdemque in potestate constitutam, quod legunt *Geneseos cap. 3:* »*Sub viri potestate eris et ipse dominabitur tui.*« Ipsis praeterea compertum est sponsalia plurimum a matrimonio differe, cum haec non sint aliud quam futuri promissio matrimonii, ut in *can.: Nostrates 30, quaest. 1.* et *in leg. 1. ff. de spons.*, quod et colligitur ex historia Jacobi *Genes. cap. 29*, qui servitutem servire Labano debuit ad statum tempus, ut uxorem duceret sibi promissam Rachelem. Non id audet hebraeorum quispiam inficias ire, juxta eorum mores, per sponsalia jus quoddam sponso et auctoritatem in sponsam dari forsam etiam majorem illa, quam christifidelis habet in christianam mulierem sibi desponsatam. Nam jure pontificio gravis est reus culpae, non adulterii, qui aliena cum sponsa turpi consortio conjungatur, ut nos alibi demonstravimus in nostra *notificatione V. tom. 3. pag. 65. edit. Bonon.* At apud hebraeos, ex veteri instituto, qui rem aliena cum sponsa habuerit, non impudicus dicitur, sed adulter, ut post *Seldenum lib. 2.* »*Uxor. hebr.*« *cap. I.* animadvertit *Calmet. in sua dissert. de connubiis Hebr.*, et adhuc in praesens apud hebraeos scelus, quo de nunc agimus, est capitale, ut observat *Cardinalis de Luca de matrim. in discurs. 9. num. 15*, quem habuit de quorumdam Judaeorum Romae connubio. Igitur, quemadmodum cum ad fidem accedunt, qui potestatem in filios aut filias habent, eorum oblationem ecclesiae libere ac jure faciunt, ita vir aut sponsus Christi legem amplexus jure optimo oblationem facit suae vel uxoris aut sponsae, in quam jus a legibus et auctoritatem sibi concessam habet. Facta haec vero oblatio nec sane potest nec omnino debet a christifidelibus recusari, qui tenentur nulli parcere diligentiae nullique studio, ut christiana veritas jam viro aut sponso cognita uxori quoque aut sponsae lucem afferat ac salutem eo vel maxime, quod romani Pontifices, licet Judaeis vim fieri quoad religionem severe prohibeant, palam tamen significant nihil sibi antiquius esse, optabilius nihil quam ut iidem aliquando a tenebris ad lucem, ab errore ad veritatem veniant; ideo semel in singulas hebdomadas iis publice evangelium annuntiari eosdemque jubent sacris hisce concionibus interesse, ut apparet in constitut. 1. Nicolai III. et constit. 116. Gregorii XIII.

60. Verum quamquam hebraei de uxorum sponsarumque oblatione nec conquerantur nec conqueri possint, quaeruntur tamen, ut quam primum de hebraeorum aliquis ad fidem profectus aut profecturus suam offert ecclesiae sponsam, quod haec illico evocatur domumque catechumenorum transfertur, ubi quadraginta dierum spatio detinetur. Clamant in casu ejusmodi nimiam christianos incertis vocibus habere fidem et imprudenter agere, priusquam ullis probationibus et demonstratum fuerit, sponsalia rite ac valide contracta fuisse. Hinc dictitant damna turbationesque oriri plurimas, cum non semel evenerit, ut hebraeus infima de plebe aliquis mulieris aut virginis amore flagrans et divitis et honestae, desperans vero eam in Judaeismo ducere uxorem posse, id consilii ceperit, contracta nempe sponsalia falso ac temere venditare, illustrem ut ad thalamum perveniret.

61. Magnus ille Praedecessor noster s. Gregorius laudabili semper methodo et incorrupta justitia in haebraeorum negotiis usus est. Consule ejus epistolam 25. lib. 8, induct. I. ultimae edit. Victorio Episcopo Panormitano datam: »*Si igitur quaerimonia eorum veritate fulcitur, oportet, ut fraternitas vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis, quidquid hac de re decretum est, custodire debeat ac servare, ut nec ipsa aliquid injustum facere nec illi pati praejudicium videantur.*« Sed admonet eodem tempore, ut facta diligenter accurateque perpendantur ad veritatem rei a Judaeis propositae cognoscendam, ut colligitur ex alia ejus epistola ad Fantinum Panormi defensorem missa, quae 55. est lib. 9. indict. 2, ubi legitur: »*Ne forte in eorum sola voluntate versari praejudicium videretur.*« A s. Gregorio edocti, ne ullam his de sponsalibus diligentiam praetermisisse videremur, Seldenum, Bustorsium, Leonem Modena et alios scriptores consulendos dijudicavimus. Decreta quoque percurrimus, quae alias in casibus hujusce generis a Congregatione sancti officii emanarunt. Sed auctorum lectio praedictorum, quam Nobis utilis extitisset exornandae dissertationi pro aliqua ex academiis ecclesiasticis, quae

coram Nobis singulis hebdomadis haberi solent, tam plane inutilis ac supervacanea fuit certo ac tuto decernendo sistemati, quod maximopere optabamus. Ex praedictis decretis, quorum principium est ab anno 1725, licet illud intelligatur, quod, si sponsus hebraeus jam christianus sponsae adhuc judaeae oblationem fecit, hanc inter catechumenos ad quadraginta dies detentam fuisse nullo tamen modo cognosci potuit, an et qua ratione sponsalia probata fuerunt, itemque, an eorum probatio solius sponsi vel plurium testimonio inniteretur, an demum quodlibet mutuae sponsionis genus existimatum fuerit verus ac legitimus sponsaliorum contractus.

62. Doctor Paulus Mediceus in suo tractatu de hebraeorum ritibus ac institutis, quorum ipse peritissimus erat, quippe qui e mosaica ad christianam legem transierat, cap. 27. de sponsalibus agit et matrimonio Judaeorum, et id, ut paucis dicam, ostendit, in hoc instituto non admodum a christifidelibus differre hebraeos. Nam hanc apud eos consuetudinem esse testatur, ut scriptura conficiatur, in qua parentum alteruter filiam suam aut puellam aut viduam promittit sponso, hic autem eam se ducturum pollicetur. Tempus quoque decerni solitum, in quo nuptiae celebrentur. Contractui demum subscribere tum sponsus tum praeterea duo testes de more debent. Sed quia hebraei eorum, qui Christi fidem amplexi sunt, dictis ac testimonio aegre acquiescunt, ideo Nos veritatis apprime cupidi cuidam familiari nostro jurisperito mandavimus, ut convocaret in unum Judaeos aliquot, quorum unus jam pridem Nobis, cum adhuc Anconae ecclesiam gubernaremus, est probe cognitus mosaicis ritibus egregie versatus. Ex eo autem conventu ea quae sequuntur evicta sunt:

63. Primo semper sponsalia contrahi inter virum et mulieris propinquos, si parentes mulieri desint; mulierem sponsalia non contrahere pudoris causa et honestatis, imo contractum, qui hebraice dicitur תנאים, *Tenaim*, foeminae plerumque ignotum esse, quae postea explicite praebet assensum suum in solemni nuptiarum celebratione hebraeice nuncupata קדושים, *Kidduscim*.

64. Secundo sponsalibus hac ratione contractis obligari utramque partem; cum autem consensum parentes tantum mulieris aut consanguinei praebuerint, non vero foemina, ideo hanc, si dissentiat, minime cogi posse et dissentientem non contractum frangere, sed peccare graviter juxta Hebraeos, debitam nempe obedientiam parentibus aut majoribus denegando.

65. Tertio contractum dici obligatorium et absolutum, cum e viro ac foeminae parentibus sponsio facta est ac descripta, necnon testibus confirmata aut duobus aut pluribus.

66. Additur, contractum dici pariter absolutum, cum pars utraque vel privatim vel coram Rabbino sponsionem firmant jurejurando, coram duobus aut pluribus testibus, et sponsionem insuper describi jubent. Quodsi vel absque scripto et testimonibus aut coram testibus tantum sine jurejurando sponsio facta fuerit, tunc neque obligationem inducit nec contractum perficit sponsaliorum, ita ut pars utraque libera omnino sit. At si de sponsione constet et de juramento per testes, tunc recedere licet utrique parti, dumdo praeviam a Rabbino impetretent absolutionem a juramento.

67. Haec Hebraeorum ex conventu collecta sunt. Hinc vero deducitur, duobus tantummodo supradictis modis contracta sponsalia inter Judaeos haberi valida atque obligatoria. Mutuae igitur viri ac mulieris sponsiones epistolis aut schedulis expressae nihil ad effectum, de quo quaeritur, valent; ac multo minis munera, vestes et nuptiarum apparatus. Non probato autem, quod sponsio uno vel altero ex supradictis modis facta fuerit, si copula sequatur ante *Kidduscim* seu matrimonium, utraque pars ad contrahendum obligatur, non quidem contractus vi sed commissi sceleris poena, et ut crimen admissum luatur.

68. Si de sponsaliorum validitate aut invaliditate idemque de obligatione aut contra deberet judicium fieri, res autem inter hebraeum et hebraeam intercederet, aequum esset sententiam ferre legibus consentaneam et consuetudinibus hebraeorum; communis enim et probata opinio est, in judiciis hujusmodi oportere non juri pontificio vel civili sed legi et Mosaicae consuetudini adhaerere. *Marquard. de Judaeis par. 2. cap. 4, Ricciul. de jure person. lib. 2. cap. 18. num. 7, Sessa de Judaeis cap. 33. num. 6, Card. de Luca de matrimonio discurs. 15. num. 13.* In praesens vero res in disceptationem venit ad hebraeam pertinens et ad hebraeum jam Christo servientem aut inservire optantem: negotium nempe agitur sane maximum, quod ad christianam summopere

pertinet religionem. Consilio igitur prudenti admodum opus est ac salutari. Nos autem re multum atque diu considerata hoc, quod sequitur, opportune decernendum existimavimus.

69. Quotiescunque sponsus hebraeus christianae religioni nomen dare statuerit et evangelio sponsam offerat, tuum erit, eum prudenter interrogare, vel, ut ab aliis interrogetur, imperare, quomodo sponsalia probentur, neque enim decet ejus affirmationi unice habere fidem. Editas sponsaliorum probationes tuum pariter munus erit examinare aut alicui prudenti viro examinandas tradere. Argumenta sponsalibus comprobandis idonea erunt, si tanti esse ponderis et momenti videbuntur, ut contracta inter catholicos sponsalia iisdem rationibus evinci aperte ac tuto valeant. Apud christianos scriptura non opus est, cujus defectus testium auctoritate suppleri solet, adhibitis etiam censuris, cum quis post canonicas admonitiones sponsionem vel sine juramento factam implere negat. Sponsaliorum itaque probationes si tales fuerint, ut modo diximus, antiqua tibi methodus, quae usui erat ante an. 1725, adhibenda est, e vico scilicet evocanda mulier et semel atque iterum, aut quamdiu opportunum duxeris, ejus voluntas in templo aliquo aut alibi exploranda ac demum aut innata in pervicacia atque errore relinquenda, si resipiscere nolit, aut inter catechumenos retinenda est, ut instruatur, si conversionis certa spes aliqua oboriatur.

70. Cum aut sponsus aut alius quilibet fide dignus ejusmodi argumenta proferat, quibus plane constet, sponsalia ita, ut supradiximus, contracta fuisse, nempe apud ipsos hebraeos valida atque obligatoria, ad te spectabit, sponsam illico inter catechumenos collocare, ubi tamdiu versabitur, quamdiu necesse erit, dummodo quadraginta dierum spatium non superetur; intra enim hos limites procedere absque dubio putamus supradicta decreta, quae initium habent ab anno 1725.

71. Inter Cassiodori epistolas regis Theodorici nomine exaratas septima supra trigesimam ad hebraeos Mediolanenses transmissa fuit, in qua iis significatur, hoc decretum fuisse, quod nimirum *»nullus ecclesiasticus, quae synagogae vestrae jura competunt, violentia intercedente pervadat nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat, sed ut religionis cultu ita et actuum sint conversatione discreti.«* Et hoc idem Nos hactenus facere procuravimus. Eadem praeterea epistola admonentur Judaei, ne ingrati sint, christianorum aequitate temere abutentes: *»Hac tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, ut nec vos, quod ad praefatae ecclesiae jus vel religiosas personas caeteras legibus pertinere constiterit, inciviliter attrectare tentetis.«* Et id quoque Nos addere non praetermittimus. Experimento enim dedicimus, cum hebraeus palam declarat, christianorum se velle institutis ac legibus obtemperare, a synagoga, si ejus voluntatem nequeat immutare, rationem aut potius fraudem excogitari de more aliquam, celare scilicet aut alio mittere eum, qui a bono proposito deterreri non potest. Cum vero sponsus christiano se nomini devovere statuit, statim id synagoga efficit, ut sponsa pervicaci aliquo cum hebraeo matrimonii vinculo copuletur aut ut omnes illico evanescant sponsaliorum rationes probationesque. Hi porro eventus cum metaphysicos non esse scias, ideo severitatis erit ac vigilantiae tuae, remediis ac poenis etiam, si opus fuerit, hebraeorum principes in officio continere, ut fraus mulctetur ac rerum perturbatio tollatur. Haec sunt, quae nostra hac epistola explicanda duximus; quibus ut feliciter utaris, paternam tibi ex animo apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Februarii 1747.

(Bull. Bened. XIV. t. II. p. 186.)

Aviae neophitae (aliisque personis) asseritur jus offerendi ad baptismum infantes Judaeos ex filio praemortuo nepotes.

Epistola ad R. P. Petrum Hieronymum Guglielmi Congregationis s. Officii Assessorem.

Benedictus Papa XIV.

Dilecte Fili. Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Probe te meminisse arbitramur, Nos in epistola Nostra die 28. mensis Februarii anni 1747 ad venerabil. Fratrem Vicarii Urbis Vicesgerentem, Tarsensem*) tunc temporis Archiepiscopum, nunc autem Constantinopolitanum Patriarcham, conscripta, quae typis excusa, deinde in decimum septimum bullarii tomum inserta fuit, definiisse, pa-

*) Vd. *supra p. 79.*

trem, qui ex judaica perfidia ad christianam fidem conversus sit, posse filium suum infantem vel impuberem, judaea matre licet dissentiente, sanctae religioni nostrae initiandum offerre; matri etiam Christi fidem amplexae hanc eamdem potestatem inesse, quantumvis pater in Judaismo perseverans contradicat; praeterea hujusmodi offerendi jus ad tutores pertransire; illiusque paternum quoque avum participem esse, qui, secundum opinionem, quae tribunalium decretis pluries rata habita et confirmata est, nepotem infantem vel impuberem sanctae religioni christianae valide offert, etiamsi vel pater vel mater aut etiam utrique in Judaismo permanentes contradicant. Qua quidem de re omnia in eadem epistola nostra plene discussa et comprobata reperiuntur. Verum quia nulla ibidem paternae aviae facta mentio est, num videlicet haec nepotem infantem vel impuberem, parentibus etiam illius ac tutoribus contradicentibus, sanctae religioni nostrae offerendi jus haberet, eventus nuperrime contigit, qui de hac quoque re Nobis agendi occasionem praeberet. Judaeus etenim cum decesserit ac filios duos uxoremque tutricem constituerit, aliis etiam Judaeis tutoribus, tam filiorum, qui nati, quam qui nascituri essent, nominatis; superstes avia paterna erat, christianam fidem jamdudum amplexa, quae sanctae religioni nepotes offerre volebat, et cujus pio proposito ac studio tam patrui quam paternae amitae, Judaei scilicet prius defuncti fratres et sores, qui antea pariter sanctum baptismum receperant, adhaerebant. Cum itaque controverti coeptum sit: num hujusmodi oblatio acceptari possit ac debeat, ea in praesens quaestio necessario instituenda est, quae in altera epistola plane praetermissa fuit, exacteque discutiendum: *Num avia nepotes offerendi potestatem habeat et num ea oblatio acceptanda, quamvis tam mater tutrix quam alii tutores Judaei contradicant?*

Hoc controversiae caput argumentum erit praesentis epistolae nostrae, quam Tibi, dilecte fili, directam volumus, quoniam in sanctissimae Inquisitionis tribunali, in quo assessoris officium laudabiliter sustines, eadem res inter consultores primum, tum inter Cardinales coram Nobis examinata est, omnibus ante perlectis, quae a Viris expertissimis pro utraque parte scripto deducta fuerunt.

§. 2. In hujus autem quaestionis examine occurrit statim Nobis difficultas hujusmodi. Nemini, quod suum non sit, licite offerendi potestas est, neque eam oblationem, si fiat, recipere ullo modo licet; non igitur ea oblatio recipienda est, per quam infans in judaeismo natus sanctae religioni initiandus offertur, nisi ab eo fiat, qui eam in ipsum auctoritatem habeat, quae patria potestas appellatur. Quare cum paterna avia in filios filii sui patria potestate minime praedita sit, primo statim intuitu visum est Nobis legitime inferri posse, neque illi potestatem esse nepotes infantes aut impuberes licite offerendi neque oblationem ab ea factam licite acceptari posse, praesertim cum mater tutrix contradicat eique assentiantur tutores eidem matri a genitore adjuncti.

§. 3. Neminem sane nisi ecclesiasticae historiae admodum imperitum ignorare arbitramur, *per plura saecula eam in ecclesia disciplinam viguisse, qua genitores proprios filios impuberes non modo ecclesiasticae vitae adeoque clericali statui sed etiam monasticae disciplinae offerebant:* quibus proinde filiis, etiam cum ad eam pervenerant aetatem, in qua bonum a malo discernendi facultas est, interdictum erat ab ea vitae conditione resilire, cui adhuc infantes vel impuberes a parentibus destinati fuerant; hujusmodi autem disciplinae moderationem paucis abhinc saeculis inductam esse.

§. 4. Et quidem, quod ad eam spectat oblationem, qua infantes in clerum recipiendi ac tonsura et lectoratu initiandi offerebantur, complura videre licet apud *Morinum de sacris ordinationibus part. 3. exercit. 5. de tonsura clericor. cap. 3*, apud *Martene de antiquis ecclesiae ritibus tom. 2. lib. 1. cap. 3. num. 3.*, *Bosquetum in notis ad epistolam Innocentii III. 136. lib. 2. regesto 14. p. 151*; nuperrime vero aureus anulus repertus est, quem, ut ejus capacitas indicat, pro duorum aut trium mensium infante confectum fuisse oportet. In eo aliquot literae impressae erant, quibus infantem illum levitam esse innuebatur; quod tamen non ita intelligendum est, ut illum diaconum fuisse credamus, verum tantummodo in clerum cooptatum fuisse, quemadmodum a viro erudito patre *Baldino in suis notis ad Anastasium bibliothecarum tom. 4. ad vitam sancti Eugenii Papae ad pag. 61. et seqq.* valde apposite demonstratur.

§. 5. De illa autem oblatione, per quam pueri monasterio dicabantur, inter caeteros

Mabillonius in sua praefatione ad saeculum sextum Benedictinum num. 36. quamplurima edisserit, item *Muratorius tom. 5. Antiquitatum Italiae medii aevi dissertatione 65. col. 480. et seqq.* Alia quae ad hujusmodi rem pertinent monumenta a *Gratiano ad causam 20. quaest. 1.* collecta habentur. Idem autem antiquo etiam Concilii Toletani adagio comprobatur, quod *a Clemente III. in decretali suo: Cum Verum, de Regularibus*, pariter usurpatum invenitur, quod scilicet *monachum aut paterna devotio aut propria facit professio. Dartis in commentariis ad decretum Gratiani part. 2. cons. 20. quaest. 1.* omnia quae ibi continentur ita in compendium redigit: *Olim pater poterat filium suum impuberem monasterio delegare et tradere nec liberum illi reverti ad saeculum.* Si quis autem super hujusmodi re plenius omnia cognoscere cupiat, consulere poterit *Calmetum super cap. 59. regulae sancti Benedicti*, et *Haestenum in part. 2. disquisitionum monasticarum lib. 4. tract. 2. disquisit. 5.*

§. 6. Disciplina hujusmodi ad usque Coelestinum III. permansit, qui Pontifex eidem moderamine adhibito decrevit, puerum monasterio oblatum, cum ad discretionis annos pervenerit, interrogari debere, num illi remanendi an abeundi voluntas sit: eumque, quoties abeundi animum habeat, nullatenus ad remanendum cogi debere. Ita in decretali ipsius in cap.: *Cum simus de Regularibus*, videre est, cum qua *Innocentius III. lib. 15. epist. 116.* ad Episcopum Lugdunensem conscripta etiam concordant. Coelestinum III. disciplinae illi modum imposuisse dictum a Nobis est, eo quod non omnino ac penitus eamdem sustulerit aut abrogaverit; quin immo hodiernis etiam temporibus, quoties non obstent peculiares regularium ordinum sive institutorum constitutiones, de quibus agit *Fagnanus in cap.: Cum Virum, de Regularibus*, aut recentiores pontificiae constitutiones, quae certam aetatem praestituunt pro illis, quibus intra monasterii septa pernoctandum sit, quod spectat ad jus canonicum decretalium, nequaquam vetita est (salva semper Concilii Tridentini observantia quantum ad aetatem ac tempus tyrocinii et professionis) ea oblatio, qua filii impuberes monasticae vitae offeruntur. Ex hujusmodi autem oblatione tres effectus existunt; primo, quod filius impubes a religione recipi potest: deinde quod parenti patria uti potestate, ut eumdem ad saecularem statum revocet, amplius integrum non est; denique quod, etiamsi filio impuberi ante pubertatis annos religiosa claustra deserere minime permissum est, quod ipsi tamen facere licet, ubi eam attigerit aetatem, in qua potestatem habet, ut de seipso disponat, potest nihilominus religio proprio jure uti, ut etiam ante pubertatis annos eumdem dimittat, dummodo in eo recipiendo ea se obligatione non obstrinxerit, ut usque ad dictum tempus eumdem retineret, quemadmodum valde apposite *Suarez de relig. tom. 3. lib. 5. cap. 1. num. 13.* edisserit. *Eadem de sponsalibus dicenda, quae pro filiis impuberibus ab eorum parentibus fiunt.* Secundum veterum canonum praescriptum, filii, etiam postquam ad puberem aetatem pervenerant, ea servare tenebantur, quemadmodum colligitur ex decretali, quae Pontifici Hormisdae attribuitur et quae in *cap.: Tua Fraternitas sub tit. de desponsatione impuberum* refertur. »*Potest autem filium nondum adultum* (voluntas cujus discerni non potest) *pater, cui vult, matrimonio tradere; et postquam filius pervenerit ad perfectam aetatem, omnino debet hoc adimplere.* Verum Pontifex Bonifacius III. in sua decretali, cujus initium: *Infantes*, et quae in *titulo de desponsatione impuberum, lib. 6. unica est*, antiquas canonicas dispositiones moderatus est statuitque, impuberes, postquam ad pubertatem pervenerint, nequaquam obligari ad ea adimplenda sponsalia, quae a parentibus eorum facta sint, nisi eadem, postquam puberes evaserint, aliqua ratione approbent: *Nisi per cohabitationem eorum mutuam seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perdurare.*

§. 7. Tam antiquis autem quam hodiernis temporibus non defuere, qui disciplinam illam auderent improbare, secundum quam, ut dictum paulo ante est, impuberi filio monasticae vitae a parentibus oblato amplius illam deserere interdictum erat. *Rhabanus in libro ad Ludovicum Imperatorem* conscripto invehitur in eos, a quibus id affirmabatur, contenditque eos id asserere, *quod sit contra superiorum saeculorum sententiam, immo etiam contra Conciliorum et Pontificum decreta.* Idem argumentum hac nostra aetate *a Joanne Petro Gibert. tom. 2. sui corporis juris canonici tit. 23. de ecclesia ad sect. 4.* pertractatum est. Hanc eamdem causam *Ugo Menardus cap. 66. concord. reg.* agen-

dam suscipit, statuendo jus illud, per quod filiorum ad monasticam vitam oblatio fit, in effraenata patria potestate fundatum esse: *Dico hoc jus esse a naturali potestate, quam habent parentes in liberos, qui possunt eos etiam vendere necessitatis causa; ergo etiam devotionis causa Deo offerre in perpetuum ejus obsequium, tam pro salute sua quam liberorum, modo id fiat pura intentione et devotione.* Quae quidem ratio admitti posse videtur, dummodo veteri illi patriae potestati non innitatur, adeo effraenatae, ut ejus vigore licitum esset patri non modo filium venumdare sed etiam occidere, si ita ei collibuisset, quemadmodum apud *Sigonium de jure antiquo civium romanorum ad cap. 10.* videre est, sed alteri potius mitiori patriae potestati, quam Romani adoptarunt, postquam a Graecis cum bonarum artium disciplina morum etiam humanitatem et cultum didicerunt, quae potestas restricta fuit ad moderatam in filios coërcitionem, reservata magistratibus severiori, quando ea opus foret, et ad omnimodam dispositionem status filiorum et vitae generis atque conditionis, quam usque ad exitum servare et profiteri deberent. *His eisdem limitibus definita fuit apud Judaeos patria potestas super filios et filias*, cum *caput 11. lib. judicum* legatur, Jephte votum Domino vovisse, si eidem datum esset superare filios Ammon, quicumque primus de domo ipsius egrediens sibi redeunti occurrisset, eum se holocaustum Domino oblaturum; cum autem prima eidem occurrisset unigenita ipsius filia, votum adimplere non omisisse atque eam Deo immolasse. Sane inter sacros interpretes disputatio et controversia est, num Jephte, hujusmodi votum faciendo et implendo peccatum commiserit necne; *s. Thomas in 2. 2. quaest. 88. art. 2. ad secundum* considerans Jephte in epistola ad Hebraeos *cap. 11.* in Sanctorum catologo poni probabile esse ait, Jephte peccati sui poenitentiam egisse: *Probabile est, eum poenituisse de facto iniquo.* Eisdem vestigiis insistit *Suarez tom. 2. de religione ad lib. 2. cap. 10. num. 12.: Factum illud contra legem naturalem erat et contra legem scriptam Exodi 20. de non interficiendo innocente, quae procedit et obligat etiam titulo religionis et voti, quia pater non est dominus vitae filiae, ut illam vovere aut sacrificare possit.*

Atque hisce quidem comprobatum videmus, patriae auctoritati ac potestati apud Judaeos jus vitae et necis supra filios nequaquam adnexum fuisse. Alii porro sunt, qui Jephte a peccato excusant vel quod eundem Spiritus sancti instinctu, qui praecepto aequipolleat, votum fecisse atque adimplevisse dicant (quod nihil facit ad rem, de qua hic agitur) vel quod is filiae suae non naturalem mortem, sed civilem dederit, eamdem ab hominum commercio segregatam Deo consecrando ac perpetuae virginitati destinando. Quidquid sit de hac opinione, Nos eam in medio relinquimus, utpote quam communi patrum et interpretum sententia improbari videamus, quemadmodum tum in dissertatione Calmeti super hac materia tum in *Suarez loco citato* tum docte admodum *in Sylvio in commentariis supra 2. 2. quaest. 88. art. 2. conclus. 7.* videre est. Verum ex eadem ipsa opinione comprobare posse videmur, etiam apud Hebraeos liberam fuisse patri facultatem, ut filium certae vivendi rationi destinaret, in qua eidem usque ad vitae finem permanendum foret, cum neminem deprehenderimus, qui ideo opinioni illi refragetur, propterea quod pater apud Judaeos talem auctoritatem minime haberet; sed quod illiusmodi interpretatio literali divinae scripturae sensui contraria videatur.

§. 8. *Jus igitur filios impuberes claustro sive monasterio offerendi vel cum obligatione perpetuo ibi manendi vel cum facultate abeundi, si, cum ad pubertatem pervenerint, oblationem de se factam minime confirment*, patriae potestati atque auctoritati innixum est, quemadmodum apposite a *s. Thoma in quodlibet 4. quaest. 12. art. 33.* §.: *Primo ergo* indicatur: *Pueri ante annos pubertatis ex naturali jure sunt sub cura parentum, propter hoc quod patiuntur discretionis defectum, secundum quem possint bene regere seipsos; ideo in hac aetate possint quidem religioni tradi, si a parentibus offerantur, et erit rata traditio, praecipue si, cum ad annos pubertatis pervenerint, ratam habuerint paternam oblationem.* Huic disserendi rationi Praedecessoris quoque nostri *Clementis IV. decretalis epistola* cohaeret, die 27. Aprilis 1267 Viterbii data et Abbatibus, Abbatissis, Prioribus et Guardianis Praedicatorum, Minorum, Cisterciensium et Praemonstratensium de Montepessulano et illius suburbiis directa, quae inter ejusdem Pontificis *epistolas 452.* numeratur *tom. 2. thesauri anecdotorum a Martene collecti*

col. 453. Nihil sane pro recto moderamine rerum tam bene atque utiliter potest esse provisum, quod tractu temporis malitia hominum pervertere conetur. Perlatum ad dicti Pontificis aures est, eum tunc temporis abusum invaluisse, ut oblationes impuberum ad monasteria a quacumque persona fierent et promiscue acceptarentur, idque privati commodi et emolumenti gratia, ut scilicet monasteria bonis illis potirentur, quae ad impuberem oblatum spectabant. Apostolicus Pontificis zelus tam gravi incommodo obviam ire non praetermisit edixitque impuberes nequaquam reciperentur, nisi oblatio a patre et matre fieret aut a tutoribus, qui in iis, quae pertinent ad pupillorum curam aut dispositionem, in jus paternum succedunt: *Absque voluntate parentum et tutorum suorum.* Ab hoc etiam proposito non aliena ea quaestio est, quae a pontificii juris peritis discutitur, utrum scilicet, si filius a patre sine consensu matris, vel si a matre sine patris consensu offeratur, talis oblatio legitima sit atque acceptari possit: in qua quaestione quamquam sunt, qui neutram harum oblationum legitimam esse contendunt, ex legalis adagii vi, *quod in re communi melior est conditio prohibentis*, magis tamen probanda est ea opinio, quae paterno juri omnimode favet, cum in patre, non autem in matre, patria potestas resideat, quemadmodum videre est apud Cardinalem de *Turrecremata in commentariis super can.: Addidistis num. 2. 20. quaest 1.* Quod si quis illud objiceret, Annam Elcanae uxorem obtulisse Deo in templo inter manus sacerdotis Heli Samuelem filium suum, postquam ablactatus fuit, eo quod de ipso ita Domino spopondisset: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitae ejus*, quemadmodum *in lib. 1. Regum cap. 1.* habetur, facile esset respondere, id quidem ab Anna, sed cum Elcanae viri sui ac respective patris consensu factum fuisse, juxta id, quod a *Tostata ad quaest. 22.* pluribus comprobatur: *si autem sola fuisset in voto, non tenuisset*; quod etiam Calmetus confirmat.

§. 9. Quorsum nostra haec omnis pertineat ratiocinatio, minime tibi obscurum esse potest; cum enim ex ea colligi possit, legitimam impuberum oblationem patriae potestatis sequelam esse, cumque paterna avia ea potestate minime praedita sit, jus offerendi nepotem ex filio nunquam ad eam pertinere potest; si autem paternae aviae, cum de nepote ad claustrum sive monasterium offerendo agitur, interdictum est, potiori ratione interdictum illi esse debebit hujusmodi nepotem ad baptismum offerre; etenim secundum recentiorem disciplinam, ut supra dictum est, impubes, qui monasticae vitae oblatus est, cum ad pubertatem pervenerit, religiosum institutum deserendi libertatem habet; sed infanti aut impuberi Judaeo ad baptismum oblato et baptizato in christiana fide permanendum omnino est, (et, si,) cum ad pubertatem pervenerit, contra facere praesumat, canonicis poenis punietur, secundum Bonifacii VIII. decretalem, cujus initium: *Contra*, sub titulo *de haereticis, in sexto.* Verum quia hujusmodi argumentationi illud valide opponendum occurrit, permultum scilicet discriminis inter claustrum ac baptismum intercedere, cum sine priori aeterna salus obtineri possit, quae sine altero neutiquam sperari potest, de baptismo dispiciendum Nobis hoc loco est ac demonstrandum, omnia, quaecumque dicta sunt de oblatione ad monasterium, habere locum, etiam cum agitur de oblatione ad baptismum.

§. 10. Res haec, de qua quaerimus, tam a theologis quam a pontificii juris peritis pertractatur, quinam videlicet sint, qui filios infantes vel impuberes christianae et religioni et sancto baptismati offerendi jus habeant. Primo igitur loco hujusmodi jus penes parentes esse affirmant, sive ii neophyti sint sive etiam ethnici vel Judaei, dummodo, si tales sint, fide bona ab eis oblatio hujusmodi fiat et infantes baptizati apud christianos remaneant neque illis, propter perversionis periculum, restituantur, quemadmodum a Nobis in supracitata epistola ad Urbis Vicesgerentem conscripta plurimis probatum est. Concordat *s. Thomae doctrina in quodlibet 2. art. 7., in 2. 2, quaest. 10. art. 12.* et in *3. part. quaest. 68. art. 10*, ubi docet, infantes infidelium sine parentum consensu nequaquam baptizari posse; eaque doctrina et ab aliis communiter recepta et cum aliorum tribunalium ecclesiasticorum tum etiam supremae hujus Inquisitionis sententiis atque judiciis roborata et confirmata est, ut etiam a Nobis in eadem epistola desuper citata num. 4. et seq. demonstratum est.

§. 11. Secundo loco iidem auctores docent, *quoties maritus Christi fidem amplectatur, uxore in Judaismo remanente*, si haec oblationi communis prolis ad baptismum repugnet, jus offerendi penes solum patrem

remanere, cum non in matris sed in patris potestate, secundum civiles leges, filius sit; quam rationem etiam Pontifex Gregorius IX. adduxit in celebri sua decretali: *Ex literis, de conversione infidelium: Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam etc., respondemus, patri eumdem puerum assignandum.*

§. 12. Tertio loco, cum, Gregorio XIII. summum pontificatum tenente, controversia exorta fuisset: *utrum paternus avus, qui christianam religionem amplexus nepotem ex filio, dissentiente matre Judaea, baptizandum offerre volebat*, id faciendi jus haberet? responsum decretumque est, avum, matre etiam dissentiente, offerre posse adeoque oblationem illam admittendam esse, quemadmodum admissa fuit. Quae a Nobis in citata epistola nostra *num. 17.* relata et comprobata habentur. Hujus quoque rei mentionem factam a *Sylvio in tom. 1. super 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10. conclus. 6.* deprehendere licet, cujus verba hujusmodi sunt: *Gregorius XIII. dicitur statuisse, ut parvulus, quem avus paternus baptizari volebat, baptizaretur, invita matre judaea, quae defuncto patri superstes erat, quia scilicet avus tamquam pater curam nepotum habet.* Neque vero desunt judiciales sententiae a tribunalibus prolatae, quae a Nobis loco citato indicatae sunt, per quas avo jus offerendi nepotes permittitur, non solum si, defuncto patre, mater repugnet, verum etiamsi utrique parentes superstites contradicerent; idque propter eam rationem, quod leges non tantum filium sed et filii filium patriae potestati subjiciunt: *Qui igitur ex te et uxore tua nascitur, in tua potestate est; item qui ex filio tuo et uxore ejus nascitur, id est nepos tuus et neptis, aeque in tua sunt potestate, et pronepos et proneptis. et deinceps caeteri*, ut habetur in institutionibus imperialibus et in *l. 4. de his, qui sui vel alieni juris*; et qui in familia nascitur, illius capiti, qui avus paternus est, subjectus remanet; filius vero, qui avi potestati subjectus est, alios in potestate habere non potest, quemadmodum *l. 5. eodem titulo* prosequitur.

§. 13. *Quarto loco auctores praedicti jus offerendi tutoribus attribuunt*, sub quorum cura infantes et impuberes vivunt, cum pro eo, quod pertinet ad illorum educationem, patria potestas in ipsos transfusa sit, quare, quemadmodum de jure non licet, ut supra dictum est, infantes infidelium sine parentum consensu baptizare, ita neque sine tutorum consensu eosdem baptizandos offerre permissum est, ut etiam in citata epistola nostra §. *14.* habetur; quod tamen a *Soto in 4. sententiarum distinct. 5. quaest. unica art. 10. in 2. conclus. ad* §.: *Addite etc.* non libenter admittitur, cujus hic verba subjicimus: *Addit idem Paludanus, idem esse de puero utroque orbato parente, qui, renuentibus tutoribus, non est baptizandus: sed arbitror, non esse tam atrocem injuriam, ac si parentes contradicerent.*

§. 14. Omittimus hic verba facere de eo casu, *quum scilicet Judaei filius in extremo mortis discrimine constitutus sit, quo nempe casu, repugnantibus etiam parentibus, a quolibet ad baptismum offerri et baptismalibus aquis ablui potest*; idque ratione modici damni, quod ad parentes inde provenit, gravissimi autem aeternique praejudicii, quod in prolem redundaret, nisi salutari lavacro regeneraretur, ut in citata epistola nostra ad *n. 8.* disseruimus. Nec enim hic agendum censemus de altero casu, si forte videlicet evenerit, ut Judaei filius a patre relictus ac destitutus sit; quem, invitis etiam parentibus, baptizandum offerre cuilibet permissum est, eo quod ipsi, propter destitutionem ejusmodi, patria potestate ciciderint, juxta responsum Praedecessoris nostri *Gregorii* IX. *in cap. 1. de infantibus et languidis expositis*, ubi ita legitur: *Si a patre vel ab alio, sciente ipso aut ratum habente, (relegato pietatis officio) infans expositus extitit, hoc ipso a potestate fuit patria liberatus*: cum iis, quae insuper a Nobis in citata epistola num. 9. deducta reperiuntur.

§. 15. Ex auctorum sententia *nequaquam denegatum dominis jus est offerendi filios mancipiorum suorum infidelium ad sacrum baptismatis fontem*; qua de re, licet *s. Thomas* expresse verba non fecerit, cum tamen idem citatis locis docuerit, filios eorum, qui apud christianos Principes servitutem civilem serviunt, invitis parentibus baptizari non posse, satis quidem dixisse putandus est, ut inferre liceat, ejusmodi doctrinam esse, quod filii servorum, qui servi sint servitute poenali, possint a dominis ad baptismum offerri, quemadmodum apposite a *Sylvio loco citato ad conclus. 7.* animadversum fuit, atque ante eum a *Suarez tom. 3. super 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10. disput. 25. sect. 5.* §. *Dico secundo* indicatum fuerat. Porro Judaei christianorum servi sunt, sed civili

servitute, ut docet s. *Thomas*; et licet *Innocentius III. in cap.: Etsi Judaeos de Judaeis*, de iisdem affirmet, *quod eos propria culpa submisit perpetuae servituti*, cum tamen idem Pontifex subjungat, *quod pietas christiana eos receptat et sustinet cohabitationem illorum*, satis indicat se Judaeorum servitutem civilem innuere voluisse, quod etiam *Vasquez tom. 2. super 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10. disput. 154. cap. 5. in fine* probe animadvertit. Servi autem servitute poenali Turcarum filii sunt, bello capti, non autem filii christianorum; nam in bellis, quae christianos inter geruntur, juris gentium rigor in eo dumtaxat, quod spectat ad res, non autem in eo, quod ad homines attinet, observatur; neque homines bello capti capientium servi fiunt, licet hostium res in hostis dominium transeant, qui eisdem potitur; ita in monumentis a *Vinnio collectis tom. 1. suarum institutionum civilium lib. 1. tit. 3. pag. 35. novissimae editionis Venetae* habetur. Neque vero juri illi, per quod domino licet filios servi sui, qui servitute poenali servus sit, ad baptismum offerre, patria genitoris potestas ullo modo officit: *Nam qui serviliter domino subjicitur est in potestate domini tam ratione sui quam aliarum personarum sibi conjunctarum, puta uxoris aut filiorum, nec amplius in res suas dominium retinet; quin et potest a domino divendi. Loquimur hic de servitute proprie dicta, vi cujus dominus potestatem habet vendendi servum, ut fit apud Turcas: hisce verbis Hon. Tournely in suis praelectionibus theologicis de sacramento baptismi edisserit pag. 328. editionis Parisiensis 1727.*

§. 16. Probe intelligimus, dilecte fili, nonnullos ex praecedentibus epistolae hujus paragraphis praetermitti per Nos potuisse, alterius epistolae nostrae ad Urbis Vicesgerentem conscriptae lectionem tibi proponendo, in qua ea omnia, quae in praemissis paragraphis summatim indicavimus, exposita plenissime sunt: verum ita faciendum existimavimus tum majoris ordinis et claritatis gratia tum ut uno aspectu legentibus tria exhiberentur: Primum quidem, quod jus ad baptismum offerendi ex patria potestate, tamquam ex origine, consequatur; alterum, quod, cum avia paterna patriae potestatis expers sit, non ita facile sustineri posse videatur, eandem habere jus offerendi nepotem, dum maxime Judaea mater tutrix aliique pariter tutores dissentiant; postremum autem, quod, sicut ob patriae potestatis defectum avia nequaquam jus habet nepotem ad monasterium offerendi, ita ex ejusdem patriae potestatis defectu ne illud quidem jus habere potest, ut eumdem offerat baptizandum.

§. 17. Atque haec ea difficultas est, quae Nos non aliquandiu haerentes atque suspensos tenuit, verum etiam in eam partem proclives: ut paternae aviae oblationem repudiaremus. Verum cum deinde animadversum a Nobis sit, fieri aliquando posse, ut etiam extra circumstantias paulo ante indicatas vel scilicet infantis in extremo mortis discrimine positi vel ejusdem a parentibus deserti ac destituti vel denique poenalis servitutis liceat infantem et impuberem Judaeos baptizandos offerri ab eo, qui patriam super ipsos potestatem minime habeat; id tandem Nobis persuasum remansit, quod, licet jus offerendi competat unicuique patriam potestatem habenti (quod argumentis desuper adductis satis comprobatum est), non tamen omnino alteri cuicumque, qui patriam potestatem non habeat, praeclusa remanet via, quominus oblationem hujusmodi in aliquo pecculiari casu facere possit.

§. 18. Gregorius IX., sicut antea memoratum est, in citato *cap. Ex literis, de conversione infidelium* decrevit, *quod, cum pater ad christianam fidem conversus esset, mater autem in judaismo remansisset, filius patri assignari deberet*, non autem penes matrem relinqui, propterea quod in illo, non vero in hac, patria potestas sita esset; idque eo vel magis, quod ita sanctae religionis favor exigeret: *Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, et non matris etc., in favorem maxime fidei christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Cum autem ibi nulla a Gregorio mentio habeatur de altero casu, cum scilicet mater ad Christi fidem conversa foret, pater vero in judaismo permaneret: non tamen ea res ab auctoribus praetermissa est iique omnes *debere tunc filium apud matrem manere atque huic jus ad baptismum offerendi competere affirmant, licet ipsa potestate patria nequaquam praedita sit*; idque tanta concordia inter se, ut omni diligentia adhibita neminem Nobis reperire contigerit, a quo contrarium asseratur. *Cardinalis Ostiensis in commentariis super memorata decretali: Ex literis, num. 13.* usque eo progreditur, ut Pontificem Gregorium dicat in de-

cretali sua minus plene rem explicuisse: *Potuisset ergo Dominus Gregorius hanc materiam plenius, brevius et planius expedire, ut sic dixisset, si quis duorum conjugum infidelium ad fidem conversus fuerit, in infidelitate alio remanente, liberi infantes converso adjudicentur.* Quod quidem Cardinalis Ostiensis dictum tum ab Abbate in commentariis super eamdem decretalem ad *n. 6.* tum a Petro de Archarano ad *n. 17.* aliisque compluribus celebratur. Nobis vero, quod a Cardinali Ostiensi minus fidenter dictum est, minime probari potest; sed duo hic dicenda occurrunt: primum, quod, cum ibi ageretur de patre ad christianam fidem converso et matre in infidelitate remanente eaque res ad Pontificis judicium delata fuisset, non aliae Gregorii partes erant, quam ut ad rem propositam responderet; alterum, quod, cum ipse pro ratione definitionis suae favorem fidei adduxerit, jure ac merito responsum ab auctoribus est, quod a Gregorio in casu patris ad Christi fidem conversi matre in judaismo remanente dictum fuerat, id ipsum in casu etiam matris conversae et patris in judaica perfidia haerentis locum habere debere, cum in utraque facti specie idem religionis favor ita suadeat; idque eo vel magis quod *in Concilio Toletano IV.*, quod anno 633 sub s. Isidoro celebratum fuit, ad *can. 63. in collectione Conciliorum Hispaniae de Cardinalis de Aguirre tom. 2. pag. 489.* expresse statutum decretumque repetitur, filium quidem sequi debere matris religionem, quoties ipsa ex Judaea, patre Judaeo remanente, christiana facta sit; contra vero patris religioni adhaerere debere, si matre in judaeismo remanente pater ad christianam fidem transierit: *Filii, qui ex talibus nati existunt*, id est ex matrimonio inter eas presonas, quarum altera in judaismo permanserit, altera autem christianam deinceps religionem amplexa fuerit, *fidem ac conditionem matris sequantur, quae jam in christianam translata est fidem; similiter et ii, qui procreati sunt de infidelibus mulieribus et fidelibus viris, christianam sequantur religionem, non judaicam superstitionem.*

§. 19. En igitur casum, quo, in religionis favorem, oblatio ad baptismum admittitur, etiamsi ab illo facta sit, qui patriae potestatis expers est; etenim patria potestas, ut dictum superius est, in patre, non autem in matre consistet: En, inquam, casum, ubi posita in altera trutinae lance tum patria naturali potestate, quam pater filium generando acquirit, tum etiam illa, quae eidem tanta amplitudine a jure civili attributa est, ex altera vero parte posita dumtaxat aliquali illa potestate, quam mater ex naturae lege in filii generatione acquirit sine alio quopiam juris civilis praesidio, haec trutinae pars alteri praevaleat, propter illud ponderis, quod ex favore religionis eidem accedit. Porro haec ratio ab antiquis peritissimis decretalium interpretibus et rite aestimata et magni, ut par erat, monumenti habita est; nam Pontifex Innocentius IV. in suis *observationibus in citatum decretalem: Ex literis*, scribet, quod, tam ubi judicium patris pro baptismo filii matris voluntati praefertur, quam ubi matris oblatio patris dissensui praevalet, ratio, quae contraria omnia exsuperat, in favore fidei posita est; Antonius vero a Budrio super idem *cap. Ex literis, num 7.* eo usque progreditur, ut vehementiori quadam emphasi dicat, quod cum Judaea mater ad christianam fidem conversa filium ad baptismum offert, dissentiente patre, qui in Judaismo remansit, dici ob favorem fidei potest, quod mulier vir evaserit et ex matre pater effecta sit.

§. 20. Quoniam vero, dum superius de filii ad monasterium oblatione a Nobis dictum fuit, tamquam plausu dignam reputavimus eam opinionem, quod parva aut nulla ratio habenda esset consensus matris, sed totum ex patris consensu, qui patriam potestatem habet, dependere; ex quo deduximus, idem respectu oblationis ad baptismum dicendum esse; illud hoc loco subdere necesse habemus, quod praedictae opinionis plausu nequaquam obstante communior sententia est, jus ad monasterium offerendi penes parentes esse idque non minus a patre quam a matre exerceri posse: *Si pater vel mater filium filiamve intra septa monasterii in infantiae annis sub regulari tradiderunt disciplina, utrum liceat eis, postquam ad pubertatis annos devenerint, egredi et matrimonio copulari, hoc omnino devitamus, quia nefas est, ut oblatis a parentibus Deo filiis voluntatis fraena relaxentur:* verba sunt s. Gregorii in epistola ad Bonifacium, quae in *can. Addidistis 20. quaest. 1.* relata habentur, et in textus hujus sequelam Gibertus in *corpore juris canonici tom. 2. tit. 23. de Ecclesia sect. 3. regula 14.* ita scribit: *Offerendi filios potestas tam ad matrem quam ad patrem pertinet.*

§. 21. Feliciter Nobis patriae potestatis obstaculum superasse videmur, quod Nobis aliquam difficultatem ingerebat, in eoque superando ratione validissima nixos fuisse, quae in religionis favore posita est; *ingenue tamen omnino agnoscimus, aliquid praeterea desiderari, ut statuere possimus, oblationem ad baptismum ab avia factam, tam judaea matre quam tutoribus Judaeis repugnantibus, licitam validamque esse adeoque admittendam.* Nam si in solo favore fidei omnia posita ac fundata essent, exinde consequeretur, ut a quacumque persona, licet externa, fieret oblatio infantis Judaei ad baptismum parentibus licet ipsius reluctantibus, eadem admittenda esset; contra quam docet s. Thomas, quem caeteri theologi communiter sequuntur, infantes ex infidelibus natos, sine parentum consensu minime baptizandos esse; atque illud etiam fortasse eveniret, ut christianorum cuilibet permissum in posterum videretur, in Hebraeorum vicum penetrare atque alicujus Judaei infantem, utroque parente invito, vel ibidem baptizare vel foras asportando baptizandum offerre, quod hodierno tempore non solum improbatur sed etiam a Tribunalibus ecclesiasticis vindicatur.

§. 22. Verum, si casus hic, qui in quaestione versatur, una cum adjunctis circumstantiis consideratur, haud facile quidem demonstrari poterit, ex eo quod aviae oblatio admittatur, vel communem laedi theologorum sententiam, quam supra exposuimus, vel violentiis aut dolis aditum aperiri ad hebraeorum infantes invitis eorum parentibus baptismati offerendos aut re ipsa baptizandos, tum quia communis theologorum sententia nihil aliud docet, nisi quod minime licet infantes infidelium, invitis parentibus, baptizare; cumque iidem nequaquam ulterius procedant ad explicandum, quinam illi sint, qui *sub appellatione parentum* veniant, locum excepit legalis dispositio, quae docet, sub appellatione parentum aviam comprehendi; quam ad rem verba textus in promptu sunt in *L. Appellatione ff. de verbor. significat. Appellatione parentum non tantum pater sed etiam avus et proavus et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater et avia et proavia*: tum quia hoc ipso in casu non improvisa aliqua vis aut impetus intercedit nec talis oblatio fit a persona penitus extranea, cum paterna avia sit, quae ad Christi fidem conversa nepotem ad baptismum sponte offerat; ac praeter id, quod jam dictum est, videlicet appellatione parentum paternam quoque aviam comprehendi, observandum etiam occurrit, quod romanis legibus a tutela mulieres omnes excludebantur: *Tutelam administrare virile munus est, et ultra sexum foemineae infirmitatis tale officium est*, quemadmodum legitur in *L. Tutelam C.: Quando mulier tutelae officio fungi potest.* Quum tamen deinde rigorem hujusmodi mitigari placuisset et mulieres etiam ad tutelam exercendam idoneas declarari, id ad solam aviam solamque matrem restrictum fuit, ut in *aut. Matri et Aviae*, eodem titulo, videre est; quod quidem signum evidens, imo argumentum satis clarum est, paternam aviam minime extraneam dicendam esse, etiam in eo, quod pertinet ad nepotum seu filiorum filii sui educationem; maxime vero ubi, velut in praesenti casu, cum aviae ipsi consentiunt patrui; quorum quidem in judaica lege tanta ratio habetur, ut matri in proprii filii successione praeferantur, quemadmodum in *cap. 27. libri Numerorum* praescriptum habetur, ac super ipso observant expositores *Tostatus quaest. 33., Calmetus ad vers. 11.* et *du Hamel ad vers. 9.*

§. 23. Hic vero novimus dictum iri, aviam ad legitimam nepotis tutelam habilem quidem redditam esse, verum secundo loco, id est post matrem ac propterea locum non esse loquendi de tutoribus legitimis, quoties, ut in re praesenti accidit, testamentarii adsunt a patre dati. Verumtamen utique responsionis parti non deest, quod denuo reponi possit. Verum quidem est, secundum jam citatam authenticam: *Matri et aviae*, in tutela legitima matrem aviae praeferri: *Matri et aviae secundum ordinem tutelam subire permittimus*: quo loco glossa ad verba: *secundum ordinem* notat: *Cum primo mater, secundo avia admittatur:* at saltem extra controversiam non est et valde incertum videtur utrum praelatio matris respectu aviae matri competat, quando ipsa Judaea sit, cum complures iique graves auctores doceant, matrem in tutela filii aviae praeferendam esse, cum ipsa christiana est, non autem cum Judaea. Etenim Authentica *Matri et aviae* desumpta est ex *novella 118*: *de haeredibus ab intestato venientibus.* In hac novella legislator ordinem successionum constituit ac deinde ad tutelarum ordinem gradum faciens parem hunc successionum ordini fore statuit, ideoque matri praelationem in tutelis supra aviam tribuit: ad extremum autem totam

suam dispositionem iterum complectens verbis hujusmodi eamdem concludit: *Haec autem omnia, quae de successione sancimus, obtinere in iis volumus, qui catholicae fidei sunt.* Ex quo plausu dignum et probabile argumentum illis suppeditatur, qui contendunt ac docent, in tutela legitima minime matri supra aviam praelationem deberi, cum mater Judaea est, sed tutelam christianae aviae deferendam esse, quod ita favor exigat religionis; cujus quidem ratio a legislatore habita est in re minoris momenti, cum statuerit, quod, licet mater filiam dotare teneatur, quando pater id faciendi de suo facultatem non habet, id tamen a matre omnino praestandum sit, etiamsi patri divitiae suppetant, quoties hic christianus et proles christiana sit, mater vero in infidelitate aut in judaismo remanserit, quemadmodum legum civilium dispositiones referendo pluribus ostendunt *Bossius de dote ad cap. 5. §. 2. num. 26. et seq.* et *Cardinalis de Luca de dote discurs. 142. num. 54.*

§. 24. Non inficiamur item, *quod minime dubium est, legitimis tutoribus nequaquam locum esse, ubi testamentarii adsunt*; verum illud videndum restat, num id admittendum sit, quando testamentarii suspecti sunt, cum, secundum romanas leges, testamentariis etiam suspicionis exceptio detur ipsaeque leges in Urbe quidem praetori, in provinciis autem praesidibus onus injunxerint suspectos tutores removendi et in eorum locum alios non suspectos substituendi, ut in institutionibus Justiniani et in titulo codicis; *de suspectis tutoribus vel curatoribus* videri potest. Pontifex Gregorius IX. in controversia, quae per ipsum soluta fuit in pluries laudato cap.: *Ex literis, de conversione infidelium,* utrum videlicet filius apud judaeam matrem remanere, an christiano patri tradi deberet, supra dictam legum dispositionem prae oculis habuit, ut ex subjectis ejusdem verbis colligitur: *Non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitae insidientur illius;* et contra judaeam matrem pronunciavit, propter periculum perversionis: *Materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime fidei christianae respondemus, patri eumdem puerum assignandum.* Hoc autem responsioni illi fundamentum praebet, non loquendum scilicet de tutoribus legitimis, ubi testamentarii adsunt, si testamentarii ab exceptione immunes sint; secus vero quando iidem exceptionem patiuntur praejudicii damnique notabilis, quod pupillo afferent cum religionis offensa; quemadmodum omnino contingeret, si nunc christianae aviae oblatio rejiceretur, ne jus impediretur eorum Judaeorum, qui tutores testamentarii existunt.

§. 25. Nonnullos fortasse audieris dicentes, quod, si oblatio aviae admittatur, res fiet, quae antea nunquam facta fuisse memoretur. Hoc idem Nobis fuit; sed nihil plane ea res Nos commovit, cum ne casus quidem ullus allatus fuerit, quo aviae oblatio repudiata sit. Cum autem res, quae in quaestionem cadit, non quidem tantummodo ratione dispicienda, sed quoquo modo executioni mandanda sit et positiva necessitas adsit de ipsa in alterutram patrem decernendi, nullus relictus locus est illius negligendae aut in aliud tempus differendae, sed videndum omnino est, quid secundum justitiam fieri oporteat. Idem plane contigit Gregorii XIII. tempore, quum scilicet ipse decrevit ut avi ad Christi fidem conversi oblatio reciperetur, etiamsi mater dissentiret, quemadmodum a Nobis plene expositum fuit in alia epistola nostra ad Urbis Vicesgerentem conscripta; et relatum habetur, ut supra innuimus, apud Sylvium, cui nunc adjungimus Valentiam *tom. 4. commentariorum theologorum disputat. 4. quaest. 3. punct. 3. §. Quarto dico*: etenim ne tunc quidem ante ejusmodi sententiam a Pontifice prolatam contigerat, ut oblatio avi dissentiente matre recepta unquam fuisset. Ergo et sententia illa nova extitit et tamen executioni demandata et cum plausu excepta fuit: eademque dici potest aditum iis aperuisse, qui in praesentia ad recipiendam aviae oblationem propensi sunt, quum pari jure censeri debeant avus et avia in eo, quod pertinet ad curam non minus filii quam filiorum ipsius, cum haec a familia sua per matrimonium in viri familiam translata primas in hac partes una cum illo obtinuerit. Et quoniam avi mentione redeunte objectum illud iterum redit, patriam potestatem penes eumdem non autem penes aviam residere, non mirum videri debet, si et Nos responsione illa denuo occuramus, videlicet favorem religionis id praestare, ut patriae potestatis defectus illi non officiat, qui alio caeteroquin legitimo titulo infantis

oblationem facit; ad ea autem, quae supra dicta sunt, de communi opinione, qua mater filium, dissentiente patre, valide ac licite baptizandum offert, etiamsi patria potestas in patre non autem in matre sit, injucundum fore arbitramur, si id adjungamus, quod ad rem hanc scribit *Vasquez tom. 2. super 3. part. s. Thomae quaest. 68. artic. 10. disput. 155. cap. 3. num. 35: Licet jure civili soli patri concessa sit patria potestas in filium, quod attinet ad aliquos effectus in ipso jure peculiares, nempe ut pater usumfructum habeat in bonis filii, non autem mater, et ut suus haeres dicatur, ac proinde jure (ut dicunt) suitatis gaudeat, quod respectu matris non conceditur, tamen, quod spectat ad retinendum filium in suo consortio et societate, ut illum nutriat, aequale videtur jus matris cum jure patris; ac proinde si alter consentiat, etiamsi sit mater, quia nimirum videtur ex consortio filii cum altero, nempe cum patre, ei damnum spirituale sequi ratione commodi spiritualis, quod filio ex separatione provenit, consensus illius repugnantiae alterius praevalere debet.*

§. 26. Nisi Nos memoria fallit, nihil aliud modo reliquum est, quam ut quaestioni illi respondeamus, *quomodo scilicet fieri possit, ut mater, quae super educatione filii infantis jus habet ipsa natura derivatum, quod ideo naturae jus appellatur, eo jure privari possit ab avia, quae aliam auctoritatem in nepotem habere nequit, quam quae ipsi a jure civili tribuitur.* In quo illud forsan satis esset respondere, praecipuum fundamentum illius praeponderantiae, quae aviae facto tribuitur, in religionis favore situm esse; quod autem hic quaeritur, jam antea quaesitum fuisse in altero casu, quum scilicet Gregorius XIII. avi factum dissensui matris praevalere debere judicavit; nec ullam de hujusmodi quaesito rationem habitam fuisse. Sed ut ad praepositae interrogationis nodum propius accedamus, quaerimus, utrum filii mancipiorum et eorum, qui pleno jure servi sunt, dissentientibus eorum parentibus, baptizari possint; et quidem, si secundum communem opinionem responsum dandum sit, respondendum erit: posse. Iterum igitur quaerimus, num hujusmodi parentibus faveret necne jus naturale pro educatione filiorum suorum infantium; neque responderi posse arbitramur: eosdem naturali eorum jure in proprios filios caruisse. Quaerimus denique, quomodo filii praedicti baptizari possint sine consensu parentum, pro quibus stat jus naturale, quod immutabile dicitur: verum, ut hujusmodi interrogationi responsum dari possit, ad theologos recurrendum est. Respondent ipsi, jus patrum in filios infantes pro eo, quod ad educationem pertinet, naturale dici posse duplici ratione, vel scilicet quia a natura originem habeat, vel quia lex naturae jubeat, ut nemo alius eorum educationi, exclusis parentibus, se immiscere possit. Admittunt theologi, jus illud primo sensu naturale esse, non autem secundo; ideoque concludunt, quod, cum dominium mancipii seu servi ejusque filiorum jure gentium in dominum transferatur, potest dominus filios infantes a parentibus separare eosque baptizandos jubere, etiamsi parentes dissentiant. Ita edisserit *Sylvius tom. 4. sup. 3. part. s. Thomae quaest. 68. art. 10. conclus. 7.* et ante eum satis solide *Suarez tom. 3. super 3. parte s. Thomae quaest. 68. art. 10. disputat. 25. sect. 4. §.: Quocirca.* Jam vero nihil praeter jus et fas postulare Nobis videmur, dum contendimus, quod, quemadmodum naturae jus non laeditur, ubi repugnantibus parentibus captivorum filiis baptismus confertur, ita neque idem naturae jus violari dicatur, quoties, nulla vi adhibita ac petente persona, quae id faciendi jus habeat, infans hebraeus, dissentiente matre aut sacro fonte abluitur aut baptizandus offertur; sicut enim pro primo casu militat jus gentium, ita pro altero favor religionis, cujus vis eam Nobis obligationem imponit, ut eamdem promoveamus, quantum, seclusa cujuslibet injuria, Nobis facere permissum est, veluti in praesentia continget, si oblatio hebraei infantis, quae ab avia sponte fit, recipiatur.

§. 27. Habes igitur, dilecte Fili, eas omnes rationes, quibus adducti sumus, ut eam, de qua quaestio est, oblationem recipiendam judicaremus, quemadmodum recipiendam judicamus; quae rationes et causae, sive per se singulae considerentur sive, ut in casibus practicis fieri consuevit, conjunctim accipiantur, magni procul dubio ponderis atque momenti sunt. Quod si in re dubia in favorem fidei pronunciandum esse constans regula est, quisnam erit, qui, perpensis tot propositis rationibus materiam hanc saltem pro dubia habendam adeoque in favorem religionis decernendam non existimet? No-

vimus, dilectos filios sanctae inquisitionis consultores tum sacrae theologiae tum canonici juris peritos, quorum suffragia validis rationibus innixa perlegimus, pro avia communiter censuisse. His concordes audivimus in Congregatione coram Nobis habita Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sententias pro admittenda aviae oblatione. Quare tam sapientibus consiliis inhaerendo huic epistolae nostrae finem imponimus, oblationem aviae recipiendam esse decernentes tibique impertientes apostolicam benedictionem.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die XV. Decemb. 1751.

(Bull. r. t. XVIII. p. 247. Ed. Luxenbg. 1754.)

37) Jus baptizandi est parochiale.

Vd. *Baptism.* (in eccles. paroch. decret. *Neapolitana* p. 46.; minister — missionarius —.)

Caesenaten.

Certum est, quod in ecclesiastica antiquitate soli Episcopi baptisma primum conferebant in solis ecclesiis cathedralibus, veluti post alios observarunt *Jo. Dartis ad Gratiani decret. part. 3. de consecr. dist. 4. §.: Sed non erat pag. 314* et *Marten. de antiq. eccles. ritib. lib. 1. pag. 11.* Sed aucto numero eorum, qui baptisma suscipiebant in ecclesiis parochialibus, quae discretae fuerunt a cathedralibus, fontes baptismales constituti sunt et parochi tamquam Episcopi vicarii et coadjutores (*Fagnan. in lib. 4. decretal. cap.: Literae quas de matrim. contrah. num. 18.* et *Abb. in cap. fin de offic. Archipresb.)* hujus sacramenti ministri esse coeperunt interdicto aliis ecclesiis jure habendi fontem sive filialibus sive intra ambitum parochialis existentibus, itaut collatio baptismatis nunc inter parochialia jura censeatur eaque non in aliena parochia nec ab alieno, sed a proprio parocho et in sua parochiali ecclesia administrari debet, ut suas agnoscat oves, quae per baptismi sacramentum in gregem Christi Domini cooptantur, ut solide advertit *Rota in Romana Juris baptizandi 12. Januarii 1733. fere per tot. cor. bon. mem. Saminiato.*

Die 15. Jan. 1780.

Ferentina.

Retentio fontis baptismalis et administratio sacramenti baptismatis de juribus sunt parochialibus *ex can. Clericos de consecrat. distinct. I.* et *Clementin. unic. de baptism.*; idcirca auferri non debeant fontes, qui de licentia Episcopo exstructi sunt, ut in *Fabrianen. Fontis baptismatis et juris baptizandi 22. Novembris 1732.* et *2. Maji 1733.* et *20. Martii 1734.* et in *Verulana Fontis baptismalis 24. Martii 1736.* Animadvertere tamen dignentur Eminentissimi Patres, retentionem fontis baptismalis non esse de essentia ecclesia parochialis singulisque parochis permissam esse, dummodo altera non sit ecclesia, improprie etiam matrix, quae privativum habeat jus illum retinendi; nam in praejudicium ecclesiae matricis nec Episcopus permittere valeat aliorum fontium erectiones, ut in *Guardien. Fontis baptismalis 8. Augusti 1694*, in *Urbevetana Fontis baptismalis 22. Septembris 1742*, in *Vercellen. Jurium parochialium 18. Aprilis 1747.* et in *Camerinen. Erectionis fontis baptismatis et. Juris baptizandi in ecclesia collegiata et parochiali s. Venantii Camerini 10. Februarii 1748.*

Die 18. Maji 1797.

Aesina,

Soli primum Episcopi baptismum conferebant in ecclesiis cathedralibus, *Jo. Dartis ad Gratian. decret. part. 3. de consecrat. dist. 4. §: Sed non erat,* et *Marten de antiq. eccles. ritib. lib. 11. part. 11.*; sed aucto deinde fidelium numero constituti fuerunt in aliis parochialibus fontes baptismales ac tamquam vicarii et coadjutores Episcopi sacramentum illud administrare coeperunt earum rectores, *Abb. in cap. fin. de offic. Archipresbyt.* et *Fagnan. in lib. 4. decretal. cap.: Literae de matrim. contrah. num. 18.* Ita profecto evenit Aesii. Nam ad saeculum decimum sextum unus in Cathedrali ad Aesinorum omnium regenerationem fuit fons baptismalis: sed paulo post sac. Concilium Tridentinum quatuor aliae per Aesinum Episcopum Gabrielem a Monte institutae fuerunt suburbanae parochiae, nimirum sanctae Mariae del Piano, s. Luciae, di Mazzangruguo et s. Mariae in Telano, quarum una dumtaxat ob ejus propinquitatem civitati et Cathedrali donata non fuit fonte.

Adhuc sibi ab eo tempore asserit parochus Cathedralis cumulativam baptizandi aliarum parochiarum infantes. Aegre fere id ferens sacerdos Antonius Theodori plebanus

s. Mariae in Telano hanc adiit Congregationem pro suo vindicando jure baptizandi in proprio fonte vel permittendi parocho Cathedralis collationem baptismi de sua licentia. Neque autem Aesinus Vicarius capitularis, ea sede vacante interpellatus neque eminentissimus hodiernus Episcopus suum aperuerunt votum, neque eminentissimus ipse Praesul ad respectivas refert partium allegationes, quas E. E. Vestris exhibet.

Suadenter contendit parochus Cathedralis, tale non esse jus bagtizandi, ut praescribi nequeat per observantiam ad aquirendam praesertim cumulativam Cathedrali, cui remanet quomodo innata illa facultas conferendi baptismum aliarum parochiarum infantibus, veluti sub cura Vicariorum Episcopi existentibus. Immemorabilem vel centenariam saltem in id allegat observantiam ex suis parochialibus libris, ex quibus constare asserit, semper ejus decessores ab anno 1675 baptizasse aliarum parochiarum infantes eosque etiam s. Mariae in Telano absque parachorum licentia. Atque ex hujusmodi observantia praescriptum ait cumulativum jus, de quo agitur, ut prae caeteris dixit *Rot. in Barchinonen. Jurium parochialium super praecepto paschali 3. Martii 1777. §: Item 3.*

Neque sublatam dicit hujusmodi consuetudinem a sacro Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.* Duos namque sancta synodus in praescribenda parochiarum distinctione et separatione distinguit casus, ubi nempe nullis parochiae circumscriptae sint finibus et cum nullae existant. In primo casu jussit, ut (Episcopi) distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum populum peculiaremque parochum assignent. In altera mandavit, ut hoc ipsum in iis civitatibus, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieret curent, non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus. Hanc igitur clausulam irritantem restrictam contendit parochus Cathedralis ad secundum casum, in quo versamur, et in id allegat *Barbosam ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 13, Pignatel. consult. canon. 89. §. 9. tom. 7.* et *Rot. in cit. Barchinonen. 5. Junii 1778. §. 6. coram Ratta* et in *ead. 14. Maji 1779. §. 2. cor. Riminaldo.*

Cumulativum insuper jus baptizandi desumit parochus Cathedralis ex asserta dioecesana synodo *Cardinalis Cybo anni 1658 tit. 10. de sacrament.*, ubi sub num. *3.* legitur: »Parochorum nemo praesumat infantes suae curae non subjectos baptizare, nisi urgente necessitate, Cathedrali etiam excepta.« Quam legem confirmatam ait in altera synodo Fonseca anni 1741 *cap. 2. de baptism.* Verba enim illa: *Cathedrali etiam excepta* ad exceptionem refert Cathedralis a prohibita facultate baptizandi infantes alienae curae. Urget contra parochus sanctae Mariae in Telano dispositionem juris, ex qua nemo alienos baptizare valet subditos nisi de licentia parochorum, sub cujus cura existunt, *Ursaya in miscellan. verb.: Baptismus* et *discept. eccles. 27. num. 18. et seqq. tom. 3. part. V.*, et haec Congregatio in *Caesenaten. Fontis baptismalis 19. Februarii 1780.* Idque etiamsi de parocho agatur ecclesiae matricis, cathedralis et metropolitanae, qui baptismum illis conferre praesumat, idem *Ursaja discept. 33. num. 9. part. I., Petr. ad constitut. 2. Gregor. XI. num. 32. et seqq. tom. 4., Rot. apud Monacell. formul. part. 4. decis. 22. num. 51.* et sac. haec Congregatio in *Bojanen. Jurium parochialium et praeeminentiarum. 24. Martii 1732.* et in *Fabrianen Fontis baptismalis et juris baptismalis et juris baptizandi die 24. Novembris 1733.* Spernendam vero ait assertam consuetudinem parochi Cathedralis Aesii veluti contrariam dispositioni juris nec satis de cetero probatam ex propriis ejusdem adversarii libris, quibus suos apponit de concessa propriis parochianis licentia suscipiendi baptismum in Cathedrali. Eademque ratione synodales negligit constitutiones Cybo et Fonseca, ex animadversis per *Gratian. discept. forens. 347. num. 33, Guttier. quaest. canon. lib. 1. cap. 5. num. 10.*

Animadvertit praeterea, rem esse de parochia in Telano, quae a sua institutione proprium habet fontem baptismalem. Quandoque enim probatum fuit Cathedralis vel matricis jus baptizandi alienos subditos, ubi nullus erat aut recens constructus fuerat fons baptismalis, ut prae caeteris sacra decrevit Congregatio in *Ferentina Matricitatis et fontis baptismalis 18. elapsi Martii ad II. dubium.* At diversa est juris dispositio, ubi de filiali agitur parochia, in qua jam diu servatis servandis existit fons; nam in hoc casu baptizare nequit parochus Cathedralis subditos hujusmodi parochiae, pro quibus lavacrum est proprii parochi, *Ursaya cit. discept. 33. num. 42. tom. 9.* et sacra

Congregatio in dicta *Fabrianen. 14. Novembris 1733.**) Cumulativum quidem jus baptizandi cum reliquis parochis Urbis habet parochus Basilicae sancti Petri,**) sed illud habet ex privilegio, ut in *Romana Juris baptizandi 15. Maji 1700.* Aliter vero se res habet quoad Aesinam Cathedralem, quae nullum in id exhibet privilegium apertamque consuetudinem ex propriis desumit suspectis libris.

Deliberandum itaque:

An parocho Cathedralis Aesii cumulativum competat jus baptizandi subditos paracciae in Telano absque licentia proprii parochi in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 15. Julii 1797.

38) Liber baptismi quae probat?

Aliquando multum interest probare diem nativitatis alicujus. De eo autem quaeritur: *an is probari possit ex libris baptismi, in quibus adnotatus sit?* Multi in ea sunt sententia probari posse. At contrarium tenet *Bohemer in decretal. lib. 3. tit. 22. §. 2. in jure parochial. sect. 4. cap. 1. §. 30.* et rursus *in animadvers. ad instit. Fleur. part. 2. cap. 6. §. 10. lit. I, Capyc. Latro decis. 166. num. 52., Rota in Tullen Coadjutoriae 13. Junii 1630. §: Secundo idem objectum coram Normann. impressa apud Alphons. de Leon. de offic. capellan. q. 4. s. 6.* Idemque videtur fuisse sensus sac. Congregationis Concilii interpretis *in Perusina Restitutionis in integrum 1. Augusti 1750*, in qua petita nullitate professionis eo sub motivo, quod perpensis die natali adnotato in libro baptismi et die professionis adnotato in regestis ejusdem deficiebant aliquot horae ad justam aetatem professi, sac. Congregatio censuit defectum paucarum horarum utique sufficere ad nullitatem professionis at non probari diem natalem ex libro baptismorum. Libri enim baptismorum, ubi ad praescriptum concil. Trident. *sess. 24. cap. 2. de reform.* conscripti et conservati sunt, probant utique baptismum, compaternitatem et alia, quae coram parochis vi proprii officii geruntur, *nequaquam vero attendi possunt circa aetatem et similia*, quae parochi ex aliorum relatione habent, et quorum cognitio ad officium ipsorum parochorum minime pertinet.

Aetas probatur testimonio parentum, consanguineorum et aliorum domesticorum, *Mascard. de probat. concl. 668. vol. 2.* Patris solummodo vel matris testimonium semiplenam faciunt probationem, *Barbos. in cap.: Super eo 2. de testibus, Cyriac. contr. 371, Innoc. in cap.: In literis de testib.*; quae probatio fit plena si pleno parentum testimonio quodvis accedat argumentum, *Socin. sen. cons. 19 n. 17. liq. 1, Socin. jun. cons. 3. lib. 2. 10,* excepto casu, in quo pater vel mater litem in filium inferat, quia suspectum parentum testimonium evadit, *Bald. cons. 19. lib. 5.,* *Mascard. de cons. 668. n. 16.* apud *Menoch. de praesumpt. lib. 2. n. 26. et 27.* et excepto casu quando agatur de gravi praejudicio tertii, tunc praeter parentum testimonium et quodvis aliud adminiculum majora requiruntur argumenta ad probationem plenam aetatis, *Bal. in L. un. col. 3. in secunda oppositione C. de confessis, Abb. in cap. 2, Felin. in cap. literas col. 3. vers.* primus est de praesumptione.

Probatur aetas ex libro parochi, *Mascard. de prob. concl. 672. n. 18. Gratian. discept. for. c. 155. n. 14.*

Si denique desit testimonium parentum et liber parochialis, probari potest aetas indiciis, conjecturis et per testes de auditu, *Mascar. loc. cit. concl. 675, Cyriac. Contr. for. contr. 371; Antonell.* aliique.

39) Linqua, in qua baptismus conferendus est?

Vd. *Baptism.* (interrogationes p. 65.)

40) Literae de collato baptismo ad contrahendum matrimonium.

Vd. *Baptism.* (sub condit. praecipue decr. diei 1. Sept. 1714. *Neapolit.* p. 19; *Tarvisina* p. 22; decret. *Nullius N.* n. 9. p. 25.)

41) Minister.

Vd. *Baptismus* (collatio.)

a) In baptismo filior. infidelium.

Vd. *Baptism.* (patrinus filiorum infidel.)

b) Bigamus.

Baptismus a bigamo administrari non debet, etiam in necessitatis casu, si alius adsit magis idoneus.

*) Vd. *supra p. 41.*
**) Vd *supra n. 18. p. 40.*

(Epistola decret. Bened. XIV.: *Postremo* §. 31 p. 88.)

c) Laicus.

Baptismus a laicis aut foeminis administrari nequit nisi in necessitatis casu. Et idem de nutricibus in specie; Benedict. XIV. epistola decret. *Postremo mense* §. 31. *)

d) Missionarius.

Vd. *Baptism.* (jus baptizandi est paroch. p. 110.)

Infideles ad fidem conversi in locis infidelium, ubi non adsunt nec Episcopi nec parochi, possunt licite baptizari, etiam solemniter et extra casum necessitatis, a missionariis, quibus specialis ad hoc facultas concedi solet, ut ex concessione Pauli III. et s. Pii V. pro missionariis apud Jndos tradit *Bassaeus in summa verb.: Baptismus 3. num. 14., Vericelli de apost. missionariis tit. 5.* At si ibi adsint Episcopi sive parochi, ipsis non licet solemniter et extra casum necessitatis baptizare, ut in terminis respondit sac. Congreg. Concil. in *Manillen. Baptismi 5. Julii 1581,* in qua fuit rejecta instantia ejusdam missionarii in insulis Philippinis petentis facultatem sibi soli concedi baptizandi infideles inibi conversos, cum ibi et extent Episcopi et parochi. Et a fortiori non licet eis nec aliis baptizare infideles ad fidem conversos in locis christianorum, quum hoc spectet ad Episcopum et ipso impedito vel nolente ad parochum domicilii ipsius infidelis baptizandi. *Rituale roman. rubr.: De baptismo §. 3.* his verbis: Adultorum baptismus, si commode fieri potest, ad Episcopum deferatur, ut, si placuerit, solemnius ab eo conferatur, alioquin parochus ipse baptizat, statuta caeremonia; et specifice in terminis baptismi adultorum infidelium tenet glossa in *cap.: Nec numerus 5. caus. 10. qu. 3. verb.: Aut in electa*, et ibi Archidiaconus *n. 2, Turrecremata verb.: Caeteram, Bellamer. n. 7. vers. in glossa, Petra in constit. 2. Gregorii XI. n. 31*, ubi rationem dant, quod scilicet infideles, ex quo baptizari volunt, ratione propositi, intelliguntur jam esse de foro illius, ubi habitant. Nec in praejudicium parochi domicilii potest id praetendi a parocho Cathedralis, ut resolvit sac. Congr. Concilii in *Neapolitana***) Juris baptizandi, in qua, praetendente parocho seu Vicario curato ecclesiae metropolitanae, sibi competere jus baptizandi per se vel per alios ab ipso delegandos infideles ad fidem conversos privative quoad parochos parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt ac proinde proposito dubio:

An jus baptizandi dictos infideles competat Vicario curato ecclesiae metropolitanae vel potius parochis earum parochiarum, intra quarum limites baptizandi degunt? die 27. Septembris 1687 responsum fuit: Spectare ad parochos domicilii, servata forma ritualis romani. Et sub die 21. Februarii 1687 responsum fuit: In decisis.

e) Nemo seipsum baptizare potest.

Nemo in casu necessitatis potest baptizare seipsum, textu clarissimo in *cap. debitum. 4. de baptismo*, ubi Innocent. III. sic scribit Metensi Episcopo: »Sane intimasti quod quidam Judaeus in mortis in articulo constitutus, quum inter Judaeos tantum existeret, in aquam seipsum immerserit dicendo: Ego baptizo me in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Respondemus: Quod inter baptizantem et baptizatum debeat esse discretio, sicut ex verbis Domini colligitur dicentis Apostolis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, memoratus Judaeus est denuo ab alio baptizandus, ut ostendatur, quod alius est, qui baptizatur, et alius, qui baptizat; ad quod etiam designandum ipse Christus non a seipso sed a Joanne voluit baptizari.«

f) Parochus Cathedralis.

Vd. *Baptism.* (in eccles. baptizandi privilegio etc. p. 40.)

g) Parochus domicilii.

Vd. *Baptism.* (in ecclesia paroch. p. 45.; jus baptizandi est paroch. p. 110.)

h) Plures ministri.

Plures ministri simul valide baptizant, si quilibet abluat et formam proferat independenter ab intentione alterius; patet a pari de pluribus sacerdotibus noviter ordinatis, qui simul cum Episcopo omnes consecrant et conficiunt sacramentum, si simul cum illo proferant et finiant verba consecra-

*) Vd. *supra p. 88.*
**) Vd. *supra p. 51.*

tionis. Si vero unus ex ipsis aquam effundat et alter verba formae baptismalis proferat, invalide baptizant, quia ultra quum quod hoc est contra Christi institutionem, ut patet ex praxi ecclesiae et communi sensu doctorum, in tali casu significatio formae esset falsa, nam alter dicendo: Ego te baptizo etc. cum non ipse sed alius baptizaret seu ablueret, falsum proferret. Sic divus *Thomas part. 3. qu. 67. art. 6*, *Scotus in 3. dist. 6. qu. 2.* et alii passim, et colligitur ex *cap. Detrahe 54. caus. 1. q. 1*, ubi ex verbis s. Augustini expresse dicitur: Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Si plures simul concurrant ad eumdem baptizandum sub hac forma: Nos te baptizamus in nomine Patris etc. nullum faciunt baptismum. Sic divus *Thomas 3. part. q. 67. art. 6, s. Bonaventura, Alensis, Contensonius, Toletus, Vasquez, Coninch, Caspensis, Bonacina, Mastrius, Ledesma, Centinus* et alii passim. Et ratio est, quia in hoc casu mutaretur essentialiter forma a Christo instituta, siquidem forma baptismi ex sua ratione significandi significat baptismum ab uno ministro perfici, et ab illo adaequate et totaliter causari indepedenter ab alio, ut clare denotant ipsius verba: *Ego te baptizo* etc. sed haec forma: *Nos te baptizamus* etc. significat, quod plures conveniant ad unum baptismum conferendum inadaequate, et tamquam concausae ab invicem dependentes et connexae, non autem adaequate et absolute; ergo hoc modo forma baptismi mutaretur essentialiter, quia sic non repraesentaretur una causa totalis et principalis, quae est Christus Dominus, ad quem finem minister ita debet esse unus, sicuti causa principalis est una; propter quod Apostolus ad *Ephes. 4.* ait: Unus Dominus,, una fides, unum baptisma.

i) Sacerdos non baptizatus.

Vd. *Baptism.* (probatio, decret. *Fesulana dub. III. p.); t. I. p. 218. r.*

k) Vicarius generalis.

Posse Vicarium general. baptizare sine consensu proprii parochi, si sit sacerdos et non habet ab Episcopo facultatem limitatam. S. R. C. die 16. Apr. 1639.

42) In Necessitate conferendus.

Vd. *Baptism.* (In diebus Pasch. etc. decr. *Leonis* I. n. 6 p. 37 *et Gelasii* p. 39; extra dies Pasch. et Pent. decr. *Leonis I.* p. 38.) *Baptis. Judaeor.* Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* n. 23. p. 85, n. 31. p. 88, et altera, *Probe te* etc. §. 14. p. 104.)

43) Nomen imponendum.

Bened. PP. XIV. de ritibus etc. in Regnis Madurensi, Mayssurensi etc. Indiarum Oriental.

Praecipimus, ut juxta laudabilem ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur et neophyti hactenus appellari consueverant, antequam essent per baptismum divinae gratiae renati. Nec parochis seu missionariis sub quavis praetextu liceat crucis, Sanctorum et rerum sacrarum nomina per translata immutare nec ea ullo idiomate explicare, nisi latino vel saltem indico, quatenus voces indicae regionis latinae significationi liquido et adumussim respondeant.

Die 12. Sept. 1744.

Ad dubium Episcoporum Madurens. etc.: *An et quommodo decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* »Praecipimus, ut juxta laudabilem ecclesiae consuetudinem semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicujus Sancti in martyrologio romano descript, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur et neophiti hactenus appellari consueverunt, antequam per baptismum essent divinae gratiae renati.«

Eminentissimi dixerunt: »Moderandum esse decretum, deleto verbo *praecipimus*;« cum clausula: »Curent, quantum fieri potest;« firma remanente interdictione quoad nomina idolorum et falsae religionis poenitentium.

Die 12. Sept. 1744.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 407.)

44) Ab obstetricibus dubie collatus.

Vd. *Baptism.* (sub condit. iterandus p. 8., non iterandus p. *25.*)

45) Patrinus.

a) Annus.

Patrinus potest esse omnis fidelis ad usum perfectae rationis perventus, etiamsi esset junior filiastro adulto et licet adhuc impuber contraheret cognationem spiritualem, ut declaravit sac. Cong. Conc., quae consulta: An *puellà novem annorum levans de sàcro fonte infantem contrahat cum eo cognationem spiritualem?* Respondit: *contractam esse cognationem spiritualem non obstante aetate.* Et haec sententia fuit confirmata a Gregorio XIII., qui tamen noluit petitam dispensationem concedere, ut refert *Fagnan. in cap.: Ex literis 8. de cognatione spirituali num. 16.* et in *cap. Veniens eod. tit. n. 18* asserit eamdem Congregationem decrevisse: *eum, qui plena pubertate baptizatum non praecedit, si ut patrinus eum tetigerit, contrahere cognationem, quamvis secundum naturam illum generare non potuisset.*

Concilium Rothomagense statuit tit. *de Sacramentis num. 4:* Patrinos esse debere *ad minus quatuordecim annorum aut alterius competentis aetatis. Tom. 15. Concil. edit. Labbeanàe col. 827. (Edit. roman. 1767.)*

b) Clerici saecul. utrum esse possint patrini?

Vd. *Baptism.* (patrin. — Regul. esse non poss. p. 116.)

A conciliis provincialibus et synodis dioecesanis nedum hoc munus solet interdici Regularibus omnibus, sed etiam aliis ecclesiasticis saecularibus. In concilio provinciali Aquensi *tit. de baptismi sacramento* sic praecisis statuitur: *Compater ne adhibeatur regularis aliquis nec passim clericus saecularis Sacris initiatis aut beneficium ecclesiasticum obtinens.* In concil. Rhemensi *tit. de baptismo* §. *7.* sic habetur: *Parochus in sua paroecia et initiatus sacris ordinibus in suae residentiae vel beneficii loco pueros de sacro fonte non suscipiant.* In synodo dioecesana Mediolanen. II. sub divo Carolo *decret. 17., ut* constat ex actis eccles. Mediolanens. *p. 2.* et deinde *p. 4. t. Instructiones baptismi de caeremoniis, quae peracto baptismo servantur*, sic praecipitur: *Nec vero monachos regulares clericosque saeculares Sacris initiatos ad infantem de baptismo suscipiendum adhiberi sinet parochus.* Et sic interdictum reperitur in plurimis aliis provincialibus conciliis et dioecesanis synodis, quae brevitatis gratia omittuntur, adducendo tantummodo duas ultimas synodos in Alexandrina dioecesi celebratas, in quarum prima celebrata *anno 1711 tit. 4. de sacramento baptismi decreto 2.* sic praecise habetur: *Occasione visitationis hujus Alexandrinae dioecesis inspeximus in libris parochialibus baptizatorum contra ritualis romani praescriptum sacerdotes et clericos sacris ordinibus initiatos fuisse interdum adscriptos et admissos in compatres seu patrinos, et aliquando per procuratorem etiam moniales in commatres; supramemoratos idcirco non esse in hujusmodi munere admittendos neque in sacramento baptismi neque confirmationis parochis mandamus sine nostra expressa licentia in scriptis sub poena aureorum decem pro qualibet vice;* et in secunda celebrata 1732. *tit. 6. de baptismo* sic statuitur: *Prohibeantur a suscipiendo infante a sacro fonte ecclesiastici et clerici etiam in Minoribus constituti sine expressa nostra licentia.*

c) Num haereticus esse potest?

Haeretici saltem licite patrini esse non possunt, quia oves non sunt tradendae lupis, a quibus nulla spes probae educationis in fide sperari potest, quae tamen est finis ecclesiae in designandis patrinis, ut patet ex *cap.: Vos ante 194. de consecr. dist. 4.* et Conc. Arelat. VI. *can. 19*, Conc. Moguntinum *can. 47.* et concil. Rhemense *tit. de baptismo* §. *3.* et conc. Mediolan. I. *pag. 1. tit. de baptismo.* §. *5.* expresse prohibet his verbis: *Multo autem minus haereticos vel etiam de haeresi suspectos sinat esse fidei sponsores.* Urgente tamen gravi causa vel necessitate, ut fieri solet in terris, ubi catholici cum haereticis permixti vivunt, etiam haereticum permitti posse tradit *Layman lib. 5. tract. 2. cap. 9. num. 7.* et alii, quia baptizatus in hoc casu posset et deberet in vera fide catholica instrui vel a parentibus vel a parocho vel a ludimagistro et posse haereticos esse patrinos supponunt *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 60. n. 2, Bonac. de matrim. quaest. 3. punct. 5. §. 2. n. 22, Reginald. lib. 31. num. 150, Passerin. cap. 6. n. 27, Barbosa de offic. et potest. Episcop. allegat. 30. num. 35, Fagnan. in cap.: Nobis, de jure patronat. n. 9. et 10, Petra in const. 5. Honor. III. sect. 2. num. 13,* ubi dicunt, haereticos levantes infantes de sacro fonte contrahere cognationem spiritualem.

d) Regulares esse non possunt patrini.

Vd. *Baptism.* (patrin. — clerici saecul. p. 115.)

Monachi et regulares utriusque sexus nequeunt licite esse patrini; *cap.: Non licet 103. de consecrat. dist. 4*, ibi: »Non licet Abbati vel monacho de baptismo suscipere filios vel commatres habere; *cap.: Monachi 104. de consecrat. dist. 4*, ibi: »Monachi sibi compatres commatresve non faciant, nec osculentur foeminas; et *c.: Placuit. 8. caus. 16. quaest. 2*, ibi: Placuit communi concilio nostro, ut nullus monachorum .... praesumat ... neque filium de baptismo accipere neque aliis quibuscumque negotiis se implicare, sit claustro suo contentus, quia, sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine et monasterio monachus; sedeat itaque solitarius et taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Et in *cap.: Pervenit 26. caus. 18. quaest. 2*, ubi divus Gregorius sic scribit Valentino Abbati: »Pervenit ad Nos, quod in monasterio tuo passim mulieres ascendant et, quod est gravius, monachos tuos sibi commatres facere et ex hoc incautam cum eis communionem habere; ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos (quod absit) calliditate decipiat, ideo hujus te praecepti serie monemus, ut neque mulieres in monasterio tuo permittas ascendere neque monachos tuos commatres sibi facere.« Et concil. Coloniense III. *tit. Censurae c. 16*, ibi: »Quamvis religiosis omnibus interdictum sacris canonibus sit, ne parvulos in baptismo suscipiant aut nuptiarum conviviis intersint, passim tamen hi canones negliguntur etc.; idcirco Abbatibus, Prioribus et religiosis quibuscumque susceptionem parvulorum in baptismo et nuptiarum convivia plane interdicimus, quantavis necessitate vel parvulis vel desponsatis jungantur. Contrarium facientes pro transgressione et scandalo dato severa poenitentia decernimus castigandos.« Conc. Trevirense *c. 11.*: Religiosi neque pueros de sacro baptismatis fonte per se vel per suffectas personas suscipere praesumant. Concil. Rhemense *tit. de baptismo* §. 7. ibi: »Numquam vero monachus patrinus vel monialis matrina esse queat.« Et juxta haec omnia fuit in rituali romano Pauli V. jussu edito et plublici juris facto sic expresse statutum: »Praeterea ad hoc etiam munus admitti non debent Monachi vel sanctimoniales neque alii cujusvis ordinis regul. a saeculo segregati«; ex quibus verbis aperte patet comprehendi sub hac prohibitione non solum monachos sed quoscumque alios regulares, ut censet *Layman. l. 5. tr. 2. c. q. n. 3, Rosignolus pag. 2. de bapt. qu. 6. art. 2. de patrinis num. 18, Felix Potestas t. 2. p. 4. num. 3007.* et alii passim. Et idcirco hoc munus solet interdici omnibus regularibus in fere cunctis conciliis provincialibus et synodis dioecesanis. Et expresse decrevit sacra Congreg. Concil. in *Mediolanen. 3. Octobris 1671. ad 3. dub.*

Regulares utriusque sexus nequeunt licite esse patrini, non solum in sacramento baptismi sed neque in sacramento confirmationis, propter eamdem rationem ibi a sacris canonibus et conciliis adductam. Ubi enim eadem est ratio, eadem debet esse legis dispositio; *L. Ideo 27. de leg., L. illud 32. ff. ad leg. Aquil. cap.: Inter corporalia 2. de translat. Episcop.* Cum ratio legis sit anima legis: *L. Cum ratio 7 ff. de bonis damnator.* Et tanto magis urget talis prohibitio quoad illos regulares, qui nedum jure communi sed et jure speciali propriae regulae ad id vetantur, ut in specie Fratres minores, ex *cap. XI.* suae regulae sic expresse prohibentis: »Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur«; pro qua prohibita compaternitate ex vi regulae venit compaternitas quorumcumque in baptismo et confirmatione, ut recte, citatis aliis regulae expositoribus, docet *Corduba in cit. cap. XI. regulae qu. 4.* Lex enim generaliter loquens generaliter est intelligenda, *cap.: Si Evangelica 13. dist. 55, cap. Quia circa 22. de privileg. L. Praeter 20. §. Ait Praeter, ff. de novi operis nunciat.*, cum similibus; et ubi lex non distinguit neque nos distinguere debemus; *L. Non distinguemus 32. ff. de recept. arbit. L. de pretio 8. ff. de Publiciana in rem action. l. Praeses 3. ff. de officio Praesid.*

46) Praesumptio baptismi accepti.

Santandrien.

Pro validitate baptismi facit praesumptio juris in *cap.: Veniens de sacramentis*, ibi: Certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos fideliter conversatus, tam violenter praesumitur quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur.«

Die 11. Julii 1801.

Vd. *Baptism.* (probatio p. 117; sub conditione p. 8. 25)

47) Probatio.

Vd. *Baptism. Judaeor.* (Epistola decret. Bened. XIV.: *Postremo* etc. n. 31. p. 88); *Baptism.* (sub condit. iterand. decr. *Constantien* §: *Quamvis* etc. p. 12.; literae p. 112.) *Baptism.* (sub condit. non iterandus p. 25)

Ad baptismum probandum unicus sufficit testis; dummodo tamen non sit paganus vel judaeus. In concursu vero testium praeferri debet, qui validam negat collationem baptismi. Et in rudi testi praesumitur ignorantia juris. Majorem tamen mercetur fidem liber parochialis. *Brix. Dub. bapt. et matr. 27. Aug. 1796. dub. 5. 6. et 7.*

Dubium in s. Congreg. proponit Episcopus Brixensis de baptismo Elisabeth Pegorini jam adultae et uxoris. Hujus pater post annum 29 dubitavit de ejusdem baptismi validitate et testatur, occasione difficilis partus suae uxoris *aver veduto la levatrice... versare l'acqua di battezzare la bambina, che crede in gran pericolo, prima che nasca; ma non ho veduto emergere dall' utero materno niuna parte della bambina medesima e sono moralmente sicuro, che nessuna parte della bambina medesima, che venne poi alla luce dopo tre ore.* Parochus ecclesiae s. Faustini inde obstetricem interrogavit de collato baptismo et affirmativo accepto responso alias caeremonias sacramenti tantum adhibuit. Interrogata S. C. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem. *Brixien Dubia baptismi et matrimonii 27. Aug. 1796.* dub. 1. Deinde decidit: baptismum non esse iterandum sub conditione et oratrix acquiescat. *Die 17. Decembr. ejusdem anni.*

Baptismus infantis, de quo uterque testatus parens, vere collatus declaratur. *Brixien. baptismi 11. Febr. 1797.*

Unius testimonium, quod in praejudicialibus non attenditur, sufficienter probat collationem baptismi. *Ibid. dub. 3.*

Cajetanus Vernetti ad cauponam prope Gallorum castra infantulam ex catholicis parentibus loco filiorum, quibus ipse carebat, obtinuit. In illa tradenda parentes dixerunt, eam baptismum a muliere habuisse, sed de hoc dubitatur, et eum precati sunt, ut denuo baptizaretur; propterea hoc dubio agitato sub formali examine mater testata est, jacens in lecto vidisse obstetricem filiam suam baptizasse et formam audivisse hisce verbis prolatam: *Enfante te baptize en nom de Per, de Fil, e de Saint Esprit;* inde sacra Congreg. desuper quaesita constare de sacramenti validitate, ita ut minime esse sub conditione iterandum, statuit. *Brixien. Baptismi 11. Febr. 1797.**)

Baptismi collatio unius testimonio comprobatur, si tamen eum probatae fidei esse constet: *Bened. XIV.* Epistola decret. *Postremo mense* §. *31.* (p.88.) Non creditur autem chartulae anonymae, cum qua infantes aliquando projecti reperiuntur; tunc enim tales infantes baptizandi sub conditione. Si autem schedula habeat certitudinem, ex quo ejus scriptor sit notus ac fide dignus, tunc infantes habendi sunt ut baptizati et nequidem baptizandi sunt sub conditione. *Ibid.*

Unius testimonium, quod in praejudicialibus non attenditur, sufficienter probat collationem baptismi, *gloss. in cap.: Nuper de restit.* ibi: »Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praejudicium alicui, puta utrum aliquis sit baptizatus vel utrum ecclesia sit consecrata. Ita sacra haec Congregatio in una *Urbis 15. Januarii 1724*, in qua propositum fuit dubium: *Quomodo se gerere debeat parochus s. Spiritus in Saxia**) in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferuntur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant et etiamsi ex colore et ceteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in aetate sex aut decem mensium vel unius anni cum dimido?* Et sac. Congregatio rescripsit: Esse baptizatos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem: et instructio est quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae, quae haberet certitudinem« Et ita Benedictus XIV., qui tunc erat ejusdem sac. Congregationis a secretis, nam eam resolutionem exponendo haec habet in *instit. canon. 8. §. ult. in fin:* »Quum ejusdem schedulae auctor deprehendi possit, cui fides merito praestanda sit, unico illius testimonio baptismus rite traditus satis comprobatur, ut ex communi scriptorum opinione et apertissime ex jure pontificio declaratur.

Die 11. Febr. 1797. *Brixien.****)

---

*) Vd. *Baptism.* (sub conditione non iterand. p. 27.)
**) Vd. *supra p. 8.*
***) Vd. *Baptism.* (sub condit. non iterandus p. 27.)

Fesulana.

Episcopus Fesulanus haud immemor moniti Innon. III. in *cap. Majores de baptismo*, quo cavetur: »Majores ecclesiae causas praesertim articulos fidei contingentes ad Petri Sedem referendas esse« postulat ab EE. PP., quid sibi agendum in casu, quem hisce verbis exponit:

Sanctis Dominici Milanensi, ex Fesulana dioecesi, actualis in eadem dioecesi capellanus curatus, sex abhinc mensibus ad sacrum presbyteratus ordinem evectus ex eventuali casu nunc dignoscitur non rite baptizatus. Asserit enim obstetrix nunc septuagenaria se infantulum ob vitae periculum hac forma baptizasse: Jo ti battezzo nome del Padre, del Figluolo e dello Spirito santo,« eademque obstetrix necnon pater et amila ipsius, de quo in casu, asserunt, a plebano nunc defuncto non baptizatum fuisse, sed sacros tantum ritus suppletos. Ex attestatione vero existenti in libro parochiali baptizatorum, quae una remittitur, clare patet ipsum, de quo in casu, revera fuisse baptizatum ab eodem plebano scilicet presbytero Philippo Nuzzi, qui tum temporis regebat plebaniam s. Babilae, quam accolae vulgo nominant s. Bavello, viro apprime probo et diligenti, qui in nonnullis aliis casibus, uti constat ex eodem parochiali libro, proprio nomine affirmat, se super infantulos privatim baptizatos sacras caeremonias supplevisse.

In re tanti momenti consultum est Episcopo, ut sententiam aperiret suam, auditis in formali examine obstetrice aliisque testibus quoad formam ab ea adhibitam in collatione baptismatis, transmissis actis et partitis extractis ex libro parochiali baptismatum privatim collatorum, in quibus parochus Nuzzi caeremonias tantum supplevit. Obsequens Episcopus mandavit tribus parochis, ut quaestionibus subjicerent Cajetanam Vinci obstetricem, tum Dominicum et Juliam Milanensi (quorum ille pater est, haec amita Sanctis presbyteri), tum demum duos alios testes, quibus bene perspectum erat, quantus fuisset homo defunctus parochus Nuggi. Expleti examinis acta transmisit una cum partitis extractis e libro parochiali. Quamquam vero Episcopus consulto se abstineat a ferendo judicio suo super validitate vel nullitate baptismi, attamen hanc subjicit animadversionem, quae ad dirimendam controversiam plurimum confere potest:

Unum tamen, inquit, exponam, quod, si fides tam probi tamque sapientis parochi Nuzzi attendenda amplius non sit, attentione tamen dignum putarem usum seu potius dicam abusum, qui in personis ignaris praesertim ruri degentibus undequaque viget, omittendi scilicet semper praepositionem: *In*, quoties pronuntiare debent ea verba: *In nome del Padre etc.*, ita ut a puero usque ad senem omnes signantes se signo crucis non utique incipiunt: *In nome del Padre*, sed: *nome del Padre* etc. Quod advertendum puto in obstetrice, de qua in precibus et quae formulam adhibens in mente certe non habuit inducendi novum errorem sed illud pronuntiandi, quod pronuntiandum erat: forsitam sibi arbitrans idem esse dicere: *Jo ti battezo in nome del Padre*, ac si disseret, uti revera dixisse fertur: *Jo ti battezzo nome del Padre etc.*«

Ad primum dubium.

Ex hisce multiplex oritur quaestio, quaestio, quae sub infrascriptis dubiis EE. PP. dirimenda proponitur. In prima namque quaeritur de validitate baptismi sacerdotis Sanctis Milanensi. Haec vero in controversiis hujusmodi praescribitur judicandi norma in *cap.: Veniens de presbyt. non baptizat.*. ibi: »Certe de illo, qui natus de christianis parentibus et inter christianos fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur; dum itaque Sanctis a christianis parentibus natus tam fideliter inter christianos conversatus est, ut sacris ordinibus initiari et animarum curam exercere meruerit, videtur sane, quod illud inquirendum sit ab EE. VV.: num in casu concurrant evidentissima argumenta, quae suadeant Sanctem non fuisse rite baptizatum, ita ut ille hac juris praesumptione juvari non possit.

De validitate autem baptismi, de quo quaeritur, duplex subest dubitandi ratio, altera: *num Sanctis a parocho in ecclesia baptizatus sit, ut patet ex libro parochiali, seu potius domi ab obstetrice ablutus sit:* altera: *num ab obstetrice, quatenus ab ea baptizatus probetur, puero rite collatum sit sacramentum.*

Summa quidem consensione testantur tum obstetrix tum pater et amita se praesentes videntesque fuisse, cum in primo ipso vitae articulo periclitantem puerulum baptizavit eadem obstetrix. Rursus affirmant ita baptizatum infantem obtulisse parocho, qui cum audivit jam fuisse puerum salutari aqua regeneratum nullo modo baptismum nec sub conditione iteravit, sed catechismum tantum supplevit sacrosque ritus celebravit. Quod si ad probandam baptismi collationem ratishabetur testis etiam unicus, ut declaravit Leo Papa ad Leonem Episcopum Ravennatensem in *can. 112. distin. 4. de consecrat.*, multo sane magis deferendum erit obstetrici, quae rem a se gestam confirmat, et patri et amitae, quos censendum est de bono filii nepotisque esse sollicitos. Quare, dum agitur de aeterna salute animarum, parocho etiam affirmanti praeferendi sunt ii, qui jurejurandi interposita religione negant infantem a parocho fuisse baptizatum, ut tenent *Lacroix theolog. moral. tract. de baptism. num. 312., Liguor. lib. 6. tractat. 2. de sacrament. cap. I. de baptism. dub. 4. part. 2. num. 134., Schmalzgrueber Cons. canonic. 73. de baptism. iterand. n. 16*, nec deest causa, cur parochus puerum, licet ab obstetrice ablutum, nihilominus tamquam a se baptizatum asseruit. Ratus enim ab obstetrice rite collatum sacramentum adnotavit in libro parochiali se puerum baptizasse, ut omnem ex animo parentum de validitate baptismi tunc exortam dubitationem scrupulumque ejiceret.

Contra haec facere videtur juris praesumptio, quae tantum codici parochiali tribuit, plene ut ex hoc probetur collatum a parocho fuisse sacramentum, *Pax Jordan. Lucubrat. tom. 3. lib. 14. tit. 20. num. 48, Monacell. in form. legal. tit. 10. de paroch. num. 2.* Quae sane praesumptio augetur, dum Episcopus et testes laudant defunctum parochum Nuzzi tamquam navum hominem et diligentissimum in adnotandis baptizatis. Id quod etiam evincitur ex libro parochiali. De his enim, qui a parocho ipso baptizati sunt, ita adnotatum legitur, ut in casu de quo agitur: »Sanctis di Domenico Milanensi, e di Maria Madalena Mancini nato a ore sei della sera antecedente battezzato da me D. Filippo Nuzzi Pievano.« De illis autem, qui in periculo ab obstetrice baptizati erant, aperte declaratur: »Battezzato dalla levatrice in casu supplite le ceremonie alla chiesa da me prete Filippo Nuzzi Pievano. Tantum autem s. Congregatio detulit libro parochiali, ex quo distincto hoc adnotandi modo dignoscebantur, qui a parocho, qui ab obstetrice essent baptizati at in casu penitus despexit juratam patris depositionem de collato ab obstetrice baptismo et negavit saltem sub conditione iterandum esse baptisma, ut videre est in *Brixien. Dubia baptismi et matrimonii* proposita die 27. Augusti 1796. et resoluta die 17. sequentis Decembris.*)

Si fides adhibeatur codici parochiali, penitus sublata erit dubitatio omnis de validitate baptismi, quippe qui immunis erit a quacumque nullitatis suspicione, si a parocho collatus statuatur. Quatenus vero EE. VV. *ex facto* probetur obstetricem baptizasse puerum, tum superest *in jure* inquirendum: num perfectum rite sit baptismum sub forma ab obstetrice adhibita. De qua quidem formula non convenit inter testes examini suppositos. Nam interrogata Cajetana Vinci obstetrix de verbis recitatis in abluendo puero respondit: »Mi ricordo che dissi: *Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliolo, e dello Spirito santo.*« Dominicus vero Milanensi pater idem confirmat: a mi ricordo, che disse (scilicet obstetrix): *Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliolo e dello Spirito santo. Amen;* ne posso asservire con certezza se ella proferisse la propositione: *In*, per che ero attento all assistenza della mia Moglie, ne cabbatavo. Discrepat ab his Julia Milanensi, quae ait: Da me interrogata almen tre volte la d. Cajetana Vinci, come proferisse le parole nel battezzare; mi pare che rispondesse nel proferire tali parole: *Jo ti battezzo Padre, Figliuolo, Spirito, santo, Amen.*« Cum tamen haec postrema nec praesens, fuerit, dum obstetrix formam protulit, nec certa sit de verbis, quae eadem obstetrix postea se pronunciasse respondit, retinenda sane videtur formula, in qua tum obstetrix tum Dominicus Milanensi pater conveniunt: scilicet: *Jo ti battezzo nome di Padre, di Figliulo e dello Sp. s.*

Tria autem in hac formula deficiunt, praepositio *In*, quae conjuncta cum vocabulo *Nome* exprimit invocationem ss. Trinitatis; particula: *E*, quae distinctionem personarum denotat, et tandem articulus: *del*, qui ex nativa significatione idiomatis Italiae determinat vocem; *Padre Figliuolo* ad divinum Patrem et Filium. Invocatio autem ss. Trinitatis et distinctio personarum ab institutione

*) Vd. *p. 117.*

divina proficiscitur, ut ad Matthaei cap. XXVIII. tradunt *Justinus Martir. in apolog. I. pag. 80.*, *s. Cyprianus epistol. 33. pag. 123.*, *s. Basilius de Spiritu sancto cap. 12. pag. 23*, *s. Thomas in summa part. 3. quaestion. 66. artic. 3.* Salvo itaque sensu morali et substantiali formae omitti non potest praepositio: *In*, ut in terminis docet *Sotus in 4. distin. 3. quaest. 2.*, *Toletus lib. 2. cap. 19.*, *Reginaldus lib. 23. cap. 1. num. 30.* Id quod magis retinendum videtur inter modernos Italos, apud quos non ex diversa vocum *declinatione*, ut inter latinos obtinent, sed ab *articulo* vel *Segnacaso* nomina determinantur. Deficiente ergo praeposito: *Segnacaso*, *In*, subsequens vocabulum: *Nome* nullum nec naturalem sensum habet. De particula vero *E* tradit *Gabriel*, *Major*, *Reginaldus* apud *Dianam part. 2. tractat. 10. et Ferrar.* in bibliotheca vocab.: *Baptismus* artic. 3. n. 14. Cum vero in verbis formae aliquid omittitur vel variatur, unde penitus tollatur sensus moralis et substantialis formae sacramentalis, sive hoc temere fiat vel consulto sive ex errore vel ignorantia procedat, numquam certe perficitur sacramentum ex doctrina *Angelici in 3. parte 60. artic. 7.*, quam exornant *Sotus in 4. senten. distinct. in art. 7.*, *Natal. Alexand. in theol. moràl. lib. 2. de sacrament. in gen. cap. 3. reg. 7.*

Verumtamen cum Episcopo attendendum videtur abusum illius regionis, in qua rudes praesertim et ruricolae, cum sese cruce signant, non proferunt: *In nomine* sed *nome del Padre*, et nihilominus ss. Trinitatem invocare arbitrantur. Hoc autem evenire potest non per apertam omissionem praepositionis: *In* sed per quamdam pronunciationis elisionem et linguae lapsum. Qui enim arrectis auribus eos pronunciantes: *Nome del Padre* audiet, facile percipiet graviori sonitu ab eis pronunciari et quasi geminata prima litera: *N*, tamquam: in nome proferrent. Haec vero originem ducunt ex quadam linguae Etruscae proprietate. Apud doctiores enim semper supprimitur vocalis: *I*, si eam consequuntur consonantes L. M. N. et passim hoc legitur *in Dante lo' n'ferno*, *in Boccaccio lo' imperatore*, *et in Archiep. Florentino Martini* in sua versione s. bibliae: *m'perchè*. Eodem ferme modo ruricolae illae s. Babilae in Fesulano elisa litera *I* praepositionis: *In* ob concursum subsequentis *N* pronunciare debuerant: n'*nome*: id quod infringendo linguam exprimant pressiori sonitu et veluti duplici pronunciata *N*. Dum itaque corrupte proferunt: *nome*, iidem prorsus significare volunt aeque ac si dixissent: *In nome.* Quo casu docet *d. Thomas in 3. part. quaest. 60. art. 7*, quod si verba corrupta nihil significent ex virtute impositionis, accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus, et ideo, licet mutetur sonus sensibilis, remanet tamen idem sensus.

Manente autem sensu substantiali, cum baptismus collatus sit ab ea, quae in mente certe non habuit inducendi novum errorem, ut testatum facit Episcopus, et ministratum sit sacramentum in ea regione, quae orthodoxae fidei semper studuit, tum exploratum est et ex dispositione juris et ex declarationibus hujus sac. Congreg., quod perficiatur sacramentum, nihilominus quod collatum sit sub corrupta forma. Nam ex *can. Retulerunt 76. de consecrat. distin. 4.* habetur, quod Pontifex Zacharias ratum validumque habuit baptisma »*In nomine Patria et Filia et Spiritua sancta,*« quod contulit sacerdos »errorem non introducens aut haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis infringendo linguam.« Sacrae vero Congregationi propositum fuit in *Geneten*) 12. Maji 1733. baptisma* ministratum sub corrupta formula »*Mi abbatezzo in nome del Padre et del Figliuolo dello Spirito santo,*« quod tamquam in regione acatholica declaravit: non esse reiterandum ne quidem sub conditione, quamvis in illa formula tum adhibita praeter vocabulum corruptum *Abbatezzo* deficeret particula *E* ante *dello Spirito sancto*« ad denotandum distinctionem divinarum personarum.

Quae sacrae Congregationis declaratio in allegata Ceneten nos omni cura solvit quoad defectum; particula necessaria est ad indicandam distinctionem divinarum personarum, ejus defectus esset attendendus magis cum reperitur ante »*dello Spirito sancto*« cum nomen *dello Spirito sancto*« ut scholastici ajunt, per se non sit nationale, *scilicet denotans precessionem tertiae personae.* Nomen enim *Spiritus sancti* competit tam Patri quam Filio, *Liguor. lib. 6. tract. 2. cap. I. §. 4*; ut igitur in forma baptismi distinctio fiat Spiritus sancti tamquam tertiae persona ss. Triadis, necessaria omnino videretur particula *E*, ne suspicari possit Spiritum sanctum invocatum fuisse tamquam Dei attributum aut qualitatem secundum Socinianorum haeresim. Nihilominus haec omnia censuit sac. Congregatio in illa *Ceneten.*, quod, licet deficeret particula *E* ante *dello Spirito santo*, attamen, cum collatum esset baptisma in regione non acatholica, perfectum rite esset sacramentum nec ullo modo reiterandum. Multo sane magis haec retinenda videntur in casu proposito, in quo deficit particula *E* ante *di Padre, di Figliuolo*, quae vocabula sunt per se nationalia et propria vi distinguunt duas diversas personas, cum Pater non possit esse simul Filius nec viceversa Filius simul Pater. Maxime cum ex communi loquendi usu, quoties plura nomina uni verbo junguntur, sufficit, ut praepositio *Et* praeponatur ultimo nomini adeoque satis denotata videtur distinctio personarum in forma, de quo agitur: *In nome di Padre, di Figliolo e dello Spirito santo.*

Parum quoque sollicitos esse oportet, si in forma ab obstetrice adhibita loco articuli *del* pronunciatum sit: *segnacaso di Padre.* Etenim ex rigore grammaticae interest multum inter *segnacasso* et articulum, quorum ille *genus* vel *species,* hic *individuum* indigitat adeoque exprimens *di Padre* exprimitur Pater, quicunque *in genere*, non *divinus Pater*, quem articulus *del Padre* determinaret. Verum baptismus collatus est a rudi muliercula, quae regulas grammaticales certe callere non poterat, sed quae probatam habebat fidem. Quare tribuendum est proferentis ignorantiae, si dixit: *di Padre*, *di Figliolo* et ex linguae ignoratione censetur incidisse in quamdam accidentalem mutationem formae, per quam salvo sensu morali non videtur voluisse errorem aut haeresim introducere. Quibus in terminis aperta est dispositio allegati *can. Retulerunt*, ut validum sit baptisma, quod proferens ex ignoratione locutionis non haeresim introducens contulit in *Nomina Patria et Filia etc*,, quae certe verba minus determinant divinum Patrem et Filium, quam illa: *di Padre*, *di Figlio,* quae in casu proposito obstetrix pronunciavit.

Ad secundum dubium.

Quae sequuntur dubia erunt deliberanda, si EE. PP. negent in primo validum esse baptismum presbytero Sanctis Milanesi collatum. Tum enim in secundo dubio quaeritur: *Quomodo prospiciendum sit huic presbytero non rite baptizato, qui per omnes sac. ordines ascendit?* Quamquam enim olim sensere nonnulli, quod non solum per sacramentum fidei, sed etiam per fidem sacramenti efficiatur quis membrum Christi, satis ut sit baptismus flaminis ad imprimendum characterem ordinum, ut *ex cap. Fin. de presbyt. non baptizatis*, haec tamen controversia hodie definita est tum *ex decretali Innocentii III. in cap.*: *Veniens de presbyt. non baptizato*, qua expresse cavetur, ut presbyter non baptizatus iterum baptizetur et ordinetur, *tum ex Concil. Trident. sess. 14. de poenit. can. 2.*, quibus declaratur baptisma vitae spiritualis janua, tum demum *ex doctrina d. Thomae 3. part. 60. quaest. 13.*, unde docemur baptismum esse generationem spiritualem nec posse eum, qui non est genitus, ad spiritualia concurrere, quam doctrinam exornant *Gonzalez. lib. 3. decret. tit. 43. cap.: Veniens num. 4.*, *Pirhing. eod. tit. num. 3.*. *Reiffenstuel. ibidem num. 4.* Quatenus igitur presbyter Milanesi irrite baptizatus legatur, eidem prospiciendum erit per iterationem baptismi sub conditione, ut semper usuvenit post disciplinam a saeculo VIII. introductam et ab Alexand. III. expresse probatam in *cap. 2. de baptism.*, per quam sub conditione confertur baptisma, si dubitetur aut omnino aut minus rite collatum. Haec porro iteratio fieri debet secreto ad evitanda scandala, ut advertit *Girald. in exposit. jur. pontific. part. I. decret. tit. 48. de baptism. sect. 615.*, et denuo baptizatus per omnium ordinum gradus esset promovendus etiam sub conditione.

Ad tertium dubium.

Tertium dubium spectat ad eos, qui sacramenta receperunt ab hoc presbytero, qui utpote capellanus curatus curam animarum exercuit. Memoria repetant EE. PP. exploratissimam apud canonistas distinctionem eorum actuum, qui ex jurisdictione, ab iis, qui ab ordine consequuntur. Primi gesti a presbytero et parocho, licet non baptizato, qui tamen baptizatus ex communi opinione existimabatur, sunt omnino validi. Nam communis error jurisdictionem supplet, *Leg. Barbarius ff. de offic. Praeter.* et ecclesia potest firmare ea, quae caeteroquin ex defectu jurisdictionis conciderent, *Engel in*

*) Vd. *supra p. 54.*

libr. 3. decret. tit. 43. num. 5. ibique *Pirhing. num. 4, Schmalzgrueber Jus eccles. part. 5. tit. 43. num. 5.* Hinc sacramenta baptismi et matrimonii collata a parocho non baptizato valida sunt, cum sint isti actus jurisdictionales parochi. Nam in casu necessitatis quisque homo viator etiam non baptizatus potest esse minister sacramenti baptismi, ut in *can.: A quodam judeo 24. de consecrat.· distin. 4., can.: Si quis per ignorantiam 59. caus. I. quaest. I.* et late docet *Bellarmin. lib. I. de baptism. cap. 7.*, quo loco funditus refutat Calvinistarum errorem, qui irritum putabant baptisma, nisi collatum esset a ministris ecclesiasticis. Matrimoniis vero parochus et sacerdos non interest tamquam minister, cum contrahentes sibi ipsis ministrent, sed tamquam testis ab ecclesia constitutus, *Sanchez. de matrim. distin. 22. num. 91.*

Quos vero actus gessit presbyter non baptizatus ab ordine dependentes, isti prorsus sunt irriti. Ut enim nequit ecclesia sacramentorum substantialia immutare, ut ex Tridentino *sess. 21. cap. 2. de communione* etc., ita non potest supplere ea, quae de jure divino necessaria sunt ad perficiendum sacramentum. Cum autem a jure divino sit, ut minister poenitentiae et eucharistiae sit presbyter cum impresso ab ordine charactere, sequitur, ut irrita sint ea sacramenta confecta a non baptizato, in quo character ordinis imprimi non potuit. *Abbas Can. apostolic. 7. de presbyt. non baptizat. num. I., Decius in cap. final. constit. num. 64., Schmalzgrueber Jus ecclesiastic. part. 5. titul. 45. num. 7. et 8.*

Quod si irrita sunt sacramenta eucharistiae et poenitentiae a non baptizato administrata, duo supersunt inquirenda: Alterum scilicet: *Num, qui ab illo ea susceperunt, satisfecerint tum divino praecepto illa suscipiendi, cum praeter mortis periculum semel saltem in anno tempore paschali ea sacramenta consequi debent, ex Concil. Lateranen. in cap. 12. de poenitentiis et remission.* et ex *Tridentin. sess. 13. cap. 9. de eucharistia.* Alterum: *Num teneantur ad iterandas confessiones peccatorum, quae in praeteritum fecerunt presbytero non baptizato nec ordinato.* Animadvertendum sane est, quod sacramenta hujusmodi in casu irritantur ex parte ministri, cui deficit ordo et jurisdictio ad ea sacramenta perficienda. Quare dum ille, qui sacramenta suscipit, est in bona fide, ut fecerit, quae per se erant necessaria ad utrumque praeceptum adimplendum, eidem certe satisfecisse videtur; quoad vero confessiones iterandas communis et probabilior opinio moralistarum fert, eos non teneri, quoties defectus oritur ex parte confessarii, quem defectum ignorabat poenitens, ita, ut hanc ignorantiam per se vincere nequibat, etiamsi maxime vellet, ut tradunt authores, quos colligit *Liguorius in theologia moral. lib. 6. tractat. cap. I. dub. 3. artic. 4. num. 502.*

Prospici autem posse videtur iis, qui sacramenta a parocho Milanesi susceperunt, si moneantur ab Episcopo caeteri illius loci confessarii, ne eosdem cogant ad iterandas confessiones sed hortentur ad peccata praeteritae vitae generatim confitendi, et ad perfectam excitent contritionem et deinde absolutione sacramentali dimittant. Satis enim hoc modo iisdem consultum videtur, cum constet apud omnes moralistas, ut ait *Liguor. loc. citat. num. 503.*, quod in confessione poenitens etiam absolvitur ab iis, a quibus se antea bona fide absolutum putabat.

Quae omnia judicio EE. PP. subjiciuntur sub tribus dubiis:

I. *An constet de validitate baptismi sacerdotis Sanctis Milanesi in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo prospiciendum sit sacerdoti Sanctis Milanesi in casu?*

III. *An et quomodo prospiciendum sit iis, qui a sacerdote Sanctis Milanesi sacramen'a baptismi, poenitentiae, eucharistiae et matrimonii susceperunt in casu?*

S. C. resp.
Ad I: Affirmative.
Ad II et III: Provisum in primo.
Die 12. Septbr. 1801.

48) Procurator.

Levans de fonte infantem tamquam procurator nomine alterius non contrahit cognationem, sed ipsam contrahit mittens seu mandans, quia secundum jura potest quis medio procuratore, quod per se ipsum; *Reg. 76. de regul. juris in 6. Qui facit per alium, perinde est ac si faciat per se ipsum*, et ita Principes et Magnatos semper solent per procuratorem levare infantes, qui tamen judicio omnium sunt et appellantur veri patrini, procurator autem, cum non sit designatus nec habeat intentionem le-

vandi suo nomine, non est vere patrinus. Sic declaravit sac. Congr. Concilii *in Veronen. 29. Martii 1582. et 15. Martii 1631* et *in Tridentina 16. Martii 1630.* Sic referunt et tenent *Nicol. part. 1. lib. 1. tit. 10. de nuptiis num. 37*, Gallemart. *ad sess. 24. c. 2. Trident. de reformat. matrim.* et alii passim.

49) Reiteratio.

Vd. *Baptism.* (sub condit. iterand. etc. p. 8. et p. 25.)

a) Irregularitas propter reiterat. baptismi.

Vd. *Baptism.* (Irregul. propt. reiterat. baptismi p. 67.)

b) Quando facienda?

Vd. *p. 8.*

S. Leo I. Ep. Rustico Narbonensi Episcopo.

Si nulla existant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter clericos aut vicinos, quibus hi, de quibus quaeritur, baptizati fuisse doceantur, agendum est, ut renascantur, ne manifeste pereant in eo quod non ostenditur gestum; ratio non sinit ut videatur iteratum. Qui autem possunt meminisse, quod ad ecclesiam veniebant cum parentibus suis, possunt recordari, an, quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed si hoc etiam ab eorum memoria alienum est, conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.

Hi autem, de quibus scripsisti, qui se baptizatos sciunt, sed cujus fidei fuerint, qui eos baptizavere, se nescire profitentur, quolibet modo formam baptismatis acceperint, rebaptizandi non sunt. Sed per manus impositionem, invocata virtute Spiritus sancti, quam ab haereticis accipere non potuerunt, catholicis copulandi sunt.

Anno 443 vel 44!.

(Bull. r. t. I. p. 46. n. 17. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo I. Ep. Leoni Ep. Ravennati salutem.

Frequenter quidem in diversarum ambiguo quaestionum tribulantia fratrum corda, spiritu Dei instruente, solidavimus, responsionis formam vel ex sanctarum scripturarum disciplinis vel ex patrum regulis colligentes, sed nuper in synodo novum et inauditum antea genus consultationis exortum est.

Nam quorundam fratrum suggestione comperimus, aliquos captivorum ad sedes suas libertatemque redeuntes (qui scilicet in captivitatem illa aetate pervenerint, quae nullius rei firmam poterat habere notitiam) remedium quidem implorare baptismi. Sed utrum ejusdem mysterii ante sacramenta perceperint, infantiae inscientia non posse se reminisci, et ideo sub hoc latentis recordationis incerto animas suas in discrimen adduci, dum sub specie cautionis negatur his gratia, quae ideo non impenditur, quia putatur impensa. Cum itaque tribuere talibus dominici sacramenta mysterii non im merito quorumdam fratrum formido dubitaret, in synodali (ut diximus) coetu formam hujusmodi consultationis accepimus, quam diligentius discuti et pro uniuscujusque sensu sollicita voluimus ratione tractari, quo ad veritatem, adhibita cognitione multorum, certius pervenire possemus. Eadem ergo, quae in sensum nostrum divina inspiratione venerunt, frequens etiam fratrum firmavit assentio. In primis itaque providere debemus, ne, dum speciem quamdam cautionis tenemus, damnum regenerandarum incidamus animarum. Quis enim ita sit suspicationibus suis deditus, ut verum esse definiat, quod omni manifestatione cessante ex opinione ambigua suspicatur? *Cum itaque baptizatum se nec ille recordetur, qui regenerationis est cupidus, nec alter attestari de eo possit, quod nesciat consecratum, nihil est, quo peccatum possit obrepere, cum in hac parte conscientiae suae nec ille reus sit, qui consecratur, nec ille qui consecrat.* Scimus quidem inexpiabile esse facinus, quoties juxta haereticorum damnata a sanctis patribus instituta cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quae nobis unam praedicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptismate sacramentum. Sed hoc nihil simile formidatur, quoniam non potest in iterationis crimen devenire, quod factum esse omnino nescitur. *Atque ideo, quoties persona talis inciderit, sollicita primum examinatione discutite et longo tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagate, utrum nemo sit penitus, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam nescientis. Et cum constiterit hunc, qui baptismatis indiget sacra-*

mento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis januam aperire, quam nunquam ante docetur ingressus.

Quod si ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteratur; sed hoc tantum, quod ibi defuit, conferatur, ut per episcopalis manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur. Quam rem, frater carissime, ideo generaliter ad omnium vestrum volumus pervenire notitiam, ne, dum plus justo metuitur, misericordia Dei salvari cupientibus denegetur. Data IX. Kal. Novembris, consulatu Martiani Augusti.

Data die 24. Octobris anno Dom. 451.

(Bull. r. t. I. p. 74. Ed. Aug. Taur. 1857.)

S. Leo I. Nicetae Aquileiensi Episcopo.

His, de quibus dilectio tua Nos credidit consulendos, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti sunt vel errore traducti et nunc se contra catholicae fidei sacramentum egisse cognoscunt, ea custodienda est moderatio, qua in societatem nostram nonnisi per poenitentiae remedium et per impositionem episcopalis manus communionis recipiant unitatem: tempora poenitudinis, habita moderatione, tuo constituente judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos, pariter etiam habens senilis aetatis intuitum et periculorum quorumque, aut aegritudinis respiciens necessitates, in quibus si quis ita graviter urgeatur, ut, dum adhuc poenitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri.

Die 21. Mart. 458.

(Bull. r. t. I. p. 78. n. 6. Edit. Aug. Taur. 1857.)

o) Vetita est et nullam contrahit cognationem spiritualem.

Vd. *Cognatio spirit. ex baptismo.; Cognatio spirit. Procuratoris.*

Ventimilien.

Regula juris est, baptismum reiterari non posse, et si reiteretur, nullum esse irritumque, proindeque ex hujusmodi baptismi reiteratione nullam prorsus oriri cognationem spiritualem inter patrinum et rebaptizatum ejusque parentes, veluti cum concordantibus testatur *Sanch. lib. 7. de impedim. matrim. disput. 62. num. 5.*, sacra haec Congregatio *in Murana Cognationis spiritualis*, in qua puella statim nata ob imminens mortis periculum fuerat domi baptizata. Cumque deinde ad ecclesiam pro explendis solemnitatibus concretis delata fuisset, eam denuo parochus inscius baptizavit ipsamque Joannes Franziscus Farella e sacro fonte suscepit, quaesitum hinc fuit: *An inter dictum Joannem Franziscum et matrem puellae ortum sit impedimentum cognationis spiritualis, quominus possint inter se matrimonium contrahere?*

Die 13. Aprilis 1669 responsum datum fuit:

Negative.

Die 8. Junii 1782.

50) In sacristia non solemniter administrandus.

Dubium:

An, ubi viget consuetudo, liceat baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia Cathedralis?

Resp.: Cum nulla christianae religionis profitendae esset libertas, nulla fidelibus essent templa, nullus ad tingendos Christi discipulos designatus esset locus, ubi primum occurrissent aquae, ibi primaevi christiani baptizabant. Reddita tamen ecclesiae pace per Constantinum Imperatorem coeperunt passim construi sacrae aedes publicae ad unum baptismatis ministerium designatae, quae baptisteria aliisque nominibus appellabantur. Cum autem id factum est, adeo ecclesia semper sollicita fuit, ne baptismum solemne alibi nisi iis in locis administraretur, ut non semel in conciliis congregata canones ediderit, quibus depositionis poenam minabatur iis presbyteris, qui in ecclesiis non baptizarent. Omissis, quae hac super re decreverunt synodus Trullana anno 692 celebrata et Meldensis anno 845 referam tantum decretum, quod in concilio generali Viennensi edidit Clemens V. romanus Pontifex:

»Praesenti prohibemus decreto, ne quis de caetero in aulis vel cameris aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in ecclesiis, in quibus ad hoc fontes specialiter sunt designati, aliquos ... audeat baptizare. Qui autem secus praesumpserit aut suam in hoc

praesentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non praesumant.« Quod vero tam cordi fuit in veteri disciplina, aliter esse non poterat in praesenti. Porro rituale romanum *(de tempore et loco administrandi baptismum)* expressis verbis haec mandat: *Licet urgente necessitate ubique baptizare nihil impediat, tamen proprius baptismi administrandi locus est ecclesia, in qua sit fons baptismalis vel certe baptisterium prope ecclesiam.* Cum itaque ecclesia, simul ac valuit, locum ad baptisma conferendum peculiariter statuerit semperque inspexerit, ne alibi administraretur, patet consuetudinem ecclesiae metropolitanae Chilensis omnino esse reprobandam, ideoque respondendum: *Negative.*

S. C. resp.: Negative nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda.

Die 16. Apr. 1861.

(Anal. J. P. 1861. p. 786.)

51) Saxonum.

Vd. *supra p. 91. §. 38. etc.*

52) Schedulae.

a) Appositae in collo infantium expositorum.

Vd. *supra p. 8. n. 8. decr. Urbis.*

b) Transmissio ab ecclesia baptizandi privilegio donata ad parochos proprios.

Vd. *supra p. 42. Reatina.*

53) Tempus suscipiendi.

Vd. *Baptism.* (dilatio p. 39.); p. 35. n. 13.

Licet olim baptismus differendus esset pro puero nato usque ad Pascha vel Pentecostem, si nullum adesset periculum, ex concil. Colon. 3. *tit. Censurae cap. 14.*, concil. Antisiodor. *c. 18. cap.: Venerabilis et c.: Duo tempora, de consecratione dist. 4,*)* tamen nunc dari potest baptismus parvulis statim ac nati sunt, Conc. Trid. *sess. 5. in decreto de peccato originali c. 4.* Et in *Concil. Mediolanen. I. part. 2. tit. de baptismo* statuitur sub poena excommunicationis, quod baptismus conferatur ante nonum diem post nativitatem pueri; *Layman* vero *lib. 5. tract. 2. c. 6. n. 9.* dicit quod, si solemnis baptismus cum gravi causa differri debeat, verb. grat. apud Principes, quia exspectari debet patrinus, possit differri usque ad sesquimensem; adulti autem mortaliter peccant, si absque justa causa diu differant suscipere baptismum, et ideo *in cap.: Quando quis de consecr. dist. 4.* graviter reprehenduntur, qui differunt susceptionem ejusdem usque ad exitum vitae, ubi divus Augustinus ad Bonifacium ait: »Mihi credite, non terrens vos dico, quod dicturus sum. Multos novi, qui hoc passi sunt, qui spe baptismatis multa peccabant, circa diem autem mortis discesserunt vacui, Deus enim propter hoc baptisma tribuit, ut solvat peccata, non ut addat.« *) Immo contra dicentes baptismum esse differendum usque ad mortem vel usque ad aetatem Christi, sic invehitur Trident. sess. 7. *can. 12. de baptismo: Si dixerit neminem esse baptizandum nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est vel in ipso mortis articulo, anathema sit.*

---

*) Baptismus infantibus protrahi non debet ultra praefixum tempus ab Ecclesia. *Bened. XIV. const. 107.*: Omnium §. *3.*

Nimirum olim praeter mortis periculum neque infantibus neque adultis baptisma conferebatur, nisi sabbato sancto et sabbato Pentecostis pervigilio. Ita statutum est capitulari Gregorii II. *a. 731. cap. 5. in Wormatiensi Concilio a. 868. can. 1.* et in *Concilio Rothomagensi a. 1072. can. 24.* Apud Orientales tamen in die quoque Epiphaniae baptisma solemni ritu administrabatur; quod saltem pro occidente improbatum cum a *Siricio Papa in epist. ad Himerium cap. 2.* tum a *s. Leone M. in epistola* ad Episcopos Siciliae.†) Alicubi etiam in Natali Domini, immo et in s. Joannis Baptistae nativitate baptismus conferebatur. Vide *Chardonium in historia sacramentorum, Ruprecht. ad tit. IX. l. V. decretal. n. 16. et cl. Trombellium de baptismo.*

*) Olim tamen plures baptismi susceptionem ad provectam usque aetatem differebant; immo non solum Tertullianus, sed etiam s. Gregorius Nazianzenus in eam propendere sententiam visus est, quae satius esse regenerandos ad sacramentum baptismi adultos accedere statuebat. Huic tamen opinioni ecclesiae traditio adversatur. Confer *Benedictum XIV. de syn. dioec. lib. XII. cap. 6. n. 7.*

†) Vd. *p, 35. n. 13. etc.*

Baptisterium.

1) In Cathedralibus.

Vd. *Baptismus* (in Cathedr. p. 45; minister — paroch. Cath. p. 113; in ecclesiis baptizandi privilegio etc. p. 40.)

Baptisteria non fuerunt in omnibus ecclesiis sed tantum in Cathedralibus vel in ecclesia contigua ad baptizandum destinata, cum priscis temporibus soli Episcopi baptizarent. Unde eo proficisci oportebat eos, qui erant baptizandi, ut patet ex hortatione facta ad illos, qui reformidant itineris longinquitatem, apud s. Gregorium Nazianz. *Orat. 40.* et ex *Jo. Moscho*, qui *cap. 166. Prati spiritualis* refert, quosdam profectos ex agro Nicopoleos Hierosolymam, ut baptizarentur; itemque ex *canone 2. Concilii Toletani an. 694*, in quo fuit statutum, ut Episcopi initio Quadragesimae clauderent baptisterium et obsignarent usque ad coenam Domini, ne ullus baptizari posset.

2) Ab ecclesia separatum.

Baptisteria ut plurimum erant ab ecclesiis distincta et separata, cujus rei causam *Casalius* affert dicens: Hoc fieri ad indicandum, baptismum esse portam, per quam intramus ecclesiam ad divina mysteria. Quod patet ex pervetusto martyrologio Corbejensi, in quo ad diem 17. Kalendas Maji legitur: *In Antissiodoro. dedicatio baptisterii, quod est* juxta Basilicam s. Germani Episcopi et confessoris; et ex vita b. Altonis, cujus in monasterio, cum s. Bonifacius ecclesiam consecrasset, *fontem quemdam in eodem loco* juxta ecclesiam positum *ea benedixit ratione, ut mulieri liceret ad eam accedere.* Idem videmus in pluribus Italiae civitatibus, uti Romae, Florentiae, Pisis, Parmae, Pataviae aliisque in locis nonnullis. S. Cyrillus testatur (in *cateches. mystagogic.*) solitum construi baptisterium extra Basilicas ad vicina ipsarum atria; describens etenim sacros ritus, quibus olim baptismus conferebatur, diserte indicat, baptisterium peculiare quoddam fuisse per se aedificium, in quo porticus seu vestibulum erat, ubi catechumeni primum renuntiabant diabolo fidemque Christi profitebantur: »Primum, *inquit*, ingressi estis in porticum domus baptisterii, et stantes versus occidentem mandari vobis audistis, ut protensa manu tamquam praesenti Satanae renuntiaretis? Addit, habuisse baptisterium domum interiorem, ubi baptismi solemnitas perageretur: »Quamobrem facturum me operae pretium existimo, si hesternae mystagogiae ea, quae deinceps explicanda sequuntur, apposuero, ut dicere possitis, quorum illa symbola fuerint, quae a vobis in interiori domo peragebantur.« *Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 15. de baptisterio* loquitur tamquam de distincto aedificio ejusque consecrationem indicat his verbis: »Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari.« Et *Mabillonius in itin. ital.* narrat: »Ecclesiam Novariensem primariam in honorem B. V. dedicatam separatum habere insigne baptisterium s. Jo. Baptistae;« et agens de Ravenna memorat *Baptisterium antiqui operis extra ecclesiam.*

3) In ecclesiis parochialibus.

Coeperunt esse baptisteria in ecclesiis parochialibus, prout Episcopo visum erat, ut patet ex *canone 7. Concilii Vernens.*, ubi statuitur, ut *publicum baptisterium in nulla ecclesia esse debeat, nisi Episcopus constituerit, cujus parochia est.* Cum vero parochi facti fuerint ordinarii ministri baptismi illudque ministerium ad illos fuerit devolutum, tunc quoque contigit, ut omnes passim erectae in plerisque civitatibus oppidisque parochiales ecclesiae baptisterium erexerint, in quo omnes uniuscujusque parochiae incolae solemniter baptizarentur et spiritualiter renascerentur. *Catalan. Rit. rom. tom. 2. tit. 2. §. 2. n. 19.*

4) Intra Ecclesiam.

Plerumque, ut refert *Martene de antiquis ecclesiae rit. lib. 1. p. 4.*, intra ecclesiae ambitum continebatur baptisterium, ut infinitis posset exemplis comprobari, idque *prope januam ad laevam*, quod *Chardon. in dissert. de baptisteriis* post sextum et septimum saeculum factum fuisse asserit; atque ita legimus in *itin. tal. Mabillonii*, in ecclesia Vercellensi *ingressis ad laevam sese offert vetus baptisterium ex marmore, duo habens intrinsecus sedilia.* Sed de ecclesia Badensi apud Helvetios observat idem in *itin. germanico tom. 4. Analectorum*, baptisterium non ad portam sed in superiori navis parte ad aquilonem positum; et hodie etiam in pluribus aliis ecclesiis Germaniae videmus baptisterium in superiori parte navis sive aquilonem sive meridiem versus.

5) Sepultura non licita.

Vetitum fuit in Concilio Antissiodorensi *an. 578. can. 14.*, ne mortui in baptisteriis sepelirentur.

Barba Regularium.

Vd. *Regular.* (habitus mutatio.)

Basiliani.

(Regularum declaratio.)

Animadversiones in constitutiones monachorum s. Basilii provinciae N. N.

1. Servanda erunt decreta apostolica de literis testimonialibus Ordinariorum exhibendis deque proemittendis votis simplicibus ante solemnem votorum professionem.

2. Minime reperitur satis expressum quod novitii habitu religioso indui debeant.

3. Magis cavendum erit, ne novitii nimis vacantes studiis a monastica institutione et virtutum exercitio distrahantur.

4. Supprimenda erunt omnia, quae leges civiles et nominationem archimandritae respiciunt; de ea enim particulariter agendum erit cum nuntio apostolico.

5. Delenda erunt quae respiciunt facultatem manendi extra claustra, ad officium capellani vel professoris in aliqua universitate vel oeconomi curati in paroecia ordini minime subjecta exercendum, cum haec omnia et alia hujusmodi apostolicae Sedi reservata sint.

6. Mentio facienda erit de assistentia presbyteri pro infirmis morti proximis.

7. In contractibus ineundis nulla mentio fit de consensu capituli et alienationibus de beneplacito apostolico juxta constitutiones pontificias et conventionem inter sanctam Sedem et R. Majestatem initam; et contra alienantes comminatur duntaxat privatio vocis activae et passivae, reticitis aliis poenis a jure statutis.

8. Juxta decretum Clementis VIII. non unus sed plures confessarii in unoquoque monasterio deputandi sunt.

9. Cum nonnulla a jure communi absona statuuntur, quando sermo fit de poenis contra percussores clericorum, nam ex Lateranensi concilio excommunicatio major incurritur et non irregularitas, prout in constitutionibus edicitur, insuper, ante absolutionem permittitur communio laicalis, licet excommunicati receptione sacramentorum privati sint: igitur constitutiones corrigendae

erunt, expressis poenis earumque absolutione ad tramites juris communis.

10. Pariter permittitur communio laicalis fugitivis ante absolutionem ab excommunicatione; quod etiam emendandum erit.

11. Ut recte procedatur ad expulsionem, incorrigibilitas requiritur, quae quidem ex uno vel altero actu desumi non potest. Saltem necessaria erit actorum reiteratio post adhibitas monitiones et aliquas praescriptas poenas.

Die 7. Decemb. 1860.
(Anal. *I. P. 1864 p. 631.)*

De reductione Basilianorum in unam Congregationem.

Vd. *Bull. rom. t. III. p. 18.* Ed. Luxb. 1742.

De Basilianis in regnis Hispaniarum.

Vd. *Constit. Clem. VIII. diei 23. Sept. 1603.* in Bull. r. t. III. p. 168. Ed. Luxb.

Basilica.

1) S. Mariae Majoris Romae.

Vd. *Constit. Pauli V.* diei 28. Octb. 1615 in bull. r. t. III. p. 355 etc. Ed. Luxbg.

2) Vaticana.
(Praerogativa et privilegia.)

Vd. *Constit. Bened. XIV.* diei 27. Mart. 1752. (bull. r. t. XVIII. p. 280. Ed. Luxenbg. 1753)

Bellum.

In quantum inducit irregularitatem.

Vd. *Irregularitas militis.*

Benedictini.

1) Congregatio Benedict. in regno Portugalliae.

Vd. *Bull. r. t. VIII. p. 2.* Ed. Aug. Taur. 1862.

2) Congregatio Bavarica.

Vd. *Constitut. Innocentii XI.* diei 6. Febr. 1686. (bull. r. t. XI. p. 468, t. XII. p. 466. Ed. Luxbg.)

Facultatem concedit Monachis Ordinis s. Benedicti congregationis Bavariae, ut non exspectato triennii lapsu comitia habere queant pro eligendo supremo Praeside in alterius praecedentis, vita functi, loco.

Dilectis filiis Praesidi et religiosis vocalibus, ad comitia generalia congregationis Benedictinae Bavariae congregatis.

Clemens PP. XIII.

Dilecti Filii. Salutem et apostolicam Benedictionem.

Etsi Nobis jampridem perspecta erat singularis observantia vestra in hanc apostolicam Sedem et magna sedulitas in iis curandis, quae monasticam disciplinam respiciunt, nihilosecius tamen opinionis ejusmodi confirmandae nova emergit occasio ex posterioribus literis vestris, quae nuperrime ad Nos delatae fuerunt: siquidem laudavimus captum a vobis consilium, non expectato triennii lapsu, cogendi quamprimum confoederatorum Abbatum Discretorumque comitia, ut in defuncti supremi Praesidis locum alius sufficiatur, ne Congregatio vestra legitimo capite suo diutius careat: quamobrem facultatem, quam postulatis, habendorum hoc anno comitiorum, libenter concedimus hortamurque, ut coenobiticae familiae vestrae eum moderatorem praeponatis, qui et christianae pietati noviter promovendae et monasticae disciplinae sedulo retinendae et ecclesiasticis studiis pie ac salubriter instituendis utilis atque idoneus magis in Domino censeatur: quod quidem novo huic, quem adlecturi estis, poterit facilius contingere ex eo, quod ea, quae postmodum proxime consequetur, electio supremi Praesidis nisi post quadriennium habenda erit, non interea vero Spiritum sanctum Nos quoque orare non omittemus, ut mentibus et cordibus vestris tam gravi in negotio propitius adsit atque ut idem ipse et a christiano populo in hunc finem exoretur, per alias literas in forma Brevis Indulgentias de thesauro ecclesiae fuimus elargiti monasterio Vesofontano, quo electores hac vice convenient, atque interea vobis dilecti Filii Apostolicam Benedictionem peramanter largimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 30. Maji 1761.

(Bull. r. Contin. t. II. p. 127. Ed. Romae.)

Benedictio.

1) Abbatis.

Vd. *Abbas* (benedicens, benedictio.)

2) Abbatissae.

Vd. *Abbatissa.*

3) Apostolica.

(Monialibus in art. mortis intra clausuram danda.)

Mazarien.

(Conc. Tr. C. 5. S. 25. de Reg.)

Collata fuit Episcopo Mazariem. consueta facultas dandi infirmis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis, et facultas concepta est sequentibus verbis, erutis ex epistola eminentissimi brevium secretarii ad eum scripta:

»Desiderium Dominationis vestrae illustrissimae, quo benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria in articulo mortis agonizantibus istarum civitatis et dioecesis Mazarien. concedendi tenetur, exposui sanctissimo Domino, qui benigne annuit, ut Dominatio vestra illustrissima ad triennium benedictionem et indulgentiam hujusmodi agonizantibus civitatis et dioecesis praefatarum per se ipsam immediate auctoritate apostolica concedat; ubi vero praecisa necessitas exegerit ac in simul noctis tempore dumtaxat eidem permittit, ut alicui sacerdoti pio per Dominationen vestram illustriss. qualibet vice eligendo, *quoad moniales autem illarum confessario ordinario facultatem similem communicare valeat,* id jussu Sanctitatis Suae, quae Dominationem vestram illustrissimam facultate supradicta vigore prasentium literarum uti posse vult, eidem significo.»

Hoc praemisso, quaerit praedictus Episcopus: *an teneatur facultatem benedicendi moniales in articulo mortis constitutas committere earum confessario ordinario vel potius ipse possit ingredi claustra, quatenus velit aliquando benedicere per se ipsum, et in hypothesi, in qua ingredi possit, an et quibus sociis comitatus ingredi teneatur, et demum: an in casu, quo aliqua monialis sit infirma et pro sua devotione velit confessionem suorum peccatorum explere, possit confessarius ordinarius aut extraordinarius vel etiam ipse Episcopus ingredi clausuram?*

Praescindendo a prohibitione ingressus in monasteria monialium in ordine ad eos,

qui aliorum indigent licentia, ut ingrediantur, Gregorius XIII. in declaratione ad calcem suae *constit. 28. bullar. tom. 2.* sanxit quoad eos, qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate officii monasteria monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis et cum comitatu paucorum et quidem seniorum et religiosorum: »*Praelatos omnes tam saeculares quam regulares, quibus cura et regimen monasteriorum monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria praedicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis et a paucis iisque senioribus ac religiosis personis comitati.*« Quocirca transgrederetur Gregorianam constitutionem et illius poenis esset subjectus praelatus ille, qui secum duceret laicum, excepto casu, in quo ejus opera tanquam periti indigeret, uti allegatis resolutionibus sacrarum Congregationum late prosequitur *Monacell. in formular. tom. 3. pag. 109. n. 112. et seqq.*

Quoad ingressum confessarii pro excipiendis monialium confessionibus extat *constit. 153. Alexandri VII. bullar. tom. 6.*, quae in terminis confessariorum regularium ita statuit § 5 ad haec: *Confessor sanctimonialium tam ordinarius quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad sacramenta poenitentiae, eucharistiae et extremae unctionis ministranda monialibus vel aliis personis infirmis ibi degentibus necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur. nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre et ab ipso semper videri possit,*« et quoad alios confessarios extant decreta sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium impressa apud *Nicolium in flosculis* in verbo *clausura n. 32. et seqq.*, ubi dicitur: Eum ingredi posse ad ministranda sacramenta principalibus anni solemnitatibus confessionis et communionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, item, quod solus ingredi debet excipiendus a duabus monialibus senioribus, quae illum recta euntem ad valetudinarium et simili modo exeuntem comitentur et cum cautela, quod, dum audit confessionem, cella ita sit aperta, ut duae comitatrices, quae super ejusdem cellae janua remanere debebunt, confessarium et infirmam commode cernere, non autem audire possint.

His positis quaeritur:

I. *An Episcopus habens facultatem dandi benedictionem apostolicam constitutis in articulo mortis teneatur quoad moniales eam committere earum confessario ordinario vel potius sit in ejus facultate aliquando ingredi monasterium ut eis det benedictionem?*

II. *An et quibus sociis comitatus monasterium ingredi debeat?*

III. *An Episcopus et confessarii sive ordinarius sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?*

S. C. C. resp.

Ad I.: Negative quoad primam partem, et ad secundam affirmative;

Ad II.: Debere ingredi in casu, de quo agitur, cum confessario monialium et uno probo sacerdote per eum eligendo.

Ad III.: Uniantur decreta.

Die 10. Maji 1727.

Continuatio Mazarien.

Proposita fuit instantia Episcopi Mazarien. in Congregatione habita die 10. Maji 1727 pro resolutione trium dubiorum; duo fuerunt resoluta, hoc est primum et secundum et in ordine ad tertium dictum fuit, quod »unirentur decreta.« Ad calcem folii Secretarius nonnulla adnotavit; quocirca dubium tertio loco propositum et non resolutum dignabuntur EE. VV. resolvere, et dubium et hoc quod sequitur:

An Episcopus et confessarii sive ordinarius sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quae pro sua devotione vult confessionem explere?

S. C. resp.:

Affirmative servatis servandis.

Adnotationes Secretarii in causa Mazarien.

In canone 21. Concilii 4. Lateranen. relato in cap.» Omnis« de poenitent. et remiss. omnes et singuli fideles adstringuntur ad explendam confessionem semel in anno, et licet nullum certum tempus annuae confessionis praecepto aliquo ecclesiae praefixum sit, confessio tamen sacramentalis ratione communionis paschalis in paschate implenda est juxta doctrinam divi *Thomae quodlibeto primo quaest. 6. art. 2*, ibi: »*Et quia ex praecepto ecclesiae omnes fideles tenentur saltem in anno praecipue in festo Paschae sacramentalem communionem accipere, ideo ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi eucharistiam, omnes fideles confiteantur.*«

Item praecepto sacramentalis confessionis tenetur, quicunque conscius peccati mortalis vult accedere ad sacramentum Eucharistiae, juxta sac. Concilium *Tridentinum sess. 13. cap. 7*, ibi: »*Nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*« Eodem tenetur praecepto ille, cui periculum mortis imminet, juxta pariter doctrinam divi *Thomae in 4. sentent. dist. 17. quaest. 3. art. 1. quaestiuncula prima*, ibi: »*Ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc.*« Et quamvis confessionis praeceptum non obliget statim ac aliquis in mortale peccatum lapsus est, expedit nihilominus, ut ille quam citius potest confiteatur juxta doctrinam *s. Bonaventurae in 4. sentent. dist. 17. quaest. 2. part. 2*, ibi: «*Consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale peccatum lapsi sunt, quam citius possunt confiteantur. Non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum*«; et in eo, *quod attinet ad moniales*, sacrum Concilium *Tridentinum sess. 25. cap. 10. de regul.* haec habet: *Attendant diligenter Episcopi et caeteri Superiores monasteriorum sanctimonialium, ut constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant,*« quae verba juxta communem doctorum opinionem in consilium resolvuntur, uti caeteris allegatis docent *Reginald. in praxi fori poenitent. lib. 39. n. 73* in fine, *Donat. in praxi rerum regul. tom. 4. tract. 13. quaest. I.*

Atque hinc transeundo ad ingressum in monasterium pro administrando sacramento confessionis illis monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se neque cum aliarum auxilio possint ad confessionarium et fenestellam accedere, de quibus solis loquitur dubium propositum, doctores de materia scribentes dicunt, confessarium posse ingredi monasterium ad ministranda sacramenta confessionis et eucharistiae, non solum, quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso initio morbi, et quoties ex regulae suae praescripto monialis vult confiteri, et ulterius quoties infirma dixerit, se sacramento poenitentiae indigere aut sacramenta recipere consueverat, dum erat sana. Ita *Sanchez in praecepta decalogi lib. 6. art. 16. n. 45*, ibi: »*Quod si petas, quoties confessarius aut ministraturus Eucharistiam ingredi possit? respondeo, non solum id fas esse, quando morbi periculum ad confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio, ut constat ex cap.:« Cum infirmitas« de poenitentiis et remissionibus, et ex motu proprio Pii V., ubi jubentur medici statim in ipso morbi initio suadere infirmis, ut sacramenta confessionis et eucharistiae recipiant tamquam valde conferentia corporeae saluti recuperandae, eo quod saepe morbus in poenam peccatorum contingat et tanquam valde necessaria saluti animae, cum saepe inopinato contingat infirmum phrenesi arripi incapacemque horum sacramentorum reddi. Immo id licitum quoque credo, quoties ex regulae suae praescripto moniales solent confiteri, quod bene docet Miranda loquens de strictiori monialium s. Clarae clausura, additque idem dicendum, quoties infirma dixerit se sacramento poenitentiae indigere, et placet, nec stricte hanc indigentiam sumendam existimo, sed quando ad veram et propriam consolationem confiteri desiderat, quia justum est tristitiám infirmae tam salutari medicina levari. Idem etiam credo, quoties juxta laudabilem monasterii usum solent moniales confiteri eucharistiamque recipere vel infirma solita est his sacramentis uti, quia rationi consonum est, infirmas hoc solatio non destitui.*«

Quod ipsum a caeteris aliis fuse confirmatur, *Rodrig. quaest. regul. tom. 1. quaest. 47. art. 4*; *Miranda in tract. de sacris monial. quaest. 2. pag. mihi 42*; *Tamburin. de jure abbatissarum disputat. 24. quaest. 2. n. 1*; *Diana in edit. coordinata tom. 5. tract. 1. resolut 9. n. 4*; *Portel. in dubiis regul.* in

verbo »clausura monialium »*n. 9; Pellizar. de monialibus cap. 10. sect. 3. subsec. 1. quaest. 40. n. 220: Gibalin. de clausura disquisit. I. cap. 7. §. 2. consect. 2. §.* »secundo licebit;« *Bonacin. operum moral. tom. I. quaest. 4. de clausura puncto 4. proposit. unica n. 4.*

Sermonem habendo de decretis sacrarum Congregationum nonnulla sac. Congregationis Episcoporum et Regularium referuntur apud *Nicol. in flosculis* in verbo »clausura« *n. 32. et seqq.*, in quibus sermo fit de ingressu ad ministranda confessionis et communionis sacramenta »in principalibus anni solemnitatibus« et ab hac sacra Concilii Congregatione 15. Decembris 1605 resolutum fuit: *Posse confessarios ingredi clausuram monialium ad ministranda infirmis sacramenta poenitentiae et eucharistiae, omnibus illis diebus, quibus ex instituto vel consuetudine monasterii moniales sanctissimum Eucharistiae sacramentum suscipiunt*, uti habetur in *tom. 129. posit. pag. 117. ad cap. 5. sess. 25.* Sed non videtur, quod haec decreta taxative loquantur.

4) Fontis baptismalis.

(Assistentia Vicarii in ecclesia parochiali.)

Vd. *tom. I. p. 994.* decret. *Ariminen.*

5) Nuptiarum.

(A non delegatis a parocho proprio.)

Parochi alieni et alii sacerdotes sive saeculares sive regulares benedicentes in nuptiis alienos sponsos sine licentia proprii eorumdem parochi vel Ordinarii incurrunt suspensionem, *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1*, ibi: Quid si quis parochus vel alius sacerdos sive regularis sive saecularis etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjugere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debeat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.« Et hanc suspensionem esse ab officio et beneficio resolvunt *Franc. Molina de ritu nuptiarum lib. 2. dissert. 14. num. 9, Aversa q. 4. 3. 8. §. ult.* et varii alii, quia, dum non restringitur ad alterutram partem, intelligitur de utraque; cum non sit ratio, cur potius intelligatur de una quam de altera; et in gravibus id regulare est, ex glossa in *Clement. Cupientes, de poenis,* et *c.: Latores de clerico excommunic. ministr.* et *glossa fin. in cap.: Pastoralis, de appell., Covarr. de spons. part. 2. c. 6. in princip. num. 13, Perezin leg. prima vers.: Est etiam alia poena, tit. 1. lib. 5.* Et haec poena est imposita soli benedicenti, non autem deputanti alium, qui benedicat per se; regulariter enim poenae illatae contra exercentes non extenduntur ad mandantes et consulentes, nisi exprimatur, et hic a Conc. exprimatur solum benedicens, ibi: *Benedicere ausus fuerit, Aversa q. 20. sect. 3. Rosign. contr. 15. de matr. praenot. 38. n. 18.* et alii. Et ad hanc poenam incurrendam requiritur plena scientia, quia Concilium dicit »ausus fuerit« audacia autem importat ingentem temeritatem, quae non potest esse cum ignorantia, licet crassa; unde quaecumque ignorantia excusare potest ab incursu illius. *Marius Alterius de censur. tom, 2. disp. 10. c. 5. vers. Hoc autem quod dixi, Bonác. tom. 3. de suspens. disp. 3. q. 3. p. 5. num. 1. Rosignol. loc. cit.* et alii.

Beneficiatus.

1) Administrator bonorum beneficii.

Vd. *t. I. p. 186. 2. a; p. 187. 3; p. 220. 3; Beneficium* (administr.; bona)

2) Aetas.

Vd *Beneficium* (aetas etc.; collatio pueris etc.); *Aetas* (t. I. p. 278); *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus.)

3) Alimenta beneficii privati vel supensi sacerdotis.

Vd. *t. I. p. 485. 1.*

4) Amovibilitas.

Vd. *Parochus* (remotio, suspensio).

Discursus

Circa amovibilitatem clericorum ab officiis in ecclesia constitutis, quibus sint praepositi.

Capta occasione causae*) nonnulla disquirimus circa amovibilitatem eorum clericorum, qui statutis in ecclesia officiis deputati sunt et *amovibiles* dicuntur sive simpliciter sive *ad nutum vel beneplacitum.*

Variae sunt auctorum sententiae circa indolem hujus amovibilitatis; quae quidem sententiae ad duas suppremas classes facile possunt referri: nempe ad sententiam eorum, qui docent ejusmodi clericos amovibiles amoveri non posse sine rationabili causa, etsi non requiratur causa canonice praefinita et canonica forma: et ad sententiam eorum, qui docent causam non esse necessariam.

Quamvis autem ejusmodi quaestiones in abstracto consideratae non possint resolvi pro omnibus, qui contingant casibus; nihilominus sub generali aliquo respectu ita considerare possunt, ut inde eruantur generalia criteria, quibus dictae quaestiones in praxi facilius resolvantur.

Amovibilitas clericorum a determinatis in ecclesia officiis duplici sensu accipi potest; *absolute* videlicet vel *relative.* Absolute intelligitur, quando subjectum quod amovile dicitur amoveri possit pro libito et arbitrio ita ut stet pro ratione voluntas; relative, quando subjectum ideo dicitur amovibile, quia non est certis statutisque legibus alligatum, ob quas amoveri non possit nisi sub aliqua conditione et forma a legibus praescripta.

Contendimus autem, inspecta generatim canonica ecclesiae disciplina, amovibilitatem intelligendam esse non absolute, sed relative: ex qua determinatione generalis solutio quaestionis pendet.

In comperto est a primis ecclesiae saeculis, aucto christiano populo, varia fuisse constituta determinataque officia a clericis obeunda variosque dignitatis gradus, quos ipsi consequerentur: haec officia seu ecclesiastica ministeria arctissime colligata erant cum sacra clericorum ordinatione ita ut non raro dicerentur etiam sacerdotio privati, qui meriti essent a ministerio ecclesiastico removeri; aut etiam irrita eorum ordinatio diceretur, quae cum officio in ecclesia obeundo non esset conjuncta: expedit hac in re referre verba Concilii Chalcedonensis *can. 6.*: »*Nullum absolute ordinari debere presbyterum aut diaconum nec quemlibet in gradu ecclesiastico nisi specialiter ecclesiae civitatis aut possessionis aut martyrii aut monasterii, qui ordinandus est, pronuntietur. Qui vero absolute ordinantur decrevit sancta synodus irritam haberi ejusmodi manus impositionem et nunquam posse ministrare ad ordinantis injuriam.*« Et hac in re pulchra fuit sententia Cyrilli Alexandrini in *epistola ad Dominum.* Exturbatus fuerat quidem senex Episcopus e sua episcopali sede: nihilominus illi, qui eum judiciali sententia deposuerant, eumdem vocabant ex quadam commiseratione *Episcopum* apprime pium et religiosum: Cyrillus ad Dominum rescribens haec ait: »*Erat autem consentaneum, ut vel sacerdotis nomen cum re haberet vel si non erat dignus, ut altari praeesset, nec ipsa quidem episcopatus vocatione dignus haberetur.*«

Per sacram ordinationem clerici mancipabantur ita ecclesiae, ut facultas sibi non esset a statu militiae ecclesiasticae recedendi; de qua re sic sanxit Conc. Chalcedonense *can. 7.*: »*qui semel in clero deputati sunt aut mona-*

*) Vd. *Vicarius curat.* (remotio, decr. *11. Jan. 1868.*

chorum vitam expetiverint, statuimus, neque ad militiam neque ad dignitatem aliquam venire mundanam, aut hoc tentantes et non agentes poenitentiam, quominus redeant ad hoc quod propter Deum primitus elegerunt, anathematizari. *)

Et ejusmodi mancipatio, non erat quidem quaedam abstracta conjunctio clerici cum ecclesia universim spectata: sed cum ecclesia in qua clericus fuisset ordinatus, cui ratione sacri ordinis inservire perpetuo obligabatur: in qua re recolendae sunt epistolae s. Leonis Magni, nominatim vero *epist. I.* ad Aquileiensem Episcopum ita scripsit: »*Illam quoque partem ecclesiasticae disciplinae, qua olim a sanctis patribus et a nobis saepe decretum est, ut nec in presbyteratus gradu nec in diaconatus ordine nec in subsequenti officio clericorum ab ecclesia ad ecclesiâm cuique transire sit liberum, ut in integrum revoces admonemus: ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est, perseveret, ita ut si quis sua quaerens nec quae Jesu Christi, ad plebem et ecclesiam suam redire neglexerit et ab honoris privilegio et a communionis vinculo habeatur extraneus.*«

Item in *epist. VIII.* ad Episcopos Illyrici idem Pontifex scripsit: »*Illud quoque pari observantia ad sacerdotalis concordiae vinculum ab omnibus volumus custodiri, ut nullus Episcopus alterius Episcopi clericum sibi audeat vindicare sine illius ad quem pertinet cessione, quam tamen evidentia scripta contineant: quoniam hoc et canonum definivit auctoritas et ipsa servandae unitatis ratio docet, ne omnis ordo ecclesiasticus per hanc licentiam efficiatur instabilis.*«

Sed fortasse aliquis dicet, in adductis testimoniis agi de disciplinae ecclesiasticae cardine, qui, si id praesertim temporis non fuisset apprime servatus, tota corruisset firmitas disciplinae: cui respondemus: firmitatem cardinis totam informare disciplinam, ita ut, proportione servata, eadem firmitas ad minima quoque protendatur: et vicissim, iis quae minima videantur pro libito neglectis, etiam disciplinae cardines tandem infirmari. *)

*) In hisce et sequentibus referendis documentis utimur accuratissimis et recentissimis editionibus tum Emi Card. I. B. Pitra ***t. 1. Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta jussu Pii IX. P. M. etc.*** tum Bullario romano Augustae Taurinorum edito.

*) Hac in re expedit referre epistolam VIII. ejusdem Pontificis ad Episcopum Dorum, quem acriter redarguit, quod Epicarium caeteris consecrandis anteposuerit et duobus consentientibus presbyteris in ordine presbyterii praeposuerit. Sequentia sunt verba sancti Leonis in re, quae prima fronte videri posset minoris momenti.

„Dilectissimo Fratri Doro.“ „Judicium quod de te sperabamus dolemus esse frustratum, quando ea te commisisse perspicimus, quae omnem ecclesiasticae sanctionis regulam culpabili novitate foedarent: cum plenissime noveris quanta sollicitudine per omnes Domini ecclesias paternorum velimus canonum praecepta servari et hanc maxime curam ad sacerdotes *(scilicet Episcopos, qui sacerdotii obtinent plenitudinem, quibus proprie juxta vetera documenta hoc sacerdotis nomen simpliciter competit)* universarum plebium pertinere, ut sanctarum constitutionum regulae nullis corrumpantur excessibus. Unde miramur, te, quem auctoritatem apostolicae Sedis observantissimum esse convenerat, tam negligenter ac potius insolenter egisse, ut traditarum legum non custos sed transgressor existeres. Libello enim Pauli presbyteri tui, qui in subditis habetur, cognovimus, apud te novo ambitu foedoque colludio presbyterii ordinem fuisse turbatum, ita ut unius festina et immatura provectio quaedam eorum dejectio facta sit, quorum honorem aetas commendabat et nulla culpa minuebat. Quod si ambientis intentio aut imperita faventium studia id, quod nunquam habuit consuetudo, poscebant, ut incipiens emeritis et novellus praeferretur antiquis, tuae fuerat industriae atque doctrinae, ut injusta petentium desideria rationabili auctoritate cohiberes.

„Si vero, ut asseritur, primi secundique presbyteri circa Epicarium sibimet praeponendum tanta huic assentatio fuit, ut illum cum sui dedecore poscerent honorari, ne hoc quidem illis proprio se judicio dejicientibus tribui debuit quod volebant, quia tam miserae voluntati dignius te fuerat obviare quam cedere.

„Praedicti igitur presbyteri, qui indignos se honoris sui ordine sunt professi, licet privari etiam sacerdotio mererentur, tamen, ut eis pro apostolicae Sedis pietate parcatur, ultimi inter omnes ecclesiae presbyteros habeantur: et ut judicii sui sententiam ferant, inferiores etiam illo erunt, quem propria sententia sibimet praetulere: caeteris omnibus presbyteris in eo ordine permanentibus, quem unicuique ordinationis suae tempus adscripsit. Paulus vero presbyter ordinem suum, de quo laudabili firmitate non cessit, obtineat, ne alterius aliquid in cujusquam praesumatur injuriam; ita ut dilectio tua hoc saltem remedio curare se properet, ut sine dilatione haec quae decernimus tradantur effectui, ne, si iterato ad nos imploratio justa confugerit, necesse sit severius commoveri;

Quamvis autem clerici per s. ordinationem devincirentur perpetuo alicui ecclesiae, nihilominus, cum ecclesia ordinatissima sit societas, plures causae constitutae sunt, ob quas iidem clerici tamquam ordine clericali indigni amoveri deponique possent. Eae tamen causae, non quidem ex arbitrio, sed pro temporis locorumque adjunctis determinatae ab ecclesia fuerunt, partim ex apostolica consuetudine, partim ex determinatione facta in synodis sive oecumenicis sive provincialibus: quae quidem causae rite discuti probarique debuissent, ut clerici tanta plecterentur poena.

Haec quidem eo tempore vigebant, quo nota perspectaque erant clericorum *officia;* non tamen nota erant *beneficia.* Namque primis ecclesiae saeculis, administrante Episcopo oblationes fidelium et res ecclesiasticas, proventus singulis clericis per presbyteros aut diaconos diripebantur pro officiorum dignitate et sedulitate; clara hac in re est constitutio Gelasii I., quae tradi solebat Episcopis in eorum promotione, quae refertur etiam a Gratiano in *caus. 12. q. 2*: in ea haec constituta sunt ad normam veterum canonum: »*Ministeria atque ornatura ecclesiae vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem non minuere studeat* (Episcopus), *sed augere. De redditu vero ecclesiae vel oblatione fidelium quatuor faciat portiones, quarum unam sibi ipse retineat, alteram clericis pro officiorum sedulitate distribuat: tertiam pauperibus et peregrinis; quartam ecclesiasticis fabricis noverit reservandam. De quibus divino erit redditurus judicio rationem.*«

At sequiori aetate, facta *beneficiorum* institutione, quamvis disciplina modos formasque mutaverit, tamen ecclesiae spiritus quae disciplinam informat non est mutatus. Namque officiis ecclesiasticis manentibus non aliud factum est quam eadem officia connectere cum ecclesiasticis rebus, ita ut illi, qui determinatis officiis praeficerentur, jus haberent administrandi bona iisdem connexa redditusque seu proventus percipiendi: haec autem bona vel proventus cum determinatis officiis ecclesiasticis conjuncta beneficia sunt appellata.

Quoniam autem per sacram ordinationem clerici alicui ecclesiae perpetuo addicebantur, in cujus ministerium incumbere deberent, ab eaque alimenta reciperent, ita etiam, beneficiis constitutis, perpetuo iisdem sunt addicti, ita ut nonnisi canonica causa rite probata e beneficio dejici possent.

Sed cum ecclesiasticae disciplinae firmitas postularet, ut non sine canonica causa et canonica forma illi, qui beneficiis praeficerentur, amoveri possent, ideo quaedam officia deinceps in ecclesia sunt constituta vel fundationes ecclesiasticae, quae ut a generali indole disciplinae distinguerentur dictae sunt amovibiles.

Haec autem officia seu fundationes ecclesiasticae, quae in posterum sunt institutae, imaginem quidem beneficiorum plus vel minus habent; sed vera beneficia non sunt quorum proprietas est, ut sint perpetua.

Ex qua generali consideratione apparet, clericorum amovibilitatem, quae in recentioribus fundationibus frequenter auditur, suam veluti originem agnoscere ex beneficiorum firmitate, quae quidem firmitas repetenda est a veteri disciplina, qua clerici per adscriptionem alicui ecclesiae perpetuo in ejusdem ecclesiae servitium mancipabantur.

Quare clericorum amovibilitatem a propriis constitutis officiis generatim consideratam accipi non posse sensu absoluto, sed dumtaxat sensu relativo; ex quo consequitur, quamvis eos amoveri possint sine causa et forma canonice praescripta, propter indolem fundationum ab ecclesia admissam, tamen non posse amoveri sine honesta rationabilique causa, quae, etsi canonice non sit praescripta, sit tamen juxta aequitatem et indolem ss. canonum; nihil enim est a spiritu ecclesiae tam alienum, quae ordinatissima societas est, quam arbitrium, quo neque in domesticos servos uti solemus, vel levissima aliqua causa, quae cum nullitate causae facile confunditur.

Et hic videtur esse sensus s. Congregationis Concilii, ut eruitur ex nonnullis causis in ea pertractis, quas heic satis sit indicare. In causa *Nullius seu Farfen* die 6. Augusti 1791 agebatur de quadam capellania, quam auctoritate Ordinarii interveniente erexerunt sodales confraternitatis s. Sisinnii: iidem sodales nominarunt primum capellanum ea tantum vice inamovibilem, voluerunt autem ut, salva praedicta prima nominatione, reliqui capellani essent *amovibiles ad nutum* tam ipsorum confratrum quam suorum in

cum his quae male sunt facta correctis malimus redintegrare disciplinam, quam augere vindictam. Exsecutionem vero praeceptionum nostrarum fratri et Coepiscopo nostro Julio commisisse nos noveris, ut omnia illico, quemadmodum constituimus, roborentur.“

dicta sodalitate successorum pro tempore et in perpetuum.

Quidam Canonicus postea rite capellaniam obtinuit: quem deinde confratres removerunt ob sequentes rationes: videlicet, ob duplicem compositionem missarum, quam obtinuerat a R. fabrica; ob investimentum factum quorumdam censuum sine sodalium scientia et consensu.

Deveniente causa ad S. C. C. cum appareret compositionem esse factam ad conscientiae quietem capellani a legitima auctoritate, reductionem pariter rite esse factam neque constaret de aliquo investimento non recte gesto, proposito dubio: »An sit locus redintegrationi oratoris in casu? s. Congregatio respondit: *affirmative*.

Item in *Romana Suspensionis onerum.* Archihospitalis ss. Salvatoris ex pluribus legatis multa habet onera, inter quae octo capellanias *amovibiles*: cum valde misera reddita esset ejusdem oeconomica conditio, suspensionem onerum administratores postulabant et capellaniarum.

Inter caetera adnotabatur ex officio in causae folio §. *Quatenus*, esse auctores, qui arbitrantur libere dimitti posse capellanos ad nutum amovibiles, aequiori tamen sententia s. Congregationem requirere justam et rationabilem dimissionis causam: qua deficiente non raro redintegrasse dimissos: judicandum autem superesse, utrum subsistentia nosocomii idoneam causam suppeditaret ad removendos capellanos. Proposito autem dubio:

»An et quomodo sit locus suspensioni onerum in casu? S. Congregatio respondit: *Affirmative juxta votum Emorum Card. Urbis Vicarii et Card. Visitatoris, demptis duabus capellaniis Bergama et SSmi Sacramenti in oppido Fabricae ad triennium.*

Item in *Messanen.* diei 18. Martii 1854. Ad vacantem paroecialem ecclesiam s. Nicolai in oppido Gazzi, praevio ut ferebatur concursu, electus fuit sacerdos Philippus titulo capellani-curati ad nutum amovibilis, ut dicebat Archiepiscopus, quamvis id negaret Philippus et contenderet illud esse beneficium paroeciale inamovibile, quod etiam nonnullas filiales ecclesias sub se contineret: post 30 annos fuit ille remotus ab Archiepiscopo, qui rogatus, ut remotionis causas coram S. C. deduceret, nonnullas adduxit generica quadam ratione, quin ullum documentum exhiberet, quod ostendere culpas quibus parochus insimulabatur: e contrario parochus documenta deducebat, quibus se ab impactis culpis defenderet.

Archiepiscopus ad illum removendum parochum devenisse visus est praesertim ob facultatem, quam sibi esse existimabat removendi parochum ad nutum amovibilem. Proposito itaque dubio: »An sustineatur privatio beneficii parochialis, seu potius sit locus reintegrationi in casu: S. Congregatio respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quibus adjungi potest causa *Vicarii-curati* superius citata *(p. 33)* in qua s. Congregatio respondit quidem sustineri Vicarii capitularis decretum remotionis, sed nonnisi ob expositam causam; et ex eo deducitur, quod in secunda causae propositione data fuit vice-curato optio unum vel alterum retinendi officium; unde unice obstabat retentio duorum simul officiorum: quod fuit existimata causa idonea ad decretum sustinendum.

Haec quidem generatim: non enim negamus dari casus, in quibus sine imagine causae canonicae remotio in foro externo substineatur. Hoc enim frequentius accidit in illis officiis, quae *aptitudine sua* non sunt perpetua, sed consistunt in mera temporali deputatione, uti censeri solent vicariae temporales, in quibus scilicet clerici deputati nihil agunt nomine proprio et solent amoveri ab illis a quibus deputantur, cujus nomine agunt, quamvis etiam hoc in casu illi ipsi qui docent eos absolute sine ulla causa amoveri posse limitationem addant: *dummodo absit dolus vel odium.* At ejusmodi peculiarium quaestionum resolutio videtur potius pendere ab indole et natura cujusque officii vel consuetudinis aliorumque adjunctorum, quam a consuetis formulis *amovibilitatis ad nutum vel sine causa.*

5) Applicare quando debet missam fundatam?

Vd. *Applicatio missae fund.* (t. *I. p. 806 etc.*)

6) Assistentia in functionib. eccles.

Vd. *Assistentia cleri*; (tom. I. p. 1132 etc.) *Beneficiat.* (ministrans et serviens in functionib. etc.)

7) Canonicus, qui simul est.

Vd. *Beneficium* (Plura obtinentes.); *p. 138 n. 8.*

Nepesina.

Quemadmodum jure civili nulli licebat eodem tempore plusquam unius ordinis nomen affectare et binae pluresve militiae cunctis interdicebantur, *leg. 5. in posterum cod. Qui nil. poss.*, ita jure canonico ne quis sub eodem tecto, idest sub eadem ecclesia plura beneficia obtineret pro ipsius ecclesiae dignitate sanctissime cautum fuit *cap. de Multa* §. *hoc id Clem. ultim. tit. de praebend.*, et *cap. Literas de concess. praeb.*

Hinc verendum est, ne (abstrahendo a pontificia dispensatione) a jure canonico improbata videri queat instantia, qua sacram Congregationem exercet sacerdos Canonicus Constantinus Salvi. Hic namque cum jam canonicatum obtineat in ecclesia collegiata s. Joannis Baptistae Terrae Campaneani Nepesinae dioecesis, assequi etiam contendit beneficium jurispatronatus laicalis, sub titulo B. M. V., quod in eadem ecclesia vacavit per mortem sacerdotis Joannis Salvi. Ea de re cum preces pro dispensatione obtulisset SSmo D. N,, placuit Sanctitati Suae per organum Emmi Pro-Datarii rem ad hanc sac. Congregationem ablegare.

Ait porro Canonicus Constantinus se praesentatum ad beneficium fuisse saltem a medietate patronorum, cum ipsemet alter ex modernis compatronis adhaeserit praesentationibus quoad suam personam factis; quo casu profecto cessat nota illa ambitionis, ob quam quilibet seipsum praesentare prohibetur, *Belett. disquisit. cleric.* §. *11. num. 26.*; *Rota cor. Merlin. decis. 733. num. 5*; *coram Priolo dec. 305. num. 4. tom. 1.* Accedit, ipsum Constantinum esse de genere vocatorum ad dictum beneficium: eam enim dixit legem fundator, ut patroni nominare tenerentur proximiores familiae Biasilitta, in qua saepedictus Constantinus Salvi continetur.

Certum est ergo jus, quod habet ad patronale beneficium. Neque sibi obesse autumat, quod sub eodem tecto aliud jam beneficium nempe canonicatum obtineat; regula enim procedit in beneficiis uniformibus, non vero in iis, quae difformia et dissimilia sunt, cujusmodi est beneficium, quod postulat cum canonicatu, quem habet comparatum. Expressa est sanctio *text. in cap. Consuetudinem 1. de consuetud. in 6: Nulli liceat de caetero nisi unum personatum vel dignitatem aut praepositūram sive administrationem vel officium perpetuum quocunque nomine censeatur cum praebenda insimul absque dispensatione Sedis apostolicae in eadem ecclesia obtinere.* Ad quem notat *glossa*: *Ergo videtur, quod de dispensatione inferioris a Papa unicum personatum vel officium cum canonicatu et praebenda possit habere.* Hanc autem Ordinarii dispensationem exolevisse testatur *Rebuff. sub. tit. de dispens. ad plura benef. num. 29.*, *Layman lib. 4. theol. moral. tract. 2. cap. 2. num. 9.*, *Garcias de benef. p. 11. cap. 5. num. 239.*, *Navarr. cons. 28. de praebend.*

Sed illud obesse videtur, quod, etsi canonicatus et hoc de quo agitur beneficium sint difformia, fundator tamen uniformia fecisse videtur. Duo enim beneficiato imposita fuerunt onera, alterum celebrationis trium Sacrorum in singulas hebdomadas, alterum choro *omnibus festis mobilibus* interessendi. Porro quidquid sit de Sacrorum onera, certe chorale servitium beneficio adnexum cum canonicatu esse incompatibile nullus est, qui non videat. Quomodo enim, festorum mobilium recurrentibus diebus, duas poterit Canonicus induere personas, cum ad interessentiam chori tum ratione canonicatus tum ipsius beneficii teneretur? Ne cultus igitur divinus minuatur, in iisdem fere terminis sancitum fuit, capellaniam, cui adjunctum est onus deserviendi in choro, obtineri non posse cum canonicatu, *Barbosa ad sess. 24. Trident. cap. 17. n. 26.*

Haec ante oculos habens capitulum suum acerrime dissensum unanimis suffragiis aperuit, Episcopus capitularis dissensus causam non improbavit et denique ipse Canonicus Constantinus animo respondens, ne fiat divino cultui fraus, utque facilius, quod postulat, assequi possit, se curaturum pollicetur ut alius presbyter oneri choralis servitii cum congrua mercedis assignatione satisfaciat. Neque in hoc eodem beneficio novum id esse ait: siquidem cum alias collatum fuisset presbytero Joanni Salvi, sa. mem. Benedictus XIV. decrevit, ut injunctis oneribus per alterum presbyterum satisfieret, cum ipse parochiali cura sancti Blasii Terrae Anquillariae, qua insignitus erat, praepediretur. Immo et prius ipsemet fundator nominavit nepotem suum, qui in eadem ecclesia canonicatus dignitate ornabatur, ipsumque ab onere choralis servitii liberavit.

Verum hoc ultimum potius obstat Canonico Constantino; namsi fundator, cum suum nominavit nepotem, expresse eum ab onere choralis servitii exemit, hoc ipso ostendit quam enixe optaverit, ut haec lex a caeteris servaretur; maluit enim eam omnibus indicere et peculiari exemptione suum nepotem donare, quam eundem ante dicti oneris impositionem nominare. Primum vero multiplices habuit causas, nempe insalubritatem aeris Anquillariae, paupertatem parochianorum eleemosyna indigentium, restaurationem ecclesiae parochialis: au paupertas et fratrum sororumque numerus, quem sibi circumstare ait Canonicus Salvi, harum causarum vicem supplere possit capitulo reluctante et affirmante substituendos ab eodem presbyteros pro assistentia chorali ex causa beneficii, vel a munere suo impune defecturos, cum non adsint punctaturae, vel, si non defuerint, ex iis sacerdotibus esse futuros, qui jam sponte choro intersunt, adeoque detrimentum cultui divino per hujusmodi dispensationem illatum iri, partes erunt EE. VV. sapienter de more definire.

Dubium est:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:

Affirmative arbitrio Episcopi, dummodo chori servitium detrimentum non patiatur.

Die 17. Junii et 18. Julii 1786.

8) Canonicus simul honorarius satisfacitne officiis beneficii in qualitate canonicali?

Vd. *p. 137 n. 7.*

Joannes Canonicus honorarius ecclesiae cathedralis N. capellaniam obtinuit, quae choralis servitii officium secumfert in eadem ecclesia. Hic, antequam canonica institutione donaretur, subscripsit cuidam capituli resolutioni his verbis: *Sine praejudicio jurium quae ad me spectare possunt.* Resolutio enim capitularis admittebat Angelum *in simplici et exclusiva qualitate et conditione capellani juxta sensum assignatione sedis in choro aliisque honoribus et oneribus et habitu quae eidem competerent tamquam capellano.*

Canonica institutione obtenta Joannes consideravit sibi probro esse depositionem habitus canonicalis; cum autem eidem ecclesiae pauci Canonici inservirent, Episcopi consilio, preces SSmo porrexit, ut concedere eidem dignaretur posse facere satis oneribus capellaniae in sede canonicali et canonicali habitu.

Cum autem preces de more remissae essent ad Episcopum, ut audirentur illi, quorum interesset, tum capellani caeteri tum capitulum partim Joannis precibus suffragati sunt, partim refragati.

Quamvis enim Joannes acceptissimus capitulo et consideratione dignus esset habendus, tamen capellani propter parvum numerum non sinebant, ut Joannes, uti ceteri capellani, oneribus capellaniae non satisfaceret; quod si uti Canonicus eadem impleret, eum fallentiis volebant obnoxium.

Joannes autem difficultates oppositas diluere curavit: cum enim officium capellanorum esset missam conventualem canendi per turnum, inquiebat, illud officium se adimplere posse per capellanum a se substituendum: cum insuper praecipuum capellanorum onus in chorali cantu repositum esset, quod et Canonicis erat commune, hoc officium se implere pari ratione, si in canonicali sede consisteret; quod si alio canonicali munere eo tempore fungi deberet, cum ex hoc ipso alter Canonicus exoneraretur, semper adfuturus esset in cantu, qui ipsum repraesentaret.

Cum autem idem Joannes post possessionem satisfecerit oneribus capellaniae considens in canonicali sede et habitu canonicali, postulavit insuper ut a fallentiis solvendis liberaretur a die possessionis capellaniae usque ad diem, quo sperabat se gratiam esse obtenturum.

Quinimo cum in servitio sic praestando perseveraret et compatibilia viderentur onera capellaniae cum dignitate canonicali, tum capellani tum Canonici, praesertim autem Episcopus, precibus oratoris plene suffragati sunt.

Animadversiones ex officio.

Perpensum est, canonicatus honorarios haud incompatibiles esse cum quovis beneficio residentiali, cum hujusmodi Canonici identidem dicantur habere *nomen sine re et nomenclaturam vacuam et inanem, jus adeo tenue et exile, ut de vento reputetur et canonicatum in aere,* ut scriptum legitur in causis *Fulginaten. 14. Martii 1648, Terracinen. 19. Januarii 1788, Montis Politiani 4. Februarii 1804,* item *Scarfantonius lib. 1. tit. 14. p. 1*: quare licitum esse Canonicis honorariis nomen Canonici retinere una cum altero quovis beneficio: at non aeque permissum esse canonicalibus muneribus vacare in detrimentum onerum, quae ratione alicujus beneficii ipse implere teneatur: quod pluribus auctoritatibus confirmabatur, cum omnes, qui beneficia quaevis possideant, teneantur per se et non per alios connexa officia praestare.

S. Congregatio Concilii precibus perpensis in comitiis habitis rescribere censuit:

Attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia etiam quoad fallentias non distributas facto verbo cum SSmo.

Die 29. Aug. 1868.

Ex quibus colliges:

I. Canonicos honorarios, qui aliquod beneficium chorale obtineant in eadem ecclesia, non posse satisfacere officiis beneficii in qualitate canonicali, quamvis omnia fere officia Canonicis beneficiariisque sint communia.

II. Quare si obeant per accidens beneficii officia non tamquam beneficiarii sed tamquam Canonici, eosdem esse fallentiis obnoxios, nisi speciali apostolico indulto ad id fruantur.

9) A celebrando quando se abstinere potest?

Vd. *Beneficiatus* (missam fundatam per se etc.; — per substitutum.)

10) Clerici omnes olim nominabantur beneficiati.

Vd. *Beneficiat.* (sacerdotio nondum insign. — non dispens. decr. *Nullius Lepriniani* §. *Deinde.)*

Fulden.

Nulla sane prioribus ecclesiae saeculis clericos inter majores et minores erat distinctio quoad onus recitandi horas canonicas. Cum enim clerici ne minoribus quidem ordinibus initiarentur, quin statim adscriberentur alicui ecclesiae, cui deservirent ejusque stipendiis alerentur, idcirco omnes clerici censebantur quodammodo beneficiati: aequum proinde erat, ut divinis officiis in ecclesia celebrandis adessent et orando pias fundatorum voluntates adimplerent. *Concilium Carthaginense 4. celebratum an. 398. can. 49. collectionis Labbaei tom. 2.* praecipit »quod clericus, qui absque corpusculi sui inaequalitate vigiliis deesset, stipendiis privetur,« et *synodus Toletana 1. habita anno 400. can. 5.* statuit, quod presbyter vel diaconus vel subdiaconus vel quilibet ecclesiae deputatus clericus, si intra civitatem vel in loco, quo ecclesia est, aut castello aut vico aut villa, et ad ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur, si castigatus veniam ab Episcopo noluerit promereri.«

Die 3. Aug. 1782.

11) In collegium „beneficiatorum" assumendus.

Ferrarien.

Extat in metropolitana ecclesia Ferrariensi simplex beneficium sub titulo s. Ludovici regis de jurepatronatus praenobilis familiae Naselli, quod a die 31. Dec. anni 1826 obitu sacerdotis Petri Naselli vacans redditum nullo unquam tempore suum rectorem habuit ad mensem Nov. anni 1849; quo tempore mulier nobilis Rosalia Naselli Bertoni ad idem nominavit sacerdotem Antonium Guiorci, qui per capitulum (cui jus est possessionem tribuendi) sub die 28. Nov. ejusdem anni in possessionem beneficii immissus est. Inter jura et emolumenta ejusdem beneficii illud etiam recensetur, ut rectori liberum sit non solum sua sibi bona administrandi, verum etiam expostulandi a collegio beneficiatorum illius Metropolitanae, ut in fratrem recipiatur ad chori servitium èt ad choralium distributionum participationem.

Factum ergo est, ut, cum sacerdos Guiorci literas possessionis praesentaverit beneficiatorum collegio, ab illis repulsam passus fuerit duplici sub ratione:

Prima nempe quod non legitime post viginti et novem annos a die ultimae vacationis a patrona nominatus fuit;

Altera quod qualitatibus illis careret, quae necessario requiruntur in eo, qui se in fratrem recipi desiderat. Incassum recursus habuit Guiorcius ad Vicarium generalem, ipsumque eminentissimum Archiepiscopum defunctum. Quare reliquum sibi esse agnovit ad S. H. O. supplici libello effugium habere, ut facta in sui favorem nominatio valida

declaretur aut saltem sanationis ope sustineatur, utpote inde in beneficiatorum collegium cooptetur.

Exquisitus, ut mos est, hac super re hodiernus Emus Archiepiscopus haec rescripsit: Collegium beneficiatorum, utrum valide collatum sit hoc beneficium necne, sententiae hujus Congregationis omnino remittit. At quaestio potissima est: utrum beneficiati teneantur recipere in fratrem nominatum sacerdotem Guiorci. Quaenam fuerit vita et qui mores oratoris elapsis temporibus satis supperque apparet ex actibus hujus cancellariae criminalis: quamvis veritatis gratia minime silentio praetermittam vitam ipsam moresque oratoris quinque circiter abhinc annis laudabiliter in melius commutatos, ita tamen quod dum ad fructus reddituum beneficii quomodocumque bona fide a capitulo collati admitti queat, minime vero, ut sentio, in fratrem recipere eundem oratorem memoratum collegium beneficiatorum cogi possit.

Quoad primam quaestionem super validitate praesentationis haud praeterit in quolibet beneficio patronatu laicali lapsu quadrimestri a die cognitae vacationis jus nominandi in patrono consumari et ad proximum Superiorem devolvi, uti in cap. *Nulla de concess. prabend., Fugnan. lib. 3. in idem cap. n. 24.* Indubium ut aeque est hoc tempus patrono ad nominandum concessum utile esse eo sensu, ut minime curat non modo ignoranti, sed et conferre non valenti. Devolutio siquidem, quae poena gravissima in jure dicitur, locum non habet nisi ob negligentiam patroni; qui ceteroquin excusabilis est, si per impotentiam juris vel facti etiam culpa contingentem nominare distulerit, *cap. Quia diversitatem* §. *Sic tamen de concess. praeb., cap. Cum de constitution., Host. n. 3. vers.: Conferre; Jo. And. n. 7. vers.: Distulerit, Fagnan. in citat. cap.: Nulla n. 33. de concess. praeb.* Tradunt proinde communiter doctores et tribunalia, quod quodcumque non improbabile impedimentum praeseverat jura patroni a devolutione. *Faber. in cod. tit. de sacr. eccl. definit. 33. vers.: Quod secus est, Ventrigl. in prax. part. 2. annot.* §. *3. n. 28 et seq., Pirringh. ad lib. 3. Decret. tit. 38. sect. 4. et 5. n. 196.*

His praehabitis evincere in praesenti casu est, non negligentiam patroni causam extitisse, quare beneficium ipsum tanto tempore vacaverit, sed potius tenuitatem maximam beneficii, cujus multa sunt onera missarum, quae numero nonaginta et duo perexiguum redditum scutator. septem pro eleemosyna omnino absorbent ac superant. Capitulum ipsum metropolitanae ecclesiae narrat in sua relatione ad Vicarium generalem quod »alla famiglia Naselli cui spettava la nomina, non vene fatto di ritrovare persona, che accetasse il beneficio a causa della tenuità di esso che lo rende passivo.« Et sacerdos Alphonsus Naselli, cui oblatum fuit hoc beneficium anno 1844, pro rei veritate exponit, »informatomi dello stato di questo benefizio da Mons. Succollettore de 'spogli e trovandolo del tutto passivo feci alla suddetta famiglia Naselli i dovuti ringraziamenti.« Unde argui merito videtur, familiam Naselli revera non potuisse reperire, qui beneficium susciperet, et proinde in devolutionis poenam incurrere haud quivisse. Ita quidem judicatum est ab hac s. Congregatione in simili casu factae nominationis a patrono post diuturnam vacationem beneficii cujusdam ex causa tenuitatis reddituum, *in Mantuana 24. Februarii 1720,* in qua proposito dubio: *An sit admittenda praesentatio in casu?* responsum est: Affirmative, et amplius.

Quatenus vero idem judicium in casu praesenti statuere non libuerit Emis PP., ad remedium sanationis confugit orator Guiorci, quam humiliter exorat tum ratione expensarum a se in assumendo beneficio factorum, tum nullius oppositionis adversariorum, quibus ex hac supplicatione injuria non fieret cum et ipsi in proprio folio declarent, se omnem querelam hac de re remittere sacrae Congregationis arbitrio.

Gravior quaestio videtur, quae respicit receptionem Guiorci in collegium, quam quidem receptionem denegant beneficiati ob defectum qualitatum, quas in recipiendo requirunt illius collegii constitutiones. In his cavetur quod: »Nullus capellanus ad collegium admitti possit, nisi fuerit sacerdos bonae vitae et famae, quod admissio interfacta nullius sit roboris vel momenti.« His articulis suffulti beneficiati urgent se prohiberi quominus in fratrem sacerdotem Guiorci recipiant, utpote qualitas vitae et famae requisita deficiat, quod duplici processu ipse inquisitus fuerit in

curia episcopali ex accusatione quarundam mulierum, quae ad turpia, extra licet confessionem, ab ipso semel iterumque sollicitatas fuisse narrabant. Non defuit curia archiepiscopalis transmittere ad S. H. O. transumptum harum accusationum necnon cognitionem provisionis susceptae ab Archiepiscopo, quae in eo stetit, ut, licet ab ulterius inquirendo desisteretur, poena tamen suspensionis ad tres menses sacerdoti inflicta fuit, cum praecepto recipiendi se per idem tempus intra claustra conventus s. Josephi et per quindecim dies piis exercitationibus vacandi Ex his deducunt beneficiati maculam haud levem inustam fuisse bonae famae ipsius Guiorci, qua persistente nec debere nec posse eundem in fratrem cooptare. Quippe, si bona fama amittitur etiam ex levi suspicione delicti, multo magis id fiet ex poena ob ipsum delictum suscepta. *Fagnan. in cap.: Qualiter et quando n. 47.*

Ipse Emus Archiepiscopus huic judicio beneficiatorum subscribens asserit: Minime vero, ut sentio, in fratrem recipere eundem oratorem memoratum collegium beneficiatorum cogi possit. Episcopi autem judicio in iis, quae ad suam dioecesim pertinent, firmiter standum esse propter notionem, quam prae ceteris habere praesumitur de sibi subjectis, docuit *Rota in recent. decis. 501. n. 2. part. 19. tom. 2.* et *decis. 5. n. 2. coram Celso.* Quapropter consulto ss. canones ipsis Episcopis permittunt eos clericos ab ordinibus assequendis arcere, quos ex informata conscientia vel ex occulto crimine indignos judicaverint, ne secus scandalum fidelibus obveniat: ita ex *cap. Ad aures 5. de tempor. ordinat.* et *Trid. sess. 14. cap. 4. de reform.* Quam sane facultatem etiam beneficia et dignitates complecti tradunt *Fagnan. in comment. ad dict. cap.: Ad Aures. n. 9.* et *Fargna de Jurepatr. cap. 7. n. 4.*

Non desunt tamen quae contrarium suadere posse videntur. Nam si sacerdoti Guiorci anteactae vitae mores parum honesti objiciantur ex duplici memorato processu et ex poena ipsi inflicta, animadvertendum tamen occurrit, nullum verum judicium nullamque sententiam in ipsum prolatam unquam fuisse, poenam illam modicae suspensionis, quae medicinalis dicitur, nil ad summum evincere, quam suspicionem quandam, nunquam vero certitudinem de inhonestate vitae. Porro accusatio sive inculpatio, processus confectio et carceratio, nisi sententia condemnatoria accedat, infamiam non inducunt ex doctrina *Bartoli leg. 3. ff. Qui infamia not. n. 3. et S. Cong. in Lycien Irregul. 26. April. 1817.* §.: *Inquirendum.*

Bonae famae ex adverso opponitur infamia, quae alia juris, alia facti est. Atqui infamia juris notatum Guiorcium nemo dixerit, cum nulla in eum condemnationis sententia intercesserit, seu in similibus tenuit *Rota decis. 34. n. 8. cor. Bezzonico*, ibi: »Ceterum adductae criminationes nihilominus praestare poterunt, quam ut presbyterum pluribus abhinc annis inquisitum fuisse, processatum mancipatumque carceribus, attamen cum nulla criminum declaratio, nulla condemnatio intercesserit, hinc longe ab eo aberat infamia juris, quae eum a beneficiis arcent, *cap. Infamis vers. aliquando 3. quaest. 7, Gonzalez. in decretal. lib. 2. tit. 26. cap. 54. n. 2.* et *Rota decis. 1739. n. 23. part. 4. tom. 3. decis. 422 n. 23.* et *decis. 643. n. 12. par. 19. tom. 2. Recent.*« Hoc itaque sub respectu haud videretur Guiorcius beneficio arcendus.

De infamia autem facti licet ex enormi crimine exorta id receptum habetur, ut ea ex posteriori poenitentia ac emendatione vitae omnino abluatur. *Rota in cit. decis. cor. Bezzonico, Barbosa de off. et potest. Ep. alleg. 23. n. 21, Passerin. de elect. cap. 35. n. 536.* Regula hinc traditur, ut, si quis publice et per triennium saltem a pristina vivendi norma resipuerit et in loco, ubi antea derelinquere consueverat, probitatis specimen praebuisse dignoscetur, nil prohibeat quominus et ad ordines promoveri et ecclesiastica beneficia consequi possit, ut colligitur ex *can. Numquam 14. dist. 56.*, ubi relatus s. Chrysostomus ad meliora ait, conversum nequaquam prior vita commaculat, et tradunt *Garz. de benef. part. 7. cap. 8. n. 64, Barbos. de off. Ep. alleg. 13. n. 31 et seqq., Pirring. de temp. ordinat. n. 19, Schmalzgrueber in jus. can. lib. 5. tit. 47. n. 74.*

Quam sane regulam tenuisse s. Congregationem patet ex *Terulen Beneficii 3. Julii 1763.* et *Sabinen. Irregul. 30. Maji 1786.* §. *Neque;* potissime vero ex *Spoletana Parochialis 19. Januarii 1737.* Agebatur siquidem de sacerdote a patronis praesentato ad coadjutoriam cum futura successione in cura animarum parocho senio ac assidua

corporis aegritudine confecto. Rejecerat Episcopus praesentationem aliumque instituerat eam ob causam, quod sacerdos ille octennio ante de pluribus (uti refert folium) delictis et excessibus praeter alios sibi extrajudicialiter notos in episcopali curia fuisset inquisitus, quodque processus super eisdem delictis pridem inchoati nondum fuerint completi, adeo, ut sanior quoque dictae communitatis pars suas porrexerit preces, ne parochialis illa ecclesia Dominico conferretur. Attamen proposito dubio: An praesentatio facta per communitatem Castri Lacus favore Dominici Felicangeli sit exequenda, ita ut dictus Felicangeli veniat instituendus in casu? in seq. Congreg. 16. Martii dicti anni responsum fuit: *Affirmative.* Idipsum arguere licet ex *Posnanien Juris optandi 2. Augusti 1755* et *Hydruntina Irregularitatis 11. Junii 1774.*

Atqui si trium annorum vitae emendatione dedecus quodcumque et infamia ex enormi creata crimine penitus oboletur bonumque nomen et ad beneficia habilitas recuperatur, fortius quaevis macula, quae ex accusatione et simplici processus confectione absque ulla sententia exorta est, deleta penitus dicenda videtur in sacerdote Guiorci, cujus vivendi ratio in melius jamdudum immutata commendatur ab Emo Archipraesule, ipsique proinde nullum obicem superesse, nedum si de assequendo beneficio ageretur, sed eo minus, quia super mera distributionum choralium participatione quaestio coercetur.

Videant hinc EE. VV. sapientia quonam responso dimittenda sint dubia

I. *An sustineatur praesentatio ac institutio Antonii Guiorci seu potius consulendum sit SSmo pro sanatione in casu?*

II. *An idem Guiorci admittendus sit in collegium beneficiatorum et ad participationem distributionum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative pro sanatione ad cautelam facto verbo cum SSmo.

Ad II: Affirmative in omnibus.

Die 25. Jan. 1851.

12) Confessiones audiendi obligatio.

Vd. *Confessio* (oblig. audiendi, decr. *Casalen.*)

13) Confirmatio et Institutio Episcopi.

Vd. *Institutio canonica*

Eugubina.

Jus pro *confirmatione* seu *institutione* solum Episcopo tribuitur non vero Praelatis inferioribus, nisi jurisdictionem quasi episcopalem habeant in clerum et populum *Fagnan. in cap.: In eam num. 3. et 4. de aetat. et qualit Ordin., Abb. in cap. Cum plantare num. 5. de privil.*

Die 7. Aug. 1733.

14) Ei subveniendum est, quando redditus sunt imminuti.

Vd. *Missa* (reductio concessa; non concessa; decr. *Aquen.* §. *Beneficii* etc.)

15) Fundos imminutos restituere quando debet?

Discursus.

Quae regulae servari debeant quando dubitatur: an is, qui aliquo pio onere gravidus est, fundis imminutis vel plane depertitis, de suis bonis teneatur restituere necne?

Non semel disceptatum est an debitor alicujus annuae praestationis, sive in pecunia numerata sive in alio quocunque genere consistat, eam perpetuo redimeri queat per unam solutionem, quae universo praestationis annuae capiti aequivaleat. Nullus porro canon in decretalibus, nulla lex in jure caesareo reperitur, quae acu quaestionem tangat ac dirimat; quamvis in hoc ultimo plures adsint leges, ex quibus ratio erui tuto possit, qua ad eam resolvendam recta sternatur via; hujusmodi sunt *L. Annuam 6.*, et *L. Annua his 10. ff. de annuis legatis.* Doctores communiter hanc agitant controversiam pluribus cumulatis utrimque argumentis. Quoniam vero hi de quaestionibus verba faciunt, illas autem S. C. dissolvit, — veluti tradit *Bened. XIV. inst. eccl. 107,* §. *6.*, hinc doctorum disceptationibus praetermissis illico ad declarationes s. C. Concilii afferendas gradum facio.

Ante omnia praemonendum est, in s. C. Concilii nullum aliud argumentum tam frequenter actitatum esse et in dies actitari, quam de reductione onerum piorum ac nominatim celebrationis missarum. Itaque, ut ordinario fit, nonnullae praestitutae ac formitae sunt regulae, quae in hujusmodi reductionibus elargiendis servarentur. Enim — vero potissima regula ea est, ut inspiciatur, an haeres missarum onere gravatus de suo supplere teneatur in casu, quo fundi eam in causam relicti vel imminuti vel omnino deperditi fuerint, an vero satis sit eos fundos semel assignasse, ut quis omni obligatione solutus abeat. Quod ut facilius dijudicari possit, exquirendum est, an fundi taxativo vel demonstrativo modo relicti fuerint; in primo siquidem casu omnino liberatur haeres in omne tempus, minime vero in secundo.

At magna controversia suboritur, quando legatum taxative, et quando demonstrative relictum fuisse dicendum sit. In quo canon hic statutus est, ut legatum veluti taxative relictum habeatur — si fundatores (verbis utor cujusdam instructionis a s. C. Episcopis transmissae et a *Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. ult. num. 32* relatae) legando aut aliquo modo disponendo orationem seu dispositionem prius inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde missarum onus adjecerunt... secus autem, si fundatores orationem seu dispositionem inceperint ab impositione oneris et subinde fundum assignaverint, tunc enim onus dicitur demonstrative conceptum ac fundatorum haeredes per Amplitudinem Tuam cogendi sunt ad perpetuam dicti oneris manutentionem et ad supplendam summam deficientem tam de praeterito quam de futuro.

Ratio exinde apparet, cur in legatis demonstrative relictis haeres de suo supplere teneatur, secus vero sit, si legatum taxative factum fuerit; nam onus legati adimplendi inhaeret personae haeredis ipsius, quae non deficit, etiamsi res haereditate accepta deficiat: at vero in legatis taxative relictis onus illiusmodi fundo infixum est; si igitur fundus jam traditus defecerit, deficit etiam onus eidem fundo inhaerens.

Quid autem, si dubitetur adhuc, an legatum sit demonstrative, an taxative relictum? Tum enimvero retinendum est demonstrative relictum esse; nam juxta quamdam resolutionem S. Concilii *Brixien. 1. Dec. 1684.* relatam a *Bened. XIV. l. c. n. 33* haec regula (de retinendo demonstrative relicto) procedit vel quando fuit legata quantitas vel quando fuit legata res in genere vel quando fuit legata res in specie, quae remanet penes haeredem habentem onus curandi celebrationem, vel quando res legata fuit consignata legatario non quidem ex praecepto testatoris sed ex propria voluntate et ad effectum tantummodo sese eximendi a praefato onere curandi celebrationem.«

Non est autem dubitationi locus, quando testator suis haeredibus imperat, ut certam ac determinatam summam exsolvant in missarum celebratione erogandam. Porro hanc ad rem idem *Bened. XIV. l. c.* subsequitur: »Si testator mandasset, ut legatario tot praestarentur fructus, quot satis essent ad injunctam missarum celebrationem, quantumvis haeres bona stabilia redditus satis idonei semel tradidisset, attamen supplementi onus declinare non posset, si forte subinde contingeret, ut, ob subsecutam fructuum imminutionem vel ob augmentum taxae, traditi fundi redditus imposito oneri sustinendo impares evaderent, uti subdit Praesul Altoditus in dato, quod ipse conscripsit, et Congr. probavit in quadam causa Lucana, proposita 16. Decem. 1685. Quando enim testator mandat: consignari tot fructus, qui sufficiant pro dicta celebratione, tunc dicitur legatum, genus et fructus sufficientes esse in obligatione demonstrative: unde licet haeres assignet tot bona, quorum redditus de tempore assignationis sufficiant, attamen illis pereuntibus vel ad minorem quantitatem redactis tenetur haeres supplere ex redditu aliorum bonorum.

Hanc utique doctrinam secuta est s. C. Conc. cum passim tum nominatim in *Romana Reduct. miss. 18. Apr. 1733,* in *Burgen. 15. Mart. 1777*, *Venetiarum 2. Mart. 1815.* per smm. prec., et in *Eugubina 1808.*

Neque aliter docuit nec aliam doctrinam receptam habuit s. Rota, veluti videre est in *Romana Ann. praestat. 16. Januarii 1702 coram Caprara*, et *Romana Supplementi et applic. 11. Junii 1723 coram Aldovrando.* Juvat facti speciem enarrare causae Romanae coram Caprara. Fulvia Sfortia die 29. 29. Martii 1598 per privatam syngrapham promiserat exsolvere scut. 100 annua perpetua monialibus excalceatis s. Josephi, addita conditione, ut puellam in monasterium hoc reciperent, adeoque eam in causam Fulvia omnia bona sua obligaverat. Morti proxima

haeredibus suis praescripsit, ut cum aliis legatariis, tum monialibus excalceatis partem cujusdam pinguissimi census, (in quo tota consistebat haereditas) quae pars fructui scutatorum 100 responderet, assignare possent, ut ita omni se obligatione liberarent. At vero monialium oeconomus hujusmodi assignationi morticus restitit; quapropter res in judicium deducta; in possessorio primum causa disceptata est apud s. Rotam coram Mazanedo: at s. Ordo sua sententia oeconomo actori manutentionem dandam esse pronunciavit pro scutatis centum super omnibus bonis Fulviae. Uno ferme saeculo post coram Caprara die 19. Jan. 1702 dubium disceptatum est:

An monasterium s. Josephi teneretur de praeterito vel teneretur de praesenti recipere assignamentum usque ab anno 1611 oblatum loco annuae praestationis scut. 100?

Et s. Rota respondit: Nec de praeterito nec de praesenti teneri moniales recipere assignamentum.

Quoniam vero haeredes inter alia, quae afferebant, argumenta, oblationem realem scutatorum 100 judicialiter monialibus sese exhibuisse subjiciebant, adeoque propugnabant, ea peracta, ad nihil aliud amplius sese teneri, s. Rota in decisione praedicta §. 13. ita docebat: Quae omnia iterum atque iterum aequa lance aequilibrata non fuerunt reperta tanti ponderis, ut obligare potuerint moniales ad receptionem assignamenti nec de praeterito nec de praesenti. Ad quem effectum Domini praemittebant, quod, cum promissio Fulviae sub hypotheca omnium suorum bonorum tam ejus vita durante quam post obitum et pro futuris perpetuis temporibus concepta legatur in mera et pura quantitate annua scut. 100, nulla habita taxatione nec etiam demonstratione ad certum fundum seu illius annuum redditum, utique non potuit aliter expleri, quam in pecunia numerata ex fructibus omnium bonorum haereditariorum seu particularibus ejus speciebus ad *text. L. Annuam* §. *6. ff. de const. pecun.* juxta communem distinctionem primae ab altera promissionis forma per *text. L. Annuam 6. v. Modestinus. L. Annua* §. *Attia de Leg. 33*, quod ad rem nostram explicat *Paul. de Castro cons. 47. n. 3. lib. 2.*, secus vero si relictum fuit in genere absque ulla designatione perticulari bonorum, quia tunc buod non perciperetur ex uno praedio teneretur ex aliis solvere, concludens volentem assignare unum praedium ad hoc, ut liberetur a debito quantitatis, non esse audiendum.

Nec obstat, quod Fulvia non habeat alios effectus, nisi dictum censum cum Duca Zagaroli, et tamquam liberalis donatrix potuerit monasterio facere assignationem de redditu rato dicti census, ex *L. Si quis argumentum cod. de donat.* cum aliis allegatis, quia, quidquid sit de inexistentia aliorum bonorum nullatenus justificata, ad effectum satis est, quod obligatio Fulviae constet de pura quantitate scut. 100 annuatim monasterio solvenda et quidem in genere nulla facta mentione bonorum aut effectuum particularium, ex quorum redditibus sit eidem satisfaciendum. Unde non applicatur textus et jura in contrarium adducta, utpote loquentia de donationibus seu legatis annuis relictis cum expressione, quod satisfiant ex redditibus certorum bonorum seu ex bonis ipsius testatoris, ut probant jura mox allegata.

Quapropter, fundis deperditis vel imminutis, non solum ex s. Conc. declarationibus sed etiam ex decisionibus s. Rotae romanae dicendus est liberari haeres, si testator eidem legem dixerit sive facultatem fecerit tradendi eeclesiae certos fundos jam determinatos aut determinandos; nequaquam vero idem liberari, si testator obligationem legati adimplendi personae haeredis injunxerit et universam haereditatem ea ipsa obligatione gravatum explicite vel implicite voluerit.

16) Habitus et honestas.

Vd. *Clerici* (habitus; negotiatores.) *Talaris.*

a) Episcopi decreta servanda circa habitum clerical. edita.

Vd. *t. I. p. 1132. n. 1. Interamnen.*

b) Poenae in contrafacientes.

Senogallien.

Pacificum est, Bernardinum ab anno 1806 nedum ecclesiasticis insignibus nuntium misisse sed et saecularia prorsus munia suscepisse, quae toto coelo distant ab ecclesiasticae vitae ratione. Atqui clericos ejusmodi cujusque beneficii privatione plectit post

Clement. 2. de vita et honestate cleric. et *Tridentinum sess. 14. cap. 6. de ref.*, etiam *Sixtus V.* sua constitutione, quae incipit: *Cum sacrosanctam**), eos sine ulla alia monitione, citatione, judicis ministerio ipso facto de beneficiis privatos aperte declarans. Id vero magis magisque locum habere in his, qui munus ecclesiastico statui omnino adversum susceperint, quippe voluntatem ab eodem alienam ita manifestent, explicant doctores.

Die 21. Novbr. 1840.

Communiorem esse doctorum sententiam, quod non quaelibet testium depositio satis sit, ut in caduci poenam impactus clericus declaretur, sed ea adamussim, quae fieret sine aliqua rationabili causa ad abjectionem et ad despectum ordinis clericalis, ita *Leuren. for. beneficiar. part. 3. q. 187*, *Barbos. jur. eccl. lib. 3. cap. 14. n. 63*, *Girald. de poenis eccl. part. 2. cap. 1. circa habitum clerical.* §. *2*, praesertim vero *Lotter. de re beneficiar. lib. 3. qu. 16. n. 90. et seq.*

(Ibid.)

Innocentius PP. XII.

Volendo la Santidà di Nostro Signore, ehe omninamente, et con ogni puntualità si osservi, et si dia essecuzione alla disposizione de' sacri canoni, e degli editti altre volte publicati, tanto circa la decenza dell' abito quanto circa la tonsura ecclesiastica, con cui li sacerdoti, e li promossi agli ordini Sacri, e li chierici di prima tonsura, che tengono benefizii ecclesiastici di qualunque sorte etiam di semplici, che servono con salarii in chiese, devono secondo la disposizione de' medesimi sacri canoni incedere, e molto maggiormente comparire agli altari per celebrare, o fare altre funzioni ecclesiastiche, come anco circa la modestia e decenza di prepararsi in tempo, e luogo, che devono celebrare: col presente publico editto di ordine e commissione speciale della Santità Sua si rinova particolarmente l'editto della sa. me. di Clemente IX. publicato li 29. Giugno 1667., e l'attro della sa. me. d' Innocenzo XI. publicato li 10. Ottobre 1681. Et a quelli inerendo, e respettivamente ampliandoli, si ordina e commanda, che nessun sacerdote, o ordinato in sacris, o chierico come sopra possa andare per Roma dalla levata del Sole sino a mezz' ora di notte vestito con abito e veste curta, ma debba incedere con abito lungo sino al collo del piede, detto volgarmente abito talare, e debba portare la chierica e corona, o sia tonsura chiericale della grandezza conveniente all' ordine e grado di ciascheduno, la quale non sia di minor grandezza d'un testone, e sia totalmente apparente e così spesso rinovata, che si possa ben vedere.

§. 2. Si ordina parimente, e commanda, che nessun sacerdote o ordinato in Sacris, o chierico ancor di prima tonsura come sopra, porti zazzera o capigliatura, e molto meno capelli e zazzera finta, chiamata volgarmente perrucca, che copri la fronte e l'orechi.

§. 3. Sotto pena in chiascheduno di detti casi, e per quasivoglia volta, che si trasgredirà, della carcere, e di scudi dieci d'applicarsi ad opere e Luoghi pii in conformità del solito.

§. 4. Ed oltre l'incorso delle dette pene possono esser certi quelli, che contraveranno, che il difetto della debita tonsura ed abito talare ed accommodatura modesta de' capelli porterà essi e ciaschedun di loro il totale impedimento alle praetensioni di qualsivoglia impiego ecclesiastico.

§. 5. Si notifica nondimeno, che con licenza, che si dara da S. E. o da Monsig. Vicegerente in iscritto speditamente e gratis, si permetterà in occorrenza di far viaggio o altra causa legitima, che le suddette vesti e ferrajoli siano più corte, purchè convenga al' onestà dell' ordine, e non siano di altro colore che nere; ed in questa conformità e non altrimente si dovranno intendere le licenze, che si daranno, ed in caso contrario s'incorrerà la pena della carcere e perdita di tali abiti.

§. 6. Ed alle suddette pene di carcere e pecuniarie ed altri maggiori ad arbitrio, soggiaceranno quei Sacerdotti, che contra la forma del praesente et altri editti come sopra publicati celebreranno in alcuna chiesa si dentro, come fuori di Roma, se non in abito del tutto decente e proporzionato allo stato e condizione ecclesiastica, e specialmente con veste talare, e sia quella stessa, con la quale ciascheduno va alla chiesa, e non presa in prestito meramente per l'atto di celebrare o somministratali dal sagrestano.

§. 7. Che nel trattenersi li sacerdoti nelle

*) Vd. *p. 147.*

sagrestie non consumino il tempo in vani discorsi, ma stiino quieti e modesti come comporta il luogo, che serve principalmente al culto di Dio ed al raccoglimento per la preparazione al sacrificio e rendimento di grazie doppo di esso, e non vi piglino tabacco nè in fumo, nè in polvere, nè masticato, come cosa pregiudiziale alla polizia e decoro ecclesiastico sotto le medesime pene immediatamente espresse tanto per quelli, che v'incorreranno, come per li sagristani, che lo permettessero e non vi ponessero il debito rimedio.

§. 8. Parimente si commanda come sopra a tutti li rettori, sagrestani, capellani, custodi ed altri sotto qualsivoglia nome deputati all' amministrazione o cura o sopraintendenza di qualsivoglia sagrestia, tanto nelle Basiliche, Collegiate, Parochiali, Congregazioni, oratorii, capelle, ed ospedali, ed ogni altra chiesa secolare, quanto di qualsivoglia chiesa regolare, si dentro come fuori di Roma, che non permettano ad alcun sacerdote il celebrare nelle loro chiese, se non avrà la solita licenza di S. E. e porterà l'abito e tonsura predetta, qual' abito il sacerdote l'ha' da portare avanti che entri in Sagrestia, nè deve essergli imprestato dal Sagrestano sotto la medesima pena della carcere e di scudi dieci da applicarsi come sopra, e di più la sospensione di loro officii, ed altre ad arbitrio secondo la maggior negligenza, che commetteranno nella trasgressione di questo editto, le quali pene s'incorreranno de facto da ciascheduno de' sopradetti ogni qual volta, che l'avranno trasgredito, ed avvertiranno sotto le medesime pene di non permettere, che alcun Sacerdote celebri con la Zazzera finta ossia perucca.

§. 9. E per lo scandalo, che porta il vedere li sacerdoti, che si affrettano troppo nel leggere o nel fare le ceremonie, ordiniamo, che nelle sagrestie vi sia un orologgio da ruote o da polvere, per mezzo del quale il sagrestano possa conoscere, se il celebrante impiega nel sacrificio il debito e proporzionato tempo, che non dovrà essere meno di un terzo di ora, e trovandosi, dopo essere stati avvertiti da sagrestani, a perseverare il sacerdote in questa indecenza, si debbano licenziare e privare dell' officiatura, con dare a S. E. in nota li loro nomi sotto le pene già espresse di dieci scudi, ed altre ad arbitrio per li Sagrestani, che lo compertassero, e non rimediassero a quanto si è detto.

§. 10. In oltre si dichiara col presente Editto, confermando ogni altro, che sia stato publicato in quest' istessa materia e particolarmente, che nessuno possa celebrare in qualsivoglia chiesa od oratorio senza licenza in scriptis di S. E. o di Monsignor Vice-Gerente, nè li sagrestani possano lasciar celebrare senza la detta licenza, sotto pena tanto alli celebranti, come alli sagrestani di scudi dieci per ciascheduna volta da applicarsi a luoghi pii come sopra.

§. 11. Advertendosi che nelle chiese di monache è necessario d'avere una licenza particolare, che esprima una speciale facoltà di celebrare in dd. chiese.

§. 12. Per rimediare anche all' abuso delle messe in ore intempestive commandiamo, che non si possa cominciare a dir le Messe prima di un ora avanti l'aurora, e che ad un' ora dopo mezzo giorno debbano essere del tutto finiti li sacrificii sotto l'istesse pene imposte nel capitolo precedente, tanto alli celebranti, come a' sagresani, non ostante qualsivoglia pretesa consuetudine o privilegio in contrario, che non sia stato esibito nella segretaria e riconosciuto ed approbato da S. E.

§. 13. Ed acciochè i laici abbiano occasione di prendere in tutto buon esempio dagli ecclesiastici, e si tolga ogni attacco di mormorazione, l' E. S. ordina e commanda sotto le pene arbitrarie, che nelle case fabbricate per stanza ed uso de' Canonici od altri Ministri di chiesa, non abitino Donne etiam parenti in qualsivoglia grado, e nelle, altre non deputate a servitio de' Canonici o chierici non vi stiano, se non per causa dall' E. S. approvata.

§. 14. Che le case delle chiese ovvero porte di esse non siano affidate a laici se non per causa di necessità da approvarsi come sopra.

§. 15. Che li sacerdoti non possano procurare, avvocare, difendere, nè fare qualsisia azione in causa dinanzi a judice laico, eccettochè nelle cause dalli sacri canoni permesse, nel qual caso s'impetri dall' Eminenza Sua la licenza in iscritto.

§. 16. Che li sacerdoti ed altri ecclesiastici promossi agl' ordini sacri non portino arme di sorte alcuna, nè anche sotto protesto di andare a caccia senza licenza di S. E., quale si darà gratis come di sopra.

§. 17. Che questo medesimo editto si debba tenere affisso nelle sagristie a vista d'ogn' uno sotto pena della privazione del loro officio ad arbitrio; e che publicato ed affisso, che sarà, conforme al solito oblighi qualsivoglia persona come se li fosse stato personalmente intimato.

Datum Romae ex Aedibus Nostris hac die 20. Nov. 1691.

(Bull. r. t. VII. p. 271.)

Constitutiones praecipuae editae adversus clericos non incedentes habitu et tonsura a Concilio Tridentino ac deinceps.

Concilium Tridentinum *sess. 14. c. 6. de refor.* innovavit et ampliavit constitutionem Clementis V. in concilio Viennensi editam quaeque legitur in *Clem. 1. de vita et honest. cleric. 3, 1.* his verbis:

Quoniam, qui abjectis vestibus proprio congruentibus ordini alias assumere et in publico portare, rationabili causa cessante, praesumit, professorum illius ordinis praerogativa se reddit indignum, praesenti constitutione sancimus, quod quicumque clericus virgata vel bibartita veste publice utetur (nisi causa rationabilis subsit,) si beneficiatus extiterit, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinet, sit eo ipso suspensus; si vero beneficiatus non fuerit, in sacris tamen ordinibus citra sacerdotium constitutus, per idem tempus reddatur eo ipso inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Idem quoque censemus de clericis illis vestem talem simul et tonsuram publice non deferentibus clericalem. Dignitatem vero, personatum seu beneficium aliud obtinens, cui cura immineat animarum, necnon caeteri in sacerdotio constituti ac religiosi quilibet, quos oportet per decentiam habitus extrinseci morum intrinsecam honestatem ostendere, si (praeterquam ex causa rationabili) publice vestem ferant hujusmodi, aut infulam seu pileum lineum publice portent in capite, sint eo ipso, beneficiati videlicet, a perceptione fructuum beneficiorum, quae obtinent, suspensi per annum. Caeteri vero sacerdotes et religiosi quilibet per idem tempus reddantur inhabiles ad quocumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Sed et tales et caeteri quicumque clerici utentes epitogio seu tabardo foederato usque ad coram et ita brevi, quod vestis inferior notabiliter videatur, epitogium ipsum saeculares clerici et religiosi administrationem habentes intra mensem dare pauperibus teneantur, caeteri vero religiosi administrationem non habentes intra idem tempus illud teneantur suis Superioribus assignare in pios usus aliquos convertendum. Alioquin beneficiati suspensionis, caeteri vero inhabilitatis poenas praedictas per idem tempus se noverint incurrisse.

Huic insuper adjicimus sanctioni, ut clerici, praesertim beneficiati, caligis soccatis, rubeis aut viridibus publice non utantur.

Concilium Tridentinum in dicta sess. 14. c. 6. de refor. haec statuit:

»Quia vero, etsi habitus non facit monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, tanto autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque contemptus, ut, propriam dignitatem et honorem clericalem parvi pendentes, vestes etiam publice deferant laicales, pedes in diversis ponentes unum in divinis, alterum in carnalibus: propterea omnes ecclesiasticae personae quantumcumque exemptae, quae aut in Sacris fuerint aut dignitates, personatus, officia aut beneficia qualiacumque ecclesiastica obtinuerint, si, posteaquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus ac officio et beneficio ac fructibus, redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum, necnon, si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint et debeant, constitutionem Clementis V. in concilio Viennensi editam, quae incipit: *Quoniam*, innovando et ampliando.«

Constitutio Sixti V., quae incipit: »*Cum Sacrosanctam,*« *dici 9. Januarii 1589, cujus tenor est, qui sequitur:*

§. 1. »Quare animadvertentes, quod, qui in sortem Domini ad ejusdem ecclesiae decus et ornamentum sunt vocati et ex eo clerici nomen consecuti quique censu ecclesiastico vivunt, singulari aliquo signo a reliquo populo distingui debent, ne cui eorum jure dici possit, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et ad hoc ipsum

sollicitudinis nostrae obtutus dirigentes, ne sanguis eorum de manu nostra requiratur, cum ingenti cordis nostri dolore invenimus complures supradicta Domini sententia juste redarguendos. Nam eorum plerique, clericali honore neglecto in vestibus laicalibus incedentes, eo se mirifico licet indignos privilegio reddiderunt. Quapropter sacris canonibus, Conciliis generalibus et apostolicis constitutionibus certus circa eorum, qui clericali charactere insigniendi sunt, habitum, aetatem et alias qualitates est praescriptus modus et contra clericos in habitu clericali et tonsura non incedentes imposita poena, nempe ut gratiis immunitatibus et aliis privilegiis clericalibus minime gaudeant; tamen cum injuria temporum et forsan dormientibus pastoribus, inimicus homo pestifera transgressionis zizania superseminavit.

§. 2. Nos propterea his et aliis rationabilibus de causis adducti, ne quis nimia sive pastorum sive temporum indulgentia et impunitate seu oscitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu et propriae salutis dispendio, de cetero abutatur, hac nostra perpetuo valitura constitutione praecipimus et mandamus omnibus et quibuscumque clericis non solum in sacris, sed etiam in aliis minoribus ordinibus constitutis et clericali tantum tonsura insignitis et nedum beneficia ecclesiastica qualiacumque etiam simplicia nunc et pro tempore obtinentibus et in illis vel ad ea jus habentibus, verum etiam pensiones super quibusvis fructibus, redditibus aut proventibus quarumvis patriarchalium, primatialium, metropolitanarum, cathedralium et aliarum quarumcumque ecclesiarum seu abbatialium, capitularium et conventualium mensarum necnon monasteriorum, praepositurarum, hospitalium, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, personatuum, administrationum, officiorum et beneficiorum quorumcumque ecclesiasticorum, saecularium et quorumvis ordinum regularium seu illorum distributionibus quotidianis ac juribus, emolumentis et obventionibus universis sibi reservatas, aut fructus ipsos praediave aut bona ecclesiastica loco pensionum sibi assignatas vel assignata ex quacumque concessione seu dispensatione apostolica percipientibus, etiam conjugatis, praesertim si iidem clerici conjugati juxta constitutionem piae memoriae Bonifacii Papae octavi Praedecessoris nostri, in Concilio Tridentino innovatam, privilegiis clericalibus uti velint, tam in romana curia degentibus quam extra eam ubilibet gentium et locorum constitutis, ut ipsi et eorum quilibet, quantumvis et exempti existant et quovis privilegio vel immunitate gaudeant, quacumque dilatione aut tergiversatione postposita, debeant omnino, qui in Urbe praesentes fuerint, intra quindecim dies, qui vero citra montes intra quatuor menses, qui denique ultra montes constituti sunt, intra octo menses a die publicationis praesentium literarum in romana curia faciendae, tonsuram et habitum clericalem, vestes scilicet talares, aut milites infradicendi, quibus pensiones aut fructus aliave bona ecclesiastica reservata sunt, suae militiae convenientem, quacumque remota excusatione, assumere et jugiter deferre. In futurum autem nonnisi actu clericis in habitu clericali et tonsura, et militibus infradicendis in militari incedentibus, suae militiae propria aut alia quaecumque ecclesiastica etiam simplicia beneficia respective conferantur aut commendentur aut pensiones fructusve aut bona ecclesiastica reserventur.

§. 3. Alioquin ipsos et ipsorum quemlibet, qui quoad gestandum habitum clericalem et militarem supradictum, lapso hujusmodi tempore, eorum unicuique, ut supra dictum est, praefixo, nostris hujusmodi praecepto et mandato nunc et in posterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediverint, praeter alias poenas contra eos inflictas, etiam quibuscumque dignitatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus et praebendis ac beneficiis, etiam simplicibus, et praestimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam vel alias pro tempore obtentis, necnon pensionibus et fructibus, praediis bonisque ecclesiasticis hujusmodi quocumque modo eis reservatis vel reservandis, omnique jure sibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum serie, ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine privamus ac sine ulla alia monitione, citatione, judicis decreto aut ministerio ipso facto privatos declaramus ac tam beneficia ipsa per privationem hujusmodi vacare et libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassatas, extinctas esse et fore ac fructuum vel aliarum rerum reservationes cessare et quemquam ulterius ad illorum solutionem minime teneri, et ob solutionem censuras et poenas aliquas incurrere non posse nec debere decernimus ipsasque

dignitates, personatus, administrationes, officia necnon canonicatus et praebendas, beneficia sic pro tempore vacantia, collationi, provisioni et dispositioni nostrae et romani Pontificis pro tempore existentis perpetuo reservamus.

§. 4. Statuentes sic in praemissis universis et singulis per quoscumque judices et commissarios, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, in quavis causa et instantia judicari et definiri debere; necnon irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari.«

Rigorem hujus constitutionis aliquatenus idem Pontifex temperavit quoad clericos, qui pensionibus ecclesiasticis fruerentur, sequenti constitutione, quae incipit: *Pastoralis, diei 31. Januarii 1589*, idest eodem mense et anno, cujus pars dispositiva est quae sequitur:

§. 1. Nonnulli vero ex clericis praefatis pensiones aut fructus hujusmodi admodum tenues percipientes, alii quoque nostri familiares actu Nobis inservientes, variis obsequiis et ministeriis addicti, qui ultro citroque ubi opus est commeare et accurrere coguntur, idcirco vix possint, sine maximo incommodo, impedimento et dispendio, habitum clericalem suprascriptum gestare,

§. 2. Nos eorum commodis opportune providere eosque specialis gratiae favore prosequi volentes, omnibus et quibuscumque clericis, tam in romana curia quam extra eam ubilibet gentium et locorum constitutis, qui pensiones, fructus aut praedia vel bona ecclesiastica, sibi in una vel pluribus vicibus reservata et concessa, summam seu valorem annuum sexaginta ducatorum auri de camera insimul non excedentes seu excedentia, percipiunt aut percipient in futurum

§. 3. Ac praeterea Nostris familiaribus, Nobis in quibusdam inferioribus ministeriis, quales sunt qui a pedibus seu parafrenarii, mensae dispositores aut credentiarii aut dispensatores vulgo dicuntur, et aliis his similibus servitiis actu ministrantibus, quive in futurum inservient, necnon quibusvis nostrorum intimorum familiarium actu Nobis in palatio Nostro apostolico inservientium familiaribus, continuis commensalibus praesentibus et futuris, qui pensiones aut fructus bonave ecclesiastica loco pensionum usque ad quamcumque summam et valorem nunc percipiunt aut in posterum pro tempore percipient, ut ipsi et eorum quilibet in habitu et tonsura clericali incedere minime teneantur, sed laicali habitu impune et licite uti possint, quo sua munia promptius expeditiusque obire valeant, nec poenis in eadem constitutione inflictis subjaceant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, de speciali gratia concedimus et indulgemus. *)

Constitutio Benedicti XIII., quae incipit: »Catholicae Ecclesiae regimini,« edita 2. Maji 1725 sequentis tenoris:

»Catholicae ecclesiae regimini per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, praesidentes eo potissimum apostolicae vigilantiae studia dirigenda esse arbitramur, ut, qui in sortem Domini vocati sunt ecclesiasticaeque militiae nomen dederunt, ubique irreprehensibiles inveniantur. Maxime siquidem ipsos decet vitam moresque suos omnes ita componere, ut habitu, gestu, incessu aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac religione plenum praeseferant. Quocirca clericos quoscumque, praesertim vero beneficia ecclesiastica obtinentes, teneri vestes honestas et proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant, et, si secus fecerint, etiam poena privationis beneficiorum plectendos esse sacrae Tridentinae synodi decretis, pluribus romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum sanctionibus provide atque salubriter cautum est.

»Cum itaque, sicut non sine maximo animi Nostri moerore, imo etiam horrore percepimus, quorumdam clericorum beneficia ecclesiastica obtinentium audacia et temeritas hodie eo usque processerit, ut in dedecus ordinis clericalis, sacrorum canonum

*) Sixtus V. fel. rec. in suis constitutionibus et in earumdem exsecutione erat formidabilis ceu narrat historia; et pari ratione vindex formidabilis justitiae. Hujus justitiae indicium perspicere mihi videtur in praesenti constitutione. Namque coactus fuit primam constitutionem moderari quoad ministros palatiis addictos: sed ne haec exemptio, etsi justissima, odiosa caeteris videretur, privilegium facile extendit ad omnes universi orbis clericos, qui pensione ecclesiastica fruerentur non excedente annua ducata de camera sexaginta ut dicitur in §. 2

contemptum magnamque animarum suarum perniciem incedere in habitu laicali minime vereantur: Nos gravissimo huic abusui et christifidelium offensioni pro pastoralis officii debito, quantum Nobis ex alto conceditur, opportune consulere cupientes de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquot insuper dilectorum Filiorum romanae curiae praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio ac etiam motu proprio, ex certa scientia et matura deliberatione Nostrae deque apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura constitutione decernimus, statuimus et mandamus, quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt beneficia ejusmodi, clericorum vestes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coerceant et hunc in finem non modo possint sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes domi dimissa copia, quatenus domicilium habeant in eorum respective dioecesi, sin minus per citationes ad valvas, jurisque ordine caeteroquin servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare, ita tamen ut eadem beneficia juxta constitutionem fel. recor. Sixti V. Praedecessoris Nostri incipientem: *Cum Sacrosanctam,**) Nostrae ac romani Pontificis pro tempore existentis collationi, provisioni ac omnimodae dispositioni reserventur et reservata conseantur.

»Praeterea volumus, statuimus et declaramus praedictis clericis beneficiatis in habitu laicali incedentibus minime licere percipere nec facere suos fructus et proventus quoscumque suorum beneficiorum, cujuscumque generis, speciei, qualitatis et valoris existant: quin expresse decernimus et sancimus ejusmodi beneficiatos ex mere facto incessus in habitu laicali, quamvis nulla praecesserit Ordinariorum sententia declaratoria privationis beneficiorum, quae obtinent, imo etiamsi nulla citatio, monitio vel alius judicialis actus in eos fuerit institutus, ipso jure ammissionis et privationis fructuum praedictorum poenam incurrere, itaut illos nullo modo percipere nec perceptos retinere vel facere suos possint: sed ipsos absque ulla prorsus diminutione ad commodum fabricae ecclesiarum, in quibus erecta sunt beneficia, illico sub poena lethalis culpae restituere teneantur; a qua quidem restitutionis obligatione a nemine, praeterquam a Nobis et a romano Pontifice pro tempore existente (sublata ceteris omnibus etiam Poenitentiariae condonandi facultate) eos absolvi et liberari posse volumus, praecipimus et mandamus.

»Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque semper firma et efficacia existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri.« *Sequuntur amplissimae clausulae confirmatoriae et derogatoriae.*

Quod attinet ad privilegia clericorum, qui sacris ordinibus non sunt initiati, id est ad privilegium fori, canonis et alia minora, quae eisdem competant ut privilegium ex *cap. Odoardus*, regnans summus Pontifex declaravit:

Clericum in sacris ordinibus constitutum sive caelibem sive matrimonio junctum, cum quoad ea, quae sacrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 23. c. 6. de refor.* disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendum esse destitutum atque *ipso jure et ipso facto* destitui omnibus clericorum privilegiis ita ut haberi tractarique debeat tanquam persona mere laica, etiam in causis criminalibus et ad effectus poenales, quin jam nunc ac deinceps triplex admonitio sive declaratio ipsum in hanc poenam incidisse opus sit.«

Die 20. Septemb. 1860.

Benedictus PP. XIV.

Date (Episcopi) imprimis operam omnique studio atque ope satagite, ut morum integritas et divini cultus studium eluceat in clero utque ecclesiastica disciplina sarta tecta servetur et ubi collapsa fuerit redintegretur. Satis enim constat nihil esse, quod omnem populum ad pietatem, religionem et christianae vitae institutionem efficacius instruat, excitet, inflammet, quam eorum exemplum, qui divino ministerio se dedicarunt.

Illud maximi momenti est, ut illis animarum cura comittatur, qui doctrina, pietate, castis moribus et illustribus bonorum operum exemplis ita aliis praelucere possint, ut vere lux et sol populi sint et habeantur. Hi nimirum praecipui adjutores vestri sunt in grege vobis credito informando, regendo, perpurgando. . . . Ex quo pronum est intelligere quanti vestra etiam referat, eos ad

*) Vd. *p. 147.*

parochiale off. obeundum eligi, qui ad fructuosam plebium gubernationem merito judicentur aptiores. In id vero potissimum incumbite, ut quicunque animarum curam gerunt, diligenter diebus saltem dominicis alisque festis de praecepto plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando divinae legis capita fideique dogmata et pueros ejusdem fidei rudimentis imbuendo, quacunque prava in contrarium consuetudine prorsus sublata.

Proderit plurimum, ut et qui curam animarum gerunt et alii, qui ad poenitentium confessiones excipiendas destinati sunt, per *aliquod dies spiritualibus exercitiis quotidiannis vacent.*

Epistola Bened. XIV. ad Episcop. die 3. Dec. 1740.
(Bull. r. t. XVI. p. 3.)

Verulana.

Archipresbyteri mores privatione beneficii, depositione a clericatus ordine et perpetua reclusione plectendos esse putat Episcopus ex *Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. de ref. can. 10. et 11. dist. 21, Pirringh. in Jus. can. lib. 5. tit. 17. §. 19. n. 17, Moscat. Inst. can. lib. 5. tit. Jul. Clar. sent. lib. 5. n. 32, Laurent. Jus. can. lib. 5. tit. 5. tit. 16. quaest. 301. n. 2.*

Die 15. Sept. 1821.

Pius Canonicus N. per codicillares tabulas simplex beneficium erigi jussit his verbis: *Mortuo eodem testatore Archipresbyter N. tanquam exsecutor testamentarius citius quam fieri possit erigat et fundet auctoritate et decreto Ordinarii in ecclesia cathedrali ad altare D. perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum, quod nuncupabitur Abbatia S. Domini.* Constituto autem jurepatronatus activo et passivo, ad jurispatronatus passivum quod attinet, voluit, ut eligeretur *clericus aut sacerdos* ex linea masculina familiae M.

Mortuo testatore ejus voluntas religiose exsecutioni mandata est. Nunc illud beneficium simplex juxta legem testatoris possidebat Joannes M. Clericus, qui in beneficio simplici anno 1842 canonice fuerat institutus.

Verum nonnullis elapsis annis Joannes e sua in aliam urbem extra dioecesim demigravit, in qua causidici munus obiens tonsuram et clericalem habitum dimisit Ejus Episcopus per Vicarium generalem dioecesis, in qua Joannes versabatur, eumdem monuit ob vitae rationem ejusdem haud probandam: praesertim vero ob modum habitum saecularem gestandi.

Joannes non bonam famam sibi comparaverat cum ab hac vitâe ratione non desisteret; duo patroni preces admoverunt penes episcopalem curiam, ut per sententiam declaratoriam Joannes privatus beneficio existeret juxta constitutiones Sixti V.: *Cum sacrosanctam**) diei 18. Januarii 1589 et Benedicti XIII. *Catholicae ecclesiae regimini* diei 2. Maji 1725,**) atque inde patronus activus nominare iterum posset, et qui passive nominandus esset, gauderet juribus a testatore statutis.

Vicarius capitularis (sedes enim episcopalis vacaverat), ea omnia, quae sibi a ss. canonibus praescripta videbantur, servavit, priusquam ad sententiam procederet. Quocirca per edicti affixionem ad valvas tum ecclesiae cathedralis tum paroecialis, intra cujus fines beneficii bona sita sunt, die 20. Decembris 1864 citatus Joannes fuit ad omnes juris effectus, ut intra novem dies in tres suetos terminos dispertitos coram ipso Vicario capitulari personaliter sisteret, ut si quid in sui excusationem haberet depromeret. Citati etiam fuerunt quatuor testes, qui ad probandam intentionem ab actoribus expressam idonei reputabantur.

Statuta die tum unus ex actoribus, tum reus tum vocati testes coram Vicario capitulari se stiterunt.

Interrogatus Joannes penitus negavit se habitum clericalem et tonsuram dimisisse: fassus est tamen se tantum barbam comptam gessisse, ut quemdam quo laborabat morbum tegeret. Interrogati deinde fuerunt coram ipso reo quatuor rogati testes, qui juramento interposito unanimes affirmarunt a tribus saltem abhinc annis causidicum Joannem clericales vestes abjecisse.

Expleto testium examine ad insequentem diem processus continuatio causaeque definitio dilata fuit, utroque assentiente, actore scilicet et reo.

*) Vd. *p. 147.*
**) Vd *p. 149.*

Verumtamen Joannes, licet se adventurum spopondisset, non advenit, sed tantum protestationem misit, qua simpliciter asseruerit, verum haud esse, se clericalem tonsuram habitumque dimisisse, nec se indignum redidisse beneficio in quo fuerat canonice institutus: seque adimpleri accurate fecisse obligationes beneficio inhaerentes: ideoque se formaliter protestare adversus quemvis actum sua jura laedentem: seque *(stultissime causidicus adjiciebat)* non alias nisi leges civiles nullamque aliam auctoritatem praeter status civilis auctoritatem agnoscere.

Hac protestatione habita et lecta auditisque procuratoris fisci conclusionibus Vicarius capitularis eadem die sententiam definitivam edidit, qua declaravit constare Joannem tribus abhinc annis deposuisse habitum ecclesiasticum, ita ut incurrerit in poenas, quae comminatae sunt in dicta constitutione Benedicti XIII; ideoque declaravit, eumdem Joannem a beneficio ecclesiastico privatum illudque ad omnem juris effectum vacare. Item declaravit, tempus privationis computandum esse tribus abhinc annis ideoque ad normam dictae constitutionis Joannes teneretur restituere fructus omnes ejusdem beneficii indebite perceptos et fabricae ecclesiae cathedralis applicandos.

Prolata hujusmodi sententia oeconomus beneficiorum vacantium a civili gubernio constitutus *(juxta civiles libertatis altioris ordinis leges, inveterato principio, unicuique suum)* beneficii possessionem accepit, cum illud uti vacans juxta sententiam haberet.

Post hanc sententiam Joannes per duos et amplius menses omnino siluit, donec apud acta episcopalis curiae hanc declarationem emisit: *Infrascriptus patefacit cancellariae episcopali N. se appellare a sententia contra se latam.* Post quatuor et amplius menses supplicem appellationis libellum s. Congregationi Concilii porrexit, quo petiit sententiam infirmari ex eo quod per eam *destitutus fuerit, quin prius juridice citaretur, quin se defendere potuerit, quin ei praefixus fuerit terminus, quo in mora constitueretur aut ad rectam semitam sectandum, si eam non sectaretur, aut ad audiendam sententiam privationis, si tamen id justum esset ad normam ss. canonum et praxis s. Sedis.* Innuebat autem Joannes in eodem supplici libello, se ob levissimas rationes fuisse beneficio spoliatum, idest, quia non resideret et quia non incederet habitu et tonsura: inquiebat, beneficium residentiale non esse, forensia munera, quibus se dicaverat, gesisse ut viveret ob tenues redditus beneficii: se non appellasse ab ea curiae sententia quia ejus exemplar habere non potuerit, quodque deinque indirecte obtinere valuerit, ideoque nunc se velle prosequi appellationem apud s. Sedem: seque implorare suspensionem sententiae sub poena attentatorum et spolii et declarationem nullitatis sententiae cum omnibus inde sequutis *ex defectu citationis*, cum citatus fuerit per affixionem edicti tamquam ignotus et exterus, aut saltem ex capite sententiae injustae Reservatis autem juribus suo tempore deducendis in praesenti instantia innitebatur *defectui absoluto citationis necnon defectui praefixionis congrui termini ad purgandam moram.*

Hujusmodi preces Vicario capitulari de more remissae sunt pro informatione et voto, ut audito promotore fiscali curiae aliisque quorum id interesset praefixo eidem termino ad deducendum jura sua coram s. Congregatione de resultantibus certioraret, tum acta tum caetera documenta ad rem facientia transmitteret. Curia suo muneri plene satisfecit. Joannes tamen licet admonitus nihil deduxit.

Disceptatio synoptica.

Ea quae ex officio sunt animadversa.

Cum ex expositis sponte sua duplex oriretur quaestio, alia circa validitatem interpositae appellationis, quae incidentalis erat; altera autem super sententiae merito: haec quoad primam animadversa sunt: Joannem interposuisse appellationem post bimestre et amplius: dies *fatales**) seu dies utiles ad appellandum utroque jure constitutos esse decem dies a die latae sententiae numerandos, *cap. 15. de sent. et reind.*, in quo legitur: »*Taliter duximus respondendum, quod, cum post decem dierum spatium in auctoritatem transeat rei judicatae, qui ad provocationis subsidium intra id temporis non recurrerit, appellandi sibi aditum denegavit*: item *cap. 36. de fest., cap. 32. de elect., cap. 8. de Appell. in 6.* Quibus consonat jus civile *Authent. Hodie de App.*, in qua legitur: *Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum a sententiae revocatione numerandum*«; item *novel. 23. c. 1.* Quare prorogata appellatione post decem dies jam de causa actum esse, appellationem peremptam et sententiam in rem judicatam transisse, quae pro veritate habetur.

*) Vd. *t. I. p. 657. n. 61.*

Non tamen praetermissa est animadversio, decem dierum tempus non semper a die latae sententiae initium sumere, sed identidem a die habitae notitiae, *cap. 9. de app.*, in quo legitur: »*infra decem dies (postquam sciverit) si velit, appellat.* Quod tamen non ita generatim esse intelligendum, ut ignorantia quaevis suffragetur et in quavis causa; more siquidem inductum esse, ut tum haec aeque interpretatio in judicialibus causis locum habeat, cum reus conventus, contra quem lata sit sententia, contumax fuerit: sed maxime interesse dignoscere, qua ratione cuntumax dici debeat: namque reum, qui in judicio se stiterit quique stata die ferendae sententiae in judicio licet citatus non adfuerit, tamquam praesentem habendum esse sibique culpae esse si sententiam non resciverit: multo aliter dicendum, si contumax quis dicatur, quia nunquam se in judicio stiterit nihilque ex propria contumacia noverit de universa actorum serie sententiaque contra se lata; quo in casu ex quadam aequitate receptum esse, decem dies fatales initium ducere a die habitae scientiae, *Card. de Luca, de judiciis disc. 38. n. 15. et seqq., Scaccia de apell. quaest. 12.* aliique communiter.

Ad meritum causae quod attinet, animadversum est, clericos beneficium ecclesiasticum possidentes habitu et tonsura clericali incedere debere, idque sub gravissimis quoque poenis jussum esse, *Clem. 2. de vita et honest. clericorum*; *Concil. Trid. sess. 14. c. 6. de ref.*, praesertim vero in const. Xisti V.: *Cum sacrosanctam,**) in qua Pontifex habitus clericalis delationem sub poena privationis cujusvis beneficii ipso facto incurrenda districte jussit, ita ut contrafacientes sine ulla citatione, monitione, judicis decreto aut ministerio privatos declaret.

Verum hujusmodi constitutionis rigorem temperatum fuisse in constitutione Benedicti XIII.: *Catholicae ecclesiae***), quae, etsi jubet privandos beneficiis clericos proprii ordinis vestes abjicientes, adjicit tamen: *Et in hunc finem non modo possint, sed etiam debeant* (Episcopi) *contra ipsos procedere per citationes ... jurisque ordine servato sententiam, declarationem privationis obtentorum beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare.*

Hisce aliisque animadversis proposita sunt resolvenda dubia:

I. An sustineatur appellatio Joannis in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An sententia Vicarii capitularis confirmanda vel infirmanda sit in casu?

S. Congregatio Concilii censuit

Ad I.: *Negative.*

Ad II.: *Provisum in primo.*

Die 23. Januar. 1869.

Ex quibus colliges

I. In causis, quae juris ordine servato ventilantur, edita sententia, si facultas formaliter appellandi sit, eam exerceri dumtaxat posse intra decem dies a tempore pronunciatae sententiae, qui ideo fatales appellantur.

II. Ex aequitate identidem concedi appellandi facultatem intra decem dies a die intimationis sententiae, praesertim cum succumbens ideo contumax dicatur, quia nunquam, sive per se sive per procuratorem, in judicio steterit.*)

*) Vd. *p. 147.*

**) Vd. *p. 149.*

*) Hujus aequitatis rationem reddit *Card. de Luca loc. sup. cit.* his verbis: »Ex quadam aequitate de stylo recepta admittitur semper appellatio infra decem dies a die scientiae, quae vere habita sit, ita rationabiliter commiserando partes litigantes, quibus ex negligentia seu ex collusione procuratoris istud notabile parari solet praejudicium non appellando infra legitima tempora.«

Notatu dignissima videntur ea, quae paulo post subdit idem auctor de effectu hujus aequitatis: namque etsi illi, qui proprio veroque sensu contumax dici non possit, ex aequitate conceditur appellandi facultas per decem dies a tempore verae scientiae sententiae, attamen haeç facultas non impedit sententiae exsecutionem; ideoque male ratiocinaretur aliquis hoc modo, prout idem Cardinalis notat: Certa est regula, ut totum id, quod fiat super exsecutione sententiae appellabilis, pendente termino ad appellandum, dicatur attentatum:**) sed in contumace terminus ad appellandum est totum tempus, in quo scientiam certam non habeat: ergo totum id, quod hoc tempore gestum sit, dicendum est attentatum« Notat autem idem auctor, hujus argumenti fallaciam consistere in minore propositione, cum id tempus non sit terminus, qui de jure competat, ideoque impediat quominus sententia transeat in judicatum, sed sit quaedam habilitatio ex aequitate inducta a stylo, ut fieri possit extra terminum id, quod de stricto jure fieri non possit.

**) Vd. *t. I. p. 590 n. 9.*

III. Elapso utili tempore ad appellandum sententiam in rem judicatam transire, quae pro veritate habetur.

IV. Colliges denique, clericum beneficium possidentem si habitu et tonsura non incedat ipso facto beneficio privari interveniente ministerio judicis, qui declaret eum incidisse in poenam.

17) Illegitimus possessor.

(Fructus non facit.)

Reatina.

Illegitimus detentor nullimodo fructus suos facere potest. *Rota in Reatina beneficii 27. Junii 1746. §. 9. et seq. coram Card. Millino.*

S. C. C. die 18. Septb. 1773.

18) Infirmus quando tenetur missas per alium celebrare?

Neapolitana.

Ad dubium: An capellani (beneficiati) pro aliqua die cujuslibet hebdomadae legitime impediti, qui missarum celebrationi per alium sacerdotem satisfaciunt, debeant huic sacerdoti persolvere stipendium pro capellanis statutum vel solam eleemosynam manualem?

S. C. C. resp: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Die 14. Apr. 1725 ad II.

Omne damnabile lucrum ab ecclesia removere volens prohibet constitutio Urbani VIII. 27. Junii 1625 sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat. Attentis his quaeritur:

An hoc decretum habeat locum in beneficiis, quae conferentur in titulum, id est, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

S. C. resp.:

Non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.

Die 5. Julii 1664.

Mediolanen seu Lauden.

Haec causa descripta fuit in folio Congr. habitae die 22. Septembris superioris anni, sed definita non fuit ob superventam notitiam obitus Joannis Baptistae Gambaja capellani, qui controversiam excitaverat. Sed capitulum ecclesiae cathedralis Laudensis haeres Comitis Moroni capellaniae fundatoris cupiens quaestionem definiri pro futuris casibus in jus vocavit coram hac sacra Congregatione Cyprianum Arrigoni successorem capellanum speciali citatione contra eum exequuta die 28. praeteriti mensis Februarii. Et post longam moram illo adhuc non comparente urget pro causae decisione, non obstante contumacia.

Et disputat, Comitem Moroni nudum scripsisse legatum missarum: Si celebri una messa quotidiana sino in perpetuo nella chiesa di s. Nazaro. Et vacationes ex causa infirmitatis limitasse ad decem dies, praescribendo, ut caso, che il sudetto sacerdote, o sacerdoti, che per tempo si elegeranno, non potesse, o non potessero celebrare la sudetta messa per malattia, o altro impedimento, per dieci giorni sarà scusato, e non altrimente: e di poi nanti sia tenuto dirla, o farla dire; altrimenti il mio erede non sia tenuto darli l'elemosina, e la possa far celebrare da altri sacerdoti. Quocirca infert, longiores vacationes non esse capellano indulgendas, tum ex dispositione juris, ad tradita per *Barbos. de offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 24. sub. n. 31*, tum fortius attenta voluntate fundatoris, quae adamussim servanda est, ut firmat *Piton. discept. eccles. 2. n. 4.*

Nec obstare censet, praedictum legatum missarum fuisse in capellaniam choralem erectum authoritate ordinaria, ex voluntate parochi Joannis Baptistae Corbella, qui dotem auxit de bonis suis quique facultatem acceperat a Comite Moroni eligendi sacerdotem pro celebratione, concedendogli ancora ampla facoltà di poter eleggere doppo la di lui morte persona, famiglia, capitolo e loro discendenti, o in che modo più li piacerà, di celebrare o di far celebrare la sudetta messa. — Putat enim, capellanum infirmum eatenus non teneri alium substituere in celebratione missarum sibi incumbentium, quatenus onus habeat celebrandi per se ipsum, quod non constat fuisse injunctum, explicant *Fagnan. in cap. Significatum n. 9. de praebend: Monacell. in append. ad tom. 1. formul. legal. adnot. ad decret. de celebr. missar. pag. 355. n. 6*, et san. mem. *Benedict. XIV. in discurs. relat. per Rigant. ad regul. 24. cancell. §. 5. n. 63*, et quatenus infirmitas longo tempore non sit duratura, ut rejecta opinione *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 6. n. 30. ad 36* de veriori sententia hujus sacrae Congregationis testantur *Passarin. de stat. hom. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120, Monacell. d. adnot. ad decret. de celebrat. miss. n. 7, Rigant. ad regul. 24. cancell. §. 5. n. 65.* et s. m. *Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 7. cap. 72. n. 5*, et *instit. eccl. 26. n. 6.*

Praeterea defendit, erectionem capellaniae nullo in pretio habendam esse, quia non erat in potestate Ordinarii commutare voluntatem pii testatoris, qui simplex legatum missarum reliquerat, ut ex censura sacri Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 5. de reform.* tradunt *Garz. de benef. par. 1. cap. 2. n. 105*, et *Lara de annivers. et capell. lib. 2. cap. 1. n. 23*, itaut erectio in eo, quod repugnat voluntati fundatoris, substineri nequeat etiam ex consensu patroni et ex augmento dotis, ut firmat *Piton. de contr. patron. alleg. 34. n. 23.*

Quod eo fortius, subditur, in hypothesi urgere, ex quo capellaniae erectio demandata fuit a parocho Corbella relative ad testamentum Comitis Moroni — conforme la pia mente del signor Maestro di Campo Morone, aderendo alla di lui testamentaria volontà e facoltà da esso a me conferita nel suo testamento, al quale si abbia relazione. Ideoque extraneas esse generales regulas de capellaniis praescriptas; quia relative ad testamentum Comitis Moroni vacationes ex causa infirmitatis ad decem dies limitantur, et obligatio capellani sumenda est non in abstracto, sed juxta legem fundationis, ut monent *Barbos. de offic. et potest. Episc. d. par. 2. alleg. 24. n. 28*, et *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 6. num. 2.*

Verum eminentissimus Archiepiscopus auditus super precibus capellani Gambaja inclinabat pro validitate erectionis capellaniae ecclesiasticae, ob facultates a testatore tributas ut supra parocho Corbella, cum plena fiducia suae voluntatis; et ex ejusdem erectionis efficacia ei videbatur habere locum censura, *text in cap.: Significatum de praebend.*, quod in ea dioecesi, quoties quis ordinatur ad titulum capellaniae manualis seu laicalis, idonea exigitur fidejussio alicujus aptae personae, quae suppeditet ordinato alimenta in casu infirmitatis etc., nulla autem exigitur fidejussio pro casu infirmitatis de quo supra, quoties quis ordinatur ad titulum beneficii ecclesiastici, in qua quidem ordinatione hic non detrahuntur onera missarum ex redditu beneficii, et proinde annuus redditus sc. octo supra quadraginta monetae romanae sufficit pro titulo ordinandi, etiamsi adnexum habeat onus missae quotidianae. Hinc ordinati ad titulum beneficii ecclesiastici, casu, quo infirmentur, ex interveterata consuetudine vigente apud quoscumque timoratae conscientiae, supplere non faciunt missas, quas infirmi omittunt.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.:

An sacerdos obligatus quotidie celebrare per se vel per alium possit pro tempore infirmitatis ultra decem dies omittere celebrationem et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 23. Aug. 1760.

Interamnen.

Cum beneficiis ecclesiasticis ut plurimum sint adnexa missarum onera, hinc dubitatum olim fuit: An pro sufficienti congrua juxta taxam synodalem computandi sint beneficiorum redditus, deductis oneribus, quibus ea fortasse gravata reperirentur? Opinantur plerique missarum onera esse detrahenda, quando liberum est beneficiato illis vel per se vel per alium satisfacere; secus vero quando missae personalem celebrationem requirunt. Hujus distinctionis fundamentum in eo constituunt, quod in primo casu, si beneficiatus in morbum incidat, cujus causa impeditus sit missam celebrare, debet alteri sacerdoti eleemosynam elargiri, ut missarum oneri satisfaciat, ac proinde si morbus diuturnus sit, accidere posse, ut beneficiatus ad extremam redigatur mendicitatem, cui Tridentinum in demandanda patrimonii constitutione voluit occurrere. Hoc tamen periculum abesset in secundo casu, quia sacerdos, qui per seipsum celebrare tenetur, tempore, quo aegrotat aut alio detinetur legitimo impedimento, nulla afficitur obligatione ce-

lebrandi per alium juxta doctrinam *Leandri* cum aliis ab eo allegatis in *oper. moral. tom. 2. tract. 8. disp. 7. quaest. 19.*

Contra alii arbitrantur in neutro casu missarum eleemosynam esse detrahendam; siquidem *d. Thomas 2. 2. quaest. 100. art. 2. ad 2.* asserit, quod eleemosyna, quae sacerdoti datur pro missae celebratione, sit quasi stipendium suae sustentationis; hinc nullam dicunt adesse rationem, propter quam missarum eleemosyna computari non debeat inter redditus congruae ad patrimonium requisitae; nec in minimo abesse ajunt, quod sacerdos, cui liberum est celebrare per alium tempore infirmitatis, teneatur alteri stipem elargiri, qui missas adimpleat; nam hic casus infrequens est et ad eum jura non respiciunt. Advertunt praeterea, hoc idem periculum obvenire posse, quando beneficiatus per seipsum Sacra celebrare debet, cum eo casu, si ratione morbi a celebratione praepediatur et infirmitas sit diuturna, non solvitur ab obligatione celebrandi per alium ad tradita per *Card. de Lugo de Sacram. Eucharist. disp. 11. sect. 2. num. 48. et 49, Passerin. de stat. homin. tom. 2. quaest. 587. art. 4. n. 1120.*

Die 11. Jan. 1783.

Collen.

Clericus Augustinus Boschi annorum 43 patronus et rector cujusdam beneficii s. Petri adeo obtusae est mentis, ut neque canonicas horas recitare sciat neque spes est, ut hanc obligationem explere valeat. Temporariam hactenus illarum commutationem in alias preces obtinuit, sed de prorogationibus habendis timens rogat S. C., ut dimisso ab eo beneficio illud sibi vel alteri administrationis titulo permittat, qui unico adimpleto annui Sacri onere die festo s. Petri reliquos ei redditus alimentorum causa tribuit. De ejusdem paupertate testatur Episcopus; sed S. C. maluit potius arbitrio Episcopi divini officii commutationem ei indulgere, quam preces administrationis titulo beneficium retinendi admittere.

Die 3. Aug. 1788.

Civitatis Plebis.

Binas anno 1673 ad nutum amovibiles instituit capellanias Antonius Orca »*con peso ed obligo a ciascuno de' capellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento, tre messe in ciascheduna settimana nell' Altare di s. Pontiano Martire esistente nella chiesa cattedrale della città di Pire per refrigerio dell' anima sua, de' suoi etc. volendo, che sempre, ed in perpetuo i medesimi capellani godino il frutto, acciò mai si cessi dalla celebrazione delle sudette messe per ciascuna settimana.* Ea innixi exceptione, *eccetto in caso di legittimo impedimento*, missam in casu infirmitatis pluribus ab hinc annis praetermittere consueverunt capellani per hebdomadam, mensem et ultra. Aegre igitur hujusmodi consuetudinem ferens Vestrum civitatis Plebis Antistes occasione visitationis sacr. Liminum exquirit judicium.

Dubium non est, quin celebrare teneantur capellani per se ipsos, quum aperta in id sit fundatoris voluntas. Ponderandum itaque, num exceptio legitimi impedimenti personalem tantum appellet celebrandi obligationem vel onus etiam celebrationis. Priori namque casu contrariam firmaret regulam, quod capellani legitime celebrare possent per alios; secundo liberaret etiam ab onere supplendi missas durante impedimento; *Piton. discept. ecclesiast. 142. num. 5.* et *de controv. patron. allegat. 33. num. 8., Monacell. form. part. 4. in supplem. ad tom. 1. num. 233.* Ex iis autem verbis »*con peso ed obligo a ciascuno de' capellani di celebrare per se medesimo, eccetto in caso di legittimo impedimento*« restricta videtur ad onus celebrandi per se ipsum, cui immediate adhaeret, per *text. in leg. 1. ff. de regul. jur., Rot. in Recen. decis. 391. num. 1. part. 1.* Idque confirmatur ex sequenti declaratione: »*Acciò mai si cessi della celebrazione delle sudette messe per ciascuna settimana,*« quae respectu ad celebrationem in genere excludere videtur casum impedimenti.

Recepta insuper est distinctio inter onus celebrandi diebus certis et determinatis aliudque indefinitum. Qui designatos habet dies, supplere non tenetur in aliis missas non celebratas, ut supplere non tenetur jejunium, officium et similia, qui ea in tempore omisit; dummodo praeter cultum sacrificii ecclesiaeque servitium volitum non sit suffragium, quo nunquam fraudari debet fundator, *Pasqualig. de sacrific. miss. quaest. 1119. num. 2.* Qui indefinite vero certum in hebdomada celebrare debet missarum numerum, non liberatur ab illarum supplemento, quum absolute volita censeatur celebratio, licet in partes divisa, *Pasqualic. loc cit.* His positis deliberare dignentur EE. Vestrae, quid decernendum in casu, in quo tres fundator hebdomadales missas indefinite praescripsit easque *per refrigerio dell' anima sua, de' suoi etc.*

Licet vero exceptus casus impedimenti (quo nomine venit etiam infirmitas) facultatem tribueret celebrandi per alium, quaerendum adhuc esset de termino obligationis. Si infirmitas est brevis, supplere non tenetur capellanus per alium; secus si est diuturna, *Barbos. de potest. Episc. allegat. 24. num. 31., Covarr. var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 9.* Alii brevem censent infirmitatem dierum octo aut decem: alii ex decreto *Concilii Mediolanensis VII. tit. de miss.* extendunt ad mensem aliique mediam tenent sententiam terminumque statuunt dierum quindecim apud *Cabassut. jur. can. theor. lib. 2. cap. 18. num. 10, Sac. C. Conc. in Romana celebrationis missarum ad III. dubium: an tempore infirmitatis teneatur ad celebrationem missarum per alium? respondit die 17. Septembris 1695: Negative in casu infirmitatis non excedentis quindecim dies. Benedictus* vero *XIV. de sac. miss. lib. 3. cap. 3. num. 6.* decisum refert ab eadem sac. Congregatione die 17. Septembris 1633: Capellanum obligatum celebrare per se ipsum aliquando ex legitima causa vacare posse: sub judice tamen relinquit, utrum supplere teneatur per alium.

Dubium est:

An et quomodo capellani Orca supplere teneantur missas tempore infirmitatis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et teneri per alios sacerdotes.

Die 27. Aug. 1791.

Sacerdos NN. (placuit dioecesis et oratoris nomina supprimere, ut ejusdem famae parceremus) septem supra septuaginta annos natus morbi cujusdam, quo afflictabatur, evellendi causa membri pudendi amputationem ex physicorum consilio pati coactus fuit aliquibus abhinc annis. Quo facto cum ex amicorum consilio et proprii Antistitis suasione, qui eum irregularem inde effectum existimabant, a Sacri litatione abstinuisset, contigit, ut neglecta omnino reliquerit onera adnexa capellaniae sitae in aedicula d. Michaelis Archangeli, qua patrimonii sacri titulo potiebatur idest »*celebrandi per se ipsum non autem per interpositam personam, nisi in casu infirmitatis aut unius similis impedimenti in dicta capella singulis dominicis et aliis de praecepto ecclesiae festivis necnon singulis diebus Lunae, Mercurii et Veneris cujuscumque hebdomadae et aliis certis diebus.*«

Hac de causa vadatus est a promotore fiscali populi nomine sub die 9. Septembris 1838 coram archiepiscopali curia, ut per se ipsum aut per alium si canonico impedimento prohiberetur capellaniae onera persolveret; aliter administrator capellaniae praeficeretur, qui adimpletis oneribus superextantes redditus eidem suppeditaret.

Ast sacerdos ipse ad graviora damna praecavenda maluit, antequam Archiepiscopus suam proferret sententiam, sacrum hunc Ordinem adire supplex ac exposita promotoris instantia et singulis ejus quo tenetur defectus circumstantiis flagitavit: »*A volerlo riabilitare alla celebrazione della messa, giacchè attesa la gravissima povertà sua, e della famiglia gli manca la necessaria sussistenza, e di volere intanto ordinare, che glt venga tolto l'amministratore.*« Easque preces pro meo munere ad Ordinarium remittendas curavi pro informatione et voto sub die 23. Septembris ejusdem anni.

Praestolabamur adhuc Archiepiscopi responsum, quum alius comparuit ejusdem oratoris libellus, quo Vicarium generalem recursum ad s. Ordinem attendere noluisse conquerebatur ac suam ad diem 18. Novembris tulisse sententiam, qua deputavit: »*In amministratore dei beni tutti appartenenti alla v. capella di s. Michele Arcangelo il signor N. N. colle facoltà di erogare la rendita dei medesimi beni nella soddisfazione degli obblighi tutti inerenti ... il residuo poi ordiniamo, che venga consegnato al reo convenuto;*« ac praeterea damnavit illum ad expensas, quae liquidatae sunt ad scutorum 11. 16. Ab hac vero sententia provocare se declarabat flagitabatque *che venga rimesso l'amministratore, ed assoluto l'oratore dall' applicazione de' legati che mediante la proibizione non ha potuto soddissfare.*« Novasque has preces placuit ad eumdem Archiepiscopum dare, ut scitu necessaria referret ac promo-

torem fiscalem desuper audiret, transmissis actis.

Tandem super utrisque meis literis habita responsio est; unde consistere, quae sequuntur:

I. Capellaniae acceptum attingere summam scut. 49. 22. ideoque remanere ab expensis purgatam vim scut. 16. 48.

II. Quoad vitam et mores oratoris binae habitae sunt epistolae ab ejusdem parocho archipresbytero datae, ubi de oratore ipso legitur: »*Ha demoralizzato appieno non questa popolazione, ma sì ancora i limitrofi luoghi per le sue dissolutezze... Per cui avendo contratto il morbo gallico etc.*; in aliis addebatur factum illud esse *publico, ed assai scandaloso accompagnato con satire e motti osceni anche dai fanciulli.*«

Asserebatur praeterea pharmacopolam loci palam confessum fuisse Archiepiscopo sacram visitationem peragenti, sese medicamina ad luem veneream curandam opportuna oratori suppeditasse. Tandem narrabatur, eum ob vitae inhonestatem spiritualibus exercitiis in regulari coenobio explendis fuisse amandatum.

Quoad morbi causam testimonium chirurgi exhibitum est, qui medicam sectionem putavit. Hic autem postquam disseruerit hujusmodi morbum nedum a venereo contagio, sed etiam ab aliis causis originem posse ducere, ita conclusit: »*Il giudizio che da me si richiede intorno alla versa causa, non può pronunciarsi se non con dubbio, e solo posso dire, che il suddetto sacerdote disse essergli provenuto dietro una riscaldazione.*« At non est omittendum, quod refert Praeses municipalis loci, ubi domicilium habet chirurgus ipse, sese scilicet ex illius ore dictum audivisse, quod morbus oratoris ex venereo facinore ortum habuit et epistolam inspexerit oratoris manu conscriptam, qua ipsam hanc causam confitebatur: praeterea publicum rumorem idipsum protendere. Extat etiam epistola a capellaniae patrono ad Archiepiscopum data, qua ipse de oscaena oratoris vita et testatur, expostulat, ut capellania privetur.

Hisce de mala oratoris vita testimoniis subscribens Archiepiscopus haec subjicit: »Unde prae oculis habens omnia menda recurrentis ac praesertim causam permanentem suae suspensionis inflictae, qua nequit amplius celebrare missam, submisse sentirem, benigne absolvendum circa praevaricationes quascumque in antecessum sive respectu beneficii sive respectu personae propriae exclusive, si modo adsint, charactere sacerdotali illustratae«; alibi vero obtestatur ne oratori indulgeatur pro restituenda idoneitate celebrandi missam saltem in hac mea dioecesi.

Promotor fiscalis vero irregularem omnino oratorem esse contendit ac arbitratur: »*che debba dichiararsi giusto l'ordine emanato da Sua Excellenza Rma Monsignor Arcivescovo*; *giusto altresì la sentenza pronunciata da Mons. Vicario Gen.*

Quum porro ad tutiorem negotii definitionem placuisset alios viros auctoritate praestantes de oratoris vita et moribus rogare, ex eorum testimonio constitit mala quidem ejus diffamatio de criminibus maxime inhonestis: ex altero tamen datum est noscere oratorem circa annum 1834 ad bonam frugem se recepisse nec amplius malum de se odorem praebuisse, quare vir ille morbum »*di erpete e calcoli*« quo est afflictatus oratar, ex laboribus in parochiali munere exantlatis eumdem suscepisse arbitratur ac malignorum hominum impudentia, maxime praefati Archipresbyteri vindicta, factum fuisse, ut ejusdem fama propter latam ab eo amputationem pessumdaretur.

Agitur in primo dubio de irregularitate, an eam orator contraxerit. Affirmativam tenet sententiam promotor fiscalis curiae archiepiscopalis duplici confisus ratione, quod orator causam morbo dederit per muliebres congressus; id quod ex testimoniis superius enucleatum satis superque demonstratum existimat. Quum porro actionem directe committere ac in causa esse, cur actio committatur, idem in jure sit, *argum. ex cap. de extero 11., c. Praesbyterum 7, cap. Continebatur de homicidio*, infert inde irregularem eodem modo evasisse, quod talis fit, qui se ipsum propria manu secaverit vel qui rei illicitae dans operam alium interfecerit. Praeterea probatum tum ex iisdem testimoniis existimat oratorem publice fuisse diffamatum ex syphilite contracta et propter inhonestam qua semper usus est vitae rationem adeoque eumdem irregularitati obnoxium etiam ex hoc altero capite permansisse.

Contra orator totus est, ut allata testimonia destruat eorumque fidem evertat. Hinc animadvertit primo eadem opponi pluribus aliis quae profert de bene acta vita testimoniis, inter quae alterum adest triginta oppidanorum subscriptione munitum, ac alterum a praesbytero datum, qui oratoris parochus extitit ad annum usque 1829. Subinde attendendam non esse pugnat fidem parochi ex adverso deponentis, quando omnibus notum est eum odio ac veteri in oratorem vindicta inflammari; ac praeterea homo sit, quem ejus effraenata libido ex binis testibus de facto probata deterrere debuisset a simili testimonio ferendo. Chirurgum, conclamat, si quid alias ex animi levitate de ore sibi excidere passus est, firmam tamen animi sui sententiam significasse, cum formale edidit testimonium superius memoratum. Rumorem denique publice vulgatum unum habuisse auctorem condolet praefatum Archipresbyterum. Rursus perpendit ex praefati chirurgi aliorumque duorum, quos affert, auctoritate non ex venereis tantum congressibus sed aliis plerisque de causis omnino innocuis morbum quo laborat generari potuisse; nec revera in tanto contra deponentium testium catalogo vel unum extitisse, qui eum cum hac vel illa praecisim muliere rem unquam habuisse conficiat, aut ea unquam ostendisse exteriora signa, quae gallico morbo afflictatum plerumque comitantur. Quibus positis infert sese nec causam criminosam morbo dedisse, quem potius ex paraecialibus laboribus suscepit. Atque adeo nec ex sui culpa nec defectu famae dici posse irregularem.

Praestat vero in hac controversia, quam sub iisdem adjunctis a s. Ordine alias discussam reperire datum non est, nonnulla de jure disserere, ut tutiorem edere valeant EE. VV. pro sua sapientia resolutionem.

Sane ex defectu corporis irregularitatem contrahi triplici ex capite adnotant DD., scilicet *1.* quando membri alicujus defectus ministerio sacro persolvendo aliquem facit physice impotem, ex cap: *Exposuisti 6. de corpore vitiatis*; *2.* Quando talem parit deformitatem in ministrante, ut risum et scandalum in populo commoveat, *cap. ultim. dist. 55.*; *3.* Quando, amotis etiam dictis impedimentis, aliquis vel in alios vel in se ipsum saevitia et mala voluntate usus huic amputationi causam dedit, *cap. Si queis abscidit* et *cap. Ex parte 5. de corpore vitiatis.* Atque ad hanc postremam speciem pertinere videtur oratoris vitium; siquidem nullum judicium profertur cur ad primam vel alteram referri possit: ac sane sub hac tertia specie de simili amputatione sermonem habere solent doctores, uti apud *Pirhing. in jus can. lib. 1. tit. 20. de corpore vitiatis num. 11, Garziam de benef. cod. tit. par. 7. cap. 12.*

Jamvero in praefato *capite 3.*: *Ex parte*, unde ista irregularitatis species orta, disponitur: *Ut qui se ipsos, dum sani essent, absciderunt vel effectarunt ut ab aliis abscinderentur, a missae celebratione prohibeantur, si autem sine culpa hujusmodi abscissionem passi fuerint casu fortuito vel hominum malitia vel ob necessitatem, amoto omni impedimento celebrationis et notabili deformitate etiam ad episcopatum promoveri possint.* Quum porro hujus dispositionis ratio ea sit ex textu expresso *cap. 4. dist. 55. cod. tit.*, quia sic abscindens seipsum........ sui est saevitia in semetipsum et injuria facta Creatori, *Leuren. lib. 1. tit. 20. num. 5. et 6. for. eccles., Ferraris verb.: Irregularitas §. octavo, Garzias loco cit. num. 6, Pirhing. loc. cit.*, intulerunt inde canonistae ab eo tantum contrahi ejusmodi irregularitatem, qui propria culpa et voluntate se ipsum mutilaverit vel ab alio abscindi jussit. *Pirhing. loc. cit. num. 11 et 12, Garzias loco cit. num. 7, Pyrrus Corrad. prax. dispens. apost. lib. 3. cap. 4. n. 14* seu extra casum necessitatis, ut explicat *Girald. de poenis eccles. part. 2. cap. 1.*

Hoc posito quod in irregularitatem incidat, qui directe ac voluntarie seipsum ita mutilaverit aut mutilare se fecerit, non dubitatur, quia sic adest ratio legis: uti pariter communis sententia est, eam non contrahi ab eo, qui medicorum consilio ad gravius malum vitandum amputationi se subjecerit, *ex cap. Si quis a medicis., cap. Si quis pro aegritudine* et *cap. Praecepta §. 1. dist. 55, Gonzalez. ad d. titul. cons. 1, Garzias loc. cit.*, quia nempe sic cessat ipsius legis ratio. Gravis controversia est de eo, qui sine proposito directo se mutilandi, causa vero est, ut ab alio mutiletur, idest de eo, qui dando operam rei illicitae membri alicujus interitum reportarit; quod sane themati congruit.

Sicut dans operam rei illicitae, ex qua mors alicujus secuta sit etiam praeter ejus intentionem, est irregularis, ex *cap.*: *Dilectus* et *cap.*: *Ex literis 2. de homicidio*, ita

argumento ducto irregularem renunciandum fore, qui illicite rei incumbens membri abscissionem passus sit, tenent plures doctores, ut *Navar. in manuali cap. 27. num. 198, Suarez. sect. 2. num. 8*, aliique, quos longo ordine recenset *Garzias loc. cit. num. 8.* Hinc eum, qui in rixa fuerit mutilatus vel crimen patraverit, cui mutilationis poena erat adjecta, vel qui deprehensus in adulterio corpore minutus fuerit, irregularem evadere tradunt cum *Leurenio lib. 1. tit. 20. num. 5. et 6. for. eccles.* Et pressius idem tenet *Manuel Rodriguez.* apud *Garziam loc. cit. num. 16. cum aliis ibi* de eo, qui carnaliter cognoverit mulierem morbo gallico laborantem et ex cujus contagio membrum genitale deperdiderit: attento, quod ex tali congressu id soleat accidere; nisi ignoranter eam cognovisset, quam sanam putabat.

Verum doctrinam hanc temperandam esse plerique arbitrantur, maxime ex recentioribus, argumento adamussim inhaerentes deprompto ex homicidio; et quemadmodum in casu secutae ex opere illicito praeter agentis intentionem alterius mortis fieri irregularem advertunt eum dumtaxat, qui rei illicitae incubuit, exponendo se tali periculo, seu ex suo genere periculosae et inductivae homicidii, vel uti periculosae clerico prohibitae, ut post multos relatos a *Garzia loc. cit. num. 11.* firmat idem ipse: ita et in casu amissionis alicujus membri ex opere illicito eamdem conditionem servandam esse concludunt ac sub ea moderatione contendunt explicandos esse casus omnes, quos exemplavimus Punctim de amputatione propter morbum gallicum suscepta, ex ea irregularitatem non contrahi pugnat Garzias *loc. cit. num. 17*: *Quia, licet ista amissio membri processerit ex dicta copula illicita, tamen ea est causa multum remota istius amissionis membri, nam copula est causa contagii et morbus contagio receptus causa cancerationis seu putrefactionis membri: canceratio autem est causa abscisionis illius, maxime cum iste non peccaverit, nisi contra castitatem et charitatem exponendo se periculo talis morbi.*« Consonant eadem ex causa *Ursaja instit. crimin. lib. 2. tit. 5. de crimine hom. num. 150, Reiffenst. de corp. vitiat. num. 32. et 5, Gonzalez ad dict. titul. caus. 1. num. 6, Majolus de irregul. ex morbo gallico lib. 2. cap. 14, Gibalin. de irregul. cap. 3. q. 2. cons. 4. per tot.; Zacchias quaest. medic. legal. lib. 8. tit. 1. qu. 22. n. 9.*

Ceterum de morbo gallico dumtaxat, ut in eodem laborantes irregulares dicantur, communior sententia est, eos tales evadere si morbus foris appareat et hororem ac scandalum generet, *argum. cap. 2. De cleric. aegrot., Bonaccin. disput. 7. q. 2. punct. 2. num. 19. theol. moral.* cum aliis ibi: secus si celari possit, quamvis incurabilis sit et contagiosus, *Zacchia loc. cit.*

Ad defectum famae quod attinet exploratum est nedum ex infamia juris, sed etiam ex infamia facti contrahi irregularitatem, quando scilicet vulgata adest opinio de tali patrato crimine, propter quod delinquentis existimatio apud probos et honestos viros laeditur, licet infamia nec ab ipso jure expresse nec per sententiam judicis irrogetur, *ex cap. ult. de testibus et attest. et cap. 4. de accusat.* necnon argum. *L. Neq. 2. cod. de dignit, Ferraris Biblioth. verb.: Infamia num. 3., Reiffenst. lib. 5. decretal. tit. 17. §. 3. num. 33, Pirhing. loc. cit., Incrius de censuris cap. 11. num. 1, Suarez disp. 48. sect. 2. roman. cons. 208. in princip. injuncto num. 4*, et *Cardinalis Tuschius verbo: Infamia conclus. 107. num. 10, Mansi tom. 3. consult. 215. numer. 7, Garzias de benef. part. 7. cap. 8. num. 12.* et hanc esse s. Ordinis sententiam eruere est ex una *Suessana Irregularitatis 23. Nov. 1816. §. Attamen* et una *Cajetana 14. Junii 1823. trigesima tertia inter summaria precum impressa cura eminentissimi Gamberini §: Deinde.* At id discriminis adesse inter infamiam juris et facti doctores animadvertunt, quod illa nunquam tolli possit, haec vero per laudabilem vitam saltem triennio transactam aboleatur et bona fama recuperetur quoad omnia, *Barbosa de off Episc. alleg. 43. num. 23, Pax Jordanus elucub. tom. 3. l. 14. tit. 17. num. 41, Monacel. form. leg, tom. 3. tit. unic. §.: De irregularitate in particulari formul. unic. n. 14. Mansi Consult. cit. num. 9.* Hinc eum, qui ex praedicta infamia evasit irregularis, non esse proprie talem sed large secundum quid animadvertit *Garzias parte 7. cap. 8. numer. 60.*, et in materia irregularitatis pro regula habendum esse, impedimentum illud, quod absque dispensatione tollitur et potest cessare facto, non esse proprie irregularitatem, *ibidem* et *Gibalinus loc. cit.*

cap. 5. quaest. 4. de infamia facti disserens eam existimat prohibere quidem posse ab ordinibus suscipiendis non autem a susceptorum administratione cum *Bonaccina disp. 7. quest. 3. part. 1. num. 2. disp. 68. num. 37.* Nec sine valida ratione; etenim in praefatis capitibus, unde ista impedimenti species indicta est, sermo habetur tantum de promotione ad ordines, quae prohibetur, minime de susceptorum exercitio; indoles autem ipsa irregularitatis exigit, ne ad alios praeter a lege designatos effectus porrigatur. Ceterum de delinquentibus in sextum praeceptum certa sententia est, neque fornicarios neque concubinarios irregularitati obnoxios esse, *Glos. in cap.: Maximus dist. 8., Mola in cap.: At si clerici n. 14. ac de judicio, S. C. in Beneventana 18. Novemb. 1769 §: Et ad*, etiamsi impudicitiae sordibus notorie inquinatos, nisi servatis poenarum gradibus a Concilio Tridentino praescriptis *sess. 25. c. 14., S. C. Ibid. §: Irregularitas, Fagnan. de cohabit. cler. et mulierum 3. decr. cap.: Quaesitam num. 13 et seq.*

Quod si de irregularitate constare ex aliquo capite EE. VV. judicaverint, agendum venit in secundo dubio de dispensatione, quam postulat enixe presbyter orator intuitu praesertim gravissimae qua premitur egestatis, de qua apertam quoque fidem faciunt et testes ab eodem exhibiti et viri gravissimi, quos super universo hoc negotio interrogandos censui. Porro paupertas aequissima causa semper existit dispensationis etiam ab irregularitate concedendae, ne scilicet sacerdos emendicare cogatur cum sacri ministerii dedecore, *S. C. in Castelli Neron. Irregularitatis 16. Nov. 1760, in Auximana Irreg. 27. Augusti 1789, Fagnan. in cap.: Henricus n. 34. de cleric. pugnan. in duello*, et pressius in ejusmodi corporis defectu haud difficilem esse s. Ordinem, ut dispensationis veniam impertiatur, testatur *Ferraris* verb.: *Irregularitas num. 32.* eruitque ex una *Aesina 13. Mai 1702.* Ita etiam circa diffamatos prostant exempla in una *Vigilien. Dimissorialium 23. Sept. 1673*, ubi diaconus de homicidio accussatus at dimissus ex probationum defectu declaratus, et in una *Meliten. Irregularitatis 10. Nov. 1674*, ubi ex levibus indiciis commissi criminis s. Congregatio dispensavit ad cautelam. Ubi vero de gravi patrato crimine actum est, illud semper prae oculis habuit sacer Ordo, ut criminis memoria obliterata fuerit, in *Reatina Irreg. 8. Febr. 1807 §. Igitur;* ad quem effectum sufficere spatium saltem trium annorum tradunt *Abbas in cap. 21. de accus., Antonel. de regimine ecclesiae lib. 1. cap. 6. num. 17.* Aliquando etiam extra locum patrati criminis Sacrorum celebrationi presbyteros rehabilitavit. Denique mitius agere perpetuo suevit hac super re cum promoto quam cum ad ordines promovendo, *in Calaritana Irregularitatis 19. Januarii 1793.*

Verum praetermittenda non sunt, quae ex adverso disserit Archiepiscopus, cujus est de obliterata infamia et moribus subditorum docere. »Omnia quidem (ita ille) reflectunt adversus oratorem quem gratiae indignum efficiunt. Additur mala vox communis male sonans de actionibus ejus, ita ut gentes, si peragerat modo Sacrum, adesse ecclesiae nollent, sed imo potius terga converterent, ne videant hostiam sanctissimam in manibus sacrilegi mutilati, ut ajunt, ratione malorum quae ab impudicitiae peccato originem duxerunt. Vidi meis oculis et auribus audivi furorem et concordes querelas populi.« In tertio dubio disputandum est de episcopalis curiae sententia, an ea substineatur. Negat id vehementer orator duplici innixus momento, quod nempe jurisdictio defuerit, quod sapiat injustitiam.

Reapse ignorat nemo, quod, quando aliqua ex ss. Congregationibus preces suscipit alicujus, Pontifex ipse recepisse dicendus sit atque adeo ad illud negotium manus apposuisse, ut ait s. Congr. in *Camerinen. Capellan. 20. Decemb. 1834 §: Nullum.* Simul ac igitur orator supplicem dederat libellum s. huic Ordini atque hic eum susceperat remittens ad eumdem Antistitem pro informatione et voto, potestas omnis in inferiori judice, idest in archiepiscopali curia, desierat super negotio ipso pronunciandi, quodque pronunciatum fuerit nullitatis vitio laborat, ut enim inquit *Pignatell. cons. 67. t. 4. n. 4*: *Ex quo Pontifex uti superior se ingessit sicque manus imposuit, non licet amplius inferiori se obtrudere; ligatur quippe appositione manus Pontificis manus Ordinarii etiam ignorantis, cum ipsa contineat in se inhibitionem ipsaque habet vim decreti irritantis, itaut mox acta per judicem inferiorem sint omnino irrita.* Concordat *Lancellot. de attent. cap. 10. n. 7, Menoch. cons. 83. n. 13.*

Injustitia vero sententiae arguitur ex quo judex, antequam ad extremam privationis administrationis poenam procederet, debuerit ex oratoris mente monitiones praetermittere, argumento ducto ex Conc. Trid. *ses. 25. cap. 14. de ref.* ac morae purgationem largire praesertim in casu, ubi orator morbo et paupertate pressus oneribus capelaniae satis non fecit, non prava voluntate. Atque hic falsum omnino asseruisse promotorem fiscalem clamat, dum asseruit ipsum in deteriorem conditionem capellaniae praedia conjecisse, exhibitisque pluribus testimoniis conficit, ipsum immo et vitibus et arboribus haud exiguo numero praedia eadem auxisse: jamvero, ut quis propter bonorum dilapidationem beneficio privetur, concludenter probanda est dilapidatio. *Rota cor. Penia dec. 600. n. 5. et 6.* et *cor. Priolo 11. Febr. 1667. dec. 59. n. 4.*

Porro promotor fiscalis episcopalis muneris esse principaliter cavere, ut defunctorum piae voluntates sanctissime adimpleantur, maxime si res sit de celebratione missarum (*Benedictus XIV. de synodo dioec. lib. 13. cap. ult.)* Huic itaque satisfecisse archiepiscopalem curiam contendit, dum judicium in oratorem prosecuta est usque ad deputationem administratoris, quod secus retardatum gravissimum attulisse defunctorum animabus detrimentum. Quum vero s. Congregatio nullam in literis pro informatione et voto ad Ordinarium datis apposuisset clausulam, qua nihil innovandum aut a caepto judicio supersedendum esse juberetur, eas merito moras non attendisse curiam arbitrantur, quas dolo malo nectere studebat orator, ut interim capellaniae fructus absumeret.

Nec iniquam pergit imo necessariam fuisse administratoris deputationem, quando constat capellaniae fundos in pessum ire quotidie ex capellani negligentia et propter solam suspicionem dilapidationis privari potest possessor commodo possessionis ad text. *in cap. ult. in fin. de accusat. gloss. in cap. 1. in fine, verbo: Deferre crucem ut lit. pend., Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 33. n. 46, Lanzellot. de attent. lit. pend. in declarat. ex n. 20.*

Subjiciuntur postremo loco preces pro absolutione oratoris quoad missas hactenus non celebratas: unica ab eo adducitur ratio, gravissima egestas. quae impotem eum reddit ad supplendum: *Gli sono state tolte* (accipite PP. Emi querelas miserrimi presbyteri) *tutte le rendite della capellania conferitagli in patrimonio sacro, ed ora è costretto nell' età decrepita ed inferma andare elemosinando. Di più ritrovarsi una cognata di 85 anni, un nipote sempre infermo, ed un' altra nipote colla famiglia, i quali tutti vivono coll' ajuto dell' oratore, ridotti ora son tutti uella più inesprimibile desolazione, che desta in tutti la compassione.*

Quod obligati paupertas aequam suppeditet absolutionis causam, ex sac. Ordinis disciplina non ambigitur *(in Spoletana Reduct. missar. 29. Nov. 1792)*, in themate favet oratoris voto etiam Ordinarius.

Sed EE. VV. definient dubia:

I. *An constet de oratoris irregularitate in casu?*

Et quatenus affirmative:

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

III. *An et quomodo sit confirmanda vel infirmanda sententia curiae archiepiscopalis diei 18. Nov. 1839 in casu?*

IV. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritas missarum omissiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. III. et IV: Ad Dominum Secretarium cum SSmo juxta mentem.

Die 22. Maji 1841.

19) Institutio.

Vd. *Institutio canonica.*

20) Ministrans et inserviens in functionibus pontificalibus.

Vd. *Conferentiae; Beneficiatus* (assistentia p. 136 n. 6.)

Vd. *t. I. p. 1132. n. 1.*

Clerici non possunt cogi ab Episcopo ad praestandum aliquod servitium non expressum in jure; *c.: Quia cognovimus 6. caus. 10. q. 3.* Et per hoc fuit alias responsum, Episcopum Burgi s. Domini potuisse quidem invitare, sed non compellere clericos suae civitatis, ut interessent litaniis beatissimae Virginis, quas in sabbato decantari jusserit in sua cathedrali ecclesia. Et alias responsum est clericos non habentes officium vel beneficium ecclesiasticum cogi non posse ab

Episcopo ad processiones accedere. Sic refert et tenet *Fagnan. in c.: Conquerente 16. de offic. Ordinar. num. 8.* et *Barbosa verb.: Processio num. 5. in collectan. apost. dec.*, ubi refert sacram Congr. Conc. *9. Maji 1597* expresse decrevisse, quod processionibus publicis interesse non sunt compellendi ab Episcopo sacerdotes nullum officium aut beneficium ecclesiasticum in civitate vel dioecesi obtinentes.

Sic enim simplices sacerdotes non habentes officium neque beneficium in ecclesia cathedrali non possunt per Episcopum cogi ad eidem et Canonicis inserviendum in functionibus ecclesiasticis, seu munere diaconi vel subdiaconi in missis cantatis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit sacr. Congreg. Conc. apud *Nicol. lucubrat. canon. lib. 1. tit. 22. num. 3. et 4*, in *Sarnen. Servitii ecclesiae 17. Jun. 1600*, in *Nullius s. Laurentii in campo 27. Jan. 1691.* Sola enim potestate ordinaria Episcopus hoc praecipere et statuere nequit; nec minus mulctis presbyteros simplices non de gremio capituli, si non inserviant, gravare, ut declaravit eadem sac. Congr. Concil. *in terminis paucitatis numeri mansionariorum* in *Auximana 17. Augusti 1702.* et in *Signina 15. Dec. 1703.* Nisi adesset contraria consuetudo, ut decrevit sac. Congreg. Conc. in *Trojana 20. Sept. 1704* et in *Bellocastren. Servitii 15. Novembr. 1670. et 21. August. 1706.* Vel nisi ageretur de clericis pro necessitate et utilitate Cathedralis ad titulum patrimonii ordinatis, quae cum eis indigeat, possunt cogi ad inserviendum, dato illis assignamento competenti pro servitio, ut respondit sac. Congreg. Episcop. et Regular. *Archiepiscopo Cosentino 5. Apr. 1593.* et sacra Congregat. Concil in *Naxien. 22. Aug. 1631*, ut sequitur: Ad 2. respondit: Si hujusmodi sacerdotes ad servitium ecclesiae cathedralis in ipsa ordinum susceptione vigore decreti praedefuncti Archiepiscopi hactenus executioni demandati eidem ecclesiae servitium praestare consueverint necnon patrimonia, ad quorum titulum sunt ordinati, una cum redditibus extraordinariis, qui ex ipsa ecclesia percipiuntur, ad honestam ipsorum sustentationem sint sufficientia, posse utique a suo Archiepiscopo compelli ad praestandum servitium, quod ejusdem ecclesiae necessitas et utilitas requirit.« *Lib. 14. decr. p. 491.*

Et dato quod ob parvum numerum Canonicorum et deficientiam mansionariorum servitium ecclesiae cathedralis detrimentum pateretur, tunc erit recurrendum ad sac. Cong. Conc., quae solet indulgere, ut possint cogi presbyteri, qui habent beneficia vel capellanias in cathedrali, ad inserviendum missis solemnibus pro diacono vel subdiacono, assignata illis aliqua emolumentorum portione, prout indulsit Episcopo *Civitatis Plebis sub die 21. Jun. 1631* tribuens eidem sequentem facultatem:

»Eminentissimi Patres impertiti sunt Episcopo facultatem, ut pro necessario servitio suae ecclesiae cogere possit quolibet die festo duos ex obtinentibus beneficia seu capellanias in eadem ecclesia, ut, dum missa decantatur, duo ex eis per turnum inserviant, alter in officio diaconi, alter in officio subdiaconi, et pro eorum stipendio applicanda esse quolibet anno scuta decem monetae ex mulctis et poenis curiae episcopalis, quae inter dictos beneficiatos, habita ratione servitii praestiti, in fine anni dividi debeant.« *Lib. 4. decret. pag. 459.*

De se enim et sola sua facultate ordinaria nequit Episcopus compellere clericos sacerdotes habentes beneficia personalem residentiam non requirentia, et tanto minus clericos non beneficiatos, ut ecclesiae cathedrali inserviant, neque pro totis diebus festis, ut declaravit s. Congr. Conc. in *Americana 15. Juni 1639. lib. 16. decr. pag. 137.* sic rescribendo: »Ab Episcopo non potuisse sacerdotes et alios clericos nulla vel tantum simplicia beneficia obtinentes etiam dioecesanae synodi auctoritate compelli, ut dominicis et aliis diebus festis ad ecclesiam cathedralem accederent et missis majoribus et aliis divinis officiis intersint, sed si aliquis adesset in ordinatione servitio dictae ecclesiae cathedralis adscriptus, qui locum inconsulto Episcopo desereret, interdicendum erit tantummodo Sacrorum exercitium juxta *cap. 16. sess. 23 de reform.*« Et de simplicibus sacerdotibus, quod non possint compelli ad interessendum et assistendum functionibus ecclesiasticis in Cathedrali, adest resolutio sac. Congregationis Episcoporum in una *Castri Maris 20. Martii 1692. emanata partibus informantibus ad relationem clarae mem. Cardin. Petrucii*; et concordant decreta.

De jure simplices presbyteri, qui de red-

ditibus ecclesiae non participant, cogi ab Episcopo nequeunt ad ullum ipsi servitium praestandum. Dubitari vero potest, num aliquid novi hac in re statuerit Concilium romanum *tit. 6. cap. 2.* Verum recte perpenso hoc Concilii romani loco perspicuum est, ipsum non de presbyteris, sed de clericis aliisque in sacris constitutis sed nondum presbyteris loqui, ut sensit s. Congregatio Concilii interpres in *Segnen. Decretorum 2. Novembris 1749. ad dub. 11.* Conceptum enim ita erat dubium: *An aliud decretum in visitatione editum, quo praecipitur, ut omnes presbyteri praeter legitime impeditos interesee teneantur missae sacrificio per unum Canonicum cum expositione ss. Sacramenti in quolibet die Jovis celebrare solito sub eadem poena sustineatur?*

Respondit s. Congregatio: *Negative et esse hortandos, sed non esse cogendos.*

21) Missam fundatam ipsene celebrare debet?

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus — dispensatio non concessa, decret. *Regien* et *Sabinen*; dispensatio concessa — decr. *Forosembronien*, *Placentina.*); *Titulus ad ordinationem* (beneficii — discursus secretarii); *Beneficiatus* (missam etc. per substitutum etc.)

a) Dispensatio ab obligatione concessa.

Bononien.

(Conc. Tr. c. 3. sess. 22; c. 12. s. 24 de ref.)

In ultimo testamento jam olim condito de anno 1309 Joannes de Captaneis loci de Monterono disposuit, ut propriis filiis masculis quantocunque decedentibus sine liberis fundaretur capellania in ecclesia collegiata Castri s. Agathae certa quaedam bona pro illius dote specifice assignando, cujus juspatronatus adjudicavit Friderico suo fratri et illius filiis masculis, hisque deficientibus ad communitatem d. Castri s. Agathae deferri voluit atque ejus capellano id onus injunxit: *quod ad ipsam capellaniam semper eligatur sacerdos idoneus et sufficiens, qui continuam faciat et facere debeat residentiam in Castro s. Agathae praedictae et ad ipsum altare et in d. ecclesia celebrare divina officia et missas debitis modis et temporibus.* Hinc facto casu obitus filiorum testatoris sine liberis deventum fuit de anno 1407 ad fundationem d. capellaniae, auctoritate ordinaria erectae in beneficium ecclesiasticum sacerdotale, sub invocatione s. Matthaei, et onus capellano injunctum fuit per haec verba: *Quod capellanus praesentandus et instituendus ad d. altare sit sacerdos jam ordinatus, qui in d. Plebe s. Agathae residere teneatur et quod singulis diebus, justo impedimento cessante, celebrare teneatur et missas et divina officia in dicta ecclesia s. Agathae ad altare praedictum*, ut latius ex instrumento fundationis exhibito cum inserta forma testamenti.

Obtinet modo id beneficium Petrus Maria Sibiranus, qui expertus aërem loci s. Agathae propriae saluti obnoxium humillime supplicavit huic S. C. sibi indulgeri, ut saltem pro sex mensibus aestivis periculosioribus satisfacere possit per alium sibi injuncto missarum oneri; eminentissimus Archiepiscopus desuper informare requisitus refert, quod testator devinxerit beneficiatum ad servitium chori, quo tempore d. ecclesia erat collegiata, atqui cessata ab immemorabili tempore collegialitate nulloque jamdiu servitio chori existente hoc beneficium evaserit simplex absque onere residentiae et celebrandi per seipsum, quemadmodum simplicia evasere caetera beneficia et canonicatus in ea existentes; sed quatenus judicetur remansisse obligationem celebrandi per se ipsum, adhuc censet eminentissimus relator oratoris precibus annuendum ob illius loci aërem insalubrem saluti ipsius oratoris aestivo tempore infensum. Hac causa relata per summarium in Congregatione die 12. Januarii praeterlapsi jussum fuit, ut poneretur in folio, quemadmodum hodie proponitur sub dubiis ab EE. VV. sapienter decidendis:

I. *An capellanus teneatur residere et per seipsum missas celebrare?*

Et quatenus affirmative;

II. *An sit indulgendum, ut celebret per alium saltem per sex menses anni in casu etc.?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II. Affirmative pro quatuor mensibus aestivis ad biennium arbitrio Ordinarii.

Die 1. Juni 1709.

Gerunden.

Petrus Fabrega presbyter beneficiatus collegiatae ecclesiae s. Felicis in instrumento piae donationis, quam fecit anno 1710, constituto idoneo fundo jussit unum missae sacrificium quotidie fieri a Dignitatibus, Canonicis ac beneficiatis ejusdem ecclesiae ad altare ibidem dedicatum b. Virgini Mariae de De los desemperaos, certa hora ab ipso testatore praescripta. Facultatem tamen sibi ipsi reservavit nominandi aliquem ex addictis eidem collegiatae ecclesiae ad hujusmodi capellaniam obtinendam. Haec autem fundatio cum conditionibus insertis approbata etiam fuit a capitulo, quod ejus executionem in se recepit.

In testamento, quod idem Petrus Fabrega postmodum condidit, utens facultate sibi reservata nominavit ad peragendam dictae quotidianae missae celebrationem Franciscum Fabrega pronepotem suum ejusdemque collegiatae ecclesiae Canonicum his verbis: »Jtem attentendo, quod in instrumento etc. institui et fundavi in dicta insigni seculari et collegiata ecclesia s. Felicis missam eleemosynae octo solidorum Barchin. reservando mihi facultatem eligendi et nominandi aliquam personam ex residentibus in eadem ecclesia pro celebratione, ideo utendo dicta facultate cum praesenti eligo et nomino d. rev. Franciscum Fabrega Canonicum d. ecclesiae pro-nepotem ad hoc, ut obitu meo secuto celebret durante vita sua d. missam quotidianam.« Vita autem jam functo testatore capitulares ii, qui appellantur protectores anniversariorum, arbitrati sunt debere dictum Canonicum Franciscum Fabrega per se ipsum satisfacere injunctae celebrationi quotidianae missae. Canonicus vero putat sibi fas esse adimplere etiam per alium; et in eadem sententia quoque est Episcopus.

Favere enim sibi ait Canonicus fundationem ipsam, quia, cum non sit in ea cautum, ut, qui ad quotidianae missae celebrationem delectus a fundatore fuerit, huic oneri per se ipsum deberet satisfacere itemque hujusmodi lex non fuerit expresse apposita in electione ipsius Canonici, permissum censetur satisfacere etiam per alium, ut docent *Fagnan. in cap.: Ut Abbates n. 84. de aetat. et qualit.*, *Rot. decis. 825 cor. Merlin.* et saepius fuit ab hac sac. Congregatione definitum.

Fundatorem ea mente fuisse clarius etiam conjici putat Canonicus Fabrega, ex quo in eodem testamento explicante nominationem ipsius Canonici ad memoratam capellaniam fundator aliam adjecit fundationem pro missae sacrificio quotannis faciendo die sacra bb. Apostolis Petro et Paulo et septem consequentibus diebus. Eas vero missas jussit celebrandas primum a Sebastiano Falgons et post ejus obitum (qui jam contigit) ab ipso Canonico Fabrega, quem fundator nominaverat ad quotidianam capellaniam obtinendam. Si autem eo animo fuisset fundator, ut ex vi capellaniae prius institutae Canonicus Fabrega quotidie per se ipsum satisfacere deberet oneri celebrationis missae, non potuisset eidem homini committere celebrationem alterius missae per octo illos dies ex vi secundae fundationis.

At administratores respondent, quod, cum fundatio celebrationis missae quotidianae sit potissimum directa in Dignitates, Canonicos aliosque beneficiatos ecclesiae collegiatae, censetur ejus injuncta celebratio per se ipsos, ac proinde sicuti post obitum Canonici Fabrega Capitulares huic oneri satisfacere per se ipsos debebunt, ita etiam per similem modum intelligatur commissa Canonico Fabrega celebratio dictae missae quotidianae, et solum ille possit per alium sacerdotem satisfacere alteri oneri missae celebrandae in solemnitate SS. Petri et Pauli septemque sequentibus diebus.

Sed et alia occurrit difficultas, judicio sac. Congregationis dirimenda, videlicet: an Canonicus Fabrega sive alter pro eo celebraturus dictam quotidianam missam teneatur eam celebrare in altari dedicato B. Mariae De los desemperaos certaque hora a fundatore praestituta. Existimat quippe Canonicus Fabrega, (cui etiam adstipulatur suffragium Episcopi) eum non affici istiusmodi conditionibus, sed eas tunc solum fore servandas, quando post obitum ejusdem Canonici onus quotidianae celebrationis transferetur ad Dignitates, Canonicics aliosque beneficiatos, id scilicet deducendo ex verbis instrumenti fundationis, ibi: »Morte vero illius (nempe qui electus ab ipso fundatore fuerit) secuta praesens institutio et fundatio habeat et teneat suum debitum sortiri effectum;« et inferius, ibi: »Vita mea et dicti rev. Residentis (casu quo illi relinquam ac dimittam celebrationem missae quotidianae) finita et

extincta cessent ac cessare debeant dictae respective annuae pensiones ac praestationes et tunc dicta institutio dictae missae quotidianae incontinenti incipiat suum debitum modo et forma praedictis sortiri effectum.«

Verum perpendi oportet, an conditiones respicientes locum et tempus celebrationis missarum adeo inhaereant juxta fundationis legem ipsi oneri celebrationis, ut eas servari necesse sit a quocunque, cui illud onus sit demandatum: tum et illud, an non quidem suspensa fundatio dictae eelebrationis, dum vixerit Canonicus Fabrega, fuisse videatur, sed solum illi tributa per electionem fundatoris praelatio in missarum celebratione et in assignati emolumenti assecutione, sed tamen firmis servatisque ceteris conditionibus circa locum et horam peragendae celebrationis.

Denique est etiam considerandum, an ad interpretandam fundatoris mentem conferre quidquam possit declaratio ab eo facta circa alias octo missas quotannis celebrandas, de quibus supra habitus est sermo. Inquit enim: dictae missae celebrentur hora illis celebrantibus benevisa.

Definiendum itaque erit:

I. *An Canonicus Fabrega teneatur per se ipsum celebrare missam quotidianam, de qua agitur?*

II. *An onus celebrandi dictam missam quotidianam certis horis ac in ecclesia et in altari a fundatore designatis afficiat dictum Canonicum Fabrega in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative.

Die 20. Mart. et 3. Apr. 1731.

Civitatis Castelli.

Marchionissa Margarita Berioli haeredes sibi ex asse scripsit Comitem Gasporem Antonium fratrem ejusque filios masculos »con peso ed obligo, che subito seguita la mia morte debba far celebrare con gli annui frutti de miei beni ereditari ad un capellano da nominarsi, come abbasso, messe sei la settimana per suffragio dell' anima mia in perpetuo all' altare e capella di s. Gio. Battista esistente nella chiesa de' PP. di s. Agostino, e spettante a signori Buffalini, dove io sarò sepolta, e siino tenuti dare ogn' anno al capellano sudetto per la celebrazione di dette messe scudi quaranta, e scudi sei parimente ogn' anno ai P. P. di detto convento, acciò somministrino al capellano cera, paramenti sacri, ed altro necessario per la celebrazione di dette messe, il qual capellano, voglio e dichiaro, che debba essere perpetuo e non possa rimoversi per tutto il tempo di sua vita, come ancora sia perpetua la detta capellania etc., e per primo capellano di detta capella nomino e dichiaro, che sia il signor. D. Andrea di Gio. Paolo Serafini da Preggio, e dopo la di lui morte voglio il jus di nominare il capellano sudetto spetti ed apartenga al signor Conte Gasparo Antonio Berioli, e descendenti legitimi e naturali in perpetuo;« sunt verba Testamenti sub annum 1693 conditi.

In codicillis vero postmodum confectis recedens a nominatione primi capellani in testamento facta declaravit: »Che per la prima volta ne sia capellano e per tale in primo luogo nomina il signore Abbate Flavio Fucci da questa Città di Castello, e che detta capella sia perpetua con obligo al d. signore Abbate primo capellano, come sopra nominato, celebrare o far celebrare in sua assenza al medesimo altare perpetuamente messe quattro la setimana e simil peso debba adempirsi successivamente in perpetuo dagl' altri capellani nominati a detta capella.«

Defuncta testatrice Flavius Fuccius, ut supra, in primum capellanum nominatus missas praedictas modo per seipsum et modo per alios presbyteros a se substitutos persolvit, donec anno 1711 dubitans, num sibi licitum esset pro hujusmodi oneris adimplemento alium sacerdotem substituere seu potius per seipsum satisfacere obstringeretur, postulavit, ut super hac re, quid juris esset, ab isto sacro consessu definiretur, sed postmodum audiens, Episcopum, cujus votum exquisitum fuerat in ea esse sententia, quod oratori liberum foret dictas missas per alium celebrare, neglecta prosecutione instantiae pridem expositae, eas partim per presbyteros seculares et partim per religiosos conventus s. Augustini celebrari curavit.

At eodem Flavio Fuccio sub initium superioris anni defuncto, cum Marchio Ludovicus Borbonius de Monte ipsius haeres fiduciarius compererit ejus haereditatem esse

creditricem Comitis Philippi Berioli moderni haeredis supradictae testatricis in scutis 400 ratione annuarum praestationum, quae pro dictarum missarum celebratione memorato Flavio eousque persolutae non fuerant, institit, ut ea sibi traderentur: e converso autem praefatus Comes Philippus Berioli sub obtentu, quod Flavius, celebrando missas per alium, oneri, quo gravabatur, non satisfecerit, opposuit se a rev. fabrica s. Petri super earumdem missarum celebratione non adimpleta compositionem reportasse: quocirca, instituta quaestione super ejusmodi compositionis validitate, cum agnitum fuerit eam pendere ab inspectione an praefatus Flavius teneretur necne dictas missas per seipsum celebrare, eminentissimus Pro-Auditor Sanctissimi, coram quo super pertinentia causae disceptatum est *quoad declarationem oneris celebrandi per seipsum vel per substitutum*, remisit causam ad sacram Congregationem Concilii, praefixo termino duorum mensium ad reportandam dictam declarationem, et in reliquis ad Congregationem rev. fabricae, suspensa interim executione compositionis.

In hujus itaque decreti sequelam, cum dubium infrascriptum supremo Eminentiarum VV. oraculo decidendum proponatur, Marchio Barbonius de Monte, ut evincat, Flavium Fuccium licite potuisse substituere alium sacerdotem, qui missas a testatrice praescriptas celebraret, innititur regulae passim receptae, quod in hujusmodi capellaniis missarum celebratione gravatis, nisi verba disponentis sint adeo stricta, ut imponant expresse capellano onus celebrandi per se ipsum, facultas adimplendi per alium nunquam adempta censeatur, juxta firmata in *dec. 825. coram Merlin.*, et juxta ea, quae saepius resolvit haec sacra Congregatio, et signanter in *Sabinen. Capellaniae 8. Martii 1684.*, *in Interamnen. Capellaniae 3. Februarii 1685.*, et in *Romana Capellaniae 29. Augusti 1722* relatis per extensum in summario ejusdem Marchionis de Monte *num. 10.*, *11. et 12.*, quibus addi potest rescriptum novissime editum in alia *Romana Capellaniae*, ubi disceptato dubio:

An capellanus teneatur missas celebrare per se ipsum in casu?

Die 28. mox elapsi mensis Aprilis responsum fuit: Negative.

Verum Comes Berioli, tametsi regulam praemissam non omnino inficietur, contendit tamen, plures in hypothesi concurrere peculiares circumstantias, ex quibus compertum fiat, Flavium Fuccium alterius sacerdotis ministerio uti non potuisse: Primo nimirum, quia testatrix, dum illi expresse potestatem fecit celebrandi per alium in casu absentiae, satis aperte ostenderit, mentem suam fuisse, ut, eo casu cessante, per se ipsum celebrare teneretur secundum ea, quae dixit *Rota in dec. 403. num. 3. et 4. part. 12. recen.*; secundo, quod eadem testatrix ideo numerum sex missarum, quas in testamento celebrandas praescripserat Andreae de Seraphinis, ad quatuor tantum reduxerit in codicillo, ubi in capellanum nominavit Flavium, quia ipsum gravare voluerit onere celebrandi per se ipsum, ita scilicet compensato majori personalis celebrationis incommodo cum notabili missarum diminutione; tertio, quod hoc revera in votis habuisse testatricem constat etiam ex teste, qui praesens confectioni codicilli nuper haec verba deposuit: »Sentii benessimo che detta signora Marchese Margarita disse, che era contenta di nominare in capellano etc. il signor Abbate Flavio Fucci, ma che voleva, che l'officiasse da se stesso, e questo io lo sò, perchè, come ho detto, mi ritrovai presente;« quarto demum, quod ipsemet Flavius, si non plene conscius praemissae voluntatis suae benefactricis, de illa saltem dubius adeo foret, ut necessarium duxerit, super ea re sacram Congregationem consulere: neque dicendum sit, omnem subinde dubitationém deposuisse post auditum Episcopi sensum in ejus relatione accepta, cum negotium istud maturiori examine indigere censuerit edito sub diem 2. Junii 1611. rescripto, ut causa poneretur in folio, inde potius elicitur nullo bonae fidei velamine obtendi posse negligentiam Flavii, qui pro habendo s. Congregationis responso nullam posthac operam voluit impendere.

Omnibus igitur ponderatis pronunciare oportet:

An sacerdos Flavius potuerit substituere alium sacerdotem vel potius obstrictus esset missas celebrare per se ipsum in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam, et amplius.

Die 4. Aug. 1736.

Signina.

Beneficium erectum in rurali ecclesia diruti Castri Plumbinariae unum est ex illis numero pluribus, quae ad extinguendas lites super horum collatione exagitatas inter Episcopum Signinum ac Baronem Fendi Vallis Montanae san. mem. Urbanus VIII. primum suppressit ac deindè per literas apostolicas die 18. Martii 1638 ex integro erexit cum juribus universis et »cum iisdem servitiis et oneribus antea cuilibet eorum incumbentibus,« collato in eumdem Baronem illorum jurepatronatu. Idemque beneficium illud est, de cujus oneribus san. memor. Innocentius X. ad preces Principis Camilli Pamphilii patroni declaravit: »Omnes et singulas missas, quarum celebratio in ecclesia seu capella praedicta ad illius pro tempore rectorem seu illam obtinentem ex fundatione et alias quomodolibet incumbit, per se ipsum personaliter in eadem ecclesia seu capella celebrare obligatus existat, alioquin obligationi celebrandi missas hujusmodi nequaquam satisfacere censeatur.«

Ex hac indeterminata onerum expressione existimavit affictuarius Plumbinariae cogi posse capellanum ad missae celebrationem singulis diebus festis, atque idcirco res ad forum judiciale anno 1707 deducta fuit, sed litis exitus ignoratur. Constat tamen aliquas pro parte beneficiati exhibitas fuisse attestationes circa observantiam, quae inter monumenta causae recensentur, illudque etiam certum est, quod in literis apostolicis collationis beneficii anni 1661 expeditis expressum legitur onus capellano inhaerens celebrandi per se ipsum in haec verba: »Et quam pro tempore obtinenti nonnullas missas per se ipsum in eadem ecclesia seu capella celebrandi onus incumbit ad biennium.« Sed nullum vel de beneficii dotatione aut de missarum numero aut de diebus quibus ea celebrari debuissent repertum fuit documentum.

Hujusmodi beneficium collatum fuit sacerdoti Sebastiano Bertarelli, dum studiorum causa in Urbe moraretur, qui a sacra Congregatione anno 1768 obtinuit facultatem ad *biennium* missarum oneri per alium adimplendi, *dummodo missae celebrentur diebus praescriptis et consuetis.* Cum vero dictus sacerdos Bertarelli provisus postea fuerit de parochiali ecclesia s. Stephani Terrae Vallis Montanae deindeque translatus ad archipresbyteratum collegiatae ecclesiae ejusdem Terrae, incertus proinde de incompatibilitate archipresbyteratus cum beneficio nonnulla declarari postulat quoad onera eidem beneficio inhaerentia exhibetque dubia in calce transcripta, de quibus EE. VV. judicium expectat.

Inquit ad I: Nihil certi asseri posse vel de quantitate missarum vel de tempore, quo illae celebrari debeant; deficiente autem fundatione omnem pro beneficii libertate militare praesumptionem, *Leon. de off. capel. quaest. 1. sect. 4. num. 96.*, *Rot. decis. 321. num. 42. par. 9. tom. 2. Recent.* Neque huic regulae refragari literas apostolicas summorum Pontificum Urbani VIII., Innocenti X. et Alexandri VII., in quibus missarum celebratio recensetur, quia, cum se referant ad onera ex fundatione beneficii inhaerentia, conditionaliter tantum sunt intelligendae, quatenus scilicet onus aliquod eidem beneficio inhaerere constiterit, non tamen ullum onus in iis praescriptum aut additum censeri, *gloss. fin. in Leg. Si is, ad quem ff. de acquir. haered. Roman. cons. 303. quod 7. num. 6.*, *Rot. decis. 15. num. 5. coram Duran.*

Quod si ex apostolicis literis onus aliquod beneficio inhaerens desumi vellet, hoc tamen nonnisi generice fieri posse sustinet. Onus autem qualecumque genericum et indefinitum deletum remansisse ex negativa observantia, quae per quadragenarium tempus protracta sufficit ad beneficii statum et indolem immutandam, *cap,: Cum de benef. 5. de praebend in 6.*, *Garz. de benef. par. 6. cap. 10. num. 37.* Asserit tres capellanos aliquibus tantum dominicis festisque diebus et quidem etiam per alium missas in ecclesia Plumbinariae celebrasse; insuperque occasione collationis beneficii factae anno 1707 favore Persii Ferrante suspensum fuisse dicit bullarum expeditionem, eo quia Episcopus instabat, ut adjiceretur*) conditio celebrandi singulis diebus festis; sed re nature perpensa absque ulla conditione postea fuisse expeditas. Atque hinc desumit vim maximam observantiae eamque in contradictorio judicio probatam affirmat, *Rec. disp. jur. select. cap. 167. num. 3.*, *Rot. decis. 367. num. 7. coram Caprar.*

Addit nec Episcopos nec rev. fabricae commissarios instetisse unquam pro oneris implemento, quod nec in tabella nec in li-

*) Vd. *Beneficium* (adjicere etc. quid potest Episc.)

bris fuit unquam descriptum; advertit praeterea tria beneficia, inter quae illud, de quo agitur, fuisse a san. mem. Urbano VIII. suppressa, denique primaevae erectioni restituta, ac de omnibus idem ferendum esse judicium. Cum autem alia duo beneficia nulli missarum oneri subjecta sint, nullum quoque onus huic Plumbinariae beneficio impositum praesumi, maxime ob tenuem illius redditum, qui vix ad scuta 43 pertingit.

Hisce autem praemissis ait ad II: Inanem esse quaestionem, utrum beneficii possessor onera per se ipsum adimplere teneatur. Caeterum quatenus etiam aliquod beneficio onus inhaereret, contendit illud per alium posse satisfieri, absque eo quod oppositum suadeant apostolicae literae Innocentii X. et Alexandri VII., cum subsequuta observantia ad annos centum et ut ultra protracta quodlibet onus sustulerit. Ea enim est vis centenariae, ut praesumptionem inducat novi pontificii rescripti praecedentis destructivi, *Merlin. decis. 593. n. 26. et seq.*, *Rot. decis. 268. n. 18 et 19 par. 12. Recent.*

Ad III. denique asserit: Dispensationem saltem sibi esse concedendam etiam ob redditum tenuitatem, cum obuli triginta pro unaquaque missa sacerdoti celebraturo persolvi debeant, nec orator per se ipsum possit onera adimplere, cum ratione archipresbyteratus, quem possidet cum cura animarum, missam pro populo applicare statutisque horis choro interesse teneatur, itaut impossibile ei sit ad ecclesiam Plumbinariae accedere, quae tribus milliariis a Terra Vallis Montanae distat. Profert denique propria merita, necessitatem incumbendi curae animarum, ad quam communi omnium voto ac plausu electum se dicit, memorat judicium Episcopi; quibus omnibus perpensis dispensationem pro retentione canonicatus concessam fuisse dicit in *Leodien. Indulti 4. Julii 1739.* Hanc autem dispensationem eo magis in praesenti casu assequi posse confidit, quia nec de missarum onere nec de tempore aut loco celebrationis constat, immo capellaniae indoles longique temporis observantia utrumque excludunt.

Episcopus haec habet: »In his autem dubiis facti circumstantiis, et ne aliqua possit oriri incompatibilitatis ratio ejusdem beneficii cum cura animarum, si quomodo eidem beneficio celebrationis onus inhaereret in aliquibus diebus festis, recursum habet idem orator, ut facultas celebrandi per alium indulgeatur, quam permittendam censerem, dummodo, prout hactenus ab ipso factum est, in omnibus dominicis et festis celebratio habeatur; pro quo potissimum obtinendo effectu ad obligationem particularem in actis hujus meae curiae adigendum esse per EE. VV. existimarem. Sic enim provideretur praetereuntium et cultorum Tenutae commoditati audiendi Sacrum omnibus diebus dominicis et festis, sic majori ecclesiae honori, sic denique in provisionibus futuris ejusdem beneficii aliqua daretur norma eorum celebrationis, quae adhuc in obscuro persistunt quoad numerum et tempus, quod profecto in causa fuit, ut elapsis temporibus de adimplemento quaestio semper exorta fuerit, sed nunquam absoluta.«

Patronus etiam consentit, ut per alium sacerdotem missarum celebratio impleatur, attenta morum probitate, qua pollet orator Bertarelli »dummodo tamen pro futuris vacationibus non transeat in exemplum quoad substitutionem tantum, non vero quoad inducendam certitudinem missarum in omnibus diebus festis.«

Quamvis ob deficientiam erectionis capellaniae de istius oneribus aperte cognosci ac certo judicari non possit, nihilominus apostolicae literae san. mem. Innocentii X. existimare compellunt, aliqua missarum onera eidem revera ex fundationis lege inhaerere. Praesumptionem enim inducunt, notam tum fuisse fundationem summo Pontifici eamque certa onera missarum a capellano adimplenda perscribere; ad celebrationem vero, quaecumque ea sit, per se ipsum capellanum teneri.

Id ergo tantummodo inquirendum superest, quot scilicet missas, quibusque diebus in rurali ecclesia Plumbinariae capellanus celebrare teneatur. Conjecturis hic locus esse videtur atque aliquali provisioni, quae justitiae aequitatique conjuncta sit, qualis decet et ab EE. PP. prae oculis haberi solet. Censetur autem, fundatorem se conformasse universali consuetudini, qua in ecclesiis ruralibus ob agricolarum commodum diebus dominicis et festis Sacrum celebrari consuevit, quando de contraria voluntate non constet, *Constantin. Vot. decis. 37. n. 13. tom. 1.* Redditus vero capellaniae, a quo missarum numerus commensurari debet, normam aliquam praebere potest pro illarum quantitate

praefinienda. De observantia demum EE. PP. dijudicent, an ea pacifica fuerit et rationabilis, seu potius capellanorum arbitrio et negligentia inducta, et an interpretationem vel praescriptionem inducere potuerit.

Quoniam vero in tertio dubio de dispensatione fit mentio, hic, quatenus missarum onus per se ipsum a capellano adimpleri debere definiatur, non immerito de ea sermo erit instituendus. Beneficiorum pluralitatem improbari tamquam sacris canonibus inimicam ait *Fagnan. in cap.: Quia in tantum de praeben. n. 2.*, innixus dispositioni *cap.: De multa, cap.: Presbyteros 16. quaest. 1, cap.: Sanctorum 70*, ac multas enumerat causas, ob quas plurium beneficiorum retentio vetita fuerit, et late *Ferrar.* in *biblioth. verb.: Beneficium artic. 6. n. 1. et seq.*, Concil. Trident. *sess. 7. cap. 4. et sess. 24. cap. 17. de reform.*, ex quo decreto arguit *Fagnan. in cap.: Cum jamdudum de praeben. num. 32.* plurium etiam simplicium beneficiorum retentionem absque apostolica dispensatione esse interdictam.*)

Incompatibilitas exurgit ex retentione beneficii cum cura animarum, ratione oneris et residentiae, quae, licet sit discontinua, nihilominus tunc solum alterius beneficii compatibilitatem admittit, quando utriusque beneficii onera possunt ab eodem beneficiato diversis temporibus adimpleri, ut pluribus allatis DD. sententiis ait *Rigant. ad regul. I. cancellar.* §. *8. num. 15, Rota in Mediolanen. Canonicatus 2. Julii 1716.* §: *Accidente coram Scotto*, s. Congregatio in *Narnien. 2. Decembris 1708 ad IV. dubium* et in *Neapolitana Capellaniarum 14. Aprilis 1730* proposito dubio:

»An capellani, de quibus agitur, possint obtinere beneficia curata vel oeconomias ecclesiarum parochialium aut incumbentias excipiendi confessiones monialium vel alia onera cum celebratione missarum incompatibilia acceptare, satisfaciendo per substitutos oneri praedictarum missarum?

Responsum fuit: »Negative, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione missarum per se ipsos.«

Hinc ponderandum: an capellania, quam possidet orator, personalem celebrationem requirat et incompatibilitatem inducat: quo casu duplici videtur idem orator dispensatione indigere, una scilicet, qua facultas ei tribuatur duo incompatibilia beneficia retinendi, altera vero, qua missarum oneri per alium satisfacere eidem permittatur.

Circumspecta summorum Pontificum providentia dispensare super incompatibilium retentione non solet, nisi concurrentibus causis relatis a *Rigant. in comment. ad reg. I. cancell.* §. *8. num. 40*, et a *Ferrar. in* biblioth., verb.: *Beneficium artic. 6. num. 41*, scilicet concurrente necessitate ecclesiae, magna illius utilitate et evidenti meritorum praerogativa. Causae hujusmodi desumuntur ex *cap.: Tali 17. caus. 1. quaest. 1*, ubi recensentur in haec verba: »Nisi forte eos aut maxima ecclesiae utilitas vel necessitas postulet vel evidens meritorum praerogativa commendet.« Vide *Fagnan. in cap.: Quia in tantum de praeben. n. 10.*

Omnibus igitur assueta maturitate perpensis dignentur EE. PP. definire:

I. *An et in qua quantitate et quibus diebus celebrari debeant missae in ecclesia rurali Plumbinariae in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An celebratio missarum fieri debeat a rectore per se ipsum seu potius expleri valeat per alium in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam,

III. *An sit locus dispensationi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Celebrandas esse missas singulis diebus dominicis et festis de praecepto.

Ad II: Celebrationem expleri debere a rectore per se ipsum.

Ad III: Affirmative.

Die 3. Aug. 1771.

*) Vd. *Beneficium* (plura etc.)

b) Dispensatio non concessa.

Imolen.

Testamento, quod condidit anno 1726 Archipresbyter Matthaeus de Marescotti, erigi jussit perpetuam capellaniam in rurali oratorio sub invocatione s. Philippi Neri, quod ipse construxerat in agro Bagnariae Imolensis dioecesis, relicto jurepatronatus activo et passivo descendentibus per lineam masculinam a Dominico et Joanne Marescotti suis fratribus; et onus injunxit capellanis celebrandi in eodem oratorio binas missas qualibet hebdomada illarumque alteram die dominico, et eodem die docendi fideles christianae doctrinae rudimenta aut in

ipso oratorio aut in ecclesia archipresbyterali Bagnariae; praecepitque ut capellani tenerentur continuo residere et habitare in oppido sive in territorio Bagnariae ac personaliter adimplere injuncta onera, cum facultate substituendi solum in casu, quo »per causa di studio o d' infermità corporale fossero impediti«.

Praefatam capellaniam possidens sacerdos Thomas Marescotti ab ipso testatore nominatus supplicavit sanctissimo Domino Nostro, ut ratione provectae aetatis et adversae valetudinis dispensaretur a personali servitio, indulta facultate inserviendi per substitutum. Remissis autem precibus ad hanc sacram Congregationem auditus fuit Episcopus, qui retulit, petitae gratiae adversari tum externam bonae valetudinis faciem, quam praesefert Thomas Marescotti, qua inspecta in sacra visitatione anni 1754 censuit eumdem cogere ad praestandum per se ipsum servitium a testatore injunctum: tum ejus loci Archipresbyterum, cujus transmisit epistolas cum exhibitis documentis assertos morbos excludentibus; et tandem in alia posteriori relatione, satis dubitans de allegatae infirmitatis praetextu, rem decidendam relinquit conscientiae oratoris, insinuando concessionem indulti cum onere personaliter inserviendi, dum pedester aut equitando commode poterit ad oratorium accedere, citra notabilem valetudinis perniciem, *sub poena non faciendi suos fructus dicti beneficii, in casu contrario.*

Disserit itaque orator, rescribendum esse: juxta votum Episcopi, quum ipse in provecta quinquaginta quinque annorum aetate constitutus, nephriticis doloribus aliisque habitualibus affectionibus laboret itaut sine periculo gravioris mali nequeat motu frequenti agitari, praesertim eundo ad oratorium ab oppido dissitum mille quingentos passus per difficilem et coeno obrutam viam, ut physicorum et testium depositionibus comprobat; ideoque legitimam excusationem habere censet a personali servitio, ut notat *Fagnan. in cap.: Licet. n. 136. et seq. de Praebend.* et definivit haec sac. Congregatio in *Cremonen. Indulti 2. Augusti 1760*, et in *Piscien. Indulti 6. Decembris ejusdem anni.*

Verum archipresbyter in transmissis epistolis, etiam de auditu a medico locali, juncto duorum presbyterorum testimonio, negat oratoris morbos: et juxta eorumdem testium depositionem viam asserit longiorem non esse spatio unius circiter milliarii et illius difficultatem nullimode verificari aestivo tempore, hyeme autem evitari posse incedendo per semitam angustiorem satis aptam: aut saltem utroque tempore, defendit, commodum patere accessum ad oratorium equitando; potiusque opinatur, veram petendae dispensationis causam esse desidiam, ob quam orator, etiam juvenis, saepe neglexit onera capellaniae adimplere: vel forsan incompatibilitatem servitii capellaniae cum servitio ecclesiae consortialis, cui orator adscriptus est et cui diligentius inservit, ut lucretur emolumenta inter praesentes dividenda.

Interpellatus autem praefatus archipresbyter, una cum promotore fiscali, ad deducendum jura sua in sacra Congregatione, pluribus licet elapsis mensibus nulla ejus nomine facta est oppositio in secretaria. Quocirca decernendum erit ab EE. VV.:

An sacerdos Thomas de Marescotti rector simplicis beneficii institutus a Matthaeo de Marescotti teneatur adimplere per se ipsum onera a fundatore imposita seu potius id facere possit per alium in casu?

S. C. resp.:

Recurrat ad Episcopum, qui procedat prout de jure ad formam testamenti.

Die 8. Aug. 1761.

c) Obligatio est.

(Conc. Tr. c. 4. 5. sess. 25. de ref.)

Civitatis Plebis.

Cleopatra Thiani in ultimo cum quo decessit testamento anno 1680 instituto haerede Canonico Ludovico Desiderio suam dispositionem prosequitur, ut infra: *E perchè d. testatrice vuole, che li sudetti beni stabili dopo la morte d' esso sig. Canonico Ludovico erede tendino onninamente alla dispositione fattane altre volte dal q. Pier Gentile Thiani suo fratello carnale, lasciata in un suo testamento benchè imperfetto, quale si trova presso il sudetto suo erede, volendo per quanto ella puole darli effetto, avendoli così promesso mentre il sudetto Pier Gentile viveva; di qui è, che detta testatrice dà piena facoltà al detto Canonico Ludovico suo erede di poter disporre di detti beni stabili che sopravanzaranno alli già stabiliti ne 'sudetti legati etc. prima in erezione d' un' officiatura o cappella col quotidiano sacrificio, se sarà possibile d' appoggiarsi all' altare di s. Anna nella chiesa di s. Maria de' servi di Perugia e di dichiarare il capellano pro tempore etc.*

In executionem praefatae dispositionis praedictus Ludovicus haeres in ejus testamento devenit ad erectionem praefatae capellaniae nominando in primum capellanum sacerdotem Pompilium Corsettum et quoad onus missarum ita disposuit: *Item di più che il capellano pro tempore per commodo delle Raccolte e Bonificazioni per mantenimento delli sudetti beni o case, o a causa di qualche particolare divozione abbia vacanza di due mesi l' anno e non più, e possa dire le sudette messe in altri luoghi, dove si troverà ai giorni delli sudetti mesi, che potrà prendere o tutti, o pochi giorni alla volta, e ciò etiam in caso di malatia possa farle dire etc.*, prout latius in particula utriusque dispositionis in summario danda. Dubitans autem praefatus Pompilius capellanus nominatus: an vigore d. dispositionum teneatur necne per se ipsum celebrare, supplicat pro declaratione.

Episcopus desuper auditus supradicta confirmans censet ex defectu clausulae »per seipsum« sive alterius aequipollentis in dispositione recte satisfieri testatoris menti per celebrationem faciendam per alium; sed relata causa per summarium sub die 17. Novembris propè transacti jussum fuit, ut poneretur in folio, prout hodie parendo EE. VV. mandatis proponitur sub dubio ex deducendis ab oratore resolvendo:

An capellanus teneatur ad celebrandas missas per seipsum in casu etc.?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 15. Dec. 1708.

Iterum proposito dubio S. C. C. resp. sub die 15. et 29. Mart. 1710: *Affirmative et amplius.*

Parmen.

Beneficiatum, qui possidet frugifera bona pro dote beneficii assignata percipitque illorum redditus, onera quoque a fundatore beneficii praescripta assignatisque bonis infixa et personae beneficiati inhaerentia subire debere, *Fagnan. in cap.: Cum venissent num. 22 et seqq. de instit.* et *Rota in Barchinonen. Exemptionis 4. Julii 1755. §. 3. cor. cl. me. Card. Elephantutio.*

Die 26. Jan. 1782.

Civitatis Plebis.

Ad beneficium laicale fundatum a fratribus Marrachini in ecclesia B. M. V. in Villa s. Eustachii pertinet onus missarum per se ipsum implendum diebus festis de praecepto, residentem et habitantem in eorum domibus. At unus ex fratribus superstes, altero condito testamento, nullam mentionem fecit de oneribus dicti beneficii. Hodiernus rector sacerdos Angelus Santucci supplicat pro facultate celebrandi, dum occasio urget, per alium et S. C. non audivit et ei servari legem fundationis praecepit.

Die 12. Martii 1796.

Capellanus tenetur per seipsum missas celebrare, si id verbis expressis aut aequipollentibus cautum fuerit in fundatione capellaniae; quod enim in ipsa erectione capellaniae constitutum et dispositum est, id omnino est observandum, ut expresse statuitur a *Concil. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 5.* Nec requiritur, ut in erectione sit expresse statutum, ut capellanus celebret per seipsum, sed satis est, ut id verbis aequipollentibus sit ordinatum; *arg. cap.: In his 15. de verb. signific. l. final. ff. de donat. quae sub modo, l. quid tamen §. 1. ff. de arbitr.* et sic fuisse a sacro Concilio decisum, refert *Fagnanus num. 76 et 77.* Immo capellani tenentur missas celebrare per se ipsos, si adsit praeceptum testatoris seu fundatoris ita conceptum: *E se alle volte non potessero celebrare, facciano celebrare per altri*, ut respondit *sac. Congr. Conc. 18. Dec. 1688.* Sic etiam si onus missarum reperiatur injunctum capellano hac lege: *Che debba celebrar la messa, e se alcuna volta non potesse, faccia celebrar altri quotidianamente*, vel: *Che il capellano pro tempore, in tempo della raccolta abbia vacanza di due mesi l' anno e non più. Che potrà prender tutti o pochi giorni alla settimana, e ciò etiam in caso di malattia, possa farle dire da altri*, vel: *Et in casu infirmitatis vel absentiae possit capellanus alium substituere*, dicitur onus injunctum personale, ita ut per se ipsum teneatur celebrare, quia onus dirigitur in personam capellani, cujus industria videtur electa et importat satisfactionem personalem, prout in praefatis casibus respondit sac. Congr. Concil. in *Romana 15. April 1605. lib. decret. 35. fol. 96. et 18. Decembr. 1688*, in *Florentina 13. Novembr. 1688* et in *Civitatis Plebis 15. Decembr. 1708.**) Secus si testator diceret: *qual messa vuole, che sia celebrata dal rettore, che sarà nominato.* Nam tunc poterit missa

*) Vd. supra *p. 171.*

celebrari et onus adimpleri per alium; ead. sac. Congr. Conc. *15. Januar. 1669. lib. 27. decret. fol. 281.* Sicuti si ita: *Haeres teneatur eligere capellanum, qui singulis hebdomadis celebret missas v. g. quatuor.* Nam etiam tunc non teneretur celebrare per se ipsum, sed posset per alium, ut ead. sac. Congr. Conc. respondit in alia *Sabinen. 18. Mart. 1684.*

d) Obligatio non est.

Romana.

Si expressa in codicillis et instrumento fundationis deest lex celebrandi per se ipsos, in hoc casu per alium satisfieri posse traduut *Fagnan. in cap. Ut Abbate num. 65. et seqq. de aetat. et qualit. ordinan., Antonell. de jur. et oner. cleric. lib. 1. cap. 29. num. 11., Pignatell. consult. can. 2. num. 15. tom. 7.* Ab ipsa capellaniarum fundatione celebrare consuevisse afferunt per substitutos (contrarium refert protector) valdeque hujusmodi consuetudinem ad interpretandam fundatoris voluntatem urgere, *Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloss. 5. num. 57., Vivian. de jurepatr. part. lib. 6. cap. 6. num. 37.*

Hoc onus non induci, neque ab onere residendi, *Nicol. lucubrat. can. lib. 3. tit. 41. sub num. 17. et fin.*, neque ex sola facultate celebrandi per alium in casu infirmitatis, *Pignatell. loc. cit., Rot. cor. Lancell. decis. 829. num. 17. et seqq.*

Die 13. Junii 1789.

Terracinen.

Quando expressum deficit praeceptum celebrandi per ipsum sacerdotem, per alium celebrari posse censent *Fagnan. in cap. Ut Abbates n. 65. et seq. de aetat. et qualit. ordinan., Antonell. de jur. et oner. cleric. lib. 1. cap. 29. num. 11, Pignatell. consult. can. 2. num. 15. tom. 7.*

Die 18. Junii 1789.

e) Per substitutum quando celebrare potest?*)

Capellanus, qui de mente testatoris quotidie per seipsum celebrare tenetur, semel in hebdomada per alium poterit celebrare. Sacra Congreg. Concil. *in Comen. 10. Mart. 1623, arg. cap.: Significatum 11. de praebendis.* Obligatio enim quotidie per se celebrandi inhonesta et illicita censeri debet. *Rota romana part. 1. recentior. decis. 496.* Immo volunt doctores, quod capellanus obligatus ad quotidie celebrandum per se ipsum personaliter nedum semel in hebdomada possit celebrare per alium, sed etiam titulo honestatis vel reverentiae sacramenti aut alia justa causa possit aliquoties et etiam semel in hebdomada abstinere a celebratione absque eo, quod faciat tali die celebrare per alium, maxime si obligatio quotidie celebrandi sit mere personalis ad ipsius capellani personam directa, ut expresse tenet *Monacell. tomus 4. in appendice ad formular. in instructione 5. pro adimplemento onerum missarum num. 11.* et *hoc ex capitulo: Significatum 11. de praebend.* et juxta decretum circa hoc editum ab eminentissimo Petruccio in visitatione domus patrum ministrorum infirmorum Magdalenae Romae approbatum a sacra Congreg. Visitationis apostolicae *sub die 18. Jun. 1697*, in quo sic habetur: *Religiosi a superioribus pro tempore destinati pro celebratione missarum sex quotidianarum pro legato et suffragio R. P. D. olim Vincentii Justiniani juxta reductionem obtentum ab anno 1646 a celebratione quotidiana vacare non possint, nisi semel tantum in hebdomada. At in diebus, quibus vacant, pro aliis celebrare e' aliam eleemosynam seu stipem accipere nequaquam possint: sed si vacare ut supra volunt a celebratione pro eodem testatore vel pro scipsis et eorum devotione dumtaxat poterunt semel in hebdomada celebrare, sub poena reiterandae celebrationis et restitutionis respective, super quibus eorumdem religiosorum conscientiam stricte oneramus.*

Nota romani theologi.

Non satis apte sed improprie *inhonesta et illicita* vocatur sacerdotis obligatio, qua ad quotidie per seipsum celebrandum adstringatur; neque enim celebratio etiam quotidiana onus est, quod aut cum honestate pugnet aut exequi per se non liceat. Parcendum tamen auctori est, quod illis vocabulis nihil aliud innuere voluerit, nisi quod tanta esse nequeat celebrandi obligatio, ut ab isto onere quotidiano dispensari duplici saltem de causa non possit, scilicet ob corporis infirmitatem et ob specialem aliquam causam honestatis et devotionis sacrificio debitae, quibus in casibus censeri nequit sacerdos obligatus.

Neque ferri posse videtur, quod statim subnectit: posse scilicet sacerdotem semel in

*) Vd. supra *p. 164. a; p. 170. b.*

hebdomada a celebranda missa abstinere, quin teneatur per alium satisfacere. Decretum enim quod affert ad particularem casum spectat, in quo particulares circumstantiae occurrere debuere. Quamobrem ex ipso generalis regula statui nequit, qua permittatur generatim capellanis quinquaginta et duas missas quolibet anno contra propriam obligationem omittere. Quamobrem satius cum Cabassutio, aliisque censerem, non ultra unam in mense missam extendi posse hanc capellanorum exemptionem, ne notabiliter mutetur et laedatur institutoris dispositio atque voluntas.

Responsio Ferraris.

Asserit hic r. theologus, quod minus apte dicatur, quod obligatio quotidie per se celebrandi *inhonesta et illicita* censeri debet. Et tamen sunt ipsa praecisa verba sacrae romanae Rotae, *part. 1 recent. decis. 496*, ubi in summario *num. 7.* sic praecise habet: *Onus celebrandi missas quotidie adjectum sacerdoti, ut per se ipsum celebret, dicitur inhonestum et illicitum*, et in corpore eodem *num. 7.* sic petit: *Obligatio quotidie celebrandi tamquam inhonesta et illicita etc.* Unde si audet censura inurere ipsissima verba tam venerabilis sacri tribunalis, ad quod confluunt decidendae causae Urbis et Orbis, quis modo ab ejus censuris poterit esse tutus? Aut quis et quantus theologus hic censor, qui videtur sac. rom. Rotam nec e limine salutasse?

Quo autem ad reliqua ab eo *hic supra* notata, vide ultra tradita *Monacell. edition. rom. 1709. part. 3. in appendic. instruct. 5. pro adimplemento onerum missarum p. 217. num. 11. et seq.*, ubi satis ad rem.

Animadversio.

Reprehenditur Ferraris eique succenset cl. adnotator, in adnotationibus subjectis ad hunc articulum, propterea quod obligationem per se quotidie celebrandi *inhonestam* atque *illicitam* censendam dixerit, quasi *minus apte et improprie* locutus. At ut mihi videtur non erat idcirco tantopere reprehendendus, sed tum rite recteque explicandus; quandoquidem non unus ipse usus est hac in re hoc loquendi genere. Vide *Cabassut. loc. cit. n. 9.* et *Pontas verb.: Beneficiarius, cas. 10*, qui hujusmodi obligationes non admittentes debitas exceptiones *infirmitatis sive honestatis et debitae devotionis* vocant *durissimas*, *indecoras, debitae devotioni nimis oppositas atque iniqua vincula.* Neque mirum hoc videri debet aut ipsi hac in re culpandi, cum ips uticuivis luculentissime patet, adludant ad decretalem Alexandri III. relatam in *cap.: Significatum est. II. de praebendis etc.*, in qua Pontifex laudatus primus omnium hoc loquendi genere usus videtur. Cum enim institutionem capellaniae, cui quotidianae celebrationis onus et quidem per se impositum fuerat, eatenus tantum probarit, quatenus sacerdos institutus, nisi corporis infirmitate detentus, assidue deberet obsequium suum impendere ecclesiae memoratae *salva tamen honestate sua et debita devotione*, apertissime inde colligendum videtur, duriores hujusmodi obligationes, in quibus non daretur locus memoratis exceptionibus, habitas fuisse a laud. Pontifice veluti oppositas *honestati ac debitae devotioni*; ejusmodi auctoritatem inde secuti laudati scriptores dixere, hujusmodi obligationes, sive institutiones *inhonestas* et *illicitas*, latiore saltem acceptione, quatenus praejudicium afferant *honestati* ac *debitae devotioni.*

Aequior porro censura videtur, qua cl. adnotator rejiciendam doceat sententiam Ferraris, qua cl. noster auctor opinatur adstrictos *per se* ad quotidianam sacrificii celebrationem personaliter obeundam posse semel per singulam hebdomadam ab hoc onere vacare, quin teneantur *per se* aut per alium sacrificium omissum causa *honestatis* aut *devotionis* supplere. Quod autem cl. Cabassutius aliique id concedant tantum semel per mensem propter hujusmodi memoratas causas a celebratione vacari posse, id nos neque aperte reprobare neque quidquam decernere hac in re audemus satius ducentes vestigiis insistere sacr. Congregationis Concilii. Cum enim an. 1683 sacrae Congregationi haec dubia proposita fuissent, scilicet:

I. *An sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati, stipendii celebrare quotidie per se ipsos possint aliquando a celebratione vacare?* et quatenus affirmative,

II. *Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint?*

III. *An diebus licitae vacationis possint missam pro seipsis vel aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare?* et quatenus affirmative,

IV. *An pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione recipere?*

V. *An illis diebus, quibus licite vacant a celebratione, teneantur missam celebrari facere ab aliis juxta intentionem fundatorum?*

VI. *An sacerdotes ut supra obligati celebrare missam quotidie absque tamen onere celebrandi*

per se ipsos possint aliquando a celebratione vacare?

Hisce propositis dubiis hujusmodi adhibitae fuere responsiones

Ad I: *Affirmative*, concurrente aliqua legitima causa.

Ad II: Ut ad proximum.

Ad III: Negative.

Ad IV: Negative.

Ad V: Distulit resolutionem.

Ad VI: Negative.

Refert Bened. XIV. *de sacrific. miss. sect. II. cap. 1. §. 1.*

Circa hasce porro responsiones illud animadvertendum occurrit, quod in responsione ad *III. dub.* sacr. Congregat. non permittat sacerdoti diebus licitae vacationis neque pro se ipso celebrare; hoc ita intelligendum arbitramur, *si passim ac saepius* fiat. Caeterum semel atque iterum per annum pro se suisve celebrare aliqua occurrente causa communiter permittunt probatissimi scriptores. Lege *Pontas, verb.: Beneficiarius cas. X.* et *cl. Cabassutium loc. cit.*

22) Ordinari infra quod tempus debet?

Vd : *Beneficiatus (sacerdotio non insignitus* — dispensatio non concessa —).

Tenetur beneficiatus infra annum recipere ordines requisitos a suo beneficio, aliter justo impedimento cessante caret voce in capitulo, donec illos suscipiat et perdit dimidiam partem distributionum. *Clement. de aetat. et qualit. ordin. praeficiend., cap.: Ut hi;* et *Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de reform.* Beneficiatus enim tenetur per se ipsum immediate exercere suum munus et officium, scilicet canere missam, evangelium etc. sub iisdem et aliis etiam gravioribus poenis ab Ordinario infligendis; cit. Concil. Trident. *ibid.*

Civitatis Plebis.

Juris indubii est, ut, qui beneficium consequitur, nisi secus cautum sit vel satuto vel lege fundationis, intra annum suscipiat ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet, *cap. 1. de aetat. et qualit. ordin. praef. Clemen. 2. eod.*

Die 22. Febr. 1823.

Montis Alti.

Quamquam laicalium capellaniarum rectoribus onus immineat sacros suscipiendi ordines, attamen nullam ipsi caducitatis capellaniae aut privationis fructuum contrahunt poenam, nisi illam praevia monitione Episcopus irrogaverit, *Pignat. consult. 75. num. 6. tom. 7*, s. Congregatio in *Faventina Legati 17. Decembris 1825* et in *Melevitana Indulti 15. Decembris 1827. §. Decernant*, quemadmodum vel in ecclesiasticis beneficiis haud ipso jure inducitur vacatio, si provisus negligat ad sacrum ordinem praebendae annexum adscendere, sed opus est, ut adhibeantur monitiones, *Girald. expos. jur. pontif. sect. 79.*, s. Congregatio in *Senogallien. Canonicatus 23. Novembris 1754* et in *Firmana Fructuum et distributionum 24. Novembris 1827. §. Ex sanctione.*

Die 9. Maji 1829.

Hortana.

Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12. de reform.* sanxit neminem deinceps ad canonicatus ecclesiarum cathedralium esse promovendum, nisi qui eo ordine sacro sit insignitus, quem illa praebenda requirit aut in tali aetate, ut infra tempus a jure et ab ipsa synodo statutum initiari valeat. Quando autem ex beneficiorum erectione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, non est eis derogandum, inquiunt Tridentini Patres *sess. 25. cap. 5. de reform.*, nisi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, *ead. sess. cap. 18.*

Die 30. Jan. 1830.

Firmana.

Ceteros inter canonicatus in collegiata ecclesia sanctorum Donati et Martini terrae Amandulae erectos ille recensetur, quem Hieronymus Jannetti anno 1632 institui jussit. Statuit fundator, ut canonicalis praebendae rector *teneatur celebrare tres missas pro qualibet hebdomada . . . . et assistere ad omnes functiones in dicta ecclesia faciendas, ut alii domini Canonici tenentur etiam ad hebdomadam.* Poenam quoque in Canonicum, qui suo deesset officio, ita constituit: »*Deficiens Canonicus eligendus tam in celebrando quam in faciendo functiones et assistendo ad divina officia, ut alii domini Canonici tenentur in dicta Collegiata, teneatur solvere punctaturas, ut alii Canonici dictae collegiatae ecclesiae inservientes.*« Jus nominandi *personam idoneam ad dictum canonicatum* pertinere

voluit ad suos germanos fratres Pompejum et Franciscum eorumque haeredes ac descendentes; prima tamen vice ab iisdem nominationem explendam edixit *ad favorem unius ex filiis dominae Felicis Jannetti reverendi Domini testatoris sororis, dummodo ad clericatum venire voluerit, quatenus non adsint filii apti et idonei dictorum dominorum Pompeji et Francisci suorumque haeredum et successorum in infinitum.*

Vacantem canonicatum anno 1828 ex legitimi patroni nominatione nactus ut clericus Antonius Pascucci, qui trigesimum per id temporis jam agebat annum. Spes quidem certa tenebat Collegiatae Canonicos fore, ut idem clericus sacros ordines ac etiam presbyteratum quam primum susciperet; at sua tandem frustari spe cum intelligerent, hanc supplices, suadente Emo Archiepiscopo Firmanae dioecesis, adierunt Congregationem, ut eadem canonicis poenis in Antonium animadverteret ac etiam canonicali praebenda illum privaret.

Emum Archiepiscopnm rogavi, ut, accessito Canonico Pascucci, animi sui panderet sententiam, responsumque accepi: »Nullum ex Canonicis latet praebendas omnes in Collegiata Amandulae presbyterales esse, teste immemorabili et numquam interrupta consuetudine, prout constat ex registris capitularibus. Quid plura? Ante perturbationem rerum publicarum animarum cura residebat actualis penes capitulum et parochialia onera per singulos Canonicos exercebantur. Capitulum adversa temporum conditione suppressum nunquam in pristinum revocatum fuisset, nisi manifesto patuisset, ut re vera tunc temporis factum est, Collegiatam parochialem fuisse. Canonici omnes numero undecim sacerdotali charactere modo etiam insigniti sunt, quibus est onus missas quotidie celebrandi et conventualem canendi, ecclesiasticas functiones diebus festis peragendi et parochialia munia alternis quindenis in rurali ecclesia divi Petri obeundi, si vero eadem onera Pascuccio incumbunt, si unum ac trigesimum aetatis annum agit, si singuli antecessores ejus sacerdotes fuerunt, putarem eum nullimode posse a sacris ordinibus et presbyteratu sese arcere. Quae cum ita sint, censerem fructus et proventus sui canonicatus relate ad praeteritum ei reddendos esse, cum numquam in mora constitutus fuerit neque ei ulla poena juridice indicta; nunc vero alterius anni tempus praefigendum esse, tum ut rebus divinis operam navet, quarum plane rudis est, tum ut vocationi suae melius consulat: quo inutiliter elapsc in mora constituendus esset et adepto beneficio, servatis iis quae servari opus est, privandus.

Qui in cathedrali vel collegiata ecclesia canonicatum aut beneficia obtinent, quibus onera varia sunt annexa, videlicet ut alii missas, alii evangelium, alii epistolas dicant seu cantent, ex Tridentina synodo *sess. 22. cap. 4. de reform.* tenentur, justo impedimento cessante, *infra annum ordines suscipere requisitos, alioquin poenas incurrant juxta constitutionem Concilii Viennensis, quae incipit: »ut ii qui«, quam praesenti decreto innovat: »coguntque Episcopi eos diebus statutis dictos ordines per se ipsos exercere ac cetera omnia officia, quae debent in cultu divino praestare, sub eisdem et aliis etiam gravioribus poenis arbitrio eorum imponendis.«* Jam vero ad tramites Concilii Viennensis *in Clem. ut ii de aetat. et qualit. praeficien.*, quicumque sacros ordines suo canonicatui aut beneficio annexos intra annum suscipere negligit, in eam ipso facto post annum ab inita possessione exactum incidit poenam, quae dimidiam illi subtrahit quotidianarum distributionum partem, quemadmodum tradunt *Thesaur. de poen. eccl., verb.: Beneficium cap. 6.* ac *Girald. Exposit. jur. pontif. sect. 79 ad Conc. Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.*, ac nuperrime respondit haec s. Congregatio in *Firmana Fructuum et distributionum 15. Decembris 1827. ad II.* dub. Jure quoque suo Episcopus per subtractionem fructuum negligentem clericum compellere potest, ut sacris initietur ordinibus, imo etiam privatione canonicatus et beneficii extorrem plectere ad tradita per *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis* §. *inferiora de elect. n. 29.* et s. Congr. in *Senogallien. Canonicatus 23. Novembris 1754;* at opus est, ut canonicae prius adhibeantur monitiones, quoniam nec privatio fructuum nec vacatio canonicatus et praebendae interducitur ipso jure, *Pignat. consult. can. 75. num. 6. tom. 7.*, s. Congr. in *Romana Canonicatus 9. Septembris 1786*, in *Caesenaten. Mansionariae 14. Septembris 1792*, et in cit. *Firmana ad I. et IV.*, exceptis tantummodo animarum curatoribus, qui, nulla etiam praecedente monitione, ipso jure privantur ecclesia sibi commissa, si infra annum ad sacerdotium se promoveri non fecerint, *in cap. Licet. 14. de elect. in 6.*, *Fagnanus in cap.: Cum in cunctis.* §. *inferiora de elect.* *n. 19* ac *Reiffenst. lib. 1. decret. tit. 14. n. 29.*

Ab hujusmodi poenis se omnino immunem censet Canonicus Pascucci, cum nec juris dispositione nec fundationis lege nec alio vinculo se ad sacros ordines suscipiendos obstrictum reputet. Enimvero ad assequendos ac rite possidendos canonicatus ecclesiae collegiatae etiam insignis ex juris communis sanctione, quam haud immutandam arbitrata est Tridentina synodus, satis habetur clericalis tonsura ac aetas quatuordecim annorum, *Reiffenst. loc. cit. n. 20.*, *Garzias. part. 7. de benef. cap. 4. num. 6.*, s. Congr. in *Senogallien. Canonicatus 11. Maji 1793. ad II. dub.*, licet eorumdem possessores vocem in capitulo non habeant, donec subdiaconatus ordine fuerint insigniti, *Clement. Ut ii de aetat. et qualit. praefic.*, *Concil. Trid. sess. 22. cap. 4. de reform.*

Imo quamquam Canonici Collegiatae Amandulae vel sacrorum canonum dispositione vel capitularibus constitutionibus vel consuetudine ad sacros ordines se promoveri tenerentur, attamen Canonicus Pascucci se ab ejusmodi onere omnino exemptum tuetur ex fundationis lege, quae potis est juris sanctioni derogare, *Piton. de controv. patronor. alleg. 80. n. 6.*, *Fargn. de jurepatr. part. 2. can. 27. cas. 3. n. 1.*, *Rot. cor. J. Caunitz decis. 136. n. 11.* Porro in tabulis fundationis, nulla oneris recipiendi sacros ordines facta mentione, is nominandus edicitur inter familiae Jannetti descendentes, qui *ad clericatum venire voluerit*, et in erectionis instrumento idem canonicatus denuntiatur institutus *pro uno presbytero seu clerico futuro .... qui perpetuis futuris temporibus dictas missas celebrare seu celebrari facere teneatur.* Ne itaque fundatoris voluntati, qui simplices vocavit clericos, vulnus infligatur, Canonicus Pascucci ad sacros ordines suscipiendos cogi non poterit. Quin obsit ejusdem canonicatus possessores sacro presbyteratus ordine hactenus fuisse insignitos; scitum namque est, actus facultativos,*) tametsi per longissimi temporis spatium exercitos, nullam invehere posse praescriptionem ac fundationis legem evertere, *Rot. cor. Crispo decis. 115. n. 13* et *cor. Falconer. decis. 7. tit. de jurepatr. n. 3.*

At Canonici ex fundationis lege ac perenni consuetudine rectori canonicatus Jannetti onus recipiendi sacros ordines plane incumbere arbitrantur. Et sane in dubium revocari non potest canonicatus omnes collegiatae ecclesiae ss. Donati et Martini, quae beneficiatis et mansionariis penitus destituta est, ordinis esse presbyteralis eorumque possessoribus onus incumbere missas vicissim per hebdomadam canendi, munus diaconi et subdiaconi in orbem obeundi ac etiam operam suam in exercenda animarum cura impendendi. Cumque fundator Jannetti rectorem canonicatus a se instituti eisdem, quibus alii Canonici obstringuntur, subjecerit oneribus, liquido apparet, Canonicum Pascucci compellendum esse ad sacros ordines suscipiendos, sin minus canonicatu privandum. Nimirum Canonicus Pascucci onera suae praebendae annexa, scilicet horas canonicas in choro persolvendi per hebdomadam, ut alii Canonici per se ipsum perferre debet, quemadmodum nec ipse inficiatur Pascucci; decrevit Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de reform.* hisce verbis: *»Omnes divina per se et non per substitutum compellantur obire officia ... atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare*, et respondit s. Congregatio in *Praenestina Canonicatus 16. Junii 1787.* §. *Licet* et in *Melevitana Indulti 15. Decembris 1827. ad I. dub.* Jam vero si Pascuccius divinis officiis interesse et sacras functiones ac etiam hebdomadam, ut alii Canonici, per se facere obstringitur, nemini dubium, quin ex fundationis lege sacros ordines ac etiam presbyteratum recipere debeat.

Accedit diutura ac numquam interrupta observantia, teste Emo Archiepiscopo, qui haec scribit: »Beneficium hoc collatum semper fuit in sacerdotes incipiendo ab anno 1632 ad praesentem diem; quinimo in Canonicorum numerum cooptatus anno 1763 post obitum Dominici Antonii Chiappini, clericus Vincentius Maria Ronconi et ad legitimam aetatem perventus, cum se conspiceret non satis callidum versatumque in rebus divinis, supplex adiit sacram istam Congregationem pro dilatione unius anni impetranda, quo tempore elapso sine ulla mora sacerdotio se promovit.« Observantiam vero optimam esse fundationum interpretem ac plurimi faciendam docent *Card. de Luca de benef. disc. 61. n. 13*, *Piton. de controv. patron. alleg. 33. n. 16.* et s. Congr. in *Anconitana Capellaniae 12. Junii 1762.* §. *Praeterea.*

Quin aliter suadere valeant illa fundatoris verba: *»dummodo ad clericatum venire*

*) Vd. *t. I. p. 176.*

voluerit« ac alia instrumenti erectionis *»pro uno presbytero seu clerico futuro«*, eo enim spectant ejusmodi verba, ut probent, canonicalem praebendam Jannetti non esse inter canonicatus actu sacerdotalem adscribendam, ideoque eam assequi poterit clericus, qui in ea sit aetate iisque polleat qualitatibus, ut intra annum a die captae possessionis sacro presbyteratus ordine initiari valeat, *Trid. syn. sess. 24. cap. 12. de reform.*, *Abbas in cap.: Cum in cunctis* §. *Inferiora num. 10. de elect.*, *Fagnan. in cap.: Ut Abbates num. 58. de aetat. et qual. praefic.*

Proponuntur dubia:

I. *An canonicatui Jannetti sit annexum onus ascendendi ad ordinem presbyteratus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et a quo tempore Canonicus Pascucci inciderit in poenam privationis dimidiae partis quotidianarum distributionum in casu?*

III. *An eidem Canonico sit praefiniendus terminus ad sacros ordines suscipiendos in casu?*

S. Congr. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Supplicandum SSmo pro condonatione.

Ad III: Affirmative et praefiniendum terminum unius anni juxta votum Emi Archiepiscopi.

Die 22. Maji et 26. Junii 1830.

Imolen.

Cuique compertum est, ex sacrorum canonum jure unius anni spatium tribui beneficiorum rectoribus ad recipiendum ordinem ipsis beneficiis adnexum, *Clement. Ut ii de aetat. et qual. praef.*, s. Congr. in *Senogallien. Canonicatus 23. Novembris 1754* et in *Firmana Fructuum et distributionum 24. Novembris 1827.*

Die 26. Mart. 1831.

Cortonen.

Notissima regula est, quae distinguendo inter qualitatem sacerdotalem in habitu et in actu firmat sicut in dispositione legis ita et dispositione hominis generatim sufficere ad beneficia, quae sacerdotalem ordinem habitu praeseferunt, assequenda, ut quis infra annum possit ad illum promoveri. *Piton. de controv. patron. alleg. 33. n. 5.*, *Pignatell. consult. 2. n. 22.*

Die 13. Febr. 1841.

Anagnina.

Die 15. Maji anni 1837 beneficiatus cantor renunciatus fuit in cathedrali Anagnina ecclesia clericus Archangelus Gineus, cui beneficio vi constitutionum capitularium onus inest sacros ordines infra annum a capta possessione suscipiendi. Elapso autem possessionis anno neque adhuc idoneus ut sacris initiaretur, petiit obtinuitque a s. Ordine Gineus, Episcopo adnuente ac universo capitulo, indultum prorogationis ad annum arbitrio et conscientia Episcopi, ex audientia SSmi diei 6. Junii 1838; quamvis enim aetatem attigisset annorum octo supra vicesimum, studiis tamen theologicis nondum incumbere potuisse quaerebatur tum ob quotidianam choro praesentiam tum ob infirmam valetudinem.

Expleto indulti cursu confugit iterum Gineus ad s. Ordinis clementiam exponensque: »che persistendo egli ancora a stare malato, come rilevasi dall' annesso attestato del medico, non può ancora dare esecuzione al detto obligo ed alla propria volontà«, efflagitat sacratissimum Principem *»a volersi degnare accordagli un'altra benigna proroga per un biennio.«*

Capitulum quidem super oblatis precibus auditum haud obstitit oratoris voto; etenim ex actu capituli constat Canonicos decem contra tres eidem fuisse suffragatos, nec pariter abnuit Episcopus, qui datam relationem ita absolvit: »Mea simul fert opinio, ut oratori non duorum annorum, sicut ipse flagitat, sed unius tantum anni tempus prorogationis ad sacros ordines suscipiendos ab EE. VV. benigne tribuatur eum solum in finem, ut melius dignoscatur infra hoc tempus, quinam futurus sit exitus infirmitatis.« Obstat at vero acriter universitas beneficiariorum, qui dato in id supplici libello postulant, ut fructus post expletum concessae prorogationis annum collecti, qui ad scutatos annuos nummos 140 ascendunt, inter Capitulares dividentur: adversaturque insuper anonimus alter ex Capitularibus, qui exponit, oratorem Gineum gravi dementia teneri, hominem esse vinosum, supina laborare ignorantia; demum nonnullis abhinc mensibus ita repentino concidisse, ut femorem sibi fere confregerit: hinc ineptum perpetuo evasisse sacris ordinibus; atque adeo beneficio esse privandum, suffecto eidem cordato presbytero, qui debitum ecclesiae servitium rite rependat. Nec sane hujusmodi vitia reticet Antistes; ait enim: »Orator, quum post beneficii adeptionem dementiae

signa haud dubia dedisset, non per me nec per meos antecessores potuit ad sacros ordines promoveri. . . . Quamvis vero praefatus beneficiarius mentis invaletudine ad praesens non laboret, non adeo tamen sanus est, ut periculum in eam relabendi omnino removeat, quemadmodum saepe accidit, aestivis praesertim temporibus. Sed praeter hanc mentis infirmitatem etiam adversam corporis valetudinem in praesentiarum ipse patitur atque adeo vis morbi jam a septem circiter mensibus invaluit, ut de suorum membrorum pristina sanitate ac libero sui corporis exercitio sit probabiliter pertimescendum; hoc ergo in causa potissimum est, cur nominatus beneficiarius nondum sacris ordinibus fuit initiatus nec spes affulget posse in posterum initiari.« Hinc autem anceps haeret Episcopus ipse de consilio trepida in re sibi capessendo. Consonat de oratoris adversa valetudine etiam medici fides ab eodem exhibita.

Haec mihi de facto pro meo munere exponenda erunt; paucis me expediam quoad juris opportunas animadversiones. *In cap.: Ut Abbates 1. de aetate et qualit. ordinandorum* ita decernitur: *»Ut Abbates, Decani et Praepositi, qui presbyteri non sunt, presbyteri fiant, qui archidiaconatus tenent, diaconi etc. . . . aut honorem amittant. Quod si, aliqua justa causa prohibente, presbyteri aut diaconi esse non potuerint, praelationes amittant.«* Hunc commentantes textum satis salebrosae lectionis *Schmalzgrueber in jus canon. univ. p. 3. tit. 14* §. *2 de aetate et qualit. ordin. num. 2* et *Gonzalez in cap.: Cum in cunctis de elect.* §.: *Inferiora num. 15.* istam constituunt distinctionem in casu impedimenti ad sacros ordines suscipiendos, quod contraxit quis beneficiarius hoc onere gravatus in assecutione beneficii: *»Multum refert* (ita Schmalzgr. *loc. cit.) an impedimentum istud provisus contraxerit ante assecutionem beneficii vel post. Si ante, amovendus est a beneficio, quia impedimentum illuc in promotione sua reticere non potuit, si post assecutionem beneficii, iterum distinguendum: an propria sua culpa illud contraxerit vel absque culpa. Si prius, non est compellendus ad suscipiendum ordinem sed privandus beneficio per text. in cap.: Ut Abbates et Gloss. fin. hoc tit. Si posterius, nec privandus est beneficio nec ad ordines compelli debet; non istud, quia istorum est incapax: non illud, ne afficiatur. gloss. cit.«* Porro Gonzalez in eandem sententiam descendens *(loco cit.)* multis hac in re concordatis canonibus haec addit.: *»Sed si impedimentum est temporale, expectatur tempus, intra quod valeat promoveri, et si perpetuum est, illi assignantur fructus, dato coadjutore juxta tex. in cap. 1. de cler. aegrot.«* Et id quidem praesertim cum mentecaptis per summos Pontifices pluries factum fuisse refert *Rigantius com. in reg. XLV. cancell.* §. *1. num. 39*, scilicet praevio consensu curatoris eisdem assignati vel motu proprio, coadjutoribus congrua super beneficii fructibus assignata.

Erit itaque EE. VV. sapientiae congruum in casu remedium suggerere. Videant nempe, utrum impedimenta, quae certo beneficii assecutionem subsecuta sunt, quaeque non oratoris culpae sed misero casui tribuuntur, talia sint, quae removeri posse spes affulgeat: siquidem dementiae morbus quatuor annorum lapsu haud minimum remisisse visus est. Scientiae autem defectus, qui ex mentis hebetudine praecipue repetitur, nondum vinci valuit ab homine trigesimum quintum aetatis annum ingresso: quare irremovibilia esse praefata impedimenta, consulto etiam medicesperito, dubitat Antistes. Quatenus porro melioris conditionis spes adsit, decernant, an expediat petitam prorogationem indulgere, ut opinabatur Antistes: secus, quidnam consilii sit capiendum declarent, remisso responso ad dubia:

I. *An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit providendum in casu?*

Continuatio.

Accepi nuper unum et alterum documentum a Gineo exhibitum ad hoc, ut EE. VV. tutius miserae suae conditionis indolem agnoscant. Mei muneris est eorum summam referre. Alterum est fides bini medici testantis: *»Che se il Sig. Arcangelo Ginei beneficiato di questa Cattedrale di Anagni perdè nel 1839. l'uso della ragione e fu preso da forte delirio, ciò accadde, perchè in quella circostanza era affetto da una infiammazione delle membrana del Cervello, che gli durò circa venti giorni, e questi sintomi erano effetto dell' infiammazione medesima, terminata la quale ritornò perfettamente in se, e non è mai più caduto in simile malattia, e non si sono più presentati i sintomi suddetti, per cui giudichiamo non esser cosa facile che si ri-*

producano, essendo corsi quattro mesi che gode buona salute. Che se è più di un' anno da che rimansi nella propria abitazione, ciò avvenne per una lussazione da lui riportata dal capo del femore, per cui non poteva caminare; ora poi mediante il soccorso di un bastone può uscire di casa, e può anche esercitare il suo officio.« Alterum sistit in testimonio professoris chirurgi pariter asserentis: *»d'aver visitato fin al mese di Giuglio pp. il sig. Arcangelo Ginei, che avea riportato da qualche tempo una forte contusione nel gran tracantere sinistro, per cui è impossibilitato attualmente potere senz'ajuto di bastone; mercè gli adottati rimedj si troverà sanato dal suo incomodo.«*

Accedunt tres ex beneficiatis cantoribus declarantes sese numquam subscripsisse precibus ad s. Ordinem datis pro fructuum praebendae Ginei inter collegas cantores distributione.

Dubia:

I. *An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit providendum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad annum juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Ad II: Provisum in primo.

Die 3. et 17. Decbr. 1842.

23) Pensionem solvere tenetur.

Tenetur beneficiatus sub mortali solvere pensionem impositam beneficio, quia beneficiatus acceptando beneficium pensione gravatum censetur quasi contraxisse cum pensionario et se obligasse ad pensionis solutionem. Est communis cum *Rota par. 2. dec. 176. num. 1. et part. 3. dec. 110. n. 1.*

24) Procurationes contribuere tenetur.

Vd. *Procurationes.*

Tenetur beneficiatus contribuere pro procuratione Episcopi visitantis, sacr. Congreg. Concil. apud *Crispin. de visitation. part. 1. §. 16. n. 10.* et sacr. Congr. Episcop. in *Civitatis Castellanae 28. Novemb. 1687.*

25) Professio fidei.

a) Obligatio et coram quo praestanda?

Tenetur beneficiatus curatus professionem fidei emittere coram Episcopo vel eo impedito coram ejus Vicario generali intra duos menses a die adeptae possessionis beneficii. Et promoti ad dignitates et canonicatus in ecclesiis cathedralibus tenentur intra idem tempus professionem fidei emittere, non solum coram Episcopo seu ejus Vicario generali sed etiam coram capitulo, alias fructus non faciunt suos; nec illis possessio suffragatur, textu expresso in Concil. Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.*; ibi: »Provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi et eo impedito coram generali ejus Vicario seu Officiali orthodoxae suae fidei publicam facere professionem et in romanae ecclesiae obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram Episcopo seu ejus Vicario, sed etiam in capitulo idem facere teneantur, alioquin praedicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos nec illis possessio suffragetur.« Et Pius IV. in constit. incip.: *Injunctum,* ubi tradit etiam formam in tali fidei professione observandam. Hanc professionem fidei per se ipsos et non per procuratorem tenentur emittere provisi de parochialibus et de canonicatibus in cathedralibus; sacr. Congr. Conc. in *Seguntina 18. Aprilis 1590* et iterum in alia causa die 12. Septembris 1620, ut referunt *Nicol. Garcias de benefic. part. 3. cap. 5. num. 54. declarat. 1., de Scortia in selectas summor. Pontific. constit. epit. 84: Theorem. 207. vers. Quidsi beneficiarius; Barbosa in summ. apostol. decis. verb.: Professio fidei num. 5.* et iterum eadem Congr. Conc. in *Callaguritana 22. Septembris 1696* apud *Monacell. tom. 1. formul. 13. num. 4.* Et hanc fidei professionem tenentur denuo emittere illi, qui in adeptione alterius beneficii similis eam jam emiserunt. Sic declarasse sacram Congr. Conc. testantur *Nicol. Garcias de benefic. part. 5. cap. 3. num. 17. et 18.* et tenent *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. allegat. 61. num. 8.* et alii plurimi apud ipsum.

Professio haec fidei emitti potest coram Vicario generali, Episcopo nedum impedito verum etiam non impedito, de ipsius tamen

licentia; *Romaguer, ad synod. Gerund. lib. 1. de summ. Trinit. et fid. cathol. n. 55., Barbosa de Canon. cap. 7. n. 3.*

b) Poenae in non praestantes.

Fidei professionem inter duos menses non facientes tenentur restituere fructus perceptos post elapsos ipsos duos menses, s. Congr. Conc. in *Seguntina 18. Apr. 1590*; nisi ead. sacr. Congr. Conc. eos condonaverit et remiserit, ut ipsamet censuit et benigne condonavit in *Tuscanen. 5. Martii 1614* Angelo Constantino ejusdem Tuscanensis Cathedralis primicerio, teste *Barbosa cap. 17. de Canonic. et Dignitat. num. 23.* Tales autem omittentes fidei professionem, licet non faciant fructus suos, distributiones tamen acquirunt et faciunt suas, sacra Congreg. Concil. relata a *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. §. 7. Proem. num. 160.* Nec ipsa professionis fidei omissio privat Canonicum aliis effectibus possessionis, sed ipsum et vocem in capitulo et praecedentiam habere a die adeptae possessionis, nisi aliud obstet, declaravit s. Congr., ut refert *Quaranta in summa bullar. verb.: Beneficiorum possessio in addit. lit. B. verb.: Refertur.* Caeteri autem beneficiati, licet non teneantur professionem fidei emittere vigore Concilii Tridentini et cit. constitutionis Pii IV., cum ibi sit sermo solum de obtinentibus canonicatus et dignitates Cathedralium et de beneficio curato habentibus, tamen tenentur ipsam emittere vigore legum dioecessanarum, in quibus fere omnibus reperitur statum, ut omnes beneficiati etiam in Collegiatis et quicumque etiam simplicia beneficia obtinentes teneantur intra duos menses professionem fidei emittere coram Episcopo vel ejus generali Vicario, ut expresse fuit sancitum in *synodo Alexandrina habita 1. 2. et 3. Maji 1732 tit. 1. de fidei professione.*

Quaeri etiam solet, an requiratur sententia declaratoria, ut, qui fidei professionem non emittunt, fructus amittant? Refert etiam *Romaguer. ibid. num. 81.* dissidentes inter se doctores et pro negative pugnat. De eo etiam disputatur, an hi, qui intra duos menses professionem fidei haud emisserunt, fructus perceptos in ipsos duos menses amittant: Negant communitur, *Barbosa de Canon. cap. 17. num. 23., Antonell. de regim. eccles. lib. 2. cap: 14. num. 7., Rosa de executor. lit. apost. cap. 13. num. 49* aliique. At Romaguer., ubi supra num. 84 cum Ledesma: Non est contemnenda (ait) opinio contraria et rationi conformem eam censeo. Nam si ab initio possessio nec titulus provisis officit, quomodo poterit sic infecta possessio ac causa eos acquirendi operari licitam eorum retentionem ac evadere privationem stabilitam a Concilio Tridentino? Quomodove est conciliandum, possessionem ob emissam fidei professionem nullius effectus esse quoad fructus acquirendos efficique sane numquam acquiri, ut textualiter legitur, dicereque contrarium nullus somniavit, et velle inde capacitatem retentionis nasci? Ego sane cum Ledesma tenerem etc,«

Professio fidei facta post elapsum terminum dictorum duorum mensium non prodest ad recuperandos fructus praeteritos, sed solum ad acquirendos futuros, *Barbosa de Canon. c. 17. n. 23.*

Et nota, quoad fructus praeteritos nec suffragari possessionem, tametsi triennalem vel longiorem, *Novarr. in summ. bullar. p. 1. comment. 59. n. 9. Thesaur. de poenis eccles. c. 1. §. 3.*

c) Per procuratorem praestanda.*)

Professionem fidei per se ipsos et non per procuratorem tenentur emittere provisi de parochialibus et canonicatibus in cathedralibus; sacr. Congregat. Concilii in *Seguntina 18. Aprilis 1590* et iterum in alia causa *die 12. Septembris 1620*, ut referunt *Nicol. Garcias de benefic part. 3. cap. 5. num. 54. declarat. 1.* et *Scortia in selectas summor. Pontific. constit. epit. 84, Thorem 207. vers.: Quid si beneficiarius, Barbosa in summ. apostol. decis. verb.: Professio fidei num. 5* et iterum ead. Congr. Conc. in *Calaguritana 22. Sept. 1696* apud *Monacell. tom. 1. formul. 13. num. 4.*

Magna autem est quaestio: An professio haec fidei fieri possit per procuratorem speciale habentem mandatum? Doctores tum affirmantes tum negantes referuntur a *Romaguero loc. cit. num. 45. et sequent.*, qui affirmativam sententiam tum amplecti posse concludit, quum vult is, coram quo fidei professio est emittenda.

26) Qualitas recusanda.

Ad canonicatum collegiatae ecclesiae de jurepatronatus laicali ex praedecessoris pro-

*) Vd. *supra p. 180. a.*

motione vacantem nominaverunt patroni infra tempus legitimum clericum N. N. subdiaconatui jam proximum petieruntque ab Episcopo ut institueretur; Episcopus at vero, institutione retardata, jussit edicta apponi ad contradicendum, necnon per Ulricum praesentatum citari omnes interesse habentes ac promotorem fiscalem, priusquam de ejus institutione instantia admitteretur. Quibus mandatis cum restitisset clericus respuens expresse promotoris fiscalis citationem, reliqua facto non executus, decretum ab episcopali curia latum est ineunte mense Septembris anni 1840; quo peremptorius terminus praefigebatur nominato ad praefata jussa executioni mandanda, necnon ad docendam suam idoneitatem relatam ad canonicatum, quem expetierat, quo inutiliter elapso: »*Vengano dichiarate inutili e di niuna efficacia ed effetto le presentazioni esibite a di lui favore*, *ed i patroni posti in istato di procedere ad altre nomine*, *se e come di ragione.*« Quid post haec egerit curia episcopalis haud interest recensere; unum scire est, clericum praesentatum, sive (ut ait) voce in vulgus diffusa territus fuisset ipso per curiam rejecto alium magis benevisum ad vacantis canonicatus adeptionem vocari, prout magis suadebat acris promotoris fiscalis instantia ipsum inidoneum omnino conclamantis, sive quod pro sua paupertate imparem se comperisset liti ferendae, quam praesentierat, siluisse prorsus ejusque vindicias assumpsisse patronos ea ex parte, quae idoneitatis probationem respicit, exhibitis opportune nonnullis documentis, de quibus suo loco sermo redibit.

Nihilominus, his omnibus despectis, sententia per curiam lata est die 12. Januarii 1841, quo judex: »*Ha dichiarato e dichiara doversi accogliere*, *come accoglie l'istanza giudiziale del signor promotor fiscale*, *e doversi rigettare come rigetta la presentazione fatta dai diversi padroni nella persona del clerico N. N. al canonicato in quella chiesa collegiata . . . ha contemporaneamente riservato e riserva ai padroni qualumque diritto possa ai medesimi competere anche ad effetto di nuova nomina nella presente vacanza, se e come di ragione. Ha condannato inoltre e condanna il prenominato chierico a tutte le spese del presente giudizio.*«

Haec examussim sententia est, a qua ad s. hunc Ordinem cum provocassent patroni, mox accessit clericus ipse his praesentatus et praesentis disceptationis thema constituit. Priusquam sapientissimo EE. VV. judicio causa proponeretur, haud praetermissum est, prout mei muneris erat, Episcopum postulare de causis denegatae institutionis ceterisque ad rem facientibus: at ille se retulit ad ea, quae in actis curiae praesertim in tenore sententiae continentur, addens tantummodo: »At quoniam in enumerandis rationibus, quae ad appellandum clericum N. N. sese offerebant, non omnia proferre licuit, quae moribus illius officiunt, etenim quaedam silentio premere compellebat honestas, quaedam vero circumspecta prudentia pandere vetabat, ne unius culpa pluribus noceret, ideo declaravi quaedam apud me reposita manere nonnisi summo Pontifici, quandocumque opus fuerit, patefacienda, quae quidem majoris sunt ponderis, quam quae in foro prodierunt. Idcirco si tantummodo ea, quae in sententiae elucubratione, licet summo digito tacta, recensentur, satis superque sunt ad respuendam N. N. nominationem, potior erit ratio, si ceteris patefactis mendis illae graviores superaddantur, quas Pontificis jussu manifestare necessarium mihi foret.« Haud praetermisi quidem, prout mei muneris erat, eumdem Episcopum excitare, ut menda haec s. Ordini manifestaret pro tutiori rei definitione Pontifici sacratissimo, ubi opus fuisset, suo tempore referenda, at sua prudentia iterum duxit ille respondere: »Licet gravia sint momenta in forum adducta, non idcirco silere putavi quaedam graviora nemini unquam nisi Summo Pontifici patefacienda.«

Jam vere ideo se rite recusasse institutionem tuetur Antistes, quod praesentatus nec idoneus repertus fuerit beneficio consequendo nec dignus.

Idoneitatis defectum arguit vel ex eo quod in examine habito sub mense Martio 1840 pro assequendo subdiaconatus ordine fuerit clericus omnino reprobatus, etsi nil aliud fuisset illi propositum, quam romani cathechismi explicatio ac moralis tractatus de legibus ab ipso eodem examinando selectus. Contra vero docet Glossa in *Clement. I. de concess. praebend:* »*Ad beneficia simplicia sufficit*, *quod sciant tantum legere: ad canonicatus autem*, *ubi requiritur industria et consilium*, *requiritur major scientia*, *ne ad capitulum conveniant oves et boves*« seu ut clarius explicat *Scarfant. ad Cecooper. lucubrat. canon. lib. 4. tit. IX.*: »*Insinuata scientia est necessaria in canonicando tempore examinis et praedictorum ignorantia excludit a canonicatu et ratio est quia hujusmodi literatura est de jure divino in Canonicis et ea carentes sunt irregulares.*« Quin suffragari possit futurae idoneitatis aspectus tum quod ejusdem spes non affulgeat in homine adeo rudi et jam vicesimum quartum aetatis annum supergresso, tum quod idoneitas tempore examinis et institutionis necessaria fuerit, auctore Scarfantonio, loco superius allegato.

Atque hanc ignorantiam eo majus parare obstaculum subdit Episcopus, quia agitur de beneficio sacerdotali. Id scilicet eruere satagit ex quo, antequam Collegiata, de qua agirur, talis a Benedicto XIV. efficeretur, extiterit ecclesia curata, quam omnes presbyteri ejus servitio addicti procurabant, qui mox Canonici sunt appellati, necnon ex resolutione s hujus Ordinis, qui sub a. 1724 cum de altero ex his canonicatibus tunc beneficiis rogatus sub proposita dubii formula: *An beneficium sit sacerdotale?* respondit: *Affirmative;* demum ex quo in ipsa bulla erectionis Collegiatae Canonicis onus imponatur: »*Missam conventualem quotidianam quilibet ex eis celebrandam pro benefactoribus applicare debeat et teneatur*«; quinimo post constitutum Praepositum perpetuum parochum additur*:* »*ac unum et alterum Canonicos primodictae parochialis ecclesiae in exercitio curae animarum ei alternatim ministrantes et eum coadjuvantes*, *qui tamen tam ex nunc provisi quam in posterum providendi deputari debeant ab Ordinario pro exercitio curae animarum*«, quibus posterioribus verbis Pontifex immutare noluisse indolem parochialem beneficiorum, dum in canonicatus erigebat, satis declaravit.

Ad indignitatem quod attinet narrat sententia episcopalis jam ab a. 1836. Clericum de quo agitur accusatum fuisse de furto sacrilego pretiosae cujusdam margaritae, quae ex collo pendebat iconis b. Mariae Virginis in paroeciali ecclesia s. Petri ac super hoc crimine processum fuisse institutum, qui adhuc apertus remanet sine ulla definitoria sententia, quam intercepit gravis metus ab ipso clerico incussus parti fisco adhaerenti, idest parocho illius ecclesiae, ubi crimen patratum est, prout ex ipsius parochi epistola sub die 8. Julii 1836 in actis exhibita erui dicitur. Hic meminit sententia eadem de criminibus nonnullis soli Pontifici patefaciendis, prout meminerat in sua relatione Episcopus, nisi quod aliquid amplius innuit scilicet thema, quo hujusmodi crimina continentur: sese enim refert ad deducta per promotorem fiscalem, ita disserentem: »È ben noto che oltre la cattiva fama, di cui gode presso il pubblico il chierico anzidetto, ond'è conosciuto da tutti col sopranome di Abbate Faloppa per la manifestata di lui abitudine nel mentire, molti e frequenti sono stati i ricorsi e le querele di più abitanti di N. N. portati a questo nostro Mons. Vescovo addebitandolo di lenocinio con giovani d'ambi i sessi e di fatti di assai maggior rilievo in materia di costume, ed in quanto altro può addimostrare l'indole sua e le sue tendenze pienamente preoccupate dallo spirito del mondo ed opposte al carattere ed allo spirito ecclesiastico.«

Jam vero nedum ad ordines sed nec ad beneficia promoveri debere eos, de quibus mala orta est aestimatio, satis colligitur ex cap.: *Omnipotens de accusat. ex canon. 1. dist. 81 Apostolus Paulus cum glossa ibid. ex can. laici 6. dist. 33.* idque eo magis si de infamia facti res sit quae notoria fuerit, *cap.: Accedens de accusat. cap. fin. de furtis., Leuren. part. 1. qu. 337 et 339 ubi explicat:* »*Infamia et notitia et opinio manifestata et divulgata extrinsecus voce orta ex rationabilibus et probabilibus conjecturis,*« *Abbas in cap.: Qualiter et quando de accusat., Suarez t. 2. de relig. trac. 5, de juram. cap. ultim.*

Vela contrahit episcopalis sententia animadvertens in pretio haberi non posse testimonia, quae de bonis moribus adducit clericus praesentatus, quia post notorium crimen furti vel petulantia extorta censenda sunt vel nonnisi de extrinsecis pietatis actibus loqui voluisse, quibus quandoque et vitium ipsum obtegitur.

Patroni e contra, qui praesentato adstant defensores, multa congerunt ut ab Antistite objecta diluant et idoneum dignumque illum ostendant ad beneficium in themate possidendum. Negant itaque imprimis peculiarem scientiam de jure communi requiri in eo, qui canonicatum assequitur in ecclesia collegiata, quum satis sit tonsura cum aetate annorum quatuor decem docente ad Trid. Bened. XIV. *de synodo dioeces. lib. 12. cap. 4. n. 5.*

Rursus negant sacrum aliquem ordinem requiri ex peculiari fundatione, prout in sententia asseritur, multaque minus presbyteratum. Sit quidem quod aliquando actuales praebendas canonicales possederint presbyteri in parochi adjutorium admissi, illud tamen exploratum est, hujusmodi praebendas ac

beneficia *naturam et essentiam* immutasse per Benedictinam bullam a. 1742 quae jussit: »*Perpetuo supprimi et extingui vetera illa beneficia illisque sic suppressis et extinctis primodictam parochialem ecclesiam in saecularem et insignem Collegiatam, quae etiam parochialis, ut antea existat, ecclesiam cum capitulo, stallo, choro etc. erigi*;« et inferius eadem Collegiata, quae erigebatur, dicitur similis aliis ecclesiis collegiatis insignibus: »*In omnibus et per omnia absque ulla prorsus differentia*;« et rursus tredecim praebendae in provisionem dicuntur erigi »*pro totidem clericis seu presbyteris futuris in ea ecclesia Canonicis.*« Et demum casus contemplatur, quo aliquis ex Canonicis ad matrimonialem statum transierit »*Si vacare contigerit per matrimonii contractum*«; quae universa nemo sanae mentis intelliget, si Canonicos singulos presbyteros esse debere supponat. Hinc onus canendi missam conventualem relevare contenditur ad praefatam qualitatem inducendam, quippe id onus non singulis Canonicis sed capitulo universim impositum non importare in iis obligationem ordinum sacrorum resolvit nuper s. Ordo in *Firmana s. Ordinis 27. Aprilis 1839.* Atque eadem ferme ratione necessarium minime esse videtur, ut universi et singuli Capitulares presbyteratu donentur, quod duo tantum possint ab Episcopo eligi ad adjutricem parocho in animarum cura operam praestandam.

Consonat his et praxis hactenus, nemine contradicente, servata: siquidem saepissime et diversis temporibus praesentati et instituti fuerint simplices clerici ad canonicatus in themate, itaut ab anno 1782 ad hodiernam diem quatuor supra decem recenseantur; quinimo hodiernus ipse Episcopus instituisse edicitur binos clericos ulla absque dubitatione, alterum a. 1833 scilicet decessorem postremum in canonicatu, de quo agitur, alterum a. 1839 qui adhuc in minoribus ordinibus constituitur.

Quum porro ex hactenus deductis constet beneficium, de quo quaeritur, naturam immutasse suam sub a. 1742 vi Benedictini diplomatis de Collegiatae erectione, alienam prorsus a themate dicit resolutionem s. Ordinis ex adverso allegatam, quae ad annum pertinet 1724, quo tempore beneficia illa possidentes in adjutorium parochi assumebantur.

Ceterum de facto adnotant assertam praesentati ignorantiam haud eam esse posse quae in episcopali sententia asseritur; secus enim nec Episcopus minores ordines et, contulisset nec de philosophicis disciplinis in seminario, quo is degebat, Antecessor testatus fuisset a. 1836: »*N. N. clericum ingenuum omnisque spei juvenem philosophicis disciplinis et practicae aritmeticae impensius incumbere et omnibus numeris diligentis solertisque discipuli munia obire*,« nec moralis theologiae praeceptor declarasset a. 1839 et repetiisset a. 1840: »*Dominum N. N. unum ex meis auditoribus scholam frequentare suoque muneri commendabili diligentia fungi.*« Quod si minus feliciter illi contigit periculum pro subdiaconatus ordine susceptum (ut pro veritate non diffitetur), id non crassae ignorantiae sed timori cuidam, quo mens nimium turba est, tribuendum fuisse obtestantur.

Nec minus perperam adsertam fuisse clerici indignitatem subsumunt, quae quidem plene probanda fuisset, antequam jus clerico per praesentationem quaesitum tolleretur ac injuria fieret patronis in indignum nominationes conferentibus. Porro contra nonnisi vagas afferri voces perpendunt, quae factis cedant necesse est, quae enucleantur. Hujusmodi sunt ipsum Antistitem eidem clerico possessionem dedisse tenuis cujusdam capellaniae sub anno 1833: Vicarium foraneum die 29. Novembris 1836 testatum fuisse: »Che il chierico N. N. dà buon saggio di sua morale condotta e si rende commendevole nell'assiduita con cui si presta al servizio di questa chiesa«: insequenti anno ipsum Episcopum recepisse praefatum clericum in dioecesano seminario in officio juvenibus praefecti ac de eo, dum hoc munere fungeretur, scripsisse parochum ecclesiae cathedralis et in seminario confessarium die 20. Maji 1836: »Che il chierico N. N. frequenta con assiduità i santi Sagramenti, e avanzandosi nella carriera ecclesiastica potrà essere di gran vantaggio alle anime per la sua bontà di costumi, e per le altre virtù, delle quali si rende foruito.« Sub anno 1839 Canonicum poenitentiarium alterius Concathedralis per epistolam monuisse clericum »Monsignor Vescovo mi ha assicurato che niente ha contro di voi, e la vostra ordinatione per il *Sitentes* dipenderà dall'informazione di questo degnissimo Monsignor Vicario, e dall' esame che dovrette subire«: reapse vero examini admissus est pro subdiaconatus ordine suscipiendo: demum sub die 15. Decembris a. 1839 ipsum rectorem seminarii, ubi degebat adhuc clericus N. N., et insimul Vicarium generalem pro veritate testimonium obsignasse:

»Il sottoscritto certifica e fa fede a chiunque, che il chierico minorista N. N. dimorante da oltre a due anni in questo seminario collegio, come prefetto, prima dei seminaristi grandi, ed ora dei convittori, ha tenuto e tiene in questo luogo ottima ed irreprensibile condotta disciplinare, riceve con frequenza i ss. Sacramenti, e soddisfa esattamente a tutte le pratiche di pietà. Tanto per la verità etc.»

Post haec nec minimum veretur elatam adeo de sacrilego furto accusationem. Licet enim fateatur ex cujusdam hominis malitia eam fuisse propositam, contendit tamen processum ea de re inchoatum desertum omnino permansisse ex cognita alioquin incusationis falsitate; et revera accusator ipse declarationem emisit, sub die 14. Maji 1840, qua de praefato furto confessus est: »*avendo ben conosciuto esserne stato, ed esserne il predetto chierico affatto innocente, dichiaro col presente di voler nulla, irrita, e come non fatta la detta denunzia, per cui faccio istanza che tale mia libera e volontaria dichiarazione e confessione sia annessa e inserita negli atti, onde abbia il suo pieno effetto a favore del detto innocente N. N.*« Et ne scrupulus superesset, vel ex indulgentia vel ex incusso timore hujusmodi dedisse testimonium, aliud mox adjunxit sub die 9. Nov. ejusdem anni ita se habens: »*Dichiaro e confesso pronto essendo di tutto ratificare avanti chiunque, che il chierico N. N. mai è stato reo del furto sagrilego o quasi sagrilego avvenuto nella chiesa della mia parrocchia di certe perle attaccate all'immagine del buon consiglio, come fu denunziato da me erroneamente, e che altri due documenti, da me rilasciati a giustificazione della di lui innocenza, ebbero la solida, e vera origine della pura verità, nessuno avendomi coartato o forzato a rilasciarli, nè con minaccie, nè con fatti, nè in qualunque supponibile inconveniente modo, mentre il mio operato fu di mia libera, liberissima volontà e coscienza diretta dalla pura sincera verità, e giustizia, la quale deve esser propria di ogni vero cristiano cattolico, dovendo anzi aggiungere a gloria del vero, che contro il medesimo chierico niente posso assolutamente dire, fuori che l' ho conosciuto sempre per più mesi, che è stato in mia casa, morigeratissimo e di molta esemplarità.*« Adnotare est hujusmodi accusatorem parochum esse, adeoque talem, qui, ni conscientiae stimulis deterritus esset, talia contra curiae propositum numquam fuisset declaraturus.

Porro nullam ex hoc facto superfuisse maculam clerico oratori vel ex ipsis laudibus eruere est, quae de eo posteriori tempore emissae sunt ab insignibus sane viris superius memoratis circa ejus probitatem honestosque mores, necnon ex facto Episcopi periculosa saepe munia eidem concredentis. Temere autem et injuria in episcopali sententia assertum edicitur hujusmodi laudis testimonia extorta fuisse ab oratoris petulantia, cum potius et eorum tenor et tempus, quo edita sunt, et eorum personae, qui eadem dederunt, contrarium evincant. Obiter addit alia crimina, quae tanto abduntur arcano, ut nec profecto existere nec in praetio haberi possent in praesenti judicio, quamvis existerent, quia eadem judici postulanti pandere recusatum est: de incognitis judex impos est ferre judicium.

Hisce praejactis proponitur dubium:

An sit danda institutio in casu?

S. C. resp.:

Dilata ad primam post proximam et ad Emum Praefectum juxta mentem.

Die 15. Decembr. 1844.

Die 15. Mart. 1845 resp.: *Attentis peculiaribus circumstantiis non expedire.*

27) Qualitas requisita ex fundatione.

Alatrina.

Pium legatum seu laicalem capellaniam de suis bonis instituendam edixit Tiberius Caporilli Alletrinus testamento diei 3. Februarii 1739. Hinc adnexum voluit onus Sacra per hebdomadas, cum eleemosyna ab Episcopo juxta redditus taxanda, litandi in ara, quae d. Blasio dicanda in paroecia s. Stephani ejusdem urbis Aletrii erigebatur. In votis erat testatoris ut penes Caporiliam gentem pium legatum continuo maneret; proinde illud prima vice collatum voluit in sacerdotem Philippum Caporilli ipsius nepotem et post hujus funus: »*Ai figli e successori del sangue nati e da nascere da Federico altro mio nipote: e cosi di mano e di grado in grado ai figli de' figli del medesimo in infinito; con questo però, che essendovi nella discendenza di detto Federico chi voglia attendere a farsi sacerdote ed ordinarsi chierico, questo sia preferito ai laici, e possa a titolo di tal pio legato, ossia capellania laicale esser*

promosso agli ordini sagri.« Non extantibus vero ex Friderici descendentia, qui ecclesiasticam militiam sectarentur, voluit horum primogenitum unum aut plures capellanos ad nutum amovibiles eligere debere, quibus soluta missarum eleemosyna detractisque expensis pro altaris et capellae cultu reliqui fructus in ipsius majoris natu utilitatem cederent. In concursu demum plurium sacerdotum ex eadem linea venientium seniorem, uti etiam sacerdotem clerico, praeferendum jussit.

In duas dispartita est lineas testatoris descendentia, nimirum primogenitam ex Dominico, secundogenitam ex Alexandro, uti arbor genealogica pandit. Porro ob sacerdotum ac clericorum in ejusdem lineis defectum diu major natu Dominicus capellaniam possedit: ast Valentianus Alexandri filius clericus factus capellaniam sibi ad tramites fundationis deberi judicio postulavit, eamque reapse a patruo suo primogenito Dominico per rem judicatam A. C. Ridolfi vindicavit a. 1806.

Ad superos mox die 8. Octobris 1849, elato Valentiano, Ambrosius Ferdinandi hodierni primogeniti ex familia Caporillia filius clericali jam tonsura insignitus et in seminario Aletrino sacrae facultati operam navans a generali Pro-Vicario illico petiit: »*Essere immesso al libero e pacifico possesso del sullodato beneficio laicale. non che di tutti i beni iscritti nell' inventario.*« Sane posthabitis precibus patrui Aloysii annorum quinque supra quadraginta aetatem agentis, qui uti celebs clericus, sed tonsuram minime deferens, bonorum capellaniae possessionem et ipse urgebat, judex ipse perpendens, quod »*nell' attuale vacanza, all' esponente* (Ambrosio) *come unico incedente in abito clericale .... che attende a fari sacerdoto spetta l'immissione al possesso del detto pio legato*«, die 11. ipsius mensis Octobris possessionem eidem addixit, absque tamen praejudicio »*di qualunque diritto che potesse ad altri competere.*«

Nonnullis elapsis mensibus a capta per Ambrosium possessione prodierunt germani fratres Dominicus ac Laurentius Caporilli continuo laici ex secundogenita linea descendentes et ultra triginta annorum agentes aetatem atque ad s. Ordinem convolarunt distinctis libellis, quibus jactata gradus proximitate quisque sibi vindicare satagebat capellaniae possessionem. Laurentius vero querelas addebat de sibi denegata ab Episcopo clericali tonsura, ad quam obtinendam semel iterumque apud ipsum institisse ajebat: necnon alio supplici libello postulabat, ut fructus sub deposito penes administratorem deputandum maneret usque ad exitum litis.

Preces oratorum pro informatione et voto Antistiti, nuper vita functo, ablegatae fuerunt, ut auditis omnibus interesse habentibus referret de aetate, vita et moribus et de dispositione ad statum ecclesiasticum utriusque postulantis Laurentii et Dominici necnon de causis denegetae tonsurae Laurentio, injuncto interim ut redditus sub administratione maneret usque ad exitum litis, juxta petita per eumdem Laurentium. Omnibus accurate satisfecit Antistes ille, uti evincere datum est ex tribus responsionibus ab ipso acceptis; in quarum prima sub die 6. Jan. labentis anni de Laurentio haec habebat: »*Alter jam incepit annus ex quo Laurentius Caporilli Aletrinus petiit a me etiam per interpositam personam initiari prima tonsura sibique permitti sacris studiis vacare in scholis hujus Aletrini seminarii. Postquam de re exquisivissem mihique constitisset de ejus aetate jam trigesimum annum attingente, de ejus vita per multos antea annos Romae traducta saecularibus implicata negotiis, cumque in bonis moribus se mihi nullo modo probasset respondendum putavi neque necesse neque utile ecclesiae esse ei morem gerere. Ineunte mense Novembri proxime praeteriti idem Laurentius preces iteravit, quibus tamen nullum dedi responsum, cum non possem rem serio pensare laborans adhuc morbo, quo paucis ante diebus correptus fueram, sexto nempe calendas ejusdem Novembris. . . . His quae superius leviter attincta sunt subjungere est me nullam vidisse in eo dispositionem ad statum clericalem: et hanc fuisse causam denegatae tonsurae. Quod etsi adhuc sentiam esse denegandam, quod humiliter sentio, demississime submitto supremo judicio EE. VV.*

In altera diei 7. ejusdem mensis docebat de deputatione administratoris. In tertia demum diei 22. Januarii referebat de Dominico, quod, quum ipse Romae fixos haberet ibique artem, quam vulgus appellat »*di Scattolaio*« exerceat, nihil sibi innotescere de illius dispositione ad statum clericalem. Inde concludebat: »*Quod si ex ejus vitae genere conjici debeat de ejusdem dispositione, nullimode apparebit ipse vocatus nec praeditus ceteris requisitis ad formam fundationis.*« Res hinc ad judicii aleam adducta post concinnatam rogationis formulam in calce legendam hodie tandem dirimenda judicio EE. VV. proponitur.

Qui Ambrosii Caporilli partes tuetur, in sua circumferenda allegatione praemonet, agi in themate de re haud amplius integra, ex eo, quod vacantis capellaniae cliens possessionem jure sit assequutus. Ut autem immissio in possessionem ab altero quaeri queat, necessarium esse, ut ipsa possessio vacua sit vel saltem perperam capta. Jamvero id in casu haud verificari contendit ex eo quod Ambrosius in plana versetur capellaniae possessione in vim testamenti et decreti Pro-Vicarii generalis: in jure id compertum haberi, ut actus initio validus haud ob posteriorem eventum infici queat.

Quod legitime ab initio fuerit vindicata possessio facile deprehendit ab extremis a fundatore exquisitis in capellaniae successore, quae adamussim in Ambrosio confluebant. Requevera ipse uti a Friderico descendens ad capellaniam vocabitur: uti clericus in minoribus constitutus et ad sacros ordines proxime promovendus ceteris praelatione a testatore donatus apparebat »*essendovi nella discendenza di detto Federico, chi voglia attendere a farsi sacerdote ed ordinarsi chierico, questo sia preferito ai laici, e possa a titolo di pio legato ossia capellania laicale esser promosso agli ordini sagri.*«

Nec officere testatorem in advocandis capellanis ad gradus proximitatem respexisse: ipse namque sub una collectiva vocatione »*nella discendenza di detto Federico*« quemcumque praeferendum edixit, qui »*voglia attendere a farsi sacerdote, ed ordinarsi chierico*«. Atqui solus Ambrosius vacationis actu idoneus erat ad capellaniam assequendam, quia clericus; nec certe expectandum fuisset, ut Laurentius aut Dominicus idonei evaderent, quippe testator nullam indixit suspensionis legem pro clericis secundi gradus, donec anterioris gradus clerici supervenirent, sed nulla interjecta mora hanc praelationem contulit in eum, qui ex sua descendentia ad clericalem incumberet statum; nec profecto divinandum ipsi erat aliquando futuros descendentes, qui artes suas, quibus jamdiu sese addixerant, extemplo abjicerent et clericalem ambirent statum, ut ita praelationis jure potirentur. At si capellaniam laicis de Caporillia gente addixit testator, non extantibus clericis, sique illis absque ullo intervallo ademtam voluit, ubi clerici adessent solertes, aedepol sese habere debuissent adversarii, ut vacationis tempore necessariis pollerent requisitis, ne ex eorum mora aut ignavia damnum alter ex vocatorum genere sentiret, uti advertit *Strikius vol. 1. diss. 8. n. 25.*

Quin ulterius prosit graduum proximitatem objicere: duo enim, subsumit orator, ad hoc per adversarios essent probanda, vel eos nimirum antiquiores esse in clericatu vel nullum extare clericum »*nella discendenza di Federico*«; proinde unum ex ipsis esse successorem primogenitum. Jam vero primum non verificatur, quia ambo a nativitate laicalem vestem induerunt laicalibusque negotiis sese addixerunt, nec nisi, postquam ab Ambrosio capta capellaniae possessio fuit, non ad statum ecclesiasticum sed ad capellaniae bona aucupanda sese in sortem Domini vocatos simularunt. Non verificatur alterum, quia *nella discendenza* adest reapse clericus Ambrosius. Quod si non adesset, ne ipsi quidem adversarii succederent ratione proximitatis, sed Ambrosii pater natu major familiae Caporilli.

Ceterum supervacaneum putat assertam graduum proximitatem urgere. Est enim notissima regula *ex Leg. Gallus 29. §. Quidam. num. 14. ff. de lib. et posthum.*, quod, si relictum quidpiam fuerit simultaneo modo ab ascendente, tunc vocativi gradatim veniant, quia cum testatore non modo affectionis et charitatis vinculo uniuntur sed et necessitudinis: e contra, si simul a transversali fuerint vocati, tunc omnes absque ullo gradus discrimine succedere censentur ob aequale affectionis vinculum, uti explicat *Fierlius in theor. Torniell. fol. 267. edit. Rom. 1840;* et quod sub nomine collectivo vocati, posthabita graduum distinctione, simul concurrant, tenet *Peregrin. de fideicom. art. 17. num. 39.* Inficiari idcirco haud posse, quod, quum praelatio collata sit „*nella discendenza*" nullo facto proximitatis graduum discrimine, patronatum sibi vindicat quicumque de ipsa sit descendentia, dummodo aliis requisitis polleat a testatore volitis, ad tradita per *Rotam decis. 143. num. 11. cor. Olivatio.*

Perperam vocationem per gradum factam pro universis filiis *di Federico* contendi, quod clericos quoque complectatur. Antecedens enim lex primis vocatis addicta haud censetur repetita etiam pro secundis, quum diversa oratione testator fuerit alloquutus separatumque sermonem adhibuerit pro diversa perso-

narum specie. Regula quippe obtinet quod, quando ipse capellaniae delationem voluit per graduum proximitatem, expressit: quando autem aliud personarum genus nuncupans de hujusmodi proximitate nihil dixit, id noluisse dicendum. *Rota in Caesenaten. Con-success. 23. Januarii 1826. decis. 71. num. 33. et seqq. cor. Emo Patrizi* et *in confirmatoria decis. 99. n. 30. et seqq. cor. eod.* Ipsa insuper finalis causa, quam sibi testator proposuerat in praeferendis clericis, suadet ipsum ad graduum proximitatem haud respicere voluisse; nam per pium legatum id unum in voto habuit, ut vocati facilius valerent ad s. ordines promoveri, quo sane medio indigere quoque possunt remotiores e Caporillia gente.

Hisce pro coronide addit rem judicatam A. C. Ridolfi anni 1806, qua Valentinus, licet de secundogenita linea, vindicavit tamen a patruo Dominico capellaniam, quam ratione senioratus ob clericorum et sacerdotum deficientiam diu possederat. Quam rem judicatam ob speciei identitatem hodiernis etiam contradictoribus peremptoriam parere exceptionem arguit cum *Scaccia de appellat. qu. 11. n. 29. §.: Declara.*

Dilemmate post haec conficit argumentum ex praelatione gradus desumptum. Aut enim praelatio est adversariis concedenda qua laicis vel qua clericis: si primum, aperta sunt testatoris verba: *se saranno tutti laici*, adimpletis capellaniae oneribus „*li frutti tutti cedano ad utile del successore primogenito.*“ Atqui promogenitus in familia Caporillia est clerici Ambrosii pater, idcirco adversarii ex jure laicorum omni prorsus destituuntur conditione ad capellaniam assequendam. Si alterum, idem recidit consectarium, quia gradu proximior extaret Aloysius Caporilli ab anno 1806 tonsura donatus et in concursu plurium ecclesiasticorum mandavit testator praeferri *il più vecchio.*

Vanidam at vero dicit hypothesim clericatus; quippe Laurentius et Dominicus nec sunt nec possunt esse clerici. Quam quidem qualitatem induere necessarium est ex testatoris voluntate, non verbis, sed facto, hoc est cum effectu; nec declarare sat est propositum ad sacerdotium progrediendi, sed opus est ut progrediatur, nec demum refert quod ipsi tonsura careant non ex voluntate, sed quia Laurentius ab Antistite repulsus, Dominicus vero, quia impos ad studia sectanda; siquidem Ambrosio, ne capellaniae possessione deturbetur, hoc unum sat est, ut clerici defuerint tempore vacatae capellaniae nec modo adsint. *Peregrin. de fideicomm. art. 16. num. 123.*

Quod si causam denegatae tonsurae scrutari lubeat, eam satis justificatam inquit ab iis, quae retulit defunctus Antistes: quid nimirum, *neque necesse neque utile est ecclesiae* eosdem in clericorum albo adscribere, probe noscens ss. canonum mentem, quaeis in optantibus ecclesiasticam palestram suscipere requiritur *gravitas morum et literarum scientia, cap. 7. de elect.*, necnon monitum Benedicti XIV. *de synod. dioeces. lib. 11. cap. 2. num. 16*, ibi: *Ne clericorum numerus plus aequo augeatur neve admittantur in clerum nisi qui et meritis et requisitis qualitatibus praediti et divina vocatione, quantum homini fas est de interioribus judicare, ad ecclesiastica ministeria appellati esse dignoscantur.«* Quas profecto qualitates neque Dominicum exhibere arguit ex eo, quod aetatem suam triginta et ultra annorum in officina duxerit, ipseque fateatur quod de ecclesiastico statu amplectendo voluntatem nunquam *ha dimostrato manifestamente sino a questo tempo et quod fuerit impedito a studiare*: longe autem minus Laurentium, quem, nuperrima anarchia grassante, vestem moresque nefastis illis temporibus respondentes induisse narrant testes in summ. relati. Et haec quidem pro Ambrosio Caporillio scribens.

Deputatus contra per piam s. Ivonis congregationem ad Laurentii Caporilli jura tuenda ita argumentatur. Principio quidem ponit religiose de jure servandas et pro lege habendas esse testatorum voluntates, quum nihil sit quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud velle non possunt, liber sit stylus. Qua ex re monitum etiam juris est, ut, quod voluerint opus et quo maluerint modo, ne in melius quidem commutandum sit, ne secus fideles a piis legatis scribendis retrahantur. Sic passim penes s Congreg. ceu in *Camerinen. Erectionis Collegiatae 17. Maji 1828. §. Hisce, Viterbien. Reductionis 24. Martii 1832. §. Nihil* et *Mutinen. Reductionis 28. Novembris 1834. §. Dum.*

Quod jus applicans speciei subsumit: lex modusque ab institutore capellaniae in capellanis instituendis clarissime sancita sunt faventque apprime Laurentio. Siquidem post obitum Philippi Caporilli per institutorem electi Friderici filios et nepotes vocavit non utcumque, sed pro aetatis primum discrimine

inter consacerdotes: tum pro unius sacerdotii dignitate, si de clerico et sacerdote res esset: tertio pro studio et voluntate ad sacerdotium, si de non actu sacerdotibus ageretur: denique pro diverso conjunctionis gradu, si contentio inter aequales exoriatur. Cujus quidem legis ordinisque exequutionem practicam haberi, inquit, in adducto exemplo clerici Valentiani Caporilli, qui ex tertio posita conditione propinquiorem Dominicum legati possessione ex re judicata detrusit sibique jure et facto vindicavit.

Hinc rem pressius urgens dicit, quod, quum die 8. Octobris 1849 e vivis excederet Valentinianus et capellania vacaret, nullus actu sacerdos e Friderici nepotibus, qui primam et alteram legis exceptionem praeseferret, inveniebatur. Quaestio ergo reliqua erat de tertia et quarta legis conditione. Atqui propius adhaerentem stipiti Laurentium ex documentis et ex ipsa adversarii confessione evincit. Atqui ex voluntate testatoris capellaniae possessio deferenda proximiori gradu stipiti ab ipo designato „*di grado in grado a' figli de' figli di Federico*“ et cui fuerit perinde voluntas addicendi se clericatui »*voglia attendere a farsi sacerdote ed ordinarsi chierico*«; sua hinc sponte fluit Laurentium ex fundatoris voluutate Ambrosio ad capellaniam praelatione donatum. Quam quidem voluntatem eo vel magis observandam esse contendit, quia in hac ipsa pandenda, casum respiciens quo proximior ac ideo sibi praedilectus et cupidus ecclesiasticae militiae ab ea tamen ob unum patrimonii sacri defectum repelleretur, cautum voluit ut »*possa a titolo di tal pio legato esser promosso agli ordini sagri*«; quod, cum ecclesiae dignitatem populique utilitatem promoveat, strictim et religiose est exequendum nec conditionibus et qualitatibus statutis ullatenus derogandum ceu post Tridentini sanctionem docuit s. Congreg. in *Imolen. Prioratus 26. Martii 1831.* §.: *Haec vero* et in *Mutinen. 23. Novembris ejusd. anni* §.: *Neque.*

Quin jactent Ambrosium clericalem sese recepisse tonsuram die 27. Martii 1849, binos subinde et binos minores ordines et continuo subdiaconatum, perinde, ac si se satis confirmare putet, verum sibi fuisse animum seriamque voluntatem attendendi *a farsi sacerdote:* siquidem ex ipsis rerum adjunctis secus sentiendum monet; nimirum non hac illum mente clericatum sacrosque ordines optasse, sed ut clientem potius in legati assequutione occuparet. Quod revera satagit ex eo, quod ante vigesimum aetatis suae annum non modo nullum voluntatis dederit signum, quin et conjugio per amoris mutui significationes proconsuleret, donec Augustini patrui insperata morte doceretur post obitum jamjam futurum Valentiani legatum domo sua dilapsurum. Tunc primum cogitatum esse, inquit, de amplectendo clericali statu; tunc initiari tonsura, ut continuo biduo nempe a Valentiani morte petens a Pro-Vicario generali immissionis in possessionem decretum clanculum assequeretur Ambrosius. Praecipitantiam huc quoque incusat ex *Trid. sess. 23. cap. 11. de ref.* collati subdiaconatus citra annum ab ultimi ordinis minoris susceptione, ut fraudis suscipionem confirmet.

Pergit inde et quam infirmare studet in Ambrosio, hanc in Laurentio adfirmare satagit ad sacerdotium aliquando veniendi antiquiorem a puero constantem sinceramque voluntatem. Prodit sane ad rem amplissima testimonia quatuor Alatriensium parochorum, quorum alter Laurentium humaniores literas et philosophiam docuerat, trium quoque testium fide dignorum id ipsum uno ore confitentium. Probat denique testimoniis ipsius Alatriensis Episcopi et Canonici Anivitti substituti ei, qui a secretis est Emi Urbis Vicarii, instantias Laurentii ut ad primam admitteretur tonsuram; repulsam vero immeritam substinuisse contendit, quum eas quae clericum decent juxta canones praeseferret qualitates, de vita nempe et honestate clericorum, de studio, de scientia, quas multis confirmat amplisque testimoniis tum privatorum cum ludimagistrorum et parochorum.

Quamvis autem nihil referre adstruat ex institutionis lege vel pro Ambrosio vel contra Laurentium, tonsura illum ante immissionis decretum indeque aliis ordinibus insignitum fuisse, hunc vero neque ipsa prima tonsura ad clericatum adlectum, urget nihilominus, quod Laurentius jam facto sacerdotali fulgeret ordine, si nulla hunc injuria ab assequendo prohibuisset, cum Ordinarius fateretur, »*alterum jam incepisse annum ex quo Laurentius petiit etiam per interpositam personam initiari prima tonsura et sibi permitti sacris studiis vacare in scholis Alatrini seminarii*«. Ex utroque autem jure habendum esse Laurentium ut reipsa insignitum, cum »*pervulgatum sit conditionem haberi pro impleta quando per eum, qui conditioni implendae obnoxius erat, non stetit quominus impleretur*«, ceu post

cap. 41 et 66 de reg. jur. in 6. docet *Rota in Romana 18. Aprilis 1828. §. 7. cor. Emo Patrizi.* Gaudere ergo censendus est Laurentius vel ipso potiori praelationis jure, sacerdotii nempe, quod ex altera institutionis lege resultat »*voglia attendere a farsi sacerdote ed ordinarsi chierico*«.

Hisce positis ex jure et facto Ambrosium intrusionis in legatum macula notari evidens fieri dicit, quum vacationis tempore jactaret quidem clericalem tonsuram utcumque petitam, quod tamen nihil ad assequutionem illius conferebat; non haberet autem pro se vel sacerdotium vel propinquiorem conjunctionis gradum, quae duo tantum praestare affirmat ex fundationis lege ad assequendum pium relictum. Jure autem rejici non habentes qualitates probat ex *Mansio consult. 67. tom. 1. n. 5.* et *Rota in Senogallien. Canonicatus 29. Januarii 1706. §.: Verum cor. Ansaldo*, quas adesse debere praecise eo tempore, quo cedit dies substitutionis, probat ex *Torre tract de succes. in primog. et majorat. Italiae tom. 1. cap. 28. n. 29.*

Causas demum, quibus Episcopus se motum fuisse dicit, ne iterato petentem Laurentium, etiam arctati nomine, clericali tonsura donaret, ventilans, quod nimirum nullam ipse in eo viderit dispositionem ad statum clericalem: quod Laurentius nullo modo se ipsi probaverit in bonis moribus: quod jam trigesimum attigerit aetatis annum vitamque per multos antea menses traduxerit Romae saecularibus implicita negotiis: opponit ad primam quidem et secundam plurima eaque amplissima supra relata testimonia. Ad tertiam porro conferunt ex canonica lege defectus et vitia objectis ab Antistite in Laurentio, ut comparatione liqueat Episcopi anticanonica agendi ratio. In facto quoque paupertatem adducit parentum ejus invectam vel auctam ex iniquo Ferdinandi ipsius facto, quem neque justitia neque sententia ad suum Laurentii genitori tribuendum compulerit, ut filiali urgente pietate Laurentius, qui Urbem cum parentibus petierit litis ejus fovendae causa, ad sibi suisque necessaria victui conquirenda septem circiter annos honeste apud honestos juvenis studeret exercitio in promercalis subactae farinae officina, vulgo *de' Maccaronari.*

Postremo rem integram adhuc esse propugnat pro bono Laurentii repetundo jure, cum et decernens Ambrosio immissionem decrevisse se diceret absque praejudicio *di qualunquo diritto che potesse ad altri competere* et Laurentius continenter ab audita Valentiniani morte Alatrinum Episcopum legatum necnon sibi arctato tonsuram poposcerit et repulsam passus incunctanter a s. Congregatione remedium pro legati fructibus et pro tonsura petierit assequutusque sit interim provisionale decretum pro fructibus; et demum qualitate carens Ambrosius ab institutore requisita jam vestem illam non habuerit vacationis tempore neque in praesenti habeat, sine qua nec tunc recipere nec modo retinere valide et licite alienum potest. Haec pro Laurentio.

Pro Dominico nulla circumfertur allegatio, quamvis eadem s. Ivonis congregatio et ipsius defensionem assumpsisse videretur. Animadvertere at vero praestat, quod ipsa in jure argumenta adducta pro Laurentio apprime favent etiam Dominico. In facto autem notandum, ipsum natu majorem esse Laurentio: insuper ex documentis ab eo exhibitis amplissimum testimonium haberi tum de grammatices studiis jamdiu peractis tum de ipsius morum suavitate ac impensa pietate tum etiam de ejus ardore ad statum religiosum amplectendum, cui jamdiu satisfecisset. Nihilominus ex praemissis id sibi omne praescire suasum est, quod juxta fundationis legem requiritur ut ad pii relicti possessionem ipse praelative saltem ad Ambrosium immittatur.

Caetera fusius habent Emi Patres in allegationibus distribuendis, ut dirimere possint

Dubium:

An et cujus favore constet de legitima vocatione itaut et cujus favore sit danda immissio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative favore Ambrosii et amplius.
Die 14. Decbr. 1850.

Parmen.

Conditis suae voluntatis, cum qua decessit, tabulis Opizo de Segalaria cives Parmen. anno 1388 haeredes sibi scripsit universales Matthaeum Opizonem Azonem fratres de Angiulphis, ea tamen lege, ut, si utrumque contingeret absque sobole masculina decedere, ex ipsius bonis in ecclesia s. Matthaei de Praticellis dioecesis Parmen. erigeretur beneficium simplex sub nomine ejusdem s. Matthaei Apostoli: »cujus beneficii sacerdotalis electionem et praesentationem spectare et

pertinere mandavit ad Joannem Cisium et Dominam Joannam uxorem dicti quondam Opizonis testatoris et post mortem ipsius Joannis et Dominae Joannae ad filios masculos legitimos et naturales, tam natos quam nascituros ex ipso Joanne et Domina Agnesia uxore sua et descendentes ex ipsis et non ad aliquam aliam personam ecclesiasticam vel saecularem; et quod non possint nec debeant eligere aliquem in sacerdotem et beneficiatum ad dictum beneficium, qui non sit in sacerdotali ordine constitutus et qui non sit in aetate legitima et bonus et sufficiens. Reapse defunctis absque posteris Opizone et Azone Joannes Cisius anno 1410 die 23. Junii partes sibi demandatas fideliter adimplevit erectumque est beneficium, de quo nunc inter praesentatos ab assertis Joannis descendentibus quaestio versatur.

Etenim vacante per obitum ultimi rectoris sub die 4. Augusti anni 1844 praedicto beneficio in curia Parmen. a variis, qui se asserebant, patronis variae prodierunt praesentationes. Et quidem die 19. Septembris ejusdem anni nominatus fuit Eugenius Sivelli clericus Fidentinus cum votis sexdecim, qui eodem exeunte mense pro duplici dispensatione super defectu aetatis et ordinis sacerdotalis supplices preces summo Pontifici porrexit gratiamque revera, prout optaverat, sub die 21. Januarii anni 1845 obtinuit. Quin tamen intra quadrimestre alii compatroni habentes vota quatuor nominavere Jacobum Fabi sacerdotem Parmen., alii cum votis triginta duobus Silverium Boni sacerdotem et primicerium capituli cathedralis, alii denique sacerdoti Josepho Bizzi duo vota et sextam partem dedere. Sed re adhuc integra Vicarius generalis die 28. Februarii subsequentis anni quintam recepit praesentationem clerici Parmen. Aloisii Bosi, quatenus praesentantes de veritate asserent, sibi tantum a die 4. Decembris elapsi anni beneficii vacationem innotuisse.

In quo rerum statu cum primicerius Boni ob majorem vocatorum numerum institutionem ab Ordinario peteret, Sivellius tamen et Fabius reluctarent, controversia quidem primum ad tribunal civile remissa est. Verum aegre ferentes partes, quod tantum temporis sumptusque sibi insumendum foret, die 18. Aprilis 1846 convenere, ut rem totam arbitrio Praesulis Parmen. dirimendam committerent. Adsciti quatuor viri in jure periti votum tandem die 26. Decembris 1846 favore primicerii Boni ii asseruere; sed ejusdem institutio denuo praepedita fuit novis tam Livelli quam Bosi aliorumque protestationibus ex duplici capite scatentibus: quippe quod eum simoniae labe in comparandis sibi votis affectum necnon a patronis fictis et illegitimis nominatum dicerent. At depositionibus Josephi Bizzi cum incremento exceptis necnon quatuor ecclesiasticis viris ad votum in scripto transmittendum deputatis laudatus Praesul temporum calamitate plebisque insanientis furore dioecesis abscedere coactus est. Re interim pendente Canonicus Boni, utpote qui in rebus politicis valde implicatus, ceu ait Episcopus, adversus partium deductiones altum silentium habuit; quo factum est ut tandem mense Octobri anni 1849 memorati viri de sola simoniae accusatione votum proferrent et quidem non probari simoniam concluderent.

Rei vero diuturnitate pertaesus clericus Sivelli jam sub die 24. Novembris 1848 preces Sanctissimo obtulit, ut apostolicis dispensationis literis effectus tribueretur. Causa hinc sacro Ordini Vestro commissa rogatus de more fuit Episcopus pro informatione et voto, ut auditis compatronis et reliquis nominatis atque de statu et terminis causae in curia episcopali referret. Quibus lubens satisfaciens Praesul, quae supra memoravi, exposuit et rem totam, quam satis implexam agnoscit, ad hoc duplex quaesticnis caput coercendam esse censuit: 1. An productis a Sivellio documentis ii, qui primicerium Boni nominarunt, a fundatoris familiae alieni probarentur; 2. An rationes a presbytero Fabi in medium prolatae maximi vel minimi ponderis faciendae sint. Et profecto idem Antistes die 3. Decembris 1849 denuo requisitus ad praefigendum partibus terminum, quo jura sua in sacra Congregatione deducerent, demum labente mense Septembris subsequentis anni tantum quoad Boni, Fabi et Sivelli rationum momenta transmisit tacentibus omnino Bizzi et Bosi.

Ast emisso jam decreto propositionis causae in folio novi plane contendentes supervenere, nimirum Parmensis familia Banzi et Canonicus Joannes Maria Allodi. Asserit Salvator Banzi, se de beneficii vacatione nihil omnino compertum habuisse nisi post edictum Episcopi de die 18. Maji 1850 intra terminum ibi praefixum, quare in Dataria preces pro gratia restitutionis dedit. Quibus ad hanc s. Congregationem remissis et dilatione impetrata Banzi, praevia illa, pro qua supplicat, restitutione in tempus utile, excludere a

praesentatione ceteros compatronos, utpote decendentes per feminas, conatur vi cujusdam donationis factae anno 1699 a Felice de Zarottis, qui in primo gradu solos masculos ex Gaspare Banzi vocavit. Inde filio ipsius Aloisio clerico institutionem unice dandam esse contendit.

Allodius vero se fundat in eo, quod juspatronatus super beneficio existimet omnino desiisse, proinde incassum litigantes in respectiva tuenda nominatione vel descendentia insudare. Quo in casu cum collatio ad s. Sedem hac vice devolvatur, jam literas ab Antistite commendatitias reportasse narrat eum in finem, ut porrecta ab ipso supplicatio sit a SSmo signanda.

Postremo narrandae supersunt Praesulis Parmen. preces, quas ad praesentem controversiam incidenter die 14. Septembris 1850 in Dataria apostolica exposuit quaeque ad hanc s. Congregationem delatae fuere. Urgente nimirum in Parmen. dioecesi sacerdotum penuria imprimis quoad parochias rurales, quippe montes ruraque egestate laborantia vel nullos ad statum clericalem amplexandum juvenes offerunt vel qui perpauci inter civitatum commoda moresque politiores educati fuerint, postea ad montium rurisque asperitates redire detrectant, erectum fuit seminarium in montuoso loco, quem Berectum vocant. Quod tamen cum sufficientem clericorum numerum recipere non possit nec ulla ad aedes fundosque ampliandos remedia prostent, Episcopus omnes expendit partes, ut fructus beneficii sancti Matthaei a die vacationis superextantes in summa septem aut octo milium francorum dicto seminario applicentur, excepta ultima annata pro investitura et lite insumenda. Qua super re requisitus transmisit in scriptis 14 compatronorum consensum.

Jam ad primum inter proposita dubia juvabit generatim adnotare, pacificum inter partes reperiri, juspatronatus temporis lapsu ad Antonium Poggi devenisse, cujus altera filia Octavia in sacris juncta Caesari Zarotti in lucem edidit Alexandrum. Hic ineunte decimo septimo saeculo ex Faustina Colla uxore proles habuit Hieronymam, Claudium, Felicem et Margaritam, de quibus singulis omnes hodierni compatroni jura deducunt. Et quidem qui clericum Sivelli et sacerdotem Fabi praesentavere ex Hieronyma descendere; Banzium vero ex Margarita mutuo consensu et documentis productis constat. At hic contra primicerium Boni partes insurgunt, qui compatronis sibi suffragantibus originem ex praedicto Claudio repetere nititur et genealogiam inoffenso pede probatisque, uti videtur, documentis contexit usque ad Claudium quendam de Zarottis, qui consortem nomine Mariae Magdalenae sibi adscivit. Hunc itaque Claudium eumdem fuisse cum memorato Claudio ex Alexandro et Faustina tuetur, quem ultimum juxta fidem baptismalem die 21. Septembris 1627 natum omnes conveniunt.

Contra quae clericus Sivelli rationum momenta in medium profert, quibus sane conficitur, extitisse alium quendam Claudium de Zarottis habentem pro stirpite Caesarem, ideoque a familia patrona extraneum, ex quo assertos compatronos Boni originem ducere probandum suscipit. Quae ut evincat baptizatorum libris demonstrare conatur hunc Claudium filium Germani de Zarottis natum fuisse Parmae in vicinia s. Pauli die 18. Novembris 1642. Porro Germanum sive Germanicum patrem habuisse Joannem Andream et avum Antonium de Zarottis ex iisdem libris in promptu est, idque Sivellius corroborat exhibitis publici archivii Parmen. regestris, ubi quidem possessiones Joannis Andreae ad annos 1588 et 1598 adnotantur eaedemque possessiones sub die 22. Augusti 1607 ad Germanicum alterum Joannis Andreae filium et cohaeredem transcriptae inveniuntur. Hic autem unica oritur difficultas, quod videlicet ille in fide baptismali Claudii vocatus Germanus in ceteris documentis Germanici nomine veniat, ut series annorum non modo, verum etiam designatio habitationis in vicinia s. Pauli identitatem personae satis probare videntur. Quibus accedit, in aliis etiam documentis fere coaequalibus usum nominis Germani, Germanii et Germanici indistinctim adhibitum fuisse.

Hisce de ascendentia praedicti Claudii positis Sivellius fidem matrimonii inter eundem »Claudium Germanii de Zarottis filium et Magdalenam Battaini« die 3. Novembris 1655 celebrati subnectit. Deinde Claudium de Zarottis Germanici filium die 16. Aprilis 1689 ultima, qua decessit, voluntate haeredes sibi universales nominasse »Germanicum et Franciscum fratres et filios legitimos et naturales natos ex dicto testatore et ex dicta qu. d. Maria Magdalena Battaini ejus conjuge« constat per testamentum ex publico archivio extractum. Necnon »ex Claudio et Maria Magdalena de Zarottis sub die 10. Octobris 1670 Josephum Germanum et die 31. Octobris

1674 Franciscum fuisse natum respectivis baptismi testimoniis in promptu habetur. Denique Germanum et Franciscum fuisse auctorem eorum, quos Primicerius Boni in patronorum genealogia velut descendentes enumerat et Sivellius baptismorum libris et ultimae voluntatis tabulis demonstrat.

Ut praedicta infirmet Primicerius Boni haec potissimum reponit. Documentum matrimonii inter Claudium et Magdalenam celebrati haud sufficienter probare; si quidem non est nisi merum exemplar ex actis beneficialibus curiae episcopalis Parmen. extractum et ibi productum de anno 1770 a Francisco de Zarottis. At vero ecclesia s. Jacobi, ubi matrimonium illud habitum legitur, jam dudum suppressa manet nec ejus matrimoniorum libri hodie originaliter existunt: quare exemplum ejusmodi probationem haud inducere clamat imprimis, ubi agatur de praejudicio tertii, juxta *cap.: Si scriptum de fide instrum.* et *Barbosa in jus canon addit. tit. 22. num. 1. seq., Card. de Luca de dote discuss. 22. num. 25.* Insuper pergit in dicta matrimonii fide uxorem Claudii solo nomine Magdalenae venire, cum tamen Claudius ab ipso allegatus, quoties filium sacro fonte initiaverit, constanter declararet nomen uxoris Mariae Magdalenae.

Tritum denique observat illud haberi, quod per schedulam sacri foederis inter Claudium et Magdalenam celebrati satis non probetur filiatio Claudii quoad Germanicum, licet hujus tamquam patris nomen appositum sit. Quoties namque res in alterius praejudicium vergit, ejusmodi probationem difficilem et rigorosam esse juxta praxim asseverat idem *Card. de Luca de fideicom. disc. 68. num. 5.* Requiri proinde fidem nativitatis, qua pro parte sua constare ait, Claudium a se allegatum ab Alexandro descendere atque eundem probari, cui respectiva testimonia octo liberos tribuunt.

Verum haud inepte pro Sivellio reponi videretur, quod, cum Primicerius Boni positive descendentiam suorum compatronorum a Claudio Alexandri filio ostendere debeat, hic nondum satisfecisse videatur probando identitatem nominis. Ad hanc tamen recedunt omnia ipsius argumenta, quippe qui genealogia usque ad quendam Claudium condita huic statim supponit fidem baptismalem illius Claudii nati ex Alexandro de Zarottis. Identitas quidem nominis inducit praesumptionem legalem, *Menoch. lib. 6. de praescript. num. 40.* et *Card. de Luca de fideicom. disc. 193. num. 12.* Atqui ejus generis praesumptio e medio sublata videtur simul ac Sivellius existentiam alterius Claudii de Zarottis probaverit. Qui tamen amplius agere et praesumptionem illam coacervatis etiam documentis penitus removere studet.

Quod vero ad recensitam tesseram matrimonialem negari saltem nequit, quod exemplum sit authenticum et legitime firmatum, utpote a parocho ecclesiae s. Jacobi ex matrimoniorum libris transcriptum et signatum: cujus rei acta beneficialia curiae Parmen. sufficientem praestant fidem juxta *Barbos. in cit. addit. ad jus canon., cap.: Scripta num. 6.* communemque doctrinam. De caetero cum dictum exemplum in continenti a clerico tum temporis Francisco de Zarottis circa idem beneficium s. Matthaei coram Ordinario praesentatum atque recognitum et regestris insertum fuerit, videtur originali etiam amisso illud satis probare, stantibus iis, quae de regestratione inter acta judicialia tradunt *Fagnan. ad cap.: Cum in jure num. 12. sequ., Hostien. ibid. num. 2., Abbas num. 6., Felin. num. 8,* attentis praesertim adminiculis quae in dicto exemplari concurrunt.

Porro nomina uxoris in documentis Sivelli et Boni sese minime invicem excludere, sed magis supplere juxta usum universalem in propatulo est. Reque vera Sivellius ex literis super baptismo filiorum Claudii confectis necnon ex ejusdem testamento planum reddit, uxoris nomen plene scriptum Mariam Magdalenam fuisse. Contra quae Silverius Boni vix litem movere poterit, quippe qui ipse nulla matrimonii schedula exhibita ex solis filiorum baptismalibus matris nomen eruere conatur. Ceterum Sivellius, ubi paternitatem Germanici quoad Claudium respicit, sane ad documenta matrimonialia non recurrit, sed praeterea respectivis natalibus innititur Et revera totius argumentationis vis in eo potissimum esse videtur, quod concordantibus non modo documentis sed et temporum rerumque adminiculis ab illis, quos ipse Primicerius Boni in sua genealogia proponit, usque ad Claudium ex Germanico et caeteros ascendentes inoffenso pede assurgit.

Videant nunc EE. VV., cujus momenti sint, quae pro suo jure ipse Sivellius in medium affert. Dubitandi locus jam non erit, quin a legitimis compatronis electus sit et

vel ipse per matrem a fundatore descendat. At vero unicum impedimentum surgit ex eo, quod, cum fundator patronos lege obstrinxerit »ut non possint nec debeant aliquem eligere in beneficia tum ad dictum beneficium, qui non sit in sacerdotii ordine constitutus et qui non sit in aetate legitima« Sivellius duplicem super aetate et ordine dispensationem peracta praesentatione quidem petiverit, sed elapso jam quadrimestri demum impetraverit. Defectum purgare nititur facta distinctione inter praesentationem vinculatam per conditiones mere casuales et eam, cujus revalidatio ab actu quodam gratioso auctoritatis ecclesiasticae pendeat; hoc quippe posteriori casu moram patronis minime imputandam esse credit. Quandoquidem id unum ipsis incumbebat, ut intra tempus utile praesentationem memoratae auctoritati revalidandam remiserint. Quod si haec ipsa auctoritas caute agens temporis decursum non respicit, id patronis in damnum cedere haud poterit juxta distinctionem a *Lambertinio traditam de jurep. lib. 2. part. 2. quaest. 3. art. 5. num. 2. et art. 9. num. 5,* quem sequitur *Piton. alleg. 61. num. 29.* Profecto clamat Sivellius, Sedem apostolicam, cujus potestatis plenitudo inest, scienter tempore jam elapso gratiae nihilominus indulsisse; cumque nemini fas sit supponere, quod Summus Pontifex debeat habere effectum, satis clarescere ait, defectum temporis per ipsam apostolicam concessionem sanatum omnino fuisse, praesertim ubi agatur de praesentato ab ipso fundatore descendente, cum in eo potissimum ecclesia sit, ut retribuat et exerceat gratitudinem erga sanguinem bene meritum. *Piton. alleg. 8. num. 8. et 9.*

Rectius tamen hisce cum sacerdote Fabi objici posset, quod, cum aetas legitima et sacerdotalis character in fundatione praescripta habeantur, compatroni, qui Sivellium nominavere, notorie incapacem elegerint; quam ob rem juspatronatus ea quidem vice consolidari penes alios patronos tradunt *Vivian. de jurepatron. par. 2. lib. 6. cap. 7. num. 67, Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 322, Rot. in decis. 619. num. 13. part. 19. cor. Lancetta,* ni in ipso praesentationis actu dispensatio apostolica expresse sit reservata: quod an factum fuerit vel non ex actis minime apparet. Sed dato ejusmodi conditionem fuisse appositam, cum tamen praesentatus Sivelli gratiam intra terminum quadrimestris non reportaverit, praedicta nihilominus valebunt juxta *Lambertin. de jurepatron. lib. 2. part. 2. qu. 3. art. 5. num. 6, Garziam de benef. part. 8. cap. 2. num. 3, Piton. de controv. patron. alleg. 81. num. 4.* Eaque consona apparent menti hujus sacrae Congregationis in *Eugubina Dispensat. 18. Februarii 1764. §.: Contra; Aretina Dispens. 20. Augusti 1774. §.: Ex his, Placentina Institutionis 24. Augusti 1850.* et *Bononien. Electionis seu praesentationis 29. Novembris 1851.* Interpretationis vero genus circa apostolicam dispensationem a Sivellio adhibitum facile hoc uno axiomate enervari videretur, quod nimirum dispensatio tantum valet quantum sonat, cum sit stricti juris ac propterea stricte interpretanda. *Corradi praxis dispensat. apost. lib. 7. cap. 5. num. 95.*

Suae partis ultimas rationes Fabi demum paucis comprehendi sat esse putat. Cum enim Canonicus Boni jure omnino cadat et Sivellius moram depurgare per interpretationis ambages frustra studeat, id saltem constare ait, quod ipse unice inter caeteros legitime sit praesentatus. Nam compatronos Crescini, qui ipsum designavere, a Zarottis descendere et in juris exercitio consistere genealogiae a diversis partibus exhibitae omniumque consensus demonstrant. Ad unguem praeterea fundatoris mentem assequitur, quippe in sacerdotio dudum constitutus. Quodsi patronorum numerus nimium exiguus Fabium elegit, inde tamen praesentatio incapacis Sivelli, si quidem ab initio nulla fuit, non revalidatur vel etiam temporis vitium non abstergitur. Hoc sane fieri nulla ratione posset, nisi quadam Ordinarii instituentis benigna concessione. Namque in ejus commodum scripta est lex, ut praesentatione incapacis facta vel ultra tempus protracta beneficium ea vice liberae collationis evadat, *Abbas in cap.: Quoniam notabile ult. in fine;* proindeque Episcopus commodo suo renuntians rem gratam patronis facere et praesentatum nihilominus admittere valet, *Lambert. lib. 2. part. 2. art. 27. num. 5. quaest. 1, Barbos. de off. et pot. Episcopi p. 3. alleg. 72. num. 170.* At vero haec omnia conticescere oportet, quoties ejusmodi concessio in alterius legitime praesentati praejudicium verteretur; manet enim axioma, quod, si quis capax electus sit, ei legitimum illico jus quaesitum videatur, ut dispensationem postea ab incapace petitam impugnet, etiamsi dispensatus primo loco a fundatore fuerit vocatus, *Piton. in Parergon. num. 17,* s. Congreg. in *Cremonen. Jurispatr. seu dispensat. 8. Julii et 9. Septembr. 1702,* de qua idem *Piton. in Parergon. num. 14.*

Deveniendum tandem ad preces Salvatoris Banzi, qui temporis venia praevie impetrata in petitorio omnes vincere facile opinatur eum in finem, ut ipsius filius Aloysius instituatur. Namque Antonius Poggi ultimus ex fundatore Joanne Cisis superstes duas suscepit filias, quarum primogenita Paula in Tiberii, altera Octavia, de qua supra, in Caesaris Zarotti sacra convolavit. Idem Antonius saepe dictum juspatronatus genero Tiberio anno 1586 rite donavit, apposita tamen majoratus lege, ita quidem ut semper ad masculos descendentes atque inter eos ad majorem natu, masculis vero exstinctis ad primogenitam inter feminas, demum ad haeredes et successores Tiberii eadem conditione perveniret. Vi hujus donationis a patre Tiberio nominatum fuisse beneficii rectorem Bartholomaeum de Zarottis inquiunt. At vero Tiberii stirpe penitus sublata descendentes ex Octavia et Caesaris Zarotti successerunt, quos Hieronymam, Claudium, Felicem et Margaritam fuisse genealogia exhibet. Attamen Claudio absque superstite jam defuncto masculus natu major Felix juxta recensitam donationem unicus patronus evasit. Hic ita se gerens tandem anno 1699 patronatus jura donatione formali atque rite approbata ad quatuor Margaritae sororis filios a Gaspare Banzi conjuge suscitatos transtulit et ad eorum descendentes »in perpetuum per lineam masculinam et in defectu lineae masculinae« idem jus adscribere voluit »filiis masculis legitimis et naturalibus et ex legitimo matrimonio natis et nascituris per Illmas Dominas Catharinae et Angelae sororum Cenesiis, filiarum Ill. D. Hieronymae Zarottae sororis Domini donatoris et tam natis quam nascituris ab eis descendentibus in perpetuum per lineam etiam foemineam.« Atqui a Josepho Gasparis Banzi filio ideoque a primis donatariis per masculos descendit Salvator Banzi, qui hodie filium Aloysium in beneficio instituendum praesentat, dum caeteri patroni ab Angela et Catharina proveniunt.

Res prima fronte procedere videbitur, cum reservatio facta tam ab Antonio Poggi quam a Felice Zarotti a jure aliena saltem in genere dici non possit; non solum enim fundator beneficii sed etiam haeres ejus, licet nihil de suo in dotem conferat, valide liciteque reservat juspatronatus. *Card. de Luca disc. 53. de jurepatr. num. 13, Vivian. de jurepatr. lib. 2. cap. 1. num. 13,* s. Congreg. in *Fanen. Erectionis capellaniae 9. Augusti 1788. §.: Aliena, Aprutina Jurispatron. 30. Augusti 1851. §.: Plura.* Quod vero ad effectum donationis peractae a Felice hodiernus Antistes Parmen. ex actis curiae episcopalis testatur, secuta vacatione beneficii s. Matthaei anno 1771 inter ceteros jus nominandi habentes admissos etiam fuisse descendentes ex Gaspare Banzi et Margarita, necnon a duobus successive nominatis videlicet Francisco et Dominico Crestini annis 1788 et 1791 juxta mandatum apostolicum in provisione appositum verificatam fuisse existentiam jurispatronatus activi, demonstrato imprimis, quod jam pridem inter alios Alexander Banzi usus fuerit jure praesentandi. Demum Alexandri filiae Angela et Margarita anno 1804 per actum a notario confectum nominandi mandatum inter alia advocato Caesari Crestini tamquam ipsarum procuratori dederunt.

Praeter adducta nulla quidem effectuatae a Banziis praesentationis exempla haberi ultro concedunt; verum facultatem utendi jure suo penes eosdem non fuisse ex rerum circumstantiis arguunt. Namque inter sex vacationes inde a donationis tempore usque ad annum 1850 subsecutas quatuor vel plures etiam ita accidisse ajunt, ut descendentes ex familia Banzi, si qui adessent, in puerili adhuc aetate vel in longinquis degerent. Sed quidquid de hoc sit, posita donationis validitate audiendus manet ea de re *Pitonius de controvers. patron. alleg. 11. num. 11. et 12.* sic inferens:

»Quando patronus verus comparet in re integra, hoc est ante institutionem, non attenditur ultimus status, qui assistit patrono putativo, sed proprietas clara absorbet possessionem, juxta theoricam Panormit. in cap.: *Consultationibus de jurepatron.* Praesertim quia ultimus status in beneficialibus caute servari debet. . . . Hodie teste experientia ejusmodi ultimus status tanta facilitate attendi solitus vergit ad iniquitatem, dum patroni non veri ita se introducendo in jurepatronatus per status possessorios continuant in ejus exercitio, quandoque per saecula et ita in infinitum remanent spoliatae familiae suis juribus patronatus. . . . Hinc repugnante aequitate et ratione ultimus status multo minus attenditur, quando proprietas jurispatronatus clara est favore alterius.«

Quod denique Aloysius Banzi nondum est in sacerdotali ordine constitutus, prout tamen actus fundationis requirit, observant quinque clericos absque expressa dispensationis clausula fuisse nominatos atque idcirco ob diuturnam observantiam sacerdotalis beneficii indolem mutatam dicunt juxta tradita a *Pitonio controv. patron. alleg. 17. num. 20. seqq.* Immo cum Aloysius ex lege donationis unicus tandem sit, penes quem omne juspatronatus hac vice consolidetur, stylum vigere in Dataria, hujusmodi supplicanti patrono per viam gratiae conferendi beneficium cum derogatione jurispatronatus, propter magnam aequitatem suadet *Card. de Luca de jurepatr. disc. 65. num. 36;* hincque se nulla praesentatione opus habere Banzius confidit.

Plura tamen eaque gravia satis in contrarium excipienda occurrunt. Posita nimirum regula ex *Fagnano in cap.: Perlatum de jurepatr. num. 20.* et *Pirhing. lib. 3. decret. tit. 38. num. 55*, tum *Rota in Cremonen. Jurispatron. 6. Julii 1578 cor. Card. Seraphino Cassador. decis. 1. num. 3. de jurepatr.*, quod dispositio juris vel etiam reservatio jurispatronatus locum habere non potest, nisi casus aliquis omissus est a fundatore et sane multo minus contra expressam ejusdem voluntatem, jam circa primam, quam Banzii allegant, donationem ab Antonio Poggi factam dubitatio haud levis facile subit. Constat enim a fundatore vocatos fuisse »filios masculos legitimos tam natos quam nascituros ex ipso Joanne Cisio et Domina Agnesia uxore sua et descendentes ex ipsis.« At vero sub vocatione filiorum et descendentium masculorum veniunt etiam ex feminis progeniti et quidem indistincte, sive vocati sunt filii masculi sive descendentes masculi. *De Luca de linea legali lib. 2. art. 76. num. 2. ex auct. ib. cit.* Reque vera excepto Joannis filio Azone per tres generationes nonnisi foeminae fuere, quarum ultima Paula in sacris juncta Octaviano Poggi genuit Hippolytam, Constantiam, Antonium (donatorem) et Lucam.

Quid quod ex actis judicialibus in curia episcopali Parmen. 27. Januar. 1687 coram Vicario generali conscriptis pluries evincatur, producta in lite fuisse instrumenta praesentationis per Antonium, Lucam, Hyppolitam et Constantiam factae atque ab Ordinario confirmatae. Quae si ita sunt, reservatio a superstite Antonio instituta favori Tiberii Zarotti et descendentium ex ipso et uxore Paula, Antonii primogenita, substineri saltem non poterit, simulac altera ejusdem Antonii filia Caesaris Zarotti consors prolem edidit Alexandrum, quippe hic a fundatore vocatus ab Antonio contraria dispositione excludi non poterat. Quo factum etiam videtur, ut anno dicto lite inter diversas partes contestata super jure patronatus beneficii s. Matthaei memoratus Vicarius generalis sententiam proferret: »Juspatronatus esse descendentale et pertinere ad omnes descendentes ex filiis legitimis et naturalibus natis ex Joanne Cisio et ejus uxore Agnete, quales per hanc nostram definitivam sententiam declaramus esse DD. Hyacinthum de Zarottis et Felicem pariter de Zarottis viventes.« Nulla hic occurrit mentio illius reservationis; verum eadem omnino evertitur, dum minime solus Hyacinthus, qui ex Tiberio, sed etiam Felix, qui ex Caesare descendebat, patronus renuntiatur.

Quibus stantibus, extincta Tiberii stirpe, Felix ille non tamquam Hyacinthi successor ex reservatione memorata sed qua descendens ex Joanne Cisis jure suo gaudebat. Quapropter etiam ejus sorores Hieronyma et Margarita, ut juspatronatus ad masculos posteros transfunderent, nulla Felicis donatione opus habuere; et ejusmodi dispositionem, qua nihilominus idem Felix vocavit, descendentibus ex Hieronyma minime praejudicare potuisse in propatulo est. Hinc ineffectuata procul dubio mansit illa reservatio, siquidem teste Episcopo simul cum Banziis alii etiam compatroni pluries ad praesentandum admittebantur, Banzii autem soli, exclusis caeteris, numquam praesentaverunt. Atqui donatio non effectuata nihil attenditur asserente *Pitonio controv. patron. alleg. 46. num. 13 et 14*, *Rota in Lunen. Beneficii 5. Decembr. 1687. §.: Tum magis.* Sitque demum, quod per tot annorum decursum saepe inter familiam Banzi, instante vacationis momento, masculi non numerarentur; evincitur tamen juxta genealogiam Cyprianum Banzi natum anno 1704 tempore praesentationis anno 1745 peractae inter vivos extitisse, quin vel ullam juris tuendi protestationem contra assertos extraneos emiserit, vel judicio deinceps inter nominatos coram s. Rota instituto partes suas interposuerit. Insuper Aloysius Banzi anno 1786 in lucem editus, cum perinde anno 1830 defuncto in curia romana Cardinali Crescini beneficium

s. Matthaei vacaret, de jure suo nec verbum nec vola fecit, licet inter numerosam ipsius prolem exstaret Cajetanus clericus Angela denique et Margarita Banzi sorores in mandato notarii ope anno 1804 confecto, de quo supra, in titulum jurispatronatus minime Felicem donatorem, sed Joannem Cisium allegavere ab eoque causam habere professae sunt.

Nec minus gratis Banzii asserere videntur clericatus gradum ob contrariam fundationi observantiam hodie sufficere. Cum enim anno 1750 de eodem beneficio lis in s. Rota ageretur, contendente inter alia clerico Julio Buralli non requiri ordinem sacerdotalem, contrarium plane receptum fuit tam ex ipsa fundationis particula quam ex continuis praesentationibus cum appositione qualitatis sacerdotalis vel reservatione dispensationis apostolicae factis atque ab Ordinario ita expresse admissis. Immo dictus Julius, licet super aetate dispensationem impetraverit, cum tamen in libello Pontifici exhibito qualitas illa beneficii reticita fuerit, in s. Rota negativam reportavit. Exinde vero imposterum ea observantia vix haberi poterit, qualem doctores ducunt necessariam contra legem fundatoris, potissimum si eidem adjectum sit decretum irritans; quo casu parum esse centenariam affirmat *Piton. alleg. 47. num. 64.* eamque praecisam et non aequivocam, *ibid. alleg. 43. num. 23.* Atqui obstat omnino decretum quod praesefert fundationis particula, statuens: »Quod non possint nec debeant eligere aliquem in sacerdotem et beneficiatum in dictum beneficium, qui non sit in sacerdotali ordine constitutus.« Quod si inter praesentatos postea nonnulli fuerint clerici, haec notanda videntur cum *Rota Parmen. super hoc eodem beneficii 26. Junii 1750. cor. Canilliac. §. 12. Ibi:* »Quandoquidem cum pro talibus praesentatis intercedere potuerit dispensatio apostolica hancque intercessisse praesumi valeat stante observatione aliorum clericorum, qui hujusmodi dispensationem obtinuerunt, exinde haud quaquam immutata dici debet qualitas et natura beneficii, ex recte animadversis per *Corradum in prax. benef. lib. 2. cap. 10. num. 137*, *Piton. alleg. 17. num. 7*, *Rota in recent. decis. 496. num. 9. in fin. part. 1. et decis. 216. num. 5. part. 2*, minus etiam, quando dictas praesentationes longissima praecessit et subsecuta fuit observantia destructiva simplicis qualitatis clericalis in beneficio, ut ad rem prosequitur *Rota in Tarraconen. beneficii 28. Januar. 1786. §. 8 coram Emo Card. Milino.«* Et reapse postea nominati modo clerici, modo sacerdotes sunt praesentati, ita ut exinde observantia asserta minime appareat continua; necnon recensitae sorores Angela et Margarita solemni memorato instrumento beneficium illud simplex sacerdotale appellavere: quod etiam caeterarum in praesenti controversia partium consensu unanimis corroborat.

Quid modo sentiendum de allodii libello facile colligitur ex supra disceptatis. Si quidem ipse Banzi ac Sivelli descendentiam eorumque praesentationem per eadem ferme rationum momenta excludere nititur, quibus invicem utuntur iidem contendentes, ut alius alium vincat. Ceterum ipsum tunc demum utiliter experiri posse jura compertum est, quum satis constiterit de absoluta beneficii libertate ac devolutione ad s. Sedem, ad quam utrum reapse fuerit ille ab Episcopo commendatus ex documento non apparet.

Superest ut de enarratis Episcopi precibus nonnihil animadvertatur. Nimirum cessionem fructuum beneficialium de tempore vacationis decretum iri confidit:

1. Perchè tra i presentati ad esso beneficio non solo non vi ha chi sia fornito di tali prerogative da meritare di fruire di un sì raro vantaggio qual è quello di 7 in 8 mila franchi belli e cumulati dall' economo di esso beneficio.

2. Che in molte diocesi si costuma di disporre in pro della chiesa delle rendite beneficiali percette in tempo di loro vacanza.

3. Che essendo questo il beneficio più pingue di tutta la diocesi, basterà bene (in circostanza segnatamente che ciò è chiesto da un bisogno supremo di questa città) che il futuro rettore incominci a godere delle rendite di esso beneficio dal giorno che ne verrà investito.

4. Il voto universale del clero e di ogni sensata persona.

Episcopi voto obsecundari videtur Tridentini mens, quum *sess. 23. cap. 18. de reform.* seminariorum erectio plurimum ab eodem fuerit commendata. Cui sane adhaerens s. Congregatio decrevit in una *s. Severini Applic. legat. 13. Aprilis 1720* seminario magis quam capellaniae haeredi institutae applicandum esse legatum a legatario repudiatum. Ita etiam in *Bosnanien. Applicat.*

legati 16. Januarii 1762. §.: Haeres. Verum quidem est jam aliud in Parmen. dioecesi seminarium extare; sed quae synodus Tridentina et juxta ejus tramites s. haec Congregatio statuit, certo certius de sufficienti ac utili clericorum institutione ejusque necessariis mediis, non autem de mero unius seminarii aedificio intelligenda veniunt.

Quibus stantibus dantur definienda dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione ita ut et cui sit danda institutio in casu?*

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi in casu?*

Continuatio.

Quoniam in postremo conventu diei 27. Novembris placuit s. Ordini hujus causae definitionem ad hodierna, quae calantur, comitia reservare, juverit nonnulla heic animadvere ac paucis perstringere, quae in praecendenti folio nimis forsan fuso calamo congesta sunt.

Praestat itaque recolere praeprimis, ex pluribus ad controversum beneficium nominatis, quatuor impraesentiarum esse, qui judicii aleam sustinent. Eugenium nempe Sivelli, Jacobum Fabi, Silverium Boni et Aloysium Banzi, quorum jura ideo sunt ponderanda, ut tandem pateat quis inter eos sit victor renunciandus. Sit primum de Eugenio Sivelli. Hunc fuisse a legitimis patronis sexdecim suffragia praeseferentibus praesentatum extra dubitationis aleam positum videtur; quandoquidem neque competitores hujusmodi factum inficiantur. Et re quidem vera pacificum est quod patroni omnes, qui eum nominarunt, descendunt ab illa Hieronyma filia Alexandri Zarotti et Faustina Colla; proinde evidens est eos legitimos haberi patronos, quia Alexander per medium foeminae habet auctorem Joannem Cisium. Ipsum insuper Eugenium e genere patronorum a praefata Hieronyma descendentium derivare in propatulo est.

Ast num haec ipsi opitulentur ambigendum est; quandoquidem, licet legitimo tempore fuerit a patronis praesentatus, praecipuis tamen praerogativis aetatis ac sacerdotii a fundatore requisitis carebat. Quid autem ipsi prosit apostolica dispensatio, per quam hujusmodi defectus abstergere conatus est, tuto statui non posset; etenim desiderantur apud acta tum nominationes patronorum tum tenor supplicis libelli ac literarum apostolicarum dispensationis, ex quorum lectione colligere fas esset, utrum patroni caute nominationem ediderint necne, adjecta conditione: si Papa dispensaverit. In sensu enim eorum qui sustinent, nominationem de incapace factam absque ea salutari conditione corruere, Sivellium suo jure cadere opus esset, saltem reflexive ad alios nominatos potiora jura habentes. Quamquam putarem, haud nimium esse in hujusmodi formalitate insidendum, saltem ex post facto, nimirum postquam Pontifex dispensavit, ita ut censeri potius debeat conditionem illam implicite saltem nominationi adhaesisse.

De Jacobo Fabi pauca sunt addenda. Quatuor tantum is obtinuit voces a patronis e familia Crescini, quos pariter legitimos habere pacificum est, utpote a memorata Hieronyma de Zarottis descendentes. Num autem et ipse de genere patronorum sit, nulla ratione colligere potui. Cum autem Fabius sacerdotali polleat qualitate, videndum an dispensatio a Sivellio obtenta obicem ipsi parare valeat. Nam ubi suis viribus consisteret Pontificis gratia, Sivellius quovis sub respectu Fabium vinceret, nimirum tum ob majora suffragia tum ob genus patronale tum ob qualitates a testatore volitas per dispensationem acquisitas, obvium cum sit, habilem ex privilegio parificari ei qui habilis est ex jure.

Objicit quidem Fabius dispensationem a Sivellio fuisse petitam reticita illius nominatione et obtentam post lapsum quadrimestris. Ast quanti sint haec facienda judicabunt Emi Patres. Illud tamen silentio praetereundum haud videtur, quod indigens dispensatione apostolica ad beneficium non prohibetur, quominus eam petat alio existente. Nemini enim fit injuria, quippe jus neutiquam alicui quaesitum est durante termino ad praesentandum, sed spes tantum et potentia, ceu explicat *Piton. discept. 13. num. 38. et sequ.* Si quem vero intra quadrimestre dispensationem petentem eam post id tempus obtinere contigat, perperam gratiae effectus ob id denegari videretur neque enim per eum stetit, quominus maturius non obtineret, qui jam ante Fabii nominationem flagitaverat, ad *text. in leg. Quibus diebus ff. de condit. et demonstr.* et *Piton. discept. eccl. 13. num. 43.*

Vix est quod de Silverio Boni sit animadvertendum. Satis enim ex superiori restrictu in aprico positum fuit, haudquaquam constare de qualitate patronali eorum, qui, ingenti licet numero, eum nominarunt. Omnes siquidem suam desumunt descendentiam a quodam Claudio Zarotti. Verum quidem est ex descendentia Joannis Cisis venire Claudium Zarotti; ast praeterquamquod iste celebs mortuus est et proinde fabulosa ejus descendentia, illud etiam peremptorium urget, quod discrimen maximum intercedit inter utrumque Claudium, tum quoad parentes et uxores tum quoad aetatem, dum Claudius a Boni confictus, qui uxorem habuit M. Magdalenam Battaini, parentes habuit Germanum Zarotti et Faustinam Colla. Praeterea Claudius ille ortus apparet anno 1642, dum contra alter Claudius jam ab anno 1627 in humanis agebat. Ceteris itaque missis haec exuberare videntur, ut tuto dijudicetur, quo in honore sit habenda Silverii Boni praetensa.

Demum super asserto Aloysii Banzi jure supervacaneum videretur immorari. Nam totum fundatur in donatione Felicis Zarotti, qui unicus dicitur evasisse donatarius Antonii Poggi. Ast ejusmodi donatio vel nunquam suas nacta vires est vel adeo efficax esse nequivit, ut integrum cumularet jus in Felicis persona, fidem de hoc perhibente sententia curiae episcopalis 1687. Quidquid autem de hoc sit, verum aeque esset Aloysium unicam patris vocem praeseferre et qualitatibus ex fundatione requisitis destitutum manere, quippe sacerdotali praerogativa minime decoratur.

Haec innuisse sufficiat, ut pateat totam Sivellium inter et Fabium coërceri diatribam; quam tamen definient Emi Patres respondentes ad dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione, ita ut et cui sit danda institutio in casu?*

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et institutionem dandam esse Eugenio Sivelli.

Ad II: Affirmative juxta modum, nempe ut tertia pars fructuum praeteritorum tribuatur Sivellio, reliquum vero Episcopo favore seminarii Montani, nisi infra bimestre Bantius probet coram s. Congregatione veram paupertatem; quo in casu dividatur idem reliquum in duas partes inter Episcopum et Bantium.

Die 27. Nov. et 17. Decbr. 1852.

Firmana.

Capellaniam ei esse conferendam, qui omnibus pollet dotibus a fundatore praescriptis docent *Lotter de re benefic. lib. 1. qu. 26. num. 16.*, *Rota in Recent. part. 3. decis. 97. num. 3. cor. Duran.*, *decis. 8. num. 4. cor. Buratti.*

Die 18. Februarii 1832.

Fabrianen.

Ubi ex beneficiorum erectione seu fundatione qualitates aliquae in personis nominandis requiruntur, non sit eis derogandum, ut statuit Tridentina synodus *sess. 25. cap. 5. de reform.*, cum illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus detrahere non expediat.

Die 21. Novbr. 1829.

Nepesina.

Scitum est, illos a patronis praesentandos, qui fundationis lege ad id juris honorati sunt. *Rota coram Olivatio decis. 204. num. 1*, s. C. C. in *Tudertina Jurispatronatus 29. Jan. 1827 §.: Blasius.* Cum enim ipsi jus illud sibi vindicent ex auctoris beneficii jussu, qui eos speciatim revocaret, et sic assimilantur praesentato sive electo, ita spes certa regulanda est ac si effectus secutus esset. *Rota in Gerunden. Beneficii 2. Dec. 1605. cor. Sacrato.* Hinc iis, qui sunt passive vocati ob contemptum vel praeteritionem, si nimirum patronus ipsos non praesentavit, quin legitima causa se illos contempsisse aut praeteriisse demonstrat, remedium praesto est actionis ad praesentationem, imo et delatam institutionem proscindendam, utpote in sui detrimentum et in jus sibi ex voluntate testantis quaesitum perperam attentatam, *Vivian. de jurepatr. par. 2. lib. 6. cap. 9. num. 9. et lib. 12. cap. 7. num. 10.*

Die 1. Mart. 1832.

Auximana.

Joanna Baptista Gentiloni civitatis Filoctrani in Auximana dioecesi supremis, quibus

decessit, tabulis anno 1727 facultatibus, quas a fratre germano acceperat, ecclesiam b. Mariae Virgini nuncupatam excitandam curavit in eaque decem sacerdotum collegium, qui totidem fruentes perpetuis capellaniis divina ibi officia persolverent, ad duplicem hunc finem instituit »di accrescere il culto divino e di sollevare tante povere famiglie di quella terra« uti ipsa profitetur. Multa itidem pia fundatrix circa eorum erectionem servanda constituit, quorum pauca haec ad rem recolenda.

1. Singulas capellanias, quas singulis coelitum nuncupavit, suis tribuit patronis, queis facultatem concessit capellanum nominandi, quae, nisi intra tres menses a die cujuslibet vacationis uterentur, pro ea vice ad sacerdotem illius oppidi sacerdotio antiquiorem statim devolveretur, itemque post dies decem ad alterum immediate sequentem transiret, nisi eo temporis intervallo prior ille sacerdos nominasset.

2. Juspatronatum passivum his tantum concessit oppidi sui viris, qui praeter cetera optimis commendarentur moribus, aetatis anno vicesimo primo essent perfuncti et sacra tonsura initiati vel saltem intra trimestre a nominationis die initiarentur et ubi canonica sineret aetas eveherentur ad sacerdotium.

3. Sanxit ne per bullas aut alias quaslibet apostolicas literas capellaniarum fieret concessio sed publico exarato nominationis instrumento, eoque collegii illius archipresbytero collato nihil aliud esset desiderandum, ut nominatus et juribus frueretur et obligationibus teneretur.

His aliisque, quorum nil modo nostra interest, constitutis circa naturam earumdem capellaniarum mentem suam plenius declarat pia fundatrix jubens: »che dette capellanie siano e perpetuamente esser debbano veramente laicali esclusa sempre ogni qualità di beneficio ecclesiastico di modo che non restino mai soggette ad alcun esercizio di giurisdizione di autorità di qualsivoglia superiore ecclesiastico in ordine a proviste, collazioni, dispense, deroghe, affezioni, devoluzioni o qualunque altro titolo.« Mox addit: »Che se non ostante le qualità sopra espresse si darà caso, che si possa e si voglia in qualche tempo erigere la detta Congregazione in Collegiata di Canonici, permetto, che possa farsi, purchè si conservino sempre in tutto li juspatronati e jus di nominare da lei disposti, dichiarati e distribuiti, e senza il pregiudizio delle collazioni da farsene ai soli cittadini, e salvo sempre il consenso de' patroni e dei sacerdoti esistenti pro tempore nella Congregazione.«

Omnia ad nutum Joannae Bapt. post mortem ejus gesta sunt ad haec usque tempora, quamvis capellaniarum rectores Canonicorum titulo, curante c. m. Card. Episcopo Pelagallo, aucti fuerint. Porro die 17. Aprilis anno 1836 Canonico Antonio Coppari vita functo vacavit una ex dictis capellaniis s. Annae nuncupata, cujus juspatronatus activum familiae Gentiloniae a Joanna Bapt. fuerat assignatum. Hinc Comes Jacobus ex ea familia, ad quem ex legibus fundationis per id temporis jus nominandi pertinebat, Nicolao Caprara adolescenti, qui decimum et sextum aetatis annum vix agebat, se eam promisit concessurum, si ab apostolica Sede referret indultum, quo defectus sanaretur aetatis; quod statim ille petiit transmisso ad s. h. O. die 4. Junii 1836 supplici libello, super quo rogatus de more Episcopus amplissimum de oratoris moribus tulit testimonium; ac iis attentis necnon gravi ejusdem paupertate propitiam sententiam suam aperuit.

Ast Bernardus Domesi et Joseph Pamfilj sacerdotes Filoctranenses, damnum ex hujusmodi dispensatione, si ea clericus Caprara donaretur, inferri sibi existimantes, quippe et ipsi ad capellaniam inhiabant, re omni cognita in secretaria brevium *nihil transeat* apposuerunt. Quare praesentiens Gentilonius, non ita facile juvenem Caprara indultum dispensationis super aetatem ab apostolica Sede infra trimestre relaturum sibi ad nominandum concessum, cum illud jam ad finem inclinaret, ad hunc eumdem Ordinem in haec verba confugit: »Essendo per spirare il tempo di nominare ad una delle capellanie laicali esistenti in Filattrano diocesi d'Osimo costituite ora in forma di Collegiata il padrono Conte Gentiloni umilmente implora dall' EE. VV. RR. una graziosa proroga alla nomina sudetta.« Ac die 9. Julii 1836 rescriptum prodiit, quo s. Congregatio commisit Emo Episcopo Auximano, ut veris existentibus expositis praedictam prorogationem incipiendam ab ultima die expiraturi quadrimestris per quatuor menses pro suo arbitrio et prudentia oratori impertiatur; hinc Episcopus Auximanus die 12. ejusdem mensis impertitus est per Vicarium suum »petitam prorogationem incipiendam ab ultima

die expiraturi quadrimestris, expositorum cognita veritate.«

Dum haec geruntur, trimestris et decem insuper dierum labuntur intervalla, quorum primum Jacobo Gentilonio ad nominandum a fundatrice constitutum fuerat, alterum sacerdoti concessum illius oppidi sacerdotio seniori, nisi Gentilonius nominasset. Neuter tamen ulli concessit capellaniam; ille rescripti auctoritate confisus, hic fortasse eidem obsequens. Hoc elapso tempore Dominicus quidam Bravius, cum alter esset sacerdos illius oppidi sacerdotio antiquior, ad quem inspecta tantum fundationis lege nominandi jus post id temporis devolvebatur, laudatum H. S. O. prorogationis rescriptum minime attendens die 30. Julii 1836 capellaniam tribuit sacerdoti Josepho Pamphilio Filoctrarensi, qui capellaniae possessionem adeptus die 22. Septembris una cum Bravio S. H. O. adstiterunt postulantes »che per ogni buon fine fosse revocato il rescritto di proroga concessa a Gentiloni, come obrettizio e surretizio«; at contra Comes ipse Gentilonius sua laedi jura dolens die 8. Octobris ejusdem anni ad hunc eundem Ordinem confugit rogans »che fosse sostenuta la grazia, e che fosse espulso il capellano intruso«.

Interim quadrimestre prorogationis illi concesso ad exitum properante Comes Gentilonius et ipse ad nominationem devenire constituit et cum capellaniam Nicolao Caprara, qui nondum s. Sedis rescripto aetatis vitium sanare valuerat, tribuere non potuisset, die 9. Novembris 1836 sacerdoti Bernardo Domesi eam ipsam concessit, qui et ipse ejusdem possessionem assecutus est die 17. ejusdem mensis. Eminentissimus quidem Episcopus Auximanus juxta sententiam a suo Vicario generali latam die 11. Martii 1837 pacificam possessionem Pamphilio, qui ad ipsum provocaverat, concessit et Domesium ab eo repulit, sed haec rescissa sunt ex sanctissimi Principis rescripto per Emum Signaturae praefectum ad preces Domesii', cum de re omni ad S. O. provocatum fuerit, antequam Pamphilius ad curiam episcopalem confugeret Hausi factorum seriem ex documentis, quae prostant apud acta, maxime ex literis informatoriis identidem datis a cl. m. Auximano Antistite, qui nullam aperte animi sui sententiam super bini litigatoris praelationem proferens haec de eorum personalibus qualitatibus edocet sub die 9. Aug. 1836: »Gentilonius capellaniam contulit sacerdoti Bernardo Domesii viro ad eam obtinendam necessariis requisitis ornato. . . . Bravius nominationem tribuisse fertur Josepho Pamphilio, viro requisitis omnibus praedito ad formam fundationis, sed antehac scilicet usque ad annum circiter abhinc moribus haud satis probatis, videlicet, uti explicat sub die 3. Decembris anni ejusdem, praedictus Pamphilius in lucem editus est die 20. Martii 1809 eumque anno 1834 evolvente a nimia familiaritate cum laicis, ab otio, ludo, cui et in publicis aleatoriis foris operam dabat, necnon a consuetudine malae moratae mulieris spiritualibus exercitationibus et formali praecepto cohibui. Modo illum desidiae deditum conqueror.«

Jam vero inter binum nominatum quaeritur quis legitime nominatus fuerit. Quum autem Gentilonius infra trimestre a fundatione praescriptum jure suo usus non sit nec illud senior presbyter infra decendium exercuerit, Bravio devolutum fuisse arguit Pamphilius, atque adeo nominationem ab eo infra legitima tempora legitime expletam esse substinendam. Quin rescriptum prorogationis a Gentilonio relatum officiat, quippe illud sub- et obreptionis vitio laborare contendat. Etenim vero nullam ille testamenti particulam exhibuit: supplici autem libello reticuit prorsus momentosam circumstantiam, nempe voluisse fundatorem nominari a patrono infra trimestre tantum, quo elapso devolvi et quaeri illico jus ad presbyterum in sacerdotio antiquiorem. Quod sane si scivisset s. Congregatio, numquam precibus tam facile annuisset nec aliud quadrimestre ab ultima die expiraturi quadrimestris concessisset; siquidem testatorum voluntate pessum danda abhorret omnino; abhorruissetque maxime in casu, ubi adeo eliminata voluisse testator visus est ejusmodi prorogationis indulta, ut quamlibet prohibuerit super capellaniis ecclesiasticam auctoritatem »anche in riguardo a dispense«. Et numquam censetur voluisse laedere jus tertii ad tradita per *Molin. de just. et jur. disp. 24. conc. 4., 5. et 7, Valent. de ultim. volunt. 27. n. 91. et seq.* Porro norunt omnes, quod rejicentia circumstantiae, quae concedentem a gratia concedenda retraxisset vel difficiliorem reddisset, subreptionem inducat ad *text. in cap.: Super literis,* ibique *gloss. verb.: Dedissemus de rescript., Piton. de controv. patronor. alleg. 1. n. 6, Rigant. ad reg. 1. cancell.* §. *1.*

n. 332 et seq., adeoque ipsius rescripti gratiae ipso jure nullitatem, ad *text. in cit. cap. 20 de rescript.* Imo vero, etiamsi ex simplicitate reticitus trimestris terminus in Gentilonii precibus admittatur, illud dumtaxat sequi posset, ut gratia prorogationis a s. Ordine concessa pro alio trimestri tantum sustineretur caderetque eatenus tantum, quatenus fuit causa concessionis, ad *Fagnan. lib. 1. tit. de rescript. 1. Nonnulli num. 12.* At Gentilonius, dum quartus post trinos a fundatione concessus laberetur mensis, nominavit.

Quod si initio rescriptum suo stetisset robore, illud tamen irritum evasisse contendit, nedum quia ratio evanuit, ex qua largitum est, nempe clerico pauperi aetate tamen congrua destituto gratificandi (alteri namque contulit nominationem, de cujus firmitate agitur), sed etiam quod partibus interesse habentibus minime fuerit legitimo tempore rite renunciatum, quod necessarium fuisse asserit, ut jus sibi suspensum cognoscerent. Qua in re et ipsum Vicarium Emi Episcopi rescripti exequutorem defecisse existimat, qui nulla de fundationis indole capta ulteriori notitia celeri nimis executione illud, prout extabat, donavit.

Demum collationem instituit inter utriusque contentis mores. Dum enim ipse quatuordecim et amplius presbyterorum testimonio fulcitur, qui deponunt »delle sue buone qualità morali« praesertim parochi Mazzuferi, qui eum sibi in paroeciali exercitio sedulam per binos annos praestasse operam affirmat, ille, ut unius viri presbyteri assertione constat, modo Capucinorum, modo PP. minorum d. Francisci familia est recensitus, quin tamen in altero (vir sane inconstantis ingenii) permanserit. At perperam haec omnia clamat ex adverso Gentilonius ac 1. rescriptum a se reportatum suo robore plene consistere: nam si quae supplici libello reticitae sunt circumstantiae, eas substantiam rei minime affecisse propugnat nihilque contulisse ad gratiam faciliorem vel difficiliorem reddendam, adeoque nec obreptionem intulisse ad firmata per Episcopum, *Rocca disp. juris select. cap. 189. n. 19*, s. Congr. in *Bononien. Aperitione oris 14. Maji 1793 §.: Sufficienter.*

Revera nihil riticuit aliud, nisi quod jus nominandi trimestri elapso ad alium devolveretur. Verum ejusmodi adjunctum adnotare haud necesse fuisse inde colligit, quod in omnibus patronatis beneficiis ille adsit, cui termino elapso jus conferendi devolvitur, id est Ordinarius: hinc nonnisi de persona determinanda actum fuisse, quod ad substantiam non pertinet.

Porro praesumptas ex adverso fundatoris prohibitiones, ne ecclesiastica auctoritas manus apponeret super capellaniis, nihil ducit, tum quod eas ad jurispatronatus naturam sartam, tectam servandam referri taxative (vi contextus) arbitretur, tum quod illae publico juri legata omnia pia ecclesiasticae auctoritati subjicienti adversarentur; jus autem publicum nequeat privatorum voluntatibus immutari ad *text. in leg. 1. nemo potest ff., leg. 1 et in Authen. de eccles. tit. 1. Si quis testator. cod. de epist. ex clericis.*

Rescriptum vero s. Congregationis satis superque renunciatum fuisse pergit partibus interesse habentibus; quippe teste Episcopo omnibus legendum exhibuit Gentilonius atque coram duobus testibus ipsi Bravio, uti nec ipse diffitetur, quamvis legere noluisse protestetur.

Ceterum quidquid sit de obtenti rescripti efficacia et illud favore Gentilonii animadverti posset, jamdiu scilicet intra legitimum trium mensium a die vacationis spatium preces fuisse admotas per clericum Caprara super aetatis dispensatione: atque adeo legitime et pleno jure patronum ante obtentam dispensationem alium nominasse; siquidem ex legum Rotae et s. Ordinis praestituto regulare sit, quod recursus ad Principem impediat lapsum cujusque temporis a lege vel ab homine praefiniti, *leg. cum Anterioribus §.: Si tamen C. de tempor. appell., Rota in Hispalen. 22. Junii 1755 cor. Crispolto n. 19. Constant. ad statutam Urbis adnot. 11. n. 233, 303* et s. Congregat. in *Assisien. 18. Septembris 1819* maxime in *s. Severini Capell. 7. Septembris 1833 1. dub.* Quibus addit Gentilonius ipse iniquum sibi videri bona undequaque fide constituto tum ex pendentia recursus tum ex prorogationis rescripto durissimam infligi poenam caducitatis. Bravio autem, qui sacri Ordinis rescriptum eidem ostensum pro nihilo habuit, jus et commodum nominandi liberum servari.

Quae tamen cujus roboris sint penset EE. VV. sapientia, necnon utrum contra personam nominati Domesii ex adverso allata valeant nominationis robur imminuere. De dispensatione quam clericus Caprara flagitabat nil addendum censui, quoniam illius obtinendae finis et ratio cessasse mihi visa sunt, ex quo patronus Gentiloni ad alterius actu habilis nominationem devenit et reapse ne verbum quidem post hoc temporis super oblato ad rem supplici libello nec ipse nec patronus amplius admoverunt.

Proponitur dubium:

I. *An et cujus nominatio substinenda sit in casu?*

S. C. resp.:

Affirmative favore Domesi, dummodo infra duos menses doceat de habilitatione ad beneficia.

Die 27. Julii 1839.

Mutinen.

Supremo, quo decessit, elogio nobilis foemina Caesaria de Buschettis 1 21 congrua constituta dote beneficium erigendum mandavit in ecclesia cathedrali Mutinensi ad aram s. Petro apostolo sacram, adjecto onere beneficiato pro tempore ter in qualibet hebdomada missas celebrandi necnon anniversarium in die suae mortis peragendi ac insuper in divinis officiis memoratae ecclesiae singulis diebus inserviendi. Activum beneficii patronatum nobilibus viris tum Albertino de Buschettis ejusque germanis fratribus, tum Thomae de Guidonibus una pariter cum germanis fratribus eorumdemque successoribus in infinitum reliquit. Circa personam vero nominandam statuit: »*Quod beneficium semper detur uno sacerdoti idoneo in Sacris constituto, missam celebranti, qui interesse debeat in dicta ecclesia divinis officiis, horis debitis et ter qualibet hebdomada missas celebrare et anniversarium.*«

Cum nuper vacarit beneficium per obitum Canonici Albertini de Buschettis, ad illud patronus comes Aloysius de Buschettis consiliarius vulgo »*di stato*« apud Mutinae Ducem rite nominavit comitem Josephum Guidelli suum nepotem, adolescentem in aetate decem annorum nunc constitutum. Qui cum studiorum causa in abbatiali seminario civitatis Nonantulae versetur, ubi ejus pater ratione concrediti sibi muneris domicilium posuit, ideo tum indultum absentiae a residentia, usquedum expleto studiorum curriculo ad sacros ordines promotus fuerit, quum dispensationem ab aetate et qualitate sacerdotali a fundatore praescripta supplicite implorat.

Deinde cum beneficii onera non integre per spatium fere centum annorum satisfacta fuerint ab ejusdem rectoribus, sed, anniversario omnino praetermisso, missas nonnisi triginta sex ex centum supra quinquagesimam sextam celebrari fecerint, nec capitulo nec Episcopis reclamantibus, hinc orator ipse utpote haeres Canonici de Buschettis germani fratris postremi beneficii possessoris ad cautelam adprecatur nedum absolutionem quoad praeteritum pro missarum et anniversariorum omissione, sed etiam confirmationem reductionis missarum ad tres supra triginta, quam ex longaeva observantia vel concessam praesumit vel saltem praescriptam.

Super quibus precibus Episcopus de more rogatus retulit ex actis episcopalis curiae evidentissime constare, activum beneficii juspatronatum spectare nunc exclusive ad excellentissimum Comitem Aloysium de Buschettis, qui rite oratorem nominavit; et neminem ex passive vocatis extare, quibus praejudicium inferri possit, redditus beneficii, detractis oneribus, ad annuam summam libell. 648 mon. italicae seu scutatorum 119 mon. romanae ascendere, numerum vero choro inservientium ex decem novem Canonicis una cum Dignitariis, ex undecim mansionariis et ex tribus beneficiatis, in totum ex triginta tribus coalescere. Quoad oratoris vero qualitates haec habet: »Egregiae indolis hunc esse adolescentem nemo est qui non fateatur, sed quod in maximam ejusdem laudem vergit, supra aetatem eminet devotio et pietas, ex quibus facile nec temere arguere licet in optimae spei adolescente quamdam jam nunc praefulgere ad ecclesiasticum statum dispositionem, uti etiam testatur Superior abbatialis seminarii Nonantulae.« Utrum autem sit ipse necne petitis dispensationibus donandus, sese abstinet a sua sententia proferenda.

Hisce praejactis quoad petitam dispensationem ab aetate et nota sacerdotali animadvertere est, de aequitate canonica posse quidem ex rationabili causa quoad hujusmodi defectus dispensari atque has inter causas recenseri a doctoribus consanguinitatem cum fundatore vel etiam cum patronis, quae sane in themate verificatur favore oratoris. Sic *Pitonius discept. eccl. 13. part. 1. num. 42:* »Quae habilitas potest obtineri per dispensationem Papae super aetate et quae passim conceditur in beneficiis de jurepatronatus etiam existentibus in aetate novem vel decem annorum ex causa rationabili, puta si cleri-

cus praesentatus sit ex consanguineis patronorum vel compatronis vel de sanguine fundatoris.« Idem testantur *Corrad. in prax. dispen. lib. 4. cap. 2. num. 6.* et *Vivianus in prax. jurisp. lib. 6. cap. 6. num. 9.*, de beneficiis saltem simplicibus.

Et haec Congregatio ob favorem patronorum quandoque gratias hujusmodi impertita est, nempe ut eorum consanguinei ad beneficia, imo ad canonicatus etiam Cathedralis, pueritia nondum exacta, instituerentur, vel praesentationem ad tempus suspendit, ut inde beneficii fructus in rectam adolescentis institutionem erogarentur, quo in casu idoneus deputari solet oeconomus, qui, satisfactis oneribus, reliquum in eorumdem alimonium convertat, ut videre est in *Vercellen. 16. Julii 1766* et in *Asculana 20. Maji 1786*, idque eo vel maxime cum nulli praejudicium inferatur, ut in themate.

Verumtamen ex communis juris sanctione docent legibus a fundatore praescriptis, quantum fieri potest, accurate religioseque adhaerendum esse *(caus. 13. quaest. 2. cap. 4.)* nec sine gravi causa ab iis esse recedendum, testibus *Lambert. de Jurepat. artic. 26. qu. 7.*, *Rebuf. in praxi benef. part. 1. tit. 1.* et *Rota cor. Emerix. decis. 722. num. 9.* Porro sanguinis vinculum cum fundatore ac patrono causam sane suppeditare valet dispensationi a legibus fundationis. At viderit EE. VV. prudentia, num satis gravis appareat causa isthaec, quocumque alioquin destituta subsidio, id est non adjecta paupertate saltem relativa, miseris familiae adjunctis, passiva vocatione aliisque hujus generis adminiculis; sane pro circumstantiarum varietate si aliquando annuit pro hujusmodi indultis s. Ordo, interdum etiam refragatus est, ceu in *Camerinen. Suspensionis canonicatus diei 4. Aprilis 1840.*

Quatenus porro impedimenta placuerit repellere, quae beneficii assequutionem oratori prohibent, decernendum insuper erit de eodem dispensando ab onere chori et residentiae causa (ut ajunt) studiorum. Qua in re de juris rigore est, ut hoc indulto donetur nonnisi qui studiis operam navet in aliqua universitate vel saltem in publico et celebri gymnasio, ex *cap. Tuae fraternitatis tit. de cler. non resid.* et theologiae vel sacris canonibus studuerit, *ex cap. ult. de magistris.* Ex aequitate vero concessum quandoque est, ut in seminariis etiam degentibus et grammaticae studentibus concessum fuerit eo sub obtutu, quod et ista veluti semita sit majoribus et ecclesiasticis scientiis addiscendis, S. C. in *Praenestina* proposita inter supplices libellos cura cl. m. Card. Gamberini editos sub n. 95. Itaque pensandum erit in themate, an talia prostent adjuncta, quae proniorem sententiam sibi postulent, seu consultius sit oratorem in diocesano Mutinensi seminario versari et ita residentiae legi satisfacere ac, prout aetas illi permiserit, chorali servitio praesentiam exhibere.

Circa modum vero illud inter alia adnotare erit, num sueta clausula apponi debeat »*dimissa tertia parte*« prout decet ad tramites Tridentini *sess. 21. cap. 3. de refor.* et praxis s. C. in *Eugubina Punctat. 15. Martii 1783 §. 13.* scilicet, quia, monente Episcopo, servitium a beneficiatis praestandum exemptum est ex pervetusta consuetudine ab onere quotidianarum distributionum vel potius hujusmodi consuetudo contra Tridentini decreta veluti abusus et corruptela reputanda sit.

Ut aliquid demum pro meo munere delibem quoad postremo loco petitam reductionem et absolutionem ad cautelam, illud in facto certum, auctore Episcopo, tenendum est, missas »per spatium fere centum annorum triginta sex celebratas fuisse; ...; quomodo vero, quaque auctoritate onera huic beneficio adnexa immutata fuerint, minime eruitur nec ex regestris dictae cathedralis ecclesiae, nec ex actis hujus episcopalis curiae, sed praesumitur id legitime actum fuisse, cum nunquam rectores praeteriti nec per capitulum nec per Episcopos obstricti fuerint ad alia onera adimplenda.« In jure autem non desunt reapse non infimae notae doctores, qui longaeva praescriptione praescribi missarum onera posse tueantur, siquidem ex *cap. 5. Cum de beneficio de praebend. in 6.* contra fundationem et beneficii naturam praescriptio admittatur: hujusmodi sunt *Fagn. dub. 3. sect. 3. tract. 1. cap. 8. numer. 17*, *Pasqualig. de sacr. miss. quaest. 1192.*, *Cobat in exper. tract. 3. numer. 514*; potissimum vero centenariae insistant, ex qua nedum praescriptio sed praesumptio exurgit melioris tituli. Quare valere eam etiam contra decretum irritans arbitrantur *Bohemerus in decret. lib. 2. tit. 26. §. 35. ad 50, Card. de Luca de jurep. disc. 11.*

Ast de hac re mihi alias coram s. vestro Ordine disputanti in una *Firmana Capellaniae diei 29. Julii 1843* contrariam elicitam

fuisse a s. Congr. sententiam pluribus resolutionibus exemplare datum est, quibus suum adjecit calculum resolutio in ipsa causa edita in simili facti specie, scilicet: non attenta distinctione centenarii temporis praescriptive vel praesumptive spectandi, quae disctinctio facile in fraudem decreti irritantis vergeret.

Videre nihilominus erit, num peculiares circumstantiae, quae se exerunt in themate, praeter temporis lapsum peculiarem possint inducere praesumptionem ac proinde peculiarem resolutionem importare. Sane haud levis momenti est, neque capitulum neque Episcopos beneficiatos ad onera adimplenda juxta legem fundationis nedum non compulisse, sed nec minimum excitasse. Cum enim capitulo ex una intersit missas ita celebrari, Episcopis vero ex decreto Innocentii XII., cujus initium »*Nupera Congregatione*« onus insit invigilandi, tempore praesertim s. visitationis, pro piarum dispositionum inplemento, praesumi non posse videtur tot Capitulares suae utilitatis ac tot Episcopos ita muneris sui fuisse oblitos, ut sine rationabili causa tantam missarum omissionem impune permiserint. Pro absolutione quoad praeteritum, quam orator postulat, facere etiam posset bona fides decessorum beneficiatorum.

Hactenus disputatis unum addendum superest, precibus oratoris undequaque adversari ecclesiae cathedralis capitulum sequentibus ex causis: nempe circa petitas dispensationes, quod prae decentia ecclesiae arctus sit inservientium numerus et valde inferior, quam ante gallicam usurpationem extiterat: imminutus vero hodie magis appareat, habito respectu ad plures jubilatione donatos aliosque infirma valetudine affectos: quod et praedecessor beneficiarius nullum fere praestiterit servitium, quippe Canonicus in Bononiensi ecclesia metropolitana: circa vero reductionem, quia, cum non constet de reportato aliquo derogatorio indulto, lex fundationis servanda est.

Porro, si in his, quae divina respiciunt officia, decet semper rationabilem capituli dissensum attendere *(arg. ex Trid. sess. 24. cap. 12. de ref.)*, is potissimum attendendus videtur in themate, quia testatrix ipsa super hoc beneficio speciale quoddam jus capitulo concessit per haec verba: »Et quoties beneficium vacare contigerit rectore, mensem (patroni) post vacationem eligere debent rectorem ipsius sacerdotem in sacris constitutum et missam celebrantem et illum praesentare capitulo majoris ecclesiae Mutinae, qui illum sic electum et praesentatum, si et in quantum idoneum, *confirment*, et non aliter qui celebret et intersit divinis officiis, ut supra.« Per quod verbum *confirment* sive testatrix institutionem in beneficio capitulo concedere voluerit sive nudam praesentati adprobationem, nemo ibit inficias, eidem speciale jus tributum fuisse. Jam vero erit EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An et quomodo sit annuendum precibus oratoris pro dispensatione aetatis et ordinis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit annuendum ejusdem precibus pro indulto abessendi in casu?*

III. *An et quomodo sit annuendum precibus super reductione et absolutione missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II: Non expedire.

Ad III: Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam, celebratis triginta missis, facto verbo cum SSmo.

Die 28. Aug. et 23. Novbr. 1844.

Lauretana.

Bina instituit postremo elogio beneficia de anno 1437 Antonius Servanni a Recieto sub titulo sancti Antonii, alterum ad aedem s. Flaviani Recineti, alterum in templo maximo almae domus Lauretanae: juspatronatus vero super utroque tribuit Ludovico fratri ejusque haeredibus et successoribus per haec verba atque hisce sub legibus: »*quas quidem pensiones* (quas superius nominaverat) *esse voluit pro dote dicti altaris et fructus dictarum possessionum pro vita et substentatione unius sacerdotis eligendi et deputandi ad dicendum et ad administrandum divina officia ad dictum altari, cui altari reliquit praefatum Ser. Ludovicum et ejus haeredes et successores patronos ad eligendum, nominandum et deputandum presbyterum et sacerdotem ipsi altari, dummodo quod electio sic facienda per dictum Dom. Ser. Ludovicum, sive per duos haeredes et successores fiat, debeat fieri de sacerdote in sacris ordinibus constituto, qui nullum aliud beneficium nec cum cura nec sine cura habeat; ac si dicta*

electio alias facta fuerit, voluit esse nullam et nullius valoris, roboris et momenti; qui sacerdos modo praedicto deputatus teneatur et debeat continuo ad dict. altare et non alibi divina celebrare officia pro anima praefati testatoris et suorum parentum.«

Rebus ita dispositis opus non est per singulos gradus jurispatronatus de una in alteram personam transitus recensere. Illud pacificum est de a. 1743 coaluisse pro medietate in Alexandro Antici, pro altera vero parte in Francisca Massucci, prout firmavit etiam ea tempestate sententia cameralis in partium conflictatione edita ac rei judicatae vires adepta.

Porro quum praefata Francisca sui patronatus jus quoad Recinetense beneficium transtulerit in Levirum Philippum Broglia, quoad Lauretinum vero in nepotes ejusdem Philippi filios titulo cessionis, factum est ut Alexander junior Antici pacto solemniter convento cum praefatis Franciscae successoribus sibi comparaverit semissem juris nominandi in beneficio Lauretano ac eorum favore correspective cesserit semissem sibi competentem in beneficio Recinetensi sub die 16. Decembris 1743.

Postquam ita plenus evasisset dominus praefati Lauretani patronatus Alexander Antici, placuit eidem universum acquisitum jus transferre solemni donatione inter vivos a. 1756 in alteram ex suis filiabus nomine Laetitiam et post ejus obitum in ejusdem primogenitas in infinitum »*si per gratificare* (ut ipse ait) *la medesima* (Laetitia), *si anche acciochè la sudetta voce o jus di nominare il rettore di detto beneficio risieda in una sola persona.*« Cui donationi, instante Camillo praedictae filio, approbatio accessit Lauretani Ordinarii ineunte a. 1790.

Et sane ad tramites hujusce dispositionis una tantum nominationem explevit Laetitia per quatuor vices, nemine contradicente usque ad eam postremi capellani sub anno 1778, qui defunctus est labente anno 1842. Ast quod adhuc pacificum fuerat, impugnari caepit ea ex amussim occasione. Etenim ex una parte Joannes Baptista Santini ex persona patri et Leopoldus Santini, qui recta descendunt ex praefata Laetitia mediante Camillo, sacerdotem Hieronymum Santini ejusdem Leopoldi filium praesentarunt; ex altera Silvester, Angelus, Ado Pucciatti aliique plures ex Ludovica, altera Alexandri junioris filia descendentes, clericum nominarunt Josephum Pucciati annos natum octodecim, scilicet uti jus habentes et ipsi ad juspatronatus, ex primitiva fundationis lege, spreta memorata donatione favore unius Laetitiae expleta, quam nullam adisserunt; ac Principem sacratissimum postularunt pro venia super defectu aetatis et qualitatis sacerdotalis, quatenus opus esset.

Huc spectant priores quae proponuntur dubiorum formulae. Tertia vero ex peculiarissima facti circumstantia erumpit, scilicet cum ex lege donationis consedere in primogenito debuisset juspatronatus; in casu contra quisnam ex binis Laetitiae descendentibus Benedicto nempe nuper vita functo, a quo Joannes Baptista derivat, et Leopoldo Santini primogenitus haberi cum dignosci non posset, quia ex uno eodemque partu uterque natus est, consilium inierunt uterque ad vitanda dissidia concordiam stabilire, cujus vi alternis vicibus nominandi jus deberent exercere hisce sub conditionibus:

1. Il diritto di nominare al beneficio in discorso nell' attuale vacanza apparterrà unicamente al pupillo Giovanni Battista Santini figlio primogenito del fu Benedetto Santini fratello carnale del vivente Leopoldo Santini, ambedue figli gemelli della fu Letizia Antici di loro Avola, a condizione però del detto pupillo, e per esso dell' attuale di lui madre, tutrice e curatrice Maddalena, di esercitare *un tal diritto* a favore di un sacerdote o chierico figlio di Leopoldo, il quale dovrà obbligarsi di pagare ad un figlio e discendente del fu Benedetto, sacerdote o semplice chierico l'annua pensione di scudi 130 fino a che possederà *legittimamente* il beneficio, di cui si tratta, che può dare la rendita annua di circa scudi 400.

2. Che dopo la morte del detto sacerdote o chierico figlio di Leopoldo il jus attivo del benefizio anzidetto passi, e risieda in Leopoldo di lui padre, ed in caso di decesso nel di lui figlio primogenito con la stessa indeclinabile condizione di nominare e presentare un sacerdote o chierico figlio di Benedetto, e riservata ad un sacerdote o chierico figlio di Leopoldo la stessa identifica pensione di annui scudi 130 fino a che possederà legittimamente lo stesso beneficio.

3. Che tale alternativa, come sopra motivata, per il diritto antico ne' due nominati Colonnelli del fù Camillo Santini, Leopoldo cioè, ed il pupillo Giovanni Battista in rappressentanza di Benedetto, sia e rimanga inalterabilmente osservata dai primogeniti dei medesimi in ogni altra futura vacanza e per il diritto passivo si debba ritener fermo e sempre in pieno vigore quanto è stato superiormente stabilito per i figli e discendenza mascolina primogeniale di Benedetto e Leopoldo quante volte ne' loro figli e futuri discendenti maschj concorrono le qualità o di sacerdozio o di chiericato.

4. Non trovandosi sacerdote o chierico della discendenza mascolina dei due gemelli Leopoldo e Benedetto dovrà continuare, e mantenersi inviolabile l' alternativa del jus attivo del benefizio di cui si parla, frà i primogeniti, i quali in questo caso potrano esercitare liberamente il di loro diritto a favore anche di estraneo sacerdote o chierico, riservando la suddetta pensione di scudi 130 a favore di un figlio sacerdote o chierico dell' altro Colonnello discendente sia da Leopoldo, sia da Benedetto secondo le contingenze ne' modi suespressi.

5. Mancando del tutto in una delle due discendenze, di Benedetto cioè e Leopoldo gemelli Santini, la linea mascolina, l' intero Jus attivo del benefizio debba passare pienamente ed interamente all' altra, proibito per assoluto il concorso simultaneo di più successori in tal diritto, essendo questa la volontà e mente espressa del donante Antici, come si è nella narrativa osservato.

6. In tutto il rimanente poi che riguarda la successione nel diritto attivo al benefizio di cui trattasi, le parti transigenti debbano promettere ed obligarsi tanto per loro stesse, quanto per i rispettivi loro figli, eredi e successori, che qualora ambedue le famiglie venissero a mancare di discendenza mascolina, in tal caso soltanto s' intenda cessata, finita ed estinta la presente alternativa o transazione diretta unicamente alla concordia ed al bene della comun pace e tranquillità loro col rimettersi pienamente in tutto e per tutto a quanto viene ulteriormente disposto ed espresso nella donazione del fu capit. Alessandro Antici a favore della fu Letizia figlia sua e di successori, come al rogito. Gentili 3. Novembre 1746 al quale etc.

In sua relatione desuper expetita, postquam retulerit Lauretanus Antistes impossibile fore, ut dignoscatur quisnam natu major ex geminis fratribus Benedicto et Leopoldo haberi debeat, cum neque ex libro baptismali nec aliis erui detur indiciis, propositam concordiam omnino probat nec ambigit quin sacerdos Hieronymus institutione donetur.

Omnia haec ab oratoribus exhibita sacratissimo Principi per apostolicam Datariam placuit sacro eidem tribunali ad sacrum EE. VV. Ordinem remittere pro voto.

Jam vero qui ex Ludovica Alexandri junioris filia descendunt ac clericus Pucciatti ab his praesentatus strenue primum juspatronatus sibi vindicant, scilicet uti descendentes et haeredes ex semisse praefati Alexandri, in quo uno integrum illud coaluerat. Quum enim juspatronatus ipsum mixtum teneant ex familiari et haereditario et fundationis litera »*suoi eredi e successore*«, quae verba haeredes sanguinis significant, adeoque gentilitii mixturam, ad *Rocca disp. jur. cap. 193. numer. 10.*, *Rota decis. 203. numer. 4. recent.* et in *Romana seu Parmen. Jurispatr. 13. Decembr. 1700.* §: *Contrariis coram Molines*, cumque insuper juspatronatus mixtum deferatur jure sanguinis, ad tradita per *Piton. de controv. patron. alleg. 69. n. 21*, hinc jus illud, inferunt, in eos translatum fuisse independenter a facto Alexandri auctoris ac proinde spernere merito se putant donationem ab hoc favore solius Laetitiae expletam, quippe cassam et nullam.

Quodsi jurispatronatus indoles haereditaria (uti ex adverso contenditur) concederetur, propugnant donationem praefatam attendi non posse, quippe factam adversus legem fundationis, cui derogare marte suo nequivisset donator patronus: neque enim licitum huic fuisse, pugnant, singulari peculiaris donationis titulo jus illud in alium transferre, quod ex placito testatoris transfundi debuisset titulo universali haereditatis. Sane hac ferme sub ratione illegitime transmitti haereditarium juspatronatus titulo legati independenter ab ecclesiastica auctoritate defendit *Pitonius alleg. 100. num. 268.*

Porro si res ita se habent, jam praesefert sui favore Pucciattus medietatem vocum ac jure prae altero institui postulat, quia primus s. Sedem adiit ad eum effectum, bonis ornatur moribus ac patronis sanguinis vinculo copulatur.

Quin obstet presbyteralis notae defectus; siquidem substinet mordicus eam qualitatem necessariam non esse, vel si esset, legitimas prostare causas obtinendae dispensationis.

Exploratum in jure est nomine sacerdotis generatim venire etiam clericum minoribus auctum ordinibus ad textum in *cap.: Si quispiam de cohabit. clericor. et mulier.*, ea nempe de causa (ut explicat gloss. in cit. cap.) »*Quia inferiora intelliguntur in superioribus.*« *Consonat Rota decis. 685. numer 28. coram Merlino.* Atque adeo, ut dictio *sacerdos* qualitatem actu presbyteralem in capellano inducat, duo exigere solent doctores, ut nempe testator explicitis verbis onus injunxerit »quod capellanus per se ipsum celebret« vel sub expressa prohibitione celebrandi per alium »*quin extra hos casus* (ut explicat *Piton. alleg. 28. numer. 1*) *non dicitur electa industria, qualitas personae, sed volitus solus et unicus effectus sacrificii, qui eodem modo obtinetur sive capellanus celebret per seipsum sive per alium.*« *Card. de Luca de benef. discurs. 96. numer. 10, Constantin. Vota decis. numer. 35. 813, Rota coram Merlin. decis. 825, per tot.*, s. Congr. Conc. apud Ferraris verb.: *Capellan. n. 20.*

In themate jam vero frustra quaeruntur hujusmodi conditiones; nudumque sacerdotis nomen a testatore adhibitum ac minus habet roboris ad inducendam notam presbyteralem, quod illud quandoque miscuerit cum alio »*in sacris ordinibus constituto*« praeterea vero onus capellano injunctum fuerit »*quod deberet ad dictum altare et non alibi divina celebrare officia pro anima ipsius et suorum parentum*«, quae verba cum ad missam unice referantur sacerdotalem non importare qualitatem dixit s. C. in una *Pistorien. et Abalens. apud Ferraris loc. cit. numer. 28.*

Juris dispositioni plaudere tenet observantiam, qua constat per plura saecula ad beneficia erectionis Servanni, sive ad illud Recintense sive ad Lauretanum, adlectos indiscriminatim fuisse presbyteros vel clericos etiam in minoribus constitutos atque ita contigisse refertur quoad primum sub anno praesertim 1629 favore clerici Thomae Massucci ab Episcopo instituti, sub anno 1709 favore clerici Benedicti Angeli, sub anno 1753 favore clerici Cajetani Broglio, quibus omnibus a sancta Sede apostolicae literae datae sunt, nulla alia adjecta conditione, praeter eam suscipiendi sacros ordines, cum ad canonicam aetatem instituti pervenerint, quin data fuerit dispensatio. Sed his culmen imponit postrema provisio in beneficio punctim Lauretano sequuta, quae controversiam omnem veluti dirimit. Scilicet scire est sub anno 1778 suo viduatum rectore hoc beneficium mansisse ac praesentatum clericum minorem Joannem Paulum Santini annos natum octo supra decem literas apostolicas retulisse a Pontifice o. m. cum onere singulos sacros ordines suscipiendi, ubi legitimam pro singulis aetatem attigerit: ast sacerdotio proximus Joannes Paulus eumdem Pontificem postulavit, ut ab hoc ordine suscipiendo dispensaretur tum »*perchè era astemio del vino dalla nativitá*,« tum »*perchè non era certa la mente del testatore, che richiedesse la qualità sacerdotale*«, qua super posteriori assertione Firmani Archiepiscopi votum favorabile afferebatur. Porro Princeps sacratissimus »benigne remisit preces arbitrio R. P. D. Episcopi Lauretani cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, ita tamen ut, quatenus censeat apostolica auctoritate oratorem dignum, dispensationem declaret«. Episcopus autem Lauretanus decreto suo exequutorio mensis Martii 1785 declaravit: »*Utendo facultatibus a s. Sede tributis, visa relatione Archiepiscopi Firmani una cum voto Periti legalis, . . , eumdem oratorem recensito apostolico indulto libere frui et gaudere posse sancimus.*«

Ceterum, quavis in ambage, non dubitat gens Pucciattia, quin clericus ab ea nominatus dispensari queat, postquam ita semper clericos institui consuevit, maxime cum bonis moribus commendetur.

Contra vero, qui juribus protuendis familiae Santini adest, distributa allegatione, institutionem sacerdoti Hieronymo tribuendam esse contendit, quippe nominatus ab his, qui ex facto eorum auctoris existunt in quasi possessione nominandi, cujusmodi sunt Laetitiae descendentes, quam usque ad a. 1778 unice nominationem explevisse superius animadvertimus. Cum enim institutio paratim sibi postulet executionem, scitum in jure est ex censura celebrati capitis: *Consultationibus de jurep.* nonnisi postremum statum ad effectum eam assequendi esse attendendum, rejecta ad separatam judicis sedem quaestione super pertinentia. *Rota in rec. dec. 181. n. 18. p. 19. cor. Falcon. de jurep. dec. 34. n. 4., dec. 296. n. 7. et 8. part. 15. Recen. dec. 141. n. 1. cor. Emerix* et in *trien. paroch. 21. Junii 1757 §. 18. cor. Figuerva.* Praesertim in themate, ubi novissimae nominationi cohaerent aliae tres anteriores eadem ratione absolutae, nemine contradicente, *Rota in Gracov. Canonic. 7. Maji 1735 cor. Molina, s. Congr. in Montis Alti Capellan. 15. Febr. 1806. §.: Primum.*

Quare extraneam proclamat omniuo controversiam de indole jurispatronatus eamque in congruo judicio pro futuris nempe institutionibus agendam adicit. Nihilominus ubi et de hac institueretur oratio, haereditarium simpliciter renunciandum fore non dubitat nedum ex vocatione haeredum et successorum, quam ad haereditatem unice referri pugnat arg. ex *Rota cor. Olivat. dec. 212. §. 2. et dec. 657. §. 2. et 3. cor. Buratto;* sed eo praesertim gravissimo momento, quod, cum jamdiu exaruerit gens Servannia, jam patronatus, etsi principio fortasse mixtus ex gentilitio, haereditarius pure evasisset juxta cons. Ancharani, de quo *Calder. cons. 4. de jurep., Paris. cons. 47. n. 21. lib. 4, Rota dec. 394. n. 9. cor. Seraphino* et in *Aquilana Capell. super pertinentia patronat. 20. Martii 1748 §. 8. cor. Bussio;* quibus accedit longaeva observantia et plurium rerum *judicatarum auctoritas.*

Sane haereditarium probatum est juspatronatus, quando illud in uterinos nepotes donatione transtulit Benedictus Paulus Massucci a. 1652 vel quando illud donavit Caesar Antici junior pronepoti a. 1730 vel quando cessum est a Francisca Massucci ac divisum inter fratres Baviera atque Alexandrum Antici juniorem necnon ejus nepotes Joannem Gentilem et Cajetanum Broglia de a. 1743. Atque idem porro sibi voluit res judicata Cardinalis Crescentii Episcopi Lauretani et Recinetensis a. 1680, per quam addicta Massucci fratribus Antici testamenta ac donationes omnes valida sunt, ex quibus haereditaria qualitas arguebatur. Idem tandem res judicata inter Alexandrum Antici et fratres Baviera et Franciscum Massucci exorta, cujus vigore, uti in altera re judicata, donationes ac testamenta praecedentia fuerunt omnino comprobata haereditariumque jus definitum in praesenti beneficio.

Idem tandem facto suo, cui hodie nefas est contradicere, Ludovica auctrix praesentium contradictorum firmavit, quippe quae adeundo haereditatem sibi ab Alexandro Patre ex semisse delatam quodlibet auctoris sui factum agnovit et agnoscere debuit. Idem imo et ipsi contradictores facto suo hodie probant, dum in arenam descendunt uti haeredes Ludovicae, in quam sane patronatus derivare debuisset ex patre, qui semissem jurispatronatus non ex persona propria, sed ex persona fratrum Broglia, qui a Francisca Massucci cessionem reportarunt, adeptus est.

His positis merito potuisse Alexandrum donare juspatronatus uni Laetitiae non dubitat (multo magis accedente Ordinarii auctoritate) adeoque nominationem ab illius descendentibus peractam unice hodie esse attendendam, instituto Hieronymo Santini, praesertim cum huic dumtaxat suffragetur sacerdotalis qualitas a fundatore ex ipso certo certius requisita; quidquid enim sit de vi et efficacia verbi »*Sacerdos*« ad effectum, de quo agitur, exploratum tenet, verbum hujusmodi, ubi comitatum sit aliis sive expressis sive aequipollentibus, quibus dignoscatur demandata celebratio missarum per se ipsum, actualem presbyteratus praerogativam importare cum *Piton. alleg. 33, Rota dec. 607. p. 16. Recen.* Hujusmodi autem non haeret esse verba immediate sequentia vocabulum *Sacerdos*, idest »*qui sacerdos teneatur et debeat* continuo ad dictum altare et non alibi divina officia celebrare.« Quibus concinere instat observantiam, ex iisdem fere institutionibus deductam ex adverso allatis, siquidem in earum priori ab Episcopo absoluta expressa mentio fiat de qualitate actu presbyterali a testatore volita ac praeterea in ea, sicut in caeteris postea per apostolicas literas expletis, perpetuo onus imponatur presbyteratus ordinem suscipiendi: atque hinc factum esse pergit, ut vel ipse hodiernus orator clericus Pucciatti veniam dispensationis a sacratissimo Principe expostularit.

Sin minus qualitatem hanc presbyteralem Hieronymo potissimum suffragari subsumit memoratus defensor, etiam in hypothesi concursus cum altero habili et rite nominato, quia de jure sacerdos simplici clerico merito est praeferendus, *Lambertin. de jurep. lib. 2. p. 5. qu. 5. art. 3. per tot.* et quia de qualitate agitur, quam testator maxime concupivit, *Rota coram Lancetta dec. 533. n. 1.*

Pertinent haec, ut palam est, ad primum et alterum dubium. Multis vero haud indiget tertia disquisitio. Si enim ex una parte divisio jurispatronatus in duos columnellos adversa se praebet explicitae auctoris Alexandri intentioni Laetitium unice gratificandi »*acciò la suddetta voce o jus di nominare il rettore risieda in una sola persona*«, haud tamen ex altera a primitiva fundationis lege abhorret per Servannium imposita nec a sacrorum canonum mente et censura, quinimo ad vitandas discordias utile est juris exerci-

tium per turnum dispescere, prout tradit *Piton. alleg. 6. n. 1. et seq. et alleg. 9. numer. 31. et seq.* Viderit potius EE. VV. sapientia, num aliquid insit in praefatis transactionis articulis, quod animadversionem mereatur. Meum est proponere

Dubia:

I. *An et quomodo sit danda institutio Hieronymo Santini in casu?*

II. *An potius sit consulendum SSmo pro dispensatione favore Josephi Pucciatti, ita ut sit danda institutio in casu?*

III. *An et quomodo sit probanda concordia in casu?*

S. Congr. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Ad III: Affirmative quoad alternativam nominationis tantum, salvo jure tertii, servata quoad qualitates nominandi lege fundationis, facto verbo cum SSmo.

Die 25. Maji 1844.

Continuatio.

Et SSmus resolutionem s. Congr. quoad tertium dubium benigne approbavit et confirmavit sub die 3. Junii ejusdem anni.

Conquestus Pucciattius de inimica resolutione obtinuit, ipsius etiam summi Pontificis auctoritate, veniam ut causa rursus in s. Congregatione proponeretur. Cumque grave Santinio foret, quod EE. PP. rogarentur, num consulendum esset SSmo pro concedenda sibi dispensatione, veluti si non aliter assequi posset beneficium quam ex gratia, qua neutiquam indigere existimabat, institit Pucciattius ipse, ut in nova causae propositione, annuente quoque Santinio, hoc unum quaereretur: An sit standum vel recedendum a decisis, ita ut sit danda institutio favore clerici Josephi Pucciatti in casu? perinde ut in calce legere datur.

Quae facti sunt, habent EE. VV. in citato folio diei 25. Maji anni 1844, quod iterum distribuimus et fusius in allegatione a Pucciattii defensore noviter exhibenda. Ad jus quod attinet, praeter relata in eo folio, duo in capita suam laudatus defensor partiens orationem, docet in primo clientem Pucciattium a majori patronorum parte praesentatum: in secundo autem ipsum omnino idoneum esse, qui controversum beneficium assequatur.

Quoad primum veluti certum tradit totum hoc juspatronatus activum divisum fuisse antiquitus duos in semisses, quos susceperunt unicae superstites foeminae ex familia vocata, alterum nempe Laudatia Costantini, alterum ejus soror Ludovica. Addit praeterea, cum nemo ex descendentibus dictae Laudatiae, unius semissis dominae, in praesenti vacatione nominasse reperiatur, majorem vocum partem illum ex nominatis retulisse censendum esse, quem plures ex alterius semissis, ad Ludovicam pertinentis, haeredibus nominaverint. Hisce positis compertissimum esse ait, ex vocibus huic semissi respondentibus quatuor uncias cum dimidio clientem suum et unam tantum unciam cum alio dimidio Santinium reportasse.

Constat enim, sic ipse orator, ex sententia Antistitis Lauretani lata anno 1680 migrataque in rem judicatam dictum semissem profluentem a Ludovica Costantini spectasse ad fratres Hieronymum, Caesarem et Petrum Paulum Antici. Constat eumdem semissem, defunctis sine prole Caesare et Petro Paulo, totum in Hieronymo coaluisse. Constat denique, ex eodem Hieronymo in ejus filios devenisse, pro tribus nempe unciis in Josephum Antonium et pro aliis tribus unciis in Alexandrum. Itaque, cum nominatus sit Pucciattius ab Amato et Ludovico Guerra necnon a Dominico et Philomena Luciani, quos omnes descendere a laudato Josepho Antonio adducta probant documenta, jam primo habet ille tres uncias semissis, de quo sermo. Et cum insuper ab Josephi Antonii fratre Alexandro duos etiam appareat natos fuisse filios, Laetitiam et Ludovicam, cujus a nepote Silvestro pariter Pucciattius est praesentatus, non minus in propatulo esse videtur ipsum Pucciattium ex eo semisse aliam unicam cum dimidio accepisse, sic ut supersit pro Santinio nil aliud quam unica cum altero dimidio, quae venit a dicto Alexandro in aliam ejusdem filiam Laetitiam.

Quin obsit donatio qua Alexander conferre autumavit unciam cum dimidio ad se pertinentem jurispatronatus in aliam suam filiam Laetitiam, cujus a descendentibus Santinius est praesentatus: nullius namque roboris eam esse facili negotio demonstratur. Et primo, quia res erat de jurepatronatus mixto ex natura gentilitii et haereditarii, in quo nemini licet fundationis leges violare aut intervertere in praejudicium futurorum vocatorum. Nam fundator Servannius ait patronos relinquere suum fratrem Ludovicum ejusque haeredes et successores, quibus dicendi formulis institutionem contineri mixti jurispatronatus docet *Piton. alleg. 69. num. 20, Rota decis. 45. num. 3. cor. Falconer. de jurepatr.*, in *Pisana Patronatus 26. Junii 1769. §: Verum cor. Priolo.*

Patet etiam qualitas mixti jurispatronatus ex eo, quod fundator ipse in eodem testamento reliquerit fideicommissum, ad quod eumdem Ludovicum fratrem invitavit et validum in jure habetur argumentum a dispositione circa bona et haeredum institutionem desumptum, ad indolem jurispatronatus in eodem testamento relicti intelligendam. *Rota decis. 26. num. 4. coram Falconerio de jurepatr. et decis. 826. coram Molines.*

Patet idipsum ex observantia, qua factum ut quatuor centum et amplius anni lapsi jam sint, ex quo jus illud patronatus erectum est, quin tamen vel minima ejus pars migraverit ad extraneos, ita ut ex hac tam longaeva perseverantia in eadem familia pro illius qualitate mixta argumentum validum enascatur. *Rota in decis. 315. num. 15. part. 14. recentior. et decis. 183. num. 23. coram Buratto.*

Patet demum ex sententia Cardinalis Crescentii 1680 evasa in rem judicatam, quippe quae patronatus adscripsit patronis, qui utramque praeseferrent qualitatem sanguinis et haeredis Ludovici Servanni. Posito autem quod nonnisi eos, qui sui forent consanguinei simul et haeredes, ad hujusmodi juspatronatus vocaverit fundator, sequitur non aliter in illud succedi posse, quam ex facta ab eodem fundatore vocatione. *Rota in Balneoregien. Benef. 21. Januarii 1701. §: Qualitas, coram Kaunitz, in decis. 29. num. 11. cor. Falconer. de jurepatr.* Quare si omnes a fundatore vocati jure quodam suo potiuntur, nequit eis hujusmodi jus eripi a succedentibus patronis, qui studerent jus idem in aliquibus tantum cohibere. *Card. de Luca disc. 60. numer. 22. et seqq. de jurepatr., Rota decis. 44. num. 11. coram Falconer. de jurepatr. et decis. 257. num. 5. et 6. part. 6. recent.*, ubi, in specie huic simillima, nulla proclamata fuit quaedam donatio mixti jurispatronatus, quod pater totum in unum filium conferre conatus fuerat, suo ipsorum jure aliis fratribus spoliatis.

Secundo nulla dicenda ex alio capite, quia scilicet ad eamdem confirmandam consensus Episcopi habili tempore non accesserit; quo quidem opus fuisse certum est, licet pater erga filiam donationem explevisset, cum in mixto jurepatronatus filius, vivente patre, veluti compatronus haberi nequeat. Nec refert consensum Episcopi aliquando intercessisse. Nam in themate non transferebatur juspatronatus per actum ultimae voluntatis, quo in casu intervenire quandocumque posse episcopalem consensum tenet *s. Rota in Firmana Beneficii 2. Decembris 1757 coram Bussio*: sed transferebatur ex contractu inter vivos, nempe ex donatione; hoc enim in casu tunc tantum non contemporanea Episcopi confirmatio profecisset, si interim non esset alteri jus quaesitum. Hinc cum constet in facto Alexandrum Antici donationem explevisse favore filiae Laetitiae anno 1746, ipsum autem decessisse anno 1748 et donationem confirmatam fuisse anno 1790, quo scilicet tempore quaesitum jus erat etiam his, qui ex alia Alexandri filia descendebant, consequitur nec in dubium aliquomodo adduci posse nullam saepe dictae donationis efficaciam.

Nec objiciendum Ludovicae Antici descendentes teneri eamdem donationem licet nullam colere ex juris invocato principio, quo statuitur non licere haeredi factum sui auctoris impugnare: nam id locum haud sibi vindicare potest in themate, in quo ex demonstratis donatio habenda est veluti si nunquam exstitisset; nec probatur caeteroquin in facto Silvestrum Pucciatti mediatum esse haeredem ejus Alexandri Antici. Quod tamen prohibere nequiret, quominus Silvester posset idem sibi asserere juspatronatus, in quod ad succedendum utroque requiritur qualitas sanguinis et haeredis: receptum siquidem in jure est haereditariam istam qualitatem ad succedendem in mixtum juspatronatus non actu requiri, sed in potentia sufficere. *Rota decis. 701. numer. 12. coram Molines, Card. de Luca disc. 30. numer. de jurepatr., Lotter de re benefic. lib. 2. qu. 11. numer. 41.* Atque ideo nihil patrono, a quo nominatus fuit Pucciattius, officere valet, si in Alexandri Antici bona ipse non successerit.

Ad ultimum statum quod attinet, in quo nemo ex descendentibus Ludovicae et Josephi Antici comparuit ad praesentandum, monendum primo hoc in jure haud attendi, quando constat de proprietate jurispatronatus, sive ex

publico instrumento sive ex re judicata sive ex partis confessione, uti communiter docent *Panormitan. in cap. Consultationibus de jurepatr. n. 9, Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. quaest. 3. art. 6. num. 4*, *Rota decis. 374. num. 4. part. 1. decis. 254. num. 9. part. 11. recent.* Ac proinde quum in facto et ex verbis fundationis et ex re judicata anni 1680 de mixta jurispatronatus qualitate constet, nec etiam erit dubitandum quin illud ad eos pertineat, a quibus Pucciattius fuit nominatus. Addendum praeterea, hosce omnes, qui Pucciattium praesentarunt, nec dici posse in ultimo statu haudquaquam praesentasse, quoniam cum impediti a nemine fuerint quominus praesentarent, nec amittere potuerunt hanc quasi possessionem praesentandi per simplicem et negativum actum nullius praesentationis, uti percommode advertit *s. Rota in decis. 645. numer. 35. coram Molines* et in *decis. 661. numer. 40. et 42. coram eodem, antecedentis confirmatoria.* Imo quoniam, qui nunc eum praesentarunt, minime impediti fuerunt in ultimo statu, quominus et ipsi suas ederent praesentationes, censendum est eosdem tacite assensum praebuisse praesentationibus ab aliis tum peractis compatronis, uti examussim in specie traditur a *Rota in decis. 3. numer. 22. et sequ. coram Ottobono* et *Garzia de beneficiis part. 5. cap. 5. num. 115.*, et *Achill. de Grass. dec. 4. num. 14*, non secus ac ipsi etiam in ultimo statu praesentassent: tantum abest ut ea occasione jus amiserint praesentandi, maxime cum quorumdam patronorum praesentationes aliorum jus conservent, ad tradita per *Rotam in decis. 113. numer. 6. part. 1, diversor. in decis. 18. numer. 2. de jurepatr. coram Falconerio in decis. 452. num. 1. et seq. coram Ludovisio.*

Postremo et illud oppido notandum, quod a Ludovica Antici et a Josepho Antonio descendentes patroni non in civitate Lauretana, ubi erectum est beneficium, sed alibi versarentur. Nupserat scilicet Ludovica Antici Silvestrio cuidam de Bevagna Spoletanae dioecesis, ibique superstes ei filius et ab eo descendens hodiernus patronus Silvester moratus usquedum fuerat. Similiter autem loco non parum dissito a civitate Laureti morabantur Josephi Antonii descendentes, iique praesertim qui originem ducunt ab ejus filia Olympia, quae nupsit Fulgentio Guerra de Monte novo. Ex hoc igitur minime eisdem imputandum, quod in ultimo statu nec tacite praesentavissent, idque tribuendum potius ignorantiae contingentium vacationum, quam sane ignorantiam ex eo praesumendam, quod patroni alibi degerent ac ubi erectum est beneficium, traditur passim et strictim in *decis. 645. coram Molines*, in *Lauden. Canonicatus 3. Martii 1697. §. Vero coram Tremoille, in decis. 46. num. 23. coram Priolo* et *decis. 18. num. 3. de jurepatr. coram Falconer.* Hinc, ut jam innuebatur, haud dubitandum quin ex semisse vocum profluente a seniore Ludovica Constantini quatuor Pucciattio unicae cum dimidio et una tantum cum alio dimidio Santinio tributa fuerit.

Quoad alium semissem, quem ad Ludovicae Constantinae sororem nempe Laudatiam ejusque descendentes devenisse constat, non aliter hunc vindicare sibi potest Santinius, nisi praetextu illius cessionis, quam a dictae Laudatiae descendentibus habuit Alexander ille Antici, qui postmodum universam sibi obventam ratam partem jurispatronatus contulit ex donatione in unam filiam Laetitiam, a qua originem ducunt qui Santinium praesentarunt. Animadvertendum vero eamdem illam cessionem jurispatronatus super beneficio Lauretano non aliter Alexandrum obtinuisse, quam abdicata ab ipso vicissim favore cedentium portione jurispatronatus, quae ad se suosque posteros pertinuisset super beneficio Recinetensi. Hinc aut nulla est haec ad invicem inita cessio nullamque proinde partem sibi queunt vindicare ex semisse a Laudatia profluente patroni qui Santinium praesentarunt, aut suam eadem cessio obtinere debet firmitatem; et quoniam tunc pro cesso sibi jure Alexander jus aliud abdicavit, quod possidebat super beneficio Recitensi ac transmittere ad posteros potuisset, ideoque, prout nequibat jus idem quod abdicabat sine ulla correspectivitate suis eripere descendentibus, sic nequivit pariter jus eisdem eripere, quod in abdicati juris locum subrogavit.

Atque hic quoque opportune cadunt, quae dicta sunt de nulla et irrita donatione ab Alexandro in filiam collata ob defectum episcopalis consensus haud rite interpositi. Nam si hanc etiam ob causam nulla est ea donatio, haud certe potuit ex ea in filiam donatariam transire jus, quod donator a Laudatiae Constantini descendentibus acceperat, verum potius debuisset aequaliter ad utramque filiam illud pertinere. Quamobrem si tres unciae accrescunt ex eo semisse Santinio, tres item unciae accrescere Pucciattio debent ac manet propterea semper, quod non suo adversario, sed sibi evidentissime faveat in eorum nominationibus major pars patronorum.

Alterum modo defensionis caput aggrediens satagit ostendere, ut ab initio dicebamus, idoneum omnino suum esse clientem ad controversum adipiscendum beneficium: idque primum inspecta lege fundationis, qua nullas in hujus beneficii rectore conditiones requisivit ejusdem institutor Antonius Servanni. Nec recte, pergit ipse, contenderetur idem beneficium naturae esse sacerdotalis, quod alias asservabat Santinius: ad hoc siquidem requiretur, ut ejus institutor disserte jussisset a nominando rectore per seipsum missarum sacrificia celebranda, cum adjecta prohibitione, ne posset per alios id muneris explere, ceu docet *s. Rota in Cremonen. Beneficii 4. Februarii 1713. §: Ex instrumento cor. Cerro*, in *Brictinorien. Beneficii 26. Januarii 1717. §: Totum cor. Corio*, et *decis. 825. cor. Merlino*, quae passim utpote magistralis in foro adducitur et aliis innumeris, praesertim hujus s. Congregationis, abundat auctoritatibus. Atque fundationis lex est, ut electio fieri debeat de sacerdote in sacris ordinibus constituto . . , qui sacerdos debeat continuo ad dictum altare divina celebrare officia pro anima praedicti testatoris. Deest igitur necessaria illa jussio, quae imponat eligendo rectori, ut per se missas celebret, et eumdem prohibeat ne per alios possit onus idem implere; deestque propterea necessarium illud requisitum ad inducendam in beneficio naturam sacerdotalem. Immo vel maxime dubitandum, an ullum missarum celebrandarum onus sit impositum, cum Servannius nihil aliud voluerit, nisi ut nominatus deberet divina celebrare officia; quae sane verba — divina officia — onus non inducere celebrationis missarum respondit s. haec Congregatio in *Pistorien. et Abulen.*, quas ipse notat *Ferraris in sua Bibliotheca* verb.: *Capellania num. 28.*, eamque aperto exemplo est *s. Rota in Tridentina Capellaniae 5. Maji 1728 cor. Calcagnino*, quae non sacerdotale quoddam judicavit beneficium, cujus ferebat institutio, ut de eo provideretur sacerdos, cui expresse onus imponebatur lucescente die missam celebrandi, quin simul ipse prohiberetur, quominus per alios posset missam celebrare.

Nec secus judicandum, si ad observantiam sermo convertatur. Probat haec enim inprimis ultimum possessorem beneficium idem fuisse adeptum, licet annos tantum ageret octodecim, veniam dispensationis tantummodo ad cautelam petierit, quod ostendit supplex ab eo porrectus libellus s. mem. Pio VI. Neminem etiam praeterit, quod eadem illa occasione de sua informatione et voto circa beneficii naturam requisitus Firmanus Archiepiscopus a R. P. D. Auditore Smmi remiserit eam rescribens »che il beneficio di cui si tratta non debba dirsi sacerdotale«. Unde inferendum, quod, si in ultimo statu non sacerdotale habebatur hoc beneficium, nec hodie possit ejusmodi existimari naturae, per ea quae tradit *Lotterius de re beneficiaria libr. 1. quaest. 34. numer. 21.* aliisque missis *Rota cor. Falconerio de jurepatron. decis. 58. num. 4.*

Quinimo antiquiora recolentes non semel contigisse videbimus in vacationibus beneficii Recinetensis, cujus una eademque natura cum Lauretano, ut illud simplices clerici fuerint assequuti. Siquidem habemus literas institutionis anno 1629 ab Episcopo Recinetensi concessae cuidam Thomae Massucci, quem non fuisse presbyterum ex illis literis perspicue deprehenditur. Habemus apostolicas literas favore cujusdam pariter de Massucciis expeditas anno 1769, ex quibus aeque patet datum fuisse beneficium non sacerdoti, etsi hic non super defectu presbyteratus, sed super vocum medietate a Pontifice dispensationem impetrasse reperiatur. Habemus alias apostolicas literas super vocum etiam medietate expeditas anno 1733 favore Cajetani Broglio clerici Recinetensis, quin hic similiter super defectu presbyteratus dispensationem requireret a Pontifice. Ex his autem omnibus longa, constans et evidentissima enascitur observantia, qua bene docemur nunquam sacerdotale putatum fuisse hoc beneficium; idque etiam summum Pontificem tenuisse liquet in superius memoratis literis apostolicis anno 1769, ubi ipse affirmat beneficium, de quo loquimur, conferendum esse presbytero seu clerico in s. ordinibus seu in aliquo eorum constituto. Quodsi ex observantia et judicio Pontificis nequit ambigi de non sacerdotali beneficii natura, nec pariter in illud institutio denegari potest Pucciattio, cui major pars patronorum ex supra deductis suffragetur.

Hactenus Pucciattii patrocinatori in Sirm, nunc vindex, de judicii qualitate auditum

iterumque sollicitus instat haud agi in casu nisi de judicio institutionis, hoc est de judicio mere professorio, in quo ex doctorum ac tribunalium sententia ad *cap. 13. Consultationibus libr. 3. de jurepatr.* ultimus dumtaxat status est attendendus, rejectis in separatam judicii sedem rationibus altioris indaginis super petitorio. S. Congregatio in *Forolivien. Executionis literarum apostolicarum. 14. Decembris 1844.* §: *Explicit* cum aliis inibi allegatis. Porro, ita prosequitur ipse, res facti probatissima est in ultima vacatione unam Laetitiam sine ulla controversia praesentasse, caeteris, qui hodie de jure patronatus contendunt, haudquaquam praesentantibus; quinimmo et tribus aliis praecedentibus vacationibus, quot a die factae donationis secutae sunt, ipsam dumtaxat Laetitiam pariter suam dedisse praesentationem constat, quod quantum addat roboris postremo statui docet *Rota in Cracovien. Canonicatus 7. Maji 1753. cor. Molino.*

Tantum vero aliena est a themate unica quae a jure admittitur exceptio Panormitana super dicto *capite: Consultationibus*, ut potius nihil magis implexum appareat, quam a petitorio jus patronorum ex adverso contendentium respicere. Siquidem hoc in genere judicii in quaestionem vocanda esset nedum solemnis donatio facta ab Alexandro Antici favore Laetitiae, sed etiam, quod magis est, cessio reciproca ab eodem Alexandro expleta cum fratribus Broglio, eaque quaestione composita de rata portione vocum singulis competente ex integro disceptandum foret.

Verum, etiamsi petitorium judicium prosequi placeret, haud minori luce Santinii jura clarescerent. Etenim juspatronatus a Servannio institutum mere habendum est haereditarium ex vocatione haeredum et successorum, ad *Piton. alleg. 69. num. 5. et alleg. 91. num. 3., Rot. in Recen. dec. 275. num. 5. 6. 7.* et s. C. in *Viglevanen. Jurisp. 22. Januarii 1842.* §: *Porro.* Nec obstat adjectum pronomen — *suos* — quod in themate stat loco alterius pronominis — *ejus* — prius magis recte a notario adhibiti, cum oratio testatoris ad tertiam personam nempe ad fratrem dirigatur. Haereditarium etiam retinendum ex observantia et rebus judicatis: donationes namque plures et cessiones identidem factae a pluribus ex Ludovico Servannio causam habentibus, favore alicujus et in aliorum praejudicium, sicuti omnino conveniunt naturae patronatus haereditarii, ita nequeunt gentilitio vel mixto accomodari, in quibus vocati omnes veniunt jure proprio. Sententia porro Card. Crescentii tunc temporis Episcopi Lauretani et Recinetensis, a. 1680 in rem judicatam conversa, ideo plures in ea recensitos ad praesentandum admittit, quia erant haeredes. Atque ita pariter alia re judicata A. C. Furietto infirmata fuit transactio inter fratres Baviera ex una et Massuccios ac Anticium ex altera parte; exclusique a nominando fuerunt iidem Baviera, quod eorum auctor Laurentius fuisset exhaeredatus. Praeterea, ut in ea sententia, ita et in hac re judicata testamenta omnia et donationes praecedentes comprobatae sunt, unde qualitas haereditaria liquido arguebatur.

Jam vero probatum quoque est universum hujusmodi patronatum super Lauretano beneficio coaluisse in Alexandro Antici juniore: nam sententia praefata A. C. Furietto declaravit juspatronatus super utroque primigenio beneficio spectare et pertinere pro dimidio ad Alexandrum Antici, pro altero vero ad Franciscum Massucci. Atqui dimidium hoc super utroque beneficio mox per reciprocam cessionem initam cum fratribus Broglio ejusdem Massucci successoribus conversum est in integrum plenumque patronatum super beneficio tantum Lauretano. Atqui hujusmodi Furietti sententia rei judicatae vires adepta est, quamvis excludit adversam exceptionem, maxime quia centenaria superaddita fuit observantia, quae satis superque ex se tantum ad quodlibet juspatronatus praescribendum, quod sane contra compatronos non contradicentes etiam quadragenaria praescribitur, docente *Card. de Luca de jurep. disc. 56. num. 22., Rota decis. 293. num. 10. part. 16. Recen.*, s. Congregat. in *s. Severini Beneficii 26. Junii 1841.* §: *Hisce.* Accedit in quovis dubio juspatronatus praesumendum esse haereditarium. S. C. in *Bononien. Jurispatr. 27. Junii 1829.* §: *Jam vero.*

Porro cum idem Alexander junior de integra hac sua jurispatronatus parte disposuerit favore unius Laetitiae eorumque primogenitorum, jam prono veluti alveo fluit in hodiernos primogenitos, qui Santinium nominarunt, universum jus illud transiisse; ideoque Santinium ipsum pleno vocum numero donari, causa inspecta etiam in petitorio.

Post haec nihili faciendae nominationes ex adverso allatae, sive descendentium a Josepho Antonio Alexandri fratre sive a Ludovica sorore Laetitiae. Quoad priores perpendendum, initio eas vel non extitisse unquam, quia nec in prima causae propositione productae fuerunt nec hodie in actis exhibitae inveniuntur, vel si existunt, tamen, quum tempore legitimo praesentatae non fuerint aut penes cancellariam episcopalem (de his enim in suis ad s. Ordinem relationibus nunquam meminit Episcopus) aut ad acta s. hujus Congregationis, nullius momenti habendas esse universo jure docemur. Praeterea etsi hujusmodi nominationes praesentatae fuissent nec tamen obstare possent Santinio, sive quia Josephus Antonius memorata re judicata exclusus est a quavis jurispatronatus participatione, sive quia, nulla etiam intercessa re judicata, ad summum ipsi Josepho Antonio competere potuisset tertia totius dimidii pars, quippe constat ex tribus partibus, quibus vivente Hieronymo hoc dimidium coalescebat, unam, nempe Caeraris, transiisse in Alexandrum juniorem ex donatione facta ejus filio Petro, cujus funus illud patris praecessit; binae vero aliae tum communis parentis Alexandri tum patrui Petri Pauli pro aequali portione in Josephum Antonium et in ipsum Alexandrum juniorem transire debuissent, ita ut illi re ipsa nonnisi una ex tribus dimidii partibus obtingeret, huic vero et deinde Laetitiae ac ejus primogenitis, qui Hieronymum Santini praesentarunt, duae reliquae omnino essent adscribendae. Pervulgatum autem in jure est ei tribuendam esse institutionem, qui majori vocum numero donatur.

Quod vero spectat ad descendentes ex Ludovica Laetitiae sorore, satis est ad eos nominandi jure excludendos recolere donationem ab Alexandro favore solius Laetitiae ejusque natu majorum neglecta penitus Ludovica confectam, quam titulo peculiari, accedente Episcopi approbatione, prout accessit in casu, fieri legitime potuisse auctor est *Fagnan. in 3. libr. decret. cap.: Ex literis de jurep. n. 42.*

Sed et pessimam nimirum effingentes hypothesim, majori nimirum vocum parte adversarium honestari, neque tamen clerico Pucciatti danda esset institutio, quia caret qualitate presbyterali a testatore praescripta et requisita, prout constat nedum ex verbis fundationis, verum etiam ex observantia. In fundatione sane pluries repetitum legitur ad capellaniam nominandum et delegandum fore sacerdotem. Licet porro verbum hoc *sacerdos* aptari quandoque possit etiam simplici clerico, tamen id faciendum non esse, ubi nulla detorquendi propriam nominis significationem ratio urgeat, uti, si testator aliunde satis patefecisset capellaniam se instituisse mere clericalem, tenet *Pitonius de controv. patron. alleg. 33. num. 8. et seq.* cum aliis inibi citatis. Rursum neque ambigi potest de qualitate presbyterali, quotiescumque sive expressis sive aequipollentibus verbis demandata sit capellano celebratio missarum per se ipsum; atque hoc satis a testatore praecipitur in themate, ubi ad ipsum capellanum verba convertens injunxit Sacrorum celebrationem. Qui sacerdos teneatur continuo in dicto altari divina officia celebrare pro anima testatoris. Sacerdotalem vero esse debere capellaniam, quoties fundationis contextus super celebratione missarum ad ipsos capellanos dirigitur (quippe tunc testator non agit de impositione oneris directe, sed de persona, quae illud adimplere debet), tradit cum Amostazio aliisque pluribus s. Congregatio in nupera *Cortonien. Capellaniae. 13. Februarii 1841.* §: *Duplici.*

Facit etiam ad eamdem qualitatem firmandam vocabulum *presbyter* a testatore adhibitum cum altero *sacerdos*, quod sacerdotem charactere presbyterali decoratum omnino importat, ad *Piton. de controv. patron. cit. alleg. 33.* Facit addita declaratio, ut sacerdos ipse debeat esse in sacris ordinibus constitutus, quod profecto nonnisi de vero presbytero affirmari potest. Facit praescripta sacerdotis electio per conditionem: »dummodo quod electio fieri debeat de sacerdote, alias sit nulla etc.« Haec enim conditio una cum adjecta poena adeo firmiter constituta inanis fuisset, ubi simplicem clericum in mente habuisset testator; cui casui jam satis provisum est a jure communi.

Observantia autem inde exoritur, quod presbyteri fuerint perpetuo ad capellaniam nominati et quoties clericos praesentari contigerit, toties ab apostolica Sede opportuna venia petita est, ut alias relatum fuit. Atque hic ridicula occurrit animadversio Pucciattii, quod nempe apostolica Sedes revera non dispensaverit: constat enim dispensasse a defectu aetatis, a qualitate autem presbyterali dispensare non solet: sed decretum apposuit, ut clerici instituti suscipere deberent presbyteratus ordinem simul ac ad canonicam aetatem pervenissent; quo satis quidem ostendit hanc qualitatem presbyteratus servari voluisse a

fundatore praescriptam, dum ex lege sufficit tonsura et aetas annorum quatuordecim ad assequendum et retinendum quodcumque simplex beneficium. Sacra Congregatio sane minoribus urgentibus adjunctis pro qualitate presbyterali rescripsit in nupera mox citata *Cortonen. Capellaniae 13. Febr. 1841.* Cum itaque unus Santinius, concludit ejus defensor, hoc ornatus fuerit charactere tempore praesentationis, Pucciattius vero vix clericus extiterit nec nisi in aetate annorum octodecim constitutus, imo cum jam studiis, delibatis vix philosophiae elementis, valedixerit, haud ambigendum, quin EE. VV. sapientia omnino confirmet editam resolutionem favore Santinii. Hisce hinc inde degustatis en resolvendum

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis, ita ut sit danda institutio favore clerici Josephi Pucciatti in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 29. Jan. 1848.

Nullius S. Pauli seu Leprinia.

Supremo, quo decessit, elogio exarato anno 1827 jussit Andreas Silvestri, ut post funus uxoris suae Margaritae Moretti, quam in usufructu haeredem instituerat, singula bona sua venderentur et pretium erogaretur in celebrationem tot missarum ad suae ac praefatae uxoris animas suffragandas, jubens in venditione Hieronymum Barbetti praelatione donari cum beneficio annorum sex ad pretium rependendum; qui tamen, quum fato viduam praecessisset, uti praelationis beneficio non valuit. Exemplum viri sui sequuta eadem vidua Moretti, testamento diei 25. Januarii 1830, aequalem suorum bonorum alienationem et erogationem praecepit in propriae et suorum animarum remedium.

Viam tandem universae carnis vidua pariter ingressa exequutor testamentarius primo viri defuncti, a quo singula bona stabilia et omnia ferme mobilia promanabant, publica programmata suetis locis affigi curavit pro meliore habendo oblatore. Nullus comparuit oblator, sed tantum Aloysius et Andreas Barbetti asserti haeredes defuncti Hieronymi sese promptos et paratos exhibuerunt stabilia bona emere, dummodo ipsis veluti haeredibus praelatio eadem cum reliquis conditionibus concederetur, quae eorum defuncto auctori spectabat.

Rebus ita se habentibus factum est, ut moderatores Leprinianenses, consulere ex animo cupientes majori divini cultus decori populique commoditati ac spirituali bono, supplici libello postulaverint a s. m. Pii VIII., ut universam defunctorum conjugum substantiam in dotem unius capellaniae perpetuae ad aram majorem ecclesiae parochialis Lepriniani erigendae converterentur, cum onere capellano pro tempore ab Ordinario eligendo, Sacrum diebus festis litandi in suffragium testatorum hora tamen populo commodiori. Voti compotes facti sunt municipes illi per rescriptum diei 25. Maji 1830, quo Pontifex, praevia derogatione voluntati, facultates necessarias et opportunas ad hoc Ordinario tribuebat, conditione insuper adjecta, ut capellanus perpetuae residentiae lege devinctus foret.

Itaque ad hujusce rescripti tramites deventum est ad solemnem capellaniae erectionem die 14. Augusti memorati anni ab Abbate Ordinario illius temporis, qui primum, ut par erat, de capellaniae dote constituenda rationem habens, postquam ex peritis deprehendisset, valorem integrae haereditatis pertingere summam scutatorum circiter *octingentorum*, constituit singula credita haereditaria exigi, stabilia alienari et pecunias ita exactas ac retractas deponi in mensa nummularia s. Spiritus Urbis, ad effectum illas investiendi in tot censibus super praediis rusticis imponendis, qui dotem capellaniae efformarent, detractis tamen prius peculiaribus summis titulo ss. utensilium aliorumque favore parochialis ecclesiae investiendis. Utque morem gereret fratribus Barbetti, eosdem in acquisitione stabilium praeferendos edixit, triennali termino praestituto ad integrum fundorum pretium in sc. 482. et obul. 98. una cum fructibus compensativis solvendum, necnon mense iisdem dato ad instrumentum emptionis conficiendum, cum reservatione dominii et specialis hypothecae vinculo usque ad integram solutionem: quo termino inutiliter elapso declaravit praefata stabilia partem fundi seu dotis capellaniae constituere, donec alius inveniretur acquirens.

Pergens inde Ordinarius ille erectionis leges recensere haec habuit: »*Capellaniam perpetuam in majori altari sancti Michaelis*

Archangeli Lepriniani . . . erigimus et erectam declaramus cum obligatione ex parte rectoris seu capellani celebrandi in dicta ecclesia missam quolibet die festivo, tam de praecepto quam de dispensatis, in suffragium piorum testatorum . . . in hora populo commodiori a parocho designanda et immutanda juxta temporum varietatem . . . et cum onere perpetuae residentiae; dispensato tamen capellano clerico a residentia praedicta et a divini officii recitatione studiorum causa tantum.« Cautum praeterea voluit »*ut capellanus, si adhuc non sit in majoribus ordinibus constitutus, quum ad vigesimum primum aetatis annum pervenerit, ad subdiaconatus ordinem suscipiendum infra sex menses idoneum sese praebeat atque illum reapse suscipiat; quod si facere omiserit aut aliquo canonico impedimento irretitus non valuerit, jubemus, ut a quovis jure retinendae capellaniae penitus decedat atque illam omnino dimittat et pro dimissa nunc pro tunc haberi mandamus, legali solummodo interpellatione praemissa.*« Sibi demum Ordinarius suisque successoribus *expresse* reservavit jus »*non solum debitae institutionis sed etiam nominationis et electionis rectoris.*«

Primus sic erectae capellaniae rector ab eodemet Ordinario nominatus ac institutus fuit clericus Augustinus Barbetti defuncti Hieronymi ex fratre nepos. Porro juvenculus iste spem bonam initio de se in ecclesiastica palestra exhibens faciliter donari valuit indulto suspensionis onerum ac exemptionis a residentia, ut, ad tramites fundationis, utilius studiis sacris in seminario vacaret. Interim Joseph rectoris parens bonorum capellaniae administratorem se constituit, frustratis per judicium coram Triumviris A. C. Aloisio et Andrea Barbetti praelationis beneficio utendi. Hinc factum, ut omnia pro libitu ab illo moderarentur; quare credita capellaniae ex haereditate addicta exigere et pecuniam vel in causas prorsus extraneas impendere vel sibi asciscere ac in suae familiae indigentiae levamen erogare non dubitavit, adeo ut, eo defuncto, vidua uxor, qua filiorum tutrix, debuerit tot bona assignare ad capellaniam de pecunia in propriis usibus, ut supra, erogata integrandam, instrumento cessionis in id exarato die 7. Augusti 1835.

Res diu ita processere. Sed jam clericus Berbetti, mutato consilio, spem de ipso conceptam eludere satagebat, quando, exacta canonica aetate ad subdiaconatus ordinem suscipiendum, studiis sacris valedicens clericales vestes subjecit et saecularibus ac forensibus negotiis se totum mancipavit, licet interim redditus omnes capellaniae impune deglutiret, fundatorum animas debitis suffragiis ita fraudando. Verumtamen eo res tandem devenit, ut hodiernus Abbas Ordinarius pro ea, qua premitur erga ecclesiae cultum piasque defunctorum voluntates, sollicitudine, ulterius patiendum sibi non esse censuerit Barbetium, emenso jam tricesimo aetatis suae anno, fundationis legem impune contemnere. Quare ineunte anno 1846 per promotorem fiscalem curiae abbatialis Vicario generali id notum fecit ad hoc, ut terminus reo praefigeretur ad effectum s. ordines suscipiendi eoque inutiliter elapso caducitas a capellaniae possessione declararetur.

Instantiae consonam protulit sententiam judex ille die 23. Aprilis ipsius anni, semestrales inducias reo convento praestituens ad effectum, de quo supra, a qua tamen provocavit Barbettius s. Rotae auditorium coram R. P. D. Bonini. Mox vero Barbettius ipse adiit sacratissimum Principem supplicique libello petiit, ut praevia avocatione causae A. S. auditorio illius definitionem dignaretur alicui ex SS. Eminentissimorum Patrum Congregationibus committere, ut ita gravibus parceret litis expensis: et reapse votis consonum obtinuit a Pontifice rescriptum die 15. Martii 1848, quo petitio ad S. H. O. remissa est *cum facultatibus ad effectum, de quo agitur, necessariis et opportunis in statu et terminis.* Accepta hinc actorum copia ab Ordinario de more rogato monitoque appellante, ut jura, si vellet, coram S. C. deduceret, disceptandum hodie est de viribus sententiae primi gradus, utrum nimirum confirmanda ea sit necne.

Porro haud valde insudandum authumat procurator fiscalis abbatiae ad justitiam sententiae vindicandam, utpote quae tum juris tum hominis dispositioni conformis prorsus ea appareat. Et re quidem vera haud posse beneficia vel capellanias ecclesiasticas laicos nec per momentum temporis obtinere, eaque nonnisi clericis et quidem in sacris ordinibus constitutis, si ita peculiari dispositione caveatur, conferri ac possideri; quandoquidem beneficium est res ecclesiastica, quae sacerdoti vel clerico datur in ordine ad sacrum ministerium, adeo juris regula perspecta ad incontroversa post *can.: Si quis deinceps. 16.*

quaest. 7. et cap. 6. ex liter. de transact., cap.: Cum adeo de rescript. est, ut nulla prorsus demonstratione indigeat. Atqui Barbettius clericorum albo haudquaquam recensetur, quia jamdiu ex proposito coronam vestesque clericales dimisit saecularibusque negotiis sese implicavit, ergo injuria prorsus contenderet ecclesiasticam capellaniam ulterius retinere.

Idque dubio procul evidentius fit, si ad hominis dispositionem seu ad fundationis legem, qua capellania moderatur, animus intendatur. Ex ea quippe nedum requiritur clericalis tonsura, quae generice loquendo pro simplicibus ecclesiasticis beneficiis satis est, sed omnino exigitur »*ut capellanus, si adhuc non sit in majoribus ordinibus constitutus, quum ad vigesimum primum aetatis annum pervenerit, ad subdiaconatus ordinem suscipiendum infra sex menses idoneum sese praebeat atque illum reapse suscipiat.*« Quam legem haud impune sperni posse satis superque indigitant verba quae sequuntur: »*Quod si facere omiserit ... jubemus, ut a quovis jure retinendae capellaniae penitus decedat atque illam omnino dimittat et pro dimissa nunc pro tunc haberi mandamus, legali solummodo interpellatione praemissa.*« Verumtamen Barbettius tricesimum etiam aetatis annum excessit, quin huic legi faceret satis. Magis ergo in aprico ponitur justitia sententiae, dum ad tramites recensitae conditionis, contumaci illi terminum ad s. ordines suscipiendos, sub caducitatis poena, praefixit. Etenim fundationis leges et conditiones, quae possibiles sint ac honestae (uti verificatur in themate) servandae ac adimplendae omnino sunt. *Lambertin. de jurep. lib. 1. part. 1. art. 2. qu. 9. numer. 52.*, s. Congr. in *Hortana 30. Januarii 1830*, in *Arboren. Distrib. 18. Aprilis 1834.* §: *Cum vero* et alibi; et adeo leges omnes fundatorum voluntati favent, ut omni jure illos spolient, qui hujusmodi conditionibus non obtemperaverint, *Gloss. in leg. 2. ff. de in diem addict.*, s. Congr. in *Romana 13. Februarii 1819.*

Dubium sed moveri posset, utrum *ecclesiastica**) censenda sit in casu capellania, quae, utpote talis, nullo nomine in fundatione indigitatur. Sed evanescit eo ipso difficultas, si animadvertatur, non ex verborum cortice ac sono desumendam esse indolem alicujus actus, sed ab integro contextu et ab eo quod volitum a disponente fuit. Porro ex iis, quae circa erectionem in facto sunt relata, patet ad eam sic habendam confluere omnes qualitates ac requisita, quae jure praescribuntur. Neminem quippe latet, quod capellania perpetua, Ordinarii auctoritate fundata, habens aliquid spirituale annexum, clerico seu sacerdoti conferenda ab eo, qui instituendi jure pollet, habenda est vere ecclesiastica, uti post *Corrad. prax. benef. lib. 4. cap. 1. num. 12.* tradit *Rota in Papien. Benef. 28. Januarii 1754 §. 5. coram Borull.*, sacr. Congr. in *Firmana 8. Augusti 1767. §: Contendit* et in *Anagnina Reindegrat. 28. Januarii 1832. §: Capellania.*

Et dato etiam capellaniam, de qua quaeritur, esse laicalem, non ideo tamen sententiae justitia nutaret. Venit equidem ex jure, capellaniam ea in hypothesi ad instar fideicommissi vel legati a laicis, infantibus et mulieribus possideri posse. *Card. de Luca de benef. discur. 80. num. 17. et 18.*, sacr. Congr. in *Urbevetana Capellaniae 11. Decembris 1784, Rota coram Buratto decis. 1. n. 7. et seqq.*; attamen, quum saepe compertum sit, eam diverso sub respectu laicalem simul et ecclesiasticam esse posse, ita ut nulla sit repugnantia, quod a clericis vel sacerdotibus tantum obtineri valeat. *Riganti comment. ad reg. 58.**) *cancell. numer. 54.* post *Rotam in Hydruntina capellaniae 9. Maji 1698.* §: *Quamvis coram Pio*, regula superius tradita conticescat oportet in themate, ubi adamussim fundationis lege cavetur, ut capellania clerico ad majores ordines tempore habili sub caduci poena promovendo sit conferenda; quod profecto indigitat, capellaniam sacerdotalem saltem habitu esse, juxta regulam, quam ex doctrina *Abb. in cap.: Cum in cunctis. num. 10. et 12. §. Inferiora de elect.* tertio loco constituit *Corrad. prax. benef. lib. 2. cap. 10. num. 101.* Quaevis igitur deterior hypothesis effingatur, redit semper Barbettium caducatum capellaniae possessione jure meritoque declaratum a Vicario abbatiali fuisse.

Contra haec, quae magis ad abundantiam quam ex necessitate causae dixisse profitetur laudatus fiscalis, quid reponat Barbettius haud plane cognoscere datum est, quum, licet monitus, nihil ad suam tuendam

*) Vd. *Capellania ecclesiastica; Beneficium ecclesiast.*

*) Vd. *Benefic. reservat. SS. Pontifici juxta regul. cancellar.*

appellationem nobis exhibuerit. Attamen ex quodam supplici libello ab Augustino ejusque fratribus Barbetti Sanctissimo Domino Nostro dato anno 1847, quo postulabant sanctionem rescriptorum et decretorum quorumdam Abbatis Ordinarii decessoris, quorum vigore in possessione bonorum cappellaniae sese versari asserebant, conjicere licet, eos nimirum contendere, capellaniam ad leves jam abiisse auras ob assertam suppressionem patratam anno 1832 ab Abbate ejus temporis Bini, cum addictione bonorum sibi suaeque familiae in perpetuam administrationem et reservatione jurispatronatus super simplici legato missarum; cujusmodi concessionis intuitu eorum parentem defunctum cessisse, ajebant, in legati pii utilitatem ingentem summam scut. 262. 60., quae erogata jam dicebatur in causam litis et expensarum capellaniam afficientium. Proinde, cum non amplius de capellania res esset, sed de puro putoque missarum legato pio, omnis desineret in possessore tum clericatus tum minus sacrorum ordinum necessitas ex jure allato in princip. §. superior.

Judicabunt EE. PP. quo in pretio habenda sit hujusmodi animadversio, hausta ex libello, quod nullum obtinuit effectum, nonnullisque tantum fulcitum informibus documentis omni authenticitate destitutis. Verumtamen si in hoc consisteret Barbetti objectum, haud abs re videretur, quod subjungit procurator fiscalis, videlicet minime suffragari ex adverso decretum suppressionis capellaniae cum reservatione jurispatronatus creditumve scut. 262. 60. contra eamdem capellaniam asserere tantum, sed onus indeclinabile incumberet reo haec omnia probare: reus enim fit actor: et quidem ineluctabilibus argumentis, quae nullam replicationem admittant, quum agatur de re odiosissima, qualis habetur in jure beneficiorum seu capellaniarum suppressio, quae detrimentum divini cultus secumfert minuitque redditus ad alendos pauperes clericos, ceu ceteris missis animadvertit s. Congregatio in *Volaterrana 5. Decembris 1846* §: *Res est.* Secus enim standum semper pro firmitate ac perpetuitate actus erectionis. Eoque vel magis in themate, ubi, dum nullum quidem vestigium asserti rescripti suppressionis reperire datum est in codicibus cancellariae abbatialis, presto sunt potius decreta ss. visitationum necnon explicita ipsius Barbetti suaeque familiae facta posteriora, quibus jure meritoque arguere permissum est, assertam capellaniae suppressionem commentitiam prorsus esse retinendam.

Et re quidem vera recolendum occurrit primo instrumentum cessionis nonnullorum praediorum a Laura Barbettiorum matre peractae anno 1835 ad indemnem faciendam capellaniam crediti sc. 84. 60. Occurrit insuper supplex libellus eodemmet anno ab ipso Augustino rectore S. H. C. porrectus ad effectum obtinendi exemptionem a residentia ex fundatione praescripta. Occurrunt demum decreta ss. visitationum, potissimum illius habitae anno 1839, ubi nullum habetur vestigium eorum, quae ex adverso asseruntur, sed imo mentio ibi fit de capellania ejusque oneribus, prout in fundatione recensentur, nimirum agitur de residentia deque missis pro populi commoditate a capellano celebrandis, quae omnia aedepol pugnat cum facto suppressionis patrato anno 1832.

Nam si reapse illud subsisteret, nulla profecto urgebat ratio ob quam vidua cederet praedia pro indemnitate dotis capellaniae, quae suppressa dicitur quaeque viri sui liberalitate jam aucta in plenum migraverat familiae dominium cum simplicis legati pii vinculo. Si insuper res erat de puro legato eoque ipso clericus Augustinus spoliatus titulo sibi legitime collato remansisset, nemo certe sibi inhibet illum adeo bardum fuisse, ut crederet adhuc s. Sedis indulto dispensationis a residentia indigere, eum denique lateret, eo ipso, quod dispensatio petitur, residendi obligationem fateri ex doctrina s. *Rotae decis. 221. num. 18. coram Lancelta*, cui consonat s. Congr. in *Montisfalisci Capellaniae die 22. Junii 1733.* §: *Tandem* et in nuperrima *Forosempronien. Capellaniae 29. Julii 1848.* §: *Refragari.* Demum si Ordinarii pro tempore decretis in s. visitatione editis rationem capellaniae habuerunt ad tramites fundationis, censendum est id evenisse quia optime ipsis compertus erat rei status, quippe jure etiam praesumuntur Ordinarii prae caeteris plene informati de negotiis ad suam dioecesim pertinentibus. *Rota decis. 501. §. 2. par. 2. recent. et decis. 5. §. 2. coram Celso.*

Ceterum, ubi etiam in medium prodiret authenticum rescriptum, ita ut dubitari non posset amplius in facto de capellaniae suppressione deque ipsius consectariis superius recensitis, duo adhuc seria ponderatione digna viderentur.

Primo, utrum ad suppressionem decernendam legitimae adfuerint causae, quae jure hoc in casu requiruntur, nimirum vel necessitas vel utilitas.

Secundo, utrum facere id esset in Ordinarii facultate, et ita irrevocabiliter, ut minus etiam accurate perspecto rerum statu liceret eidem fundationem s. Sedis beneplacito atque delegatione jamdiu factam subvertere, perpetuum titulum ecclesiasticum delere, provisum legitime eodem titulo inauditum spoliare, servitutem per jurispatronatus et bonorum concessionem in praejudicium ecclesiae inducere, Ordinarios demum pro tempore quovis jure nominationis ac institutionis ipsis reservato perpetuo privare. Profecto gravia haec saltem consectaria adeo cautum circumspectumque quemlibet Antistitem reddere debuissent, ut ad evitandum nullitatis periculum haud detrectasset super honestate causarum s. Sedis oraculum exquirere ceu in praxi fieri videmus.

Quae omnia, dum ad cauthelam potius animadversa volumus, juvabunt tamen ad tutius, quod EE. PP. sapientiae proponitur, definiendum dubium:

An sententia curiae abbatialis diei 23. Aprilis 1846 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 26. Jan. 1850.

Continuatio.

Ideo ab hujusmodi sententia praescriptos intra temporis fines appellationem rite interponens suppliciter postulavit Augustinus, ut sibi causam ad hunc s. ordinem iterum deferre iterumque EE. VV. judicio subjicere liceret. Ex instituto S. O. morem gerere oratori non dubitavi. Jam vero, etsi ad reiterandam hujusce causae propositionem jam constituta fuerit eidem dies, ipse tamen nil quidquam idcirco motus est nec se unquam amplius sistit, ut jura sua peculiaribus, quae pollicebatur, rationum momentis defendenda exhiberet.

Hinc haud temere argumentari videtur promotor curiae abbatialis in suo supplici libello, ubi urgens causae repropositionem inquit, »*che la domanda* (novae audientiae) *dell Barbetti è un mero pretesto a proseguire impunemente nell possesso della capellania per quanto più può, erogando le rendite a proprio uso, e defraudando ulteriormente i fondatori dei dovuti suffragii.*«

Resumpto itaque folio prioris propositionis dignabuntur Emmi PP. definire

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis, et amplius.

Die 20. Apr. 1850.

Rheginen.

Supremo, quo decessit, voluntatis elogio condito anno 1520 Antonillus Liberi simplex instituit beneficium sub invocatione s. Nicolai vulgo dello Sperone suisque Epitropis jus rectorem eligendi in infinitum collatum voluit; qui tamen deberet esse de ipsius fundatoris linea seu de linea consobrinorum suorum, nempe Thomae Saraceno, clerici Luca, Philippi Cinarelli et Nicolai vulgo Coletta Catalano. Porro ex tot lineis, brevi ceteris exarefactis, una superfuit Nicolai Coletta Catalano, qui quum unicam pariter ex filio Joanne Laurentio suscepisset neptem Uraniam nomine, haec utroque activo ac passivo patronatus jure potita est; quae tandem illud ad familiam Petri Antonii Abenavoli, in cujus gentem et sacra convolaverat, transtulit.

In hujusce hinc juris exercitio perseverans continuo gens Abenavoli in varios sensim divisa ramos factum est ut in postrema, quae anno 1845 contigit, beneficii vacatione plures tum masculi tum foeminae asserto nominandi jure utentes varium pro vario partium studio praesentaverint rectorem. Nonnulli siquidem votis uno et triginta praesentarunt Xaverium Abenavoli, alii votis quinque et viginti Bernardum Abenavoli, alii demum Antonium Romeo votis uno et viginti; et cum ex praesentatis quinque bonum jus aemulanter jactans alter alteri in institutione praeferri conabatur, jurgium hinc exortum ad archiepiscopalem curiam delatum est, quae partium juribus qua voce, qua scripto ventilitatis Xaverium Abenavoli postquam fuerit tonsura donatus instituendum esse edixit sententia diei 12. Oct. 1847.

Per appellationem rite interpositam a Bernardo Abenavoli (alter enim contradictor Antonius Romeo liti nuntium misit) causa

ad hunc s. Ordinem conscendit; et hodie proponitur, postquam auditus de more fuerit Archiepiscopus adlectique hinc inde defensores, quorum commenta praestat brevi calamo attingere.

Pax est inter contendentes tum quoad naturam seu indolem jurispatronatus gentilitiam dato sensu acceptam. Tota hinc diatriba ad haec coercetur capita, nimirum ad idoneitatem candidatorum de die praesentationis et quisnam ex ipsis majorem suffragiorum numerum consequutus sit, ut praeferri debeat. Utroque capite praelationem tribuendam esse Bernardo contendit ipsius defensor. Ad idoneitatem siquidem quod attinet, compertum esse in facto ait, Bernardum utpote ortum die 15. Sept. 1830 tempore praesentationis quatuordecim annorum aetatem excessisse eodemque tempore jam clericali corona fuisse insignitum. E contra Xaverium natum die 23. Jan. 1833 post elapsum quadrimestre ad nominandum vix annos duodecim attigisse. Et perperam ab hoc invocari conventionem initam a s. m. Benedicto XIV. cum Rege Carolo necnon alteram anni 1818, ubi *cap. 4. n. 5.*, postquam statuta fuerint requisita ad ordines promovendorum, a generali excipiuntur lege »coloro che sono artati in virtù della fondazione a qualche beneficio o qualche capellania vacante.« Siquidem nihil quod arctationem indigitet in fundationis lege deprehendere datur, cum vocatio hisce singillatim complectatur verbis, ut »capellanus in infinitum eligendus a suis Epitropis deberet esse de linea ipsius fundatoris.« nec de aetate aliisve requisitis mentio ulla fiat; quae omnia idcirco sub juris communis dispositione reliquisse fundatorem arguit cum *Piton. de controv. patron. alleg. 5. n. 13*, ubi refert ita quoque fuisse decisum a s. Rotae auditorio in *Barchinonen. Beneficii 12. Junii 1686. coram Mattejo*, et in *Monasterien. Decanatus 13. Junii 1710. coram Caffarello.* Idque satius evinci putat ex ultimo statu ac rejudicata anno 1841 lata, qua examussim Bruno Bernardi frater institutione fuit donatus »quia clericus erat duobus ordinibus initiatus, annum aetatis suas agens decimum quartum.« Praeterit neminem rem judicatam in causa status prolatam legitimo adstante contradictore vim et auctoritatem obtinere inter omnes, seu perbelle docent *Barbos. Collect. lib. lib. 2. decret. de sentent., Piton. alleg. 43. n. 5. et alleg. 100. n. 155.* et *Rota in Melphicten. Beneficii 11. Junii et 5. Dec. 1712. coram Lancetta.*

Praeter aetatis etiam scientiae deprehendit defectum in Xaverio idque tum parochi fide comprobat de eo nil aliud testantis, quam »ha assistito alla scuola istruttiva, ed ha dato segno di buona morale e religione,« tum prosynodalis examinatoris testimonio, referentis »aver riconosciuto il medesimo iniziato nei primi principii di lingua italiana e latina ed istruito nei rudimenti di nostra s. religione.« Communem porro doctorum sententiam ferre, ut illiteratus is agnoscatur, qui prima grammatices rudimenta non didicit, *Paris. de resign. lib. 4. quaest. 4. n. 2. et lib. 5. quaest. 3. n. 70, de Graecis de effect. cleric. praelud. n. 257., Campanil. de divers. jur. can. rub. 5. n. 5.* Illiteratos vero, utpote irregulares, beneficio incapaces in jure haberi post Innocent. et Felin. docent *Paris. de resign. lib. 4. quaest. 3. n. 90.* cum aliis doctoribus, qui etiam tenent hunc defectum esse insanabilem.

Clericatus demum defectum aliam suppetere causam, ob quam Xaverius sit beneficio repellendus, suadet laudatus defensor ex eo quod nonnisi post lapsum quadrimestris termini tonsura fuerit ille insignitus. Siquidem si praesentati idoneitas de legitimo tempore est demetienda, ita ut post utile tempus adepta ne proficiat quidem, quando fundator quempiam praelative ad alios vocaverit, ad tradita per *Piton. alleg. 68. n. 6., Lambert. de jurepatr. lib. 2. part. 1. §. 2., art. 7., Garz. de benef. part. 7. cap. 1. n. 24.*, et fortius posthabendam esse propugnat in themate, quo fundator nullum de praelatione verbum habuisse luculenter apparet. Nec ceteroquin ambigendum de ecclesiastica beneficii qualitate, quam satis in propatulo ponunt ac tuentur tum res judicatae anni 1834 et 1841, tum ultimi status per res ipsas judicatas confirmati, quarum prima praesentationes rejicit ob clericatus defectum, altera vero Brunomen Bernardi fratrem ceteris praetulit, quia clericatum jam possidebat.

Haud quidem inficiatur qualitatem clericatus continuo non requiri actu, sed sufficere quandoque ut habitu et spe subsisteret, verum subjungit, nequaquam id adversario proficere ex eo quod, ut ejusmodi distinctio admitti possit suamque exerat vim, necesse est eam qualitatem induere praesentatum

intra quadrimestre datum ad praesentandum, secus in irritum cadit praesentatio et jus quaeritur capaci ab aliis patronis praesentato, ut perbelle docet *Piton. alleg. 68. n. 9.* cum aliis ibid. relatis. Atqui ex praemissis compertissimum esse ait, Xaverium lapso quadrimestre tempore die 8. Nov. 1845 adhuc illiteratum et tonsura carentem fuisse; quidquid itaque sit de habilitate post id temporis subventa, eam attendendam minime esse in praejudicium capacis clamat cum *Lara de anniv. et capell. lib. 2. cap. 9. n. 59*, *Garz. de benef. par. 1. cap. 7. n. 73*, *Cyrill. cap. 93. n. 21.* et *Rota in Volaterrana Benef. 7. Dec. 1708 coram Crispo.* Hinc potissimum argumentum sumit de injustitia redarguendi curiae sententiam, quae adversarii idoneitatem non de tempore legitimo quadrimestris, sed de die 12. Oct. 1847, quo ipsa sententia fuit edita, dimetiri est arbitrata.

Pergit deinde demonstrare clientem vincere contradictorem etiam quoad patronorum numerum, qui sibi sunt legitime suffragati idque tuto assequi putat utramque proferens ac expendens remjudicatam anni 1834 et 1841 et collatis nominibus illorum, qui tunc veluti legitimi patroni agniti judicio fuere, cum hodiernis praesentantibus duodeviginti suffragia favore Bernardi enumerat eorumque legitimitatem quoad numerum quatuordecim rei judicatae auctoritate protuetur; reliqua vero per descendentiam a legitimis patronis incontinenti probatam ostendit. E contra duodecim tantum legitimis patronorum suffragiis adversarium adjuvari clamat: cetera esse posthabenda, vel quia exhibent eorum nomina, quorum descendentiam minime probatam edixerant res ipsae judicatae, quae inter recenset nominantes e gente Bayer et Romeo: vel quia nunc primum nominandi jure usi sunt, quin de eorum quasi possessione aut a fundatore descendentia concludentem probationem adduxerint.

Ceterum adnotat etiam, quod, etsi adversarii praesentatio peracta a majori patronorum numero probaretur, inhabilitas nihilominus illius prohiberet, quominus instituatur. Siquidem recepti juris est, quod ex duobus concurrentibus, quorum alter capax a minori nominationum numero, alter vero incapax a majori fuerit praesentatus, totum jus patronatus consolidatum remanet pro ea vice in iis, qui legitime praesentarunt capacem, atque istius favore est danda institutio ad sancita per *Rotam in Tarraconen. Beneficii 29. Jan. 1711. cor. Lancetta* cum comm.

Singula at vera haec injuria asseri propugnat ex adverso Xaverii vindex. E vestigio inquirit, uter contendentium majori potiatur vocum numero; quod ut assequatur totus in eo est, ut legitimos et probatos ab intrusis atque assertis absque ulla juridica probatione patronos secernat. Atque imprimis ut facilius demonstret Xaverium legitimis gaudere probatorum patronorum vocibus, ad genealogicum schema in separato folio exhibitum appellat, in quo personarum, quae illius favore sunt suffragatae, descendentiam a stipite Petro Antonio Abenavoli juniore uno oculorum ictu tradit conspiciendam.

Hujusmodi schematis diligens analyticum examen inde perfecit, quo ejus veritate firmata ostendat praesentationes in Xaverium collatas numerum quatuor supra quadraginta conficere atque ideo numerum vocum ab illo obtentarum alias in Bernardum collatas octo ad minus excedere, ubi has omnes admitti vellet. Paucis siquidem exceptis reliquas fere omnes nullius roboris aestimandas esse contendit, utpote quae vel extra descendentiam Petri Antonii reponendae vel ad descendentiam ad patronatum vocatorum pertinere nullo certo argumento demonstratum est.

Jam ad se dicentium patronorum classem eos refert, qui ex gente Cilea sunt numero tres, qui ideo a stipite Abenavolio se descendere autumant, quia ortum repetunt a quadam Felicia Aspica, quae primum virum habuit Josephum Abenavolium, quo defuncto in sacra gentis Cileae cessit, unde ipsis cum Abenavoliis patronis nullam neque consanguineitatis neque affinitatis conjunctionem educi arguit.

Idem sentiendum de Joanne Caccamo, cujus descendentia ab Abenavoliis ex gratuita parochi assertione probatur. His alios quatuor adnumerat e familia Pirrone, qui omnes per Sartianos descendentiam a Francisca Abenavoli jactant. Hujus vero Franciscae existentiam et a stipite descendentiam desiderari omnino, si sermo sit de illa Francisca, quae partem habuit Josephum Petri Antonii filium, cum non ostendant adversarii eam praeter Joannem Blasi, cujus uxor fuit, alium habuisse virum a gente

Sartiana. Ob eandem rationem Franciscum Sartiani eodem judicat dimittendum esse responso. Quibus adjungit alios tres e gente Attira, qui eandem matrem agnoscunt Cajetanam Abenavoli, non enim constat num vere praefata Cajetana patrem habuerit Josephum Abenavoli.

Pari ratione nullo in pretio habendas esse praesentationes factas a Blasiis numero novem; ex his enim, qui a Dominico vel Vincentio Blasi descendunt, nullo prorsus non solum documento vel nec simplici enunciativa cum familia Abenavoli nexum demonstrant: alii vero, qui a Felice Blasi nati sunt, ut propriam cum Abenavoliis cognationem ostendant, ad quoddam probationis genus notorietatis nomine distinctum recursum habuerunt, quod, si apud omnes fallax et periculosissimum jure merito reputandum, in ea potissimum Calabriae regione infidum omnino et nullius roboris habendum esse ait, ubi ita labilis est hominum fides, ut illorum testimonio facillime corrumpantur.

Quod eo magis urget pertimescendum esse in casu, ubi omnes fere testes adhibiti non solum vilioris, sed infimae sunt conditionis, sarcinatores vel operarii, si unum aut alterum excipias; omnes autem literarum expertes. At hujusmodi testibus, cum non sint personae graves et incorruptibiles, nullam adhibendam esse fidem monet cum *text. in L. Testium fides §: Ideoque ff. de testibus*, cui adhaerens Rota in consimili fere controversia *Tuden Parochialis 17. Junii 1712 coram Falconerio* relata post *Fargna de jure patr. part. 2. can. 1. et 2. cas. 9. n. 11.* jus reddidit. Subdolem inde in themate videri hujusce probationis rationem, cum, etsi incendiis et vastationibus plures perierint chartae, libri parochiales et tabularia, tot nihilominus acta supersunt sive collationes controversi beneficii sive comparentium familiarum instrumenta respicientia, ut facile ex illis testimonium, si verum esset, colligeretur.

Praeterea examinis actum haud in forma probante redactum esse arguit, quia non notarius et judex, prout a jure reperitur, ceu animadvertit in cit. *Tuden.*, cui consonant leges regni *art. 72. 73. 74.*, adhibiti fuerunt neque testes subscripserunt, sed solus parochus in praefato examine judicis, scribae et testimoniorum partes egit. Neque constare qua forma vel methodo a testibus juramentum delatum fuerit, et praeter juramentum de veritate dicenda alterum etiam juramentum ab aliis exquirendum fuisse subdit, quod non odio, amore, timore vel commodo deponerent; hoc vero praetermissum contra formam explicitam, seu notatur in cit. *Tuden post text. in cap: Quoties*, ubi *gloss. vers: Duplici juramento de testib. et attest. Can. de parentela l. 2. 35. qu. 6.* Atqui ex actis non exhibitis in forma probanti nullam legitimam probationem desumi posse firmat per Rotam post *Piton. de contr. patron. alleg. 9. n. 103*; quod eo magis attendendum esse in casu admonet, ubi descendentia justificanda est contra alios descendentes, qui per gradus distinctos, et argumentis ineluctabilibus, a stipite se descendere recte demonstrarunt, quo casu plene et concludenter probanda est, ex *Rota coram Mantica decis. 88. n. 1. et decis. 388. n. 2. et 3. part. 13. rec.*

Admissa vero hypothesi, quod actus legalem exhiberet probationem, desiderari adhuc, innuit, demonstrationem, quod Joseph assertus Pater Annae Abenavoli uxoris Felicis Blasi ille idem sit, qui a Petro Antonio juniore ortum habuit; et proinde deficere, nexum ejusdem cum stipite communi.

Tandem et quatuor Abenavolios recenset, qui patrem ajunt se habuisse Brunonem Dominici Abenavoli filium; non probatur vero hos etiam fuisse Brunonis filios ac Brunonem ipsorum parentem a Dominico filio Petri Antonii junioris fuisse progenitum; neque alias, utrum unquam in praecedentibus vocationibus ad praesentandum vel ipsi vel ipsorum pater accesserit, certum est.

Ex quibus colligit, numerum eorum, qui Bernardum ut legitimi patroni rite praesentarunt, ultra duodecim non protendi: subductis siquidem suffragiis quatuor et viginti, quae censura notavit, sex supra triginta, quibus Bernardus ipse stipatus incedebat, voces in pretio habendae ad numerum duodenarium contrahuntur. Ac magis proinde patere, quantum legitimi Xaverii praesentantes numerum legitime pro Bernardo venientium superent.

Ut vero difficultatibus occurrat, pergit ostendere, nullam quoad Xaverii idoneitatem ad beneficium in quaestione rite consequendum moveri posse dubitationem; in pari siquidem conditione de tempore secutae vacationis cum ipsum tum competitorem suum fuisse ait, cum neuter clericali tonsura in-

signitus haberetur. Neque sufficientem ad simplex hujusmodi beneficium aetatem Xaverio deficere. Licet enim ex dispositione s. Concilii Tridentini *sess. 23. c. 6. de ref.* ante annum decimum quartum simplex beneficium cuiquam conferri prohibeatur, atque adeo defectus aetatis Xaverio obstare videretur, qui natales sortitus die vigesima tertia Januarii 1833 nonnisi decimum tertium ingressus fuerat annum, quando vacatio contigit beneficii; omnem tamen difficultatem evanescere, si advertatur, hanc Patrum Tridentinae Synodi praescriptionem pati exceptionem ex antiqua beneficii fundatione ante Tridentinam ipsam synodum effectum sortita; hac enim hypothesi subsistente Concilii dispositio, qua aetas praescribitur quatuordecim annorum, haud locum habet. Hanc firmat doctrinam ex traditis per *Corradi in sua praxi beneficiaria lib. 4. c. 6. n. 24*, qui ad rem duas refert s. *Rotae decisiones in Monopolitana Beneficii 6. Junii 1622. cor. Merlino* et in *Corduben Capellaniae 3. Dec. 1619. coram Durano*, et late disceptatis a *Clerica. de benef. discord. 3. per tot.* et apud s. Congregationem in *Montis Alti Dispensat. formiter definitum die 8. April. 1843.*

Huic antem DD. et s. Rotae sententiae consonare dispositionem solemnis conventionis anni 1741 inter Pontificem fel. record. Benedictum XIV. et utriusque Siciliae Regem in *c. 4. art. 5. et 6.*, ubi art. 5. praedicta exceptio statuitur pro his, qui ad aliquod beneficium ecclesiasticum, quod ante Concilium Tridentinum fundatum fuerit, vocati sunt; et *art. 6.* sancitur quod si contingat, plures ad idem beneficium vocatos esse, istos, etsi tonsura insigniti non reperiantur cum beneficium vacaverit, tamen tantummodo Episcopi proprii testimonium de eorum idoneitate habeant, posse causam pro beneficii assequutione agere, ac si tonsuram jam recepissent. Huic porro sanctioni non modo non derogatum in postrema conventione anni 1818., eandem imo fuisse expresse confirmatam in art. 21. Quae omnia omnino congruere asserit huic themati, ubi res est de beneficio anno 1520 rite per ecclesiasticam auctoritatem fundato, quod datam nempe agnoscit Concilio Tridentino praecedentem quodque qualitatem ecclesiasticitatis et tituli collativi perpetui praeseferat.

Ex hisce illud etiam consequi, ut pueri hujusmodi ex fundatione vocati in classe eorum comprehendantur, qui ad tonsuram clericalem arctati dicuntur, eodemque praeterea jure polleant ac ii qui in clericatu, quatenus concurrant, jam reperiuntur constituti. Nullum hinc Xaverio inferri praejudicium, quod Bernardo collata fuerit tonsura lite jam pendente, cum clericatus qualitas, etsi in adversario etiam beneficii vocationem praecessisset, nullimode, juxta praescriptum enunciati articuli, juri quaesito Xaverii aeque ad beneficium vocati nocere potuisset, eo igitur minus nocere, cum et vocationem et peractas utrinque praesentationes ad instar attentati fuerat subsecuta.

Demum concludit et Xaverium suam probare non praetermisisse idoneitatem coram Ordinario, ceu patet ex proprii parochi et cujusdam examinatoris prosynodalis testimoniis. Quibus omnibus Archiepiscopo rite perspectis ejus idoneitatem in sententia, quam reddidit in praesenti causa, solemniter undequaque confirmavit.

Hucusque Xaverii defensor. Jam vero erit EE. VV. sapientiae aequa lance librare quae fusius perlegent in libellis distribuendis ac dirimere

Dubium:

An sententia curiae archiepiscopalis diei 12. Oct. 1847 sit confirmanda vel infirmanda in casu etc?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 26. Julii 1851.

Cont. Rheginen.

Gravate hanc tulit cladem Bernardus Abenavoli precesque obtulit s. Ordini ut iterum suorum jurium periculum facere ipsi concederetur: quo obtento, typis impressam novam hodierna die distribuit allegationem, qua certo certius recessum a decisis sibi pollicetur, ex juris ac facti praesidiis, quibus in petitorio etiam ipsum tueri strenue demonstrandum suscipit. Et monens prae primis cum s. auditorio in *Colonien. Prioratus 13. Junii 1754. cor. Elephantutio*, et in *Albinganen. Capellaniae 14. Januarii 1754 cor. Bussio* descendentiam haud probari ex informi arbore genealogica documentis ad singulos gradus respondentibus destituta, ita ut error in una saltem persona erroneam reddat arborem etiam quod alias, totus est in accurata analysi instituenda super arbore genealogica in superiore propositione ex adverso exhibita, et tot ac talibus vitiis ac falsitatibus illam infici existimat, ut nomina eorum, qui suffragium Xaverio dederunt, non ad quadraginta quatuor, sed ad exiguum septemdecim numerum sint deprimenda.

Ne tamen nimius sim hac super re pauca indigitabo: magis siquidem expedit demonstrationis hujusce accuratam notitiam desumere ex ipsa allegatione, habitis insimul prae manibus prospectu ac documentis in summario relatis. Igitur delendam a patronorum albo contendit stirpem Baier, quae a Victoria Abenavoli deducitur uxore Dominici Vitale, quia haec Victoria enunciatur filia cujusdam Petri Antonii Abenavoli et Annae Cara ejus uxore, non autem Petri Antonii Abenavoli junioris, qui uxorem habuit Anniam Mariam Scopelletli.

Alteram etiam rejiciendam stirpem edicit, quae a Joanna Abenavoli et Antonio Sartiano deducitur, nedum quia nullus omnino ex hac stirpe ante annum 1845 juspatronatus exercuit, sed etiam quia haud constat, utrum ea Joanna aliquando nuptias iniverit et fuerit ea ipsa Petri Antonii filia, de qua fides baptismalis loquitur, dum haud probatur nullam aliam tum temporis fuisse Joannam ex altera familia Abenavoli juripatronatus extranea, quae nupserit Antonio. Idem sentiendum ostendit de nominibus ceteris, quae ex dicta linea progrediuntur, de quorum identitate merae tantum exhibentur enunciativae, quin adsint adminicula ac verosimilitudo temporis et aetatis: existentia vero Concessi ex unici testis fide depromitur. Nuptias insuper Annae Mariae cum de Paola inter deliria esse amandandas.

Gradum inde facit ad stirpem Cajetanae Abenavoli, a qua descendit sacerdos Laurentius Attiná, quem tamen ex adverso ad artem exclusum fuisse observat, ne cogerentur admittere tres illos Laurentii fratres, qui sibi suffragium tulere.

A filiabus Franciscae Abenavoli et Joannis Blasi, quae pariter veluti Xaverio suffragantes referuntur, Emmanuelam et Conceptam excludit, utpote quae nominationem jam editam revocantes adversarium, lapso jam quadrimestre, inutiliter praesentarunt.

Ad stirpem tandem Sanctori veniens fabulosam dicit illius integram descendentiam, propterea quod absurdum et impossibile per rerum naturam sit, ut omnes a Francisco filio Sanctori filii Joseph descendant. Dum enim Joseph primam vidit lucem anno 1711, haud quidem valebat generare Sanctorum ante annum 1731. Iste autem nonnisi post annum 1751 Franciscum generare poterat. Nec inde licuisset Francisco filias habere; Aloysiam aut Feliciam ortam fuisse anno 1744. eamque nuptias inivisse anno 1761 et septem jam enixam filios habuisse anno 1778.

Hac absoluta demonstratione gradum facit ad vindicandam patronorum genealogiam, qui ipsius favore suffragium protulerunt: eamque contendit satis justificatam a rejudicata anni 1834, confirmata ab alia anni 1841, quarum tantam esse ex jure vim ac auctoritatem, ut vincat centenariam et immemorabilem, demonstrat cum Rota in *Burgen. Juris visitandi 22. Junii 1714 cor. Scotto.* Hujusmodi autem patronorum nomina admonet distingui in genealogia majusculo charactere, quo sunt descripta.

Inde vindicat vota eorum, qui a veris patronis descendunt. comprobatque patronatum et descendentiam aliorum, qui in judicio anni 1834 nullam habuere partem. Hos inter adnumerat descendentes omnes a Brunone filio Dominici, fratres Pirrone eorumque patruum Franciscum Sartiano, lineam Paschalis Abenavoli et Mariannae in Sartiano, alteram Cajetanae filiae Josephi Abenavoli uxoris Antonii Attinà: item ex Francisca filia Josephi Abenavoli uxore Joannis Blasii alteram ex filiabus, Victoriam nempe, recenset, quae una cum filiis Dominici Altamonte ipsum nominavit. Ex matrimonio siquidem hujus Victoriae cum Dominico anno 1809 inito tres editos fuisse fratres ostendit, nempe Joannem Franciscum, Antonium et Mariam, qui simul cum matre sua ipsum praesentarunt. A Maria autem cum Rosario Cacamo conjuncta prodiit Joannes, qui pariter suffragium ipsi dedit.

Nec praeterit descendentiam Annae Mariae Abenavoli uxoris Felicis Blasi demonstrare, de cujus filiis nulla est mentio in sententia anni 1834., quia tunc minime nominarunt. Atque ex dicto conjugio progenitos fuisse Josephum, Franciscum, Conceptam, alterum Josephum, Vincentium, qui posterior filiam suscepit Theresiam, hosque omnes ipsi suffragium dedisse documentis demonstrat. Quin difficultatem ingerat

aequivocatio, quae in nomine deprehenditur, nimirum loco Annae Mariae, vel simpliciter Annae, legitur Maria; id siquidem scriptoris errori patenter esse tribuendum admonet, dum identitatem personae documentis tuetur. Qua absoluta demonstratione concludit ipsum non minus quam triginta duo suffragia a legitimis patronis obtinuisse, quorum distincta nomina charactere majusculo describit in schemate genealogico distribuendo. Post haec valde adlaborat, ut suadeat Emis judicibus in possessorio agendam fuisse controversiam; utpote quo ambages et diverticula judicii petitorii arcentur, bono ecclesiae magis consulitur per sollicitam beneficiorum provisionem et patronorum in quasi possessione nominandi versantium jura magis sarta tectaque manent. Reque vera si in themate lubeat possessorium persequi, indubium clamat jus suum utpote duplici ultimo statu obfirmatum. Ceterum nec etiam in petitorii judicii limine prohibendas esse praesentationes eorum, qui in quasi possessione nominandi reperiuntur, receptum in foro esse ostendit auctoritate s. Auditorii in *Salernitana Jurispatron. 26. Februarii 1714. coram Scotto* §: *Defectus*. Consulunt enim jura patronorum praejudicio, quorum quasi possessio inefficax prorsus maneret, ubi judicii petitorii exitus exspectandus esset; proinde sentit hoc in casu, institutionem decernendam in possessorio ad normam ultimi status, cum *Rota in Pisana Prioratus 13. Febr. 1713. coram Lancetta* §. *1.*

Verumtamen etiam in petitorio ipsum longe vincere adversarium urget, quem triplici capite inhabilem iterum renuntiat per ea, quae in superiori etiam restrictu abunde disseruit. Proinde haud iterum super iis immorabor, ne actum agere videar. Id unum quoad clericatus defectum adnotandum cum eodem Bernardo, nihil ad rem facere exemplum s. Congregationis in *Montis Alti Dispensat. 8. Aprilis 1813*, quia in casu peculiari, ut ipse ait, concurrit jus speciale, omni lege omnique authentica interpretatione fortius ac validius; quod jus speciale evincit ex centenaria immemorabili observantia rebus judicatis obfirmata, qua ad controversum beneficium tributa semper fuit qualitas clericatus et necessaria annorum quatuordecim aetas ad illud assequendum.

Pro Xaverio distribuit ejus defensor memoriale reassumptionis ratus satis superque clientis jura tueri per ea, quae copiose in superiori allegatione exposuit.

Datur itaque

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis.

Die 31. Jan. 1852.

Continuatio.

Dum ob novam redeundi veniam ex s. Ordinis benignitate Bernardo Abenavoli elargitam ad trutinam revocatur isthaec controversia, duplex jam passa judicium, in comitiis diei 26. Julii 1851 et 31. Januarii labentis, illud quidem optimum factu existimavi, documenta nimirum ad severam trutinam hinc inde revocanda, quae ad utramque genealogiam referuntur, ut inde dubia ac perplexitates circa patronalium vocum numerum quo magis fieri posset eliminarentur. Quapropter accitis coram me partium defensoribus discussa ac accurate expensa per singulos gradus fuit utraque arbor genealogica, atque hic nunc referre praestat, quae certa admittenda sint suffragia quaeve adhuc dubia atque inter partes controversa supersunt.

De arbore Bernardi ut ratio primum habeatur, monendum, genealogiam reijudicatae anni 1843, quae describitur in tabula num. 1., plene vindicatam atque admissam etiam ab adversa parte fuisse. Ad ceteras veniens lineas probatur ac admittitur descendentia Brunonis Abenavoli cum Anna Cordova, si tres ex ea excipias nimirum Hieronymum, Joannem et Fortunatam, dum Cajetanus de partium consensu fuit exclusus. Quoad tres illos autem difficultas in eo est, quia directa desideratur probatio, ex qua pateat patrem Brunonem eundem esse cum Brunone, ex quo ceteri admissi descendunt. Videndum tamen num difficultatem hanc eliminent documenta, quae ex adverso expenduntur ad originis identitatem adstruendam.

Voces ex linea Franciscae Abenavoli et Antoniae Sartiano indubiae habentur, nimirum Franciscus filius necnon nepotes quatuor ex Laurentia profluentes, quemadmodum et indubiae sunt binae voces ex linea Pascalis Abenavoli necnon vox altera Aloysii ex Francisco Pannuti (non vero Vincentii

ceu per errorem in arbore legebatur) utpote directe a Mariana Abenavoli descendentes.

Tres voces, nimirum Hieronymi, Salvatoris, et Angelae ex Cajetana Abenavoli et Antonio Altiná controversiae obnoxiae manent, quandoquidem haud luculenter probatur dictam Cajetanam a Josepho suam descendentiam desumere. Prae oculis nihilominus habenda erunt documenta ac rationes, quae ex adverso ad eas legitimandas congeruntur.

Una dempta Maria ceteri, qui descendunt a Francisca Abenavoli et Joanne Blasi, absque haesitatione veniunt admittendi.

Admittuntur demum voces quinque a Maria Abenavoli et Felice Blasi profluentes, attamen non sine aliqua perplexitate, propterea quod documenta circa Mariae nomen oscitantiam quamdam exhibent, quum in iis aliquando demum simpliciter Anna enuncietur. Qua super re haud erunt praetereunda, quae cumulantur momenta ad personae identitatem vindicandam. Hinc ducto calculo vocum, quae indubiae sunt quaeque ab adversario quoque admittuntur, habentur pro Bernardo suffragia unum supra viginti. Quod si dubia diluantur quoad ceteras personas, de quibus supra, augebitur suffragiorum numerus ad triginta duo.

De Xaverii nunc arbore agendum. Et primo admittitur veluti in controversia Joannae filiae Petri Antonii Abenavoli, quae fuit uxor Antonini Sarziano. In specie autem nonnulla ex adverso elevantur dubia; primo scilicet circa Concessum, utrum nimirum sit iste Bruni filius, quum ejus origo merae parochi attestationi innitatur; quamobrem dubiae manent voces utriusque filii Vincentii et Margaritae. De Angela filia Brunonis nulla dubitatio. Secundum exurgit dubium quoad illam Annam Mariam uxorem Francisci Moro, utrum nimirum sit identica filia, quam ejusdem nominis habuit Joanna Abenavoli uxor Antonii Sartiano, nam nominantes ipsi Joseph et Paschalis directo esse enunciarunt veluti filii Joannae et Antonii Sartiano, nulla facta mentione intermediae personae ejusdem Mariae Annae: ex quo adversarii nonnullis etiam congestis adminiculis arguunt, inficiendam esse duorum nominantium personae legitimitatem. Qua super re attendenda erunt, quae edisserit Xaverii patronus ad ejusmodi diluendas difficultates.

Ceteri tamen descendentes nimirum ex Vincentio et Marianna, quae nupsit primo Antonio Calareo, deinceps Josepho Sartiano, tamquam legitime probati admittuntur, quemadmodum admittuntur Dominicus et Marcellus a Pascali descendentes, itemque filii septem Xaverii senioris et quatuor filii Vincentiae Abenavoli uxoris Xaverii Bova. Ex linea autem Franciscae Abenavoli Joannis Blasii uxoris una Felicia probatur et ex postrema linea Angelicae Sartiano nuptae Francisco Pannuti uterque filius admittitur. Quae hinc indubiae voces Xaverio suffragantur, sunt viginti quatuor, quibus, si forte respuantur difficultates ex adverso adductae, quatuor aliae accedent voces, quae in totum constituent numerum viginti octo.

Post haec resumptis praeteritis allegationibus ac foliis necnon expensis quae in novis libellis disseruntur placeat Emis Patribus dirimere

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Recedendum a decisis.

Die 28. Aug. 1852.

Cont. Rheginen.

Eminentiarum Vestrarum judicio quartum subjicitur causa isthaec, quae in comitiis 26. Julii 1851 et 31. Januarii 1852 favore Xaverii Abenavoli definita inde die 28. Augusti dicti anni conversa judicii alea pro Bernardo Abenavoli dirempta fuit; suetae enim rogationis formulae: »An sit standum vel recedendum a decisis in casu«? prodiit responsum: »Recedendum a decisis.« Sed obloquendi venia continuo recreatus, qui Xaverii partes tuetur, alacri studio redit hodie ad arenam et documentis undique stipatus in novo summario congestis suum ab adversariorum censura vindicat genealogi cum schema; atque demonstrata patronorum pluralitate, qui clienti suo suffragati sunt, tutam fovet spem fore ut ad primaevam s. Ordo redeat sententiam.

Et primo descendentiam probat Joannae Abenavoli, quam desponsatam fuisse Antonino Sartiano demonstrat fides ad hoc exhibita. Ex hoc autem conjugio procreatam fuisse Brunonem et ex eodem Mariam Angelam, quae inter patronos ex adverso etiam admittitur. Brunonem insuper alium habu-

isse filium Conceptum sustinet; cujus licet baptismatis fides desideretur, supplet tamen tum testimonio ipsius Angelae, quae cum suis filiis illum agnoscit germanum fratrem, tum testimonio a parocho et syndico ceu de re notoria reddito, tum fide ejusdem mortis ab actibus status civilis extracta, tum demum fide obitus ejusdem Concepti e libris parochialibus pariter excerpta; quae omnia temporis et personae identitatem ostendunt. Proinde nullum superesse dubium arguit de legitimitate vocum Margaritae et Vincentii, quos ambos praefati Concepti filios fides exhibitae demonstrant.

Redit iterum ad Joannem et Antonium Sartiano ac probat duplici fide, quod ex eo conjugio prodiit Anna uxor Francisci Moro; et ex iisdem documentis ostendit filios Annae et Francisci Moro fuisse Natam et Vincentium, cum utraque fides concordet non solum quoad personam patris ac matris, sed etiam avi et aviae, Antonini scilicet Sartiano et Joannae Abenavoli. Quae duo documenta in superiori propositione exhibita, cum amanuensis errore fuerint corrupta, hodie tamen suae integritati restituenda curavit atque originaliter exhibet prout ex libris parochialibus extracta fuere. Comprobat insuper documentis descendentiam Vincentii, qui fuit alter filius Francisci Moro; proinde legitimas habendas esse praesentationes Sebastiani, Fortunatae et Antoniae; et idipsum dicendum de Josepho et Paschale germanis fratribus, qui suos agnoscunt parentes, Joannem Philippum Romeo et Natam Abenavoli. Nec de lineae Mariannae, quae fuit tertia inter natos ex Anna Sartiano et Francisco Moro, legitimitate ambigendum esse pergit documentis ostendere, ex quibus patet quidem Vincentium genitum ex ea fuisse constante primo conjugio cum Antonio Calareo, ex secundis vero nuptiis cum Josepho Sartiano Theresiam ortam fuisse nuptui traditam Brunoni Anastasio, ex quibus prodeunt Marianna, M. Antonia et Xaverius.

Vindicata per singulos gradus descendentia praesentantium ex linea Joannae Abenavoli legitimas habendas esse aeque ac voces aliorum praesentantium, qui ex lineis descendunt Dominici, Josephi et Mariannae Abenavoli, ceu plene comprobantur documentis in primo summario exhibitis, quod ut iterum consulant adprecatur Emos Patres, et plene admissae sunt ex adverso in superiori propositione. Hisce autem addendum monet et alterum suffragium Francisci nimirum Xaverii Pannutti, quod hucusque fuisse omissum dicit, quia in actorum exemplari ex amanuensis incuria illius nomen inter praesentantes minime fuit exscriptum; quod quidem reperitur in authentico actorum processu et inter praesentantes utili tempore recensetur. Non esse autem de ejus legitimo jure ambigendum, cum probent documenta, ipsum ex Ferdinando Pannuti ortum habuisse. Ferdinandus autem aeque ac Vincentius, Marianna et Aloysius communes agnoscunt parentes Franciscum nimirum Pannuti et Angelicam Sartiano, qui a stipite derivant Mariannae Abenavoli. Quare computat voces suffragantium pro suo clienti viginti novem, quae longe vincunt numerum praesentantium adversarium, ad viginti vix cohibendum. Iterum enim urget proscindendos esse a contraria arbore quatuor ex stirpe Brunonis Abenavoli et Annae Cordova, nimirum Hieronymum, Joannem, Cajetanum et Fortunatam necnon tres alios e prosapia Cajetanae Attinà, Angelam nempe, Hieronymum ac Salvatorem, quorum omnium insertionem nonnisi per confictas probationes obtinere valuit; sed tamen ex adverso etiam erronea agnita fuit, ita ut opus nunc habuerint, mutata vel adjecta successionum serie, novum locum in schemate iisdem personis assignare, nimirum dicti tres Joannes, Cajetanus et Fortunata non amplius Brunoni et Annae Cordova tribuuntur, sed alteri Brunoni viro Elisabeth Versacci uniuntur, quod quidem funditus suo tempore evellere sibi proponit.

Instat insuper sex alias resecandas esse voces, Mariae scilicet Attamonte filiae Victoriae, cujus deest in actis praesentatio, et eorum, qui ex Felice Biasi originem ducunt. Mariam siquidem, quae dicitur Josephi Abenavoli filia, diversam esse sustinet ab Anna Felicis conjuge, cujus nativitatis et filiatio a Josepho latet omnino; vel si hanc filiam Josephum procreasse constiterit, eam ex illegitimo coitu processisse evincit a fidibus ipsis ex adverso productis; quo fit ut per leges progenies Biasi repellatur ab exercitio jurispatronatus gentilitii in existentia legitimorum.

Qui pro Bernardo partes agit id unum adnotandum habet de sua arbore, quod nimirum corrigendus sit error, in quem contraria arbor eum pertraxit, circa descendentiam fratrum Attina, nempe Hieronymi Salvatoris et Angelae, quos filios esse Antonii Attinà et Cajetanae Abenavoli haud controversum dicit. Nunc autem plenissime probari Cajetanam Abenavoli, quae anno 1791 nupsit Antonio Attinà, esse filiam Brunonis Abenavoli et Elisabeth Bersacei. Brunonem autem ex Josepho Abenavoli et Felicia Aspria descendere evincit testimonio universi oppidi decurionatus et parochi. Fratrum vero Attinà esse avunculos Hieronymum, Fortunatum et Joannem Abenavoli fratres Cajetanae et filios Brunonis quondam Josephi iisdem mox recensitis argumentis probat necnon duabus baptismatis fidibus, quas invenire datum est. Perperam vero horum descendentiam impugnari ex adverso, argumento a simili sumpto, quia nimirum denegata in antecessum ipsi fuit Concessi descendentia, utpote quae nudae unius parochi assertioni inniteretur. Quandoquidem in hoc casu reponit rem longe diversam esse, cum non de mera assertione agatur, sed de fide, praeviis inquisitionibus a parocho ex officio exarata et testibus qualificatis depositione suffulta, quod quidem alterum ex modis probandi descendentiam in jure censeri ostendit auctoritate *Mascard. de probat.* verb.: *Descendentia num. 7.* aliisque plena manu relatis.

De descendentia Mariae Abenavoli quond. Josephi et Feliciae Aspreae nil adendum putat, fidens in documentorum mole in novo summario, quae identitatem personae Mariae et Annae et Annae Mariae demonstrant, ut nulla ratione in discrimen revocari ea possit. Super contraria autem arbore minime acquiescit ac adnotat Franciscum Xaverium Pannuti, qui hodie primum inter patronos recensetur, non fuisse a sententia curiae qua patronus admissum. Verumtamen, quid de hoc sentiendum sit patebit ex responsionis libello, postquam documenta ad trutinam revocaverit.

Rigidius descendentiam Joannae Abenavoli uxoris Antonii Sartiano expendendam suscipit, praemonens ex ea neminem hucusque praesentasse in vacationibus sive de anno 1834 sive de anno 1841, ut inde arguat quod ii, qui de hac linea tunc vivebant, satis certi erant juspatronatus ad se minime pertinere. Attamen super Angela Sartiano, quatenus indubia sit identitas Joannae filiae Petri Antonii cum Joanna uxore Antonii Sartiano, acquiescere videtur. Non ita vero de Concepto, cui nova documenta nullam adere vim autumat; cum mortis denunciatio non probet, ut ipse ait, eum fuisse filium Brunonis filii Joannae Abenavoli, alterum vero documentum nempe attestatio Angelae Sartiano praetensae sororis nihil faciendum, quia datum in proprium deponentis commodum et sub litis exitum expiscatum.

Haud renuit autem convenire quoad Annam Sartiano uxorem Francisci Moro, quoties exemplar legitimum parochi prodeat de fide baptismatis Natae Moro. Nihilominus inficiatur adhuc descendentiam eorum, qui patronatum contendunt, tum quia nunquam praesentarunt, quod incertam eorum descendentiam et dubiam reddit, tum quia in actu primae hujus praesentationis eorum aliqui propriam descendentiam contexerunt diverso modo ab eo, qui in praesenti arbore conspicitur, cum praesumendum non sit, nominantes errasse in propria genealogia, nimirum nepotes et pronepotes ignorasse personas seu nomina suorum auctorum. Nec ceteroquin fidibus baptismalibus hac in causa multum deferendum monet, quippe qua experientia pandit quantas hucusque aequivocationes et confusiones nominum ac cognominum eaedem induxerint: quas proinde ad summum ad probandum admitti insinuat, quoties per adminicula temporis, aetatis aliorumque nulla dubietatis umbra supersit.

Postremo ad mentem iterum revocat, clientem suum omnibus requisitis, antequam quadrimestre laberetur, juxta ss. canones praeditum fuisse, dum contra adversarius triplici defectu, aetatis nimirum, clericatus et literaturae laborabat.

Definiendum proponitur

Dubium:

An sit standum in primo et secundo seu potius in tertio loco decisis in casu?

S. C. resp.:

Dilata, et coram R. P. D. secretario conficiatur arbor conventionalis genealogica a procuratoribus adscribenda, reservatis singulis quaestionibus per distincta capita disputandis et ab eodem R. P. D. secretario in sua relatione enucleandis.

Die 29. Jan. 1833.

Continuatio ejusdem causae.

Mandatis hisce obtemperans curavi ut partium procuratores arborem coram me confice-

rent atque subscriberent, seu reapse factum est fidem de hoc perhibente schemate huic folio adnexo. Ceterum praemoneo eosdem procuratores sibi reservassse facultatem hinc inde nonnullas descendentias impugnandi, de quibus, ut partes muneris mihi demandati expleam, heic disserendum est.

Et primo ad trutinam revocans arborem Bernardi adversarius procurator veluti dubiam habendam esse censet praesentationem quatuor filiorum Laurentiae in Vincentium Pirrone, qui a numero romano IV. usque ad VII. notantur, eo quia in rejudicata anni 1834 iidem dicuntur filii Laurentii non autem Laurentiae; et ejus dubitandi rationem auget, quod descendentia dictae Laurentiae a Francisca nonnisi quam rejudicata dicti anni 1834 comprobatur.

Dubiam item ponit descendentiam Mariae in Felicem Biasi, quia non apparet identitas nominis in eadem persona, quae aliquando Maria, aliquando Anna vel Anna Maria nuncapatur. Tertio excludit descendentiam a Bruno cum Elisabeth Versacci, quia haud probatum dicit Brunonem descendere a Josepho Abenavoli et Felicia Asprea.

Postremo de Theresia animadvertit eam nunc primum uti filiam Dominici senioris in arbore tradi, dum in praeteritis tabulis genealogicis semper agnita fuit ab adversario uti filia Dominici junioris, qui tunc signabatur. Ex hac praepostera variatione in arborem inducta grave infert argumentum inficiandi dictae Theresiae descendentiam, eo magis quia ceteri Dominici senioris filii, qui Theresiae fratres forent, omnes mortui dicuntur; et cum in actu nominationis isthaec Theresia haud enuncietur filia Dominici senioris cum Anna Tripepi, magis magisque ejusdem legitima descendentia in discrimen revocari potest. Quibus addit, quod nec in sententia curiae ulla habita fuerit ratio de ista Theresia.

Hisce difficultatibus ita occurrit Bernardi defensor. Et quod ad Laurentiam attinet, oppositam exceptionem eliminat, rationem diversitatis nominis tribuens amanuensis errorri. Reque vera haud esse legendum Laurentium evincit ex eo, quod alias Carolus et Joannes aliique ab eo descendentes non jam Pirrone, sed Sartiano pronomen haberent; nec fieri posset ut, si eorum pater gestaret nomen Sartiano, filii illud Pirrone assumerent. Ceterum quidquid de hoc sit, urget ex quatuor nativitatis fidibus relatis eosdem probari veluti filios Vincentii Pirroni et Laurentiae Sartiani omnesque veluti patronos in rejudicata anni 1834 et 1841 fuisse recognitos.

Quoad Mariae in Felicem Biasi identitatem ulterius haud esse querendum existimat, quoniam adjuncta patris, matris, viri, filiorum ac nepotis, insuper aetas ac tempus nativitatis ac mortis, demum fides parochi, decurionum, potissimum actus notorietatis et formale septem testium examen, omnia haec eliminant quamlibet dubietatem de personae identitate, nimirum Mariam eamdem esse, quae aliquando dicta fuit Anna vel Anna Maria, ac veluti commentitiam ejus illegitimam originem revincunt.

Brunonis autem descendentiam a Josepho Abenavoli et Felicia Asprea in defectu librorum parochialium abunde probari a testibus qualificatis ceu a parocho, syndico ac decurionibus loci. Nec liceret adversario testimonialem probationem excludere, cum et ipse eadem utatur ad adstruendam descendentiam Concessi Sartiani. Nec praetereundum censet, Feliciam Asprea in obeundo munere matrinae in baptismate suae neptis Fortunatae Abenavoli nomen sibi proprium, nimirum Feliciae, ipsi imposuisse, quo saltem ostendit illam haud extraneam esse familiae Brunonis.

Nec mirandum quod, dum prostant fides nativitatis trium filiarum Josephi et Feliciae Aspreae, nempe Vincentiae, Franciscae et Mariae, una desideretur fides Brunonis; observat enim earum fides tantum extractas fuisse anno 1833, quia de eo tempore forte Bruno e vivis excesserat. Cum autem non eadem esse possit fratrum aetas, hinc nil probabilius, quam ut liber baptismalis de tempore nativitatis Brunonis deperierit, ille autem in quo adnotantur sorores adhuc asservetur, eo vel magis quia Bruno ortum habuit Rogudi, ceterae autem sorores in oppido s. Laurentii. Quantum ad Theresiam Dominici senioris filiam perperam denegari ejusdem identitatem probat nativitatis fide, quae eam enunciat filiam Dominici et Abenavoli et Annae Tripepi ac sororem Xaverii, Pascalis Franciscae ac Brunonis, et confirmat nominatione ab eadem peracta anno 1834, quae per remjudicatam fuit admissa. Quod si antea sub Dominico juniore fuerat in arbore constituta, id ex mero typographi

errore repetendum, quod facile evenire potuit, quia unum super alio Dominici nomen occurrebat. Hisce sepositis ceteri, qui in arbore discussa supersunt, absque ulla contradictione admittuntur.

Quod ad arborem Xaverii, haec a defensore Bernardi objiciuntur. Delendam iterum contendit descendentiam ab Anna Sartiano uxore Francisci Moro. In actu enim praesentationis eorum aliqui propriam descendentiam contexerunt diverso modo, nimirum: Paschalis et Joseph Romeo se filios profitentur Natae Moro, quae fuit filia Antonini Moro et Joannae Abenavoli. Eodem autem actu eorum fratres Marianna Maria, Antonia et Xaverius Anastasio se filios dicunt Theresiae Sartiano filiae Mariannae Morae sorella della detta Nata, et per consequens ipsa quoque filia Antonini Moro et Joannae Abenavoli. Hinc ex hujusmodi enunciativae varietate arguit, fidem ex adverso exhibitam in postrema propositione ad ostendendum Natam esse filiam Antonini Moro respicere aliam prorsus distinctam Natam non ab Antonino sed a Francisco Moro. Idipsum sentiendum de sorore Marianna, quae enunciatur filia Francisci Moro, quin matris nomen exprimatur. Relate ad fratres Moro ex Vincentio bina documenta nunc primum expendit, quae confusionem augent tam in hac linea quam in duabus praecedentibus lineis Natae et Mariannae. Observat Mariam Antoniam Moro Vincentii filiam penes curiam suam ita descendentiam contexere »essa Signora Antonia Moro qual figlia ed erede di D. Vincenzo Tefonto, e questi, figlio ed erede della defonta D. Anna Sartiano, figlia ed erede della defonta D. Giovanna Abenavoli, moglie in allora del fu D. Francesco Antonio Sartiano.« Duas inde variationes personarum deprehendit, nimirum Anna Sartiano non amplius uxor Francisci, sed Vincentii Moro edicitur, et Joanna Abenavoli veluti uxor Francisci Antonini exscribitur. Quod autem in postremo hoc nomine non fuerit erratum, probat ex eo, quod Vincentius Coloreo nominationem edens se dixit »figlio di Marianna Moro fu D. Francesco e questa figlia della fù D. Anna Sartiani figlia della fù Giovanna Abenavoli del Franco e del fù D. Francesco Antonio Sartiani.« Ex quibus omnibus arguit hujusmodi descendentias posthabendas esse, cum praesumibile haud sit ut novem nominantes ex eodem stipite diversas lineas ac familias constituentes omnes opinionem erroneam super propria descendentia habere potuerint.

Impugnat pariter descendentiam Concessi, quia probatio testimonialis, cui unice ea innititur, non admittitur a defensore Xaverii; attestatio autem Angelae sororis eo minus facienda, quia edita in proprium deponentis commodum et sub litis exitum expiscata.

Ob eandem tandem rationem inficiandam existimat nominationem Francisci Pannuti quia, quemadmodum respuitur ex adverso nominatio Theresiae Abenavoli ex eo, quod se dixerit tantum filiam quondam Dominici Abenavoli, quin matris nomen adjiceret, ita a pari obesse debet quoad dictum Franciscum, qui in nominationis actu se nuncupavit unice Franciscum, dum nativitatis fides exhibet nomina Francisci Xaverii.

Defensor Xaverii, ut haec diluat objecta, se refert ad ea, quae in postrema allegatione fuse disseruit. Et quoad descendentiam ab Anna Sartiano uxore Francisci Moro satis superque eam probatam dicit per documenta in nuperrimo summario recolenda: nimirum quia ex his constat ex Joanna cum Antonio Sartiano prodiisse Annam Francisci Moro uxorem, ex his autem Natam et Vincentium, cum utraque fides exhibita conveniat non solum quoad patris et matris personam sed etiam avi et avae Antonini Sartiano scilicet et Joannae Abenavoli. Idipsum sentiendum de descendentia Vincentii alterius ex filiis Francisci Moro, cum documentis pariter ineluctabilibus ea comprobetur: necnon de Josepho et Paschali germanis fratribus, qui suos agnoscunt parentes Joannem Philippum Romeo et Natam Abenavoli.

De Mariannae autem linea, quae fuit tertia inter natos ex Anna Sartiano et Francisco Moro, perperam moveri quaestionem, postquam ex probatissimis documentis ejus legitimitatem in tuto fuisse positam dicit. Cum autem magis facto ac rei veritati sit deferendum quam opinioni, hinc veluti ineptam respuit adversarii objectionem ex eo desumptam, quod nonnulli ex superius memorata descendentia diversimode sese enunciaverint ab eo quod ex actis resultat.

De descendentia Concessi Sartiano, sepositis etiam documentis, quae eam demonstrant, animadvertit incivile esse impraesentiarum eam in dubium revocare, postquam

in superiore propositione solemniter ex adverso fuit admissa. Legitur enim in §. 2. responsionis: »Admittens aeque voces duas Margaritae et Vincentii filii Concessi Sartiano, non equidem, quod moveat paululum attestatio sororis Angelae etc. sed quod alia documenta in praesenti statu actorum veritates speciem praeseferunt.« Nec profecto ullam subesse rationem, cur quod nuper admissum est hodie gratuito prorsus respuatur. Quae animadversio militat etiam tam quoad descendentiam Vincentii Moro, nimirum Sebastiani Fortunati et Antonii, de quibus supra, quam quoad descendentiam Mariannae cum Antonio Coloreo necnon Francisci Xaverii Pannutii, quas omnes absque difficultate pariter admisit contradictor, uti videre est in §. 3. cit. responsionis. Ex disceptatis patet quod vocum computatio utrinque facienda pendet omnino a judicio ab Emis Patribus efformando super illis vocibus a contendentibus hucusque in discrimen adductis.

Meum est proponere

Dubium:

An sit standum in primo et secundo seu potius in tertio loco decisis in casu?

S. C. resp.:

In tertio loco decisis.

Die 12. Mart. 1853.

28) Qualitates in genere requisitae.

Vd. *Beneficiatus* (habitus etc. p. 144; sacerdotio non insign.) *Ordinandi* (qualitas); *Concurus ad ecclesiam paroch.* (Examinandor. qualit.); *Beneficium* (collatio quibus personis; dignis et idoneis; admissio etc.)

(Constit. Gregor. X. c. 14. de elect. in VI. I. 6. Conc. gen. Lugdun.)

Licet canon a felicis recordationis Alexandro Papa III. Praedecessore Nostro editus inter cetera statuerit, ut nullus regimen ecclesiae parochialis suscipiat, nisi vigesimum quintum aetatis annum attigerit ac scientia et moribus commendandus existat, quodque talis ad regimen assumptus hujusmodi, si monitus non fuerit praefixo a canonibus tempore in presbyterum ordinatus, a regiminis ejusdem amoveatur officio et alii conferatur, quia tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes, Nos periculosam illorum negligentiam volentes juris executione suppleri praesenti decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis ecclesiae assumatur, nisi sit idoneus moribus, scientia et aetate, decernentes, collationes de parochialibus ecclesiis iis, qui non attigerint vigesimum quintum annum, de cetero faciendas viribus omnino carere. Is etiam, qui ad hujusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi crediti diligentius curam quaerere possit, in parochiali ecclesia, cujus rector is extiterit, residere personaliter teneatur et intra annum, a sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si intra idem tempus promotus non fuerit, ecclesia sibi commissa (nulla etiam praemissa monitione) sit praesentis constitutionis auctoritate privatus. Super residentia vero, ut praemittitur, facienda possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.«

(C. 29. X. de praeb. III. 5. Conc. Later. IV.)

»Grave nimis est et absurdum, quod quidam ecclesiarum praelati, quum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi praecipimus, ut praetermissis indignis idoneos assumant, qui Deo et ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim ita, ut, qui post primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum consilium suspendatur instituta in eodem concilio persona provida et honesta, quae suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis.

Et hoc ipsum circa capitula, quae in his deliquerint, observetur. Metropolitani vero delictum superioris judicio relinquatur ex parte concilii nunciandum. Ut autem haec salubris provisio pleniorem consequatur effectum, hujusmodi suspensionis sententia praeter romani Pontificis auctoritatem aut proprii Patriarchae minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur.«

Asculana.

In *cap. 12. de reform. sessionis 24. C. Tr.* statuitur, ut obtinentes ecclesiastica beneficia eam praeseferunt morum integritatem et doctrinae speciem, ut muneri demandando pares videantur.

Die 12. Mart. 1785.

Hieracen.

Vd. *Beneficium regul., saecul.*

Exploratum in jure est, saecularia beneficia saecularibus et regularia regularibus esse conferenda, *cap.: Cum ad nostram 37* et *cap.: Officii 38. de electionibus, Concil. Trident. sess. 14. cap. 10. de ref., sess. 25. cap. 21. de regular., Garzias de beneficiis part. 7. cap. 10. n. 20*; vetitumque regularibus est absque speciali apostolico indulto parochiales ecclesias retinere, *cap. Monachi de satu Monachor.* Itaque sacerdotem Englen, qui regularis est in ordine s. Dominici professus, incapacem fuisse obtinendi parochialem ecclesiam s. Nicolai ex Aliph, reque vera ad concursum fuisse admissum, si *et quatenus saecularizationis et habilitationis ad beneficia gratiam a s. Sede obtinuisse docuerit.*

Die 24. Julii 1824.

Tiburtina.

Ubi assumptio in civem facta est supremi Principis auctoritate non simpliciter sed cum expressa clausula, quod assumptus pro originario sit habendus, iisdem potitur juribus et privilegiis, quibus fruuntur veri cives ad tradita per *Pignat. consult. 1. tom. 7; Card. de Luca de praeemin. diss. 37. n. 3. et seq.*

Alienigena ex privilegio creatus civis, idoneus evadit ad consequenda privilegia et beneficia veris civibus concessa, ita tamen ut originarii si adsint jugiter praeferantur, *Ferrar. bibliot. can. verb.: civitas num. 80, Rot. in recent. decis. 180. num. 1. part. 9.*

Die 27. Jan 1827.

Ariminen.

Scitum est, descendentes ex familiis cum fundatore sanguine junctis anteferendos esse extraneis, etiamsi in fundationis tabulis nihil de hac praelatione cautum reperiatur, *Card. de Luca de jurep. disc. 88. n. 2., Rot. cor. Molin. decis. 982. n. 32* et in *Romana seu Albanen. Subsidiorum dotalium 10. Decembris 1756 cor. Frangypane §. fin.*

Die 26. April. 1828.

Montis Alti.

S. Congregatio nonnumquam indulsit, ut pueri ad patronalia beneficia nominarentur, ut in *Melevitana Indulti 10. Septembris 1735, ac tradit folium in Civitatis Plebis Canonicatus 23. Decembris 1826. §: Hoc pacto*, et non raro administrationem ecclesiastici beneficii, impletis oneribus et deputato administratore largita est vel ad certum tempus vel donec aliquis ex familia illud in titulum assequi posset, quemadmodum in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786*, in *Aquen. Capellaniae 3. Februarii 1787*, et in *Nucerina Capellaniae 26. Aprilis 1828.*

Die 20. Septbr. 1828.

Perusina.

Pluries tamen s. Congregatio veniam aetatis impertiendam esse censuit patronis passive vocatis ad obtinenda beneficia et ecclesiasticas capellanias, *in Lucana Beneficii seu Capellaniae 17. Maji 1749*, in *Asculana super dispensatione 22. Augusti 1750*, etiam si ceteri patroni contradicerent, ut in *Forolivien. Capellaniae 25. Junii 1791.*, et non raro indulsit ut pueri ad patronalia beneficia nominarentur, in *Melevitana Indulti 10. Septembris 1733.*, in *Vercellen. 19. Julii 1766. §: Saepissime.*

Die 22. Novbr. 1828.

Tiburtina.

Quemadmodum origine, domicilio et speciali privilegio ad munera civilia quemque vocari certum est, *L. 6. cod. de incol. 6., s. Congr. in Viterbien. Subsidii dotalis 21. Junii 1766. §: Certum*, et in *Imolen Subsidii dotalis 20. Junii 1767. §. Hinc*; ita etiam ad beneficia et alia id genus emolumenta pro civibus constituta eos admittendos esse, qui civica gaudent praerogativa nisi aliter cautum sit, in dubium revocari non potest, *Rot. in Theanen. Canonicatus 7. Junii 1737. cor. Rezzonico* et s. Congr. in *Caputaquen. Participationis 2. Novembris 1741. §: Duo*, et in *Romana seu Tudertina 28. Januarii 1796. §. Nam.*

Die 27. Junii 1820.

Hortana.

Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12. de reform.* sanxit neminem deinceps ad canonicatus ecclesiarum cathedralium esse promovendum, nisiqui eo ordine sacro sit insignitus, quem illa praebenda requirit, aut in tali aetate ut infra tempus a jure et ab ipsa synodo statutum initiari valeat. Quando autem ex beneficiorum erectione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur, non est eis derogandum, inquiunt Tridentini Patres *sess. 25. cap. 5. de reform.*, nisi urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus dispensandum esse, *cad. sess. cap. 18.*

Die 30. Jan. 1830.

Imolen.

Unicuique sane jus esse beneficiorum erectione eas praescribere qualitates et conditiones, quas vel ad populi utilitatem vel ad ecclesiae dignitatem promovendam maxime idoneas ipse judicaverit, docent *Lambertin. de jurepatron. lib. 1. part. 1. art. 1. quaest. 9. n. 52. n. 9, Card. de Luca de jurepatron. disc. 20. n. 15. et disc. 65. n. 4, Barbos. de offic. et pot. Episc. lib. 1. tit. 2. glos. 17. n. 28.* Hujusmodi autem qualitates et conditiones, ubi statutae fuerint, pro lege esse habendas nec eisdem derogandum decreverunt tum Tridentini Patres *sess. 25. cap. 5. et 18. de reform.* tum *Rota coram Olivat. decis. 179. n. 9.* et s. Congregatio in *Tiburtina* diei 27. Maji 1826. Et praesertim si alterius juri quaesito damnum inferretur, *ad text in cap.: Si quando de rescript.*, s. Congr. in *Platien. Canonicatus 30. Maji 1829 ad II. dub.*

Die 26. Mart. 1831.

Melevitana.

Neminem posse ad beneficia contendere nisi clericati tonsura fuerit ornatus praesentationis tempore, *Fargn. de jure patronatus part. 1. can. 1. can. 5. cas. 2. num. 2, Rot. in Melevitana Beneficiorum 10. Januarii 1712 §: Commissa cor. Aldrovando* et in *Civitatis Castellanae Beneficii 4. Julii 1785 §. 6 cor. Soderino*, et nisi legitima quatuordecim annorum aetate sit constitutus, quemadmodum ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 6. de reform.* comprobant *Piton. discept. eccles. add. ad discept. 14. num 109., Ventrigl. in prax. rer. notab. part. 2. annot. 6 §. 1. num. 2.* et s. Congr. in *Bononien. Dispensationis 4. Januarii 1783. §: Alexander.*

Die 28. Jan. 1832.

Lunen-Sarzanen.

Ex communi juris sanctione admonemur, beneficium iis esse conferendum, qui dotibus praestent ab illius conditore praescriptis, *Lotter de re benefic. lib. 1. q. 26. num. 16, Rot. in recent. par. 3. dec. 97. num. 3.*

Die 2. Mart. 1833.

Lunen-Sarzanen.

Civibus et incolis prae caeteris habendam in collatione beneficiorum rationem explorati juris est, ubi rerum, personarum adjunctorumque idem status sit. *Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 9. num. 13, Corrad. prax. benef. lib. 4. cap. 6. num. 55.* Licet enim (inquit *Card. de Luca de benef. disc. 69. num. 12*) in beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptatio personarum, ista qualitas civitatis non reputetur necessaria, attamen data aequali idoneitate atque in concursu dicitur considerabilis ac species etiam benemerentiae, ob quam ceteris paribus praelatio saltem de congruo debeatur.

Die 23. Nov. 1833.

Faventina.

Ubi diversae qualitates, quae in una eademque adsunt persona, sunt separabiles et uti ex diversis principiis provenientes, sunt inter se compatibiles, palam est, concursum qualitatum hujusmodi id solum operari, quod qui iis fruitur repraesentat duplicem personam et ratione unius causae dicitur una persona, ratione vero alterius reputatur extraneus. *Rigant. in reg. 4* *) *cancell. § 6. n. 33. 34, Lotterius lib. 2. qu. 32. n. 180, Rota coram Otthobon. dec. 201. n. 9.*

Die 7. Sept. 1833.

Nullius Foropompilii.

Notum equidem est in beneficiis muneribusque conferendis non tam petentium originem ac patriam esse expendendam, sed pro meritis eorundem potius iisque nominibus, quibus magis ipsi idonei aptioresque agnoscantur, habendam esse rationem, *cap. ad decoren. de institut.* Sed ubi statuto quopiam seu privilegio datum sit vel ex legitima consuetudine percrebuerit, ut beneficium vel munus oriundo dumtaxat seu naturali statui cujusdam loci impertiatur, externum et qui originis qualitate careat, admitti ad illa non posse, nisi opportuna in eam rem potestas facta fuerit, juris principium est. *Vivianus prax. jurispatron. lib. 6. cap. 11. num. 11., Pyrrhus Corradus prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 44.*

Die 1. Febr. 1834.

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

Florentina.

Cum ex fundationis lege certae quaedam in beneficiario qualitates requirentur, non est iisdem derogandum, nisi forte urgens justaque ratio et major quandoque utilitas postulaverit cum aliquibus esse dispensandum, *Trid. sess. 25. cap. 5. et 19. de reform.* Si precibus obsecundetur Raphaelis, jus sibi quaesitum pessumdatum queritur Papuccius, qui inter eos etiam, qui aequo polleant jure, illum praeferendum urget, qui magis dignus perspicitur et qualitatibus a fundatore vel per constitutiones sancitis praeditus est. *Piton. de controv. patron. alleg. 85. n. 15, Romana. Volaterrana. 7. Jul. 1709 §: Ast, coram Ansaldo.*

Die 1. Mart. 1834.

Reatina.

Episcopus gratificare potest eum, qui majores qualitates praesefert, *Rot. cor. Seraphin. decis. 64. n. 4* et *Garz. de benef. p. 2. cap. 15. n. 22*, imo ceteris paribus praeferri debet inter plures vocatos et praesentatos fundatori proximior, *Card. de Luca disc. 45. n. 9.* et *Piton. de controv. patron. All. 52. n. 40.*

Die 18, Junii 1835.

Derthonen.

Paupertas si passiva pollentibus vocatione atque sanguine cum fundatore conjunctis hunc s. Ordinem semper propitium reddidit, S. C. *in Montis Falisci Dispensat. 24. Martii 1838. §: Consanguinitas*, in themate praelationem quoque suadere debet, cum in beneficiis pauper diviti praeferendus sit. *Cap.: Postulasti 27. de resc., Konch. ad reg. 27. cancell. n. 18 et seq., Lambert. de jurep. lib. 2. p. 3. quaest. 5. art. 3. n. 1 et 7., Gratian. disc. for. cap. 211. n. 30, Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 7. n. 30. et seq.*

Die 22. Maji 1841.

Imolen.

Si jura statuunt, quod beneficia conferri debeant certae personae nulla expresse qualitate adjecta, intelligenda semper sit talis personae habilitas, si ex. gr. idonea sit, *Leg. ut gradatim vers. et si lege ff. de muneribus et honoribus.*

Die 26. Mart. 1841.

Tusculana.

Quamvis *sess. 25. cap. 3, de ref.* Trid. synodi derogandum non esse moneatur quoad qualitates in beneficiorum institutione requisitas, tamen ex ecclesiastica aequitate dispensari quandoque posse traditur *eadem sess. cap. 18*, cum nempe urgens justaque ratio postulaverit: atque hinc s. Congregatio benignam saepe se praebere suevit erga patronorum consanguineos, multo magis passive vocatos, si ad vitae exhibitionem subsidio egeunt, atque adamussim ut studiis vacare opportune possent opem ferendo. Quam ob rem non raro indulsit, ut pueri ad beneficia nominarentur, ceu in *Melevitana Indulti 10. Sept. 1735* et in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749*, vel saltam ut, interim collatione suspensa donec legitimam ipsi aetatem attigerint, redditus in proprium levamen vel studiorum causam oneribus satisfactis insumerent, ut in *Asculana Dispensat. 20. Maji 1786* et in *Sutrina Canonicatus 27. Junii 1829.*

Die 18. Decembris 1841.

29) Regularis.

Vd. *Beneficium saeculare, regulare. Beneficiatus* (qualitates requisitae p. 232.)

Facultas tributa viris religiosis cujusque regularis ordinis et instituti regni Hispaniarum ac ad saecularem statum licite redactis administrandi beneficia etiam curata.

Venerabilibus fratribus
Archiepiscopis, Episcopis
Et dilectis filiis reliquis locorum Ordinariis
In Hispaniarum regno.

Gregorius PP. XVI.
Venerabiles fratres et dilecti filii.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Romanus Pontifex, cui nihil potius, nihil gratius nihilque optabilius esse potest, quam universi Dominici gregis bono atque utilitati, omni quidem cura et contentione prospicere, pia clarissimorum principum vota quam libentissime excipere eisque peramanter annuere solet, cum ea praesertim efflagitantur, quae ad animarum salutem et populorum bonum pertinere posse videntur.

§. 2. Exponendum Nobis curavit carissimus in Christo filius Noster Hispaniarum rex catholicus, se vehementer cupere, omnes cujusque religiosae familiae alumnos in Hispania ditione morantes et sacerdotali ordine honestatos atque hujus apostolicae Sedis auctoritate ab ordinis regula et religionis habitu jam rite solutos, in animarum salutem procurandum incumbere eosque aliquo ecclesiastico beneficio potiri, quo se alere possint. Ut autem hujusmodii consilii ratio suum exitum obtineat, idem ille rex summopere exoptat, ut iidem religiosi viri paroeciis praeficiantur. Quamobrem a Nobis petiit, ut ejus rei ergo ex Nostra indulgentia perpetuam facultatem tribuere velimus, qua commemorati religiosi viri cujusque regularis instituti, in Hispaniis morantes et sacerdotio insigniti atque ab ordinis regula et religionis habitu rite expediti paroecias consequi possint.

§. 3. Nos igitur ipsius regis voluntati alacri libentique animo obsecundantes eosque omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praepositorum consilio, vobis venerabiles fratres et dilecti filii, quantum ad singulos spectat, eas partes imponimus, atque mandamus, et facultatem perpetuo valituram tribuimus, cujus ope auctoritate Nostra apostolica omnibus et singulis cujusque regularis ordinis et instituti religiosis viris, qui in Hispana ditione vitam agentes ab ordinis regula ac religionis veste gestanda rite soluti, dummodo apostolicum indultum iis tributum perpetuo transeundi ad statum presbyteri saecularis ab Ordinario fuerit executioni mandatum, veniam nunc et in posterum tribuere possitis, cujus praesidio iidem religiosi viri, servatis tamen, quae servari opus est, ullo absque alieni juris detrimento, beneficia animarum curae obnoxia administrationis titulo consequi et eorum fructus, redditus atque proventus libere et licite percipere possint et valeant. Declaramus praeterea hujusmodi facultatem a vobis, venerabiles fratres ac dilecti filii, vestrisque legitimis successoribus hoc futurisque temporibus harum literarum vi perpetuo posse exerceri.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 6. Augusti 1833.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 252. Ed Romae.)

30) Residentia.

Vd. *Resid. beneficiati.*

31) Sacerdotio non insignitus.

Vd. *Beneficiatus* (qualitas ex fundatione requisita p. 185;) *Beneficium* (suspensio in commod. clerici decr.: *Faventina.*); t. *I. p. 278. n. 1 etc.*

a) Dispensatio concessa.

Beneficium (collatio supensa in commodum clerici studentis.)

Parmen.

(Conc. Tr. c. 5. 9. sess. 25. de ref.)

Jamdiu ab anno 1336 Emmanuel de Ghidis Canonicus Parmen. publico instrumento inito cum Canonicis et capitulo illius Cathedralis et de eorum licentia de bonis sibi obventis ex haereditate Joannis de Niciis constituit et fundavit in eadem ecclesia cathedrali perpetuum et sacerdotale beneficium, attributa post ejus obitum electione beneficiati Abbati et monasterio de Valle Serena ordinis Cistercien. Parmen. dioecesis, statuens sub poena nullitatis electionis, ut ad ipsum beneficium eligatur persona, quae de tempore hujusmodi electionis sit aetatis annorum.. ad minus et in sacerdotio constituta et bonae conversationis et vitae ac idonea ad serviendum beneficio et in ecclesia supradicta. Ordinavit insuper, ut dictus beneficiatus teneretur in d. ecclesia continuam residentiam personalem facere nec deberet aliquo tempore exinde se absentare, praeterquamquod tempore messium per octo et vindemiarum per totidem dies continuos vel interpolatos, ac ulterius teneretur in d. ecclesia certis hebdomadae diebus missas celebrare ac in ea singulis diebus horis canonicis diurnis pariter ac nocturnis, missis conventualibus ac aliis divinis officiis una cum aliis beneficiatis ipsius ecclesiae, ut moris est, personaliter interesse, et si quando a praemissis deficeret, declaravit, ipsum beneficiatum beneficio sic obtento eo ipso privatum, salvo tamen, si aliquando et raro praefatis missis conventualibus et aliis horis canonicis interesse negligeret, quo casu per ipsum capitulum corrigeretur, et etiam, si expedierit, condemnaretur, eumque subjacere voluit correctioni et obedientiae capituli, sicuti alii beneficiati ecclesiae supradictae, uti fusius ex memorato instrumento fundationis in summar. dando. Per liberam resignationem in manibus SS. D. N. factam per Rinaldum Montagnam, ultimum ejusdem beneficii possessorem, obtinuit de mense Octobris proxime defluxi de eodem beneficio ab Apostolica Sede in forma *Dignum* sibi provideri Alexander Gallus clericus Parmen., qui de tempore Datae literarum suae aetatis annum agebat vigesimum, sub narrativa, quod beneficium personalem residentiam non requireret, reservata certa ann. pensione favore resignantis, quique ab executore deputato pacificam ejusdem beneficii possessionem reportavit, in qua hodie reperitur. Mox autem advertens praefatus Alexander prima dumtaxat tonsura initiatus, quod in recensito instrumento fundationis nuper reperto et sibi antea penitus ignoto expresse caveatur, ut illud beneficium pro tempore obtinens constitutus esse debeat in ordine sacerdotali, ac forsan in aetate annorum 35, ut in ea regione est deinde divulgatum, cum in d. instrumento charactere gothico conscripto non perlegatur annorum numerus antiquitate consumptus, dubitavit idcirco de subreptione seu obreptione literarum apostolicarum, proindeque humiliter recurrit ad Datariam, remissa supplicatione ad hanc S. C. pro gratia dispensationis, quae dicitur *Perinde valere* attenta ejus bona fide et observantia suffragante nulloque existente contradictore.

Praemissorum veritatem comprobavit Episcopus Parmen. informare requisitus et precibus oratoris annuendum censuit, dummodo quam primum ad sacros ordines promoveri curet, suffragantibus eidem indolis docilitate ac morum integritate, potissimum vero ejusdem bona fide, qua fuit adeptus possessionem beneficii, necnon praecedenti observantia, qua ejusdem praedecessores in statu solius clericatus id beneficium sunt assequuti et in aetate minori quam annis 35., de quibus documenta transmisit, cujus quidem aetatis numerus desideratur in autographo instrumenti, ex temporis vetustate, cujusmodi etiam attestatur notarius, qui memorati instrumenti copiam transcripsit, uti latius ex ejus relatione aliisque documentis in summar. exhibendis. Rogantur itaque EE. VV. ex his et aliis deducendis decernere:

An oratoris precibus sit annuendum in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative adimpletis oneribus et dummodo adveniente tempore promoveri se faciat ad s. ordines.

Die 12. Apr. 1710.

Collen.

(Conc. Trid. c. 12. sess. 7; c. 9. §. *Ad haec* sess. 25. de ref.)

Anno 1623, Raphael Renerius in cathedrali ecclesia capellaniam sub titulo Nativitatis B. M. V. Mariae instituit cum jurepatronatus tam activo quam passivo favore suae agnationis, ita tamen, ut vocati ad juspatronatus activum, et qui ipsis propinquiores essent, semper etiam in praesentationibus essent praeferendi; capellano autem sequentia onera praescripsit: »Tenga l'obligo di celebrare la s. missa ogni mattina applicando il sacrificio a pro dell'anima del testatore, qual sacrificio deva fare egli stesso ogni volta non abbia impedimento d'infermità nella quale et non altrimenti deva e possa fare adempire per altri sacerdoti.« De anno 1715 per resignationem ultimi possessoris cum haec vacasset capellania, ad eam omnes patroni unanimiter Joannem Renerium praesentarunt, et major eorundem patronorum pars secundo loco etiam praesentavit Jacobum Renerium remotiorem d. Joanne, qui est de linea, ad quam juspatronus activum est delatum; cum Joannes de tempore praesentationis esset annorum quindecim, Jacobus vero vix vigesimum excessit, uterque Sanctissimo supplicavit pro dispensatione aetatis ad effectum assequendi prae-

fatam sacerdotalem capellaniam, sed preces eorum ad hanc sac. Congregationem ab eminentissimo Prodatario remissae fuerunt; et datis de more literis Episcopo pro informatione inter caetera refert, ultimum possessorem fuisse praesentatum in aetate annorum viginti et dispensationem obtinuisse cum clausula »*dummodo infra annum ad ss. ordines promoveatur*,« Jacobum post praesentationum die 21. Decemb. elapsi anni fuisse ad subdiaconatum promotum, subdit tamen »clericum Joannem capacem ad quodcunque beneficium non curatum consequendum ratione studii et ingenii, in quibus, ut asserit praeceptor seminarii alumnorum, in cujus disciplina etiam ambo supradicti concurrentes edocentur, aetatem superat et in explicatione concilii Tridentini optime versatum se praebet et dicto Jacobo oratori superiorem.« Quare monito dicti Joannis procuratore ab EE. VV. sequenti dubio responsum exquiritur:

An et cui sit concedenda dispensatio?

S. C. resp.:

Affirmative favore Jacobi.

Die 12. Decb. 1716.

Romana.

(Conc. Tr. c. 4. s. 22. de ref.)

Ad capellaniam vacantem per obitum sacerdotis Angeli Pini fuit a Principe Gaspare de Alteriis, ad quem pertinet jus praesentandi, praesentatus Balthasar Ricci in acolytatus ordine et in aetate annorum 23 et sex mensium constitutus. Cumque exorta fuerit controversia: an in capellania, ad quam Balthasar praesentari obtinuit, requiratur sacerdotium actu, et quatenus requiretur, idem exoraverit pro dispensatione, eminentiss. Cardinalis Urbis Vicarius requisitus pro informatione et voto censuit, oratorem esse capellaniae capacem nec ulla indigere dispensatione, quia non solum infra annum sed etiam infra sex menses promoveri potest ad sacros ordines et ad presbyteratum concludendo eundem instituti posse ad laudatam capellaniam, conditione adjecta, ut infra annum sed ad omnes sacros ordines promoveri curet.

Verba fundationis capellaniae, de qua nunc agitur, sunt ea, quae sequuntur: duas perpetuas (verba sunt sanctae mem. Clementis X., qui duas perpetuas capellanias in sua capella gentilitia existente in ecclesia s. Mariae supra Minervam instituit et fundavit) sine cura capellanias in praedicta capella nostra gentilitia pro duobus presbyteris futuris capellae gentilitiae quarum unam et alteram in singulis dominicis et aliis de praecepto ecclesiae festivis diebus, quilibet illorum, ita tamen, ut missarum celebrandarum sacrificium juxta mentem nostram *per capellanos ipsos applicetur, celebrare debeant et teneantur, apostolica auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.*

Supposito hoc verborum tenore pro Balthasaris capacitate et sic pro exclusione cujuscunque dispensationis facit, quod in terminis sacerdotii nedum a jure sed ab homine requisiti in beneficio sive in capellania recepta videtur esse propositio, quod illud non sit necessarium de tempore collationis sive praesentationis, sed sufficere, quod intra unius anni spatium valeat obtineri, *Gonzal. regul. 8. cancell. gloss. 5. num. 104. et 105*, fuse *Clericat. disc. 72. tit. de benefic. a num. 1. usque ad 11*, qui loquitur in terminis capellaniae, ad quam vocatus est sacerdos cum onere celebrandi missas, et illi auctores, qui qualitatem sacerdotalem exposcunt de tempre collationis seu praesentationis, nihilominus admittunt contrariam opinionem esse in praxi receptam, *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 5. n. 34.*, *Castill. controv. juris tom. 5. cap. 91. a num. 38. usque ad num. 51.*

E contra pro incapacitate Balthasaris et et sic pro necessitate dispensationis facit, quod, quando annexio sacerdotii est facta respectu actus, sacerdotium requiritur tempore collationis sive praesentationis, ad differentiam casus, in quo annexio sacerdotii facta sit respectu aptitudinis, in hac quippe facti specie satis est quod sacerdotium intra annum acquiri valeat.

Absque eo, quod de annexione sacerdotii respectu actus in hypothesi dubitari posse videatur, ea etenim semper adesse dicitur, quando fundator voluit, quod nominetur sacerdos vel quod beneficium seu capellania conferatur sacerdoti, uti late probat *Fagnan. in cap.: Ut Abbates a num. 37. usq. ad 60. de aetat. et qualitat.*, et in terminis beneficii, ad quod eligendus erat praesbyter, qui celebrare debebat missas omni hebdomada, quod qualitas sacerdotalis fuerit necessaria

de tempore praesentationis, firmavit *Rota decis. 248., decis. 263., decis. 278., decis. 312., decis. 353. et decis. 364. coram Emerix juniore:*

His stantibus dignabuntur EF. VV. decernere.

I. *An Balthasar institui valeat ad capellaniam, ad quam fuit praesentatus, non obstante, quod tempore praesentationis non esset sacerdos?*

Et quatenus negative,

II. *An eidem sit indulgenda dispensatio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Provisum in primo.

Die 4. Febr. 1719.

Barchinonen.

Jussit Joannes Llopis in testamentariis tabulis sub annum 1816 conditis simplex fundari beneficium sub titulo »Dolorum B. M. V. et s. Francisci de Paula« ad altare sub eadem invocatione in parochiali ss. Bartholomai et Theclae villae de Sitges erectum injunctoque illius rectori onere celebrandi quotidie missam in animae suae suorumque parentum suffragationem ac assignatis in dotem annuis libris 220 monetae Barchinonensis, quae sexaginta ducatos aureos de camera constituunt; in primum ejusdem beneficii rectorem nominavit Joannem Llopis Francisci consobrini sui filium, »quamvis die institutionis dictae capellaniae seu beneficii (sunt testatoris verba) sacro presbyteratus ordine insignitus non sit, quia cum illo hanc qualitatem, quam postea statuam concurrere debere cum caeteris obtentoribus, dispenso, volens, quod interim et donec sit presbyteratus sacro ordine insignitus ex redditibus dictae capellaniae seu beneficii centum librae monetae Barchinonae singulis annis eidem Joanni Llopis subministrentur pro victu et vestitu toto tempore, quo opus sit, et donec literis finem dederit, ex eisdem redditibus dictae capellaniae seu beneficii volo, quod subministretur eidem Joanni quantitas illa, quae opus fuerit ad alicujus facultatis majoris gradum obtinendum.«

Deinde reservato ejusdem beneficii patronatu favore praefati Francisci consobrini ejusque haeredum et successorum ab eo tum per masculinam tum per femineam lineam descendentium in haec verba mentem suam aperuit: »Item volo, quatenus deficiente dicto Joanne Llopis primodictae capellaniae seu beneficii obtentore a me vocato praesentare habeat alter ex descendentibus dicti Francisci Llopis patris mei chirurgi villae de Sitges, tam si ex linea masculina quam foeminea descenderint, qui tempore praesentationis sacerdos esse debeat, volens autem, quod primo loco praesentatus sit unus ex descendentibus dicti Francisci Llopis pharmacopolae villae de Sitges nepotis sive consobrini mei, qui qualitatem sacerdotalem habeat; quod si sacerdos descendens a dicto Francisco Llopis nepote meo non inveniatur, volo, quo praesentetur alter ex descendentibus dicti patris mei, qui relatam qualitatem sacerdotalem habeat; si vero sacerdos ex descendentibus dicti patris mei ad obtinendam dictam capellaniam seu beneficium non reperiatur, volo, quod praesentetur sacerdos aliquis, qui natus sit in villa de Sitges seu in parochia villae de Vendrell vel suffraganea s. Vincentii de Caldeas ad patroni electionem.«

Secuto testatoris obitu beneficium fuit sub annum 1718 Ordinarii authoritate erectum itidemque canonica institutione collatum supradicto clerico Joanni Llopis a fundatore praeelecto, qui postmodum anno nempe 1724 ad sacrum presbyteratus ordinem promotus illud usque ad diem 2. Januarii 1737, qua e vivis excessit, pacifice possedit; eo autem defuncto Franciscus Llopis ipsius pater ac beneficii patronus, ad consulendum summae rerum egestati, in qua se constitutum asserit, cum nullus actu sacerdos ex familia testatoris existeret, sub diem 27. Aprilis ejusdem anni 1737 ad beneficium ita vacans praesentavit clericum Emanuelem Llopis alterum ejus filium in aetate octodecim annorum constitutum sub spe obtinendi apostolicam dispensationem super defectu aetatis et respective ordinis sacerdotalis ad ejusdem beneficii assecutionem requisiti.

Animadvertens vero subinde idem Franciscus patronus, contingere posse, quod dispensatio praefata impetrari nequiret: »sine praejudicio dictae praesentationis et juris dicto Emanueli in vim ejusdem competentis, atque a dicta praesentatione non recedendo, sed cumulative variando, et casu, quo ipse

Emanuel praesentatus dictum beneficium ob dictam causam obtinere non possit, et utens jure sibi tanquam patrono laico competenti praesentavit et praesentare dixit casu praedicto, et non alias, personam Joannis Selva presbyteri naturalis parochiae de Sitges habilis et idonei ad dictum beneficium obtinendum« — juxta verba in instrumento novae praesentationis adjecta.

Neglexit Emanuel apostolicam dispensationem intra consuetum quadrimestris terminum impetrare, cumque pro ea novissime tantum supplicaverit, ejusdem precibus ab eminentissimo Prodatario ad hunc sacrum concessum remissis contradictorem se praebuit antedictus Joannes Selva, propugnans, sibi veluti praesentato in casu, quo ab Emanuele enuntiata dispensatio intra quadrimestre non obtineretur, controversi beneficii institutionem deberi, hisce potissimum fretus rationum momentis: primo nempe, quod nulla justa ac rationabilis concurrat causa, ob quam summus Pontifex trahi merito possit ad concessionem petitae gratiae, cui magnopere adversatur mens testatoris sacerdotalem qualitatem in rectore beneficii a se fundati enixe admodum exoptantis; secundo quia eadem dispensatio sero nimis ab Emanuele postuletur, utpote nedum post lapsum quadrimestris, imo vero tunc solum ejus fuerit instituta petitio, postquam ipse Joannes caepit coram Ordinario pro assequenda beneficii collatione urgere; et tertio demum, quod, cum ipse fuerit legitime a patrono praesentatus et ab eodem fundatore in casu, quo non extet sacerdos ex linea tam masculina quam feminea saepedicti Francisci, ad controversum beneficium passive vocatus jus inde sibi in hoc beneficio quaesitum nequaquam debeat pontificia dispensatione auferri.

Ad hujus controversiae decisionem videntur conferre posse adnotata in »*Cingulana Patrimonii sacri*« *5. Aprilis 1732*, et in »*Brixien. Dispensationis*« *1. et 15. Martii 1738.*

Iis itaque inspectis una cum juribus in utramque partem facile afferendis dignentur eminentissimi PP. sapienti quo solent oraculo pronunciare:

An sit signanda supplicatio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et amplius.

Die 5. Decbr. 1739 et 30. Jan. 1740.

Romana.

A capitulo Basilicae s. Mariae in Cosmedin nominatus fuit anno 1754. clericus Jacobus Mattejus ad beneficium in eadem Basilica erectum, quod etiam sacerdotale est, sed sacerdotium nunquam Mattheus suscepit. In causa fuit stomachi vitium, quo laborare caepit post nominationem. Pluries ex hac causa medicorum testificationibus comprobata indultum postulavit obtinuitque ab hoc sacro Tribunali. Cum nuper novum petiisset indultum, capitulum longioris morae pertaesum sese praestitit contradictorem. Re delata ad Eminentissimos Patres disputat nunc Matthejus concedendum esse novum indultum, quod nondum morbi causa cessaverit, ut medici testificationem faciunt, qui stomachum pristinae valetudini restitui posse sperant, sed opportuna anni tempestate, vere scilicet novo atque aestate, non acri hyeme.

Aegritudinem, quae post collatum beneficium occupet beneficiarium Canonicum, esse impedimentum, quo beneficiarius excusatur. Haec Matthejus. A capitulo nihil adhuc habuimus. Dubium est:

An sit locus novo indulto in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad sex menses absque spe ulterius prorogationis.

Die 10. Mart. 1759.

Parmen.

Ex fundatione Petri de Notariis erectum fuit in ecclesia cathedrali Parmensi anno 1479 beneficium perpetuum et patronale sub invocatione B. M. V. et ss. Bernardi et Georgii cum reservatione jurispatronatus favore agnatorum fundatoris et illis deficientibus favore Massariorum consortii ecclesiae majoris seu cathedralis, lege injuncta, ut in quacumque beneficii vacatione tenerentur infra quindecim dies »eligere, nominare, praesentare unum clericum aut subdiaconum aut etiam presbyterum de domo et progenie domus illorum de Notariis et de domo ipsius d. Petri potius, quam alium presbyterum, qui non sit de domo praedicta. Et Episcopus aut Vicarius teneatur et debeat ipsum clericum aut diaconum vel subdiaconum, habita tamen prius per ipsum praesentatum dispensatione superinde necessaria et opportuna, in ipso beneficio confirmare et instituere: et hoc

cum oneribus et gravaminibus missarum et divinorum officiorum in d. ecclesia jamdiu ordinatorum.« Et cum onere insuper, »quod beneficiatus supradictus perpetuus teneatur et obligatus sit facere singulo anno celebrari in ecclesia s. Thomae Parmensis unum anniversarium missarum decem«; sunt verba decreti erectionis, quod interposuit Vicarius generalis, in eo ulterius declarans, quod beneficium ipsum perpetuo patronale atque sacerdotale sit iisdemque honoribus et oneribus affectum, quae incumbunt beneficiatis d. ecclesiae: nec discordant verba fundationis.

Sequuta nuper hujus beneficii vacatione Massarii, ad quos devolutum est juspatronatus, intra legitima tempora die 12. Decembris superioris anni praesentarunt Alexandrum Bertoni clericum tonsuratum Parmen., quatenus tamen intra debitum tempus in fundatione statutum et praescriptum capax reddatur per dispensationem apostolicam, attenta qualitate sacerdotali praedicta, sin minus et subordinate atque in subsidium M. R. D. Jo. Bapt. Pedana sacerdotem Parmen. atque idoneum, ut dixerunt, ad illud obtinendum, ambos hic praesentes et hujusmodi praesentationem sic ut supra factam acceptantes, ut legitur in instrumento praesentationis coram Vicario generali stipulato.

Non distulit Alexander Bertoni, qui natus die 16. Octobris 1740 annum agit decimum nonum, dispensationem exposcere a s. Sede super defectu aetatis ad presbyteratus ordinem obtinendum, cum obligatione sacros ordines suscipiendi, cum primum ad legitimam aetatem pervenerit, et die 27. mensis Decembris docuit in curia episcopali supplicationem ea de re fuisse in Dataria porrectam; sed contradicente Joanne Baptista Pedana supplicatio remissa est ad hanc sacram Congregationem, a qua de more auditus fuit Episcopus isque retulit, defectum aetatis dumtaxat obstare clerico Bertoni eumque a biennio operam cum plausu navare theologiae scholasticae et a foemina ejusdem nominis de *Notariis* descendere: sacerdotem autem Pedana longum extollere servitium praestitum ecclesiae divi Petri, cujus choro est addictus. Causa nunc proponitur et disserit Bertonus, dispensationem aetatis pro beneficio sacerdotali non raro indulgeri ab hac sacra Congregatione, ut in *Civitatis Plebis Capellaniae 25. Januarii 1681. lib. 3. Decret. pag. 331.* et in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749. lib. 99. Decr. p. 207.*; illamque controverti non posse a Pedana, qui nominationem subsidiariam acceptavit in eventum non impetratae dispensationis a Bertoni, itaut impedire nequeat acceptatae conditionis purificationem, ad tradita per *Piton. discept. eccl. 13. n. 42.* et consonant rescripta hujus sacrae Congregationis edita in *Barchinonen.**) *Dispensationis 30. Janarii 1740. lib. 90. decret. pag. 40.*, et in *Cremonen. Dispensationis 4. Martii 1758. lib. 108. decr. pag. 99.*, quibus concessa fuit dispensatio aetatis non obstante oppositione alterius praesentati sub eadem conditione, quatenus primus non obtinuisset dispensationem.

Potissimum satis non liquet de qualitate sacerdotali beneficii, cum non fuerit beneficiato onus impositum celebrandi per seipsum, imo edixit fundator »quod d. beneficiatus teneatur et debeat singulo anno celebrari facere unum anniversarium missarum decem pro anima etc.« et nonnisi cum dictione forsan eadem qualitas fuerit expressa in supplicatione SSmo porrecta.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.:

An sit signanda supplicatio in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative.

Die 7. Junii 1760.

Calaguritana.

Maria Magdalena de Algori, ut piam exequeretur voluntatem Joannis de Algorri sui genitoris, die 16. Martii 1754 fundavit in parochiali ecclesia oppidi de Miravalles Calaguritanae dioecesis perpetuam capellaniam jurispatronatus laicalis, cujus possessori onus injunxit celebrandi qualibet hebdomada unam missam in suffragium animarum testatoris ejusque consanguineorum, certis signanter quibusdam statutis diebus, et excipiendi in quatuor anni designatis festis sacramentales fidelium confessiones aut per se aut per substitutum, quatenus non esset idoneus; ejusdemque capellaniae vacationem indixit postquam capelanus perventus ad trigesimum aetatis annum sacros ordines, ad trigesimum secundum vero presbyteratum non suscepisset.

*) Vd. *supra p. 239.*

Juspatronatus autem sibi suisque descendentibus reservavit, cum nonnullis substitutionibus, quae ad rem pertinent; et, nominato in primum capellanum Joanne Ludovico Ibera suo ex sorore nepote, post illius deficientiam nominari voluit ad capellaniam quemlibet de cognatione sui genitoris »ancorchè non abbia la prima tonsura, acciochè dalla curia ecclesiastica li si spedisca l'aggiudicazione, e dopo conseguita la prima tonsura, la collazione, e canonica istituzione.«

Ad praefatam capellaniam nuper vacatam per liberam illius dimissionem factam a Joanne Ludovico Iberra eadem Maria Magdalena de Algorri fundatrix die prima Julii superioris anni nominavit Josephum Aloysium Raymundum Larrea filium suum, qui natus die 25. Martii 1757 quartum tunc agebat aetatis annum; et in instrumento praesentationis declaravit, suam fuisse voluntatem in fundatione, quod sui descendentes praesentari possent etiam in tenera aetate quodque capellani ante susceptum presbyteratus ordinem amplius non tenerentur per substitutum excipere sacramentales confessiones, ob sequutam quorumdam capitalium pro dote assignatorum evictionem.

Nomine igitur ejusdem Aloysii praesentati oblatae fuerunt Sanctissimo Domino Nostro preces pro dispensatione super defectu aetatis et pro ejusdem capellaniae collatione, postquam tamen orator septimum suae aetatis annum compleverit et clericali charactere rite insignitus fuerit, adimpletis interea capellaniae oneribus per substitutum, et residualibus illius fructibus erogatis in causam illius subventionis et subsidii. Preces per Datariam remissae fuerunt ad hanc sacram Congregationem; et datis de more literis ad Episcopum illius jussu Vicarius generalis rescripsit, publicata fuisse consueta edicta nullumque contradictorem comparuisse in curia episcopali ad petendam capellaniam, quare arbitratur, nulli praejudicium esse allaturam petitam oratoris dispensationem.

Orator autem defendit, dispensationem indulgendam esse ex lege fundationis, qua vocantur seculares nondum initiati clericali tonsura atque illum ex indulgentia sanctae Sedis numquam consuevisse denegari descendentibus a sanguine fundatoris et patronorum, seposito tertii praejudicio, juxta exempla relata in folio causae *Neritonen. Abbatiae 19. Aprilis et 22. Novembris* superioris anni et rescriptum sacrae Congregationis in eadem causa editum favore pueri quinquennis.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere: *An sit signanda supplicatio in casu?*

S. C. C resp.:

Affirmative.

Die 8. Aug. 1761.

Anconitana.

Jo. Baptista Mainardi de Castro Pulverisii Anconitanae dioecesis in testamento, quod condidit anno 1669., fundari jussit perpetuam capellaniam ad altare et in ecclesia s. Catharinae ejusdem Castri, onere injuncto capellanis celebrandi singulis hebdomadis binas missas defunctorum ac ternas post obitum suae uxoris et cessatum usumfructum eidem relictum. In primum capellanum ipse elegit Valerium Salvati Auximanum; jus autem nominandi futuros capellanos reliquit plebano atque societati sanctissimi Rosarii ejusdem castri »a condizione espressa, et individua però (sunt verba testamenti) che debbano, e siano obligati eleggere, presentare, e nominare quello, che vi sarà della mia casa Mainardi in primo luogo, ed anteposto ad ogni altro: ed in mancanza di quelli della mia casa, che possano eleggere, come sopra, quello che più a loro parerà, e piacerà, e non altrimenti, nè in altro modo.«

Erecta fuit capellania ab Ordinario et collata presbytero Valerio Salvati juxta dispositionem pii testatoris. Post Salvati obitum illam obtinuerunt primum sacerdos Cyprianus Senili, deinde sacerdos Dominicus Mainardi nominati a plebano et societatis patronis. Decessit Dominicus Mainardi die 6. praeteriti mensis Januarii et confraternitas sanctissimi Rosarii die 31. ejusdem mensis atque plebanus die prima Februarii nominarunt ad assequutionem ejusdem capellaniae clericum Aloysium Mainardi tredecim annos natum, sub conditione tamen impetrandi infra duos menses apostolicam dispensationem super defectu aetatis. Preces obtulit patronis etiam sacerdos Julius Giampedi Magdalenae Mainardi filius, sed rejectus a confraternitate nominatus fuit a solo plebajano, subsidiarie tamen et in eventum, quod apostolicam dispensationem Aloysius Mainardi statuto tempore non obtinuisset.

Adjectae conditioni se opposuit Julius Giampedi et in curia episcopali Anconitana protestatus est, Aloysium Mainardi, etsi de genere vocatorum inhabilem esse ratione aetatis sibique uni jus quaesitum fuisse tempore vacationis, tamquam idoneo et per feminam descendenti a domo fundatoris. Aloysius autem jure agnationis et patronorum fretus nominatione supplicavit Sanctissimo pro collatione capellaniae, cum dispensatione aetatis; supplicavit et Julius Giampedi uti descendens a domo vocata petiitque pariter de capellania provideri Sanctissimus utramque signavit supplicationem et eminentissimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius votum hujus sacrae Congregationis exquisivit, utra supplicatio foret relaxanda.

Post auditum de more Episcopum causa nunc proponitur. Et disputat Julius Giampedi, vocationem descendentium de familia, praesertim in materia indifferenti jurispatronatus haud directa ad conservationem rigorosae agnationis, comprehendere etiam cognatos, qui a familia revera descendunt: et cognomen Mainardi, cum sit adjectum non personis nominandis sed familiae, potius demonstrare vocatorum originem quam veram agnationem eorundem, ut dixit *Rota in Auximana Jurispatronatus 9. Martii 1703.* §: *Non obstante.* et §: *Quo vero, coram Muto,* et in proximis terminis vocationis presbyterorum »della casa, o Ceppo di Chiaranti,« definitum fuit in *Interamnen. Jurispatronatus 22. Martii 1706. coram Scotto*, relata per *Piton. de controv. Patron. alleg. 75. num. 12. et seq.*

Et vocationem cognatorum duplici argumento suaderi arbitratur; primum quia fundator vocavit *quello, che vi sarà della mia casa*, non autem *nella mia casa*, et ideo respexisse videtur ad originem potius quam ad veram agnationem, ut distinguendo inter utramque dictionem firmat *Rot. in decis. 56. num. 13. de Jurepatron. coram Falconer.*; secundo, quia post illos de domo immediate vocantur extranei, his verbis: *Et in mancanza di quelli della mia casa, che possano eleggere, come sopra, quello che più a loro parerà e piacerà*, quare cognatos collocandos esse putat in prima sede vocationis, ne postpositi videantur extraneis, ut ponderat *Rota in dicta Interamnen.* apud *Piton. de controv. patron. allegat 75. num. 6.*

Praeterea disserit, capellaniam a Joanne Baptista Mainardi fundatam sacerdotalem esse, cum onus celebrandi missas directe fuerit impositum capellanis et ipse fundator atque patroni semper nominaverint sacerdotem, quae observantia plurimi penditur a *Card. de Luca de Benefic. disc. 21. num. 13.* et a *Piton. de controv. patronor. allegat. 33. num. 16.* Quocirca contendit, suam relaxandam esse supplicationem, quia in cognatorum vocatione comprehenditur actuque sacerdos erat tempore vacationis, et ideo sibi tanquam unice qualificato jus quaesitum asserit ex oppositione facta coram Ordinario, quae praesentationi aequipollet, ut tradit *Piton. de controv. patron. allegat. 33. num. 7. et allegat. 85. num. 2. et 3.*; atque censet, non esse relaxandam supplicationem Aloysii Mainardi cum aetatis dispensatione, quae nunquam conceditur in praejudicium juris quaesiti alteri de genere vacatorum, ut firmant *Piton. de controv. dicta allegat. 25. num. 12.* et *Rota cor. Molin. tom. 4. decis. 1124. num. 24.*; praesertim quia idem Aloysius, ut pergit Giampedi, romotiori gradu distat a fundatore, literarum ignarus est, adeo ut difficillime recitare valeat officium divinum et capellaniae resignationem ambitiose procuravit ante obitum ultimi possessoris, et ideo haud praeferendus videtur sacerdoti proximiori.

Sed Aloysius Mainardi negat, Giampedum vocatum esse aut jus quaesitum habere ad controversam capellaniam, quia non descendentes de familia, non presbyteri de Cippo vocati fuerunt, ut erant casus decisionum in *Auximana* et in *Interamnen.* superius allegatarum, sed vocatur *quello, che vi sarà della mia casa Mainardi*, quibus verbis soli agnati comprehenduntur, ut in interpretando supradictas decisiones firmat *Rota in decis. 56. num. 12. et sequ. de Jurepatr. coram Falconer.* et in *Hydruntina Beneficii 25. Junii 1756. et 21. Januarii 1757. utrobique § 5. coram R. P. D. Olivatio.* Res est praeterea de vocatione haud directa sed collata in arbitrium patronorum, quibus datum est onus *di eleggere, presentare, e nominare quello, che vi sarà della casa Mainardi*; quocirca defendit Aloysius, nulli de genere vocatorum jus quaesitum dici posse, cum valeant patroni praesentare, quem maluerint, etiam inhabilem, dummodo fiat habilis ante

institutionem, ut firmant *Card. de Luca de Jurepatron. disc. 45. num. 7., Piton. de controv. patron. allegat. 1. num. 23.* et *Rota in Hortana Beneficii 1. Junii 1708. §: Hinc, coram Priolo.*

Et licet praedicta regula soleat limitari, quando fundator praescripsit certas qualitates verificandas de tempore, attamen Aloysius opinatur nullum qualitatem in praesentandis requisitam fuisse a controversae capellaniae fundatore, cum neque clericum neque presbyterum ille vocaverit, sed *quello* simpliciter, *che vi sarà della mia casa Mainardi.* Neque censet, qualitatem sacerdotalem erui posse ex onere capellanis injuncto celebrandi missas aut ex praesentatione sacerdotum a fundatore et patronis facta, quia onus celebrandi missas, nisi ex lege fundationis adimplendum sit a capellano per se ipsum, non inducit qualitatem sacerdotalem, *Lap. alleg. 35.* et *Rota coram Merlin. decis. 825. num. 4.* et *coram Falconer. de Jurepatron. decis. 7. num. 4.* et in *Piscien. Beneficii 25. Junii 1753. § 6. coram bon. mem. Amadeo*; observantia vero, cum praecesserit ex libera voluntate patronorum, in exemplum adduci non potest, ad firmata per *Rotam in Majoricen Beneficii 24. Aprilis 1781 §: Quamvis* et *3. Julii ejusdem anni §: Denique, coram bon. mem. Canilliac.*

Cum itaque nulla requiratur certa qualitas ex fundatione et patroni nominaverint Aloysium Mainardi, procul dubio de genere vocatorum, sub conditione obtinendi dispensationem apostolicam super defectu aetatis, autumat idem Mainardus, suam relaxandam esse supplicationem, quia dicta dispensatio facillime indulgetur descendentibus a sanguine fundatoris, nec impugnari valet ab eo, qui patronorum praesentatione destitutus est, ut censuit haec sacra Congregatio in *Balneoregien. Dispensationis 21. Junii 1760. lib. 110. decret. p. 271.* et in *Tridentina Capellaniae 29. Augusti superioris anni.*

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere:

An et quae supplicatio sit relaxanda in casu?

S. C. resp.

Relaxandam esse supplicationem Aloysii et amplius.

Die 12. Junii 1762.

Faventina.

Testamento, quod condidit anno 1709. Julius Severoli, praecepit, ut in parochiali ecclesia s. Bernardi civitatis Faventiae, ad altare s. Bernardi ecclesiasticum erigeretur beneficium sub invocatione s. Antonii Patavini cum onere missae quotidianae; et juspatronatus ejusdem reliquit genti Cariariae adjecta lege praesentandi in futuris vacationibus, »*primo loco* (sunt verba testamenti) clericum suae familiae de Cariariis, quatenus adsit: sin minus secundo loco clericum ex aliqua familia de Severolis hujus civitatis; et si in dictis familiis de Cariariis et D. D. Severolis nullus clericus adsit nec ullus, qui intra tempus a jure concessum ad praesentandum clericari possit, tunc et eo casu voluit« esse locum sortitioni inter clericos civitatis Faventiae certo modo faciendae: declaratione apposita, quod sub nomine clericorum ex familiis de Cariariis et de Severolis presbyteri etiam comprehenderentur, secus autem, ubi ageretur de clericis Faventinis sorte extrahendis.

Beneficium praedictum, juxta voluntatem pii fundatoris erectum, vacavit die 17. mensis Augusti superioris anni. Et Valerius Marradi haeres gentis Cariariae illiusque patronus die 14. Decembris ejusdem anni praesentavit in curia episcopali Faventina Ludovicum Severoli puerum sexennem sub conditione impetrandi dispensationem apostolicam et in subsidium, quatenus a Ludovico dispensatio non impetraretur, nominavit Archidiaconum Alexandrum Severoli.

Praesentationem admisit Vicarius generalis cum termino novem dierum interesse habentibus praefinito ad apparendum; sed in statuto termino nullam Archidiaconus vel quivis alius dedit oppositionem. Ludovicus itaque vigore obtentae praesentationis supplicavit in Dataria die 23. Decembris pro collatione beneficii cum dispensatione aetatis ad effectum illud canonice assequendi post completum septennium et interea percipiendi fructus in propriam subventionem et subsidium.

Annuit Sanctissimus porrectamque Ludovici supplicationem signavit die 20. Januarii praeteriti. Tunc primum experrectus Archidiaconus Alexander Severoli obstitit relaxationi supplicationis; et ne ipse videretur omni jure destitutus, suam porrexit supplicationem die 25. ejusdem mensis Januarii, qua beneficium postulabat, uti qualificatus ex lege fundationis et a patrono infra le-

gitima tempora praesentatus. Ejus supplicatio nondum signata est, sed hanc sacram Congregationem consuluit eminentissimus Dominus Cardinalis Prodatarius, ut ab ea expenderetur, utra supplicatio foret relaxanda.

Episcopus de more auditus votum suum non aperuit. Et Archidiaconus Alexander Severoli disputat suam relaxandam esse supplicationem, cum ipse uti qualificatus ex lege fundationis habeat jus quaesitum ex oppositione jam facta in Dataria, ad tradita per *Rotam in Vicen. Rectoriae 7. Decembris 1759. § 8. coram R. P. D. Azpuru.* Nec in praejudicium juris ipsi quaesiti concedendam esse contendit dispensationem puero incapaci, tum quia obstat aequitatis ratio non laedendi jura tertio quaesita, ut firmat *Rota* coram Sanctissimo *decis. 308. num. 18.* et in *Auximana Jurispatronatus 8. Martii 1720. §: Quin ad evadendam, coram Marimon.* et in *Comen Jurispatronatus 24. Junii 1744. § 8. cor. bo. me. de Vais*, tum etiam quia purificata est conditio suae nominationis factae in eventum non impetratae dispensationis a Ludovico, cum is elapso vocationis quadrimestre a die 17. Decembris dispensationem impetravit solum die 21. Januarii, licet illam impetrare debuisset intra tempus datum ad praesentandum, ut monent *Corrad. in prax. benefic. lib. 4. cap. 6. num. 24., Piton. discept. eccles. 24. num. 40* et *de controv. patron. allegat. 81. num. 4.* et *Rota in Majoricen Beneficii 23. Aprilis 1742 et § 19. coram clar. mem. Card. Millino* et in *Oxomen Capellaniae 29. Aprilis 1748. § fin. coram bon, mem. Vicecomite*, inspecta potissimum fundationis lege, qua ad beneficii assecutionem vocantur ii solum, qui intra tempus ad praesentandum praefinitum clericali charactere initiari possunt, atque attento concursu aliorum habilium de genere vocatorum, quorum mentio surreptitie omissa praetenditur in supplicatione Ludovici.

Sed excipitur nomine Ludovici nullum jus quaesitum fuisse Archidiacono Alexandro Severoli ex passiva vocatione, quia nec vocatio personarum contemplatarum directa est et immediata sed pendet a patroni praesentatione, sine qua nemo de genere vocatorum dicitur habere jus certum, *Piton. de controv. patron. allegat. 1. num. 4. et 5.* et *allegat. 7. num. 8. et 14*, nec vocatae sunt personae certis qualitatibus praeditae, imo nec qualitas clericalis actu requiritur, cum fundator vocaverit ex familiis contemplatis clericum vel eum, *qui intra tempus a jure concessum ad praesentandum clericari possit;* et ideo subditur valere patronum posthabito clerico vel presbytero idoneo laicum praesentare, qui ante institutionem fiat habilis jure ordinario vel per dispensationem, ut notant *Card. de Luca de Jurepatron. discept. 70. num. et 17., Piton. de controv. patron. allegat. 100. num. 39. et 329.* et *Rota in Leodien. Canonicatus 29. Maji 1756. § 6. cor. Illmo D. Stadion.*

Minusque jus aliquod acquisivisse Archidiaconum contenditur vigore suae praesentationis, quia est allegata conditio: quatenus dispensatio non impetraretur a Ludovico, ita ut dispensatione per Ludovicum impetrata evanuerit praesentatio Archidiaconi et ipse nequeat illius relaxationi se opponere, ut tradit *Piton. disceptat. eccles. 13. num. 42* et censuit haec sacra Congregatio in *Parmen. Dispensationis 7. Junii et 2. Augusti 1760. lib. 110. decret. p. 239. et 341.*

Nec obstare disseritur, quod dispensatio fuerit obtenta post elapsum quadrimestre; quia nec prius impetrari poterat ob praesentationem factam triduo ante finem quadrimestris, nec ullus idoneus de genere vocatorum interea comparuerat vel in termino novem dierum per Vicarium generalem praefinito ad opponendum vel ante dispensationem a Ludovico obtentam per signaturam supplicationis; quo casu superventam re integra dispensationem ad tempus habile retrotrahi dixit *Rota in decis. 147. num. 7. et 8. coram clar. mem. Card. Tanara*, et censuit haec sacra Congregatio in *Barchinonen.**) *Dispensationis 5. Decembris 1739. lib. 89. decret. p. 374. et 30. Januarii 1740. lib. 90. decret. pag. 40.*

Propterea defenditur relaxandam esse supplicationem Ludovici cum dispensatione aetatis, quae exorbitans non est, sed regulariter conceditur pueris, septennio etiam minoribus de familia fundatorum vel patronorum, quoties non est alteri jus quaesitum, ut censuit haec sacra Congregatio in *Neritonen. Abbatiae 22. Novembris 1760. lib.*

*) Vd. *supra p. 239.*

100. decret. pag. 466. in Calaguritana) Dispensationis 8. Augusti* et in *Tridentina Capellaniae 29. Augusti superioris anni,* maxime quia archidiaconus contradictor, cujus archidiaconatus non exiguos habet redditus centum viginti ducatorum auri de camera, dispensatione et ipse indigeret pro retentione secundi beneficii vetita a sacro Concilio Tridentino in *sess. 24. cap. 71. de reformat.* Nulliusque ponderis asseritur opposita subreptio, quia narranda non erat existentia aliorum certum jus quaesitum non habentium; imo subreptionis exceptionem potius retorqueri contra Archidiaconum, qui reticuit subsidiariam esse suam praesentationem, et inutiliter proposuit suae familiae paupertatem.

Dignabuntur EE. VV. decernere:

An et quae supplicatio sit relaxanda in casu?

S. C. resp.:

Esse relaxandam supplicationem Ludovici.

Die 3. Julii 1762.

Cremonen.

Ludovicus Vincimala, priusquam in familia s. Francisci Cappuccinorum, cui nomen dederat, solemnem emitteret professionem, anno 1643 condidit testamentum, quo pluribus suis collatis bonis erigi jussit beneficium ecclesiasticum perpetuum seu capellaniam perpetuam in titulum sub invocatione ac ad altare divi Barnabae construendum in parochiali ecclesia ss. Faustini et Jovitae loci Castelleti seu Castri Ponzonorum dioecesis Cremonensis ejusque patronatum contulit in suum haeredem Vincentium Vincimala ejusque filios et descendentes masculos in infinitum, ita tamen, ut unus tantum nimirum aetate major de familia tempore vacationis existens teneatur nominare capellanum, qui sit actu sacerdos et ad sacerdotii ordinem promotus ac bonorum morum et timoratae conscientiae teneaturque singulis diebus missam celebrare ad dictum altare.

Per obitum Alexandri Manara nuper vacato dicto beneficio unicus illius patronus prorsus ignorans qualitatem ejusdem beneficii ad illud assequendum nominavit praesentavitque Vincentium Vincimala filium suum annorum quatuor sub spe obtinendae dispensationis a sancta Sede apostolica dumtaxat super aetatis defectu, quam obtinuit. Verum cum ex fundationis tabulis exhibitis pro executione gratiae compertum fuisset beneficium praeseferre qualitatem sacerdotalem literarum apostolicarum expeditione reticitam, oportuit idcirco novam exquirere provisionem a Dataria apostolica cum dispensatione quoque super qualitate sacerdotali supradicti beneficii.

Hanc novam supplicationem Emus Pro-Datarius commisit judicio sacrae hujus Congregationis urgetque proinde Vincentius orator, sibi deberi beneficium seu capellaniam, de qua agitur, tamquam de familia fundatoris ac tamquam filio patroni, sua non obstante infantili aetate, cujus veniam apostolica Sedes ex aequitate, cujus cultrix est, facile impertitur iis, qui de sanguine sunt, veluti testatur *Vivian. de jurepatr. lib. 6. cap. 6. num. 9., Corrad. in prax. benef. lib. 4. cap. 9. num 10. vers. Pariter, Piton. discept. eccles. 13. num. 42. in fin.* et saepissime respondit hoc sacrum Tribunal et in specie in *Collen.*) Capellaniae 12. Decembris 1716. et 24. Aprilis 1717., in Cathacen. Dispensationis 1. et 15. Martii ejusdem anni.*

Nec quidquam obesse tuetur, quod beneficium adnexam habeat qualitatem sacerdotalem ex mente fundatoris, dum voluit, beneficium actu sacerdotalem esse, beneficiatum vero teneri ad quotidianum missae celebrationem, quoniam, cum deficiat onus celebrandi per se ipsum, nunquam beneficium dicatur sacerdotale, utcumque voluerit fundator nominandum esse actu sacerdotem et ad ordinem sacerdotii promotum ex traditis per *Ursagam discept. eccles. part. I. discept. 4. num 14. et seq., Garz. de benef. part. 7. cap. I. num. 47., Rot. in recent. decis 184. num. 11. et seq. part. 12. coram Merlin., decis. 825. num. 8. et in Tridentina Beneficii 26. Januarii et 4. Junii 1759. coram bo. mem. Ubaldo.*

Illa vero testatoris voluntas, quod scilicet capellanus sit actu sacerdos, stare censeatur potius *demonstrative* ad indicandam qualitatem oneris per alium etiam implendi, quam dispositive ad indicandam qualitatem personae nominandae, quemadmodum exemplum habetur in Alexandro et Horatio fratribus Vincimala Vincentii propatruis, qui nullum ordinem sacrum habentes beneficium obtinuerunt, praevia dispensatione super qualitate sacerdotali reportata, nimirum Alexander à sa.

*) Vd. *p. 241.*

*) Vd. *supra p. 237.*

mem. Clementis XI. sub datum Non. Kalend. Octobris anni 1712 et Horatius à sa. me. Innocentii XIII. sub datum tertio Idus Junii 1722.

Episcopus de more auditus annuit petitae dispensationi, ut Vincentii pater, qui subventione indiget, infantem filium ad literarum studia valeat educare »nam statum suae nobilis familiae, natorum multiplicitas, non levia infortunia et bonorum inter fratres divisiones illum notabiliter deteriorem effecerunt.«

Et revera hisce vel earum altera concurrentibus causis sacra Congregatio dispensationem aetatis etiam pro beneficio ecclesiastico non raro indulsit, ut in *Civitatis Plebis Capellaniae 15. Januarii 1681. lib. 3. decret. pag. 331.,* in *Parmen.*) Dispensationis 7. Junii 1760.,* in *Neritonen. Abbatiae 22. Novembris 1760.,* in *Tridentina Capellaniae 29. Augusti 1716.* et in specie de puero bienno in *Melevitana 12. Februarii 1735.* et in *Asculana Capellaniarum super dispensatione 22. Augusti 1750.,* de puero trimo in *Aretina 16. Decembris 1747.,* de puero quadrimo, ut in casu, in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749.;* de puero quinquenni in *Monasterien seu Osnabrugen. Canonicatuum 7. Aprilis et 21. Julii 1753.,* de puero sexenni in *Civitatis Castelli 1. Martii 1766.* ac demum de puero in decimo quarto suae aetatis anno constituto in *Cornetana proposita die 6. Maji et resoluta die 17. Junii labentis anni 1775.*

His positis dignabuntur EE. VV. decernere:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:

Affirmative usquedum ad legitimam aetatem pervenerit, adimpletis oneribus, et amplius.

Die 2. Decbr. 1775 et 20. Jan. 1776.

Auximana.

Lavinia Manzoni Auximanae civitatis in ejus ultimo, sub quo decessit, testamento condito de anno 1700 duo in Auximana cathedrali ecclesia erigi jussit simplicia beneficia mansionarias nuncupata, unum scilicet sub invocatione s. Franzisci de Paula alterumque sub invocatione s. Dominici, quae esse voluit de jurepatronatus laicorum illorumque primum quoad patronatum activum et passivum reliquit certis praescriptisque suis consanguineis. Ad secundum vero beneficium ipsa testatrix nominavit sacerdotem et parochum Bartholomaeum Manzoni ejus ex fratre nepotem et si ipse nominationem respueret, nominavit Joannem Manzoni alterum ejus nepotem et mox dicti Bartholomaei germanum fratrem, onere adjecto tria celebrandi Sacra qualibet hebdomada necnon interessendi choro supradictae cathedralis ecclesiae; et quatenus idem Joannes secundo nominatus: *non fosse in età del sacerdozio attuale, allora dispone, e vuole, che sia tenuto far sodisfare il peso delle sudette messe da altri sacerdoti per fino al tempo del suo sacerdozio, e che però sia obligato all' assistenze come sopra.*

Jus autem nominandi beneficiatum post obitum eorum, quos testatrix ipsa nominaverat, esse voluit in perpetuum *a beneplacito* Nicolai Manzoni pariter ejusdem testatricis nepotis germanique fratris dictorum Bartholomaei et Joannis ejusque descendentium in infinitum. Praecepit tamen, quod si: *nella discendenza del sudetto Nicola non vi fosse, o fossero figli abili a detto beneficio, o juspatronato, vuole, che sia obligato il sudetto Nicola nominare uno dè figli da nascere da detta Anna Maria Noni Zitella, e quando non vi fosse discendenza della sopradetta Anna Maria, vuole, che sia obligato, e tenuto nominare uno dè figli da nascere da Donna Madalena Manzoni Zitella sorella di detto sign. D. Bartolomeo, e che li sopradetti in futurum da nominarsi siano, ed esser debbano obligati in tutto, e per tutto sodisfare i Pesi sopradetti, come i primi nominati.*

Nuperrime sub die 9. Junii superioris anni 1776 vacavit hoc secundum beneficium per obitum sacerdotis Dominici Manzoni ultimi illius prossessoris, qui Joanni ab ipsa testatrice nominato in beneficio successerat.

Hinc Angelus et Lavinia frater et soror Manzoni hodierni illius patroni sub spe obtinendae apostolicae dispensationis ad vacans beneficium nominarunt Franziscum Nicolaum Manzoni Angeli filium et respective Laviniae nepotem constitutum in aetate septem annorum et clericali tonsura nondum insignitum. Ast in contradictorem invenit subdiaconum Josephum Amboni praefatae Magda-

*) Vd. *supra p. 240.*

lenae nepotem authumantem, se unicum esse ad assequendum beneficium qualificatum ex dictis tribus contemplatis familiis, quibus fuerat passivum juspatronatus relictum illudque propterea sibi deberi praelative ad Franziscum Nicolaum Manzoni propter aetatem penitus incapacem.

Uterque supplicationem porrexit in Dataria apostolica, Manzonus scilicet super dispensatione aetatis, qua sub conditione fuerat a patronis nominatus: Ambonus vero pro obtinendo beneficio tamquam passive vocatus, et magis idoneus. Eminentissimus Pro-Datarius utramquae supplicationem pro exquirendo voto ad hanc sacram Congregationem ablegavit. Auditus de more fuit eminentissimus Auximanus Antistes, qui retulit, Manzonum interea fuisse prima tonsura initiatum, suamque ejus animi sententiam aperiens censuit: *Nunc dandum esse cathedrali ecclesiae sufficientibus ministris non satis provisae virum ecclesiasticum, qui ad instar aliorum mansionariorum eidem inserviat juxta votum ipsiusmet fundatricis, et secundum constitutiones synodales, 'et praesertim clar. mem. Card. Spadae mei Antecessoris, habeat onus canendi missas aliquibus diebus et in aliis subdiaconi et diaconi munus obeundi per se ipsum. Hoc quippe a puero septem annorum, quališ est Franziscus Nicolaus Manzoni, obtineri nequit.*

Quilibet ex collitigantibus suam esse signandam supplicationem propugnat, et a quolibet jura sua circumferuntur.

Duo esse videntur in causa praecipue ponderanda.

Primum: utrum onus impositum a testatrice Nicolao Manzoni nominandi unum ex filiis Annae Mariae Noni et subinde Magdalenae Manzoni protendatur etiam ad ulteriores patronos, ita ut hodierni beneficii patroni unum ex filiis dictarum feminarum nominare compellantur. Et *alterum*: utrum sub nomine filiorum comprehendantur nepotes, ita ut Ambonus tamquam Magalenae nepos *passivum* juspatronatus sibi possit adscribere.

Quoad primum: *Sacrae Rotae* tribunal firmavit, onus impositum primo vocato tamquam *personalissimum* ad successores in *activo* patronatu repetitum non censeri, ut videre est in *decis. 95. num. 1. part. 16. Recent.*

Ad alterum vero quod attinet: Licet sub nomine filiorum veniant nepotes juxta censuram *textus in Leg. Justa 201.* et *L. Liberorum 220. § I. ff. de verbor. signific.*, et e converso nepotes non comprehendi sub filiorum appellatione sanciverit *textus in L. Quod. si nepotes 6. ff. de testam. tutel. et in §. final. Instit. Qui testament. tustor. dar. poss.*, attamen ad utramque conciliandam juris communis dispositionem subintrare videtur distinctio, quod si res est de dispensatione *ascendentis*, et eo casu procedit *dicta lex: Justa et lex: Liberorum* praescribens nepotum comprehensionem sub nomine filiorum. At vero si agitur de dispositione *tranversalis*, in qua praesens versatur controversia, et tunc locum obtinet *citata Lex Quod si nepotes, et § final. Instit.* nepotes excludens sub filiorum appellatione.

Ponderandum itidem est, Manzonum esse de genere patronorum et de familia et agnatione fundatricis. Super dispensatione aetatis, quam ipse postulat, necnon super qualitate beneficii ad rem ut plurimum facit *folium extensum in causa Cornetana distributum* pro Congregatione *diei 6. Maji 1775.* necnon alterum folium in causa *Cremonen*). Dispensationis diei 2. Decembris 1775.* et in *utraque* causa cum fuerit propositum dubium:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu? responsum fuit in Congregatione *diei 17. Junii 1775.* quoad causam *Cornetanam* et *die 20. Januarii 1776.* quoad causam *Cremonen. Dispensationis: Affirmative usquedum ad legitimam aetatem pervenerit, adimpletis oneribus, et amplius.*

Unum est controversiae caput:

An et quae supplicatio sit signanda in casu?

S. C. resp.

Signandam esse supplicationem Franzisci Nicolai Manzoni eique competere dispensationem usquedum ad legitimam aetatem pervenerit, adimpletis oneribus.

Die 5. et 19. Julii 1777.

Beneventana.

Pia mulier Cassandra Jansito de Martino Beneventana testamentum condidit anno 1743., quo jussit, genuinas erigendas esse capellanias cum onere missae quotidianae ad altare Montis Mortuarum situm in ecclesia Jesus, ad quarum primam, quam esse voluit annui redditus ducatorum nonaginta, in capellanum nominavit sacerdotem Ignatium Pallante eoque defuncto »*quel sacerdote, che vi sarà*

*) Vd. *supra p. 246.*

della Famiglia di detto signor Don Ignazio e del signor Bernardo suo fratello, e quando non ve ne fosse, debbano nominare altro i governatori di detto Monte, ma ritornando ad esservi sacerdote, debbano sempre questi preferirsi, percha cosi l'istituisco, e fondo.

Remissis precibus ad hanc sacram Congregationem auditus de more fuit eminentissimus Beneventanus Archiepiscopus, qui retulit in ejus archiepiscopali curia comparuisse Canonicum Antonium et Felicem fratres de Pallante judicialiter contendentes, spectare capellaniam ad sacerdotes ipsorum familiae, nulla habita ratione filii dicti Bernardi, quia, cum fundatrix vocaverit sacerdotem, admittendum non esse, qui actu sacerdos non reperitur, ideoque ipsi Canonico Antonio et sacerdoti Francisco mox dicti Felicis filio tamquam de familia contentiva supradictorum Ignatii et Bernardi debitam esse capellaniam; suum tamen votum idem Archiepiscopus non aperuit.

Jura pro Nicolao filio modo deducit Bernardus Pallante pater. Is enim probat, Nicolaum filium nuperrime fuisse ad primam clericalem tonsuram promotum et ordinatum; probat, sententiam definitivam latam fuisse in archiepiscopali curia Beneventana, in qua decisum fuit: *Capellaniam praedictam a quodam Cassandra Jansito fundatam spectavisse et spectare ad solos sacerdotes dependentes ex dicto Bernardo Pallante, exclusis sacerdotibus aliarum linearum ejusdem familiae Pallante*: probat ejus inopiam testimonio decurionum Beneventanae civitatis et proprii parochi: probatque demum, unum ex administratoribus Montis Mortuorum consensum suum petitae gratiae praestitisse, posthabito dissensu alterius administratoris Felicis Pallante veluti contradictoris in causa Bernardi patris et Nicolai filii.

Res itidem est de concedenda dispensatione, quae facile conceditur a Dataria apostolica, ubi agitur de passive vocato et unico ex contemplata familia, *Corrad. in prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8*, *Piton. discept. eccles. 13. num. 42.*, prout nec etiam sacra Congregatio solet his in terminis postulatam dispensationem denegare, praesertim concurrente paupertate et interesse habentium consensu, quemadmodum plurimae sunt resolutiones hujus sacrae Congregationis relatae tum in causa *Cornetana* proposita die 6. Maji 1775. et in *Cremonen*) Dispensationis proposita die 2. Decembris ejusdem anni* et in utraquae conformi disceptato dubio:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc.?

conforme pariter prodiit responsum *in Cornetana die 17. Junii dicti anni 1775.* et in *Cremonen Dispensationis die 20. Januarii 1776*, nimirum: *Affirmative usquedum ad legitimam pervenerit aetatem, adimpletis oneribus.*

A Canonico Antonio et Felice fratribus Pallante nihil habuimus. Simillimum dubium nunc proponitur ab EE. VV., perpensis juribus a Bernardo circumferendis, sapientissime definiendum:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.

Affirmative usquequo orator ad legitimam aetatem pervenerit pro suscipiendo sacerdotio, adimpletis oneribus.

Die 17. Julii et 28. Aug. 1779.

Causa Bononien.

Vd. *t. I. p. 844.*

Senogallien.

Sacerdos Petrus Bracci heredem anno 1771 instituit ecclesiam, quam in honorem extruxerat s. Catharinae virg. et mart. Alexandriae, jussitque, ut duplicem in ea hebdomadalem missam et annua celebraret anniversaria quinque sacerdos per lineam masculinam descendes a Luca Angelo ejus patre, cum facultate celebrandi per alium *qualvolta volesse attendere, e portarsi in qualche università di studi per avvantaggiarsi nelle scienze, o esercitarsi in qualche onorevole impiego anche vitalizio, come sarebbe di parroco*; et sub prohibitione constituendi capellaniam in patrimonium sacrum *per motivi, che giustamente muovono l'animo mio a fare simile proibizione.* Post extinctam vero masculinam Lucae Angeli lineam capellaniae juspatronatus detulit ad societatem ssmi Rosarii oppidi Tumbae, sub obligatione nominandi sacerdotem descendentem per lineam femineam.

Sacerdoti Felici Catalani, quem fundator ipse in primum designavit capellanum, successit anno 1787 sacerdos Joachim Mon-

*) Vd. *supva p. 246.*

tanari ex provisionale nominatione Lucae Angeli Bracci jun., quousque clericus Joseph ejus filius subdiaconatum ascenderet vel aetatis dispensationem obtineret. Decimum septimum enim agebat annum. Sanctissimo hinc supplicarunt Lucas Angelus ejusque fratres, ut capellaniam quoad agnatos declarare dignaretur clericalem et facultatem sibi tribueret nominandi clericum Josephum; precibusque ad sacram hanc Congregationem ablegatis cumulatissime Emus Senogalliae Episcopus iis favet.

Non injusta, inquit, *neque damnosa cuiquam postulare videntur fratres de Braccis, nempe indignum non est, quod ad hanc capellaniam a testatore vocati ceteris omnibus praeferantur, si de proximioribus testatori sanguine conjunctis agatur, etsi sacerdotali charactere non praefulgeant. Justum quinimo est, ut ex fructibus eorum bonorum gaudeant, quae magnus patruus acquisivit, neque ulli detrimentum assertur, si Sacrificia per alium offerantur. Igitur cum ex eadem continenti familia de Braccis clericus adsit, qui infra triennii spatium ad subdiaconatum* (rescribebat die 27. Martii 1788.) *et intra quinquennium ad sacerdotium promoveri possit et liberalibus disciplinis, non sine profectus spe, in praesentia incumbat, aequum sane est, quod testatoris voluntati derogetur, idque pro futuris etiam temporibus statuatur, dum clerici adsint ex masculis descendentibus a Luca Angelo sen. de Braccis. Quod si sacerdotes ex eadem linea sese offerant, clericus iisdem omnino cedat.* Ex permissa de cetero studiorum causa celebratione per alium inferebat, admodum sollicitum non fuisse testatorem de celebratione per se ipsum. Spernique tandem arbitratur contradictionem et societatis ss. Rosarii, cui *nil deperit, si clericali tantummodo charactere insignitus admittatur*, et sacerdotis Montanarii, utpote *extranci et familiae de Braccis nulla necessitudine conjuncti.* Oratoribus obsistere ceperunt societas et Montanarius; sed ob violenta mhujus mortem excessit illa judicio ac Braccis duntaxat informantibus concordata proponuntur dubia.

Quaeritur primo de qualitate capellaniae, eamque oratores censent clericalem, quia expressum deest praeceptum celebrandi per se ipsum, *Fagnan. in cap: Ut Abbates num. 65. et seqq. de aetat. et qualit. ordinand., Antonell. de jur. et oner. clericor. lib. 1. cap. 29. num. 11.* Neque obesse contendunt, quod iterum atque iterum testator capellanum nuncupaverit sacerdotem; nam hoc nomine simplex etiam venit clericus, *cap: Si quispiam de cohabit. cleric. et mulier., ibique gloss.* verb: *Sacerdotum.* Contrarium vero suadere posset facultas celebrandi per alium, ubi studiis vacet capellanus. Casus enim exceptus firmat regulam in contrarium, volitamque ostendit sacerdotalem qualitatem, *Card. de Luca de benefic. disc. 62. num. 7.* et sac. Congregatio in *Romana Capellaniarum 27. Junii elapsi anni 1789. ad I. dub.*

Quatenus ita EE. Vestrae censeant, deliberandum erit secundo de dispensatione aetatis favore clerici Josephi Bracci, qui annum modo attingit decimum nonum cum dimidio. Ei quidem obstat regula, quod in capellania etiam habitu sacerdotali habilitas requiritur ad assumendum sacerdotium intra annum, *Fagnan. in citat. cap: Ut Abbates num. 52. de aetat. qualitat. ordinan.* et in *cap: Conquerente num. 29. de cleric. non residen.* Sed res alia ex parte est de clerico agnato, quem testator praedilexit; neque ullus ejusdem familiae concurrit sacerdos. In his porro terminis ex praesumpta testatoris voluntate impuberi etiam tredecim annorum clerico indulsit sacra haec Congregatio *in Anconitana*) Capellaniae 12. Junii 1762.*

Quaeritur itaque:

I. An capellania, de qua agitur, sit clericalis seu potius sacerdotalis in casu etc.?

Et quatenus sacerdotalis,

II. An sit locus dispensationi aetatis favore clerici Josephi Bracci in casu?

S. C. resp.

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II. Affirmative et ad D. Secretarium cum SSmo.

Die 17. Apr. 1790.

Montis Alti.

Joseph Albertini ultimo voluntatis elogio diei 17. Februarii 1726 nepti suae Theodosiae haereditatis usumfructum legavit; qua demortua ex iisdem haereditatis bonis laicalem capellaniam in ecclesia ss. Apostolis Petro et Paulo dicata oppidi Castineani erigi mandavit, jus nominandi in masculos familiae Albertini contulit atque hisce deficientibus in foeminas transferri jussit. Ad capellaniae possessionem ipsemet testator in primis vocavit nepotem suum Bernardinum Fioravanti, ea tamen lege »*che a suo tempo debito debba dir messa e che non dicendola per qualsivoglia impedimento non possa avere, nè godere della mia capellania.*« Hujusmodi vinculo obstrictos voluit ceteros omnes capellanos cum a se nominatos tum a familia Albertini nominandos; illico enim subjunxit: »*e cosi intendo che siano tutti gli altri capellani che succederanno pro tempore.*« Idque alibi etiam praecepit, dum capellanos legitime nominatos ad possessionem pii legati admitti jussit: »*purchè siano chierici attuali, abili però ad esser sacerdoti a tempo debito*«. Capellanis autem onus imposuit: »*che debbano chiamarsi di casa Albertini, di abitare nella casa mia propria, che per tale effetto la lascio; e non facendo nel modo che io ho ordinato non possano, ne debbano avere, nè godere detta mia capellania ed eredità.*« Item legem dixit: »*che detto Bernardino mio capellano, se non sarà arrivato ad essere sacerdote, mi faccia celebrare 50. messe basse di requie ogni anno di un giulio per ciascuna messa. Quando poi sarà arrivato a dire la messa, allora, ed in quel posto voglio che cominci a celebrare quattro messe la settiman di requie… E cosi facciano tutti gli altri capellani che succederanno dopo di esso con gli stessi pesi, dichiarazioni, e condizioni.*

A primis vitae suae annis capellaniam est assequutus Vincentius Valorani ex familia Albertini per feminam descendens eamque adhuc possidet quadraginta et ultra annos agens. Hic licet clericali militiae nomen dederit, numquam tamen sacerdotium vel aliquem ex sacris ordinibus suscepit, quinimo et laicali habitu incedens publica exercet munera et officia extra locum, quo capellania sita reperitur. Quae quidem animadvertens Episcopus Montis Alti, dum sacram visitationem perageret in oppido Castineani, decretum emisit: Clericus Vincentius Valorani doceat de adimpleto infra mensem. Interim eidem intimetur an ascendere velit vel ne ad sacerdotium, ut mens testatoris adimpleatur, et insuper aliis juris remediis providebitur vel cum sequestratione fructuum capellaniae.

Statim ac hujusmodi decretum innotuit clerico Valorani, preces ipse obtulit sacro huic Ordini, ut sibi facultas impertiretur etiam in posterum laicali habitu capellaniam retinendi.

Preces de more Episcopo ablegavi, ut, auditis compatronis, referret, num alii praesto essent, qui capellaniam consequi possent. Episcopus igitur in suis literis ad s. Congregationem datis omnia confirmat, quae superius retuli, additque insuper memoratam Theodosiam dotem auxisse capellaniae et rectori legem dixisse sex alia quotannis litandi sacrificia in ejus animae expiationem. Dein pergit: »Annui redditus ipsius capellaniae ad praesens consistunt in uno censu scutor. 1186. 52. cum fructibus ad rationem scut. sex liberorum pro quolibet centenario et anno et redditum praebent in totum scut 71. 19. Modo juspatronatus, uti apparet ex allegata familiarum genealogia, residet penes Philippum Valorani de Ophida ejusque nepotem clericum Vincentium Valorani oratorem modo a Secretis Anconitanae delegationis, actualem rectorem supradictae capellaniae, non autem incedentem in habitu et tonsura clericali ac in aetate supra annos quadraginta constitutum. Audito supradicto Philippo Valorani suum praestitit assensum favore supplicantis pro fruitione capellaniae, de qua agitur, etiam in habitu saeculari et in statu caelibatus, eo magis quod nullus adest ad praesens, qui sit idoneus passive vocatus; sed non intendit dictam capellaniam secularem reddi, ne filiis ipsius ullum praejudicium in posterum inferatur. Admitti autem non potest bona fides in oratore, qui recte agnoscit testatoris dispositionem penes eumdem existentem, qui copiam ad me pervenire fecit; et insuper non paucarum missarum adimplementum neglexit, prout agnovi in sacra visitatione habita de mense Martii.

Idem Vincentius percipit ex munere a Secretis delegationis Anconitanae scuta trigintaquinque quolibet mense; item alia scutata quinque mensiliter ejus vita naturali durante pro gratificatione ei tributa tamquam olim a Secretis Emi Benevenuti jam delegati Phrusinonis; item alia scuta quatuor uti filius auditoris militaris. Bona stabilia non possidet; cum eo commorantur mater et soror, quae aluntur ab ipso. Sed scire non possum an lucrum, de quo supra, sit ad alimenta sufficiens, quia ignoro expensas necessarias in illa civitate, a qua sum valde longaevus.

Hisce praemissis et stante clara testatoris voluntate, qui expresse voluit capellanum esse clericum et proinde sacerdotem, quum ad aetatem pervenerit, et ne ejus

*) Vd. *supra p. 242.*

anima praescriptis suffragiis defraudetur, mihi videtur precibus dicti oratoris assentiri non posse, quatenus EE. VV. diversimode non sentiant.«

Jure quidem capellaniam se hactenus possedisse suosque fecisse annuos fructus autummat orator. Quamquam enim laicalium capellaniarum rectoribus onus immineat sacros suscipiendi ordines, attamen nullam ipsi caducitatis capellaniae aut privationis fructuum contrahunt poenam, nisi illam praevia monitione Episcopus irrogaverit, *Pignat. consult. 75. num. 6. tom. 7*, *s. Congregatio in Faventina Legati 17. Decembris 1825.* et in *Melevitana Indulti 15. Decembris 1827.* §: *Decernant*, quemadmodum vel in ecclesiasticis beneficiis haud ipso jure inducitur vacatio, si provisus negligat ad sacrum ordinem praebendae annexum adscendere, sed opus est, ut adhibeantur monitiones, *Girald. expos. jur. pontif. sect. 79.*, *s. Congregatio in Senogallien. Canonicatus 23. Novembris 1754.* et in *Firmana Fructuum et distributionum 24. Novembris 1827.* §: *Ex sanctione.*

At vero orator superiori tantum anno ab Episcopo monitus fuit, utrum sacris ordinibus vellet insigniri, ideoque nulla se censura notàri posse existimat, imo Emos Patres suis precibus etiam in posterum indulturos fore confidit. Etenim dispensatio, quam efflagitat, nemini jacturam infert, tum quia patronus suum praebet assensum tum quia in linea Albertini nunc desideratur, qui ad capellaniae possessionem contendere valeat. Hinc praesumptam exurgere ait testatoris voluntatem; nam si casum prospexisset, quo nullus existeret idoneus ex propria familia descendens, facillime decrevisset, ut capellaniam possideret alter ex consanguineis, qui caelibem duceret vitam et sacrae militiae esset mancipatus, licet ob temporum adjuncta laicalem gestaret habitum.

Huic praesumptae fundatoris menti cohaerent plura similium dispensationum exempla. Et revera s. Congregatio justa intercedente causa nonnumquam indulsit, ut suspensa beneficiorum collatione annui eorum fructus erogarentur in levamen patronorum, donec saltem aliquis ex familia fundatoris idoneus evaderet ad capessendam beneficiorum aut capellaniarum possessionem, quemadmodum videre licet in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786.* et in *Aquen. Capellaniae 3. Februarii 1787.* In praesenti casu nemo ex patronorum gente extat idoneus clericus; Vincentius autem Valorani patronus simul et capellaniae possessor caret bonis stabilibus, et quidquid lucratur ex officio, quo fungitur, vix fortasse ad sui suaeque familiae decentem exhibitionem satis erit.

At praesumpta fundatoris voluntas ad petitam gratiam concedendam penitus evanescit, si supremum Albertini elogium perpendatur. Perspicuis siquidem verbis cavit ipse, ut ad capellaniam nominarentur, qui *siano chierici attuali abili però ad esser sacerdoti a tempo debito;* imo poenam quoque statuit in eos, qui *per qualsivoglia impedimento* sacrum presbyteratus ordinem *a tempo debito* non susciperent, videlicet *non possano avere nè godere detta mia capellania.* Praeterea major etiam missarum numerus, quem capellanis, ubi sacerdotio essent insigniti, imposuit testator, excludit praesumptam voluntatem, quae suadeat oratoris precibus esse annuendum.

Jam vero ad supremas decedentium voluntates commutandas urgens necessitas aut evidens ecclesiae utilitas praesto esse debet; *Concil. Trid. sess. 22. cap. 6. de reform.*, cum omnia jura clament, adamussim servandas esse fundatorum leges, *can.: Ultima voluntas caus. 13. quaest. 2.*, *sacra Congregatio in Verulana Capellaniae 17. Decembris 1825.* §: *Verum.**) Nullam in themate orator justam urgentemque in medium afferre videtur causam; nam deficiente idoneo clerico cum patronis necessitudine conjuncto extraneus facillime ad capellaniam nominari potest; praeterea, etsi orator careat bonis stabilibus, ampla tamen quolibet mense praeditus est pensione, qua et sui et matris sororisque indigentiis congrue prospicere valet, quin opus sit testatoris voluntati derogare et uberioribus per capellanum presbyterum procurandis suffragiis ejusdem testatoris animam diutius privare.

Videant nihilominus Emi Patres, qua fulgent sapientia, quid sit decernendum, ac statuere etiam dignentur, an oratori sit concedenda absolutio pro omissis sacrificiis. Quamvis enim ipse missarum omissionem reticeat, ejus tamen mentionem facit Episcopus in suis literis ad hanc sacram Congregationem missis. Hinc proponuntur dubia:

I. *An et quomodo sit annuendum precibus Vincentii Valorani seu potius sit ei praefigendus terminus ad sacros ordines suscipiendos in casu?*

*) Vd. *Commutatio ultimae volunt.*

II. *An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro absolutione a praeteritis missarum omissionibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, praefixo termino sex mensium sive ad suscipiendos sacros ordines sive ad dimittendam capellaniam.

Ad II. Negative in omnibus.

Die 9. et 30. Maji 1829.

Montis Alti.

Ultimo voluntatis elogio ad diem 29. Julii 1539 exarato Jacobus Magistri haeredibus mandavit, ut in ecclesia s. Mariae de Viminatu posita extra moenia oppidi vulgo — di Patrignone — dioecesis Montis Alti sub invocatione s. Jacobi altare construerent; atque animadvertens, quod frustratorium esset dictum altare nisi a sacerdote muneretur, cum sacerdos tale nomen sortiatur, quod Sacra diligat, nonnulla bona eidem altari legavit illiusque primum capellanum et rectorem elegit quemdam Moriconi, onere imposito bis saltem in hebdomada missae sacrificium litandi; eo vero vita functo ne dictum altare in aliquo debitis caeremoniis et solemnitatibus patiatur, constituit et ordinavit, ut supra capellanum et rectorem dicti altaris, Petrum et Jacobum Barnabei Angelutii pro una, Loquentium Nicolai pro alia et pro tertia parte Aloysium Baptistam Montorii, qui post mortem dicti Domini Moriconi capellani constituti debeant infra mensem novum eligere rectorem et capellanum, et praefati non possint nec valeant jus dictae electionis in alios transmittere nec conferre, nisi fuerint de eodem stipite ex vera et legitima linea descendentes et prole.

Quum obitu Canonici Dominici Guerrieri die 13. Novembris anni 1841 beneficium vacaverit, Vitus Guerrieri, in quem plures e compatronis pro una vice tantum, scilicet pro prima vacatione, jus nominandi transtulerant, filium Laurentium in octavo aetatis anno nondum exacto constitutum ac clericali tonsura insignitum in beneficii rectorem pure nominavit ac praesentavit; alii subinde accessere patroni, adjecta tamen in nominationis actu clausula: Si Papa dispenset super defectu legitimae aetatis. — At e contra alii patroni in clericum Raphaëlem Amadio canonica aetate praeditum nominationem contulerunt. Hinc inter praesentatos super vocum pluritate, quam uterque retulisse arbitratur, quaestio orta est apud ecclesiasticae curiae Montis Alti tribunal; at cum judex interlocutoria sententia *) incidentalem instantiam rejecisset, qua Raphael Amadio declarari petiit, Guerrerium ab omni jure decidisse, eo quod intra quadrimestre dispensationem super defectu aetatis non fuerit assequutus, eadem controversia vi appellationis tam super incidenti quam super merito principali ad s. Rotae auditorium delata est, apud quod modo pendet concinnato dubio: *An et cui sit danda institutio in casu?*

Adfuit revera supplex s. huic Ordini Laurentius Guerrerius aetatis veniam enixe imploraturus. Altodunensis Episcopus ex instituto super precibus requisitus hactenus narrata confirmavit ac retulit, annuum beneficii (quod ecclesiasticum vocat) redditum ad argenteos nummos viginti sex assurgere ejusque onus esse applicationem missarum 52 singulis annis; neque Raphaelem Amadio neque Laurentium Guerrieri passiva ad beneficium vocatione potiri; se plures audivisse interesse habentes, sed non omnes, utpote qui in diversis morantur dioecesibus et quamplurimi sunt numero; eos vero, qui clericum Guerrieri praesentarunt, suum praebere assensum, ut ipse dispensationem super defectu legitimae aetatis obtinere possit; insuper animadvertit: »Ex lege fundationis dicti beneficii cautum fuit a testatore, ut tempus ad praestandum statutum esset unius mensis, non vero quadrimestris secundum jus commune. Verum ad nonnullorum interesse habentium bonum ac attenta difficultate, in qua erant patroni conveniendi in personas praesentandas ob magnum eorum numerum, locorum distantiam, hyemalem rigorem, tempus prorogatum fuit ad quadrimestre, quo labente adjunctae preces missae sunt a clerico Laurentio Guerrieri Vestro s. Ordini ad assequendam dispensationem super defectum aetatis. Praedictum quadrimestre expirabat die 13. Martii 1842 et sub datum die 9. dicti mensis Martii EE. VV. RR. mihi remittere dignabantur preces ipsae pro informatione et voto — addidit tamen, quod beneficii, de quo loquitur, ultimus rector erat Dominicus Guerrieri oratoris patruus, qui

*) Vd. *t. I. p. 640.*

praebendam quoque canonicalem habebat in hac ecclesia cathedrali, quorum redditibus oratoris familiam alebat; quae familia omni honestate praedita per ejusdem Canonici mortem in indigentiae statu reperitur, quapropter omnem istius s. Ordinis indulgentiam charitatemque expostulat et meretur. —

Praetermissa disquisitione in s. Rotae tribunali contestata super vocum pluralitate, qua reapse se potiri Guerrerius non ambigit, necnon altera super validitate cessionis juris nominandi, quam utpote precariam testatoris voluntati minime adversam idem tenet adeo, ut tamquam compatroni filius reputari posse videretur — quae si certa forent, proniorem ad gratiam viam sternerent, ceu monstrat resolutio edita in *Faventina Dispensationis die 4. Februarii* nuper elapsi —, petitam aetatis dispensationem ab EE. VV. clementia praestolatur Guerrerius ob maximam, qua premitur, rei familiaris angustiam, ceu probat testimonio parochi de suo parente asserentis, — ora, che il ridetto Zio (nempe Canonicum Guerrieri) ha cessato di vivere, trovasi in istato di tal miserabilità, che quasi è per mancargli il necessario sostentamento —; idipsum quoque Antistes confirmat. E contra vero Raphaëlem Amadio ad divitem familiam pertinere probat illius parochi fides, qui de Raphaëlis patre perhibet: ha una possidenza con cui può vivere decentemente in unione della propria famiglia ... un de' suoi figli D. Pietro, che vive in communione colla famiglia gode un pingue beneficio ... che gli dà non piccole rendite, sicchè complessivamente con li beni de lpadre la famiglia può vivere agiatamente, ed è tanto vero, che al presente ha una fabrica in compagna congiuntamente alla casa paterna a quattro piani comprensivamente ai sotterranei, che può figurare in qualunque paese colto —. At in beneficiis pauperem diviti semper praeferendum esse docent post textum in cap.: *Postulasti de resc. Kochier ad reg. 27. cancell.**) *num. 18. et seq., Lambertin. de jurep. lib. 2. par. 3. quaest. 5. art. 3. n. 1. et 7., Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 7. num. 23. et seq.*

Praeterea postremi rectoris patrui sui merita erga beneficium commemorat, coloni cujusdam beneficialis praedii testimonio evincens, illum multam pecuniae vim in fundorum meliorationis erogasse, adeo ut eorumdem proventus modo adauctus sit: et reapse hujusmodi expensarum ac meliorationum intuitu motos fuisse compatronos asserit ad edendam sui favore nominationem. Accedit Episcopi votum ac patronorum consensus; plurimi autem Antistitis patronorumque favorem a s. Congregatione semper habitum esse monetur in *Callien. et Pergulana 14. Julii 1824. §: Haec autem.*

Neque ullum praejudicium Raphaëli obventurum pergit orator. Si enim sac. Rotae tribunal pro eo causam dixerit, assequuta dispensatio nullum impedimentum praebere valebit, quominus ipse majori vocum numero auctus beneficii possessionem adipiscatur. Ex adverso autem hujus gratiae denegatio nullum emolumentum ipsi afferre posset ob vocum in ejus favore consolidationem; cum enim patroni sub conditione praesentaverint dispensationis, quae reapse infra quadrimestre petita fuit, adhuc integrum illis jus est ad aliam nominationem devenire ex illo recepto principio, quod pendente recursu tempora non currunt. Tandem hoc vehementer ab EE. VV. expostulat, ut in hodiernis comitiis vestrum oraculum proferre dignemini, ne dubius de suae petitionis exitu magnas cogatur substinere judicii rotalis expensas, pro quo indicta est dies 28. mensis Aprilis.

Acriter e contra contendit Raphael Amadio non esse concedendam dispensationem, quippe quae in manifestum jurium suorum cederet praejudicium, dum potioribus pollet qualitatibus ad beneficium assequendum, scilicet in legitima versatur aetate, in dioecesano degit seminario, est sacerdotio proximior, inter testatoris descendentes, ut asserit, censetur atque gaudet patronorum nominationibus forsan numero majoribus: ast s. ordinis disciplina non fert, clamat, ut in alterius juris quaesiti praejudicium dispensatio impertiatur, *Anconitana**) *Capellaniae 12. Junii 1762. §: Praeterea.* Animadvertit insuper habilitatem ad beneficia requiri per canones de tempore praesentationis vel saltem tempore utili dispensationem obtinendam esse, quam cum nondum Laurentius sit adeptus, omni jure cecidisse tenet, quemadmodum judicio contendere jam aggressus est. Quapropter ne jura sua quaesita pessumdentur, persuasum sibi habet Raphael fore, ut efflagitatam aetatis veniam EE. VV. denegent, vel saltem confidit responsuros, ut s. Rotae definitio expectetur.

Haec partes utrinque. Animadverti posset beneficium, quo de agitur, demandatum fuisse ante Concilium Tridentinum. Tradit *Corradus praxi benef. lib. 4. cap. 6. num. 24. et seq.* cum aliis ibid. eam adhibendam esse distinctionem inter beneficia erecta ante Concilium Tridentinum et ea, quae postea instituta sunt, ut in illis censeat testator (nisi aliud expresse edixerit) sese retulisse quoad aetatem et ordines ad commune jus tunc temporis vigens, cujus vi septennis aetas beneficii assequendi gratia satis erat. Item refert *Giraldus exposit. jur. pontif. ad Conc. Trid.* etiam in sensu s. Congregationis. Ubi hujusmodi distinctio arrideat, videretur orator dispensatione in casu non indigere. Proponitur dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris super dispensatione aetatis in casu?

S. C. resp.:

Non indigere attenta fundatione beneficii ante Concilium Tridentinum.

Die 8. Apr. 1834.

Tusculana.

Conjuges Blasii Testa et Caecilia Ambrogioni die 2. Januarii 1756. iisdem solemnibus tabulis perpetuam instituere capellaniam »*ossia*« *beneficio ecclesiastico* ad aram s. Caroli Borromaei in parochiali ecclesia Arcis Papae. Huic capellaniae, cui vir tot fundos assignavit, quot fructum annuum gignerent scut. 40, uxor autem quot redderent scut. nummos 25, onus injunxere, alter: »*di una messa ogni mese nella capella di s. Carlo, di assistere alle funzioni ecclesiastiche che in detta parrocchia si faranno ... di celebrare per esso e suoi in detta capella in tutti i giorni festivi, e nell' ottavario de' Morti*«; altera: »*il peso di una messa cantata l'anno nel giorno anniversario della sua morte.*« Jus nominandi conjuges sibi reservarunt quousque vitae usura fruerentur; ipsisque defunctis transmissum voluerunt in binas filias, Sanctam nempe nuptam Carolo Antonio Gabrielli et Catharinam uxorem Caroli Quirini, eorumque descendentes in infinitum tam masculos quam foeminas, ea tamen adjecta lege »*che siano tenuti di nominare i parenti più prossimi, se vi saranno; in caso che non saranno, di nominare nella loro discendenza; se quando ve ne fossero più in egual grado, di nominare il più idoneo.*« Quoad personam nominandam statuere: »*che possa deputarsi, ed eleggersi per capellano un chierico, ancorchè non sia sacerdote, purchè però in termine di due anni sia sacerdote, e per detti due anni possa far soddisfare le messe prescritte in detta chiesa parrocchiale per altri coll' elemosina di un giulio per messa.*« Ad vitanda demum jurgia et dissentiones declaravere, ut hoc jus a filiabus alterna vice exerceretur incipiendo a Catharina secunda eorum filia, post quam Sancta capellanum nominaret, et sic per turnum in infinitum.

Tres adhuc usque fuere hujus capellaniae rectores; Marcus Gabrielli a fundatoribus nominatus; Dominicus Testa, quem ad capellaniae possessionem descendentes Catharinae filiae fundatorum vocarunt; quo Romae mortuo Angelus Gabrielli capellanus renunciatus est. Hoc e vivis sublato die 19. Maji labentis anni Joannes Baptista Gabrielli se cancellariae episcopali sistitit capellaniam sibi asserens, si dispensationem super aetatis defectum ab hac s. Congregatione obtinuisset. Qua de re supplicem dedit libellum, quo exponit: »che essendo chiamato al godimento della medesima, come dall' istromento della erezione, e trovandosi nell' età di anni 15, non abile ad esser nominato , . . . supplica però la S. V. a dispensarlo dal difetto di età, onde essere nominato a detta capellania, e poterne conseguire i frutti, acciò gli servano di sussidio a compiere li studj nel V. Seminario di Frascati, essendo povero, come dall' attestato del proprio parrocco.«

Vix autem preces hujusmodi delatae fuerant ad s. Ordinem, aliae oblatae sunt preces a Josepho Botti altero ex descendentibus Catharinae Quirini, qui, dum sibi jus nominandi asserit vigore alternativae, postremam nominationem a linea Sanctae expletam edicens, nominationem sese explevisse denuntiant favore sacerdotis Andreae Botti propinqui sui: exhinc carpit acriter conatus Joannis Baptistae ejusdem Sanctae obnepotis ac patris oratoris, quibus filiolo beneficium quaerit: atque inde »*Contro questa usurpazione de' diritti a se spettanti protesta altamente, e vivamente supplica a voler rigettare una simile di lui istanza che è del tutto in opposizione alla volon degli istitutori della capellania in discorso etc.*«

Utriusque preces de more Emo Episcopo

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SSmo Pontifici juxta regul. cancellar.)

*) Vd. *supra p. 242.*

remisi pro informatione et voto, auditis compatronis in scriptis. Ex ejus relatione desumimus, sex auditos fuisse patronos, quibus tam Joannis Gabrielli quam Josephi Botti preces recitatae oblatusque fuit libellus. Inter eos Vincentius, Joseph et Michael Angelus Gabrielli nepotes Sanctae filiae fundatoris propugnant falso Josephum Botti sibi jus nominandi hac vice asserere, cum hoc ad ipsos pertineat, ut descendentes Sanctae, et hi tres ad capellaniae possessionem Joannem Baptistam Gabrielli vocant: duae patronae Maria Rosa et Maria Gratia Gabrielli et ipsae Sanctae nepotes, quin ullum pandant animi sui sensum capellanumque nominent, declarant se cuilibet EE. VV. judicio fore obtemperaturas; Agatha denique Botti ex familia Catharinae Quirini sibi et ipsa hac vice jus nominandi vindicans quemdam excapuccinum nominat, eoque renuente, sacerdotem Andream Botti.

Josephi Botti votis Emus Episcopus obsistit: sic enim in sua relatione ratiocinatur: »Primus capellaniae rector a fundatoribus nominatus fuit Marcus Gabrielli eoque e vivis erepto descendentes Catharinae alterius fundatorum filiae servata lege turni ab his praestituta Dominicum Testa capellanum nominarunt. Is Romae, ubi commorabatur, decessit et ex eo, quod capellania apud Sedem vacaverit, licet ea jurispatronatus laicalis sit, a Dataria tamen apostolica ex vetustissimo stylo derogando pro ea vice patronatui activo collata fuit Angelo Gabrielli de genere personarum passive vocato. Jam vero si tunc capellania apud Sedem non vacasset, jus nominandi capellanum ad descendentes Sanctae Gabrielli juxta legem turni pertinuisset; sed cum provisio apostolica de reservato ob vacationem apud Sedem turnum non consumet, idcirco descendentes Sanctae Gabrielli in praesenti vacatione consequi debent, quod in praecedenti consequi non potuerunt. Ex his manifestum est Josepho Botti aliisque descendentibus Catharinae Quirini in praesenti vacatione capellaniae Testa nullum jus esse nominandi capellanum, cum ejus vacatio in turno descendentium Sanctae Gabrielli contigerit.«

Ad preces Joannis Baptistae Gabrielli quod attinet, haec habet idem Emus Episcopus: »Preces, quas hac de re s. Congregationi Concilii porrexit, (Jo. Baptista Gabrielli) excipiendae videntur. Nam ipse quatuordecim annos jam exegit, capellaniae fundatorum filiae pronepos erat bonis honestisque moribus praestat suaeque ecclesiae paroeciali a puero festis praecipue diebus assiduum servitium impendit, ex quo certum argumentum de sua ad ecclesiasticum statum dispositione. Neque petita ab eo dispensatio alteri praejudicium inferret: ex genere enim vocatorum nemo obtinendae capellaniae idoneus extat; ac ii, qui hac vice jus nominandi habent, adolescentuli votis non refragantur: quibus etiam favet praesumpta fundatorum voluntas, ne eorum descendenti pauperi, qui bonam spem injecit sui, extraneus praeferatur. Suadet pariter dispensationem ecclesiae utilitas, quia in oratorem bonum ministrum jure merito sibi pollicetur, cui si dispensatio denegetur, paupertas impedimento foret, quominus ecclesiasticis disciplinis apte instrueretur sacrisque ordinibus promoveretur.

Sane quamvis *sess. 25 cap. 3 de ref. Trid. synodi* derogandum non esse moneatur quoad qualitates in beneficiorum institutione requisitas, tamen ex ecclesiastica aequitate dispensari quandoque posse traditur eadem *sess. cap. 18*, cum nempe urgens justaque ratio postulaverit: atque hinc s. Congregatio benignam saepe se praebere suevit erga patronorum consanguineos et multo magis passive vocatos, si ad vitae exhibitionem subsidio egeant, atque adamussim ut studiis vacare opportune possent opem ferendo. Quam ob rem non raro indulsit, ut pueri ad beneficia nominarentur, ceu in *Melevitana Indulti 10. Septembr. 1735* et in *Neritonen. Abbatiae 22 Novembris anni 1760* et in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1749;* vel saltem ut, interim collatione suspensa donec legitimam ipsi aetatem attigerint, redditus in proprium levamen vel studiorum causam, oneribus satisfactis, insumerent, ut in *Asculana Dispensat. 20. Maji 1786* et in *Sutrina Canonicatus 27. Junii 1829.* Haec omnia oratorem in spem erigunt ab EE. Patribus suis precibus suffragatum iri: eo vel magis, quod et Emi Episcopi votum accedat et major vocum pars suffragetur.

Ast ut videre fuit, dubium injicit circa nominationum, quas retulit Gabriellius, efficaciam alter patronus Botti, sibi modo ex lege alternativae jus nominandi competere acriter obtendens: siquidem exhibita

nominatione, quam sub die 15. Aprilis anni 1817 ediderunt favore Angeli Gabrielli postremi capellani Antonius et Magdalena Gabrielli ex linea Sanctae descendentes, eum revera istius nominationis vigore capellaniam assequutum fuisse compertum existimat. Qui sane patroni dissensus eo magis oratoris precibus obstaret, quod ille ad nominationem idonei presbyteri jam processerit, cui jus esset quaesitum ad capellaniam. Verumtamen difficultas omnis sublata fuisse videtur per literas apostolicas, quas nuper accepimus sub die 9. Augusti 1818 obsignatas, quibus nulla prorsus facta mentione nominationis patronorum haec leguntur: »*Dictoque juripatronatus in totum attento obitu* (Dominici Testa) *apud Sedem, pro hac vice tantum, specialiter et expresse derogantes discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum beneficium praefatum, quod presbyterale existit.., cum annexis ac omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Angelo conferre et assignare auctoritate nostra curetis inducentes... eumdem Angelum in corporalem possessionem dicti beneficii.*« Unde inferre licet nominationem a praefatis patronis sub anno 1807 expletam effectu suo caruisse ob appositionem manus sacratissimi Principis. Porro, quod Pontifex beneficia apud Sedem decessorum etiamsi de jurepatronatus laicali conferre soleat pro illa vice derogando juripatronatus activo, aperte ostendit *Riganti in comment. ad reg. 1. cancell.**) §. *1. num. 332.* et *Mandos. de signat. grat. verb.: dum vacant*; *Massobr. in praxi habendi concurs. praelud. 7. dub. 2. num. 8. et dub. 21. num. 82., Tondut. resolut. benef. p. 2. cap. 4.* § *9. num. 23.* Quod autem apostolica provisio turnum non consumat seu alternativam inter patronos integram relinquat, auctores sunt *Piton. de controv. patron. alleg. 90. num. 10, Tondut. quaest. benef. part. 2. cap. 3.* §. *8. num. 35. et seq., Garcias de benef. par. 5. num. 18. et 19.*

Hisce praehabitis dirimere EE. VV. dignabuntur

Dubium:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:
Affirmative in omnibus.
Die 18. Decb. 1841.

Faventina.

Erectum reperitur in ecclesia parochiali s. Apollinaris in Aureolo sub invocatione visitationis b. Mariae Virginis beneficium cum onere unius missae in qualibet hebdomada, praeter festum b. Mariae Virginis trium saltem missarum celebratione peragendum. Quamvis porro fundationis tabulae delitescant, constat tamen ex postremis statibus jurepatronatus ejusdem beneficii gavisam fuisse gentem Guinkedi. Cum ob religiosum institutum patrum Cappuccinorum a postremo possessore Cajetano Giunkedi abreptum vacaret hujusmodi beneficium, illius germanus frater Joseph sacro Ordini exposuit, multos ex compatronis in votis esse, ut nominationem in ipsum jam clericali tonsura auctum conferrent: at quoniam duodecimum vix annum ingressus canonica destituitur aetate, opportunam dispensationis veniam postulavit.

De oratoris precibus haec habet Episcopus: »Joseph Giunkedi, pro quo apostolica flagitatur dispensatio, est bonis moribus praeditus, in christiana doctrina bene instructus et ad familiam pertinet in miserabili statu degentem, capitulum minime adversatur expetitae gratiae, bene vero et acriter adversantur duo ex compatronis, qui beneficium ad praedictum Joseph, utpote necessariis destitutum requisitis, transire nolunt, quinimo intendunt vel alium nominare descendentem ex uno compatronorum, quem ajunt aetatem jam explevisse quindecim annorum bonisque esse inbutum moribus.« Et revera ex transmisso mox exemplari processus in episcopali cancellaria ea de re absoluti constitit, ex compatronis, qui in possessione sunt juris nominandi, septem nominasse solemniter Josephum oratorem, binos vero Antonium Giunkedi alterum ex familia patronorum; de quo exhibetur parochi fides testantis: »*che è egli di anni 14 fornito di buoni costumi e di cristiana morale, frequenta i santissimi sacramenti, ed è figlio di genitori timorati di Dio e privi affatto di beni di fortuna, ritraendo il loro sostentamento dalla professione di domestico, esercitata dal padre per mantenere sei figli incapaci a procacciarselo da loro stessi, perchè in tenera età.*«

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

Favet oratori ad dispensationis effectum praesumpta quaedam fundatoris dilectio. Cum enim in ejusmodi gente perstiterit ab antiquo juspatronatus, eamdem a fundatore praedilectam existimat; cui rationi pondus addit ex gravi qua premitur paupertate; siquidem vel ipsa s. Ordinis fert disciplina, ut patronis eorumque liberis egestate laborantibus ex beneficii fructibus succurratur. S. C. in *Nullius seu Farfen. Subsidii total. 2. Decembris 1786.* § *8.* Favet etiam Episcopi votum et majoris partis patronorum consensus ac nominatio, quae eo majoris momenti existimanda est, quod Antonius ex adverso nominatus clericalem statum nondum est amplexus.

Adversatur autem tertii praejudicium, Antoniii nempe alterius ex nominatis, qui potiori jure ad beneficium potiri clamat ac in eadem navi versari cum oratore. Etenim quamvis ille tonsura careat, potest tamen eam merito consequi, uti arctatus, ante institutionem, quod sane satis est, ut quis beneficium obtineat, quin necessaria illa sit tempore praesentationis, *Card. de Luca. de jurep. disc. 70. num. 16. et 17*, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 39.*, s. Congregatio in *Faventina*) Beneficii 3. Julii 1762.* §: *Sed excipitur*: ac nominationes in idoneum collatae potiores sunt earum, quae favore inhabilis conferuntur, etsi numero majores. Pertinet porro et ipse ad eamdem gentem Giunkediam. Dispensatio concedi non solet in praejudicium alterius juris quaesiti, *s. C. in Anconit.**) Capellan. 12. Junii 1762.* §: *Praeterea.*

Res cum ita se habeant, erit EE. VV. sapientiae dirimere dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus oratoris super dispensatione aetatis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Die 17. Decb. 1842 et 4. Febr. 1843.

Faventina.

Postremo voluntatis elogio sub anno 1690 exarato Caesar Marocchi ex oppido Fusiniani dioecesis Faventinae haeredem instituit filium suum Franciscum Antonium in infantili aetate constitutum; eoque absque filiis decedente ad haereditariis bonis fruendum filiam Elisabeth vocavit, usque dum in saeculo vel in Domino nuberet: hoc autem eveniente casu ipsi quaedam tantum bona dotis titulo assignata voluit; ex reliquis vero capellaniam erigi mandavit per haec verba: »Il restante poi della sua eredità, adempito, che sarà quanto di sopra, e finita la vita naturale di detta signora Teresa sua consorte, e Suiregia suo padre, adesso per allora vuole, e comanda, che sia eretto un altare nella chiesa del santissimo crocefisso sotto il titolo di s. Gaetano, volendo detto testatore ancora, che dette signore possano nominare un prete sacerdote, che offizi a detto altare, e celebri due messe la settimana, cioè il Lunedi e Martedi di ogni settimana la nominazione pro tempore del capellano a detto altare spetti in tal caso alli signori D. Ippolito, Domenico, Giacinto, Angelo, fratelli de' Corelli, suoi figli, se ne avranno, ed in mancanza de' sopradetti il medesimo signor testatore vuole e comanda, che il jus di nominare detto capellano spetti alli Priori pro tempore del ss. Sagramento della chiesa di s. Giovanni Battista, intendendo detto signore testatore, che in questa erezione d'altare non se ne possa ingerire pro tempore l'Ordinario di Faenza, ma che il tutto spetti alli suddetti sunnominati.« Tandem executores testamenti nominavit eosdem fratres Corellios patruos testatoris.

Porro capellania erecta fuit atque capellani nominandi jus penes gentem Corelliam usque adhuc resedisse non controvertitur. Hoc igitur jure innixus, cum novissime illa suo fuerit viduata rectore, Marchio Hyacinthus Corelli pronepos eorum, qui primi a testatore designati fuerunt, habito tum a patruo Julio tum a fratre Philippo consensu, adfuit sacratissimo Principi atque exponens sibi in votis esse »nominare suo figlio Giulio di anni 13 circa, già chierico, che è nel divisamento di proseguire la carriera ecclesiastica, Siccome però osta l' età, avendo il fonditore disposto, che il nominato sia un sacerdote« enixe deprecatus est, perchè si degni sanare un tale »nominare suo figlio Giulio di anni 13 diffetto, e derogare la clausola suddetta, onde con ciò possa conseguire i mezzi di mantenere ne' voluti studii il ricordato suo figlio per l'effetto della di liù pia intenzione.«

*) Vd. *supra p. 244.*
**) Vd. *supra p. 242.*

Verumtamen huic petitioni adversari presbyterorum Fusinianensium coetus, qui in jura successit Priorum sodalitatis ssmi sacramenti, quod locum substitutioni factum fuisse propugnat, retulit Antistes de more rogatus, qui ab hoc s. Ordine etiam partium nomine expostulavit, ut hujusmodi controversia super jure nominandi definiatur; tandem super oratoris preces haec habet: »Quum ex actu fundationis inferatur, solum juspatronatus activum in quaestionem cadere una cum obligatione nominandi subjectum sacerdotali charactere insignitum, qui Sacra exerceat ad altare, ubi erecta existit officiatura, binasque in hebdomada missas ibi celebret, consequens est, ut submisse opinor, in praesenti quaestione, quoties hoc activum jus Fusinianensi presbyterorum communiae, ut contenditur, jam obvenisse judicaret sacer iste consessus, ab ea nominandum esse oratoris filium, quippe cui praesumpta institutoris mens favet. Quod si Julius Corelli sacerdos nunc non extat, potest hic defectus a Beatitudine Sua sanari, cum neque nova neque insolita sit hujusmodi gratiae concessio, quae a canonica aequitate fulcitur, in casu potissimum oratoris Corelli, qui a pristino suo splendore penitus defecit coactusque est militiae nomen dare, ut sibi suisque victum compararet.«

Jam vero de controversia super jure nominandi imprimis quaerendum est, num illud, defectis modo tam primis a testatore vocatis quam eorum filiis, adhuc perseveret in eorundem nepotibus vel potius substitutionis favore Priorum sodalitii ssmi sacramenti locus factus fuerit seu eorum, qui eisdem subrogati sunt.

Filiorum nomine venire dumtaxat stricto sensu filios, non autem nepotes inferioresque descendentes propugnat presbyterorum coetus ad *leg. 6. ff. de testam. tut.*, ubi: Aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Ab hac autem naturali interpretatione et verborum proprietate recedendum non esse, nisi justa interpretatio id suadeat, ad *leg. Justa 20. ff. de verb. sig.* tradit *Vinnius in Jnst. lib. 1. tit. 14.* § *5*, quod tamen talibus conjecturis probandum est, ut omnis prorsus disputatio eliminetur, iis penitus despectis, quae rem necessario non concludunt, *Rota in Aquilana Jurispatr. 7. April. 1758.* § *3 coram Caniliac.* In casu autem nulla urget praepotens ratio, cur verbum *figli* praeter communem loquendi usum et naturalem sonum detorqueatur. Quinimo plures exigunt rationes, ut in primitiva sua significatione firmum sartumque teneatur. Sane id exigit pronomen »suoi« immediate procedens ipsi verbo »Figli« necnon subsequens animadversio »se ne avranno.« Nam quoties adjicitur pronomen »suoi« testator restricte et limitate loqui dicitur, et ob id comprehendere voluit filios primi gradus tantum, non autem nepotes, qui immediate filii dici non possunt, ut ait *Menochius de praesumpt. lib. 4. praes. 94. n. 3.* Animadversio vero »se ne avranno« testatoris mentem explicat praecise directam ad eos, qui ex vocatorum corpore descendissent. Praeterea idipsum postulat circumstantia facti, primo vocatos scilicet non testatoris descendentes fuisse ad patruos, atqui potissima conjectura ad excludendos nepotes sub appellatione filiorum ea est, quando sumus in transversalibus: in iis nepotes non veniunt appellatione filiorum ut tradunt *Fusar. de subst. quaest. 321.*, *Menoch. loc. cit.*, *Rota. dec. 507. par. 2. rec.*, quia scilicet in transversalibus ea deficiat amoris ac dilectionis praesumptio, quae ad omnes descendentes porrigitur, *Rota in Asculana Beneficii super jure nominandi 14. Jan. 1833.* § *3. cor. Bofondi.* Tertio accedit vernaculo sermone »Figli« testatorem usum fuisse, cujus vi »comprehensio nepotis semper excluditur«, *Fusar. de subst. quaest. 195. n. 106.*, *Rota in cit. Asculana et in Aquilana Jurisp. 21. Jan. 1757.* § *5. cor. Bonull.*

Quin juvet edicere filiorum appellationem ad nepotes etiam esse protrahendam ex praesumpta testatoris affectione praelative ad extraneos. Etenim praeter quamquod ad nominandum vocati collaterales sint testatori, erga quos non ita facile fertur ejusdem dilectio ac erga descendentes, ut supra perpendimus, illud insuper animadvertitur, non heic disseri »quare sed quid disponens voluerit« *Card. de Luca dis. 29. de Jurep.* Aliunde vero pervium fuisse testanti notissimis, quae usurpari solent, verbis uti »Figli, dei figli, descendenti, nepoti, famiglia etc.«, ubi vere et eos nominandi jure honorare voluisset; quod cum omiserit, jam sese exarit juris axioma »quod testator voluit, expressit,« noluisse censendus est.

Quod si animadvertatur eos ipsos fuisse testamento nominationis jure auctos, qui et illius exequutores eodem tempore designa-

bantur, jam alterum exurgit argumentum pro filiorum significatione arctius interpretanda. Sic enim ea de causa testator honorasse Corellios nominationis jure ostendit, quod eos jam exequutionis onere praegravasset. Quod magis confirmatur ex particula »o« praemissa verbis »suoi figli«, quae exclusiva est antecedentis: per hanc particulam, ait coetus presbyterorum, altro non poteva significare, se non che il diritto de' figli era ristretto al caso, che mai non fosse stato esercitato dai primi chiamati, ovvero strettamente pedissequo della mancanza de' medesimi: chi guarda l'età lontane e ad una serie lunghissima di generazioni si serve di ben altro e più disteso linguaggio.« Demum recolere est patruis primo loco honoratis suffectam fuisse causam piam, quae ita privilegata est, ut extra legitimam portionem vincere queat etiam favorem filiorum testatoris. *Menoch. cons. 224. n. 29. et 62.*

At pro extensiva interpretatione pugnat acriter Hyacinthus Corelli. Licet enim regula sit, quod nomen filiorum stricto modo non porrigitur ad nepotes, attamen regula etiam est, quod largo modo et in latitudine sui significatus appellatione filiorum veniant nepotes, ut ex literali textu et in *leg. Justa interpretatione* et in *leg. Liberorum ff. de verb. signif.* Per hos enim textus ita et taliter intelligi filios pro nepotibus tradunt DD., ut non dicatur fieri extensio verborum, sed dicatur comprehensio, ceu punctim *Roman. cons. 15. n. 81 et 87; Card. de Luca de fideic. dis. 71 n. 44, Rocca disp. jur. tom. 1. cap. 27. n. 21, Fusar. de subst. quaest. 319. n. 12 et quaest. 320 n. 32, Rota cor. Merlino dec. 206. n. 28. 29.*

Quod autem lato modo sit in themate nomen »figli« intelligendum, duo maxime suadent, finis scilicet, quem in hujusmodi perpertuis honorificis institutionibus quisque sibi solet proponere, generis sui nobilitatem et decus perennandi, quod non contingeret si una cum filiis extingueretur in ejus familia jus ipsum honorificum, subinde amor, quo quisque erga suos magis quam erga extraneos fertur, quo fit, ut merito censeatur testator etiam nepotes ex patruis a se vocatis derivantes substitutis extraneis praeferre voluisse. Cum enim (ait in pari quaestione *Pitonius de cont. pat. alleg. 51. n. 4 et seq.*) praeterire nepotes et proprium sanguinem propter extraneum sit ineptia clara et quae nulli etiam bestialissimo fundatori in mentem venire potest, utique quoties fundator dedit clarum signum praedilectionis erga suum sanguinem ..., sub hac generica vocatione aliorum filiorum unusquisque videt debere includi nepotes, ne sequatur absurdissimum et monstruosum exemplum, quod extraneus debeat admitti exclusive ad sanguinem fundatoris praedilectum, ut ratione hujus absurdi evitandi, quod semper nomen filiorum includat nepotes, est conclusio, quam nullus doctor controvertit, et eam probant duo textus literales in *leg.: Uxorem § Concubinae ff. de legat. 3. in leg. liberorum § Papirius ff. de verb. signif.* Et haec ipsa s. Congregatio hac innixa fuisse amoris ratione videtur, cum nuper Antoniae Bertazzoli Carnevaliae, licet expresse non contemplatae, filios ad beneficium vocatos declaravit praelative ad extraneos in *Imolen. Canonicatus 2. Martii superioris anni.* Sit quidem quod Corelli ad juspatronatus vocati collaterales fuerint testatoris, firmum tamen erit semper principium a natura ipsa descendens, ut amor erga suos primum, sive ex latere sive ex corpore devivantes, deinde erga extraneos exeratur. Accedit in themate peculiaris facti circumstantia: patet enim ex testamento, Marocchium capellaniae erectionem demandasse, si filia sua Elisabeth matrimonium iniret; at ad nominationem non hujus filios vocavit, sed potius illos, qui ex Corelliis nascerentur; hinc majoris praedilectionis argumentum exurgit erga illos, qui ex latere, quam qui ex recta linea erant futuri, multo magis itaque erga prorsus extraneos. Nec pariter relevat pronomen »suoi« quo tantopere delectatur coetus presbyterorum: aut conjunctio qualitatis exequutoris testamentarii cum qualitate patroni aut denum praesumptum causae piae privilegium. Praeter quamquod spernendae sint conjecturae, ubi agitur de admittendo absurdo praelationis extranei prae sanguine juncto, quia oportet in hoc casu, quod literis apertissimis testator expresserit, se voluisse hanc absurditatem, quod nempe excluserit nepotes propter extraneos aut alios minus dilectos, quod non aliter probari potest, quam ubi testator contra distinxisset nepotes a filiis et in uno casu vocasset filios, in altero autem filios et nepotes, auctore *Pitonio loc. cit. non 16.*; propria cuilibet ex allatis difficultatibus non deest responsio.

Ad primam quod attinet, cum ex adducus nomine »figli« veniant etiam nepotes, pronomen illud »suoi« aeque de istis verificatur. Insuper genuino grammaticali modo testator dicere debuisset »loro« quod respondet latino vocabulo »eorum«; at in dispositionibus hujusmodi pronomen praeseferentibus illud non stare restrictive, sed demonstrative ad designandum nomen Fratris tradit *Rocca disp. jur. cap. 27. n. 23, Rota cor. Merlin. dec. 260 n. 33. vers.: minus*; et in fortioribus de verbis illis »ex suo corpore natis« quod non excludantur nepotes, qui etiam ex corpore procreati dicuntur per medium patris, docet *Rust. cons. 2. n. 140. et 141* et in *leg. cum avus l. 6. cap. 13. n. 14, Castren. cons. 164. n. 3 vers.: Sic ostenditur lib. 2.* Alteram vero ex eo diluit, quod saepenumero evenit, ut, qui exequutoris onere gravatur, a testatore quoque honoretur, quin tamen ex hac conjunctione liceat inferri, sicut personale est illud onus, ita et personale debeat intelligi emolumentum; praeterea nimis probaret argumentum illud, dum ex eo a nominandi jure debuissent excludi etiam Corelliorum filii, quos certe testator ad exequutoris officium non vocavit. Ad tertiam tandem reponitur, causam filiorum, licet ii agant ultra legitimam sibi debitam, praeferri causae piae: quia regulariter filiorum favor est potior causa religionis et ecclesiae, Bartolus et alii in *lege Papinianus §. Imperator ff. de inoff. test. Soccin. jun. cons. jur. n. 76., s. Cong. in Burgen. Reductionis 1. Mart. 1777* §. 7.

Caeterum non de fideicommisso res est, quod inter odiosas materias accensetur, sed de favorabili causa jurispatronatus nempe de vocatione nepotum ad beneficium jurispatronatus, ubi nemini praejudicatur, sed immo datur retributio fundatori, mediante persona ejus consanguinei, cui beneficium confertur .., in materia autem favorabili omnia jura clamant ut sub nomine filiorum veniant nepotes, *Bust. cons. 2. n. 32*, eoque magis quia non potest assignari ratio quare testator potius filios quam nepotes locum filiorum tenentes succedere voluerit, ut ait *Butrig. apud Bart. cons. 364 in fin. lib. 4*, ceu adnotat *Pitonius loc. cit. n. 14.* Accedit in themate, quod superioribus annis vi pontificii rescripti alteri ex nepotibus primo vocatorum indultum fuisse, ut de redditibus capellaniae frueretur, et quamvis sub anno 1836. capellania ab Episcopo Faventino collata fuerit extraneo sacerdoti, ea ratione, quod Corellii legitimo tempore peaesentationem omiserant, tamen s. haec Congregatio ad preces hodierni oratoris Hyacinthi rescripto diei 5. Dec. 1842. missas ei inhaerentes ad decennium reducit ita, ut suspensarum missarum eleemosyna a capellano eidem oratori traderetur in filii sui ecclesiasticam educationem impendenda. Sane ex hisce factis observantia exurgit ipsius testamentariae dispositionis interpraetativa, qua vocatio filiorum pacifice protracta est etiam ad nepotes.

Quod si contra institutos judicium tulerint EE. PP., decernendum etiam erit de dispensatione favore Julii Corelli impertienda.

Nec novum nec iniquum est, ut justis extantibus causis favore consanguineorum testatoris ex praesumptae ejus voluntate illa indulgeatur, ceu probant exempla in *Vercellen. 16. Junii 1766* et in *Asculana 20. Maji 1786.* Causas autem in themate opportunas enumerat Episcopus, scilicet nobilis familiae miserrimam conditionem, quae apostolica benignitate digna reputatur, et nullius interesse habentis praejudicium. Sed erit EE. VV. dirimere dubia:

I. *An et cujus favore constet de jure nominandi in casu?*

Et quatenus affirmative favore Corelli,

II. *An et quomodo consulendum SSmo pro dispensatione favore Julii Corelli in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative favore Corelli.

Ad II: Affirmative impletis interim per alium oneribus, docto, cum obligatione suscipiendi singulos sacros ordines, cum ad canonicam pro quolibet pervenerit aetatem, sub poena caducitatis.

Die 25. Jan. 1845.

Forolivien.

Jamdiu per forum volitat praesens controversia, cui originem praebuit vacatio trium beneficiorum Forolivii praestantium, primum sub titulo sancti Mennae, alterum sancti Bernardini, tertium sancti Antonii de Bursano, quae accidit labente anno 1838. Potiebatur tunc temporis a saeculo jurepatronatus super praefatis beneficiis gens Pontirolia, cujus masculina linea cum exaruisset sub anno 1803, pertransiit illud pacifice in

tres superstites foeminas, Corneliam nempe, quae in vota concesserat Comitis Mangelli, Claram, quae nupserat Comiti Gaddio, et Franciscam nuptui traditam Comiti Castellini: supererat et vero, cum vacatio contigit, Clara Gaddia dumtaxat ex una, ex altera Petrus et Philippus Mangelii ex praedefuncta Cornelia derivantes; ac prima quidem Marchionem Albicinium quinquennem vix puerum praesentavit, Mangeli vero alter (Petrus) in fratrem Philippum nominationem contulit; hic pro sui institutione Episcopum juxta canonum tramites est deprecatus. Pro Albicinio interim preces datae sunt ad Datariam apostolicam, ut eum super medietate vocum et aetatis defectu dispensaret; ac frustra obsistentibus Comitibus Mangeliis favorabiles apostolicas literas retulit die 6. Augusti 1838 ac praesertim sub obtutu *»quod ad eadem beneficia sic ut praefertur vacantia a dilectis etiam filiis hodiernis illorum patronis seu illorum majori parte vel saltem medietate fuerit praesentatus«*; quarum literarum executor delagatus est Vicarius generalis Foroliviensis.

Graviter coram hoc disputatum est circa expositas causas, veritati congruerent necne, inter Albicinium et fratres Mangellios huic contradicentes, dum literarum executioni manus apponeret: siquidem Mangellii contendebant, juspatronatus in themate utpote gentilitium computandum esse in capita sic, ut binae ex tribus partibus penes ipsos prostarent, triens tantummodo penes Gaddiam; ac proinde falso Albicinium asseruisse a majori patronorum parte vel saltem medietate fuisse praesentatum; ex adverso instabat Albicinius, juspatronatus censendum esse haereditarium proindeque a quota haereditatis dimetitum pro duabus ex tribus partibus penes Gaddiam superesse, quae Pontiroliae gentis haeres extitit pro triente sub anno 1803, pro altero vero ut instituta haeres a sorore Francisca, vel pro medietate saltem, ubi ipsius primitiva portio tantum cum illa Mangelliorum voluerit comparari. Porro Vicarius generalis deductis hinc inde de jurispatronatus indole monumentis suppletoriis (nam fundationis tabulas temporum longinquitas deperdidit) juspatronatus gentilitium seu familiare esse censuit judicavitque *»non fieri locum executioni literarum apostolicarum, de quibus agitur, et proinde instantiam D. Marchionis Aloysii Albicini rejiciendam fore et esse.«*

Non ita vero sentiit s. Rotae auditorium, ad quod devictus provocavit Albicinius: hoc enim revocata Vicarii generalis sententia apostolicas literas executioni demandandas esse firmavit duplici sententia, qua plena emersit res judicata. Ast hujusce pondus universum subvertit mox supremum signaturae tribunal, quum petentibus Mangeliis universa hactenus acta coram sacra Rota mandavit circumscribi, rata a delegato judice, prout in casu erat Vicarius generalis, ad Ordinarium perperam provocatum fuisse.

Quaestio itaque ex integro proponitur hodie s. huic Senatui, prout erat post latam vicarialem sententiam, ita nempe annuente Principe sacratissimo ad preces Marchionis Albicini novum causae judicem postulantis *»Ut cognoscat atque definiat an literae apostolicae sint exequendae, an vero sententia praedicta confirmationem mereatur; quamobrem eidem Congregationi facultates tribuit necessarias et opportunas, contrariis quibuscumque non obstantibus.«* Additur et dubium super venia retinendi beneficia in habitu laicali favore Philippi Mangelli, siquidem ille hoc petiit, quatenus majori patronorum voce honestatus judicetur.

Episcopus, quem placuit de more rogare, auditis interesse habentibus nullam super jurispatronatus articulo aperit animi sui sententiam, factorum historiam retulisse contentus: circa vero petitam dispensationem haec habet: »Narrativa precum a Comite Philippo Mangelli ssmo Pontifici exhibita in omnibus veritati est innixa. Quapropter submisse opinor, ipsas exaudiri posse, in hoc sensu tamen, quod vel ad vitam fructibus beneficiorum gaudeat, dummodo tamen illico tria patrimonia constituat scutatorum viginti quinque ad formam legis synodalis pro titulo promovendorum ad sacros ordines, ad quae tres pauperes clericos nominet, et omnibus oneribus annuatim ipse satisfaciat, donec per obitum ejus ipsi clerici ad possessionem praedictorum ascendant: vel per sexennium tantum iisdem fructibus gaudeat oneribus adimpletis. In primo casu utilitas adesset et servitium ecclesiae, in secundo compensationem reciperet pro expensis factis in lite, si tamen placeat Emis viris, quorum judicio me humillime submitto.«

His precibus nemo obstat praeter Raphaelem Albicinium Aloysii praefati patrem, qui falso eas laborare supposito defendit, quod

attendenda sit Clarae nominatio illius favore absoluta; nec alius adesse in praesens videtur, cui praejudicium inferatur.

Explicit hic factorum historiam. De jure multa hinc inde disputantur circa indolem jurispatronatus, ex qua sane prioris dubii solutio praecipue dependet. Albicinio princeps tutela est, in praesenti possessorio judicio attendi oportere dumtaxat ultimum statum, rejectis ad separatam judicii sedem altioribus indaginibus super petitorio: cui doctrinae ex *capite Consultationibus lib. 3. de jurep. cap. 19.* derivatae adhaesit firmiter Rota in decisionibus omnibus editis in ipsa hodierna controversia. Porro ex ultimo statu, scilicet ex consensu a compatronis praestito 1834 Francisco Mangellio tunc beneficiorum possessori eisdem fruendi in habitu saeculari hunc apparere haereditarium: ad id enim devenire profitebatur Clara: *nella qualità di Coercede generale della mia nobile famiglia Pontiroli:«* Mangellii vero fratres tunc in vivis degentes *»quali Eredi intestati della comune nostra Madre Contessa Cornelia Pontiroli,«* quos si placeat ad postremas nominationis confugere in ea, quae secuta est 1816, et altera 1803, eaedem fere voces occurrent legenti. Notissimum itaque cum juris prudentia sit in jurepatronatus haereditario succedi in stirpes, et non in capita, jam majorem partem, sin minus, medietatem vocum apud Claram resedisse tempore actae nominationis ambigi non poterit.

Quinimo nec petitorium timere pergit ubi et istud spectari placuerit; cumulatisque praeteritarum nominationum ab aevo monumentis satagit evincere in his ferme omnibus *haeredis et successoris* nomen occurrere, in postremis praesertim superius memoratis, ubi haereditarius titulus clarius innuitur. His accedunt momentosa facta, hujusmodi patronatum a gente Ordelaffia per medium Guideriae Ordelaffi transisse in familiam Pontiroliam, ubi desponsata fuit titulo haereditario, teste patrio historico Marchesio; fuisse juspatronatus super beneficio s. Bernardini supremo elogio 1743 legati titulo relictum a Joanne Pontirolio Thomae fratribusque Ugoliniis; sub anno vero 1789 ad idem beneficium nominasse Thomae Ugolinii executores testamentarios juxta codicillares illius tabulas: quae facta omnia, cum sine haereditaria successione contingere nequiverint, haereditarii jurispatronatus indolem suapte natura demonstrant. Explorati juris est vel in ipso dubio quodlibet juspatronatus praesumendum esse haereditarium, quippe natura sua transeat ad haeredes, ad text. *in cap. 1 et 3 de jurep. Clem. plures eod. tit., Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 11 num. 19, Rota decis. 25. num. 1 cor. Card. Gamberini § 4.* Pariterque doctorum et tribunalium sententia est vel ipsum juspatronatus gentilitium in ultimo agnato effici haereditarium, *Tondut. quaest. benef. part. 3 cap. 2. n. 55., Fargna de jurep. p. 2. cap. 2 cas. 13 n. 3 et 4, Rota in Balneoregien. jurisp. 6 Julii 1832 § 9 cor. de Rez., s. Congr. in Tudertina Jurisp. 27. Januar. 1827 §: Francisco.* Mangellii ex adverso toti inprimis sunt ut nos versari suadeant in casu exceptionis praefatae regulae ex capite *Consultationibus* depromptae, in aliqua scilicet earum, quas post Panormitanum tradunt doctores et tribunalia, qui firmant possessionem attendendam non esse quoties ante secutam institutionem doceat verus patronus de suo jurepatronatus per remjudicatam, publicum instrumentum fundationis vel partis confessionem. Ita *Piton. discept eccl. disc. 28. n. 2., Rota in dec. 180 p. 1. Recen. dec. 798 num. 6. cor. Dunozet.* et in eadem praesenti controversia die *24. Januar. cor. Bonini* § 6. Porro interposuisse ostendunt remjudicatam, sin minus, partis confessionem super indole familiari jurispatronatus in casu, quum 1685 praesentatis ad beneficium s. Mennae Bernardino ac Bonifacio, quorum uterque apostolicas literas retulerat medietati vocum derogantes, exarsit lis coram episcopali curia executrice, quis eorum esset instituendus: ex actis autem, quae de eo tempore supersunt, in id intendisse Bernardinus ernitur, ut patronatum evinceret haereditarium ideo facile, quia minori patronorum numero praesentatus vellet ex haereditaria quota jus suum potius limetiri; quamvis temporum edacitas secuta subinde postrema acta consumpserit, facto tamen constat obtinuisse Bonifacium; nam hic beneficium assecutus est et in posterioribus nominationibus hujusmodi acta ad effectum vere gentilitii jurispatronatus adduci sueverunt. Quare vel sententia adactus recessisse ab aula dicendus est Bernardinus vel juri suo valedixisse, quod idem est ac patulam juris alterius confessionem emittere, quae sane confessio vel ab ipsis hodiernis patronis elicita sustinetur, quando in praesentatione data sub 1803 affirmatum est be-

neficium »*Di giuspatronato della loro famiglia Pontiroli, a cui appartiene per antico diritto.*«

Quin et titulum ostendere se patulo subsumunt, a quo par est ut absorbeatur possessorium. Hinc recensentur ordine praesentationes a pluribus saeculis expletae cum secuta subinde institutione, ubi, quoties, natura juris petronatus indigitata est, perpetuo recensitum fuit »*De jurepatronatus familiae de Pontiroliis*« ac patronos nominasse videre est uti *filios* vel ex *jure proprio* vel *antiqua consuetudine.* Crescit autem argumentatio, si perpendatur patronatum ipsum per quinque saecula in familia Pontirolia perstitisse, nihil refragante historia Marahesii, qui vel verbum haereditatis adhibuisse censendus est in sensu successionis sanguinis vel, si materiali sensu sumpsisset, posteriori bis saeculari fere observantia contradiceretur, qua constat patronatum habitum ut gentilitium, facilique negocio de jure etiam haereditarium in familiare convertitur, *(Vivian. de jurep. lib. 4. cap. 9. num 28. et 47, Piton. discept. eccl. 37.)*: nec etiam relevantibus codicillaribus tabulis 1763. quippe inutiles probantur nec demum praesumptione, quae in dubio jura hujusmodi tenet haereditaria; haec enim praesumptio cessat subintratque contraria, quoties, ut in casu, de familiis agitur generis nobilitate praestantibus, *Card. de Luca de jurep. disc. 23. num. 14, Piton. de controv. patron. alleg. 92. n. 1.*

Quod si Panormitani exceptiones non probarentur, adhuc triplici ex capite ultimum statum attendi non posse, sed petitorium, ex quo familiaris qualitas ex dictis exurgit, instant Mangellii. Et primo quia ultimus status in themate turbidus esset, utpote gentilitiam qualitatem etiam indigitans; sive enim in nominatione 1816 sive in consensu prastito pro retentione beneficiorum in laicali statu de 1834. multa sane enucleantur, quae gentilitiam sapiunt naturam, imo saepe repetitur »*giuspatronato gentilizio .... della casa Pontiroli etc.*« Ulterius quia executiva indoles apostolici diplomatis vulnerata remansit per priorem contrariam sententiam Vicarii gen. *(de Rosa de execut. literar. apost. p. 1. cap. 8. n. 155, Rota dec. 148. 3. et 4. cor. Crescentio).* Demum quia hodie ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 9. de ref.* probari debet in omni jurepatronatu omnino titulus, quoties interesse intrat ecclesiae (commentatore *Fagnan. ad cap.: Consultationibus lib. 3. decret. n. 7. et 39.* et de *Rosa de execut. liter. apostol. p. 1. cap. 7. n. 318.)*: Ast in casu interest, profecto ecclesiae juspatronatus esse potius familiare quam haereditarium, docente *Card. de Luca de jurep. disc. 60. n. 22.*

Pertinent haec ad primum dubium. Pauca quoad alterum: Rejecto Albicinio narrat Mangellius nihil esse quod veniam super retentione beneficii in habitu laicali valeat retardare, siquidem nemini per id praejudicium inferatur, familiares augustiae satis demonstrentur, unacum possessione jurispatronatus; faveat Episcopi suffragium ac exemplum, quo decessoribus patronis eorumque filiis relativa saltem paupertate laborantibus s. Ordinis benignitas per hujusmodi indulta suevit gratificari.

Obstat nihilominus et huic petitioni Albicinius exponens false assertum fuisse in suis precibus a Mangellio, unicum esse in possessione versari jurispatronatus ac sententiam Vicarii gen. Forolivii in rem transisse judicatam, quum preces jam datae fuissent Pontifici pro causae revisione: satis praeterea locupletem Mangellium edicit nec dignum, qui hujusmodi subsidio donetur.

His breviter delibatis, quae in allegationibus hinc inde distributis rogamus EE. PP. ut dirimant dubia:

I. *An sit locus executioni literarum apostolicarum seu potius sit confirmanda sententia Vicarii Foroliviensis delegati apostolici in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam,

II. *An et quomodo sit annuendum precibus super dispensatione retinendi beneficia in habitu saeculari in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II: Provisum in primo.

Quoad provisionem ad D. Secretarium cum SSmo pro deputatione administratoris ad effectum colligendi redditus eosque deinde tradendi, cui de jure.

Die 14. Decb. 1844.

Continuatio Forolivien.

Multa repetit Albicinii vindex, in nupera allegatione, quae jam alias enucleata fuerant,

totusque est ut conficiat juspatronatus, de quo agitur, esse haereditarium, quod magis confirmatum edicit ex actu nuper exhibito nominationis expletae de 1743, quo fratres Ugolini uti legatarii olim Canonici Joannis Pontiroli ad nominationem procedere fatentur. Quod si de gentilitio res esset, tale tamen reputandum esse, quale solis agnatis competit; etenim videre perpetuo est, solos familiae masculos nominasse, quo in casu juspatronatus familiare seu gentilitium masculinum censendum esse tradit *Card. de Luca de jurep. disc. 22. n. 6. et n. 12. et seq.,* imo tale ut foeminas perpetuo excludat, *Piton. de controv. patron. alleg. 28. n. 7*; porro si neminem latet hujusmodi agnatitium juspatronatus agnatione extincta fieri haereditarium, jam tale in themate evasisse illud familiae Pontiroli a funere Bonifacii Pontiroli exeunte saeculo superiori. Si demum gentilitium adhuc persistere sustineatur, in quo et foeminae saltem per posterius sed in subsidium dici volunt vocatae, illud utpote stricte agnatitium constitisse 1838 dumtaxat in comitissa Clara Gaddi contendit, quae utpote ultima foemina superstes ex ultimo mare agnationem conservat.

Hisce autem positis vocum pluralitatem, sin minus, medietatem favore Albinici quavis in hypothesi exurgere subsumit, adeoque apostolicas literas satis superque justificare. Aut enim patronatus est haereditarius et Clara qua haeres sororis Franciscae majore potiebatur suffragiorum parte, besse scilicet, dum triens Mangeliis maneret, vel est agnatitius stricte talis exclusivus foeminarum, ut tunc, cum evadere debuisset, extincto ultimo masculo, haereditarius, idem recurrit argumentum, vel comprensivus per posterius foeminarum, et tunc voces universae vivente Clara apud ipsam unam superérant, quippe agnatio in eam tota coaluerat: vel demum ultimo statui adhaerere placet, et hunc haereditarium proprie fuisse jam pluries est demonstratum, adeoque vocum bes pro Clara Gaddi praeseferentem. Haec porro universa ab ipso Foroliviensi Antistite ingenue disputata hoc sub aspectu Albicinio favorabili fuisse perpendit in relatione ad apostolicam Datariam transmissa die 3. Julii 1838, quidquid postea senserit curia in relatione data ad s. Ordinem.

Pro Mangelliis nulla distribuitur allegatio: adprecati quidem sunt causae definitionem comperendinari idemque rursus adprecantur ab EE. VV., postquam ego, qui plures contradicente parte inducias largitus fueram, eos ad EE. VV. remisi rescripto: »Utantur jure suo in die propositionis causae.« Proponuntur

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Dilata ad sequentem omnino et infallanter.

Die 19. Apr. 1845.

Continuatio Forolivien.

EE. VV. ita jubentibus rescripto edito in superioribus comitiis: *Dilata ad proximam omnino et infallanter* novo subjicitur examini vetus controversia, quae primum proposita die 14. Dec. anni superioris concinnatis dubiorum formulis:

I. *An sit locus executioni literarum apostolicarum seu potius sit confirmanda sententia Vicarii Foroliviensis delegati apostolici in casu?*

Et quatenus negative ad 1. partem, affirmative ad secundum,

II. *An et quomodo sit annuendum precibus super dispensatione retinendi beneficia in habitu saeculari in casu?*

responsum retulit

Ad I: Affirmative ad 1. partem, negative ad secundam.

Ad II: Provisum in primo.

Eadem, quae victoriam jam pepererunt, distribuit jura Albicinius necnon allegationem jam a praeterito mense paratam. Mangellius at vero alias fuse deductis et multa addit, quae praecipue praestat delibare.

Distincta hodie oratione distinctisque pertractat argumentis de beneficiis s. Mennae et s. Antonii in Bursano ab altero, quod nuncupatur a divo Bernardino.

Cribrato iterum quoad priora ultimo statu nominationum, ut conficiat hunc, nisi gentilitium, turbidum, sin minus esse tenendum, ita ut ad petitorium necessario revocet indaginem, juspatronatus in suo titulo inspectum gentilitiam vere sapere indolem

undequaque confirmat, exhibitio schemate chronologico nominationum, quae ab anno 1684 usque ad praesens effectum sortitae sunt; ubi id praecipue animadvertit, nominationes hujusmodi factas fuisse absque intermixtione extraneorum, etsi hi non defuissent. Sane ex arbore genealogica narrat quatuor (praeter foeminas) fuisse filios seniori Antonio Pontiroli, Hieronymum, Orphaeum, Claudium et Alexandrum. Porro horum omnium haereditatem, exhausta masculina linea, per foemininum plerumque medium in extraneos migrasse probat; quorum tamen nomina nunquam comparuere in anteactis praesentationibus ad beneficia, de quibus agitur.

Sollicitus est subinde ut umbras repellat quas affundere adversarii conati sunt nonnullis vel factorum circumstantiis vel juris principiis, quibus defensio primum innixa est. Hujusmodi sunt, rem judicatam anni 1685 retorqueri in Mangellios, quia, si Coltrarius a nominandi jure exclusus fuit ut descendens per medium foeminae, eadem ratione excludendi essent Mangelii; juspatronatus etiamsi gentilitium admitteretur, in ultimo agnato evenisse ex Ancharani theorico haereditarium; sin minus esse lineale, adeoque pares saltem lineas Albicinio suffragari: praesumptionem in dubio stare pro qualitate haereditaria.

Porro ad primum, praetermisso quod Mangellii in possessione versentur juris nominandi, perpendit, ideo Coltrarium exclusum fuisse, quod mares cognati, extantibus tunc agnatis masculis de Pontirolis, admitti non poterant, quippe qui veniant tantummodo in subsidium; hodie vero ab anno 1803. extincta masculina linea de Pontirolis jam in faemineam (quae unica perstat) juspatronatus commigrasse; sicuti jam per duplex medium faemininum transit e gente Ordelaffia in Pontiroliam, et tamen (ut nominationum subseqnutarum series demonstrat) semper mansit gentilitium. Hoc autem posito ad alterum reponit, Ancharani theoriam extra chorum allegari; siquidem eo de casu tractat, quo extincta prorsus tota testatoris familia et defectis omnibus vocatis; quaeritur, an beneficium debeat liberum fieri favore ecclesiae; et statuitur, effici oportere de jurepatronatus haeredum, referente *Piton. discept. eccl. 33. num. 1, de Luca de jurep. disc. 60. num. 8.* At in casu nondum vocatorum series exhausta est, quia mares ex faeminis in subsidium vocati supersunt.

At tertium, nil magis a themate alienum esse instat, quam juspatronatus dicere lineale; vel enim communi juri standum est ac ex eo oppido docemur, ad gentilitium non lineas sed capita omnia, utpote jure proprio venientia, minime habita ratione gradus, vocari: *Card. de Luca de jurep. disc. 33. num. 5. et disc. 59. num. 5*, adeoque lineale praesumi non posse, nisi ex patulo fundationis actu probetur, quae deest in casu: vel factis placeat adhaerere et ex his constat patruos cum nepotibus Joanne Antonio et Babone Felice nominasse. Constat illud potius quam divisum in lineas semper unicum ac individuum mansisse; etenim ex familia Ordelaffia unus Bartholomaeus integrum possedit an. 1317, Guireria 1396; ex Pontirolia Bajotius integrum exercuit 1437 ac tale devenit a Bajotio in Antonium, et quamvis huic plures extiterint filii, tamen integrum et individuum mansit, quippe extinctis horum filiorum lineis integrum rediit in descendentiam Alexandri senioris. Constat Coltrarium 1684 a rejudicata exclusum fuisse, quod fieri nequisset, ubi de patronatu actum esset lineali, quia per posterius, defectis masculis, in quota suae lineae succedere debuisset, et ita pariter excludi eadem de ratione non potuisset Orlandus Orlandi, qui tamen exclusus est. Constat demum, in nulla ex innumeris sane deductis praesentationibus mentionem unquam excidisse gradus, lineae aut quotae vocum. Ceterum quamvis lineale vel mixtum juspatronatus ediceretur, et illud peculiari nota dignum existimat medietatem vocum non sufficere ad obtinendam executionem literarum apostolicarum, quippe ita laederetur jus alteri quaesitum; quod conditioni adversatur in ipsis literis appositae »dummodo tempore datae praesentium non sit alicui specialiter jus quaesitum.« Profecto Mangellius in paritate vocum jus habuisset ad praelationem, utpote duplici auctus qualitate patroni et nominationum aequalium. *Piton. de controv. patron. alleg. 6. num. 5. et seq.*

Demum ad quartum, praeter doctrinas alias deductas recolit, quod, quidquid sit de theoria in foro recepta post Clementinam *Plures* ex Concilio Viennensi 1311, quo innovatio hac in re facta fuit, ante id temporis adversa praevaluerat opinio in anteriori sane ac pervetusto Ordelaffiae gentis patronatu merito servanda. *Piton. discept. eccles. disc. 53. p. 1. num. 1, Rota dec. 159. cor. Priolo num. 20.*

De beneficio vero s. Bernardini, literas apostolicas executioni committi non posse contendit, cujusque tandem naturae juspatronatus renuncietur, sive gentilitiae scilicet sive haereditariae.

Ac primum gentilitium hoc certo certius ostendi perpendit a testamento Jo. Antonii Pontiroli, sive quod antea jam tale extiterit sive quod tale ipse primus effecerit: reliquit enim expresse ex sorore nepotibus *»ed in caso d'estinzione della famiglia de' detti suoi nepoti... ai fratelli Pontiroli, e loro successori in infinito.«*. Sane si cessare debuerat juspatronatus, extincta familia, certo certius in Ugoliniis debuit esse familiare, si autem tale fuit in primo vocatis, tale etiam in substitutis merito praesumitur, quod magis magisque confirmatur ex verbo »*Successori*« absque ulla haereditatis mentione, ita ut retulerit ad successores sanguinis. *Rota dec. 39. num. 6. pag. 4. t. 1. Recen.* Quin obstet vel codicilum a Thoma Canonico Ugolini exaratum 1763 vel donatio ab Angelica postmodum facta favore ipsius Canonici. Siquidem sive juspatronatus gentilitium fuisset ante testamentum Joannis sive per ipsum tale fuerit effectum, nequivisset successor Thomas quaesitis familiae juribus codicillo praejudicium inferre, ac nulliter egisset: et revera sequioribus saeculis proprio semper jure omnes de familia praesentarunt; donatio autem facta expresse edicitur ab ipsa Donante »*per uniformarsi e secondare la buona volontà e disposizione di detto sig. Canonico Giovanni di lei Zio,*« quem sane probatum est de jurepatronatus disposuisse prorsus gentilitio. Jam vero si de gentilitia constat ejusdem indole, planum est inferre, majorem vocum numerum pro Mangellio militare.

Quod si fingeretur haereditarium, in idem recidit resolutio: imo in pejorem causam, quia nullam .Clara Gaddia adeoque et nullam Albicinius vocem praeseferret. Scilicet in hac hypothesi firma in omnibus starent codicillares tabulae Thomae Ugolini, quibus non familiae favore juspatronatus assignatur, sed favore primum executoris testamenti, deinde in perpetuum favore capituli. Praeterea sartum tectumque tenendum foret, juspatronus passivum iisdem tabulis praescriptum: *»con questo però che quando vi siano soggetti abili e capaci nella discendenza mascbile del prefato Fabrizio Pontiroli, questi debbano prelativamente ad ogni altro esser eletti e nominati in rettore,«* et inferius: *»poichè la mia intenzione è, che rettore del detto beneficio sia sempre uno della discendenza mascolina di esso sig. Fabrizio Pontiroli, quando vi sia abile e capace.«* Atqui satis examussim esset Mangellius omnino idoneus, et qui per Corneliam a Fabritio Pontirolio derivat: nec Pontifex solet passivae vocationi absque expressa saltem mentione praejudicare. *Fargna de jurep. p. 2. can. 9. cas. 11. num. 14, Rota p. 17. dec. 372. num. 7. Rec.* Albicinius e contra, etsi et ipse e faeminina Fabritii linea descendat, tamen idoneus non erat, utpote puer ac pluribus nominibus Mangellio postponendus: scilicet quia per triplex faemininum medium Fabritio jungebatur, dum uno tantum jungitur Mangellius, rite dictus semiagnatus, *de Rosa consult. 69. num. 217. et 220, Calcagn. de variat. ultimar. volunt. art. 7. n. 28*, praeterea, quia remotior erat testatori; dum contra jus clamat in hujusmodi passiva testatoris directa vocatione proximiorem praevalere. *Piton. allegat. 1. de controv. patron. num. 4, Carolus Anton. de Luca de linea legali art. 24. num. 16.*

De dispensationis causis favore Mangelii eadem ferme recoluntur, quae in praeteritis propositionibus enucleata sunt. Erit itaque EE. VV definire

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in I. dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in II. dubio in casu?*

S. C. resp.:

Dilata ad primam post proximam omnino et infallanter.

Die 7. Junii 1845.

Continuatio Forolivien.

Pauca recolam quae hinc inde disputantur, ut vel data resolutio confirmetur, prout Albicinius, vel infirmetur potius, prout Mangelii fratres contendunt.

Seclusa indole jurispatronatus late familiaris, quam vehementer negat, quaecumque tandem fingi velit indoles jurispatronatus, de quo quaeritur, idem semper sui favore redire argumentum pro pluralitate aut saltem medietate vocum iterum clamat Albici-

nius: sive enim haereditarium ponatur et vinceret, quia Clara duplici haereditatis parte pollebat, tertia tantum Mangellii, sive stricte agnatitium, et ex Ancharani consilio celebratissimo haereditarium evasisset in ultimo agnato masculo Bonifacio Pontiroli, sive demum late agnatitium, in quo faeminae veniunt per posterius; et tunc manente adhuc in Clara Pontiroli agnatione una haec hodie universo jurepatronatus frueretur. Ne autem temere late familiarem indolem exclusisse videatur, totus est, ut illam omnino agnatitiam demonstret, quatenus haereditaria censeri nolit, uti initio contendit.

Tale nimirum, imo faeminarum undequaque exlusivum juspatronatus demonstrari pugnat et ab ipsa nominationum serie ex adverso exemplata, ubi perpetuo addictum esse de domo et familia de Pontirolis *(de Luca de jurep. disc. 26. n. 8, Capon. discept. actione 263. act. 2. num. 6, Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 192, Rota in recen. decis. 679. num. 7. part. 8. tom. 2. et in Ferentina Benef. 5. Martii 1736. cor. de Vais* §: *Pro recta et sequen.)*, et ab exclusione faeminarum ad praesentandum longissimo annorum lapsu *(Piton. alleg. 169. num. 2. et seq., Rota coram Ansaldo dec. 38 num. 23.)* Quo in loco refert anno 1648 et 1696 facta vacatione beneficiorum s. Antonii et s. Mennae extitisse agnatas faeminas Pontirolias, Franciscam et Jacobam, quae tamen ad nominandum admissae non sunt; et ita pariter sub anno 1734 et 1743 et 1747 factum fuisse commemorat: imo addit labente anno 1789 unam Franciscam Bajotium Bonifacium germanum praesentasse absque interventu neptum ex praedefuncto fratre Tiberio Clarae, Franciscae et Corneliae aetate majorum, et Antoniae Boschi Mariae Angelicae Pontiroliae filiae, quod pariter accidit 1805, quum sequuto funere rectoris Bonifacii faeminae dumtaxat agnatae Clara Francisca et Cornelia Pontiroli praesentaverunt.

Quod si faeminas per posterius ad controversum juspatronatus nihilominus admissas esse contenderetur, praeferendam perpetuo omnibus esse Claram instat, nedum quia postrema agnata sed etiam quia proximior. Etenim, ut ait *Rota decis. 661. num. 26. cor. Molines*, etiam in jurepatronatus gentilitio exercitium circa jus praesentandi pertinet ad illum de familia, qui pro tempore est proximior fundatori. In themate autem adstipulatur observantia, qua constat de anno 1684 ad 1816 patres numquam cum filiis nominasse; et si de anno 1684 et 1596 promiscue nominasse apparent agnati de domo Pontirolis et patrui una cum nepotibus, hoc tunc jure repraesentationis, scilicet in stirpes nominasse, satagit evincere recolitque, quod, licet in jurepatronatns gentilitio jus praesentandi devolvi soleat in capita, nihilominus id procedit, quando juspatronatus relictum fuisset universae familiae absque sexus, aetatis et proximioritatis distinctione (*Vivian. de jurep. lib. 4 cap. 2. numer. 28. et seq., Card. de Luca de jurep. disc. 54 numer. 5. et 6.)*, secus autem ubi (ut in themate) juspatronatus ex consuetudine devolutum fuit ad masculos agnatos, neque unquam patres simul cum filiis praesentarunt, remotiores cum proximioribus, quia tunc successio sive jurispatronatus exercitium gradatim regulatur, ut firmant *Vitalin. in Clement. Plures. numer. 42 de jurep., Tondut. quaest. benef. part. 1. cap. 32. numer. 5. 7. et 8.* Ceterum etsi in indifferenti materia versemur jurispatronatus, non ex hoc uno tamen, clamat, omnes agnatos et cognatos familiae nomine comprehendi, sed necesse insuper esse, ut aliqua adsit conjectura, ex qua colligi queat fundatorem seu consuetudinem ad agnationem non respexisse; alias juxta receptum Italiae usum vocabulo familiae agnati tantum designati censendi sunt, admissis cognatis forte in subsidium, teste *Card. de Luca de jurep. disc. 60. numer. 30, Piton. de controv. patr. alleg. 10 numer. 129;* atqui hujusmodi conjecturae, instat, omnino desunt in themate; imo contrariae ex probatis habentur.

Novo Mangelliorum defensori nova non deest defensionis ratio. Iis autem omissis, quae in praeteritis causae disceptationibus pluries digesta sunt, unum et alterum praecipue videtur animadversione dignum, illud circa ultimi status robur de vocum mensura, hoc autem circa inexistentiam jurispatronatus agnatitii perperam ex adverso praetensi.

Scilicet revoluto pallio ultimo prorsus statui standum esse propugnat enerviter in praesenti judicio institutionis, omnino possessorio, juxta notissimum caput: *Consultationibus de jurep.* et ex hoc ultimo statu praesentandi rationem et vocum numerum fore dimetiendum. Porro nil magis in facto exploratum, quam quod Mangelii fratres in quasi possessione praesentandi versentur, quoniam ii anno 1816. una cum suis materteris ad controversa beneficia rectorem praesentarunt, qui mox institutionem obtinuit ex utraque nominatione; atque hic ultimus actus est nominationis, cum anno 1834 actum dumtaxat fuerit de consensu praestito pro saecularizatione. Ad effectum constituendi ultimum statum vel unicum actum sufficere auctor est *Fargna de jurep. part. 2. can. 26. num. 13, Piton. discept. eccl. 13. numer. 36.* Pariter exploratum edicit, Mangellios eosdem in quasi possessione versari praesentandi in capita seu pro virili, siquidem nec vola est in postrema praesentatione, quae accidit sub 1816, pro qua parte seu quota compatroni praesentaverint seu consenserint, quinimo praesentatio in capita pacifice prorsus obtinuit nedum in hac postrema sed in universis antiquioribus, quae prostant, praesentationibus, quum nullibi quotae mentio exciderit quoad nominantes, qui proinde in solidum fuerunt admissi. Jam vero ex hujusmodi examussim extremis et observantia quaesitam censeri quasi possessionem praesentandi in capita seu pro virili et doctores edocent et tribunalia firmant. Ita sane *Piton. de controv. patron. alleg. 100. numer. 85, Lambertin. de jurep. lib. 1. part. 2. quaest. 1. artic. 25. num. 15, Rota cor. Buratto decis. 633. n. 1. et seq.*, in *Bononien. Beneficior. de Castello 2. Maji 1712.* §: *Negare, cor. Crispo, et in confirmatoria 12. Decemb. ejusd. anni* §: *Et quidem, cor. Ansaldo:* et in alia *confirm. 9. Junii 1713.* §: *Ast, cor. eodem.* Hisce positis vix trientem vocum Albicinio suffragatum fuisse infert in ralata nominatione unius Clarae contra genuinos Mangellios adeoque pluralitate et medietate vocum omnino carere.

Heic autem iisdem usus armis, quibus triumphat Albicinius, perperam obtrudi perpendit, Mandellios fuisse intrusos (estsi de facto id constaret, quod negat), quippe ex doctrina contra elata, *caput: Consultationibus* limitationem non patitur nec proprietas absorbet possessorium, suam fundat intentionem vel in patulo fundationis instrumento vel in confessione partis vel demum in re judicata, quorum nullum adest in themate favore Clarae Pontiroli. Quod si ediceretur, Clarae binas in ultimo statu competiise voces, unam propriam, alteram illi obventam cum haereditate sororis Franciscae, cui successit (adeoque Albicinium vocum medietate fulciri), reponit tunc, Mangellio succurrere qualitatem patronatus activi, quo potitur, quae sane tribuit praelationem ex deductis alias plena manu doctrinis; et huc facile pertinet clausula apostolicis literis ab adversario relatis adjecta »dummodo tempore datae praesentium non sit alicui specialiter jus quaesitum.« Profecto cum Mangellius patronus jam a mense Januarii an. 1838. esset praesentatus, jam ab eo tempore jus quaesierat, scilicet ante latas die 6. Augusti ejusdem anni literas apostolicas favore Albicinii.

Ubi vero petitorium ingredi placeat in praesenti judicio, juspatronatus subinde probat familiare iisdem fere rationibus alias deductis, totus vero est, ut qualitatem stricte agnatitiam, qua tantopere triumphabat adversarius in praeterita propositione, omnino eliminet.

Omisso, juspatronatus controversum ad Pontirolios devenisse ex gente Ordelaffia per medium Guireriae, ita ut hodierni patroni veniant omnes ex cognatione, agnationem perpendit inductam fuisse subtilitate legum civilium, cum ea juri naturae sacrisque canonibus sit prorsus incognita; et si in jure patronatus quandoque observatur, id non ex dispositioue juris est, sed ex dispositione hominis, nimirum ex lege, quam expresse fundator imposuerit: hujusmodi hominis lege remota nulla agnationis ratio habenda est, cum materia jurispatronatus, quae est prorsus indifferens, complectitur tum masculos cum faeminas eorumque descendentes, *Rota in Monasterien Vicariae 3. Maji 1795.* §. *7. cor. Frangipane.* Atqui fundationis tabulae in themate prorsus desiderantur.

Neque his supplere valet observantia, quippe quae nec in facto stat nec in jure. Non in facto, quia anno 1684 admissi sunt ad praesentandum cognati Orlandus et Coltrarius et anno 1743 admissa est praesentatio Angelicae in beneficio s. Bernardini. Observantiam, scitum est, vel ex unico contrario actu subverti, *Rota coram Ludovis. dec. 162. num. 9;* non autem in jure, quia, etsi constanter masculi praesentassent exclusis faeminis, non exinde erui necessario posset qualitas tricte agnatitia, quippe ex aliis causis praeter strictum agnatorum vocationem contingere valuerit. E-sane omisso, quod ex facultate patronis cognatis competente id fieri potuerit, qui jure suo usi non fuerint (versamur enim in ma-

teria actus facultativi et in observantia negativa), extabat statutum Forolivii, auctore *Card. de Luca de statuar. success. partic. 73.*, exclusivum faeminarum in concursu masculorum: hoc in casu non probari qualitatem agnatitiam ab exclusione faeminarum tradunt *Tondut. quaest. benefic. part. 3. cap. 157. num. 36*, *Piton. de controv. patr. alleg. 37. num. 16*, *Rota in recen. part. 18. tom. 2. decis. 806. num. 5*, sed probari tantum agnatorum praelationem cognatis: *Ruinat. consult. 120. num. 8*, *Anchar. cons. 359. num. 3.*, qui imo docet, defectis agnatis masculis succedere cognatos masculos in exclusionem faeminarum quoque agnatarum. Atque hinc factum explicat cur in praesentatione anno 1684 Bernardinus a cognatis nominatus succubuerit.

Praeterea animadvertit, nullam in tot praeteritis praesentationibus factam fuisse mentionem agnationis, ex quo agnatitia qualitas magis excluditur, ex *Pitonio de controv. patron. alleg. 100. n. 191.* Imo addit quaecumque tandem admitti velit observantia, eam respicere dumtaxat exclusionem marium cognatorum, extantibus maribus agnatis. Cum porro tritum in jure sit observantiam nocere in sui terminis tantum et in casu identico, non in terminis et casu diverso, *Rota coram Ludovisio decis. 162. num. 2. cor. Dunozetto jun. dec. 545. num. 9*, eam nullimodo obesse pugnat Mangeliis in themate, siquidem in praesentatione an. 1838. concurrunt Mangelii cognati masculi cum Clara agnata foemina.

Hactenus disputata quoad tria beneficia generatim clariora evadere concludit pro beneficio s. Bernardini, ubi hoc dicatur, uti ex adverso, juspatronatus hujusmodi donatum extitit exhausta nepotum familia »ai nobili Signori Can. Alessandro, e fratelli Pontiroli di lui cugini, e loro successori in infinito.« Scitum est verbo *successori* absque additamento *haeredum* indigitari successores sanguinis et tam agnatos quam cognatos comprehendi: *Rota in nuper. t. 8. dec. 122. n. 12. t. q. dec. 121. in 2. cor. Ubago etc.*

Dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp. Ad I et II: In decisis, et amplius.

Die 2. Aug. 1845.

Forosempronien.

Sacerdos Stephanus Magnoni ex oppido Palatii, Forosemproniensis dioecesis, postremo quo decessit testamento die 1. Maji 1722. per acta Francisci Brunni Arceviae exarato capellaniam sacerdotalem instituit in ecclesia parochiali Palatii sub invocatione B. M. V. ssmi Rosarii legemque dixit, ut celebraretur »una messa cantata della Madonna con le litanie della medesima parimenti da cantarsi in fine della messa per qualsivoglia settimana in giorno di sabbato circa ad un ora di sole in perpetuo.«

Hanc capellaniam testator ipse prima vice collatam voluit in consobrinum suum Franciscum Fattorini »il quale possa sostituire altri sacerdoti a cantare detta messa in in sua vece, ma non vuole che passi in esempio agli altri;« cui deinde succedendum esse jussit sacerdotem illum, qui legitimo natus matrimonio, ratione aetatis et sanguinis ipsi testatori esset conjunctus, et in concursu masculinae lineae cum foeminina sacerdotem ex prima descendentem praeferendum injunxit. Quod si non adessent sacerdotes propinqui, tunc mens sibi erat, quod »subentrino sacerdoti semplici del luogo, cioè continui abitatori di esso e suo territorio, anche non diocesani« hac tamen conditione ut quavis alia careant capellania, exceptis beneficiis simplicibus, quae a s. Sede obtineri solent. Addidit insuper »in mancanza poi de' sacerdoti sopranominati possono entrare a detta officiatura anche quei sacercerdoti che officieranno le capellanie laicali, cominciandosi ad officiare detta cappellania dal sacerdote più anziano, e cosi di grado in grado due anni per ciascheduno.«

Progressu temporis factum est, ut in defectu sacerdotum consanguineorum quandoque simplices clerici a testatore descendentes, dispensationis ope, praelati fuerint simplicibus loci sacerdotibus, uti evenit anno 1761 favore cujusdam clerici Josephi Aldebrandi Albertini Agnetis Fattorini filii. Id eruere est ex thesauro resolutionum S. C. die 11. Aprilis 1761., quo tempore acris exarserat controversia inter ipsum Albertini et simplicem Palatii sacerdotem, quae dirempta

fuit favore Albertini. Postremis temporibus cum non adessent clerici a testatore descendentes, simplicibus loci sacerdotibus facta fuit capellaniam Magnoni obtinendi potestas, cujus postremus possessor fuit sacerdos Joseph Paolini, qui eam sine ulla controversia possidere visus est ad exeuntem annum 1845. Mox defuncti nepos Stephanus Paolini, qua loci sacerdos, etsi jamdiu Aesii commoraretur capellani curati munere fungens, ineunte mense Martio 1846. possessionem capellaniae nancisci arbitratus est, canendo semel missam B. M. V. ad formam institutionis ac deinceps onerum implementum patruis committens; incassum Forosemproniensis Episcopus ipsum protinus monebat non aliter fundatoris voluntati fieri satis posse quam per se opera adimplendo: incunctanter siquidem huic legi obsistere studuit per recursum ad hanc s. C., a qua die 1. Septembris ejusdem anni per supplicem libellum petiit, ut »si degni sanare i mesi arretrati, ne' quali non fu cantata la messa per se, ma per alium,« necnon, ut dispensaretur a residentiae onere pro reliquis sexdecim mensibus, qui tunc ad biennii tempus implendum deficiebant.

Plures interim in scenam prodiere, qui a fundatore descendentiam jactantes capellaniam inhiabant.

Et primus clericus Antonius Belfanti ex pago Castri Leonis annorum novendecim precibus die 1. Septembris datis apparuit, qui allata affinitatis praerogativa in quarto gradu cum primo vocato Francisco Fattorini necnon familiae suae angustiis ennarratis postulabat, ut praevia dispensatione super sacerdotali qualitate in capellaniae possessionem immitteretur. Exinde die 15. Decembris oblatae sunt huic sac. Congregationi etiam preces clerici Joannis Martelli Montis Bodii annorum quindecim paupertatemque suam necnon descendentiam a testatore itidem comprobantis; cui demum accessit die 1. Julii 1847 Cajetanus Fattorini de domo Arcevia puer octennis, qui postulabat et ipse capellaniam sibi adjudicari ope dispensationis, attenta descendentia a primo vocato Francisco Fattorini.

Super omnibus de more rogatus Forosemproniensis Antistes, quae in facto exposuimus. De oratoribus vero tradit »Che il chierico Belfanti, costituito in età di anni 19. compiti, è giovane di ottime speranze per morigeratezza e per talenti, ed è di famiglia assai bisognosa: il chierico Giovanni Martelli conta anni e mi si assicura esser buono, e bisognoso di provvista per proseguire la carriera ecclesiastica: Gaetano Fattorini di otto anni, manca di chiericato.« Post haec de precibus sacerdotis Paolini parum sollicitum se praebet Episcopus, ratus fortasse nullam fuisse nactam ab eo possessionem vel saltem ab eo decidisse. Quinimmo subjungens nomina nonnullorum sacerdotum, qui sibi capellaniae possessionem exclusive competere autumant ex defectu sacerdotum a testatore descendentium, sic ipse prosequitur »Alla ridetta capellania aspirano in oggi ancora come anziani Don Sante Alessi di Sant' Appollinare diocesi di Sinigaglia, Don Luigi Jonni, dimorante ora in questa città, e il Sacerdote Gaetano Cesari assente da più anni da questa diocesi, ed ora dimorante in quella di Narni. Riguardo a Don Sante Alessi dirò che non è stato, e non è di una condota irreprensibile, nè atto alla confessione per difetto di capitali, e che d'altronde il Sacerdote Jonni è un ecclesiastico esemplare, è Confessore sin da più anni, non senza spirituale vantagio de' fideli.« Refert denique de capellaniae redditibus, ex quibus, deductis impensis pro adimplendis oneribus, supersunt scutata 47. et obul. 53.

Votum autem suum non aperit Praesul sapientissimo EE. VV. judici, ut ipse profitetur, ultro libenterque obtemperaturus.

In tanta jurium ac personarum discrepantia quaestio hodiernis comitiis sub triplici dubiorum formula dirimenda proponitur nosque, ut nostrum est, pauca de singulis disseremus.

Primo itaque loco quid sentiendum de precibus a sacerdote Paolinio porrectis disquirendum erit. Et procul dubio videtur injuria ipsum capellaniae possessionem nactum fuisse: quum enim alibi ratione officii commorari teneretur nec per se oneribus a testatore impositis satisfacere valuisset, ipsi refragabatur aperta fundationis lex, qua praescriptum fuit onus per se missam celebrandi, prout plane eruitur ex illis verbis »il quale possa sostituire altri sacerdoti a cantare detta messa in sua vece, ma non vuole che passi in esempio agli altri.« Porro ex hac exceptione facta favore consobrini firmari regulam in contrarium, quod

scilicet teneatur quisque per se ad oneris implementum, uti bene perpendit *Card. de Luca de benefic. disc. 62. numer. 7.*, nemo non videt. Et residentiae legem a testatore indictam fuisse, haec verba »che solo in mancanza de' sacerdoti congiunti subentrino i sacerdoti semplici del luogo, cioè continui abitatori di esso e suo territorio, anche non diocesani,« satis suadere posse videntur.

At vero perpendendum contra est, ex praescripta sacerdotali qualitate, non ideo illud semper necessario sequi, quod per alios non possit missa celebrari: siquidem vix hodie in tribunalibus admittitur, quod sacerdos teneatur celebrare per seipsum, nisi claris et rotundis literis fundator dicat eum debere celebrare per seipsum: nec enim sufficit, quod dicat eum debere esse presbyterum, eum debere celebrare, residere, cum haec omnia dicantur compatibilia cum facultate celebrandi per alium juxta famigeratam *decis. 823. coram Merlino* et late deducta in *Cremonen. Benefic. 9. Martii 1714. coram R. P. D. Lancetta* et in eadem *4. Februarii 1715. coram Cerro*, *S. C.* in *Ariminen. Disc. secretarii artic. 3.* §*: Quartum*, ubi haec leguntur: »Stat bene simul, inquit Fagnanus in *cap. 2. Abbates. de aetat. et qualitat. num. 60.*, ut capellanus debeat esse sacerdos et nihilominus missam celebrari possit per substitutum.« Et in *cap.: Conquerentem de Cleric. non resident. num. 66.* subjungit: Capellanus celebrare potest divina officia per alium, ubi expressum non est celebrare per seipsum.« Nec desunt alii DD., qui in beneficiis etiam residentiae obnoxiis facultatem faciunt per alium celebrandi, ut *Nicol. lucubrat. canonic. libr. 3. tit. 41. numer. 18*, *Monacell. formul. legal. par. 2. tit. 15. num. 17.* Et s. C. in una *Cervien. 24. Maji 1788.*, licet ex voluntate testatoris esset injunctum in loco beneficii residendi onus, tamen ad III. dubium: »An teneatur officiare et celebrare Sacrum in dicta capella ac intervenire, ut supra, in oratorio per seipsum vel per alium in casu? respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Dijudicandum hinc erit EE. VV. utrum in themate, saltem quoad loci sacerdotes, onus sit ex fundatione celebrandi per se residendique, necne. Si enim primam tenuerint sententiam, jam illud sequitur Paolinium haud legitime capellaniae possessionem per biennium retinuisse proindeque nonnisi per dispensationem ac absolutionem quoad fructuum perceptionem, quam vehementer efflagitat, defectum esse sanandum. Porro agitur de fructibus perceptis ab oratore ea forte suasione, ut licite per alium adimplere posset capellaniae onera.

Dolus vero et fraus nunquam praesumitur nisi indiciis perspicuis et concludenter probetur, ex *lege. 6. cod. de malo.* Etsi igitur haud legitime capellaniae fructus percepisset, sufficiens ratio condonationis non deesse videtur: pro fructuum enim haud legitime perceptorum condonatione aequissima causa semper visa est s. C. bona fides, uti cernere est in *Fabrianen. 29. Decembris 1789.* et in *Null. Guastallae 26. Novembr. 1791.* necnon in *Bononien. Montis Pietatis 23. Junii 1838 ad VIII. dubium.* Refragari tamen petitioni Paolini videtur Episcopus in suo voto., dum narrat nedum patruos ipsius, sed et ipsum per eminentissimum Aesii Episcopum, in cujus dioecesi commoratur, de non legitima possessione monuisse: Mi rivolsi all' eminentissimo Vescovo di Jesi, nella cui diocesi dimora il repetuto Don Stefano, onde si fosse degnato fargli conoscere la suddetta diffidazione, per che ostava del testatore. — Accedit Paolinium, eo ipso, quod dispensationem petierit, obligationem residendi fassum fuisse ad tradita per *Rotam decis. 221. num. 18. coram Lancetta* et s. C. in *Montisfalisci Capellaniae die 22. Junii 1733* §: *Tandem.* Unde satis erui posset Paolinium malae fidei possessorem fuisse et tanquam haud legitimum detentorem nullo modo fructus suos facere potuisse. *Rota in Reatina Benef. 27. Junii 1747* § *9. coram Millino.* Nec se tueri potest praesidio vocationis ab ipso testatore, quae, cum certa lege et conditione coercita fuerit, nonnisi adimpleta lege et conditione exequi debet, s. C. *in Reatina Capellaniae 18. Septembris 1775.* §: *Sustinet.*

Quaerendum nunc utrum capellania conferenda sit alicui ex sacerdotibus loci, quos Episcopus recenset, seu potius uni ex clericis de linea a testatore vocata descendentibus. Sane prima fronte suffragatur seniori inter loci sacerdotes aperta testatoris voluntas, qui sacerdotalem qualitatem adeo in suis etiam consanguineis requisivit, ut, nonnisi his deficientibus, substitutos vocaverit »In mancanza de' Sacerdoti cungiunti subentrino i sacerdoti semplici del luogo e territorio.«

Nec sine urgenti ratione fundatorum voluntates insuper habendae sunt, maxime in praejudicium juris quaesiti substituto. *Piton. de controv. patron. alleg. 85. numer. 12, s. C.* in *Verulana Canonicat. 30. Junii 1768.* §. *Nec ad praescriptum. Rota decis. 159. coram Lancetta et decis. 1124. n. 24. cor. Molin.*

His tamen non obstantibus a testatoris consanguineis utpote praelative vocatis omnes excludi substitutos nec vel minimum videtur dubitandum post genuinam s. C. rem judicatam super hac eadem capellania, primam die 29. Januarii 1749. latam, secundam 11. Aprilis 1761. In hac postrema simili fere hodiernae quaestioni proponebatur species, scilicet, clerico Josepho Albertini proximiore cognatione testatorem attingenti obstabat sacerdos quidam Archangelus Fenti, tamquam senior inter loci presbyteros, qui etiam post obitum rectoris capellaniae possessionem adeptus fuerat et ab illa deinde absque citatione dejectus. Nihilominus proposito dubio: An sit locus perpetuationi capellaniae, de qua agitur, favore clerici Aldebrandi Albertini seu potius sit danda redintegratio favore sacerdotis Archangeli Tenti in casu? responsum datum est: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Et ratio decidendi EE. PP ea fuisse videtur, quae legitur in folio supra citato die 11. Aprilis 1761. §: *His tamen*, ubi haec habentur: »Minusque illius vocationem exprimere oportuisse in precibus Albertini, qui uti testatoris consanguineus praelative vocatus omnes excludebat subtitutos; et praemissas regulas minime applicari huic capellaniae, quae in titulum non confertur, sed per substitutos dimitti debet favore cujuscumque consanguinei, qui habilis fiat sive per susceptionem sacerdotii sive per legitimam dispensationem, quae parem habet efficaciam, ut notat *Piton. de controv. patron. alleg. 100. numer. 329*; et comprobavit observantia anni 1749, quo vigore similis dispensationis idem Albertinius pacifice ac sine substitutorum contradictione capellaniam obtinuit: maxime quia habilitatio a clerico Albertino dicto anno 1749. impetrata sublato de medio obice proximiorum vires suas exercere videtur potuisse ad praepediendam quamlibet successivam juris acquisitionem favore Archangeli Tenti capellaniae bonorum occupatoris. Superest itāque ut disquiratur quisnam ex tribus concurrentibus a fundatore descendentibus sit dispensationis gratia donandus. Et quidem Fattorinius observationes nonnullas jurisconsulti manu elaboratas pro se exhibet, quibus contendit sibi tantum capellaniam deberi ex eo, quod unus ipse a masculina linea descendat, quam testator voluit »prevolga sempre alla feminina,« quamque in dubio argumento magis dilexisse visus est, dum commune cum ipsa sepulchrum voluit, adeout jure meritoque praesumi valeat testatorem, si praevidere potuisset miserrimam proximioris conditionem ad sacerdotium evehi cupientis, hunc procul dubio a capellaniae possessione nanciscenda non prohibuisse, etsi qualitate sacerdotali caruisset. Quam quidem qualitatem haud ullam parere obligationem onera per se ipsum adimplendi ita adnititur demonstrare. Verba, inquit, ipsius testatoris« da cantarsi dal celebrante,« satis innunt se nihil retulisse, utrum capellanus missam per se an per alium esset celebraturus; secus namque dixisset »dal capellano« nunquam certe »dal celebrante.« Dispensationem vero a sacerdotali qualitate facilius sperat, exemplo supra relato clerici Josephi Albertini innixus necnon disciplinae s. C., cujus in more positum est, proximioribus a testatore descendentibus gratificari, maxime praedilecti fuerint, ceu videre est in *Jan. Capellaniae 21. Julii 1819* et in *Mun. Reduct. 17. Februar. 1821.* Hic tamen nadvertendum, Factorinium tempore vaonis capellaniae nondum clericorum albo fuisse adscriptum: modo autem exhibuisse testimoniales literas clericalis tonsurae, ad quam mense superiori Aprili fuit promotus, licet ibi non Cajetani sed Hieronymi Fattorini nomen forte amanuensium errore reperiatur scriptum. Verumtamen pari studio capellaniam expostulant clerici Belfanti et Martelli, ambo quarto ex foeminina linea gradu descendentes, paupertate laborantes morumque suavitate distincti, prout Episcopus in sua epistola testatur. Sed inter utrumque hoc intercedere discrimen videtur, quod scilicet Martellius nondum decimum septimum aetatis annum explevit, Belfantius vero aetate major et »di buone speranze, per talenti,« qui jam ferme sacrum subdiaconatus ordinem suscepisset, in titulo sacrae ordinationis forte esset destitutus.

Quamobrem vos EE. PP. pro ea qua fulgetis prudentia aequitate, cuinam ex tribus hisce concurrentibus sit dispensationis ope

capellania adjudicanda, dijucabitis. In compostulantium concursu, qui aetate major est et in clericali statu antiquior, praelationem mereri monet *Panimol. decis. 101. annot. 1. num. 12, Rota in Vollaterran. Benef. 7. Junii 1709. §: Ast quando, coram Ansald.*, s. C. in *Callien. et Pergulana 14. Junii 1824. §: Haec autem:* et reapse dispensationem obtinuisse, qui plures a nativitate annos numerabat, refert etiam quaedam *Montis Falisci Dispensat. 24. Martii 1838.* Traditum insuper est in dispensatione praeferendum, qui potioribus qualitatibus commendatur, quippe quia dignioribus beneficia tribuenda sunt, s. C. in *Derthonen. Dispensation. 22. Maji 1842. §: Praeterea.* Nec demum ommittendum in casibus inquiri etiam, quiniam ex concurrentibus recursum ad s. C. prius habuerit, quia praeventio valde aestimari solet in dispensationibus concedendis, pari etiam merito concurrente, juxta *regulam 54. de R. 1. in 6*, nempe »qui prior in tempore potior est in jure,« quemadmodum adnotatur in cit. *Callien. et Pergulana.*

Ex hactenus disputatis haec oriuntur dirimenda

Dubia:

I. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione favore sacerdotis Stephani Paolini in casu?*

II. *An et quomodo factus sit locus substitutioni favore sacerdotum Terrae Palatii in casu?*

Seu potius,

III. *An et cujus favore ex clericis a testatore descendentibus consulendum sit SSmo pro dispensatione a qualitate sacerdotali in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative et sacerdotem Paolini teneri ad restitutionem fructuum perceptorum ex bonis capellaniae detracta summa erogata pro eleemosyna missarum aliisque oneribus.

Ad II: Negative.

Ad III: Affirmative favore Belfanti.

Die 29. Julii et 26. Aug. 1848.

Continuatio Forosempronien.

Caeteris omnibus acquiescentibus unicus Fattorinius jam a mense Aprilis anni 1848. id est ante primam causae propositionem clericale praeditus tonsura novum instauravit certamen seque praeferendum in dispensatione contendit, utpote qui per lineam masculinam a testatore praedilectam solus ab ipso descendebat. Proposita idcirco iterum causa fuit die 24. Augusti 1850. sub unico dubio: »*An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?* latumque fuit responsum: Praevio recessu a decisis, affirmative favore Fattorinii. Vix cladem persentiit Belfantius novam audientiam postulavit ac tertio redit causa novis allegationibus a partium patronis circumferendis suffulta.

Contendit Belfantii orator, adversarium in praecedenti causae propositione victorem discessisse ob exageratam factorum ac jurium expositionem. Siquidem ex duobus genealogicis schematibus, quae ad s. Congregationem transmisit Fattorinius quibuscumque suam descendentiam a testatore probare nititur, haud apparet, quamnam personam Belfantius contradictorem habeat, num nempe Cajetanum, uti in primo schemate, an Hieronymum Fattorinium, uti secundo nominatur. Ast sive Cajetanus sive Hieronymus sit, schemata ab ipso exhibita prorsus spernenda sunt, quia parochorum legitimis attestationibus baptismatum et matrimoniorum destituuntur ac concinnata fuerunt arbitrio parochi Arceviae. Quanti vero aestimanda sint hujusmodi schemata, docet s. auditorium in *Suanen. Beneficii 3. Julii 1778. coram Orano num. 14:* »Non enim unquam protulit fidem matrimonii Pretiosam inter et Petrum Paulum initi multoque minus fidem baptismatis exhibuit, unde emergeret, Magdalenam ab iis genitam fuisse. Quaqropter iis deficientibus duobus extremis et praecipuis probationibus nemo certe probatum dicet, Antonium per medium Magdalenae suam a Petro Paulo trahere originem, ut optime advertunt ec.« Immo quum Fattorinius licet monitus haud hujusmodi attestationes in medium protulerit, breviloquis ac incertis schematibus a parocho Arceviae concinnatis fides minime danda est ac retinendum, ipsum sanguine testatori non conjungi, uti firmavit *Rota in praecitata Suanen. num. 16.*

Praeterea in duobus exhibitis schematibus ad probandam Fattorinii a testatore descendentiam parochus *Arceviae sub anno 1662. die 13. Martii* posuit Josephum natum in oppidum Costae ex Francisco Fatto-

rini et Camilla, quod quantum a veritate aberret colligere fas est a baptismatis fide per parochum loci Costae baptizatorum libro excerpta, ex qua patet sub eodem die et anno Josephum ortum habuisse non ex Francisco Fattorini, sed ex Francisco Jacobi et Camilla conjugibus. Dempto igitur hujusmodi gradu, quo Fattorinius ad testatorem ascendere praetendit, omnis cum eo sanguinitas corruat necesse est. »Deficiente uno gradu, destituitur tota probatio ipsius descendentiae« *Marescott. Var. resol. lib. 1. cap. 70. num. 1.* et s. *Rota dec. 716. num. 5. cor. Lancetta.* Ex deficientia insuper hujus gradus colligitur, Cajetanum seu Hieronymum haud descendere ex Fattoriniorum linea, quae cum testatore sanguine jungebatur, quam exaruisse retinendum est. Et requidem vera Hieronymus Ubaldus Magnoni capellaniae institutor ex Fattoriniis consobrinum habuit tantum rever. Franciscum Fattorini, quem primum ad capellaniam nominavit, quique sine descendentia, uti patet ex schemate genealogico H. S. Ordini exhibito typis impresso in fronte cujusdam allegationis, quum anno 1761 quaestio super eadem capellania agitata fuit.

Ast dato etiam, quod Fattorinius contradictor sanguine fundatori jungatur, perperam praelationem nancisci praesumit, tum quia ipse spectat ad agnationem vocatorum et nomen gerit familiae Fattorini, tum quia linea masculina ex voluntate testatoris foemininae est praeferenda, uti in praecedenti propositione causae ajebat. Quod enim testator agnationem praedilexerit ac pronominaverit, fictitium est, quum in ejus dispositione agnatorum vocatio nullimode reperiatur et agnatis omnino Magnonius carebat, adeo ut consobrinium Fattorinium ad capellaniam vocaverit. Ut qui vi agnationis praelationem obtineat, ejus vocatio clare patere debet ex verbis testatoris: »Agnationis contemplatio, cum facti sit, non praesumitur, sed probari debet« *Richer. jurisp. lib. 2. tit. 32. §. 9583.* Quinimo etiam in dubio contra agnationem respondendum est, et cognatos insimul vocatos est retinendum, uti docet *Rota decis. 507. num. 13. coram Molin. et decis. 334. num. 5. coram Benincasa.*

Inter commenta pariter amandandum esse, quod Fattorinius obtrudit, sibi nempe dandam praelationem, eo quia Fattorini fert cognomen, veluti si testator nominaverit Fattoriniam gentem cujuscunque descendentiae ipsique semper dandam esse praelationem disposuerit, dum constat apertissime ex voluntate testatoris illum ad capellaniae possessionem esse immittendum, qui aetate et sanguine arctius ei jungebatur. Nec diversimode sentiendum de praelatione lineae masculinae, quum enim primo loco vocaverit testator »il sacerdote al detto testatore più congiunto di età e di sangue,« quumque hujusmodi requisitis Belfantius sit praeditus prae Fattorinio, ille praeferendus erit in capellaniae possessione; nam in testamentariis dispositionibus scripturae ordo est servandus, juxta quem fit substitutioni locus ad *text. in leg. Cum Pater § a te peto ff. de leg.* et *Rota in Nullius seu Sublacen. Canonic. 25. Aprilis 1803. cor. de Alteriis num. 8.*

Verumtamen Fattorinii patronus instat, ut praelatio jam a cliente suo in praecedenti causae propositione agnita confirmetur. Et quoad facta alias pro ipso expositis nihil addendum esse putat, quum clare pateat ex testatoris voluntate, lineam masculinam praeferendam esse lineae foemininae et probatum satis sit, Fattorinium esse de praedilecta linea masculina, Belfantium vero spectare ad substitutam lineam foemininam. Indubium pariter ponit, uti primum, ita secundum eadem apostolica indigere dispensatione quoad requisitam qualitatem sacerdotalem.

Quoad jura vero se refert ad ea, quae deducta fuerunt in comitiis diei 24. Augusti 1850 quaeque sequentibus coadjuvat argumentis. In jurepatronatus passivo non secus ac in successionum materia semper servandus est ordo vocationis; ac si illud lineale est, non fit locus ad lineam substitutam, nisi in linea praedilecta defuerit persona idonea non solum sed nec spes adfuerit, ut aliqua persona ex ea idonea reddatur. Idoneitas autem haec duplex est, naturalis una, altera extraordinaria seu per dispensationem acquisita; utraque tamen pollet iisdem effectibus ac privilegiis.

Jam vero constans hujus s. Congregationis praxis est, ut ferme semper dispensationem elargiatur vocatis primo loco inhabilitate laborantibus, quin ullum praejudicium afferatur substitutis, quorum despicit oppositiones, ea potissimum ducta ratione, quod testator primam praedilexit lineam ideoque

praesumitur ejus voluntas in dispensatione concedenda. Dispensationis hujusmodi passim haberi exempla in thesauro s. Congregationis, quorum plura relata inveniuntur in folio die 24. Augusti 1850. aliudque exhibet *Tiburtina Canonicatus 27. Julii et 7. Septembris 1839.* Quinimo adest novissimum exemplum in *Urbinaten. Indulti* relata inter summaria precum die 20. Decembris anni superioris, in qua dispensatio concessa fuit puero quatrimo.

Duo autem hic singulariter notanda monet; primum quod, si s. Congregatio quandoque dispensationem impertita est primo loco vocatis, licet ageretur de beneficiis vere ecclesiasticis immo et de canonicatibus Cathedralium, a fortiori aequitas postulat, ut dispensatio elargiatur Fattorinio, quum agatur de capellania mere laicali, quaeque, dempta qualitate sacerdotali, ab ipsius pueris posset haberi. Secundum est, quod, si dispensatio impertita fuit incapaci ex linea praedilecta, licet adessent in linea substituta idonei ad beneficium assequendum, in casu, de quo agitur, nullimode ambigendum est, quin Fattorinio sit danda dispensatio et immitendus in capellaniae possessionem, quum et ipse Belfantius de linea foeminina substituta incapax sit ac dispensatione indigeat; in hac enim concurrentia non aetas major aut aliae qualitates sunt attendendae ad dispensationem concedendam, sed omnimode servanda erit fundatoris voluntas in lineis, videlicet ut dispensetur primus vocatus prae vocato per posterius.

Novissime preces ad s. Congregationem ablegavit sacerdos Constantinus Quagliani, petens capellaniae, de qua agitur, collationem, tum quia de Castro Palatii incola est et ex testatoris consanguineis neminem idoneum reperiri asserit, tum quia alia ecclesiastica provisione destituitur.

Quanti faciendae sint hujusmodi preces, judicabunt EE. VV., quas, ut iterum examini supponant folia diei 29. Julii 1848. necnon diei 24. Augusti 1850, adprecor, dum enodandum est

Dubium:

An sit standum in primo seu potius in secundo loco decisis in casu?

S. C. resp.:

Dilata et coadjuventur probationes per Fattorinium productis documentis authenticis comprobantibus veritatem schematis genealogici ab eodem exhibiti.

Die 3. Julii 1852.

Continuatio Forosempronien.

Ex pluribus contendentibus, qui vel pro absolutione vel pro substitutione vel pro dispensatione causam agebant, unus est clericus Cajetanus Patterini, qui gravate perferens responsum tertio dubio datum audiri iterum petiit obtinuitque ceteris vel silentibus vel acquiescentibus s. O judicio.

Recessum modo a decisis sibique prae Antonio Belfanti dispensationem elargiendam contendit Cajetanus Fattorini nedum virtute praesumptae majoris affectionis, ex quo ipse pertineat ad agnationem vocatorum ipsumque nomen gerat familiae Fattorini, quam principe loco nominavit fundator, ad *text. in leg. Publius ff. § 1 de condit. et demonstr.*, sed multo magis ob explicitam ipsius fundatoris dispositionem. *Mantica de conject. lib. 8. tit. 11. num. 15, Rota in Hortana Benef. 1. Junii 1708 §: Hinc, cor. Pancirolo.* Siquidem fundator demandavit ut *la linea mascolina prevalga sempre alla feminina.«*

Quin officiat sacerdotalem qualitatem etiam in praedilecta linea fuisse requisitam. Hujusmodi enim objectum relevare posset, ubi controversia esset cum sacerdote in pari vocationis gradu constituto, minime autem quando, uti verificatur in themate, res est de clerico aeque dispensatione indigente, qui ad lineam minus dilectam pertinet, quippe, ad hunc etiam casum porrigi praedilectionem fundatoris liquet ex amplissima dictione ab eodem adhibita *»prevalga sempre«*, quae sane omne tempus omnesque comprehendit aequalemque in omnibus inducit dispositionem, ad trad. per *Rot. decis. 24. num. 14. par. 1. decis. 705. num. 6. par. 2, decis. 179. num. 7. par. 4, decis. 199. num. 5. par. 8. recent.*

Eamque juris censuram suffulcire initur jugi sacrae Congregationis instituto, quo factum esse arbitratur, ut inter aeque dispensatione indigentes benigna magis ea se praebuerit erga illum, qui proximior ac magis dilectus fundatori fuit. Sic factum videre est in *Asculana Capellaniarum super dispensatione diei 22. Augusti 1750*, ubi postulante Nicolao Broglia dispensationem super defectu

aetatis pro Armenio filio suo puero trium annorum utpote praelative vocato ad binas capellanias fundatas ab Armenio seniore et Francisco Broglia, eique contradicenti clerico Francisco Constantini in subsidium vocato, s. Congregatio Armenio indulgendum esse judicavit. Ad dubium siquidem propositum: *An sit consulendum Sanctissimo pro gratia dispensationis aetatis ad effectum de quo agitur in casu?* respondit: *Affirmative quoad utramque.* Ibidem notatu digna habetur ratio, quae in folio ejusdem causae § *Pari* adducebatur pro Armenio, ibi: *»Neque hanc dispensationem praepediri posse a clerico Francisco Antonio Constantini, licet substituto in testamento fundatoris, quia, cum extet masculus agnatus prius vocatus et praedilectus, nullum ipse jus habere potest, ut late disputat casus distinguendo Piton. de controver. patron. allegat. 1. num. 28.* Idipsum tenuerat in *Romana seu Januen. Capellan. 9. Jan. 1706, in Collen.*) Capell. 12. Decembr. 1716. confir. 24. Aprilis 1717.* et deinde in *Salernitana Dispensationis 19. Decembris* et *Auximana**) Dispens. 19. Julii 1777. confir. 30. Maji 1778.«*

Quin potius eadem praedilectionis ratione ipsa s. Congregatio in *Monasterien. et Osnaburgen. Canonic. 7. Aprilis 1753.* censuit dispensandum esse cum puero quinquenni ad canonicatum, pro quo fundator requisierat clericatum, etsi illi acriter obstaret alter sacerdos tertio gradu vocatus. Dubio enim proposito: *An sit locus dispensationi aetatis in casu?* responsum datum est: *Affirmative,* quod insuper confirmatum fuit die 21. Julii ejusdem anni rescripto: *In decisis et amplius.* Idipsum quoque factum videre est in *Tridentina Capellaniae die 29. Augusti 1761.* et in *Faventina***) Beneficii die 3. Julii 1762.* Licet utroque in casu ageretur de puero vel quinquenni vel sexenni, fortius hinc concludit Cajetanus indulgendum in casu, quo graviora pro se rerum adjuncta concurrunt.

Nihilominus Antonius Belfanti minime ambigendum sibi esse censet, quin amica resolutio sit omnino confirmanda ex validissimis rationum momentis relatis in folio diei 29. Julii dicti anni, quod ut iterum consulant EE. PP. tantum adprecatur.

*) Vd. *supra p. 237.*
**) Vd. *supra p. 247.*
***) Vd. *supra p. 241.*

Quocirca unicum est quod superest dirimendum

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?

S. C. resp.:

Praevio recessu a decisis affirmative favore Fattorini.

Die 24. Aug. 1850.

Aesina.

Conditis tabulis testamentariis, quibus decessit, Michael Angelus presbyter Massuci ex oppido Montis Carotti anno 1705 omnium bonorum suorum scripsit haeredem capellaniam mere laicalem, sequentibus adjectis legibus circa jus nominandi, personam nominandam et onera per capellanum pro tempore supportanda »con questo però che detto juspatronato non sia beneficio, ossia juspatronato ecclesiastico di giurisdizione dell' Ordinario, ma semplice capellania e secondo la decisione Pampelonese coram Corado nominando per castellano uno de' figli della Sig. Piera Franzesca Moroni de' Conti di Jesi, purchè si ritrovi prete sacerdote in tempo che sara seguita la mia morte: ed in mancanza di questo voglio che sia ed intendo nominare come per sempre nomino un discendente per linea moscolina delli figli maschi di detta Signora Piera Francesca in infinitum parimente che sia prete sacerdote in tempo che sarà per vacare la capellania . . . . con obbligo al capellano che sarà pro tempore, della celebrazione di due messe la settimana in perpetuo da celebrarsi nell' altare della Vergine santissima delle Grazie esistente nella chiesa delle monache di s. Maria Maddalena de' Pazzi in suffragio dell anima mia e de miei congiunti, e con obligo della sola assistenza al coro con recitare in esso il divino ufficio in quella maniera che si pratica dagli altri beneficiati nella suddetta chiesa parochiale di s. Maria. Intendendo in somma di nominare per capellano quello che delli figli maschi di detta signora Piera Franzeska o dei discendenti maschi e per linea mascolina de' figli maschi per la linea feminina come sopra, si ritroverà in attuale ministero di sacerdote in tempo che seguirà la mia morte, o che per rinuncia o morte del capellano, o in qualsivoglia altro modo potesse

succedere la vacanza della capellania tanto per morte del capellano, come per rinuncia, inabilità del medesimo, come in qualsivoglia altro modo non vi fosse alcun prete sacerdote ed in attuale ministero sacerdotale,« ex linea praedilecta, alias designat lineas et familias, a quibus assumendus esset capellanus, qui tamen foret prete sacerdote . . . . pur chè si trovi in attuale ministero di sacerdote nella maniera e forma recitata di sopra cum praelatione lineae masculinae purae, et demum in hujus defectum inter familias vocatas sacerdotes eodem ordine, forma et lege ex lineis foeminarum assumi mandavit et quidem seniorem seu natu majorem in plurium ejusdem lineae sacerdotum concursu.

Perpendens autem testator sacerdotum defectum in omnibus lineis vocatis, etiam ex foeminis, edixit »in tal caso di piena e libera facoltà di nominare il capellano alli figli maschi di detta signora Pierra Francesca, o discendenti maschi in infinito da detti figli maschi, ed in mancanza di questi a ciascheduno delle discendenze suddette nella maniera, prelazione ed ordine recitati di sopra circa la nomina del capellano, con questo però che il capellano eletto in vigore della nomina da farsi dalla p. signora Piera Franzesca, o da discendenti maschi, o da altri come è detto di sopra sia amovibile« come in effetto intendo di ammoverlo ipso facto e subito che vi sarà alcun prete sacerdote delli chiamati e nominati da me. Mancando poi tutti li chiamatti da me a detta capellania, ed anco quelli che hanno la facoltà di nominare il capellano, in tal caso dò libera e piena facoltà in perpetuo al Pievano della chiesa parrochiale di Monte Carotto, che sarà pro tempore, di nominare il capellano.« Cavit autem postremo loco pius institutor »sotto la medesima pena di privazione come sopra espressa, voglio ed intendo che stia quel capellano; il quale, avuto che avrà la capellania, non volesse o non potesse resiedere in Montecarotto; perchè voglio, ordino e comando che il capellano pro tempore abbia a resiedere in detto luogo, nè possa per altri sodisfare al peso ingiuntoli toltone il caso d'infermità, per cui legitimamente ne venisse impedito.

Anno 1807 parochialis ecclesia Montiscarotti, quae eo usque per beneficiatos et capellanos in choralibus etiam officiis servitium habebat, ex munificentia Pii PP. VII. ad collegiatae dignitatem evecta est. Eaque adamussim occasione, praevio patronorum consensu, plures capellaniae, quas inter Massucia, de qua quaeritur, in canonicales praebendas titulo perpetuo collativas auctoritate Pontificis sunt immutatae, familia vero Conto, ad quam praefatae capellaniae Massuci juspatronatus pervenit, suum praebuit assensum cum expressa reservatione juris »di nominare al suddetto canonicato quella persona che a noi e a detta discendenza parrà e piacerà, colla quale condizione abbiamo prestato il detto consenso, volendo che questa debba evere il suo plenario effetto.

Haec autem de ejusmodi capellania Massucci ac de alia ejusdem naturae fundationis Tesei in Piana erectionis bulla leguntur in parte narrativa: *In eadem parochiali ecclesia adsunt beneficia non collativa aliaque, pariter infrascriptae capellaniae . . . . unum scilicet . . . . . fundationis Tesei . . . . . . ac alterum fundationis Massucci, quod, licet in praefati monasterii ecclesia fundamentum existat, per clericos tamen seu presbyteros saeculares in praefata parochiali ecclesia obtineri et deservire consuevit.* Et inferius mentio redit quoad assensum patronorum: *Moderni illorum respective patroni perpetuae suppressioni et extinctioni eorumdem beneficiorum ad effectum illorum erectionis in totidem canonicatus et praebendas novae collegiatae ecclesiae hujusmodi sub diversis aliis pactis et conditionibus necnon reservationibus inferius exprimendis sponte quoque et libere respective consenserunt.»*

Quae quidem pacta, conditiones et reservationes exprimuntur in parte dispositiva, ubi Pontifex mandat erigi canonicatus et praebendas, quos inter »alios duos unum scilicet et unam Tesei, alium vero et aliam Masucci respective fundationum secundae erectionis nuncupandas, ex bonis dictorum duorum beneficiorum . . . . erigendos et erigendas infrascripti quoque juspatronatus laicorum *pro totidem clericis et presbyteris ex familiis a praefatorum duorum beneficiorum . . . . fundatoribus contemplatis descendentibus, servata in omnibus quoad tam juspatronatus activum quam passivum ac satisfactionem onerum eis respective inhaerentium eadem ipsa lege in primaevis illorum fundationibus praescripta, cui hac in parte causae infrascriptae erectionis minime derogatum existat.*

Hisce praemissis ad naturam capellaniae seu canonicatus Massucci dignoscendam, en quaestionis hodiernae subjectum. Ineunte Martio anni superioris per obitum ejusdem ultimi possessoris sacerdotis vacavit praebenda haec canonicalis. Et fratres Carolus et Dominicus Conti cum consobrina Anna Maria Conti, hodierni illius patroni, nominarunt et praesentarunt in novum Canonicum clericum Marcellum Tomasseti aetatis annorum 18 circiter, qui mansionariam obtinet in eadem Collegiata et causa studiorum in seminario moratur dioecesano; cum vero Emus Episcopus nominationi ejusdem non detulisset, ratus eam esse contra literam et mentem fundatoris, qui actu sacerdotem eligendum praescripsit, ad s. hunc Ordinem convolarunt, ut vel legitima definiretur facta nominatio et nominatus idoneus ejusque decerneretur institutio vel ope dispensationis super qualitate sacerdotali, quatenus haec requiratur, clerico ab ipsis nominato succurreretur. Patronorum instantiis preces accesserunt patris ejusdem nominati pro obtinenda, si opus esset, dispensatione, familiae suae domesticis angustiis ob duodecim filiorum numerum et eximiis qualitatibus, praesertim clerici nominati in studiis literarum optime meriti, non uno documento comprobatis.

Haec inter, dum preces pendebant apud Emum Episcopum, cujus informationem et votum exquisiveram, audito capitulo Collegiatae Montis Carotti, Canonicus Carolus Pelagalli conquestus est sese a suffragio fuisse prohibitum in capitulari sessione, quod consanguineus esset clerici nominati, de cujus admissione quaerebatur. Cum vere objectam prohibitionem exclusisset rogatus Emus Episcopus, referens quod capitulum pro nominatione presbyteri, non vero simplicis clerici stetit decem concordibus suffragiis, uno tantum dissentiente, cumque capituli votum nihil influere de substantia palam esset in quaestionem, de ejusmodi recursu nullam habendam esse rationem existimavi, maxime cum auctor recursus post acceptam Emi Episcopi relationem siluisset omnino, visus oblato recursui quodammodo valedicere.

Tota igitur quaestio in eo versatur, utrum dispositio fundationis Massucci et bullae Pianae qualitatem sacerdotalem in nominando ita exigere videatur, ut simplex clericus nequeat ad controversum canonicatum praesentari; quod ubi sit decernendum, altera subsequitur quaestio, an expediat cum clerico praesentato Marcello Tomassetti ex apostolica benignitate dispensare. Quae clerico favere possunt, in allegatione mihi per assumptum defensorem exhibita, cujus summam recolam inferius, enucleantur: quae vero tum patronorum instantiae tum clerici sive ejus patris petitioni videntur ad utrumque effectum adversari, in late collectis et animadversis per eumdem Emum Episcopum in relatione, quam transmisit, evolvuntur: eamque proinde in suo tenore hic per extensum referre putavi. Ita rem exponit et votum suum aperit vir ille Emus:

Si nihil in more hominum antiquius ducitur quam voluntatis testatorum vestigia sequi, eo magis id praestandum censetur, quum res agitur de causis piis. Hujusmodi axiomate praejecto et sensum aperiens pro veritate circa exposita per oratores in folio, quod ad Eminentiam Vestram remitto, referre juvat ut infra:

Inspectis apostolicis literis erectionis ecclesiae collegiatae Montis Carotti anno 1807 et potissimum testamentariis tabulis sacerdotis Michaelis Angeli Massucci Aesin. dioec. de anno 1705 liquet eumdem Massucci instituisse de suis bonis haereditariis capellaniam simplicem non collativam cum onere missarum et choralis servitii, quam disserte noluit ecclesiasticum beneficium, juspatronatus exemptum a jurisdictione Ordinarii appellat et prorsus laicale, quamvis statuat insimul, ut possidenda sit capellania a *presbytero* quarumdam familiarum, quibus elargitur juspatronatus activum et passivum. Quod si (disponit testator) non existat futuris temporibus *sacerdos presbyter* inter agnatos aut cognatos descendentes a praelatis familiis, plenam confert liberamque facultatem eisdem patronis suis pro tempore existentibus nominandi capellanum, attamen amovibilem et *omnino* amovendum statim ac superveniat sacerdos presbyter de praedilectis descendentibus: postremo dictarum familiarum hypothetica extinctione plebano ecclesiae s. M. Loci pro tempore existenti largitur plenam liberamque facultatem nominandi capellanum.

Jam vero oratores hodierni patroni, non extante presbytero inter vocatos descendentes, arguunt ex formula a *dò piena e libera facoltà di nominare il capellano ai figli* . . . (ipsi sunt oratores . . .) sibi tribui a testatore jus nominandi clericum non constitutum

in ordine presbyteratus ad praecriptam capellaniam possidendam, quae in praesentiarum ad praebendam presbyteralem canonicalem legitime ab anno 1807 erecta reperitur. Quod confirmare pergunt duobus allegatis locis bullae erectionis collegiatae ecclesiae Montis Carotti,

1. Ubi Pontifex recitat beneficii Massucci *consuevisse* servitium expleri *per clericos seu presbyteros*,

2. Ubi spectans duo beneficia Tesei et Massucci Ordinario committit erigendos et erigendas (canonicatus idest et praebendas) . . . . pro totidem *clericis* seu *presbyteris* . . . . (in alio exemplari legimus: pro clericis et presbyteris). Verum oratores praetermittunt immediate subjuncta: »*ex familiis a praefatorum beneficiorum . . . . fundatoribus contemplatis descendentibus, servata in omnibus . . . eadem ipsa lege in primaevis illorum fundationibus respective praescripta, cui hac in parte causae infrascriptae erectionis minime derogatum existat*« . . . . Aequitatis gratia asserunt oratores patroni sibi tandem ab ecclesia, cui favere suo assensu, debitam relevationem in arbitrio nominandi clericum simplicem ad canonicatum Massucci ponendam. Haec patroni hodierni argumentantur pro validitate praesentationis clerici Tomasetti exhibitae ad acta curiae episcopalis Aesinae.

At patroni, bona eorum pace dicam, mihi aberrare videntur a testatoris mente et Pontificis decreto erectionis. Hic enim, dum provehit capellaniam Massucci ad praebendam canonicalem, quae ratione officiorum presbyteralium inhaerentium evasit beneficium sane presbyterale pro semper et in quibusvis praesentandis per patronos, et quatenus tollit e medio amovibilitatem capellani contingentem in defectu presbyteri de descendentibus contemplatis, derogat dispositioni testamentariae: in caeteris partibus adhaeret voluntati testantis. Quaenam ea mens sit perquirendum. Inter praedilectas familias, quas jure tum activo tum passivo patronatus ditavit et vocat, praescribit et mandat, ut capellanus de descendentibus . . . *sit prete sacerdote* . . *nell' attual ministero sacerdotale*, per totas tabulas, ut per se ipsum non per alterum obeat munera missalia et choralia injuncta. Si exceptio firmat regulam in contrarium, testator excludit simplicem clericum. Qui ergo fiet, ut ad capellaniam, quando et quamdiu desit sacerdos de descendentibus praedilectis, admittat clericum? Num ad tempus et donec deest sacerdos inter vocatos, officia missarum et assistentia choralis adimpleri valent a clerico? Nulla sufficiens ratio adduci potest, cujus intuitu fundator eodem contextu interpretetur mutasse frustra consilium, quinimo legem septies saltem repetitam statim delevisse. Eccur extraneis concedat, quod dilectis notisque negat: nullum quidem verbum de clerico nominando ad tempus. Si de clerico cogitasset Massucci, non praestolaretur sacerdotem de descendentibus pro remotione capellani amovibilis suffecti ad tempus: satis foret existentia clerici inter praedilectos patronos, ut jure caderet temporaneus possessor capellaniae. Quod si Pontifex in bulla erectionis narrationis stylo juxta sibi exposita semel et incidenter affirmat, praefato beneficio Massucci *consuevisse* exhiberi *servitium per clericos seu presbyteros saeculares*, nego id factum juxta mentem et voluntatem disponentis Massucci quoad clericos simplices, imo contra ejus voluntatem accidisse contendo, quaecumque fuerit causa: aut addi a legislatore . . . *seu presbyteros saeculares* explicationis ergo, sive nominis *clericos* sive ad distinctionem sacerdotum regularium: ast si placeat ita interpretari, contendo, *quae contra jus facta sunt, in irritum revocanda.*

In actis curiae quotquot capellani vel ante erectionem capellaniae ad naturam canonicalis beneficii vel nominati per patronos ad hoc beneficium ecclesiasticum post erectionem deprehenduntur constituti in presbyteratu. Semel tantum vacante praebenda Massucci anno 1836 praesentarunt patroni clericum Augustum Sforza pro aetatis et presbyteratus defectu imparem officiis sacerdotalibus obeundis: habito recursu ad s. Congregationem Concilii per praefatum clericum ad impretandam dispensationem moderni patroni oratores aut eorum auctores, uti constat ex sua confessione in actu praesentandi sacerdotem Marcellum Tomasseti exarata, praevenerunt quodcumque rescriptum nominando, ne jure caderent ea vice, praedictum sacerdotem ad praebendam Massucci. Unde facultas plena et libera collata a fundatore praefatis familiis necnon aequali formula plebano ecclesiae post hypotheticam earum extinctionem, et non extante presbytero de descendentibus . . . , haud extendi eo usque debet, ut capellanus eligatur clericus nondum sacerdotio insignitus.

Locus alter liter. apostolicarum erectionis in folio voti oratorum patronorum adductus, quoniam respective complectitur praebendas Tesei et Massucci ponens erigendas pro totidem clericis seu presbyteris (alias clericis et presbyteris), refertur ad respectivam primaevam institutionem; subdit legislator: . . *ex familiis . . . . a fundatoribus . . descendentibus*, id quod scriptor voti *omisit* allegare. Atqui testator Massucci vocat inter descendentes presbyterum ad possidendam capellaniam per totum dispositionis tenorem, non autem simplicem clericum.

Gratis tandem asserunt patroni sibi tribuendam facultatem nominandi clericum, ut aliquatenus releventur de commodo suo imminuto ob consensum praestitutum erectioni capellaniae non collativae ad praebendam canonicalem: non agitur de contractibus inter privatos. Si compertum habuissent sibi fas ex testamento Massucci esse nominandi clericum, nunc professi sunt id juris sartum tectumque habendum? Nullibi profecto hujusmodi protestatio in actis curiae, in bulla erectionis praecitata, in foliis nominationum, quae hucusque praecesserunt. Rite ergo patroni oratores minime suo jure patronatus usi sunt praesentando simplicem clericum ad presbyteralem praebendam. Quod erat demonstrandum et capitulo Collegiatae Montis Carotti audito ex praescripto Eminentiae Vestrae suffragatur intuitu voluntatis pii fundatoris presbyteri Michaelis Angeli Massucci in congressu Capitularium die 24. prox. elapsi Augusti coacto, ubi aperuerunt congregati votum utcumque recipiendi fratrem nominandum in gradu sacerdotali: siquidem pauci sacerdotes Canonici ibi adsunt ad munia sui ordinis commode partienda.

Hinc quoad dispensationis gratiam expetitam ab eminentissimorum et reverendissimorum benignitate P. P. istius sac. Congregationis per patronos oratores summa, directioni Vestrae observandum superest, quod oppidum Montis Carotti satis populosum et paucitas presbyterorum in capitulo instantissime exoptant praebendatum Massucci in ordine sacerdotali et cum nemo adsit hujusmodi in dicto loco, esse opus censeo nominatione et praesentatione sacerdotis aliunde adsciti ad canonicatum Massucci, qui forte esset irreperibilis, si ei daretur optio ad beneficium mansionariatus (attenta hujus reddituum modicitate) consequendum, vacaturum, quando clericus Mansionarius praesentatus a patronis de Comitibus Canimi oratoribus institueretur in canonicali praebenda Massucci.

Qui vero jura tuetur clerici Tomassetti nititur ostendere qualitatem sacerdotalem ex fundatione minime requiri, post bullam vero Pianam erectionis in Collegiatam in nominato sufficere clericatum. Quantum attinet ad fundationem, licet non diffiteri videatur, quod testator capellanum voluerit sacerdotem, quatenus ageretur de capellano inter lineas praedilectas eligendo, non ita tamen si de nominatione extranei casus contingeret in defectu vocatorum necnon ubi juspatronatus ad plebanum ob linearum designatarum extinctionem pervenisset.

Quod equidem arguit ex ipso tenore fundationis, quia in duobus enunciatis locis, in quibus nimirum agitur de capellano inter extraneos assumendo et amovibiliter donec supervenisset sacerdos de familiis vocatis et de jure nominandi ad plebanum loci delato, nulla fit mentio *di prete sacerdote*, sicut e contra contigit, quoties de capellano ex praedilectis familiis agitur eligendo ex vulgata regula discretiva »quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est.«

Idque insuper confirmat tam ex amplitudine verborum »*dò piena e libera facoltà di nominare il capellano*« tum patronis tum plebano familiis vocatis exhaustis, quam ex materia subjecta laicalis capellaniae, in qua juspatronatus benigniori ac latiori interpretatione in usu fori affirmat usurpari, maxime cum testator suis capellanis onus non imposuerit, ut ipse asserit, celebrandi *per seipsum.* Qua deficiente obligatione qualitatem sacerdotalem non requiri et onera posse per substitutum impleri monet cum *Rota dec. 108. cor. Ludovisio num. 15.*

Luculentius autem excludi qualitatis sacerdotalis necessitatem arbitratur in nominando ad canonicatum Massucci post praefatam erectionis bullam: quod pluribus ostendere conatur. Et primo quidem ex adjecta limitatione »*sub diversis aliis pactis et conditionibus necnon reservationibus*«, ac insuper ex requisito interesse habentium consensu Atque hic adamussim consensus cum a patronis fundationis Massucci praestitutus fuerit cum explicita reservatione juris nominandi *quella persona che a noi e a detta discendenza parrà e piacerà*, non esse coangustandam hanc latissimam facultatem praeservatam ad nomi-

nationem sacerdotis, eaque adamussim pacta et reservationes recensitis verbis opinatur Pontificem confirmasse. Deinde hoc ipsum evidentius ex aliis bullae locis adstrui sibi pollicetur, in quibus aperte dicitur quod *per clericos seu* presbyteros obtineri et deservire consuevit, quoad praefatam capellaniam, unde colligi putat quod ante erectionem in canonicatum eamdem capellaniam obtinuerint aliquando indistincte clerici et sacerdotes, vel nunc ab unis nunc ab aliis fuisse possessam: alibi vero dicitur, quod *pro totidem clericis seu presbyteris* erectio facienda intelligatur, unde clarius clericatum in nominando sufficere desumit. Quod vero subjungitur, scilicet *»servata in omnibus etc. eadem ipsa lege in primaevis fundationibus praescripta, cui hac in parte causae infrascriptae erectionis minime derogatum existat«* non modo sibi non nocere perpendit, sed imo mirifice confirmare quae superius animadvertit de sacerdotio in solis vocatis e lineis et familiis praedilectis requisito, minime vero in extraneorum nominatione; Pontifex enim ibi non de aliis meminit quam de descendentibus ex familiis designatis.

Et quod post bullam praefatam simplex in nominando clericatus sufficiat duplici alia ratione corroborare contendit. *Primum ex* regula discretivae ex diverso nimirum locutionis tenore, quo Pontifex usus est, quando de promovendis ad canonicatus, Tesei praesertim et Massucci, ubi dixit *pro clericis et presbyteris*, et quando de assumendis ad mansionariatus mentionem facit inferius, ubi absque ambage dicitur absolute *»pro totidem presbyteris«* ex qua sane diversa locutionis forma diversam etiam disponentis intentionem educit, *deinde* ex novatione, quam subiit capellania Massucci per conversionem in canonicatum ecclesiae collegiatae, ad cujus assecutionem ex dispositione juris haud equidem immutata per Concilium Tridentinum, uti monet cum *Gratian. discept. foren. cap. 591. num. 20.*, nec aetas 14 annis major exigitur nec qualitas sacerdotalis est necessaria, sed simplex tantum clericatus.

Hinc infert nulla prorsus in consideratione habendum esse tum Capitularium tum Emi Episcopi votum de sacerdote ad praebendam vacantem nominando. Ejusmodi namque desiderium, etsi videri possit laude dignum, ad exitum perduci nequire cum praejudicio juris per clericum nominatum acquisiti et cum ipsorum nominantium patronorum dissensu et protestationibus in contrarium. Eoque minus attendendum esse subsumit, quo constat apertius sacerdotum in loco penuriam, quam efferunt abesse omnino, cum praeter alios duodecim Canonicos omnes in ordine presbyterali constitutos alii duo vel tres adsint sacerdotes inter mansionarios et beneficiatos ejusdem loci, ubi numerus animarum ad septingentum supra bismille non pertingit, prout exhibito comprobat documento.

Utrum vero per clerici nominati defensorem adducta infirmari valeant, quae ab Emo Episcopo pro sacerdotali adstruenda qualitate in praesentando relata sunt, facile judicabunt Emi Patres, si plura hinc inde deducta conferant cum tenore fundationis et cum locis bullae erectionis in Collegiatam ad rem facientibus, quorum tenorem superius exscripsi. Quod si inspecta fundatione et observantia cum bulla erectionis qualitatem sacerdotalem in praesentando ad canonicatum, de quo quaeritur, EE. VV. judicaverint necessariam, tunc erit decernendum, utrum expediat necne petitam clerico nominato concedere dispensationem, pro cujus impetratione instant concorditer patroni cum clerico praesentato, qui praeterea ultra numerosam familiam et oeconomicas angustias obtendit sui favore ad gratiam facilius consequendam tum proximitatem ad ordines sacros suscipiendos tum studia literarum et philosophiae laudabiliter expleta tum demum commendabilia morum et pietatis testimonia, illa etiam animadversione suffragante quod ex dispensatione nullius intervenit praejudicium, aut potius, denegata dispensatione, sit praefigendus novus terminus patronis laicis, qui nominassent inhabilem, ad alium idoneum praesentandum sacerdotali qualitate insignitum, uti cum Capitularibus ipsemet Emus Episcopus opinatur duplici de causa, tum scilicet ob populi numerositatem tum ob presbyterorum paucitatem in capitulo, attenta etiam consideratione, quod sacerdos extraneus haud ita facile reperiretur, qui mansionariam acciperet tenuis redditus, quam dimitteret clericus Tomassetti, dum e contra facillime alliceretur extraneus sacerdos ad canonicatum vacantem occupandum, qui congruos habet proventus. Super his tamen adjunctis sive numerositatis populi sive presbyterorum exiguitatis in capitulo prae oculis habenda sunt, quae reponuntur ex parte nominati, quod scilicet numerus animarum ad bismille et septingentum non pertingit et

in capitulo praeter Archipresbyterum et Canonicos omnes in ordine sacerdotali constitutos alii insuper duo vel tres adsint sacerdotes inter mansionarios et beneficiatos, ita ut in capitulo quatuordecim aut quindecim presbyteri numerentur.

Dantur igitur

Dubia:

I. *An sit danda institutio clerico Marcello Tomassetti in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit concedenda eidem dispensatio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative.

Ad II: Affirmative usquedum orator ad canonicam pro s. presbyteratus ordine aetatatem perveniret, impletis interim per alium missarum oneribus, facto verbo cum SSmo.

Die 26. Sept. 1837.

Praenestina.

Imperius Pontiani Terrae sancti Viti Praenestinae dioecesis duas tantum habebat filias, quarum major matrimonio juncta cuidam Septimio de Benedictis ejusdem Terrae, Jacopella, altera nupta Sancti Ronci, Virginià appellabatur. In suo quo Imperius decessit testamento sub anno 1629 suorum bonorum haeredes universales vocans Jacopellam ejusque filios de Benedictis pium missarum legatum instituebat his verbis: »Lascia e comanda agli Eredi che debbano vendere i Luoghi de' Monti sussidiali, ed il prezzo si debba spendere nella Capella maggiore dell' Assunzione di Maria di detta chiesa in nome di dote di scudi 300., e di detti denari si debbano comprare tanti beni stabili, cioè terreni e castagneti, ma non case; e tutti li frutti di dette possessioni si debbano dare e consegnare al Sacerdote che servirà in detta capella«. Deinde procedens ad sacerdotis mentionem, sic se habet: »Voglio ed ordino che desso sia il sig. D. Mariano Benedictis (familiae videlicet quam haeredem universalem renuntiavit) ed altri discendenti che saranno però della casa ed origine dei Ponziani.

Vita functo testatore haeredes de Benedictis filii Jacopellae, Michael Angelus, Paulus et Carolus fratres de Benedictis, quibus ab Imperio erectio pii legati fuerat demandata, existimarunt, quod cum aliquo designatae dotis augmento Jmperii legatum in capellaniam seu in simplex ecclesiasticum beneficium verti potuisset. Supplicem adeo eminentissimo tunc temporis Episcopo Praenestino libellum porrexere atque doti a testatore relictae summam scutatorum 117 addentes petierunt, ut legatum in titulum simplicis beneficii erigeretur, ut jus ad illud nominandi ac praesentandi sibi ipsis suisque haeredibus et successoribus reservaretur. Benigne excepit preces Emus Episcopus et legatum in capellaniam seu ecclesiasticum beneficium erexit atque favore familiae de Benedictis juspatronatus reservavit.

Vacata nuper mense Augusti anni 1856 per obitum sacerdotis Caroli Gentilezza capellania Carrolus Nario Telli assertus patronus (utpote haeres familiae de Benedictis) proprium filium suum clericum Josephum Telli apud apostolicam Datariam praesentavit atque ejus favore, nemine contradicente, bullares literae expeditae fuerunt septimo Calendis Octobris ejusdem anni, quarum vi in formalem beneficii possessionem eodem mense fuit immissus. Sed mense Januarii insequentis anni 1857 Hannibal Gentilezza Terrae s. Viti, qui in sacra ordinatione habita mense Junio ejusdem anni 1857 clericali militiae nomen dedit (octo scilicet post menses ab accepta a clerico Josepho Telli beneficii possessione), supplicem sacratissimo Principi obtulit libellum, quo exponens se unice et passive ad capellaniam Ponziani esse vocatum utpote descendentem a familia ejusdem institutoris ac adeo obreptionis et subreptionis vitio infectas fuisse preces a Josepho Telli oblatas, super quibus apostolicas provisionis literas obtinuit; hinc petiit facultatem pro aperitione oris ac insimul dispensare ab aetatis et clericatus defectu (quippe in aetate duodecim annorum constitutus), ut ad praefatam capellaniam institui posset.

Re ad sac. hujus Congregationis cognitionem remissa Emum Episcopum rogavi informationem ac votum et ab ejus Vicario generali accuratam accepi relationem, in qua ipse bonum provisi jus contra Hannibalis Gentilezza praetensionem protuetur. Siquidem relatae historiae narratione praemissa ita prosequitur: ex hoc erectionis decreto (quo nimirum legatum in capellaniam conversum fuit) familia de Benedictis ejusque haeredes et successores spatio centum et ultra annorum in pacifica jurispatronatus possessione manserant,

neque in posterum plures in capellaniae vacationibus exortae controversiae eam jurepatronatus de quo agitur expoliare valuerunt.

Re saue vero anno 1750, vacato beneficio, quaedam Lucretia Ronci Telli haeres familiae de Benedictis ad eum praesentavit quendam sacerdotem Alexium Battistoni. Acriter se opposuit huic praesentationi Ferdinandus Ronci tanquam descendens a Virginia Ponziani et proposita causa in hac curia episcopali sequens lata fuit sententia: »Jus nominandi et praesentandi ad capellaniam de qua agitur spectasse et spectare ad familiam de Benedictis ejusque haeredes et succesores, propterea instantem tanquam nominatum et praesentatum a domina Lucretia Ronci Telli haerede quondam Theresiae de Benedictis instituendum fore et esse etc.« Quaeque sententia interposita appellatione confirmationem obtinuit atque in vim reijudicatae sacerdos Battistoni in capellaniae possessionem immissus eam usque ad mortem pacifice retinuit.

Vacata iterum per praefati sacerdotis Battistoni obitum capellania anno 1765 superius enunciata Lucretia Ronci Telli proprium filium Joannem Baptistam praesentavit, contra quem Joannem Baptistam Gentilezza descedens a Virginia Ponziani *Nihil transeat* opposuit et denuo Vicarius tunc temporis generalis hujus dioecesis ratam habuit nominationem Lucretiae ejusque filio Joanni Baptistae beneficii contulit institutionem.

Ultimus laudatus capellanus anno 1780 diem clausit extremum ejusque mater Lucretia ad vacantem capellaniam sacerdotem Joannem Baptistam nominavit; Gentilezza apposuit *Nihil transeat* in hac curia episcopali; iterum fuit rejectus sententia hisce verbis concepta: »Praevia laceratione *nihil transeat* nulliter et indebite per citatum appositum decrevit servandam fore et esse nominationem et praesentationem factam in persona instantis a Domina Lucretia Ronci Telli ad beneficium seu capellaniam de qua etc.; et pro hujusmodi effectu supradictum instantem instituendum fore et esse ad beneficium seu capellaniam praedictam.«

Quamobrem hisce fretus sententiis jure meritoque censet Vicarius generalis Carolum Mariam Telli suum filium Josephum ad capellaniam praesentasse, quin ullum adversarius Gentilezza jus valeat praetendere; prosequitur enim: »Potissima ratio, qua ipse autumat fulcire, est sententia lata a tunc temporis Vicario hujus dioecesis generali sub anno 1792. Orta enim controversia inter alterum clericum Josephum Telli et D. Carolum Gentilezza judex ille, nullo habito respectu ad bullam erectionis, quam supra enunciavimus, ad pacificam possessionem ultra centenariam, quo juspatronatus in familia de Benedictis ejusque successoribus et haeredibus permansit, ad tres posteriores sententias, quae ipsum in hac familia apertissime confirmarunt, definivit institutionem dandam esse clerico Gentilezza tamquam passive vocato utpote descendenti a Virginia Pontiani. Quanti sit momenti haec sententia Vestrum erit decernere. Illud tantum humillime animadvertendum existimo, quod juspatronatus, de quo agitur, indubitanter ex supradictis rationibus ad familiam Ronci Telli tamquam haeredem familiae de Benedictis insimul saltem cum descendentibus a Virginia Ponziani spectare videtur: et sicuti in ambabus familiis Josephus Telli unice clericus existebat in ultima vacatione, ideo a patre praesentatus jure institutionem obtinuit.

Expositis hisce in curiae relatione momentis tota innititur provisi Josephi Telli defensio; praeterea enim nihil ab ejus procuratore accepi.

Qui partes vero agit Hannibalis Gentilezza arborem genealogicam familiae Ponziani exhibet, ex qua demonstratur, Hannibalem Gentilezza originem ducere a Virginia Ponziani, altera Imperii Ponziani filia, nupta Santi Ronci, e contra vero Josephum Telli nullo sanguinis vinculo conjunctum esse cum ejusdem Imperii familia, quippe qui provenit a quodam Alberto Ronci extraneo ab eadem familia, sed tantum haerede Theresiae Benedetti (descendentis a Jacobella Ponziani altera Imperii filia), cum qua exhanritur linea familiae de Benedictis. Quamobrem cum Imperius Ponziani jusserit, iis conferendam fore capellaniam »che sarano della casa ed origine dei Ponziani,« hinc arguit orator capellaniam esse jurispatronatus gentilitii, ex *Fargna de jurep. part. 2. can. 1. et 2. cas. 5. n. 15.*, unos proinde descendentes a Jacobella et Virginia Ponziani jurepatronatus passivo potiri et ex legis favore etiam activo, cui expresse non renuntiavit fundator, juxta ea quae docet *Piton. discept. eccles. §§ 73. et 74*, et per consequens jus ad capellaniae possessionem Hannibali Gentilezza ad sui competitoris extranei exclusionem unice inesse.

Atqui in precibus a Josepho Telli expositum fuit juspatronatus hujus capellaniae ad suam spectare familiam adeoque se unicum ex eadem familiam clericum ad illam nominari oportere; quod cum longe a veritate absit, manifesto consequitur ab obreptionis seu subreptionis vitio preces ipsas excusari nullo pacto posse ac intrare ea propter arbitrium super aperitione oris, ut nullius roboris provisione ejusdem Telli declarata institutioni fiat locus favore oratoris, cujus bonum jus in discrimen revocare nefas est.

Nequidquam vero adversarium inniti decreto episcopali anni 1632, quo capellaniae erectio contigit, cujus patronatus jus reservatum fuit fratribus Benedetti, Jacobellae filiis eorumque haeredibus et successoribus ob praetensum et gratuito assertum dotis augmentum, quin mentio fieret de descendentibus a Virginia Ponziani-Ronci altera testatoris filia. Decretum enim hujusmodi contendit orator suis non consistere viribus, si perpendatur nec interfuisse beneplacitum apostolicum, ut jurispatronatus activi extra limen fundatoris reservatio fieret, ceu opus fuisset juxta doctrinam s. *Rotae in Pistorien. Beneficii 6. Febr. 1722 coram Corso*, nec descendentes Virginiae nuntium suis misisse juribus nec augmentum etiam dotis jus tribuisse illud conferentibus compatronos patronatu quo potirentur expoliandi.

Sed vero, quidquid sit de jurepatronatus activo, ad passivum quod attinet, controverti non posse, subsumit, illud ex lege fundationis reservatum fuisse eorum dumtaxat favore, qui ad familiam Ponziani pertinerent, cui plane legi episcopale decretum minime derogasse videtur. Quae cum ita sint, indubium esse, quin super vocatione passiva nullum jactare jus valeat Josephus Felli, quia ejus proavus Albertus Ronci, tamquam Theresiae Benedetti haeres, succedere non voluit jurepatronatus passivo super capellania Ponziani, quod transire non potest in extraneos durantibus personis contemplatis seu inquit *Piton. discept. eccles. 4. n. 24. et Lotterius de re benef. com. 1. lib. 2. quaest. 11. n. 10.*

E contra vero jus oratoris Gentilezza constabilitum et confirmatum deprehendi nedum ex lege fundationis, verum etiam ex duabus curiae Praenestinae sententiis, quarum altera dubium statum favore ejusdem constituit. Nam cum an. 1712 Joannes Ronci-Ponziani canonicam petiisset institutionem eique contradicent Gregorius Mastrilli extraneus, sed praesentatus a Mariano Benedetti, sententia curiae ad capellaniam instituendum esse declaravit praefatum Joannem, tamquam de domo et origine de Pontianis a fundatore vocatum, cujus tamen sententiae mentionem non facit Vicarii generalis relatio. Ita pariter se habet altera sententia lata anno 1792, quae, causa acriter inter Carolum Gentilezza et Josephum Telli acta, illius bonum jus confirmavit ob eandem relationem descendentiae ac originis a familia Imperii Ponziani fundatoris. Contrarias vero tres sententias a Vicario generali recensitas nullius esse ponderis habendas, utpote disertae fundationis legi ac sententiis anni 1712 repugnantes et a postrema sententia anni 1792 revocatas; quae demum in contumacia de familia illorum Ponziani pronunciatae fuerunt.

Injuria igitur urget episcopalem curiam apostolicas literas exequutioni commisisse, posthabita protestatione Hannibalis Gentilezza apud acta emissa nec verificato prius per citationem partium jurepatronatus, ceu in literis ipsis injunctum fuerat. Nec culpae eidem vertendum quod prima tonsura intra utile tempus initiatus non fuerit, utpote qui continuo id postulare non praetermiserit, quamvis nonnisi plures post menses ab literarum apostolicarum exequutione voti compos evaserit. Ceterum consisto de exclusivo ejus bono jure quoad vocationem passivam, spem fovet certam orator fore, ut dispensatio super defectu aetatis, quo laborat adhuc (cum tonsuram clericalem jam susceperit), clienti suo non denegetur, cujus rei quotidiana apud s. hunc Ordinem occurrunt exempla.

Datur itaque dubium:

An manutenendus sit in possessione capellaniae clericus Telli seu potius consulendum sit SSmo pro dispensatione super defectu aetatis favore Hannibalis Gentilezza, ita ut intret arbitrium pro aperitione oris in casu?

S. C. resp.:

Dilata et afferatur testamentum Imperii et actus erectionis beneficii.

Die 27. Febr. 1858.

Continuatio ejusd. causae.

Jussa EE. VV. faciens utrumque documentum heic exscribo. In testamento quoad

institutionem, de qua agitur, haec tantum habentur: »Item lascia, e comanda de jure legati all' infrascritti eredi, che debbano vendere i luoghi de' monti sussidiali, ed il prezzo dei luoghi de' monti del sussidio si debba spendere nella capella maggiore dell' assunzione dei s. Maria di d. chiesa in dote, ed in nome di dote di scudi trecento, e con li detti denari si debbano comprare tanti beni stabili, cioè terreni e castagneti ma non case; e tutti li frutti di esse possessione si debbano dare, e consegnare al sacerdote, che servirà in d. capella.... Voglio ed ordino, che quel sacerdote sia il reverendo sig. D. Mariano de Benedictis di d. luogo, ed altri discendenti, che saranno però della casa, ed origine de' Ponziani.«

Suos vero universales haeredes nominavit: Paolo, Michelangelo, Imperio Benedetti »e Carlo, figliuoli legitimi, e naturali nati da Settimio de Benedictis, e Donna Jacobella figliuola del d. Signor testatore.«

Ita vero se habet actus erectionis beneficii:

Die 30. Martii 1632.

Omissis aliis.... Illmus et Rmus Dominus Vicarius generalis Praenest. etc. viso legato facto per dictum quondam Imperium illoque recognito visaque assignatione facta trium Locorum Montium loco scutatorum tercent. relict. per eundem Dominum Imperium, necnon visa altera donatione unius similis Loci Montium non vocabilium subsidii triennalis per supradictos Michaelem, Angelum, Paulum Imperium, Benedictum et Carolum de Benedictis haeredes ejusdem D. Pontiani de proprio pro augmento dotis beneficii ad capellaniam assumptionis Beatae Virginis in ecclesia parochiali b. Mariae de Arce ejusdem Terrae s. Viti erigen. juxta dispositionem quandam Imperii praedicti, visaque instantia facta pro parte germanorum fratrum pro reservatione jurispatronatus, ut supra petitum fuit, visis literis Emi D. Cardinalis Episcopi et facultate eidem Dominationi concessa omnibusque aliis benevisis et consideratis attentisque supradictis erexit capellaniam praedictam ut supra dotatam quatuor Locorum Montium non vocabilium subsidii triennalis in titulum beneficii simplicis cum onere celebrandi missam quibuscumque et singulis hebdomadibus in dicta capella pro salute animarum ipsius Imperii, suorum conjunctorum aliorumque successorum in perpetuum per capellanum in ea pro tempore existen., salva semper moderatione dictarum missarum, quatenus etc. arbitrio ejusdem D. Cardinalis Episcopi et successorum omni meliori modo etc. Et praeterea juspatronatus et jus praesentandi et nominandi coram Emo et Rmo D. Cardinali pro tempore Episcopo Praenestino aut illius Vicario generali dictis Michaeli, Angelo, Paulo Imperio, Benedicto et Carolo germanis fratribus de Benedictis haeredibus ut supra dicti quondam Pontiani eorumque haeredibus et successoribus quibuscumque reservavit et reservatum esse voluit, decrevit et declaravit ipsisque et suis praedictis perpetuis futuris temporibus competat et competere debeat jus praesentandi et nominandi personam idoneam ad hujusmodi capellae beneficium obtinendum, quoties tam post praesentem nominationem factam a dicto D. quondam Imperio quam deinceps perpetuis futuris temporibus illud quomodolibet vacare contigerit, reservato tamen in perpetuum jure instituendi dicto Emo D. Cardinali Episcopo pro tempore seu etc., non solum modo et forma praemissis sed omni alio de jure meliori modo etc.

Defensor Hannibalis Gentilezza in sua distribuenda allegatione eadem ferme in jure disserit, quae in anteactae propositionis folio exposita fuere. Agi nimirum de jurepatronatus gentilitio, seu patet ex nuncupatione domus ac originis a testatore usurpata in ejusdem reservatione, ibi: »ed altri discendenii che saranno però della casa ed origine de' Ponziani«; quamobrem arguit injuria prorsus decretum erectionis hujus beneficii solis fratribus de Benedictis, exclusis descendentibus a Virginia Ronci altera testatoris filia, illius juspatronatus reservasse. Hinc jure meritoque curiae sententia anni 1712 decrevit non esse locum manutentioni praetensi juris nominandi et irritum ac nullum declaravit idem decretum erectionis ut nulliter et injuste exortum. Quae sententia, cum incassum ad supremum Signaturae tribunal recursum habuisset Marianus de Benedictis, in rem judicatam transivit eique consentanea est altera sententia anni 1792, quae ultimum statum constituit et in qua nulla ratione habita de duabus aliis contrariis sententiis intermedio tempore latis decretum fuit clericum Carolum Gentilezza tanquam passive vocatum et descendentem ex origine et familia Imperii Ponziani fundatoris instituendum fore et esse in beneficium perpetuumque silentium im-

posuit clerico Josepho Telli tamquam nominato et praesentato a Rosa Telli haerede Alberti Ronci.

Ceterum ad praesentem quod attinet controversiam nil officere animadvertit decretum erectionis; agitur enim de jurepatronatus passivo, quod post ipsam erectionem mansit adhuc penes eos tantum, qui sunt de domo et origine Imperii Ponziani fundatoris. In decreto enim unum activum juspatronatus seu jus nominandi et praesentandi fratribus de Benedictis reservatum fuit. Et praeterea juspatronatus et jus praesentandi et nominandi germanis fratribus de Benedictis.... reservavit ipsisque perpetuis futuris temporibus competat et competere debeat jus nominandi et praesentandi personam idoneam ad hujusmodi capellae beneficium obtinendum; quae quidem expressio personae idoneae ad legem primaevae institutionis spectat quoad capellanos nominandos, qui nempe ad descendentiam vocatam pertinerent.

Constare autem in facto subsumit ex arbore genealogica Hannibalem Gentilezza revera esse de domo et origine Imperii, quod de competitore Telli minime comprobatur, seu in praeterita allegatione demonstravit orator; ac adeo obreptionis ac subreptionis vitio infici necesse est literas institutionis ab eodem obtentas nec ei suffragari possessionem benefiii, in qua injuria versatur. Recolit praeterea objici non posse Hannibali Gentilezza defectum clericalis tonsurae, cum per eum non steterit, quominus tempore utili eam susceperit, quam bis mature postulare non omisit. Profert etiam fidem ejus nativitatis, ex qua constat ipsum natum esse die 27. Aprilis 1845, unde non multum ab assequenda canonica aetate distabat, cum vacavit beneficium die 15. Augusti anni 1856, necnon a competitore suo, qui natus proditur die 6. Junii 1847. Tandem animadvertit, Hannibalem utili quoque tempore, perdurante quadrimestre, recursum ad s. Congregationem habuisse ad sua jura tuenda; supplicem enim libellum obtulit mense Nov. 1856, cui cum rescriptum fuisset: Doceat de remissione causae ad s. Congregationem cum clausula de aperitione oris, id ipse continuo praestitit sacratissimo Principi oblatis precibus die 22. insequentis mensis Decembris, quamvis hae nonnisi mense Januarii per secretarium supplicum libellorum ad s. Congregationem remissae fuerint. Ceterum jam antea, observat orator, impedimentum *nihil transeat* apud acta curiae Hannibal apposuerat, ex quo satis superque suum jus praesèrvatum extiterat.

Josephi Telli vero defensor spectata tantum lege fundationis habitoque jurepatronatus gentilitio monet praeprimis, quod, licet adversarius Gentilezza ex arbore genealogica suam ab Imperio descendentiam probet, nullum tamen documentum exhibuit. Cum vero res sit de proviso spoliando deque evertendis praeexistentibus judicatis favore familiae de Benedictis, a qua suus cliens originem ducit, plenissima decisivi facti probatio, minime informis assertio usuveniat oportet.

Ait praeterea abscisse primaevam fundationis legem esse posthabendam, siquidem mortuo testatore Imperio pium legatum, instantibus illis de Benedictis, solemni decreto Vicarii generalis Praenestis in perpetuum beneficium ecclesiasticum commutatum est atque ex augmento dotis ab iisdem peracto non tantum ipsorum favore sed etiam suorum haeredum et successorum dicti beneficii juspatronatus tam activum quam passivum fuit illis reservatum. Hinc, etsi Tellius a familia Pontiani ad hypothesim non descenderet, indubie nec ipso adversario inficiante mediatus haeres extitisset Theresiae de Benedictis haeredem instituentis virum Albertum Ronci, in quem jus ipsum ex postero solemni actu commigraverat.

Perdite vero objici, nequivisse Eminen. Praenestinum Antistitem testatoris voluntatem immutare ex tenui praecipue scut. 117 augmento; nam juris est non ambigui posse patronos ad invicem assentientes, etiam Ordinarii exsulante consensu, in vocatorum praejudicium antiquum evertere statum. Sic juspatronatus originaliter gentilitium haereditarium fit et de haereditario gentilitium: sic pro masculis reservatur quod et foeminis commune est; sic et extraneus ad praesentandum admittitur et in eundem juspatronatus ipsum transfertur. *Lambert. de jurepatronat. lib. 1. par. 2. quaest. 2. et 4. art. 4. n. 3., Ciarlin. controv. 159. n. 22. lib. 2, Vivian. de jurepatron. part. 1. lib. 4. cap. 9. n. 45.* Fortius quia in casu nullum ecclesiae inferebatur praejudicium. Aliquando enim firmatum fuit difficilius juspatronatus de gentilitio in haereditarium commutari, quia facilius exarescit familia quam haeredes: verum hic juspatronatus refertur tantum ad capellaniam, non ad capellam, quae ab omn

jurispatronatus onere est libera: aliud namque est capellaniae patronum esse, aliud capellae, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 12. n. 5, Fargna de jurepatron. part. 2. cons. 22. 23. 24. cap. 2. n. 11.*

Jam vero in tali nova beneficii creatione ac jurispatronatus reservatione familiae de Benedictis eorumque haeredibus subsumit intercessisse consensum compatronorum familiae Ronci, ex eoque liquet, quod, cum immutatio ab illis de Benedictis solemniter fuerat petita in augusto oppido s. Viti ac per erectionis decretum executioni fuerit demandata, fieri non poterat, ut ii de Ronciis stricto consanguinitatis vinculo cum praefatis de Benedictis conjuncti (erant enim singuli Jacobellae et Virginiae filii et Imperii testatoris ex duabus istis sororibus nepotes) ea omnia ignoverint. Proinde huic erectioni et reservationi tunc temporis haud obsistendo consensum in immutatione eos praestitisse censendum est, ceu post *text. in l. final. ff. unde Cognat.* communi calculo tradunt *Gabriel. de praesumpt. conclus. 6. per tot., Fargna de jurepatron. part. 6. can. 16. 17. cap. 1. n. 29, Piton. controv. patron. 63. n. 18, Vivian. de jurepatron. part. 3. lib. 14. cap. 2. n. 6. et 7*, ubi: Quamvis non appareat dictos Paulum et Braccium praesentantes intervenisse in dicta concordia, dubitari tamen non potest, quin illi consenserint, ex quo illam sciverunt, et licet potuerunt nunquam tamen contradixerunt, ex quo etiam negari non potest, quin de illa scientiam et notitiam habuerint; hoc enim indubitanter colligitur ex arctissima sanguinis conjunctione, quam uterque habebat cum dictis praesentatis et transigentibus.

Nec officere consensum in erectionis decreto non legi, cum praesentari possit etiam ex post et quandocumque, nec oportet quod sit expressus, *Fargna de jurepatr. p. 6. can. 16. et 17. cap. 1. n. 31.* Minusque relevare ideo familiam Ronci novae huic erectioni non contradixisse, quia nulli erant clerici, qui ad controversum beneficium optarent: id quod principio minime probatur. Ulterius vero, cum per novam hanc erectionem ipsi quolibet activo etiam praesentandi jure orbarentur, omnimode convenisse censendi sunt, ne tanto subessent praejudicio.

Rem tandem omnem conficere autumat ipsam summi Pontificis auctoritatem plenariamque potestatem, cui compatronorum placitum incrementumque divini cultus uberius adaucta dote et missarum numero, animae testatoris suffragium, immutationis causae esse valuere. Liquet siquidem ex decreto Vicarii generalis pro nova hac erectione Emo Ordinario peculiares fuisse concessas facultates, de quibus Vicarius ipse in saepedicto testatur decreto per verba: »Visis literis Emi Cardinalis Episcopi et facultate eidem Dominationi concessa rebusque aliis bene visis.« Nonnisi vero summum Pontificem Cardinali Episcopo eandem fuisse elargitum censet, cum nec minor potestas nec par in parem habeat imperium. Quin praefatos de Benedictis fundatoris voluntatem fortasse reticuisse censeatur subreptionisque vitio omnia laborare sat elucescente ex erectionis bulla ejusque exordio cuncta extitisse religiose exposita.

Patronorum autem omnium adfuisse consensum supremamque Pontificis potestatem una cum ceteris, quae ad erectionis validitatem conferunt, indigitare insuper urget non interruptam octoginta annorum observantiam ab anno scilicet 1632, quo peracta fuit erectio, ad annum usque 1712, quo primus in scaenam prodiit Franciscus Ronci contra datam a Mariano de Benedictis nominationem. Nec opus esse probari eandem fuisse coactivam, cum oppositione scilicet familiae Ronci, dum profertur in linea tantum praesumptiva ideoque sat est quod ita fuerit simpliciter observatum. *Card. de Luca de jurepatron. disc. 6. n. 11, Piton. de controv. patr. allegat. 83. n. 14. com. 1.* Cum igitur nova jurispatronatus erectio subverti nequeat, orator contrario defensori minime adstipulatur, qui tandem concedit unum activum juspatronatus quivisse fieri haereditarium et ita in extraneam familiam transire, remanente omnino passivo penes vocatos a fundatore. Nihil enim in jure antiquius quam activum juspatronatus passivum etiam secumferre ac pari passu ambulare in personis, quae alterutro potiuntur.

De cetero his etiam, si lubeat, sepositis tria item Josepho Telli adjudicari concludit. Eorum primum est quod, cum lex fundationis executioni demandata non reperiatur cum aliqua expressa Episcopi approbatione, nova autem beneficii erectio et consensu et speciali expressa sanctione corroboretur, haec et non illa veniat attendenda, donec per tres conformes erectio isthaec in suo congruo

petitorio judicio abrogata non fuerit vel correcta; non enim inspiciendum hic est, quod Ordinarius facere debuisset sed quid fecit; consensus namque Episcopi ille est qui dat formam perfectionemque actui diciturque causa efficiens jurispatronatus, sine quo illud nullo pacto acquiritur, *Lambert. de jurepatron. lib. 1 art. 5. quaest. 2. n. 2, Lotter. de re beneficial. lib. 2 quaest. 3. 4, Piton. de jurepatron. allegat. 37. n. 2 et seqq., Fargna de jurepatron. part. 2 can. 1. 2. cap. 3. n. 11.* Nedum vero petitorium ex praemissis pro adversario clarum non esse, sed his accedere solemnem Vicarii generalis Praenestini remjudicatam anni 1756, quae jus attribuit favore auctorum Tellii. Jus nominandi et praesentandi ad capellaniam, de qua etc., spectasse et spectare ad familiam de Benedictis ejusque haeredes et successores, et pro hujusmodi effectu supradictum instantem tanquam nominatum et praesentatum a Lucretia Ronci Tilli haerede Theresiae de Benedictis instituendum fore et esse.

Deinde non solum in petitorio, verum etiam in possessorio judicio spatio centum et ultra annorum tot favore familiae de Benedictis extitisse monet resjudicatas, quot fere beneficii vacationes, de quibus late meminit informatio et votum Emi Episcopi, haud refragantibus binis dumtaxat contrariis sententiis anno 1712 et 1792; nam prior per appellationem ad A. C. ablegata, oeconomo interim apposito, dirempta per remjudicatam non extitit utpote quia beneficiatus obiit: altera vero, nil ulterius Tellio opponente qui ecclesiasticam militiam deseruerat, prodiit absque subsequiori oppositione. Hinc cum statum non aequivocae sententiae sed solemniores et constantiores resjudicatae firment, jus, inquit, tam active quam passive praesentandi permanere debet in familia Telli, haerede alterius de Benedictis. Res namque judicata pro veritate est nec ambigitur quempiam contra illam non audiri absque restitutione in integrum, *Piton. de discept. 159. n. 36. tom. 4, s. Rota coram Molines decis. 909. n. 1. et coram Lancetta decis. 446. n. 8.*

Si tandem, concludit, in contrarii defensoris bonum concederetur, de uno tantum jure patronatus activo effecto in familia de Benedictis haereditario, jure potuit Carolus Maria Telli haeres de Benedictis proprium filium clericum ad apostolicam Datariam praesentare, sicuti pluries actum in superiori saeculo, quia in familia passive vocatorum nullus omnino aderat requisitis legis et fundationis pollens. Ipse adversarius Hannibal Gentilezza nedum defectu aetatis inficitur, sed insuper clericali tonsura donatus fuit die demum 6. Junii 1857. Tellius jamdiu clericus beneficii formalem possessionem nanciscebatur uno fere anno ante, videlicet die 16. Oct. 1856. Etsi inde Hannibal praesentatus esset sub spe futurae dispensationis, omni profecto jure cecidisset, quia intra quadrimestre spatium ad idoneum praesentandum habilitatem non fuisset assequutus, ad tradita *Card. de Luca de jurepatron. disc. 45. n. 7. 8, Corrad. in prax. benef. lib. 4 cap. 6. n. 26, Piton. discep eccles. 13. n. 46. et seq.*

Proponitur itaque dubium:

An manutenendus sit in possessione capellaniae clericus Josephus Telli seu potius consulendum sit SSmo pro dispensatione super defectu aetatis favore Hannibalis Gentilezza ita ut intret arbitrium pro aperitione oris in casu?

S. C. resp:

Negative ad primam partem, affirmative in omnibus ad secundam.

Die 24. Apr. 1858.

Continuatio ejusdem causae.

Cum defensor clerici Josephi Telli novae audientiae beneficium impetraverit redit causa in hodiernis comitiis. Summa autem novae ab eo circumferendae defensionis haec est:

Praeprimis monet possessorium esse, quod vertitur judicium, sive quia judicium institutionis tale semper a canonistis dijudicatur, *Piton. de jurepatr. alleg. 36. n. 2 et alleg. 100 n. 261, s. Rota cor. Falconerio decis. 4. n. 26. de jurepat.*, sive quia in dubio formiter concordato de manutentione praecise quaeritur. Jam vero cum in eo judicio is vincat, qui in jurispatronatus activi et passivi quasipossessione reperitur, *Fargna de jurepatr. part. 1. cap. 5 cas. 3. n. 36, Piton. de jurepatr. alleg. 36 n. 3*, et institutio decernenda sit ad tramites ultimi status juxta patulam censuram *text.* in *cap. Consultationibus de jurepatr.* et *cap. Quaerelam de elect.*, arguit inde non denegandam Josepho manutentionem tamquam nominato a parente Carolo et avunculo Laurentio Ronci Telli. Etenim in ultima vacatione beneficii anni 1792, acta acriter lite inter ipsam familiam et familiam

Gentilezza, per sententiam judicis ecclesiastici Urbis anni 1795 in gradu appellationis (in antea propositione causae prorsus incognitam) definitive tandem vicit familia Ronci Telli ejusque praesentatus in haec verba: Sententiamus D. Rosam Leonetti viduam Ronci Telli manutenendam fore et esse in possessione libere nominandi ad d. beneficium, proptereaque relatum clericum Josephum Ronci Telli instituendum ad illud beneficium atque ad illius possessionem immittendum fore et esse, prout manuteneri et respective immitti volumus ac mandamus.

Maxime quia, si in exequutivo literarum apostolicarum judicio ultimi status efficacia tanti semper reputata fuit, ut nec latum unguem ab illo discedere liceat, etiamsi de antecedentium statuum diversitate fortasse constiterit. *Rota in Avinen. Parochialis 21. Junii* §. *16. et 14. Janu. 1752* §. *12*, *utraque coram Figueroa*; in themate accedit observantia octoginta annorum, ab anno scilicet 1642 ad annum 1712, per quam uterque patronatus pacifice stetit in familia de Benedictis autrice alterius Ronci Telli adstipulanturque contradicta judicia ab anno 1712 ad annum 1792. In his enim omnibus monet institutionem semper contradicentibus Roncis et postea Gentilezza adjudicatam fuisse praesentatis a Roncis Tellis annis 1750, 1765 et 1780, quin contraria familia a die erectionis beneficii 31. Martii 1632 ad haec usque tempora vel momento temporis possessioni incubuerit. Hinc validior status fortiorque assurgebat verificatio possessionis utriusque patronatus quoad patronos, qui Josephum in novissima anni 1856 vacatione nominarunt, tamquam qui eamdem possessionem protuebantur ex ultimo statu et observantiae et antecedentibus undequaque consentaneo juxta ea, quae docet *s. Rota in Lucana Beneficii 26. April. 1748* §. *pen.*, *coram Lana*, *Tuden. Parochialis s. Christinae de Lavadores 20. Nov. 1750.* §. *6 coram Canilliac et in Compostellana Parochialium 9. Junii 1752* §. *18 coram Figueroa.*

Tam patule existente possessorio perdite ad petitorium confugi urget, quod nunquam absorbet possessorium nisi de proprietate pateat in continenti vel per instrumentum publicum vel per remjudicatum vel per confessionem partis, *Marescott. variar. resolut. lib. 1 cap. 55. n. 66.*, *Lotter. de re benefic. quaest. 34. n. 29. lib. 1*, *Rosa de execut. lit. apost. cap. 6 n. 10.* Nullum enim publicum instrumentum existit, remoto originario missarum legato omnino posthabito a sequiori curiae Praenestinae decreto erectionis beneficii, nulla res judicata lata in petitorio, cum praeter octoginta annorum observantiam lites perpetuo in possessorio pro de Benedictis et Ronci Telliis diremptae sint, nulla partis demum confessio, dum adeo auctores Josephi adversariis jus omne denegarunt, ut perpetuuo ad proprias conprobandas nominationes judicio steterint et victores etiam extiterint. Quinimo cum quot ab anno 1632 ortae sunt sententiae, tot, sive deserta sive prosequuta appellatione, favore ipsorum enatae sint resjudicatae et vetitum omnino adversus ipsas insurgere donec per extraordinarium restitutionis in integrum beneficium antea obtinendum venia non tribuatur, tradit cum *Piton. disc. eccl. 159. n. 36. tom. 4*, *Rota decis. 909. n. 1 coram Molines.*, *decis. 446. n. 8. coram Lancetta* et *Nullius seu Sublacen. Canonicatus 18. Febr. 1785.* §. *6 coram Malvasia.*

Quod si, subdit, in petitorii hypothesim concedatur, ultimo utique testamento anni 1629 Imperius Pontiani ad missarum legatum tam active quam passive vocavit non modo familiam de Benedictis a praedilecta ejus filia Jacobella descendentem sed etiam familiam de Ronciis ab altera ejus filia Virginia ducentem ortum eosque omnes, qui essent della casa ed origine dei Ponziani. Attamen misso etiam, num sola familia Gentilezza a Ronciis descendens sit e sanguine ejusdem Imperii, quod per conciniora schemata exhibenda contradici posse affirmat, rem ex eo conficeret, quod antiquum legatum additis de proprio aliis sc. 117 a de Benedictis novam dotem et qualitatem receperit et in perpetuum beneficium ecclesiasticum conversum fuerit cum expressa reservatione jurispatronatus activi et passivi favore haeredum et successorum. Legitur namque in decreto erectionis beneficii: Et praeterea juspatronatus et jus praesentandi et nominandi coram Emo et Rmo D. Cardinali pro tempore Episcopo Praenestino aut illius Vicario generali dictis Michaeli, Angelo, Paulo Imperio, Benedicto et Carolo germanis fatribus de Benedictis haeredibus ut supra dicti quondam Ponziani eorumque haeredibus et successoribus quibuscumque reservavit et reservatum esse voluit, decrevit et declaravit ipsisque et suis praedictis perpetuis futuris temporibus competat jus praesentandi.

Ex quo sane jurepatronatus activo etiam passivum familiae de Benedictis collatum esse concludit nedum ex jure, ubi, si de utroque expressa desit declaratio, quod dispositum est in uno ad alterum extenditur, *Card. de Luca de jurepatr. dec. 29. n. 3*, *Piton. in Perargen. ad discept. com. 2. n. 34*, *Rota decis. 251. n. 7. coram Crispo* et *decis. 2. n. 20. coram Ansaldo*, sed ex diserta Praenestini Antistitis voluntate, quia in citato erectionis decreto cautum fuit, eosdem jus habere praesentandi et nominandi »personam idoneam ad hujusmodi capellae beneficium obtinendum,« ut adeo non persona ex sanguine Imperii amplius desideraretur, sed quilibet alius qui fuisset ex jure idoneus nempe qui clericali initiatus fuisset tonsura ac decimum quartum aetatis annum attigisset, beneficium obtinere possit. Stante igitur legati in beneficium ecclesiasticum commutatione specialique conversione qualitatis gentilitiae in haereditariam utrumque juspatronatus in familia Ronci Telli manere contendit, utpote quia ea familia haeres extitit Theresiae de Benedictis, haeredem instituentis Lucretiam Ronci Telli, ceu patet ex testamento exhibito. Proptereaque redit clericum Josephum, utpote passive vocatum, in capellaniae possessione manutenendum esse.

Quin dubitare fas esset de Emi Ordinarii facultate in commutatione peragenda, cum liceat patronis volentibus et consentientibus quandoque etiam sine Episcopi licentia juspatronatus gentilitium vertere in haereditarium et e contra, extraneum ad praesentandum admittere aliasque immutationes operari, *Lambert. de jurepatr. lib. 1. part. 2. quaest. 2. et 4. n. 3*, *Ciarlin. controv. 150. n. 22. lib. 2*, *Vivian. de jurepatr. part. 4. lib. 4 cap. 9 n. 45.* Consensisse vero Roncios ex eo infert, quod, cum ab illis de Benedictis jurispatronatus reservatio expeteretur in augusto oppido s. Viti publicoque Vicarii generalis decreto executioni demanderetur, fieri profecto non poterat, ut id omnino ignoraverint maxime ob arctum consanguinitatis nexum, quo jungebantur cum praefatis de Benedictis: proindeque novae reservationi minime contradicendo ratihabitionem consensumque praebuisse dicendi sunt, seu post *text. in l. final. ff. unde cognati* tradunt *Gabriel de praesumpt. conclus. 6. per tot.*, *Vivian. de jurepatr. part. 3. lib. 14. cap. 2 numer. 6. 7*, *Fargna de jurepatr. part. 6. con. 16. 17. cap. 1. n. 29.*

Accedit ait ipsius summi Pontificis auctoritas, qui plenaria potestate sua cuncta roboravit. Cum namque in saepius citato erectionis decreto asseratur: Visis literis Emi Cardinalis Episcopi et facultate eidem Domino concessa nullus alius nisi summus Pontifex Cardinali Episcopo inter Suburbicarios ex compatronorum placito, ex incremento divini cultus, ex uberiore animae testatoris suffragio, ex tenue passive vocatorum compendio veniam concedere poterat. Tandem adstipulari sustinet observantiam ab anno 1632 ad annum 1712, cum familia de Benedictis eo spatio octoginta annorum in pacifica possessione utriusque patronatus versata sit, exindeque colligit nedum interesse habentium consensum, summi Pontificis auctoritatem, si opus fuisset, ac cetera ad validitatem necessaria in erectionis limine intercessisse, sed verba illa »personam idoneam ad hujusmodi capellae beneficium odtinendum« ad juspatronatus passivum sese referentia interpretari debere juxta idoneitatem aetatis et tonsurae non sanguinis, jussam ab Imperio, quae in erectione posthabita fuit. Alias nec familia de Benedictis utrumque juspatronatus exercuisset et altera familia de Ronciis sese opposuisset.

Quamvis vero, cum profertur observantia in linea praesumptiva, necesse non sit eam fuisse coactivam sed quod simpliciter ita fuerit observata, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 6 n. 11*, *Piton. de jurepatr. allegat. 83 n. 14*, neque coactivam deficere subsumit, si opus ea fuisset spatio alterius saeculi unius cum dimidio ab anno scilicet 1712 ad annum 1856, excepta nominatione anni 1712 in qua provisus inter judicii moras obiit et familia de Benedictis ut antea possidere perrexit, siquidem annis 1750, 1765, 1780 et 1792. acriter judicio sistentibus et opponentibus Ferdinando Roncii et adversaria familia Gentilezza praesentavit et vicit Lucretia Ronci Telli, quin hilum datum sit sanguini Imperii. Hanc rursus observantiam majoris quoque efficaciae evadere in linea praescriptiva: nam si ex *cap. De beneficio de praebend. in 6.* solis quadraginta annis accidentales extrinsecaeque qualitates beneficii, qualis esset indoles patronatus, variari atque praescribi possunt, multo magis in casu prius observantia pacifica octoginta annorum ac deinde octava alterius saeculi unius cum dimidio rite convertere valuerunt juspatronatus gentilitium in haereditarium.

Ceterum seposito etiam possessorio relicto petitorio duo alia peremptoria nunquam an-

tea deducta litem clerico Josepho indubie adjudicare contendit. Eorum primum est quod nulla alia profecto ratione hodie literae apostolicae minime executioni demandarentur supplicandumque esset pro dispensatione, nisi quia eae inficerentur vitio obreptionis et subreptionis, quasi nempe Pontifici falso expositum esset familiam Ronci Telli jurepatronatus beneficii gaudere. Atqui id veritati consentaneum erat juxta ultimum statum anni 1792 per definitivam sententiam judicis ecclesiastici Urbis: »Rosam Leonetti viduam Ronci Telli manutenendam fore et esse in possessione libere nominandi ad beneficium propterea que clericum Josephum Ronci Telli instituendum atque ad illius possessionem immittendum.«

Recte itaque Carolum, Mariam et Laurentium Telli adserere potuisse se esse beneficii patronos, cum ad salvandam apostolicam collationem a vitio subreptionis sufficiat, quod expressio et supplicatio facta sit ad tramites ultimi status beneficii non obstante instrumento fundationis clare sese opponente, seu habet *s. Rota coram Penia decis. 1337 n. 4 et sequ. coram Seraphini, decis. 729. n. 4 et decis. 1229. n. 3 coram Calaverio, decis. 450. n. 8, decis. 162. n. 13. part. 12. recentior.* et magistraliter in *Cracovien. Archidiaconatus 26. Junii 1698* §§. *3 ad 11 coram Molines.* Potiori vero jure eosdem suum esse beneficium reputasse, ex quo derogato per decretum erectionis favore eorum de Benedictis testamento successit saecularis observantia interpretativa et praescriptiva, quia ab erectione ad haec usque tempora vel Roncii vel Gentilezza beneficium ipsum retinuerint. Accedente insuper, quod, cum lex fundationis executioni demandata non esset cum aliqua expressa Episcopi approbatione, quia agebatur de legato laicali, nova autem beneficii erectio et consensu et speciali expressa approbatione corroborata reperiatur, haec vigens et non illa extincta veniat attendenda, donec per tres conformes erectio isthaec in suo congruo petitorio judicio abrogata non fuerit vel correcta. Non enim inspiciendum eo tempore a praesentantibus fuerat, quid Ordinarius facere debuisset, sed quid unice fecit, maxime quia consensus Episcopi det formam perfectionemque actui diciturque causa efficiens jurispatronatus, sine quo illud acquiri nullo modo potest ad tradita per *Lambert. de jurepatr. lib. 1. art. 5. quaest. 2. n. 2, Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 3. 4, Piton. de jurepatr. allegat. 37. n. 2. et seq., Fargna de jurepatr. part. 2. can. 1. 2. cas. 7. n. 11.*

Vertitur alterum in facultate patronis in defectu idoneorum passive vocatorum data, quem libuerit nominandi, et in omissione ex parte adversarii Hannibalis eorum, quae si optare vellet, peragenda fuissent, idque in favorabiliori hypothesi hactenus exclusa familiam Gentilezza jurepatronatus passivo gaudere. Quod ut clarius innotescat, recolit ultimum provisum obiisse die 15. Aug. 1856, a quo quadrimestre spatium pro praesentatione delabi incepit. Roncii Telii itaque indubie patroni activi ex decreto erectionis rogari habebant, num in domo Gentilezza aliquis existeret idoneus ad beneficium, nempe qui clericus esset et in decimo quarto aetatis anno constitutus, nisi rectius requiri opus foret ex primaeva fundatione sacerdos per haec verba: I frutti si debbono consegnare al sacerdote che servira in detta capella, qual sacerdote sia etc. ed altri etc.« Ea investigatione peracta nulloque idoneo reperto, Hannibale non excluso laico, undecim annos nato ac mechanicis laboribus vacante, liberum ipsis erat quemlibet alium licet extraneum praesentare, ex jure enim, ubi passive vocatus idoneus minime adinventus vacationis vel saltem praesentationis tempore, licet ad extranei cujusque nominationem procedere. Quando de tempore vacationis (tradit *Piton. de controv. patr. allegat. 68. n. 8.)* et etiam de tempore factae praesentationis dictus Leonardus erat mere laicus nec prima tonsura initiatus, unde, licet admitteretur, ipsum fuisse a fundatore praelative ante alios vocatum, adhuc tamen non erat capax beneficii et a patrono praesentari non poterat. Unde, cum ille ob sui incapacitatem praesentari non posset, bene poterat patronus jure suo utendo alterius favore praesentationem facere et proinde talis praesentatus instituendus venit.

Bullares epistolae posthac a Dataria apostolica expediebantur die 25. Sept. 1856 formalisque possessio et institutio a curia data sub insequenti die 16. Oct., quin adversarii contradicerent. Quapropter nedum sustinet ex aquisito jure in re et ad rem Tellium (quamvis extraneum) a beneficio exturbari non posse atque repelli ob regulam, de qua *Vivian. de jurepatr. lib. 8. n. 3.* et *Garcia de benef. part. 4. cap. 3 n. 8 et seq., Sperell. decis. 80. n. 29. et 30*, sed dato etiam Hannibalem intra dictum quadrimestre emersum sub die 15. Dec. idoneitatem fuisse assequutum, nullo pacto contradicere valuisse ob alteram regulam, qua extranei nominatio ex defectu vocatorum habilium per idoneitatem posteriorem haud valet retractari, licet etiam intra quadrimestre superventam. Adest enim jam tertio jus quaesitum, quod ex supervento jure infringi non oportet, uti expendit cum *Perez. de Laro de capell. lib. 2. cap. 10 n. 60. et seq. de Luca de jurepatr. disc. 38. n. 4, Piton. allegat. 24. n. 2. et discept. eccl. 28. n. 4, Rota in decis. 1314. n. 2. coram Penia* et in *Barchinonen Beneficii 14. Martii 1792* §. *28. coram Ursino.*

Perdite vero vim fieri clausulae in literis apostolicis contentae »dummodo de tempore datae praesentium non sit in eo alicui specialiter jus quaesitum«, quasi Hannibal, licet vocationis et praesentationis tempore idoneus non esset, valuisset tamen intra quadrimestre habilitari vel dispensari; ideoque pendente tali habilitatione clericus Telli nullum jus certum acquisiverit, sed tantum eventuale et in spe, *Piton. de controver. patron. allegat. 2. n. 7, Cyrill. quaest. jur. cap. 93. n. 25. 73, Rota in Melevitana Beneficii 10. Junii 1712* §. *Postremo, coram Aldrovando.* Distinguendum siquidem monet inter deficientem qualitatem praescriptam a lege et alteram qualitatem volitam et praescriptivam ab homine. Primo namque casu habilitas potest intra terminum juris probari, eo quia qualitas e. g. clericalis et legitimae aetatis potius complementum actus respicit, nempe tempus institutionis, quo sufficit praesentatum omnibus pollere qualitatibus. Secus in secundo in quo aptitudo ad refraenandam patroni libertatem comprobari debet vocationis vel saltem praesentationis tempore, quia haec respicit actum patroni, vel ut illum ex passiva vocatione directa et immediata repelleret a praesentando vel ut ita ad praesentandum adigeret, *Rocca disp. jur. cap. 90. n. 16. 17, Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10, Card. de Luca de benefic. disc. 96. n. 19, Rota in decis. 2. n. 25 et 27. coram Crispo,* in *Aretina Beneficii 24. Januar. 1735.* §§. *5. 6. coram Peratta.*

Agi vero in themate de qualitate praescripta ab homine arguit ex testamento Imperii, quo provisus debebat esse sacerdos »i frutti si debbono consegnare al saecrdote che servirà in detta capella, qual sacerdote sia etc.«, vel saltem ex decreto erectionis, quo nominandus debebat esse actu idoneus: »personam idoneam ad hujusmodi capellae beneficium obtinendum.« Ex quo Hannibalem, cum vacationis vel praesentationis tempore alterutra qualitate destitueretur, quae tunc temporis omnino comprobari debuisset, recte posthabitum fuisse concludit ex *Rota in Burgen. s. Domini. Jurispatronatus 18. Junii 1733* §: *Licet enim, coram Aldrovando* et in *Camerinen. Canonicatuum 2. Julii 1725.* §: *Neque huic, coram Calcagnino,* ac propterea ipsius aptitudinem in simplici potentia nullum tribuisse eidem validum jus nec propedire valuisse, quominus Tellius per obtentam praesentationem certum firmumque titulum acquisiverit, ceu post *Gratian. discept. forens. cap. 800. n. 11. Corrad. in prax. benefic. l. 2. cap. 10. n. 107 et seq. concludit cit. dec. Aretina Beneficii* §. *7.*

Non deesse tandem doctores ait, qui in ista quoque altera hypothesi qualitatis ab homine requisitae per quandam aequitatem teneant posse passive vocatos necessaria qualitate destitutos instare coram Ordinario pro dilatione patronis concedenda, ad hoc ut possint legitime habilitari; id tamen fieri posse admittunt, re omnino integra et praesentatione minime facta; nam cum valeat patronus in defectu passive vocatorum quem sibi arriserit nominare, nemini facit injuriam utendo jure suo et devolutionem impediendo, *Garzia de benef. part. 7. cap. 1. n. 28 et sequ., Barbos. de offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 60. n. 77. in fin., Vivian. de jurepatr. lib. 6. cap. 6. n. 19, Piton. de controv. patron. alleg. 1. n. 22. et seq.* Non tamen comparuit Hannibal vel in Dataria, quae nunquam bullares literas expedit in contradictione partium, vel in curia Praenestina attestante tabulario »che in forza di bolla apostolica in data 23. Sept. 1856 il chierico Guiseppe Telli prese sotto il giorno 16. Ottobre detto anno il formale possesso del beneficio, senzachè in atti esistesse alcun: *Nihil transeat* per impedire l'accennata istituzione e possesso,« vel apud patronos, quibus extranei quidem tantum sese obtulere.

Quodsi oppositioni tuendae proferetur instantia per Hannibalem Pontifici data pro dispensatione super defectu aetatis atque tonsurae, praeterquod, animadvertit defensor, ipse antea debuisset vel Ordinarium, qui instituebat, vel saltem patronos, qui nominabant,

rogatum pro dilatione vel pro nominatione sub spe dispensationis adire, ut inde summo Pontifici pro gratia supplicaret; haec insuper cum in rescripto praeseferat diem 22. Dec. 1856, hinc post quadrimestre plane porrecta fuerat, sin minus, res non erat amplius integra, utpote quia Tellius institutionem nullo opponente jamdiu assequutus fuerat et in possessione a binis mensibus pacifice versabatur, a die videlicet 16. Oct. ejusdem anni.

Defensor Hannibalis Gentilezza nihil novi exhibuit ad ea se referens quae in anteactis propositionibus disseruit.

Reliquum igitur est dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp:

Praevio recessu a decisis manutenendum esse in possessione clericum Josephum Telli, salvo jure Hannibali Gentilezza agendi in petitorio prout et quatenus de jure.

Die 28. Aug. 1858.

Redit quarto nunc causa ex noviter obloquendi venia per Hannibalem obtenta, cujus defensor haec habet in sua allegatione, quam s. Congregationi exhibuit:

Si prioris testamenti, ipse, ait per Imperium Ponziani conditi verba perpendas, clarum inde fiet, tum activum tum passivum nominandi jus collatum ab eo fuisse in nepotem ex filia Virginia, quem sibi haeredem nuncupaverat, familiam vero de Benedictis tantum in subsidium et in jurepatronatus passivo vocatam fuisse. In novis vero ipsius Imperii testamentariis tabulis patulis undique verbis juspatronatus passivum reservatum fuisse iis dumdaxat »che sono della casa ed origine dei Ponziani,« qui proinde ex juris dispositione patronatu etiam activo potiuntur, cui expresse non renunciavit fundator, juxta ea quae docent *Vivian. praxis jurispatronatus lib. 2. cap. 1. sub num. 23.* versicul: *Quia, Piton. discept. eccles. §. 73. 74.*

Nec ceteroquin testatoris legem immutare potuisse episcopale decretum anni 1639, quo capellaniae erectio contingit. Etsi enim hujusmodi decreto insciis Virginiae haeredibus edito patronatus jura reservata fuerint fratribus Benedetti tantum, Jacobellae filiis eorumque haeredibus et successoribus, ob asertum quoddam dotis augmentum, nihil tamen officere posse decretum, quod suis haud viribus consistit, tum quia hujusce augmenti dotis documentum et in tabulario publico et apud curiam desideratur, tum quia hujusmodi augmentum nec satis fuisset, ut patroni a testatore vocati jure suo patronatus activo expoliari valerent et testatoris leges immutari, ceu docet *Vivianus in cit. praxi jurispatr. par. 1 lib. 2 cap. 5. num. 12*, tum demum quia defuisset in casu apostolicum beneplacitum, quod omnino necessarium, ut extra limen fundationis reservatio jurispatronatus fieri possit ex doctrina s. rotalis aulae in *Pistorien. Beneficii 6. Febr. 1772. §. Quemadmodum, coram Corio.* Quin caeteroquin ad apostolici beneplaciti interventum demonstrandum carpi valeant ea institutionis verba: »Et facultate eidem Domino concessa« Haec non enim ad Emum Episcopum sese referunt, sed ad Franciscum de Magistris, qui ex speciali facultate sibi a fratribus de Benedictis concessa tanquam eorumdem procurator in curia »comparuit ac docuit de mandato procurae per literas sibi transmissas.«

Quidquid vero sit de jurepatronatus activo, de quo in praesentiarum haud quaerendum, ad passivum quod spectat, in controversiae aleam haud revocari posse (pergit), illud ex lege fundationis reservatum fuisse eorum dumtaxat favore, qui cum eadem familia Ponziani sanguine jungerentur »che sono della casa ed origine dei Ponziani.« Nec aliquid hac in parte innovatum fuisse ex episcopali decreto, quo fratribus de Benedictis jus collatum fuit praesentandi et nominandi non quamlibet personam, sed »personam idoneam» habita scilicet relatione ad testamentariam Imperii dispositionem, quam prae oculis in ferendo decreto Episcopus habuerat. Scitum quippe est quod, si erectio beneficii relate ad testamentum alicujus peragatur, ad illius normam stricte intelligenda veniat juxta ea, quae tradit *Rota in Sulmonen. Jurisp. 21. Jan. 1815. §: Quibus, coram Falconerio* et in *Asculana Beneficii 14. Aprilis 1777. §. 6 coram Herzan.*

Quare si ex testamento, si ex episcopali decreto constat iis tantum patronatus passivi jura delata fuisse, qui essent »della casa ed origine dei Ponziani, sponte jam sequitur sua capellaniam, qua de agitur, Hannibali deferendam esse, qui cum eadem familia cognationis vinculis jungitur, remoto prorsus Josepho, qui, cum non sit de genere vocatorum, omni prorsus ratione ad eandem asequendam destituitur. Frustra quippe jus ipse

suum mutuari vellet ex proavo Alberto Ronci, qui, etsi Theresiae Benedetti (in qua Jacobellae linea exaruit) haereditatem nactus fuerit, haud tamen juspatronatus passivum una simul assequi poterat, quippe quod extantibus personis in institutione contemplatis in extraneos nunquam migrare posse juspatronatus monent *Pitonius discept. eccles. alleg. 4 num. 23* et *Lotterius de re benefic. tom. 1. lib. 2. quaest. 11. num. 10.*

Nec aggerendum agi in praesentiarum quaestionem non in petitorio, sed in simplici possessorio, in quo ex ultimo statu dijudicandum est. In primis namque haud praetereundum, hujusmodi regulam aliquam pati limitationem in casu, quo jus actoris ex publico instrumento erumpat, ceu in casu, in quo prostant et Imperii testamentum et episcopale decretum. Quoties enim id contingat, petitorium absorbere debere possessorium et docet *Loterius de re benefic. lib. 1. quaest. 34. num. 28. et 29.* et ipse contrarius orator in §. 22 sui restrictus in comitiis 28. Augusti distributi fatetur: nec aliquid immo probare valeret contra scriptam testatoris voluntatem et contra ipsum erectionis decretum. Clericos a Virginia descendentes posthabitos fuisse; inde enim non observantia, sed contraventio et destructio voluntatis deduceretur. *Piton. de controv. patr. alleg. 47. 61.*

Ast praeterea assertam hujusmodi observantiam prorsus excludi, si capellanorum successus ab initio erectionis usque ad praesentem diem recenseatur. Et requidem vera, si post obitum Mariani, qui ab ipso testatore fuerat nominatus, ab anno scilicet 1642 usque ad annum 1712 clericus ex stirpe Jacobellae perpetuo nominatus extitit, nullum inde argumentum erui valet ad contrariam inducendam observantiam, quippe quia nullus hoc interea temporis ex linea Virginiae clericus extiterat, qui capellaniam per Imperium institutam sibi posset vindicare. Ast e contra jure suo confestim usi sunt Virginiae descendentes anno 1712, dum Marianus de Benedictis ad vacantem capellaniam praesentasset Franciscum Mastrilli. Hujusmodi namque praesentationi acriter obstitit Franciscus Ronci Ponziani, qui institutionem canonicam in beneficio favore Josephi filii petit ac obtinuit a Praenestinae curiae Vicario.

Lata sententia in pacifica beneficii possessione plures per annos versatus est Josephus ad annum 1749, quo diem vidit supremum. Et calumniam ceteroquin sapere, quod in contrarium asseritur recursu per Marianum de Benedictis ad supremum signaturae tribunal interposito oeconomum beneficio adsignatum fuisse, qui ejusdem redditus per longum triginta et septem annorum lapsum administrasset; non modo enim de hujusmodi oeconomi designatione nullum in Praenestina curia vestigium occurrit, sed e converso ex sententia anno 1750 in vulgus edita evincitur Josephum usque ad obitum in beneficii possessione mansisse; legitur quippe: »Instantem . . . . instituendum fore et esse in beneficio vacante per obitum qu. Josephi Ponziani.«

Nullum sed praeterea validum argumentum erui posse ad contrariam inducendam observantiam ex sententiis anno 1750, anno 1765 et anno 1776 in vulgus editis, cum hae quidem sententiae non juspatronatus passivum (de quo nunc quaeritur) sed activa patronatus jura tantummodo respiciant. In primo enim judicio quaerebatur, num mortua Theresia, ultima sobole familiae de Benedictis, juspatronatus activum ad haeredem migrasset. Qua adamussim in re pronunciavit Vicarius: »jus nominandi et praesentandi ad capellaniam, de qua etc., spectasse et spectare ad familiam de Benedictis ejusque haeredes et successores.«

Item anno 1765 vacato beneficio per obitum Alexii Battistoni Joannes Baptista Gentilezza nominationi per Lucretiam Telli propositae *nihil transeat* opposuit, etsi nec ullus in ejus familia clericus adesset nec ipse beneficium assequi valeret, quippe sponsalia jam diu iniverat et matrimonium revera haud multo post inivit. Nec mirum hinc si nullo existente ex linea praedilecta vocato decretum fuerit: »servandam esse nominationem et praesentationem factam a Lucretia Ronci Telli.«

Anno demum 1776 contentio versabatur inter Joannem Baptistam Gentilezza, qui clericum extraneum Josephum de Paulis praesentaverat, et eamdem Lucretiam Ronci-Telli, quae nominaverat Joannem Baptistam Pauliani, quumque Josephus non esset passive vocatus, Praenestinus Vicarius eamdem hoc in casu, quam alias anno 1765, ferendam esse duxit sententiam ac proinde nominationem per Lucretiam factam confirmavit.

Sed aliud equidem judicium latum fuisse monet anno 1792, quo anno revera non de activo, sed de passivo jurepatronatus quaerebatur. Decertabant inter se Carolus Gentilezza,

qui tamquam passive vocatus se ipsum praesentaverat, et clericum Josephum Telli, qui ab ipsius matre fuerat praesentatus. Nec anceps hac in re fuit ejusdem Praenestini Vicarii judicium, qui incunctanter pronunciavit: »Carolum Gentilezza tamquam passive vocatum et descendentem ex origine et familia quondam Imperii Ponziani fundatoris praeferendum esse.« Qua sane lata sententia statim ipse in beneficium immissus est illudque ad exitum usque vitae retinuit.

Verum est a sententia, qua Carolo institutio decreta fuit, ex adverso provocatum et revocatoriam appellationis sententiam prolatam fuisse. Verum sed pariter est provocatione sua vice per Carolum interposita causam ab ejusdem contradictore prorsus disertam fuisse. Falsum proinde esse concludit, quod ultimus status Josepho faveat, cum e converso sententiae 1712 ac 1792 latae Hannibali suffragentur, aliae vero non de passivo, sed de activo tantum jurepatronatus agant.

Hisce positis iterum urget injuria quidem episcopalem curiam apostolicas literas executioni commisisse, posthabita protestatione per Hannibalem emissa nec verificato prius per citationem partium jurepatronatus, ceu in literis ipsis injunctum fuerat. Nec culpae ejusdem vertendum, si protestationem seu *nihil transeat* apud acta Praenestinae curiae insinuare haud potuerit vel si intra utile tempus prima tonsura initiatus non fuerit. Ad primum enim quod spectat, ex indubia testium depositione constare ait, vetasse Vicarium Praenestinum, ne protestatio in actis exciperetur eo sub obtentu, quod *nihil transeat* non apud curiam sed in Dataria apponendum esset. Quod si EE. PP. aliquid hac in re dubium superesset, ad illud prorsus diluendum postulat, ut Vicarium ipsum ex officio rogandum jubeant, quid Hannibal tempore utili revera praestiterit. Item excusandum Hannibalem, si tonsuram intra utile tempus assequi nequiverit, utpote qui continuo id postulare non praetermiserit, quamvis nonnisi plures post menses ab literarum apostolicarum exequutione voti compos evaserit. Ceterum constito de exclusivo ejus bono jure quoad vocationem passivam, spem certam fovet orator fore, ut petita ex defectu aetatis dispensatio clienti suo non denegetur.

Haec habet Hannibalis defensor. Ex alia vero parte, qui pro clerico Josepho Telli causam agit, eadem ferme iterum exponit, quae in superiori causae periculo disseruerat.

Redit namque possessorium non petitorium esse, quod vertitur judicium, ideoque ad tramites ultimi status juxta patulam censuram textus in *cap: Consultat. de jurepatronatus et cap.: Quaerelam de elect.* dirimendum esse ac proinde non denegandam Josepho in beneficio manutentionem semel ac in ultima beneficii vacatione anno 1792 acri exorta quaestione inter familiam Gentilezza, ex quo causam habet Hannibal, et familiam Ronci Telli, ex quo nominatus Josephus, per sententiam judicis ecclesiastici Urbis anni 1795 in gradum appellationis causa dirempta fuerit favore familiae Ronci Telli.

Recolit quod, etsi in petitorii hypothesim concedatur, attamen non inde melior evaderet Hannibalis conditio. Haud enim inficiandum, antiquum legatum ab Imperio relictum, additis a de Benedictis aliis sc. 117, novam dotem et qualitatem recepisse cum expressa reservatione jurispatronatus tum activi tum passivi favore haeredum et successorum: idque peractum esse auctorante Pontifice, ex decreto Ordinarii, non insciis certum, qui ex Virginia descenderent.

Recolit, seposito etiam possessorio, relicto petitorio illud adhuc momentosissimum superesse, quod nulla ratione literae apostolicae minime executioni demandarentur supplicandumque esset pro dispensatione, nisi quia preces Pontifici porrectae infectae fuissent obreptionis vel subreptionis vitio. Verum enimvero notissimum in jure esse, ad praeservandam apostolicam collationem a vitio subreptionis satis esse, quod preces eidem porrectae conscriptae fuerint ad tramites ultimi status, etsi clarum ceteroquin fundationis instrumentum factae praesentationi quandoque officeret, ceu habet s. Rota in pluribus locis.

Recolit demum tempore vacationis anno scilicet 1856 Hannibalem ad beneficium assequendum juxta leges praescriptas inhabilem omnino fuisse, cum nec in clericatu initiatus nec in decimo quarto aetatis anno constitutus esset. Ex jure autem esse, ut, ubi inter passive vocatos idoneus minime adinveniatur vacationis tempore, liceat patronis ad extranei nominationem procedere ad monita per *Pitonium de contr. part. alleg. 68. num. 8.*

Hisce expositis proponitur dubium:

An sit standum in primo vel potius in secundo loco decisis in casu?

S. C. resp.:

In secundo loco decisis et amplius.

Die 29. Jan. 1859.

Civitatis Castelli.

Pientissimi conjuges Hannibal Longhini et Camilla Ranucci supremis confectis tabulis die 10. Novembris 1628 duas post eorum obitum institui jusserunt canonicales praebendas in cathedrali ecclesia Tipherni, quarum juspatronatus activum ejus Cathedralis capitulo reservarunt, haec quoad passivum statuentes: »Quelli che saranno della famiglia e prosapia del signor Vincenzo Fucci, ed in concorrenza il maggior nato e maggiori nati di detta famiglia, debba o debbano conseguire, avere ed ottenere dette prebende. Mancando poi la linea della sopradetta famiglia, o quella in qualsivaglia modo estinta o finita, ed essi o alcuni di essi non esistenti abili a conseguire detti canonicati, li medesimi signori Annibale e Camilla vogliono e dichiarano, che detta presentazione, collazione ed istituzione spetti ed appartenga, debba spettare ed appartenere in perpetuo al medesimo capitolo . . . in altra persona o persone abili, con questo però che debbano eleggere, presentare, e nominare, e istituire a detti canonicati un congiunto per cognazione o affinità dei detti signori istitutori, e fra quelli, quello o quelli che saranno Cittadini nobili o patrizi di detta citta, e non altrimenti.«

Onera vero et nominandorum qualitates hujusmodi esse voluerunt: »I due canonici pro tempore siano tenuti ed obligati assistere al coro e fare altre funzioni ecclesiastiche solite a farri in detta chiesa »nec non« ciascuno di detti Canonici che avranno e terranno dette prebende siano tenuti per loro stessi e non per interposta persona sempre ed in perpetuo celebrare in detta Chiesa, cioè il Canonico del primo canonicato sia obbligato a celebrare per se stesso messe cinque la settimana nella capella di s. Paolo, ed il Canonico del secondo canonicato sia tenuto ed obbligato per se stesso celebrare messe cinque ogni settimana nella capella del ssmo Sacramento etc.«

Vacavit die 8. mensis Maji anni praeteriti 1858 alter ex hisce canonicatibus per obitum Canonici Jacobi Restori. Die 11. insequenti capitulum edicto publicavit, ut interesse habentes infra decendium jura sua ad nominationem exhiberent. Plures nomen dederunt, inter quos sacerdos Josephus Bonsignori nobilis civis Tiphernae, Canonicus Vincentius Guiducci et Elvius Ricci minor annorum quatuordecim, qui capitulo nunciavit nihil esse innovandum in praejudicium sui juris passivi, quo pollere asserebat, cum jam summum Pontificem rogavisset pro dispensatione super defectu aetatis et ordinis, quatenus opus esset, necnon preces Episcopo obtulerat, ut tonsuram assequeretur, quam reapse die 20. ejusdem mensis Maji suscepit. Nihilominus capitulum die 24. ad nominationem devenit et posthabito Elvio Ricci utpote requisita aetatis et ordinis sacerdotalis qualitate carente scrutinio supposuit nomina Canonici Guiducci et sacerdotis Bonsignori, et majorem suffragiorum numerum retulit Guiduccius, qui ideo nominatus Canonicus Longhini et curiae praesentatus fuit pro institutione.

Continuo ea propter ad acta veniens Riccius *nihil transeat* penes curiam apposuit ac insimul rem s. hujus Congregationis judicio definiri impetravit et vadatis capitulo et Canonico Guiducci dubiorum formulae ad calcem legendae concinnatae et hodierna comitia pro causae propositione destinata fuere. Postea vero supplici oblato libello accessit sacerdos Bonsignori sua jura vindicaturus atque adeo inter hosce tres controversia ista vertitur.

Haec inter advenit relatio Episcopi super implorata ab Elvio Ricci dispensatione, in qua partibus auditis haec ad rem habentur: »Imprimis advertendum est non esse satis probatum jus passivum petentis, ut videre est in informatione Episcopi Muzi, cui anno 1839 die 27. Aprilis nitebatur istius s. Consessus resolutio favore Francisci sacerdotis Tiberti contra alium clericum recurrentem Jacobum Ricci patruum Elvii nunc petentis . . . , cujus facti hodie est casus identicus. Ultra quam quod vacans praebenda canonicalis est presbyteralis ex dispositione institutoris, qui onus imposuit quinque missarum singulis hebdomadis celebrandarum a Canonico per se et non per interpositum sacerdotem, omnes aliae praebendae hujus Cathedralis sunt presbyterales, ut declaravit Antistes Codebo in tertia sacra visitatione 24. Aprilis 1729. Redditus ejusdem sunt scuta 132 annua, totidem a locatario soluta, gravata oneribus

cameralibus et aliis usque ad scuta 28, 85. praeter quinque missas singulis hebdomadis nunc ad duas tantum ad decennium reductas. Aetas Elvii oratoris est annorum quatuordecim vix inceptorum; spiritum ecclesiasticum praesefert; est imbutus optimis moribus, sed ingenio potius tenui praeditus.

An autem sit expediens oratorem indultis petitis muniri, forsan mereretur? sed notanda sunt quae a capitulo in medium proferuntur, quod opus habet ut vacantem canonicatum obtineat persona nunc habilis servitio chori, ut satis demonstravit electione jam peracta in persona Canonici Vincentii Guiducci et etiam juxta mentem testatoris. Dum, cum sint Canonici numero 19, duo sint jubilati, duo gravi aetate laborantes, saepe deficiat Canonicus theologus, item Poenitentiarius et alius confessionibus excipiendis addictus vi suae praebendae canonicalis, praesertim festis diebus, saepe nonnulli ut in s. visitatione examinibus vel concursibus Episcopo addicti; insuper dempto alio Canonico fatre oratoris, qui adhuc clericus existit et a servitio chori exemptus, et solum diebus festis missae cantatae et vesperis inserviente, aliquo autem incommodis laborante solum novem servitio chori assiduo in tertiarias diviso sunt addicti; quandoque, licet raro, evenit, ut unus aut duo Canonici choro cum capellanis adsunt; saepe autem id evinire necesse esset, si alter clericus orator dispensationem petitam esset obtenturus.

Et quamvis dispensatio nulli ex paucis vocatis praejudicium inferret, damno afficeret Canonicum Vincentium Guiducci, a capitulo electum, antequam recursus ad s. Sedem Canonicis innotesceret, dum ad me pervenit die tertia hujus mensis (Junii) et jam electio sequuta erat, quae vero suspensa remanet quoad institutionem electi ob *nihil transeat* a patre oratoris interpositum.

Quae cum ita sint, in votis essem ut capituli necessitati Sanctitas Sua succurrat petitam gratiam oratori denegando.

Paucis modo allegatas deductiones perstringam.

Defensor Canonici

Vincentii Guiducci admonet praeprimis prorsus deficere contrariae actionis fundamentum, quo scilicet de nullitate incusatur Guiducci nominatio, quia praetenditur Elvium Ricci affinitatis vinculo conjugi cum familia Fucci vocata adeoque et ipsum passiva vocatione pollere. Nam hujusmodi affinitas nedum non probatur, uti opus esset, sed imo in discrimen merito adduci posset ac reapse adducta est coram s. Congregatione in altera causa civitatis Castelli Canonicatus 27. Aprilis 1839, cujus meminit in sua relatione Episcopus

Sed vero affinitatis praerogativam haud ei prodesse insuper contendit vel ex eo, quod tempore praesentationis nec actu sacerdos esset nec in legitima ad canonicatum assequendum aetate constitutus. Atqui nec Fucciorum descendentibus delatum fuit juspatronatus passivum, nisi essent actu idonei et habiles ad praebendas, scilicet nisi essent actu sacerdotes. Onus enim nominandis imposuit »che fossero tenuti per loro stessi e non per interposta persona celebrare le messe;« quod quidem secumfert ut beneficium sit sacerdotale, ceu in re notissima *Vivianus de jurepatr. lib. 6 cap. 6 num. 24. et 27.* Deficiente ea propter in Elvio qualitate sacerdotali impune posthaberi eum potuisse perinde ac si inter concurrentes non extitisse concludit. Eo enim modo, quo in civilibus qualitas a testatore praescripta habet inesse a die apertae successionis, nec satis est quod superveniat, s. *Rota in decis. 717. part. 4 tom. 2 coram Ansaldo, decis. 100 num. 6 coram Falconerio de fideicom.*, eodem modo in ecclesiasticis praesentandi idoneitas ad praebendam sacerdotalem necessaria est actu, quin expectandum quod superveniat, *Vivian. cit. loco num. 49,* s. *Rota decis. 216 part. 2 rec.* Ac reapse memorat observantiam legi fundationi proximam hujusmodi fuisse, ut eliSerentur quidem descendentes agnati et cognati de Fuccis, dummodo quia et alii etiam sacerdotes et ipse rector ecclesiae in eodem altari celebrarunt: tum demum quia ex ipsis testibus contrariis constat, sacerdotes per Braydas designatos nunquam Sacra in capella explere ausos esse, nisi habita prius venia et consensu rectoris.

Etiamsi ergo indiciaria probatio in specie admittenda foret, nil inde proficerent adversarii. Ad patronatum enim per indicia probandum facta adeo gravia requiruntur, quae nonnisi a patrono rite recteque expleri potuissent ad monita in *cap.: Cum Venerabilis in fine de excep. Archidiaconus*, in *cap.: Decernimus 697* ac passim s. *Rota cor. Puteo dec. 192. num. 3 lib. 2 cor. Mantica, dec. 358. num. 2, 3* et in cit. *Veliterna Fabricae*

§: *Haud.* Praesertim vero si non de antiquo, sed de recenti patronatu agatur, ut in specie.

Ast non modo (pergit) nullimode in casu probatur juspatronatus in familia Brayda, non modo desunt indicia ad jus arguendum, sed illud insuper momentosissimum accedit, quod ex perspicua testatoris Volpicella voluntate nullus praeter rectorem adesse possit, qui aliquam in ecclesia jurisdictionem exerceat. Legitur namque: »Mandamus igitur inprimis regi et gubernari nostram supradictam ecclesiam per unum sacristam, qui eligere valeat alios novem sacerdotes nostrae civitatis pro tot missis celebrandis singulis diebus.« Quod firmiter servandum adeo studuit, ut tum in extrema testamenti cera expresse jusserit: »Nullus itaque quae nos constituimus mutare valeat neque quoad substantiam neque quoad ordinem neque quoad modum. Quisquis ille sit, sive supremus Princeps necnon Episcopus . . . . . neque etiam supremus mundi moderator Pontifex romanus.« At si familia Tortora juspatronatus haberet in capella, jam alius adesset capellanus a sacrista nominatus, jam alius esset qui praeter sacristam aliquam in ecclesia exercere jurisdictionem valeret. Tralatitii sed juris est haeredes conditiones in jurepatronatus appositas a testatore haud quaquam immutare posse sub poena nullitatis. *Piton. controv. patron. alleg. 62 num. 10.*

Et frustra demum Tortora Brayda ad praescriptionem confugerent. Inprimis enim (ait) ex his, quae infra dicentur, patebit eosdem in capellae possessione, de qua quaeritur, nunquam versatos fuisse; unde deficiente possessione vel ipsum deest praescriptionis fundamentum. Praeterea vel ipsi Brayda non altius eorumdem praetensi juris originem deducere audent, quam ab exitu anteacti saeculi; contra vero ad juspatronatus praescribendum centenaria saltem requireretur. Testes *Rota in dec. 312 par. 1 Rec.* et in *Lauden. Jurispatronatus 19. Nov. 1640 num. 1 cor. Merlino.*

Excluso ita jurepatronatus facili negocio manutentionem excludi contendit. Praeterquod enim ex notissima regula petitorium clarum possessorium absorbeat, (*Panormitanus in cap.: Consultationibus de jurepatronatus, Piton. controv. patr. alleg. 11 numer. 11.* ac *Rota* passim), propius etiam ad quaestionem accedendo illud sedulo animadvertendum monet, formalem adeptae possessionis actum desiderari: nec aliter proinde possessionem ipsam in specie demonstrari posse, quam per facta quae nonnisi ab iis expleri valuissent, qui vel domini sunt vel pro dominis possident. *Mascard.* in verbo: *Possessio, conclus. 1190. num. 3, Tuscus* in verbo: *Possessio, conclus. 418 numer. 43, Postius de manutentione, observ. XXIII. num. 2.* ac centies s. *Rota.* Nullum sed in casu actum adesse a Tortora Brayda in capella expletum, qui sui natura non ab alio quam a domino expleri potuisset, et qui proinde animum eorum pro domino possidendi indubie demonstret.

Mortuarias enim inscriptiones, quae prope altare conspiciuntur, juris quidem sepeliendi, non capellae possessionem demonstrant. Nec magis probant insignia seu arma. Quum enim ex supra relatis constet hujusmodi arma et insignia non tantum ad patronatum demonstrandum sed aliis etiam de causis apponi solere, incertum sane est, num eadem a Braydis in capella apposita fuerint animo capiendae et retinendae possessionis vel potius ad memoriam peractae restaurationis in posteros. Immo in hunc finem revera apposita fuisse tenendum est ex his, quae narrat contrarius testis Vitus Galli.

Innutili demum conatu ad missarum celebrationem confugi. Primo enim celebratio missarum, praesertim in ecclesia publico cultui addicta, factum est omnino indifferens, quod cuicumque sacerdoti permittitur. Secundo ex ipsis testibus per Braydas allatis constare, sacerdotes ab iisdem designatos Sacra explevisse impetrata prius venia et habita celebrandi facultate ab ecclesiae rectore. Ageretur hinc de precaria possessione, ac nemini ignotum manutentionem non dari nisi his, qui nec clam nec per vim nec precario possideant. Tertio probari missas in altari d. Francisco dicato haud exclusive a sacerdotibus per Braydas designatis, sed per alios etiam sacerdotes ac proinde etiam per rectorem et capellanos Lioy-Lupis celebratas fuisse. Hinc quum de pluribus possessoribus in casu ageretur inter se de manutentione certantibus, indubium sane quin praeferendus ille esset, qui titulo innititur, prae altero, qui eodem destituitur.

E contra vero Braydarum defensor perpendit, duo in hoc judicio extrema esse ab actore probanda, scilicet primo detentionem rei tempore turbatae possessionis: secundo vero actum ipsum turbativum, qui manutentionis instantiae causam praebuit, ita docente

Justiniano in instit. tit. de interdictis n. 4: Retinendae possessionis causae comparata sunt interdicta, uti possidetis, et utrubi . . . . Utriusque interdicti potestas quantum ad possessionem pertinet exequuta est, ut ille vincat, et in re soli et in re mobili, qui possessionem nec vi nec clam nec precario ab adversario litis contestatae tempore detinet. *Leg. Unic. ff. Utrubi, Menoch. de retinenda possess. Remet. 2. n. 556, Post. de manutent. observ. 73*, sacra *Rota in dec. 102. n. 2. cor. Caprara*, in *dec. 13 n. 4.* et *dec. 227. n. 4. cor. Ratto* atque in *Tudertina Juris venandi super manutent. die 23. Jan. 1817. §. 5. cor. Caesarei de Leonibus* ac in *Vig. Praxeos Legibus §. 531. per tot.*

Ad primum quod attinet et extremum, nudum ac merum possessionis factum in manutentionis judicio prae oculis habendum monet, omni prorsus deposita altiori indagine quoad possessionis justitiam vel injustitiam, ut docent *Altogradus Cons. 97. lib. 2, Menoch. de retinenda possess. Remet. cit., Ridolphinus Praxis judic. par. 2. cap. 12. n. 154*, s. *Rota in dec. 19. num. 9. coram Merlino*, in cit. *Tudertina sub §. 5, dec. 85. n. 4. et 5. cor. Priolo.* Ad alterum vero extremum satis esse quemlibet actum probare, qui possessorem quomodo ex sua possessione deturbet, ceu probant *Altograd. Cons. 97, Ridolph. dict. cap. 12. n. 9. et seq.*

Utrumque extremum in specie concurrere affirmat. Constare siquidem familiae Tortora-Brayda possessionem favere, cujus origo in tenebris antiquitatis absconditur. Nam sacellum, quo de agitur, primum habuisse constat Venetam familiam Paoletti, deinde vero ex testamento anno 1700 confecto in familiam Lepori migrasse ac demum in familiam Brayda. Constare insuper ex formali testium examine mox memoratam familiam ab anno 1792 ad annum usque 1857 consuevisse modo uni modo alteri munus committere missas in sacello celebrandi, unde scatet ipsius sacelli in familia Tortora Brayda possessio. Nec minus patere alterum extremum turbatae possessionis a rectore Cajetano Lioy-Lupis die 2. Februarii anni 1857, qui impedimentum praebuit sacerdoti Horatio Pansini, quominus Sacra explere potuisset in saepe memorato sacello; scatere id ex judiciali examine tum capellani tum aeditui. Nec proinde petitam manutentionem denegari posse concludit.

Ceterum idem quoque redire prosequitur, si quaestio versaretur non in simplici ac summarissimo possessorio, sed res esset de possessorio plenario vel mixto, scilicet cum petitorio conjuncto. Etenim si diuturnae familiae Brayda possessioni jungas tempus, quo eadem capella possessa fuit et a familia Sepori et a familia Paoletti, praesto esset actoribus centenaria possessio, quae, licet, titulo destituta, nihilosecius ad domini jura nanciscenda satis esse probat s. *Rota in Romana Successionis quoad primam genituram Cafferelli super retintegrat.*, in *Ortana Juris pascendi 20. Junii 1760. cor. Zelada*, in *Praenestina Responsionum 29. Martii 1802. cor. de Bayana*, in *Camerinen. Juris nascendi et lignandi 11. Junii 1807. §. 3. cor. Piccolomini.* Quod si id obtinet etiam de legitimo titulo non constet, magis etiam obtinere subsumit in casu, quo de legitimo constat titulo, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 26.*, et alia concurrunt adminicula, quae patronatum demonstrant, prout est insignium existentia ad latera altaris, *Gabriel. con. 196. n. 10. lib. 2*, s. *Rota Rec. par. 14. dec. 444. part. 18*, in *Aurien. Paroch. super patron. 1. Junii 1770. §. 6 cor. Riminaldo*, necnon caenotaphia seu monumenta. Pejori item consilio objici praejudicium, quod Canonico Guiducci inferetur, quod quidem supponit, jus ab eo fuisse quaesitum ad institutionem; id vero in quaestione versatur. Cum vero nulla fiat injuria ei qui in vocatione substitutus foret, si quando dispensetur super inhabilitate primo instituti ac vocati, eo minus conqueri poterit extraneus, si dispensatio concedatur unico extanti passive vocato juxta ea, quae docet *Piton. in alleg. 50. num. 329. de contr. patr.* Quibus accedit, Guiduccium jam canonicatu potiri in ipsa cathedrali ecclesia, ut adeo agat ipse non ad damnum vitandum, sed ad captandum lucrum; non leve e contra immineret oratori damnum, ubi dispensatio denegaretur.

Tandem abs re invocari contendit resolutionem s. Congregationis anni 1839. Plura enim in causa eo temporis acta concurrebant adjuncta rerum, quae a praesenti specie aliena omnino sunt. Praecipua autem erant, quod sacerdos Tiberti quodam affinitatis vinculo cum fundatoribus jungeretur, quod Jacobus Ricci dispensationem intra bimestre, ceu in actu praesentationis Canonicorum collegium statuerat, obtinere praetermiserit, quod tandem in sua relatione Episcopus declaraverat, Jacobum Ricci ecclesiasticam vocationem haud praesetulisse, atque idcirco non deceret inter Canonicos illum recenseri, qui festinanter forsan clericales vestes et statum esset dimissurus, ut ad saecularia negotia sese verteret, ceu habetur ex folio s. Congregationis 27. Aprilis 1839. Quae quidem omnia aptari themati nullo pacto possunt.

Paucis perstringitur defensio sacerdotis Bonsignori. Recolit enim defensor, primo vocatos fuisse in casu descendentes Vincentii Fucci, dummodo habiles essent tempore institutionis; deinde, his deficientibus, jussum ut consanguinei et affines, dummodo tamen sint nobiles et Patricii Tiphernates, praelationem extraneis haberent. Quod si itaque nobilitatis praerogativa requisita fuit, etiamsi ageretur de consanguineis et affinibus, eo magis hanc in extraneis requirendam arguit, ubi, consanguineis idoneis deficientibus, ad extraneorum nominationem deveniendum sit. Id enim vel ipsum capitulum patronus perpetuo agnovit, cum in edictorum publicatione ultimo loco, post descendentes Fucci et ejusdem familiae consanguineos ac affines, ad canonicatus vacantes invitavit cives nobiles et Patricios Tiphernates; atque ita a fundatione usque nunc observatum est. A diuturna autem hujusmodi consuetudine fundationis interpretativa nunc discedere jus non patitur, ceu monet *Card. de Luca de benef. disc. 27. numer. 17.* Eo vel magis quod ipsi Capitulares hujusce qualitatis necessitatem in actu ultimae nominationis, de qua quaestio est, diserte professi fuerint; siquidem Guiduccium eligentes declararunt, quod »Il Canonico Guiducci appartiene ad una famiglia primaria fra le Cittadine, il che si avvicina alla mente dei pii erettori«, ut scilicet eligendi nobilitatis qualitate pollerent. Atqui in casu, secluso Elvio Ricci utpote inhabili, unus inter concurrentes nobilitatis praerogativa praeditus erat sacerdos Bonsignori; merito hinc ipsum conqueri, concludit orator, quod posthabitus fuerit sacerdoti Guiducci requisita hujusmodi qualitate carente, atque adeo jure nunc instat, ut institutio sui favore decernatur.

Nec praetermittit ultimo statu juvari, cujus maxime efficacia est in judicio institutionis. Ultimum statum desumit a saepe cit. resolutione s. Congregationis in causa *Civitatis Castelli 27. Aprilis 1839*, in qua clerico Ricci et sacerdoti Tartarini consanguineis fundatorum sed inhabilibus praeferendum decrevit s. Congregatio sacerdotem Tiberti, quem extraneum dicit, utpote nobilem et Patricium civitatis Tipherni.

Hisce perpensis supersunt diluenda dubia:

I. *An constet de inefficacia et nullitate nominationis in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et cujus favore sit danda institutio et supplicandum SSmo pro dispensatione super defectu aetatis et ordinis favore clerici Ricci in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative.

Ad II: Affirmative in omnibus favore clerici Ricci.

Die 9. Apr. 1859.

Montis Falisci.

Felix Antonius Damiani Canonicus civitatis Valentani in dioecesi Montis Falisci, testamento diei 9. Julii 1832, instituto in omnibus suis bonis haerede usufructuario nepote Apollonio, jussit ut cessante usufructu sive per mortem usufructuarii sive per inobservantiam injunctarum conditionum ex omnibus relictis bonis capellania erigeretur: »il cui capellano avrà gli oblighi e i pesi sequenti:

1º di celebrare ed applicare una messa in suffragio etc. in tutti i giorni festivi di precetto, e in quello in cui cade la festa di s. Domenico, e tal celebrazione dovrà esser fatta nella chiesa del ven. Monastero del ss. Rosario a comodo delle religiose, e questo non più esistendo nella chiesa collegiata e parrochiale.

2º. D' intervenire assistere a tutte le corali funzioni alle quali son tenuti d' intervenire ed assistere i sig. Canonici di sopranumero in detta Collegiata di Valentano, con inservire ancora da ministro nelle messe e vespri cantati a tre, volendo io che debba supplire su cio, quando al clero non dispiaccia, per qualunque de' sig. Canonici impedito da malattia, o dal non resiedere per trovarsi a ragion de' studii nel seminario diocesano.

3º. Di dover mantenere in buono stato, conservar sempre, miglionare tutti e singoli fondi ed effetti sotto pena in caso contrario di dover esser subito rimosso dal possesso ed esercizio della capellania.

4º. Tal di lui remozione e nel suddetto modo e condizione avrà pur luogo in ogi giorno ed anno qualunque ad nutum et

beneplacitum del Vescovo Ordinario, se crederà esser non convenevole che questi continui ad esser capellano in una chiesa di religiose »e nella quale voglio dippiù ch'esso assista come diacono o subdiacono per le messe che vi si cantano a tre, cosichè per quel frattempo rimarrà esentato dall' intervenire alla funzione che contemporaneamente si facesse nella chiesa collegiata.«

Procedens inde testator ad eos, qui jure activo nominandi et jure passivo nominandorum frui deberent, jus activum concessit al Vescovo pro tempore, adjecta tamen lege super passivo jure: che il nominato dovrà essere uno della mia parentela per linea mascolina, se vi sarà idoneo sogetto, e in quella non essendo si nominerà della femminina, e mancando ancora in questa si dovrà nominare quel taluno idoneo che vi fosse della mia parentela ex matre, della famiglia Canuncciari per linea femminina, ma di quella discendenza ch' è sempre rimasta, ed ha continnato a rimanere in questo paese di Valentano.

Deficiente vero idonea persona ex familiis a testatore vocatis, quae capellaniam obtinere valeat, vel nemine eandem expostulante, tunc Episcopus . . . . . potrà nominare chi a lui piacerà.

Inspecta hactenus voluntate testatoris praemonendum nunc est, anno elapso die 14. Febr. 1861 e vivis erepto haerede usufructuario, illico ad canonicam capellaniae erectionem deventum fuisse, cujus annui redditus 80 circa scutatorum summam attingunt. Propositis vero edictis tres candidati Episcopo patrono sese obtulerunt ad capellaniam obtinendam, quorum primus Innocentius filius viventis Bernardini Damiani e Cryptis Castri octo annos natus, nondum clericus, educationis gratia apud fratres scholarum christianarum degens, sed ex familia lineae masculinae, cui prima sedes in passiva vocatione concessa est. Alter, qui nomen capellaniae Episcopum rogavit, quidam Alexander Corradi est ex familia matris testatoris, in tertia proinde vocationis sede constitutus, qui viginti et unum annos natus et clericali tonsura insignitus multis abhinc annis in seminario deget et sedulam navat operam philosophicis disciplinis, canonicatum tamen ipse licet exigui redditus obtinet in memorata Valentani Collegiata.

Tertius tandem Dominicus Bonasera, qui suas preces Episcopo dedit ad capellaniam consequendam, sacerdos jam est, apprime idoneus oneribus capellaniae absolvendis, sed a familiis vocatorum prorsus extraneus, qui idcirco nominationem expostulavit »qualora non vi sia alcuno della famiglia Damiani, a cui apparterrebbe la nomina passiva.«

Eodem fere tempore, quo Innocentius Damiani et Alexander Corradi apud Ordinarium instabant super nominatione capellaniae, supplices pariter huic sacrae Congregationi preces exhibuere, ut dispensationem, quam sibi necessariam arbitrati sunt, consequerentur, expresse ajens Innocentius: le che perl 'adimplemento dei pesi inerenti alla capellania verrà sostituito idoneo ecclesiastico a tutte sue spese e carico; Alexander vero animadvertens, quod ad capellaniae consecutionem una sola cosa gli è d'ostacolo, ed è che il chiamato dev' essere sacerdote.

Episcopus, qui, suspensa nominatione favore unius vel alterius ex oratoribus, maluit rem omnem H. S. O. definiendam subjicere, a me rogatus ut, audito capitulo et transmissa fundationis particula, de annuo reddita, oneribus capellaniae et legitima dispensationis causa referret simulque doceret una cum animi sui voto, an alicui praejudicium inferatur, nulla mora mandatis s. Congregationis paruit. Praemissa vero diligenti factorum expositione ita super merito exhibitarum precum prosequitur: »Innocentius eget dispensatione apostolica super defectu tam aetatis quam tonsurae; est tamen de familia linea masculina, quam testator primo loco vocavit, et insuper ejus avus spondet substituere sacerdotem idoneum, qui omnibus oneribus satisfaciat. Alexander habet jus longe inferius, quia pertinet ad familiam, quam testator ipse tertio loco vocat, in defectu personae idoneae de familiis lineae tam masculinae quam foemininae. Nulla indiget dispensatione, nisi fortasse capellania reputetur presbyteralis, quae talis quidem non videtur, cum testator verbis neque explicitis neque implicitis capellaniam presbyteralem declaraverit.. Itaque in hac hypothesi, quae vera videtur, si dispensatio concederetur Innocentio, inferretur praejudicium Alexandro idoneo passive vocato, qui absque nulla dispensatione posset capellaniam obtinere. Admissa vero in capellano necessitate qualitatis presbyteralis rem observatione dignam puto, clericum Alexandrum super ista tantum qualitate (quam brevi quidem tempore est adepturus) indigere dispensatione; Innocentium autem pluribus super defectu aetatis, tonsurae et qualitatis presbyteralis.« Auditis tandem per Episcopum super Innocentii et Alexandri precibus Canonicis collegiatae ecclesiae et monialibus ssmi rosarii Innocentio utrumque capitulum cunctis suffragiis annuit; quoad Alexandrum vero capitulum Collegiatae remisit preces arbitrio et prudentiae Episcopi: moniales autem annuunt petitioni ipsius sicut precibus alterius annuerant.

Capellaniam, de qua agitur, ecclesiasticam potius esse quam laicalem, uti in partes non controvertitur, ita etiam inspecta indole fundationis et ea quoad volitum a disponente fuit, dubitari non posse videtur; vere enim tanquam ecclesiastica retinenda est capellania, quae, etiamsi amovibilis quoad capellanum, potestate tamen, habitu seu aptitudine perpetua sit quaeque Ordinarii auctoritate erecta fuerit ejusque jurisdictioni subjiciat, spirituale aliquid adnexum habeat et clerico seu sacerdoti conferenda sit ab eo, qui instituendi jure pollet. *Corrad. prax. benef. lib. 1. cap. 1. num. 12, Barbosa jur. eccles. lib. 3. c 4. pag. 2. num. 70*, sac. Congregatio in *Anagnina 28. Januar. 1832.* et in *Nullius s. Pauli 26. Januar. 1850.*

Utrum autem eadem capellania tanquam sacerdotalis habenda sit vel non, Eminentiis Vestris judicandum relinquitur, cum ab hujusmodi judicio solutio exortae controversiae non minime pendeat. Re quidem vera ex una parte animadvertendum venit, testatorem injunxisse capellano celebrationem et applicationem missarum, quin aliquid addiderit de facultate, qua capellanus ipse per alium hujusmodi obligationem adimplere valeret. Ex quo argui posset, eundem sacerdotalem qualitatem in capellano respexisse sicut et conditionem sacrorum ordinum voluisse dicendus esset in aliis oneribus eidem impositis, quae sane, seclusa dispensatione apostolica, nonnisi ab ipso capellano adimplere possent. Ex altera vero parte ad excludendam a capellania sacerdotalem naturam non immerito perpendendum est, in actu fundationis nullibi reperiri verba *praesbyteri* vel *sacerdotes* a testatore adhibita in designatione capellani ab Episcopo nominandi; ex quo concludendum videtur, testatorem hac insuper re se conformem reddidisse juri communi, a quo sacerdotalis qualitas minime desideratur: *Amostaz. lib. 3. de caus. piis in specie de capell. c. 5. num. 2.* Regula praeterea est, quod simplices capellaniae minime sacerdotales sint ex eo, quod adnexum habeant celebrationis missarum onus, quoniam istud recte impleri potest per alium sacerdotem, ut advertit *Cardinalis de Luca disc. 61. n. 3. de benef. rotalem decisionem afferens n. 825. coram Merlin.*, quam auctor ipse magistralem appellat et in curia canonizatam. In themate tandem non parum faciendum foret judicium Episcopi, qui capellaniam vix ab uno anno elapso erexit et eandem haud esse sacerdotalem existimat.

Iis praemissis jura contendentium expendenda veniunt.

Josephus Damiani paternus Innocentii avus nonnullas mihi scripto traditas animadversiones exhibuit, quibus statuit inprimis, a benemerito capellaniae fundatore tres gradatim in jurispatronatus passivi fruitione designatas fuisse sedes, quarum in prima consanguinei sui reperiuntur de familia Damiani ex linea masculina, in secunda iidem ex linea feminina, in tertia tandem cognati ex matre de domo Canunciari. Jamvero sine dubio nullave partium contradictione Innocentius fundatoris capellaniae ex filio unico masculo nepos prognatus in prima sede solus invenitur: concludit ergo eidem unice adjudicandam esse capellaniam nec esse locum substitutioni Alexandri Corradi tertiam sedem occupantis, nisi in antecessum potiora Innocentii jura cumulate fuerint exhausta.

Neque magni faciendum foret, ut ait objectio, quod Innocentius qualitatibus a testatore expeditis adhuc destitutus videatur; adnotandum enim inprimis occurrit in casu de quo agitur, cum capellania minime sacerdotalis esse videatur, sequi, ut oneribus a testatore praescriptis per alium satisfieri jure merito possit, ceu passim s. Congr. declaravit et praesertim in *Romana Capellaniae 29. Aug. 1722. ad 1. et 2. dubium.*

Sacerdotii idcirco defectus in Innocentio nulla ratione prohibere valeret, quominus ipse capellaniam consequeretur.

Sed nec obesse sibi putat clericatus et canonicae 14 annorum aetatis defectum, perinde ac si de beneficio stricte ecclesiastico ageretur. Animadvertens enim non rite egisse Episcopum, licet ex bona fide tanquam ecclesiasticam erigendo capellaniam, quae laicalis

esse debuisset, formiter declarat, nullam omnino suis juribus exinde inferri debere laesionem. Posita vero capellaniae laicitate lex de canonica aetate ac tonsura, quae in beneficiis proprie dictis locum habet, extranea penitus est, utpote quae casum minime respiciat.

Nihilominus ne ex hac etiam parte Innocentius indefensus relinquatur, hypothesim expendendam ait ipsius avus, quatenus aetas canonica ac tonsura requireretur in themate, esto etiam ex peculiari lege fundationis.

Ex illico monet in hujusmodi hypothesi e prospectu accurere certissimam et constantem ecclesiae disciplinam, qua patrono passive vocato ope dispensationis sacer hic Ordo succurrit. Cui quidem benignitati, quam Innocentius exorat, legitimam praebent causam proxima Innocentii cum fundatore consanguinitas, directa ejusdem vocatio, necessitas christianae educationis, cui puer operam navat, consensus denique amplissime praestitus ab iis, quorum magis interest nova capellani provisio.

Neque praejudicium aliquod ex petita dispensatione obventurum esse, subjungit, Alexandri Corradi juribus in tertia vocationis sede constituti: ipsius siquidem substitutioni minime fiet locus, donec aliquis adhuc exstiterit ex prima vel secunda vocationis sede, qui capellaniam consequi valeat.

Nullum propterea certum jus Alexandro favere contendit, sed eventuale tantum et hypotheticum seu potius spes sola juris obventuri; *Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 54. n. 23, Piton. de controv. patr. alleg. 100. n. 338.* aliique. Injuste proinde gratiae dispensationis ab Innocentio petitae adversatur: qua in re doctrinam invocat a sacr. Congregatione traditam in una *Perusina Capellaniae 14. Maji 1774*, ubi quadruplex distinguitur casus, in quo sacer hic Ordo habito respectu contradictorum solemne habet elargiri vel denegare dispensationem. »Tertius casus est ita in folio in dicta Perusina Emis Patribus distributo: si plures sint vocati per prius et posterius, nempe primo loco aliqui de una linea seu familia et deinde in eorum defectu alii de diversa linea aut familia et tunc sive vocatio sit directa sive mediata, non potest unus habilis de familia posterius vocata praepedire, quominus alius de familia prius vocata et praedilecta idoneus per dispensationem evadat.«

Unde sequi videretur nihil Innocentio officere, quod ipse mediatam patroni activi id est Ordinarii nominationem minime praeseferat, quatenus Alexandro potius suffragari Episcopus fortasse malet. Concessa siquidem ab Eminentiis Vestris dispensatione jam unicus adesset in prima sede passive vocatus, quem ex lege fundationis Episcopus nominare teneretur ad capellaniam.

Iis vero in genere animadversis monet insuper in specie obstare Alexandro certum incompatibilitatis impedimentum. Ipse enim in Collegiata Valentani canonicatum supranumerarium, ipso attestante Episcopo, possidet ideoque tum singulis choralis officii partibus fungi tum nominatim missam decantatam celebranti juxta vicem suam non secus ac alii Canonici ministerium praebere tenetur. Atqui testator disertissime capellano legem fecit »d' intervenire ed assistere a tutte le funzioni corali, alle quali sono obligati intervenire ed assistere i Canonici di sopranumero in questa suddetta Collegiata con inservire ancora da ministro nelle messe e vespri cantati a tre, volendo io, che debba supplire su ciò, quandc al clero non dispiaccia, per qualunque de' signori Canonici impedito da malattia, o dal non resiedere per trovarsi a cagion de' suoi studi nel seminario dioecesano.«

Paulo inferius praeterea jubet, ut diaconi vel subdiaconi munus obeat, si quando in ecclesia monialium missam decantari contigerit ita tamen, ut, si chorale officium simul incidat, impune a choro possit abesse. Porro si choro Alexander inservire debet uti Canonicus, servire eodem tempore nequiret uti capellanus. Quae difficultas vel magis augeretur in casibus a fundatore jam praevisis, quibus nempe missa in ecclesia monialium decantaretur eodem tempore, quo in Collegiata divina peraguntur officia. Ex eo tandem quod capellania non uti laicalis erecta est ab Episcopo sed potius ecclesiastica, jam aliud hinc exurgeret incompatibilitatis obstaculum. Statuta siquidem ss. canonum decreta manifeste vetant, quominus in una eademque ecclesia canonicatum quis et beneficium obtineat simultaneis obligationibus obnoxia: *Gloss. in cap. Literas* §: *Vacare noscatur de concess. praeb., Extrav. Execrabilis 4 de Praeb. inter Com., Conc. Trid. sess. 24. c. 17. de reform., de Luca disc. 57. de benef., Barbosa ad Conc. Trid. sess. 21. c. 3. n. 9, Reiffenstuel de praebendis t. 5. num. 230., Devoti l. 2. t. 14. sect. 1. n. 13. et 16*, sac. Congregatio in *Ferrarien. 4. Febr. 1843.*

Sed non minori spe consequendi capellaniam sua jura tueri satagit Alexander. Porro in suppositione quod capellania retineri debeat ceu sacerdotalis, dispensationem et ipse rogavit super defectu presbyteralis qualitatis, quam eo facilius se consecuturum confidit, cum testante Episcopo proximus jam reperiatur sacerdotio suscipiendo: quae circumstantia consecutioni gratiae non leviter faveret, ex *cap.: Permittimus un. de aet. et qual. et ord. praeficien. in 6.* Satis enim fieret dispositioni fundatoris, si is eligatur qui intra annum ad requisitum ordinem promoveri valeret, ut in praxi servatur; *Amostaz. de caus. piis lib. 3. c. 7. n. 34.* Potentia siquidem in habitu idem quod potentia in actu operatur, ut ait *Barbosa in axiom. 184. n. 4.* Haec vero in hypothesi, quod capellania tamquam sacerdotalis vel sacros ordines requirens retineatur. Quod si Eminentiis Vestris visum fuerit eandem veluti simpliciter ecclesiasticam non vero sacerdotalem fore dijudicandam, jam aliunde quam a potiori jure obtinendae dispensationis suas rationes depromit Alexander. Equidem dubitari nullatenus potest, ipsum in tertia vocatorum sede reperiri; inspecta tamen lege fundationis et perpensis circumstantiis, quae in casu occurrunt, is tamen in prima vel potius in unica vocationis sede inveniri dicendus esset. Plane passivae vocationis ordo a testatore statutus habet: »il nominato dovrà esser uno della mia parentela per linea mascolina, se vi sarà idoneo sogetto; e in quella non essendo, si nominerà dalla feminina, e mancando ancora in questa, si dovrà nominare quel taluno idoneo che vi fosse della mia parentela ex matre, dalla famiglia cioè Canuncciari. Atqui admisso, quod Innocentius Damiani licet in prima sede vocatus certo dispensatione indigeat adeoque minus idoneus ad capellaniam consequendam renunciari debeat, retento pariter, ut in facto est, neminem ullum in secunda sede vocationis praesto esse, qui eamdem exoptet, non immerito forsan dijudicandum, eundem Alexandrum, ceteris deficientibus vel superatis lineis, in unica linea contineri, in qua capellanus nominari ab Episcopo debeat. Non verificata enim capacitate vocati in prima linea juspatronatus passivum ad alios de secunda vel de tertia vocatos devolvitur, *Pitonius de jurpatr. all. 68. num. 19.* et *discept. eccl. 13. num. 4.* Idem enim in casu esset, ac si linea proxima non existeret; non existente vero linea proxima vocatio pernecesse intelligenda est de linea remota Idem *Pitonius alleg. 106. n. 492, de Luca de fideicom. disc. 149. num. 12.*

Iis vero praejactis ad probandam incapacitatem adversarii Alexandro non multum adlaborandum videtur Innocentius capellaniam indubie esse ecclesiasticam: ex defectu pariter aetatis et ordinis altari deservire non valeret tanquam minister in solemnioribus missis et vesperis anni. Atqui haec sunt onera a testatore Damiani strictim injuncta capellano praeter missas in ecclesia monialium celebrandas. Esto quod missae per alium sacerdotem celebrari valeant, minime tamen concedi poterit, ut per interpositam personam choro assistat, quod expresse prohibitum apparet a *Conc. Trid. in cap. 12. sess. 24. de reform.* Cum ergo ex justissimo aequitatis sensu et pro casuum contingentiis in more positum sit hujus s. Congregationis, ut, quandoque cum patronorum familiis dispensare soleat et remediis extraordinariis eisdem patronis opitulari non renuat, denegat tamen H. S. O. hujusmodi dispensationes, quoties cum inhabili concurrat alter habilis, ut resolutum legitur in *Cremonen. Capellaniae 8. Julii 1702, Balneoregien. 26. Nov. 1763* et *Terulen. 27. Aug. eodem anno.*

Ad diluendam post haec difficultatem, quae ex adverso objicitur Alexandro super incompatibilitate capellaniae cum canonicatu, quem ipse possidet in ecclesia Valentani, merito foret recolendum, de jure communi non esse prohibitam beneficiorum incompatibilium assecutionem, sed retentionem; *Conc. Trid. sess. 7. c. 2. et 4, Rota dec. 721. n. 2. p. 3, dec. 491. n. 5. p. 2. recent., Riganti ad reg. 1. canc.**) §. *8. num. 136*, quod adeo verum est, ut dimissio primi beneficii ob secundum incompatibile non sit facienda nisi post pacificam possessionem secundi: *de Luca de benef. disc. 54. n. 5, disc. 56. n. 6,* et ex recepta disciplina duorum mensium spatium beneficiato ad dimittendum indulgeatur, ut eo tempore de secundi possessione tutus evadat.

Iis igitur utrinque animadversis sequens proponam EE. VV. dirimendum dubium:

An et quis ex oratoribus sit praeferendus ad assecutionem capellaniae in casu?

S. C. resp:

---

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

Esse praeferendum Alexandrum Corradi cum onere suscipiendi intra annum s. subdiaconatus ordinem, vacante canonicatu per assumptionem capellaniae ad formam juris.

Die 29. Novb. 1862.

Placentina.

Canonicus Albertus et Joannes Augustinus fratres de Prato Placentinae dioeceseos communi testamento diei 14. Septembris anni 1651 haeredem instituerunt ven. hospitale peregrinorum Placentiae et pro eo Guardianos pro tempore ven. confraternitatis ssmae Trinitatis, sub quorum regimine praefatum hospitale tunc temporis erat. Inter alia quae haeredi injunxerunt testatores locum etiam tenet sequens dispositio, nempe: »Super omnibus aliis bonis nostris tam in territorio Ziani quam Seminoti ducatus et episcopatus Placentiae . . . . Guardianos gravamus ad erigendam seu erigi faciendam cum auctoritate Episcopi unam praebendam sacerdotalem in ecclesia s. Pauli loci Ziani sub invocatione et titulo Sanctorum omnium . . . , ad quam praebendam volumus deputari ac nominari unum sacerdotem idoneum bonae vocis, conditionis et famae, qui quotidie celebrare aut celebrare facere teneatur missam . . . , ac etiam volumus ipsum intervenire debere saltem in diebus festivis de praecepto ad missam et vesperas, quae in dicta ecclesia s. Pauli decantabuntur, et ibidem in choro canere et psallere cum rectore et aliis ibidem beneficiatis. . . .«

Jus autem nominandi praebendarium et sacerdotem idoneum volumus spectare ad dictos Dominos Guardianos dicti hospitii, confirmationem vero et alia necessaria ad Episcopum, ita quod ad dictam praebendam semper fiat nominatio de praebendario oriundo et naturali Placentino seu ejus districtis, exclusis semper et quocumque tempore exteris, et casu, quo tempore dictae nominationis fiendae et ut supra extaret aliquis sacerdos idoneus, et ut supra de familia et prosapia Francisci de Previdinis dicti loci Ziani, volumus ipsum praeferri debere cuicumque alio nominando et semper et donec aliquis de prosapia vera et legitima dicti Previdini extabit.«

A Placentino Ordinario anno 1664 die 9. Decembris peracta fuit erectio praebendae in ecclesia parochiali s. Pauli juxta voluntatem pientissimorum testatorum, jure passivo reservato favore familiae Previdini et inde ab erectione usque in praesens praebendam assecuti sunt octo successive sacerdotes, quorum tres fuerunt de prosapia et familia Francisci de Previdinis, alii tres tantummodo de prosapia, ceteri duo fuere prorsus extranei. Jure activo nominandi usi semper fuerunt Domini Guardiani confraternitatis ssmae Trinitatis, si postrema excipiatur nominatio, in qua anno nempe 1831 jus activum exercuit favore sacerdotis Josephi Tirelli congregatio a civili gubernio jam ab annis plurimis instituta et nunc etiam existens, quae cum aliis bonis piorum locorum ea quoque administrat, quae ad hospitale peregrinorum spectabant.

Secuta iterum die 1. Augusti 1861 beneficii vacatione per obitum Josephi Tirelli memorata congregatio ad novi beneficiati nominationem die 29. Nov. eod. anno hisce verbis devenit: »Il chierico Angelo Previdini è nominato al beneficio semplice eretto nella chiesa parochiale di Ziano sotto condizione di riportare da Roma nel termine prefisso dalle leggi canoniche la dispensa dalla attuale qualità di sacerdote. Non ottenendo questi l' invocata dispensa nel detto termine ha nominato definitivamente fin d' ora in sostituzione del Previdini al detto beneficio il sacerdote Don Giacomo Lupastri.« Ideo Angelus Previdini nulla interjecta mora ad H. S. C. preces suas porrexit enixe adprecans, ut sibi concedatur dispensatio super defectu qualitatis sacerdotalis, ut ita consequi valeat beneficium ad suam sublevandam inopiam, qua maxime gravatur. Supplicem libellum pariter obtulit sacerdos Jacobus Lupastri ad hoc, ne exorata dispensatio indulgeatur, sed potius sibimet charactere sacerdotali insignito simulque a prosapia de Previdinis descendenti beneficium juxta mentem testatorum conferatur. Et iis precibus aliae supervenerunt ab Anacleto Tirelli, qui eamdem orat apostolicam dispensationem, et ab Hernesto Previdini, qui tum super qualitate sacerdotali tum etiam super aetate dispensari postulat ad beneficium obtinendum.

Super ultimis precibus decretum est: »habebitur ratio et uniatur;« Episcopus autem, quem rogavi, ut transmissa particula fundationis de annuo redditu et oneribus beneficii referret simulque doceret an alicui praejudicium inferatur et animi sui mentem aperiret, mandatis obsequens hujus s. Ordinis literis 27. Maji h. a. refert Angelum Previdini in 14. aetatis anno constitutum de prosapia et

familia Francisci Previdini esse et clericali tonsura insignitum; Jacobum vero Lupastri presbyterum congregationis missionis a s. Vincentio de Paolis originem ducere a Francisco Previdini per sexum femininum et in collegio Alberoniano manere. Addit insuper Hermestum Previdini esse quidem de familia et prosapia de Previdinis, sed vix excedere duorum annorum aetatem ac proinde nullimode Angelo Previdini fore praeferendum. De 'Anacleto Tirelli tandem 12 annos nato et a Francisco Previdini ortum habente asserit, quod nec iste praeferri possit a congregatione civili nominatis. Monet tandem annuos beneficii redditus summam circiter 800 francorum attingere, ex quibus detrahenda summa francorum tercentum et amplius ad publica tributa solvenda. Onera praebendae ea sunt, quae ex testamentaria dispositione jam ipse deprompsi.

Anacletus Tirelli et Hermestus Previdini vadimonium deseruere; Angelus Previdini suam paravit defensionem, quae pro hodiernis comitiis Eminentiis Vestris exhibitur; sacerdos vero Jacobus Lupastri, cum sibi defensorem iis ultimis diebus in Urbe constituerit et hic inspectis actis se nondum patrocinio paratum mihi declaraverit, supplici porrecto libello Eminentias Vestras rogat, ut causa ad aliam congregationem comperindinari mereatur.

His ergo praehabitis pro meo munere summarie recolam, quae propugnator jurium clerici Angeli Prevdini animadvertenda proponit.

Tum ex indole beneficii tum ex actu fundationis tum denique ex aequitate petitam dispensationem concedendam esse arbitratur. Et ad primum quod attinet monet, beneficium de quo agitur non esse actu, sed habitu tantummodo sacerdotale. Sciendum est enim, ut ait, beneficium non ideo renunciandum esse actu sacerdotale, quia in fundatione verba recurrunt *presbyteri* aut *sacerdotes:* in beneficialibus siquidem nomine presbyterorum comprehenduntur etiam clerici ad tradita per sac. Congregationem in *Nullius Lepriniani Capellaniae die 12. Junii 1773. §: Deinde, Rota in Imolen. Jurispatronatus super pertinentia 3. Martii 1738. §. 17. coram Vais.* Quod eo vel magis obtinet, si onus celebrationis missarum per se ipsum a capellano satisfaciendum non injungatur, uti ad rem s. Congregatio in citat. *Nullius Lepriniani eod. §. Deinde* et *Rota in decis. 7. per tot. de jurepatron. coram Falconerio.* Concessa idcirco a fundatoribus facultate beneficiario, ut per alium missis celebrandis valeat satisfacere, jam satis est, ut beneficium non actu sed habitu sacerdotale renuncietur. Iis insuper addit, in jure jam receptum esse onera beneficio adnexa etiam pèr alium quam per beneficiatum adimpleri posse, licet beneficium ex fundatione obligationes missarum praeseferat et onus altari inserviendi injungat. Qua pariter super re ad doctrinam appellat in *Auximana diei 17. Januarii 1761.* traditam, licet in specie de qua tunc agebatur contraria resolutio obtinuisset ad formam testamenti, ut Emi Patres addiderunt. Inde vero concludit, nil absonum a jure esse, ut simplex etiam clericus beneficium assequi valeat, cui impositum sit onus missarum, nisi forte fundator expresse caverit, ut beneficiatus celebrare per se ipsum teneatur,*) ceu perpendit sacr. Congregatio in *Firmana Beneficii die 13. Februarii 1816.* et *Mutinen. Capellaniae seu Legati pii 22. Novembris 1760.*

Non imposito ergo onere capellano celebrandi per se ipsum beneficium sacerdotale minime judicandum. Atque in themate, prosequitur Angeli defensor, inspecto fundationis actu non modo haud reperiri constat legem celebrandi per se ipsum, sed et disertis verbis apparet, factam fuisse beneficiato facultatem per fundatores, ut etiam per alium missarum oneribus satisfacere valeat, qui quotidie uti in testamento fratrum de Prato celebrare aut celebrari facere teneatur missam. Quae verba si dubio procul necesssitatem qualitatis sacerdotalis excludunt in genere, eo magis in specie, si agatur de onere missarum praedilectis imposito, cum favores erga ipsos non restringendos sed ampliandos potius esse jura nostra conclament. Transiens deinde idem defensor ad expendenda jura, quibus adversarius Lupastri Angelo Previdini super obtinenda dispensatione contradicit, et statuta hypothesi quod ambo paritate juris procederent inspecta vocatione fundationis, illud semper obstare subjungit Jacobo Lupastri, defectum nempe nominationis a legitimis patronis; dispensationem ergo ab eo impediri haud posse, cum ipse necessaria patronorum praesentatione destituatur.

Haec quoad beneficii naturam. Quod vero attinet ad ejusdem fundationem defensor observat, etiam sub hoc respectu dispensationem

*) Vd. *t. 1. p. 806 etc.*

non esse Angeli Previdino denegandam. Ait enim in casu rem agi de patronatu stricte gentilitio, non autem de cognatitio, dum fundatores apertissime statuerunt, ad beneficium nominandos esse, qui de familia et de prosapia Domini Francisci de Previdinis descenderent, qua vocatione excludendos esse, ait, cognatos, ceu plures ferunt auctoritates allatae in *Romana Legati studiorum die 17. Decembris 1852 §. Quae cum*; et inde seqni ducit Jacobum Lupastri ideo rejiciendum fore, cum ipse nec de familia nec de prosapia vera ac legitima de Previdinis descendat ex femina, quae, licet sit de sanguine, aliam tamen familiam et prosapiam ingreditur, non propriam effingit.

Aequitate canonica tandem Angeli jura tuetur. Jacobus enim Lupastri presbyter profecto est, sed ad congregat. s. Vincentii de Paolis pertinet et beneficio gaudet, cujus annuus redditus satis est ad ipsius honestam sustentationem, dum e contra clericus Previdini patre orbatus veluti pauperimus a parocho renuuciatur nec certo matris praesidio fruitur, cum haec ad secundas jam nuptias transierit bonisque careat, quibus et Angelo et aliis, quos habet, filiis probe succurrat. Ceterum memoratus clericus bonis moribus maxime commendatur: quibus omnibus praecipue inspectis s. Congregatio dispensationem denegare non solet, ceu defensor videndum exhibet in *Cremonen*) Dispensationis 2. Decemb. 1775*, et in quamplurimis aliis rosolutionibus H. S. O. in distribuenda allegatione adnotatis.

Iis ergo pro Angelo Previdini animadversis, sacerdote Jacobo Lupastri dilationem exorante, sequentia EE. VV. proponam dubia:

I. *An et cujus favore ex oratoribus Angelo Previdini, Anacleto Tirelli et Hermesto Previdini concedenda sit dispensatio in casu?*

Seu potius

II. *An danda sit sacerdoti Jacobo Lupastri institutio ad beneficium in casu?*

S. C. resp:

Dilata ad primam post proximam.

Die 20. Decbr. 1862.

Continuatio Placentina.

Hodie ergo ex hujusmodi Eminentiarum Vestrarum mandato judicanda redit controversia una cum folio memoratae Congregationis, quod iterum distribuitur, et cum allegatione per eumdem Lupastri defensorem circumferenda, et ad ea me referens, quae in praefato folio animadvertenda proponebam ex allegatione pro Angelo Previdini distributa, summarie nunc, prout meum est, perstringam, quae pro sacerdote Lupastri disseruntur, ut perpensis utrimque allatis rationibus proposita dubia Eminentiae Vestrae resolvant

Inverso dubiorum ordine Lupastri defensor disputat

1°. de institutione ejus favore decernenda,

2°. de d ispensatione expetentibus deneganda.

Quoad 1. Beneficium sacerdotalem qualitatem exigere in nominando contendit atque adeo, cum inter passive vocatos ex descendentia Previdini unicus adsit actu sacerdos Jacobus Lupastri, eum fore in beneficio instituendum affirmat. Equidem sacerdotalis qualitas manifeste scatet ex ipsa fundationis litera, cum praebenda sacerdotalis renuncietur: »DD. Guardianos gravamus ad erigendam .. praebendam sacerdotalem;« item nominari testatores jubent unum sacerdotem idoneum et de vocatione favore Previdini loquentes eam habere locum repetunt casu . . . quo extaret aliquis sacerdos idoneus de familia et prosapia Francisci de Previdinis. Legi tandem fundationis in omnibus consonat erectionis decretum.

Et perperam, pergit, ex adverso praedicatur, praebendam non actu, sed aptitudine tantum sacerdotalem esse, ut ita clerici etiam illam assequi valeant. Regulam enim hac in re sequendam tradit sacrae hujus Congregationis in *Tudertina 9. Julii 1785 §: Ut*, ibi: »Ut judicari tuto queat num capellania vel beneficium sit actu sacerdotale vel solum habitu, prae oculis habenda est theorica, quam primus omnium invenit Abbas etc., nimirum quod vel qualitas sacerdotalis adnectitur actui praesentationis, nominationis, collationis, et tunc, cum qualitas adesse debeat secundum tempus verbi et actus, cui adnectitur, hinc capellania vel beneficium dicitur actu sacerdotale; aut qualitas sacerdotalis respicit et adnectitur executioni et prosecutioni obtentae nominationis, praesentationis et collationis et tunc capellania vel beneficium censetur esse sacerdotale habitu tantum. Regulam hanc amplexum exinde semper fuit s. Rotae tribunal et s. haec

*) Vd. *supra p. 246.*

Congregatio. Quam doctrinam praeclare explicat *Fagnanus in cap.: Ut Abbates de aetat., qualitat. et ord. praefic. a. n. 37 ad 60.* Atqui in themate tempus a fundatoribus indigitatum, quo adesse memorata qualitas debeat, fuisse tempus nominationis et electionis probat orator illis testamenti verbis »ad quam praebendam volumus deputari et nominari unum sacerdotem idoneum« et ex aliis etiam inferius »casu quo tempore dictae nominationis fiendae extaret aliquis sacerdos idoneus.« Qualitatem itaque presbyteralem actu necessariam fore concludit.

His accedit constans, ut ait, observantia teste siquidem Episcopo in sua relatione; a tempore erectionis praebendae usque nunc eam accepisse sacerdotes. Et duos heic casus speciali animadversione dignos adducit: Primum anno 1661 in ipso limine erectionis obventum; etenim cum sacerdos Bartholomaeus Previdini Francisci filius et primus nominatus juri suo renunciasset, accidit ut patroni, praetermissis tribus aliis Francisci Previdini filiis, extraneum nominaverint Augustum de Fottatis ea ratione »quod Franciscus de Previdinis alios non habeat filios in ordine sacerdotali constitutos neque habiles et idoneos ad hujusmodi praebendam obtinendam. Alterum vero casum contigisse refert anno 1748, quum nominatus extitit alter extraneus sacerdos Antonius Galmozzi. Equidem Petavius Previdini gentis suae nomine obtestatus est »voler salvo in altre vacanze il diritto a favore di qualcuno dei Previdini che fosse idoneo, giacchè nelle vacanze precennate, quantunque parecchi fossero i figli Revidini, pure actu nessuno era sacerdote.«

Demum idipsum confessos esse adversarios obfirmat, siquidem Anacletus Tirelli alter ex concurrentibus hunc sac. Ordinem dispensationem super qualitate sacerdotali rogavit; idque etiam petiit Angelus Previdini, licet ad cautelam, et patroni demum eundem Angelum nominarunt sotto condizione di riportare da Roma . . . la dispensa dall' attuale qualità di sacerdote.

Cum itaque unicus actu possideat qualitatem sacerdotalem, Jacobus Lupastri, isque sit de familia et descendentia Francisci Previdini, utpote a Catharina ejusdem filia derivans, contra vero ceteri pueri adhuc sint, imo et ipse Angelus ceteris potior nec clericus fuerit toto quadrimestri a vacatione praebendae perdurante, infert Lupastrium prae omnibus aliis in beneficio esse instituendum. Quin obstet, ut ait, quod patronorum nominatio primario fuerit pro Angelo Previdini, secundario vero pro sacerdote Lupastrio, illico enim reponit, unicum passive vocatum idoneum, quasi a fundatore ipso nominatum, non indigere patroni nominatione ad tradita cum communi per *Pitonium de contr. patr. alleg. 1. per tot*; item *68. n. 9.* et saepe ab hac sac. Congregatione, praesertim vero in *Sorana Jurispatronatus 10. Maji 1862.* et in *Montisfalisci Jurispatronatus et Institutionis 13. Sept. ejusdem anni.* Addit praeterea nec ipsam patronorum nominationem deesse Lupastrio, quam, licet secundo loco, nempe post Angelum, eidem concessam, cum tamen nominatio Angeli alligata fuerit conditioni de dispensatione reportanda, ea denegata, prout inferius denegandam esse ait, nominationem Lupastri purificatam fore subjungit.

Quibus praejactis minime movetur difficultatibus, seu quod Lupastrius ut presbyter congregat. s. Vincentii de Paolis nequeat residere Ziani ibique praescripta officia praestare, seu quod etiam aliud beneficium jam obtineat. Monet enim quoad primum cum *Fagnano loc. cit. num. 87. et seq.* quod, nisi beneficium erectum sit in Cathedrali et Collegiata vel nisi fundator expresse injunxerit capellanum per se ipsum inservire debere, in simplicibus beneficiis injunctis oneribus per alium satisfieri valeat, prout reapse haud pauci, ut ait, ex praeteritis beneficiatis praestiterunt. Quoad alterum vero reponit adducto exemplo ex hac sac. Congregatione in *Caesenaten. Capellaniae 27. Julii 1839* et in *Montisfalisci*) Capellaniae 29. Novembris 1862* neminem praepediri, quominus beneficium assequatur incompatibile cum alio beneficio vel officio, sed tantum ne ultra duos menses unum alterumque retineat.

Haec super jure institutionis favore Lupastri decernendae: super dispensatione vero ab adversariis petita recolit H. S. O. dispensare non solum cum praejudicio alterius vocati actu habilis et qualificati, adeoque probato jure Lupastri de dispensatione ab aliis expostulata non esse disserendum. Nec obstare instat, quod ex adverso ajunt, vocationem passivam primario de agnatis Previdini

*) Vd. *supra p. 301.*

fore intelligendam, subsidiarie tamen cognatos amplecti. Opponit enim primo quod, si vera esset asserta subsidiaria vocatio, adhuc tamen habilis subsidiarie vocatus praeferendus esset principali vocato inhabili, cum non pure simpliciter agnatio praelata foret, sed sub habilitatis conditione. Casu vero, quo praelatio concessa sit sub conditione habilitatis, praeferri debere subsidiarie vocatum consanguineo inhabili docet *Pitonius de contr. patr. alleg. 85. num. 12.* Idque praesertim in casu, cum ex actis appareat Angelum Previdini die 4. Decembris 1861 S. II. O. preces exhibuisse pro dispensatione, adeoque elapso jam quadrimestri. Ceterum assertam subsidiariam vocationem negat et cognatos aeque ac agnatos in eadem sede indiscriminatim fuisse a testatoribus vocatos ad beneficium sustinet, cum ceteris praeferri jusserunt omnes de familia et prosapia Francisci Previdini.

Sane familiae vocabulum in sua naturali significatione omnes comprehendere ex designata familia derivantes sive ex masculis sive ex femininis arguit tum ex *l. ult. C. de verb. et rer. signif.* tum ex adductis auctoritatibus, *Voet. l. 36. ad Senat. cons. Trebell. num. 27, Peregr. de fideic. art. 22. num. 26, Rota decis. 172. num. 10. et seq. cor. Lancetta.* Et si quid unquam dubii ex familiae nomine adhuc superesset, sublatum omnino esse subjungit ab ipsis testatoribus per verbum mox subsecutum *prosapia*, quod auctoritate *glossae in l: Si quis ex corpore C. de Murilegulis* significare sustinet generationem et descendentiam. Adnotat vero ideo testatores vocationem passivam repetentes omisso verbo *familia* locutos fuisse *de prosapia*, quia nempe familia sub latiori verbo prosapia comprehenditur. Quod ex nonnullis etiam facti adjunctis in casu comprobari posse monet

1, Ex quo testatores de Prato cognomentum extraneum praeseferebant de Previdinis, qui vel extranei a testatoribus erant vel cognati et collaterales.

2, Ex observantia; quandoquidem teste Episcopo beneficium promiscue assecuti sunt sacerdotes tum de agnatitia tum de cognatitia Previdini linea, imo prostremi duo beneficiati fuerunt cognati, id est Joseph senior et Joseph junior Tirelli, ex quo exurgit, ut ait, ultimus status favore cognationis, cujus ex *cap.: Consultationibus 19. de jure-patr.* ea vis est in possessorio institutionis judicio, ut is institui absque mora debeat, qui in possessione versatur jurispatronatus, reservato ceterum competitoribus juris exercitio in futuris vacationibus. Quibus positis supervacaneum reputat de aequitativis dispensationis causis disputare; hae enim liberandae essent, quoties de pluribus aeque inhabilibus ageretur; ast quum in themate sacerdos adsit qualificatus ac aeque vocatus, quaelibet aequitatis causa justitiae locum cedere debere contendit. Ceterum, quae praedicantur de redditibus beneficii quo Lupastrius gaudet, adeo imminui debere ait, ut iidem redditus ex testimonio curiae episcopalis, demptis oneribus, nonnisi libellas quindecim annuatim suppeditent.

Post haec redeunt ab Emtiis Vestris resolvenda dubia:

I. *An et cujus favore ex oratoribus Angelo Previdini, Anacleto Tirelli et Hermesto Previdini concedenda sit dispensatio in casu?*

Seu potius

II. *An danda sit sacerdoti Jacobo Lupastri institutio ad beneficium in casu?*

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative favore Angeli Previdini facto verbo cum SSmo.

Ad II: Negative.

Die 21. Mart. 1863.

Mutilana.

Bedinus Pompignoli supremo quo decessit elogio die 28. Septembris 1652 ad causam piam disponens de universis suis bonis »heredem instituit altare divo Sebastiano dicatum, quod extat in ecclesia s. Reparatae de Valle Faventinae olim, nunc vero Mutilanae dioeceseos. Et jurepatronatu sibi reservato quoad jus activum cautum voluit testator, ut quaedam sua cognata Maria Andrea Pozzi nominandi praesentandique facultate polleret eamque facultatem in ejusdem mulieris defectu deferri jussit in Petrum, Andream, Thomam, Bedinum et Vincentium respective fratres et filios Joannis di Bedino da Pompignola, necnon in eorumdem descendentes filios legitimos et naturales sempre più vecchi e loro discendenti per linea mascolina in infinito, alla quale elezione e presentazione devano solamente intervenire due delli figlioli e discendenti delli sudetti Pier, Andrea, Tommaso, Bedino e Vincenzo maggiori di età e più vecchi ec. Passivum vero juspatronatus ita

conferendum esse statuit, che se vi sarà alcuno dei quattro fratelli, e suoi discendenti che siano Preti, debba eleggersi uno di quelli, e caso che non ve ne fosse, ed alcuno di loro, o suoi discendenti si volessero porre in abito da chierico o preti, purchè abbi l'età di quattordici anni finiti, debba eleggersi quel tale ec. E non essendovi alcuno che voglia attendere al prete delli detti quattro fratelli o discendenti, allora ed in tal caso, quin aliquid testator innuerit de aetate 14 annorum in eligendo requirenda, detta Maria Andrea sia padrona di eleggere quel prete (purchè sia sacerdote da messe) che le parerà e piacerà. Quam passive vocationis legem iterum in omnibus inferius confirmavit. Disponendo ed ordinando che dovendosi fare l'elezione . . . . in qualsivoglia tempo, se sarà eletto e presentato uno che sia della casa e famiglia Pompignola, sia capace e possa tenere e godere detto altare, ancorchè fosse chierico solamente, e di età almeno di quattordici anni finiti. Quod si extraneus a domo et familia de Pompignola eligi deberet nemo praesentari posset, nè sia capace di tenere e godere detto altare, qui non reperiatur ordinato sacerdote che celebri messa.

Haec ex lege fundationis. Cum itaque praefatum beneficium anno 1861 vacaverit, quatuordecim ex patronis clericum Laurentium Pompignoli ex una ex designatis familiis descendentem in novum rectorem nominarunt, quem ob defectum aetatis 14 annorum SSmo commendarunt, ut cum ipso super eodem defectu dispensare dignaretur ad memoratum beneficium consequendum, cum decimum tantum aetatis annum explevisset E contra duo ex patronis sacerdotem Antonium Bonavita Faventinum praesentarunt, qui nullo cognationis vinculo cum testatore conjungitur. Hujusmodi vero praesentatione minime obstante clericus Laurentius supplici oblato libello rogavit, che venga dispensato dall' età di 14 anni richiesti dal testatore per ottenere il beneficio. Quae preces, etsi testimonialibus Episcopi literis tam supra earundem veritate quam super concessione petitae dispensationis apprime commendarentur, ad eumdem tamen Mutilanum Antistitem transmissae fuere, ut ipse magis praecise referret de annuo redditu et oneribus beneficii, et an alicui per petitam aetatis dispensationem praejudicium inferretur. Serius autem eidem Praesuli commendatum insuper est, ut audiret patronos omnes in scriptis et particulam fundationis transmitteret.

Binis literis muneri suo satisfecit Episcopus, quarum primis diei 2. Sept. 1861 quoad dispensationis gratiam propitiam undequaque oratori edidit sententiam exposuitque redditus beneficii in annuis scut. 160 consistere cum onere 12 missarum in singulos menses. Quibus praemissis ita in iisdem literis prosecutus est: »Praetermittendum mihi non est, quod novissime ex dioecesi Faventina alii (nempe ii duo de quibus superius) juspatronatus asserentes praesentarunt ad beneficium in mea curia sacerdotem extraneum a familia, et ipsi non praeberent assensum ad gratiam praedictam, uti ex eodem facto eruitur. Sed quandoquidem sapientissimo consilio sacrae istius Congregationis congruum videretur favorabiliter rescribere circa preces oratoris, nulli praejudicium inferretur, nam in collatione facienda ego, uti ex justitia, attenderem jus, quod majus extaret inter eligendos.« Ultimis vero literis 25. Februarii 1862 retulit: »Audivi in scriptis patronos, quorum quatuordecim sponte et libenter praestant assensum, ut orator gratiam consequatur dispensationis a defectu aetatis, unus tantum negat, et mirum non est, nam est ille, qui ad rectorem vacantis beneficii praesentavit sacerdotem extraneum a patronorum familia. Ex quibus literis arguitur, alterum ex duobus patronis, qui sacerdotem Bonavita elegerunt, auditum ab Episcopo super Laurentii precibus minime iisdem obstitisse.

Imploratae petitioni duo maxime obstare videntur, expressa scilicet testatoris voluntas et dissensus unius ex patronis, qui non reperiendo habilem in designatis familiis ad substitutionem extranei sacerdotis se convertit. Patula enimvero est disponentis voluntas, qui in defectu sacerdotis etiam non presbyterum inter descendentes vocavit, sed eumdem adjecta lege vocavit, quatenus decimum quartum annum complevisset. Qua peculiari dispositione eam Tridentini legem respexisse testator videtur, qua aetas 14 annorum ad ecclesiastica beneficia consequenda requiritur. Si ergo conditiones, quae etiam juri communi quodammodo adversari viderentur, a fundatoribus beneficiorum impositae servandae sunt, potiori jure custodiendae traduntur eae, quae omnino consentaneae ad praescripta et decreta oecumenicae Tridentinae synodi

constitutae fuere, simulque distinctum extremum disponentis votum, quod non una vice in themate, sed iterum etiam manifesta voluntate a testatore Pompignoli sancitum apparet.

Queis animadversis jure in casu petitae dispensationi obstare videtur patronus, qui habilem nominando videlicet sacerdotem ab ipso fundatore substitutum voluntati ejusdem obsequitur, qua in re melior dicenda esset conditio prohibentis. Prohibitio siquidem hujusmodi non modo consona est voto defuncti, sed statutam ecclesiae praxim sequitur, quae conditiones in limine fundationis beneficiorum adjectas omnino et religiose servandas esse clamat ex *cap. Quia contingit de relig. dom. in Clement;* ex *cap*: *Nos quidem 3. de test.* et praesertim ex Conc. Trid. *sess. 25. cap. 5. de reform.*

Parum aliunde relevare videtur, plures patronos alium praesentasse; ex notissima enim regula prostat, praeferendam esse nominationem a minori parte patronorum peractam favore habilis in concursu majoris partis eligentium inhabilem, cum hujusmodi occurrente conflictu, in iis, qui legitime praesentarunt capacem, totum juspatronatus pro ea vice consolidatum reputatur; Rota in *Terraconen. Beneficii 29. Januarii 1712. §. Pront etiam, cor. Lancetta; Piton. de contr. patr. alleg. 100. num. 435;* sacr. Congregatio in *Montisfalisci Jurispatronatus et Institutionis 13. Septembris 1862.* Imo cum suffragia nominantium inhabilem vel nulla sint vel patronis illis accrescant, qui habilem elegerunt, non parum petitae dispensationi obsistere videretur aliud juris principium, dispensationes nempe concedi non solere in alterius praejudicium; *Gloss. in cap.: Super de off. et potest. jud. deleg.*; *Riganti Comment. ad reg. canc. reg. 18. num. 47. et seq., Gargliard. Comment. de jurepatr. cap. 21. num. 26*, sacr. Congregat. in citat. *Montisfalisci Jurispatronatus et Restitutionis 13. Septemb. pract. anni 1862.*

Ad obtinendam vero dispensationem Laurentius Pompignoli in memoria quadem mihi scripta exhibita praeter historiam factorum superius recensitam monet duobus patronis, qui sacerdotem extraneum nominaverunt, eidemque nominato sacerdoti Bonavita terminum quindecim dierum fuisse praefixum ad sua jura deducenda, quo termino inutiliter elapso ceteri patroni et clericus Laurentius gratiam dispensationis a summo Pontifice forent imploraturi. Idque de consensu ipsius episcopalis curiae, ut asseritur, peractum est adhuc perdurante quadrimestri utili praesentationi peragendae, et licet quadraginta dies praeterlapsi fuissent sacerdos tamen Bonavita et duo illi patroni semper contumaces extiterunt, ita ut valedixisse potius peractae nominationi dicendi essent.

Haec tantum animadvertit gratiam implorans, quam se certo consecuturum sperat, nam, ceu asserit, aliis etiam ex sua linea aequalis gratia anteactis temporibus concessa fuit. Sed hujusmodi argumentis quaestio minime resolvi videtur favore dispensationis. Licet enim duo patroni qui sacerdotem Bonavita praesentarunt contumaces aliquo mòdo, ut dicitur, fuerint, inspectis tamen testamenti tabulis contingere illud posset, ut iterum in defectu sacerdotis ex designatis familiis ad novam nominationem procedendum esse decernatur, quatenus, rejecta licet extranei sacerdotis praesentatione, nec petita dispensatio concedenda videatur. Aliunde ex literis Episcopi docemur, alterum ex memoratis duobus patronis, qui ab eodem Episcopo super Laurentii precibus auditi fuere, expostulatae dispensationi contradixisse, quod satis esse videtur ad super allatam contumaciam repellendam.

His tamen praehabitis nonnulla hic magis opportuna praenotanda censeo, quae oratori Laurentio favere videntur. Recolam in primis ea testatoris verba: »e non essendovi alcuno che voglia attendere al prete delli detti quattro fratelli o discendenti, allora et in tal caso detta Maria Andrea (idem profecto de ipsius Mariae in praefato jure successoribus) sia padrona di eleggere quel prete (purchè sia sacerdote da messa) che le parerà e piacerà. Ex quibus apparet, non aeque presbyterum extraneum a familiis priori loco designatis vocatum fuisse ac ipsos de descendentia, etiamsi descendentes haud essent presbyteri vel aetatem 14 annorum nondum expleverint. Quare inter primo loco vocatos etiam inhabili non occludendus aditus videretur ad gratiam ob defectum aetatis implorandam, quatenus cum extraneo concurrat, qui nec aeque vocatus nec ex eodem genere vocatorum existit. Re quidem vera inter duos coaequaliter vocatos per vocationem directam ad tempus vacationis beneficii non potest etiam durante quadrimestri alter in-

habilis ex defectu aetatis dispensari in praejudicium alterius habilis, ceu *Pitonius de contr. patr. alleg. 85. num. 12.* arguit ex resolutione ab H. S. Ordine lata in *Cremonen. Capellaniae 8. Julii et 9. Septemb. 1702*, in qua proposito dubio; »*An sit concedenda dispensatio super defectu aetatis, quae tamen vergeret in praejudicium aeque vocati, qui eadem dispensatione non indigebat?* Emi Patres responderunt: Negative. Longe sed diversum principium in casu videretur applicandum, quod idem *Pitonius* propugnat *de contr. patr. alleg. 100. n 338.* inter inaequaliter vocatos seu, ut in themate, inter vocatos per prius et posterius, quo in casu, qui posterius vel subsidiarie vocatus existit, nullum jus habet concurrendi cum primo loco vocatis vel dispensationis gratiae contradicendi, cum ipse praelationem impedire non possit, tamquam in pari causa non existens, ceu sac. Congregatio censuit et resolvit in *Anconitana**) *Capellaniae 12. Junii 1762*, et antea jam responderat in *Balneoregien. Dispensationis 21. Junii 1760* et in *Tridentina 29. Augusti 1761.* Hujusmodi siquidem occurrente casu nec summus Pontifex nec sac. Congregatio juris positivi exceptionem auferendo ullius jus quaesitum, quod non existit, laedere dicuntur. Donec enim in prima sede vocatus reperitur, qui vel naturaliter vel ope dispensationis consequendi beneficii capax sit, non jus quaesitum secundo loco vocatis assistit, sed tantum jus quaerendum, spes scilicet futuri juris, quatenus gratia dispensationis denegetur; s. Congr. in *Firmana Capellaniae 2. Augusti 1836;* in *Liburnen. Dispensationis 29. Augusti 1857.* Et ratio potissimum in eo sita est, ut non sit differentia inter habilem ex jure et habilem ex dispensatione: omnis enim habilitas ex eodem fonte procedit, a Principe scilicet qui lege sua inducere valet habilitatem et inhabilitatem; sac. Congreg. in *Tolentinaten. Dispensationis 17. Julii 1850, Lotter. de re benef. l. 1. quaest. 40. n. 167, Piton. cit. alleg. 100. n. 329.* Nec oggerendum aetatem 14 annorum non solum a jure requisitam esse, sed praefixam etiam fuisse in themate a testatore, adeoque servandam omnino esse tamquam legem in limine fundationis appositam, ut aliquis e sua descendentia nondum presbyter consequendi beneficii capax renuncietur. Nihil enim obstare videtur, quominus fundator praedicta conditione juri communi sese accommodasse dicatur, aetatem 14 annorum praescribendo, super qua tamen solet ab apostolica Sede dispensari. Idque argui merito licet tum ex coincidentia dispositionis hominis seu ipsius testatoris cum jure communi, tum ex verbis adhibitis a fundatore, qui non taxative vel exclusive eamdem conditionem voluisse videtur in descendentibus e praedilectis familiis, quoties a descendentibus in extraneos transeundum foret. De hujusmodi enim extranei sacerdotis electione pertractans, praetermissa quavis conditione aetatis, qua descendentes a beneficio excluderentur, generatim inquit: »e nonessendovi alcuno che voglia attendere al prete, allora ed in tal caso d. Maria Andrea sia padron di eleggere chi le parerà e piacerà.«

Quare si Emtiis Vestris visum fuerit conditionem hujusmodi non exclusivis verbis in themate a testatore propositam ad juris communis dispositionem esse reducendam, gratia dispensationis minime deneganda videbitur, cum facillime dispensatio descendentibus a sanguine fundatoris vel cum eodem conjunctis, maxime si pauperes prout in casu iidem fuerint, indulgeatur; quod ex millenis exemplis in hac sac. Congregatione manifestum apparet.

Nil in suis informationis literis Episcopus retulit, ex quo argui valeat, utrum inter quatuordecim patronos, qui Laurentio suffragati sunt ad dispensationem obtinendam, duo profecto reperiuntur, qui seniores sint inter descendentes familiarum, quibus in specie jus nominandi rectorem beneficii testator attribuit. Re quidem vera in quadam memoria mihi a Laurentii procuratore tradita et actis deposita manifeste habetur, binos natu majores inter eos adnumerari, qui eundem Laurentium in novum beneficii rectorem elegerunt, nihil in contrarium adversariis deducentibus; quidquid tamen hac super re retinendum sit, illud in casu animadvertendum occurrit, scilicet juxta Episcopi literas compertum esse, auditos fuisse in scriptis patronos per Mutilanun Antistitem super Laurentii precibus et ex iis quatuordecim favere Laurentio, unum tantummodo adversari, eum nempe, ut monet Episcopus, qui ad rectorem vacantis beneficii praesentavit extraneum a patronorum familia. Quare etiam ex hac parte praesentatio extranei sacerdotis desiderandum aliquid reliquisse videretur.

*) Vd. *supra p. 242.*

Proponitur ergo resolvendum dubium:

An sit consulendum SSmo. pro dispensatione super defectu aetatis 14 annorum favore Laurentii Pompignoli in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et amplius.

Die 21. Mart. 1863.

b) Dispensatio non concessa.

Vd.: *Institutio canonica; t. I. p. 278. 293.*

Regien.

(Conc. Tr. c. 5. sess. 25. de ref.)

In ultimo elogio condito de anno 1675, sub quo decessit, Hieronymus Cantanellius inter alia demandavit, ut ad beneficium sui jurispatronatus sub invocatione ss. Antonii et Bernardini existens in ecclesia s. Prosperi d. civitatis nominaretur is, qui pro tempore esset usufructuarius suae haereditatis, relicto jure praesentandi suo executori testamentario et post ejus mortem thesaurario seu syndico Montis Pietatis Regii, quem haeredem proprietarium instituit, volens, ut d. usufructuarius beneficiatus sit sacerdos quotidie celebrare obligatus, dummodó non esset levissimè impeditus, necnon inhabitet in domo suae haereditatis sita in d. civitate Regii, addita poena amissionis ususfructus applicandi ad beneficium Montis haeredis proprietarii pro eo tempore, quo is absens esset, et suam transferret habitationem Regium ad habitandum. Exindeque testator ad dictum usumfructum suae haereditatis primo loco vocavit Canonicum Ludovicum Vigaranum sive eum, qui tempore sui obitus esset rector supradicti beneficii, quo quidem deficiente usufructuarium haeredem constituit sacerdotem seniorem de familia Prosperi Manfredini eoque non existente vocavit sacerdotes descendentes à Caspare Vigarano, quibus deficientibus accivit similiter sacerdotes descendentes à Baptista et Alexandro fratribus de Fossis cum supradictis qualitatibus actualis sacerdotii et onere inhabitandi domum haereditariam. Eo autem casu, quo ex d. familiis contemplatis non essent sacerdotes vel qui non habitarent vel se non conferrent ad habitandum domum ut supra, voluit testator, ut à suo executore testamentario nominetur et praesentetur in d. haeredem usufructuarium sacerdos constitutus in aetate annorum 55 vir nobilis et oriundus civitatis Regii, quique inhabitet et celebret, ut supra praefertur. Ejusmodi autem nominationem faciendam voluit à praedicto executore intra terminum duarum hebdomadarum, alias peragendam à primodicto haerede proprietario seu ab ejus congregatione, quae praesidet illius regimini, sicque in perpetuum observandam sub poena caducitatis favore confraternitatis sanctissimae Conceptionis ejusdem civitatis cum iisdem oneribus, uti fusius ex d. testamenti exemplari in summar. exhibendo.

Nuper post mortem Comitis Francisci de Fossa ultimi sacerdotis usufructuarii ex familiis vocatis et rectoris beneficii nominatus fuit ac praesentatus per syndicum Montis pietatis atque etiam institutus ad idem beneficium Comes Kaspar Vigaranus Mutinen. unus de familiis à testatore contemplatis in urbe degens, cum conditione tamen, ut teneretur adimplere omnia in testamento contenta, retento interim penes haeredem proprietarium usufructu haereditatis. Cumque d. beneficium requirat actuale sacerdotium et onus celebrandi per seipsum atque inhabitandi in praedicta domo civitatis, hinc d. Gaspar supplicavit Sanctissimo precibus ad hanc S. C. remissis pro dispensatione suscipiendi sacerdotium infra annum necnon pro facultate celebrandi per alium ac ulterius dispensari petiit à supradicto onere inhabitandi ad hoc, ut possit perficere sua studia, quae ab anno citra cum dimidio in Urbe incepit. Confirmavit haec Episcopus Regien. informare requisitus retulitque administratores Montis animadvertisse praesentationem praedictam non fuisse factam ad normam testamenti, scilicet de persona requisitis a testatore praescriptis, antequam ad beneficium nominaretur, eosdemque hodie praetendere agere de nullitate praesentationis et institutionis, ad effectum tradendi usumfructum et nominandi sacerdotem, juxta dispositionem testatoris; censet nihilominus relator, quatenus placeat EE. VV. annuere precibus oratoris, eundem prius dispensandum a qualitate sacerdotali et ab onere habitandi domum testatoris per annum tantum, ut interim consequi possit usumfructum haereditatis et de novo praevia praesentatione de beneficio institui vel institutionem jam habitam revalidare, ac si post aditum usumfructum facta fuisset, injuncto eidem onere suscipiendi presbyteralem ordinem intra annum et ad civitatem et ad domum testatoris commigrandi, substituto interim capellano, qui missis et oneribus beneficii satisfaciat, uti latius ex ejus relatione in summar. exhibenda.

Itaque EE. VV. erit decernere:

An et quomodo oratoris precibus sit annuendum in casu etc.?

S. C. C. resp.:

Negative et servetur mens testatoris.

Die 24. Maji 1710.

Sabinen.

In testamento sub annum 1730 condito Marcus Antonius Cerbellias sex in collegiata ecclesia Collis Veteris jussit fundari capellanias reservatoque, deficientibus successoribus masculis sui haeredis, jure nominandi ad dictas capellanias favore capituli ejusdem collegiatae plura adjecit onera et conditiones, inter quas binae istae ad rem appositae leguntur, *altera scilicet:* »Che in caso di nominazione ed elezione delli capellani siano preferiti i parenti miei, ed i più prossimi tanto per la linea paterna, come materna,« — *altera vero:* »che tutti li medesimi capellani debbano celebrare per se stessi in detta capella, e tutte le feste di precetto insieme recitare il matutino, laudi e ore canoniche, vespero e compieta nell' ore debite.«

Delato jamdudum praedictae nominationis jure ad capitulum et secuta nuperrime vacatione unius ex enunciatis sex capellaniis ob liberam illius resignationem a sacerdote Antonio Cornachione peractam ejusdem capituli jussu affixa fuerunt edicta, quibus vacatio enunciatae capellaniae publice denunciaretur, cumque adspirantes ad eamdem capellaniam subinde comparuerint sacerdos Antonius Bucciottus et tres clerici, nimirum Sanctes Pierangeli ejusdem collegiatae sacrista, Josephus Marubus et Dominicus Cornacchioni, postremus iste obtinuit omnibus Canonicorum suffragiis in capellanum eligi. Ut autem ejusmodi electionis commodo frui queat, cum in vigesimo tantum aetatis anno constitutus reperiatur, agnoscens ex praemissa testatoris dispositione impositum capellano onus celebrandi missas per se ipsum supplicavit Sanctissimo Domino nostro pro derogatione huic oneri, donec ipse ad aetatem, qua possit ad presbyteratum promoveri, pervenerit. Verumtamen ejus precibus ad s. Congregationem remissis sese opponente memorato Antonio Bucciotto, qui contendit, sibi veluti actu presbytero debitam fuisse electionem in capellanum, oportet discutere dubium, quod infra describetur.

Super libello praedicti clerici Dominici Cornacchionis pro gratia enunciatae derogationis sive dispensationis porrecto rogatus eminentissimus Episcopus Sabinensis sacrum hunc consessum instructum reddere suamque aperire sententiam haec ad causae decisionem expendenda retulit; primum antedictis sex capellanis fuisse a testatore constitutam congruam dotem annuorum scutorum 40 pro unaquaque ex fructibus tot locorum montium percipiendam, successu autem temporis fructus dictorum locorum montium adeo decrevisse, ut hodie singuli capellani vix scuta viginti percipiant; et secundum, ob hanc causam diminutionis fructuum usque ad dictam tenuem summam, quae juxta morem dioecesis nequit esse titulus sufficiens pro sacris ordinibus suscipiendis, capitulum consuevisse clericos minores aetate, qui missarum oneribus per alios facerent satis, ad dictas capellanias nominare, sed ejusmodi consuetudinem statim ac ea sibi perspecta fuit improbasse. Quibus expositis votum suum in haec verba profert: »Ego perpendens libertatem capituli patroni nominandi quemcunque alium sacerdotem exterum, oratoris honestam et admodum civilem natalium conditionem, assiduam etiam ipsius assistentiam humanis literis et sacris ministeriis necnon frequentiam sacramentorum, prout a pluribus fide dignis audivi, petitam gratiam impertiri posse puto, dummodo orator, cum primum ad aetatem legitimam pervenerit, ad sacros ordines promoveatur et interim per alium missarum oneri satisfaciat.«

His itaque inspectis una cum iis, quae circa similes dispensationes tradidere *Corrad. in prax. dispensat. lib. 4 cap. 2* et *in prax. benef. lib. 4 cap. 6, Piton. discept. eccl. 13 n. 42* et *de contr. patron. alleg. 100 n. 338,* necnon resolutionibus s. Congreg. relatis per *Fargnam. de jurepatr. part. 2 can. 6 et can. 27 cas. 15 tom. 2 pag. 132 et 553 et seq.,* partes erunt EE. VV. rescribere:

An sit locus dispensationi per clericum Cornacchioni petitae in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 2. Mart. et 16. Maji 1739.

Senogallien.

In testamento, quod anno 1743 condidit Anna Felix Evangelisti, mandavit ut de bonis suis haereditariis nova erigeretur praebenda canonicalis in collegiata ecclesia s.

Medardi oppidi Rocchae Contrade ejus patriae, reservato jurepatronatus activo favore Lucae Angeli Bruni de Castro Palatu dioecesis Forosempronii ejusque filiorum et descendentium masculorum, iisque deficientibus patronatum deferri voluit ad foeminas ex familia Lucae Angeli descendentes. Utraque vero linea tum masculina tum foeminina extincta in jurepatronatus substituit capitulum dictae Collegiatae s. Medardi. Primus ad novum canonicatum ab ipsamet testatrice nominatus fuit sacerdos Blasius Bruni Lucae Angeli filius; in successivis vero vacationibus praescripsit: »che sia sempre preferito altro di detta famiglia, purchè vi sia capace di servire al coro.« Et quatenus nullus sacerdos aut clericus de dicta familia Bruni adesset, patronis injunxit »che siano tenuti nominare un figlio, o figlio de' figli, e discendenti in infinito della signora Elisabetta figlia di detto signor Luca Angelo, e Moglie respettivamente del Signor Medardo Angelelli di questa terra di Rocca Contrada ad esclusione di ogni altro. Patronis denique terminum sex mensium ad praesentandum assignavit; Canonico autem pro tempore, praeter chori servitium, onus imposuit celebrandi per se vel per alium tres missas qualibet hebdomada.

Vita functo Canonico Blasio Bruni die 15. Maji 1767 nominatus fuit die sequentis mensis Junii clericus Joseph Bruni in aetate annorum duodecim constitutus »riservato però sempre il beneplacito della santa sede apostolica sopra la dispensa dell età.« Pro hac dispensatione preces datae sunt SSmo D. N. ab eoque remissae ad sacram hanc Congregationem, quae Episcopi votum exquisivit.

Interim sacerdos Franciscus Angelelli per lineam foemininam a supradicto Luca Angelo descendens, nondum elapso termino sex mensium patronis ad praesentandum a testatrice concesso, supplicem obtulit libellum summo Pontifici, quo narravit, se juxta fundationem unice qualificatum reperiri, Josephum vero Bruni ob defectum aetatis inhabilem esse. Literas proinde apostolicas pro collatione canonicatus impetravit, cujus deinde possessionem adeptus est. Verum urgente Josepho a patronis praesentato, quamvis eminentissimus Pro-Datarius illius supplicationem pro parte canonicatus cum dispensatione aetatis semel atque iterum rejecerit, nihilominus partes postea remisit ad sacram Congregationem, coram qua jura sua experiri mandavit.

Hoc itaque est disputationis subjectum; et Josephus ait, se unicum esse nominatum, filium etiam unius patroni nunc extantis et praelativam quoad omnes habere ipsius testatricis vocationem. Aequum proinde esse, ut sibi dispensatio concedatur, *Vivian. de jurepatron. lib. 6. cap. 6 num. 9*, *Corrad. in prax. benefic. lib. 4 cap. 9 n. 10*, *Piton. de contr. patron. all. 100 n. 340.*

Nihil autem obesse defectum aetatis a Concilio Tridentino praescriptae. Sustinet enim Concilii dispositionem locum habere in beneficiis tantummodo ecclesiasticis Episcopi auctoritate institutis, *Corrad. loc. cit. cap. 2. n. 17*, *Rot. par. 1 divers. dec. 482 n. 5*, atque idcirco eidem dispositioni minime subesse praebendam canonicalem, de qua agitur, quae non Ordinarii auctoritate sed privata testatricis voluntate erecta fuit.

Ubi vero supradicta praebenda vere et proprie beneficium ecclesiasticum dici posset, putat adhuc, idoneitatem non fuisse a testatrice requisitam relative ad tempus vacationis, sed praesentationis a patronis infra sex menses perficiendae; atque idcirco satis esse, ut ea superveniat intra tempus patronis ad praesentandum assignatum, *Felin. in cap. 1 n. 32, Narbon. de aetat. ann. 14 quaest. 54 num. 8*, *Lother. de re benefic. lib. 2 quaest. 48 num. 92.* Nec ullum intercedere discrimen inter idoneum naturaliter et idoneum ex dispensatione, ut notant *Lother. lib. 1. quaest. 40. num. 167*, *Piton. cit. alleg. 100 num. 329*, *Rot. in Orisinagen. Canonicatus 10. Maji 1715. §: Non subsistente, coram Cerro.*

Eo vel magis quia praesentatio facta fuit sub expressa conditione reportandi dispensationem apostolicam, quae quidem conditio efficit, ut praesentatio suspensa remaneat usque ad tempus dispensationis et subsequens dispensatio ad tempus ipsum praesentationis retrotrahatur, *Vivian. loc. cit. n. 9*, *Corrad. loc. cit. n. 14*, *Piton. loc. pariter cit. n. 335.*

Asserit praeterea, ex defectu aetatis *nullum jus certum et actu quaesitum* alteri parti accessisse, sed jus tantum *eventuàle et in spe*, quando scilicet peaelative vocatus habilitatem intra certum tempus non assequatur. Ad impediendam vero dispensationis gratiam necessarium esse jus certum et actu quaesitum, *Card. de Luca de jure patron. disc. 70. numer. 17*, *Piton. disceptat. eccles. 13 numer. 39.* Praesertim quando ille, qui sub praetextu praejudicii contradicit, subsidiarie vocatus est, si nimirum deficiat habilitas illius, qui sub spe futurae dispensationis fuit praesentatus, *Piton. ibid. n. 12* et *de controv. patron. alleg. 100 n. 338 et seq.*

Contra vero sacerdos Angelelli opponit eminentissimum Pro-Datarium, qui ipsam Papae personam repraesentat in his, quae gratiosa concernunt, *Card. de Luc. de relat. roman. cur. disc. 4 et 13 numer. 1.*, non semel, sed bis, causa cognita, Josephi supplicationem pro dispensatione super defectu aetatis rejecisse. Ex hoc infert, non posse ulterius de dispensatione disceptari, maxime, quia res adhuc integra dici nequit, cum inde sacerdos jure suae qualificationis fuerit interim de canonicatu provisus ejusque possessionem adeptus fuerit; proindeque in praejudicium juris ex provisione et possessione sibi quaesiti non posse adversarium ad beneficium dispensationis admitti, *Piton. de controvers. patron. allegat. 85. n. 11 et 12*, *Rota in Asten. Beneficii 1. Febr 1737 §. 10 cor. Sanctissimo.*

Addit hujusmodi dispensationis beneficium haud ita facile concedi a Dataria, quando res est de dispensando praesentatos vel vocatos ad canonicatus Collegiatarum, praesertim insignium: Idque servari etiamsi iidem canonicatus sint de jurepatronatus laicorum, cum in personis ad illos praesentatis aptitudo quaedam et consilium requiratur, *Rot. dec. 1311. n. 27 tom. 2 coram Molines.* Has autem qualítates praesumi non posse in puero undecim circiter annorum.

Nihil prodesse dicit clausulam illam *Utatur jure suo* in secundo decreto eminentissimi Pro-Datarii appositam, tum quia haec clausula utpote generalis trahi non potest ad delegationem examinis super dispensatione, quae specialissima mentione indigeret et de qua expresse constare debuisset, ad *text. in L. unica cod. mandat.*, *cap. super eo de offic. deleg.*, tum etiam quia jus petendi dispensationem disertissimis verbis sublatum fuerat praecedentibus ejusdem decreti verbis, nimirum eminentissimus Pro-Datarius rejecit instantiam et amplius. Hinc conjicit, per alteram clausulam: *Utatur jure suo* praeservatum tantummodo fuisse jus futurum et aliud quodcumque, de quo coram eodem eminentissimo Pro-Datario singillatim actum non fuerit.

Multoque minus prodesse rescriptum sanctissimi D. N., quo preces a Josepho oblatae ad hanc s. Congregationem die 16. Junii fuerunt remissae; animadvertit enim post hujusmodi rescriptum habitum ab ipso Josepho fuisse recursum ad Datariam, ut ad beneficium dispensationis admitteretur; atque idcirco non amplius posse Principis liberalitate uti, qua fuerat abusus, *Fagnan. in cap: Olim num. 12 de verb. significat.*

Clariora haec fieri subdit, si ratio habeatur piae testatricis mentis et apertissimae legis fundationis. Testatricis mentem eam fuisse ut ad canonicatum ille nominaretur, qui *sia capace di poter servire al coro.* Distinctionem vero, quando idoneitas intervenire debeat tempore vacationis vel tempore praesentationis, locum dumtaxat habere, si habilitas praescripta sit *a lege vel a consuetudine*, non autem quando, prout in casu, *ab homine* praescripta est, *Piton. controv. patron. alleg. 85 num. 4*, *Rot. in Aretina Beneficii 24. Januarii 1735 §. 6 coram Peralta.* Praesertim quia testatrix usa est hac loquendi formula »*vi sia capace*,« cum verbum »sia« idoneitatem denotet tempore vacationis canonicatus, *Piton. alleg. 65. numer. 19*, *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 10 numer. 106*, *Lambertin. de jurepatronat. lib. 2 par. 2 quaest. 1 artic. 13*, *Rota in dicta Aretina §. 6.*

Idque magis constare ex ea lege fundationis, qua praecipitur, ut patroni intra terminum sex mensium »siano tenuti ed obligati, e debbano far la nomina in soggetto come sopra idoneo, e dentro il detto termine onninamente debba seguire la detta nomina.« Cum itaque idoneitas quoad Josephum non adfuerit tempore vacationis canonicatus nec verificari possit intra terminum sex mensium ad praesentandum assignatum, consequens est, ut ex lege fundationis ad beneficium dispensationis admitti nequeat.

Contendit denique sacerdos Angelelli, frustra sibi opponi defectum nominationis patronorum. Ait enim necessariam non fuisse sui nominationem, cum unicus esset qualificatus inter invitatos, *Rot. in Asten. Beneficii 1. Februarii 1737. coram Sanctissimo* et in *Monasterien. Canonicatuum 20. Junii 1752.*

§. *12. coram Viceecomite.* Maxime quia Josephus, qui tempore vacationis idoneus non erat, nec etiam poterat idoneus effici ad assequendum canonicatum intra terminum faciendae nominationis.

Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 6. de reformat.* confirmans, quae in jure constituta expresse sunt, *cap.: Indecorum de aetat. et qualit.*, ita edixit: »Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimumquartum annum beneficium possit obtinere.«

Sacra Congregatio aetatis veniam indulgere consuevit juxta verosimilem fundatorum mentem, ubi actum est de lineá praedilecta et primo loco in fundatione vocata. In *Barchinonen.*) Dispensationis 30. Januarii 1740.* illam concessit praesentato sub spe obtinendae dispensationis ad exclusionem sacerdotis posterius contemplati. In *Balneoregien. Dispensationis*, quamvis ageretur de puero decenni ad canonicatum ecclesiae cathedralis praesentato et capitulum sese opponeret, innixum testamentariis fundatoris tabulis, in quibus adjecta legebatur clausula »dum sit habilis«, nihilominus die *21. Junii 1760.* proposito dubio: *An sit relaxanda supplicatio?* rescriptum fuit: Affirmative. Fusius de hac aetatis dispensatione actum est in folio causae *Verulana Archidiaconatus 30. Januarii proxime elapsi*, quod EE. PP. rogantur relegere.

Episcopus de more auditus plura refert, quae dispensationi favent. Inter caetera vero haec habet: »Postremo unum de duobus, vel Canonicus Angelelli falsum summo Pontifici exposuit, asserendo, se descendentem ex linea foeminina fundatricis canonicatus, cum tamen certum sit, Annam Felicem absque filiis decessisse, vel in multis vera reticuit et illud signanter, quod testatrix in omnibus vacationibus requisierit oratorum nominationem et praesentationem, quam ipse reportare non curavit penitus, ac si a testatrice directe fuerit vocatus ad canonicatum, quod quidem falsum esse evincit dispositio eadem testamenti. His aliisque rationum momentis ab utraque parte deductis potior sane mihi videtur causa clerici implorantis gratiam dispensationis super defectu aetatis.«

Inquirendum tamen est in praesenti casu: an per duplex decretum eminentissimi Pro-Datarii, quorum utroque rejecta fuit supplicatio Josephi et praesertim per posterius, cui addita fuerit clausula *et amplius*, sublatum eisdem fuerit jus petendi in hoc s. Tribunali supplicationis relaxationem vel potius hoc jus praeservatum dici possit per aliam clausulam *Utatur jure suo.*

His itaque inspectis placeat EE. VV. sapienti, quo solent, oraculo definire:

An sit locus dispensationi aetatis in casu?

S. C. resp.: Negative et amplius.

Die 14. Maji 1768.

Nullius Lepriniani.

In testamento, quod anno 1696 condidit Joannes Angelus Cardari, haereditatis usumfructum reliquit Angelae uxori cum onere unius officii in die anniversaria sui obitus necnon celebrationis missae singulis diebus dominicis et festis in capella ab ipso testatore constructa in ecclesia confraternitatis sanctae Mariae Angelorum Lepriniani, ac tandem alterius missae cum cantu in die festo divi Josephi. Post obitum uxoris haereditatem deferri voluit ad dictam confraternitatis ecclesiam, cujus sodalibus nedum satisfactionem eorundem onerum injunxit, sed insuper mandavit, ut in adimplenda missarum celebratione praeferrent sacerdotes filios Augustini Cardari ac in istorum defectu alios sacerdotes eidem Augustino proximiores et a familia Cardari descendentes, praefinita pro his eleemosina in ratione obolorum 20 pro qualibet missa, eisque insuper hujusmodi missarum legatum pro titulo capellaniae pro sacris ordinibus deservire posse permisit. Hanc autem methodum spatio annorum centum post sui obitum servari jussit deindeque capellani electionem sodalium arbitrio reliquit.

Anno 1759 capellaniae nominationem a sodalibus assecutus fuit clericus Carolus Cardari. qui cum in Urbe studiorum causa moraretur facultatem obtinuit adimplendi per alium missarum oneribus cum eleemosina manuali sibique reliquos capellaniae redditus applicandi. Quamvis nominationis validitatem impugnavit Josephus Cardari nomine Dominici filii, nihilominus a lite postea recessit et clericus Carolus capellaniam ad annum usque 1770 pacifice possedit. Eo autem anno sodales in novum capellanum elegerunt Nicolaum alterum dicti Josephi filium, qui suae nominationis confirmationem a sacra

* Vd. *supra p. 239.*

Congregatione postulavit: restitit tamen clericus Carolus disputatoque dubio: *An et cui sit adjudicanda capellania in casu etc.?* die 14. Martii anni elapsi rescriptum fuit: *Capellaniam esse adjudicandam Carolo.*

Post sodales existimantes illam nonnisi a sacerdote posse retineri recursum denuo habuerunt ad sac. Congregationem, ut clericus Carolus adigeretur ad sacros ordines suscipiendos. Hic autem nullimode ad id teneri sustinet proindeque novae istius controversiae definitio ab EE. VV. exequitur.

Inquiunt itaque sodales, clericum Carolum capellaniae nominationem postulasse, ut sacris ordinibus initiari posset, eamque sub hac conditione fuisse eidem collatam, non igitur modo fas esse a nominationis lege recedere. Addunt, capellaniam, de qua agitur, qualitatem sacerdotalem in capellano requirere, cum testator non ex certis bonis illam instituerit aut capellano administrationem commiserit, sed ecclesiae s. Mariae Angelorum haeredi institutae onus injunxerit celebrationis missarum, tributa solum hac in re praelatione presbyteris de familia Cardari, quibus eleemosynam manuali majorem assignavit. In hisce ergo circumstantiis absurdum esse dicunt, ut a simplici clerico percipiatur eleemosyna, quae solis presbyteris de ea familia fuit constituta.

Obstare etiam sustinent testatoris voluntatem, qui jus eligendi capellanum sodalitio concessum eo tantum casu coercuit, quo extarent presbyteri ex familia Cardari descendentes. Hoc autem intelligendum esse tantummodo de praelatione tributa presbyteris illius familiae in celebratione missarum, quae quidem clericis nullimode convenire potest. Hinc inferunt, licitum non esse clerico Carolo eleemosynam praecipere obulorum 20 a testatore praefinitam pro presbyteris de familia Cardari et sacerdoti celebranti manualem eleemosynam rependere, cum id sapiat turpe lucrum pluries ab ecclesia damnatum in constitut.: *Nuper, Urbani VIII. 21. Junii 1635* §. *5* et in constitut.: *Quanta cura, Benedicti XIV. 30. Junii 1741.* Nec relevare gratiam jam alias obtentam, quia tunc Carolus in Urbe studiorum causa morabatur, ut ad suscipiendos sacros ordines idoneus fieret, nunc autem annum agit 36. et nonnisi injuria a data fide recedit.

Contra vero clericus Carolus duo potissimum requiri affirmat, ut ad suscipiendos sacros ordines adigi valeat, tum scilicet quod capellania sit ecclesiastica, tum etiam, quod ex testatoris dispositione capellanus per se ipsum missas celebrare teneatur. Neutrum in praesenti casu verificari contendit, cum capellania ipso imperante testatore independenter ob Ordinario erecta fuerit nec onus celebrationis per se ipsum unquam capellano injunctum extiterit.

Infert proinde, simplex missarum legatum fuisse demandatum, quod ad onerum dumtaxat implementum, non autem ad susceptionem sacrorum ordinum compellit, *Fargn. de jurepatr. par. 2. con. 2 cas. 8 n. 3, Piton. de controv. patron. alleg. 33 n. 2.*

Non obesse, quod testator descendentes presbyteros de familia Cardari praeferri voluerit, cum presbyteri nomen usurpaverit ad designandum munus, non autem ad distinguendam qualitatem; idque etiam ex eo deprehendi putat, quod iisdem descendentibus indulserit, ut capellania pro titulo patrimonii sacri deservire possit. Nihili vero habendam esse expressionem in quodam supplici libello adjectam, ubi capellania tamquam sacerdotalis fuit appellata, cum nec a patronis neque a proviso nec ab ipso Ordinario beneficii aut capellaniae qualitas extra actum erectionis valeat immutari, *Fagnan. in cap. Significatum de presbyt. n. 2 et seq.*

Prae oculis habenda est testatoris dispositio, ex qua praesentis causae definitio pendet. Joannes Angelus Cardari post obitum uxoris de bonis suis ita disposuit: *Nomino per mio erede universale la chiesa della Madonna Santissima degl' Angeli di Leprignano, con questo però, che la detta compagnia e chiesa come sopra sia obligata far celebrare nell' altare di s. Guiseppe in perpetuo durante il mondo una messa la settimana cioè tutte le domeniche dell' anno, ed anco una messa tutte le feste di precetto di tutto l'anno, ed una messa cantata il giorno di s. Giuseppe, et un esequio ogni anno il giorno della mia morte.* Patet ex his, testatorem nec capellaniae nec beneficii erectionem demandasse, sed solum ecclesiae s. Mariae Angelorum haeredi institutae missarum celebrationem injunxisse.

Deinde vero quoad descendentes de familia Cardari et Augustino proximiores testator subdidit: *Che essolvendi preti figli di Agostino Cardari, quello le debba celebrare,*

e per sua elemosina ordino, che lo debba soddisfare la detta chiesa della Madonna degl' Angeli con pagarli due giuli per messa, e questo gli debba servire anche per titulo di capellania. Quamvis in beneficialibus nomine presbyterorum comprehendantur etiam clerici, *Rot. in Imolen. Jurispatronatus super pertinentia 3. Martii 1738* §. *17 coram de Vais*, praesertim si onus celebrandi per se ipsum injunctum non fuerit, *Rot. cor. Falconer. de jurepatr. decis. 7 per tot.*, nihilominus ponderandum in praesenti casu, an praelatio tributa presbyteris de familia Cardari ad solam celebrationem referri debeat seu potius legati fruitionem comprehendat. Id autem adjudicabunt Emi PP., a quibus quaeritur:

An clericus Carolus Cardari teneatur suscipere sacros ordines in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 12. Junii 1773.

Continuatio.

Quamvis dictus clericus suum libellum dederit pro extensione folii, illum tamen EE. VV. exhibere praetermisit. Hinc ratus suorum jurium experimentum facere adversus captam resolutionem audiri postulavit et nova praesentis causae propositio consentientibus partibus hodierna die fuit praefinita. Cum autem collitigantium jura exposita fuerint in praecedenti folio, quod opportune resumi poterit, nec quidquam addendum videatur iis, quae jam perpensa sunt, idcirco rogantur Emi PP. definire:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 17. Julii et 7. Aug. 1773.

Firmana.

Congrua in stabilibus constituta dote capellaniam instituit anno 1695 Joannes Trevisani in propria b. Virginis suffragii ecclesia cum hebdomadali onere missarum septem ad altare majus. In primum nominavit capellanum Antonium Benedetti ejusque deinde familiae masculum ad annos septuaginta. Alterne primogenitis Albani et Hiernoymi ejus fratrum activum reservavit patronatum: passivum sacerdotibus vel clericis respectivae illorum lineae, in casu etiam, quod septuagenario decurrente termino idoneus in familia Benedetti non existeret clericus, declaravitque ut impuberes quoque de vocatorum genere capaces essent.

Primus ex praescripto fundatoris capellaniam obtinuit Antonius Benedetti. Ei ob defectum sacerdotis vel idonei ejus familiae clerici successit anno 1716 Laurentius iterumque anno 1721 Philippus Trevisani. Hoc defuncto (quo anno ignoratur) rediit capellania ad familiam Benedetti eaque unus post alium potiti sunt sacerdotes Joannes Baptista et Antonius junior ad annum 1788. In novissima tandem capellaniae vacatione ad eam Joseph Trevisani primogenitus lineae Albani proprium nominavit septennem filiolum, clericali initiatum tonsura, quia censuit, unum ex vocata familia Benedetti superextantem Joannem Mariam, utpote in statu conjugati constitutum, inhabilem esse. Moram tamen hic institutioni per supplicem interposuit libellum, quo capellaniam sub administratore ad complementum utilis septuagenariae a Sanctissimo postulavit.

Re ad sacram hanc Congregationem delegata exposita confirmat Firmanus Archiepiscopus ejusque sententia de claro patroni jure dubitari non potest, semel ac literalis adest testatoris voluntas. Haec vero addit: Quamvis, inquit, honoris gradibus in hac civitate reipsa (orator) non gaudeat, nihilominus inter nobiles familias civitatis Montis Alti est adscriptus et cum Patriciis familiis hujus civitatis consanguinitate est quoque conjunctus. Quo vero ad ejus statum non habet is alios redditus, quam in nummis aureis circiter biscentum; sed ob aes alienum, quo gravatur, generis nobilitati hujusmodi redditus apte respondere videntur. Haec ejus in re domestica non satis commoda conditio aequam quodammodo causam eidem praebet, ob quam eam exposcit gratiam, quae in reliquis a sanctissimo Principe pendet dumtaxat. Certe, si ejus votis annuatur, gratia ipsa ad paucissimos annos coërcebitur. Praefixo igitur termino tam Josepho Trevisani quam Joanni Mariae de Benedettis ad deducendum jura sua in s. Congregatione, infrascriptum modo in contumaciam secundi proponitur dubium.

Aequa videri posset oratoris instantia ex tenui ejus substantia et verisimili fundatoris

voluntate, quod frui reipsa deberet septuaginta annis capellania ab ejus familia. Utilem namque praeseferre videtur illius possessionem vocatio Antonii sen. Benedetti ac post eum di un figlio maschio della sua linea mascolina di casa Benedetti, e cosi di mano in mano perfino, che terminano li settant' anni. De praeciso non constat tempore, quo Antonius sen., Jo. Baptista et Antonius jun. de Benedictis capellaniam retinuerunt; ex informatione tamen Archiepiscopi colligitur, septuagenariam non attigisse. Posita autem vocatione et paupertate vocati ad tempus quandoque per EE. Vestras concessa fuit capellaniae administratio, ut in *Segovien. Capellaniae 17. Novembris 1731. ad III. dubium*, quandoque ex audientia Sanctissimi ad vitam ut in *Asten. 25. Junii 1788.*, quodque magis est, favore etiam clerici conjugati, qualis est orator, ut in *Auximana Capellaniae 15. Decembris 1787.*

Agitur contra de tollendo jure alteri quaesito. Puerulus enim Trevisani, qui passivam et ipse habet vocationem, jam ab ejus patre et patrono praesentatus est certumque jus ad capellaniam quaesivit, *Tamburin. de jur. Abbat. disp. 10. quaest. 4. num. 4. et 5. tom. 1., Rigant. ad regul. 18. cancell. num. 48**). Ponderandum ergo, num concedenda sit oratori administrationis gratia, quae jus illud laederet, contra dispositionem *text. in Leg. Rescripta 7. cod. de precib. Imperat.*, quem exornant *Amost. de caus. piis lib. 1. cap. 24. num. 8* et *Rot. cor. Molin. dec. 806. num. 35*, seu permitti potius debeat praesentato institutio, per *text. in cap.: Cum Bertoldus in fin. de sent. et rejudic.*, *Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 7. num. 2.*

Interdicta quidem est a sac. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reform.* beneficiorum collatio impuberi;**) sed aliter sentiendum ex lege fundationis, cui sacrosancta synodus non derogavit, *Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 32. num. 34.*, *Antonell. de tempor. legat. tit. de ann. cap. 8. num. 3*, *Ciarlin. controv. 53. num. 51* et sac. haec Congregatio in *Praenestina Fundationis beneficii 12. Martii 1746.* Servanda enim est fundatoris voluntas, licet dispositioni juris contraria, *Piton. de controv. patron. allegat. 80. num. 3.* Apertissime autem in nostro themate declaravit capellaniae institutor »che siano, e debbano riputarsi capaci ed idonei di questa capellania, o beneficio anche quei chierici, che non avessero l'eta' di quattordici anni, purche siano delli chiamati.«

Sua hinc eminentissimi Patres jurisprudentia de septuagenario decernant termino favore illorum de Benedictis praefinito, utilisne sit vel continuus. Verba sane illa: »di mano in mano per fino che terminano li settant' anni« continuam designare videntur annorum seriem, pro qua legitima etiam urget praesumptio, *Donell. de jur. civil. lib. 1. cap. 18. num. 3*, *Hilliger. ad eundem not. 1*, *Antonelli de temp. legat. lib. 1. num. 3 et 4.* Ceterum advertere dignentur, septuagenariam illam vocationem ab existentia pendere idonei clerici de Benedictis, qualis ad consequendum beneficium non est orator conjugatus, *text. in cap. 1. et 2. de cleric. conjug.*, scriptamque esse hujusmodi conditionem sub resolutiva, quod »nel caso, che dentro il d. spazio di tempo non fosse in d. linea sogetto abile e capace, vuole etc. che il jus di nominare e presentare il capellano spetti al primogenito della casa del qu. Albano Trevisani.« In his porro terminis quaerendum ex jure, utrum pacificata conditione legitimam Trevisanus expleverit nominationem, quae gratiam oratori impediat. Affirmant *Piton. de controv. patron. alleg. 68. num. 8*, *Hontalb. de jur. superven. in addit. ad quaest. 22.* §. *12. num. 81*, eorumque sententiam confirmat observantia; nam toties capellanum nominarunt Trevisani, quoties idoneus in familia de Benedictis non fuit, qui capellaniam obtineret.

Dubium est:

An sit exequenda nominatio seu potius sit locus dispensationi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 25. Apr. 1789.

Firmana

Extat in ecclesia sita extra muros Montisflorum Firmanae archidioecesis simplex beneficium sub invocatione sanctissimi Crucifixi erectum pia donatione Hieronymae Pacetti, quae eligit primum rectorem ejusdem beneficii Hilarium Antonium Egidi suum consobrinum et post ipsius mortem statuit *»che la facoltà di nominare i rettori successivamente in perpetuo appartenga per una*

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SSmo Pontifici juxta regul. cancellar.)

**) Vd. *Beneficium* (collatio.)

voce alla detta signora Antonia relitta del quondam Giacomo Antonio Mozzoni sua nipote, e suoi eredi in infinitum, per un altra voce debba appartenere al signor Cristoforo, e signor Domenico Nicola Pacetti suoi parenti e loro eredi in infinitum, ordinando ancora s' intendino preferiti sempre alla detta nominadi juspatronato Remigio figlio del detto signor Cristoforo, e li figli del detto signor Domenico Nicola Pacetti, essendo abili, possino li detti compatroni nominare, e presentare chi più a loro parerà.«

Res pacifice processit ad mortem usque ultimi rectoris Aloysii Pacifici Pacetti, quae evenit die 17. Decembris anni 1819. Tunc enim quoad passivam vocationem controversiae excitatae sunt inter familias Pacetti et Anibaldi. Hic notandum, Antoniam improlem decessisse, cui proinde successerunt fratris filii ex familia Anibaldi.

Defuncto rectore a familia Pacetti statim appositum fuit: *Nihil transeat*, tam in curia archiepiscopali Firmi quam apud Datariam apostolicam factaque fuit nominatio ac praesentatio favore Salvatoris Pacetti licet nondum clerici coram Ordinario intra legitimum terminum, necnon penes Datariam. Insuper nominatus Pacetti supplicavit pro derogatione medietatis vocum necessaria ad dictum consequendum beneficium et pro dispensatione aetatis. Exhibita ex altera parte fuit supplicatio clerici Raymundi Anibaldi una cum nominatione compatronorum Anibaldi et testimonio curiae archiepiscopalis Firmi similiter pro derogatione medietatis vocum necnon pro dispensatione aetatis.

Eminentissimus Pro-Datarius utramque supplicationem Pacetti et clerici Anibaldi remisit eminentissimo Archiepiscopo Firmano pro informatione et voto, ut nempe referret de idoneitate utriusque nominati. Interea etiam a familia Anibaldi appositum fuit: *Nihil transeat* et Salvator Pacetti clericorum albo adscriptus fuit.

Eminentissimus Archiepiscopus fuit in voto, inspectis testamentariis tabulis testatricem passivum jus lineae potius agnatitiae Pacetti quam cognatitiae Anibaldi tribuere voluisse. Unum vero et alterum clericum bonis moribus imbutos ad assequendum beneficium, si necessariam consequerentur super aetatis defectu dispensationem, idoneos renunciavit.

Tunc Emus Pro-Datarius, olim emeritissimus s. hujus Congregationis Praefectus, causam pro voto remisit Vestro amplissimo Senatui, ut dijudicetur, cui nominatorum clericorum concedi debeat dispensatio et beneficii collatio. Iterum rogandum censui Emum Archiepiscopum, ut *transmissa fundatione, auditis praesertim clericis Raymundo Anibaldi et Salvatore Pacetti eisdemque praefixo termino unius mensis ad deducendum jura sua in hac Congregatione referret, an sint passive vocati idonei, quibus praejudicium inferretur*. Omnes interesse habentes fuerunt interpellati, sed duo tantum clerici Anibaldi et Pacetti in scriptis exhibuerunt rationum momenta, quae sibi facere autumant. Quaeritur itaque in hac controversia, cui sit concedenda dispensatio et danda institutio.

Statutum in jure canonico est ad beneficium praesentari neminem posse, nisi tempore praesentationis sit dignus et habilis, idest habeat omnes debitas qualitates et careat omni impedimento inhabilem reddente aut indignum, sive ex canonicis sanctionibus sive ex fundatorum dispositionibus impedimentum oriatur. Ita ex communi doctorum sententia, ut videre est apud *Reiff. in jus. can. lib. 1. tit. 6. de elect. tit. 14 de aetat. qualit. ordin. praef. et lib. 3. tit. 5. de praeb. num. 131.* et paucis demonstrat *Barbos. de off. et pot. Epis. num. 72. et seq.* Tenent praeterea doctores illum, qui primus Datariam adit et obtinet signari supplicationem, jus quaesitum ad beneficium habere, cui posterior supplicatio praejudicium affere non potest. *Card. de Luc. de benef. disc. 70. num. 13, Rota in Zamoren. seu Salamantina Capellaniae 28. Jan. 1754. num. 15. cor. Caprara.*

Jam vero in praesenti casu tempore praesentationis tum Pacetti, qui prior in Dataria comparuit, tum Anibaldi, qui posterior, inhabiles erant ad beneficium assequendum ac uterque indigebant dispensatione. Videndum igitur in quo majores qualitates concurrant sive ex juris dispositione sive ex Hieronymae fundatricis voluntate.

Ut Raymundus Anibaldi excludat Salvatorem Pacetti ab assecutione beneficii, probat se unico aetatis impedimento affectum fuisse, cum in lucem editus fuerit die 10. Novembris 1807., quo aetatis defectu laborabat etiam Salvator Pacetti utpote natus die 14. Martii 1807. Sed ipse erat jam a mense Martii 1818 ecclesiae albo adscriptus per primam tonsuram.

E contrario Pacetti tempore praesentationis adhuc inter laicos numerabatur. Hinc ait ex jure non sufficere, ut brevi post praesentationem et quidem ante institutionem quis habilitetur et clericus fiat, *Barb. loc. cit. num. 77. et 78, Castr. Palao p. 1. tract. 13. disp. 2. punct. 7. num. 1, Gonzalez. ad reg. 8. cancell. gloss. 2. num. 66.*, ita alii, quia in beneficiis attenditur capacitas *tempore praesentationis*, cum per eam statim acquiratur *jus ad rem*; conqueritur proinde in supplicatione favore Pacetti signanda falso expressa fuisse haec verba pro *clerico seu scholari*, cum ab initio qualitas clericalis deficeret; ex quibus concludit, juris dispositione inspecta relaxandam esse propriam supplicationem super dispensatione aetatis et medietatis vocum patronorum.

Quoad qualitates a testatrice praescriptas aeque in utroque concurrere autumat, quin quidquam praesidii sibi mutuari possit Salvator ex Hieronymae verbis *ordinando ancora, che s' intendano preferiti sempre alla detta nomina di juspatronatu Remigio figlio del sig. Christoforo, e li figli del sig. Domenico Nicola Pacetti essendo abili etc.* Vocatio enim isthaec est mere *taxativa* ad Remigium et filios Dominici Nicolai Pacetti, non vero *progressiva* ad filios et descendentes in *infinitum*. Etenim fundatricis neptis Antonia Anibaldi tunc erat vidua Jacobi Antonii Mozzoni et quidem improles: merito hinc fundatrix praelationem pro ea vice concessit tum Remigio tum filiis Dominici Nicolai Pacetti et quamvis hi communem stipitem cum fundatrice haberent ac proinde agnati essent, attamen remotiori sanguinis vinculo cum ea jungebantur quam Antonia licet cognata; unde ad nominatos tantum a testatrice cohibendaest praelatio, non ad nepotes in infinitum extendenda, s. Rota *Rec. decis. par. 18. dec. 297. per totum*, ubi respondit pro exclusione nepotum, qui non veniunt sub nomine filiorum, neque ex proprietate verborum, neque ex communi usu loquendi, nisi ex conjecturis aliter constet de mente testatoris.

E contra Salvator Paçetti contendit majores qualitates in se quam in Anibaldi reperiri. Licet enim ipse petierit una cum derogatione medietati vocum dispensationem super defectu aetatis, attamen id evenit, quia duobus primis mensibus quatrimestris ad praesentandum concessi, nondum pervenerat ad canonicam aetatem, sed vix illuxit dies 14. Martii elapsi anni, ipse decimum tertium evasit aetatis annum et decimum quartum attigit, ac proinde utili tempore nondum elapsi quadrimestris. Anibaldi vero nonnisi die 10. Novembris proxime praeteriti decimi quarti a nativitate anni numerationem exordiri potuit, ac proinde expleto jam quadrimestri, ex quibus concludit aetatem institutioni ad beneficium impedimento non esse.

Sed neque obstare sibi dicit statum laicalem, dum vacavit beneficium die 17. Decembris 1819. Ipse enim intra viginti dies post vacationem clericali militiae adscriptus fuit per primam tonsuram nimirum die 20. Januarii 1820 ac proinde longe prius quam expiraret quadrimestre, ex quo alterum impedimentum removeri putat juxta canonistarum et tribunalium sententiam. Pluribus namque auctoritatibus docet *Piton. de contr. patron. tom. 2. alleg. 100. num. 435 et seq.* patronos nominare posse laicum, modo fiat clericus, antequam labatur tempus praefinitum ad praesentandum, *Paris de resign. lib. 4. quaest. 2. numer. 5. et 6, Ricc. resolut. 161. per tot., Garz. de benef. p. 7. cap. 1. num. 28. 29. 32. et seq., Vivian. de jurepatron. lib. 6. cap. 7. num. 50. part. 2, Rot.* pluribus aliis omissis in *Recent. decis. par. 19. dec. 621. num. 22* et in *Farfen. Canonicatus 8. Jan. 1711. §: Postremo, cor. Molines.* Haec exceptio locum tantum sibi vindicaret, si ipse primam tonsuram accepisset post expletum quadrimestre pendente scilicet lite vel informatione Ordinarii pro dispensatione, quia clericatus debet supervenire tempore habili. *Piton. loc. cit. num. 336.* Non igitur falso in supplicatione in forma signandi appositum fuit *pro clerico sive scholari.*

Inter cetera vero sua requisita ad obtinendum beneficium enumerat Salvator Pacetti ipsum nominatum ac praesentatum fuisse ac supplicationem SSmo porrexisse ante Anibaldi, unde ipse praeferri debeat juxta regulam 17. cancellariae.

Postremo tandem tuetur praelationem a testatrice concessam Remigio et filiis Dominici Nicolai non fuisse taxativam, sed progressivam in infinitum. Tritissima enim juris regula est praesumptionem passivae vocationis semper stare pro sanguine praedilecto agnationis, quo deficiente vocati censentur cognati, postremo extranei ut fuse explicat

Piton. loc. cit. alleg. 17. num. 6 ac docent s. Rotae decisiones. Ita *in Interamnen. Jurispatronatus 22. Martii 1706.* §. *Quod enim, et 10. Decembris ejusdem anni* §: *Iterum et* §: *Hanc, coram Scotto, dec. 12. cor. Rezzonico tom. 1. num. 8.*, in *Verulana Capellaniae 3. Julii 1786.* §: *Quas quidem, cor. Rovarella* et in *Hidruntina Beneficii 25. Junii 1756. cor. Olivatio inter impress. decis. 6. num 5.* Animadvertendum insuper proponit, quod testatrix usa est verbo: *semper ordinando ancora, che s' intendano preferiti semper alla detta nomina di jus patronato il signor Remigio . . . figli del detto signor Domenico Nicola Pacetti* »quod verbum *semper* demonstrative stare dicitur ad sanguinem praedilectum agnatorum, non vero taxative ad hoc, ut spreta sanguinis continuatione admittantur extranei juxta s. *Rotae decis. 112 cor. Rezzon. num. 8. to. 1*; addit demum clericum Anibaldi inter extraneos reperiri, non vero inter cognatos. Cum enim Antonia nupserit nepoti Hieronymae fundatricis ac ipsa tantum affinitatem contraxerit, quia tamen sine filiis decessit Antoniae frater ejusque filii, qui in ejusdem jura successerunt, extranei erant a Hieronyma; affinitas enim ab Antonia contracta non parit affinitatem multoque minus cognationem. Atque hac de causa factum asserit (licet documentis non probetur) in prioribus nominationibus ab una familia Pacetti peractis numquam in scaenam prodiisse gentem Anibaldi. Hisce omnibus positis, cum ipse tempore habili ecclesiae militiae adscriptus fuerit, canonicam aetatem attigerit ac praeterea sit de sanguine praedilecto a fundatrice, sibi deberi institutionem concludit.

Haec sunt, quae ab utraque parte afferuntur. Modo autem EE. PP. Vestrae sapientiae ac juris prudentiae erit praesentem controversiam dirimere responsione ad dubium, quod proponitur:

An sit danda institutio clerico Salvatori Pacetti seu potius sit concedenda dispensatio et institutio favore clerici Raymundi Anibaldi in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 17. Febr. 1821.

Urbevetana.

Nobilis familia Saracinelli gaudet jurepatronatus simplicis beneficii in ecclesia s. Laurentii Dillae Canalis a Bernardino Saracinelli anno 1590 fundati, cujus redditus vim scutatorum septem quotannis non excedere perhibetur. Ad hujusmodi beneficium ex fundatoris lege nominandus est *sacerdos, qui obligatus sit celebrare unam missam quolibet mense in dicta ecclesia.* Cumque beneficii ejusmodi nuper obtigerit vacatio, Comes Vincentius Saracinelli nominationem contulit in filium suum Hieronymum annos decem jam natum et clericali militiae mancipatum, qui ex apostolicae Sedis dispensatione praeter canonicalem praebendam in ecclesia collegiata oppidi Cryptarum Castrensium erectam simplex possidet beneficium sub invocatione s. Bonaventurae. At quoniam gens Saracinelli gravi premitur rei familiaris angustia, redditus autem tum canonicatus tum beneficii, subductis oneribus, vix scutata septuaginta quolibet anno attingunt, ideo praefatus Comes dispensationem aetatis pro filio suo enixis precibus efflagitat, ut hic beneficium quoque s. Laurentii assequi ac facilius studiis operam dare valeat.

Hinc rogandum censui Emum Urbevetanum Episcopum ut, auditis iis quorum interest, sacram Congregationem instructam reddere votumque suum aperire dignaretur. Mandatis morem gerens Emus Episcopus retulit, ad familiam Saracinelli beneficii patronatum procul dubio spectare. Fretus hoc jure Comes Vincentius nominavit filium suum Hieronymum. At cum pari jure gaudeant Comes Carolus frater Vincentii, designavit sacerdotem sibi benevisum Laurentium Armoni. Discrepant igitur patronorum voces; at si perpendatur, clericum Hieronymum a Comite Vincentio patre suo nominatum esse de patronorum sanguine, licet testatoris verba nullam de jure passivo favore suorum mentionem faciant, censerem juri et aequitati consonum praeponere sacerdoti extraneo clericum de testatoris familia, quae in summis versatur angustiis. Cumque alius non adsit idoneus passive vocatus nec cui praejudicium inferatur, existimarem concedi posse eidem clerico dispensationem super defectu aetatis.

Et sane huic sacro Ordini nil antiquius quam patronis eorumque filiis inopia sive absoluta sive respectiva laborantibus opem

ferre modo suspensione nominationis*) modo dispensatione aetatis ad assequenda beneficia, modo etiam onerum reductione. Prostant exempla in *Asculana Dispensationis 23. Maji 1786*, in *Sabinen. Suspensionis nominationis 25. Junii 1803* et in *Hortana Canonicatus 20. Martii hujus anni.* Oratoris familiam nedum respectiva et gravi premi paupertate sed summis versari in angustiis testatur Emus Episcopus. Quocirca aetatis dispensatio haud videtur deneganda pauperi clerico, qui cum fundatore sanguine jungitur et ab altero ex patronis nominationem retulit, praesertim quia de simplici hic agitur beneficio, cujus onera per alium impleri commode possunt, quin ullum divinus cultus aut fundatoris anima detrimentum patiatur.

Verum animadvertere juvat, clericum Hieronymum, licet ex fundatorum genere descendentem, haud passivo gaudere patronatu et media tantum patronalium vocum parte aeque ac sacerdotem Laurentium Armoni esse praeditum. Jam vero inter eos, qui aequo censentur jure, is praeferendus est, qui magis dignus perspicitur et praerogativa a fundatore praestituta donatur, *Piton. de controv. patron. alleg. 85. n. 15*, *Rot. cor. Ansaldo in Volaterana Beneficii 7. Julii 1709.* §: *Ast.* Laurentius autem Armoni utpote sacerdos dignior est clerico decenni ac eo fulget ordine quem in nominando ad beneficium voluit fundator. Ne itaque dignior et aequo pollens jure posthabeatur, deneganda foret clerico Hieronymo aetatis dispensatio.

At si Emi Patres inopi clerico opitulandum censuerint, eidem dispensationem quoque super pluralitate beneficiorum concedant oportet. Etsi enim Tridentini Patres *sess. 24. cap. 17. de reform.* quemquam plura beneficia obtinere prohibuerunt, nihilominus apostolica Sedes, si unum et alterum beneficium ad vitae sustentationem non sufficiat, indultum solet impertire tertiam assequendi praebendam, *Fagnan. in cap: Jam dudum de praeben.*, *Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 5. n. 267 et seq.* Duo, quae ab Hieronymo possidentur, beneficia haud sufficere ad decentem vitae tuitionem facile intelligitur, sive oratoris generis nobilitas sive annui eorundem beneficiorum fructus spectentur. Erit vero sapientiae Emorum Patrum decernere:

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super defectu ac super pluralitate beneficiorum favore clerici Hieronymi in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 24. Apr. et 22 Maji 1830.

Firmana.

Anno 1675 publicis editis tabulis Leopardus Montanius Eques Hierosolymarius in avito sacello s. Augustini Firmi capellaniam constituit, quam titulo abbatiae donatam ditavit annuis redditibus, fructibus et proventibus bonorum stabilium . . . extantium in territorio Castri Forchiani Firmanae dioecesis ac intus dictum Castrum. Jus autem nominandi et praesentandi (ita in fundationis actu cautum legitur) capellanum pro tempore in ordine sacerdotali ad nutum amovibilem, cum onere celebrandi seu celebrari faciendi in casu infirmitatis sive alterius cujusvis legitimi impedimenti tot missas pro intranti rota fructuum et redituum bonorum stabilium assignatorum . . . semper in eodem sacello et non alias, sibi quidem primum reservavit fundator ac deinceps post sui obitum suis haeredibus, successoribus et descendentibus masculis in infinitum durante linea masculina et hac deficiente ad foemininam graduatim et in ordine sucessivo, ita ut electio, nominatio et praesentatio praedicta fieri debeat, quando adsunt plures aequales haeredes et successores, primario per primo natum ex eis et deinde per secundo natum et suos haeredes et sic consumando durante eorum linea graduatim et in ordine successivo ut supra. Mandavit praeterea, ut capellani seu abbatis praesentatio fieret »intra decem dies a die obitus capellani seu abbatis antea defuncti seu alias quomodolibet amoti seu remoti, secus ipso jure et ipso facto devolveretur ad illum qui eam facere deberet post obitum non eligentis . . . Quatenus autem adesset aliquis ex ejus familia et descendentia, qui vellet obtinere dictam abbatiam seu capellaniam, edixit Leopardus, ut dictus talis de familia et descendentia ut supra praeferatur et praeferri debeat omnibus aliis et ad capellaniam et abbatiam nominatus et praesentatus censeatur, intelligatur et sit, quotiescumque ad sacerdotium promoveatur et non antea, nec alias, nec alter etc., facta tamen per ipsum declaratione, se velle esse abbatem et capellanum dictae capellaniae, qui a nemine removeri possit, dummodo per se vel per alium

*) Vd. *Beneficium* (nominationis suspensio.)

celebrentur missae pro intranti rata ut supra in dicta capellania singulis annis.«

Tandem facultatem et auctoritatem expresse sibi voluit Leopardus reservatam et attributam immutandi, auferendi et stabiliendi quidquid deinceps sibi consultius de jure hoc patronatus visum fuerit. Hinc idem ipse de aliis scriptis tabulis suam capellania sub titulo abbatiali constituenda voluntatem »cum onere missarum septem qualibet hebdomada celebrandarum a sacerdotibus ab ipso et a suis in perpetuum nominandis ad simplex nutum,« ratam habuit assignavitque sacerdoti anno quolibet scuta triginta novem monetae solvenda aut in pecuniis aut in frumento juxta pretium quolibet anno valiturum et pro securitate dictae solutionis et satisfactionis dictarum missarum subposuit fructus annuales recolligendos ex bonis omnibus tam intus Castrum Forchiani quam in territorio ejusdem, quorum judicium superiori instrumento describendum curaverat, cumque id oneris fratribus Augustinensibus propoesuit, unanimiter ipsi illud acceptarunt, spondente iisdem tabulis Leopardo memoratam scutatorum triginta novem solutionem.

Vixit adhuc quatuor annos fundator, quin apostolicae de constituta capellania literae, prout editis in tabulis denunciatum fuerat, datae essent et capellanus seu abbas ad praestitutam normam esset praesentatus. Quinimo scripto deinceps ad annum 1679 testamento jura in suam substantiam illis, qui primi in familia nascerentur, attribuit aliudque Sacrorum in cathedrali aede agendorum legatum adjecit; quo factum est, ut bona abbatiae adsignata una cum aliis commixta primogenis accreverint, donec anno 1794 forensi actione inter Montarios fratres Prosperum et Philippum Canonicum subdiaconum apud rotale auditorium instituta disputatum fuit: *An esset locus erectioni capellaniae in casu etc.?* prodiitque responsum affirmativum.

Cum vero disceptatum subinde fuerit de institutione Canonico Philippo decernenda, illam denegavit Rota »eo quod (scribit Emus Archiepiscopus) idem Canonicus non esset sacerdotali praerogativa insignitus.

Eques enim Leopardus in praelaudato instrumento erectionis anni 1675 presbyteralem in capellano qualitatem desideravit. Inter haec rerum adjuncta in arenam descendit sacerdos Joseph Paccaroni ex matre de gente Montania progenitus et facto experimento apud eumdem Ordinem, in quo repositum fuit: »*An sacerdoti Josepho Paccaroni danda sit institutio in casu?* rescriptumest 27. Junii 1803: Pro informatione: ac tandem res omnis absoluta fuit die 6. Maji 1806, qua nempe expeditum fuit mandatum de immittendo, super quibus omnibus erectionis et immissionis confectum fuit instrumentum ad tramites institutionis a praedicto Equite Leopardo die 13. Augusti 1675 peractae. Cessantibus interim agnatis omnibus fundatoris Prosper Montanorum postremus (pergit idem Emus Archiepiscopus) »irrevocabili donatione omnia bona sua, jura et actiones in nepotem, quem carissimum habebat, virum Patricium commendatorem Comitem Aloysium Sempronium, qui in praesens rebus urbis Firmanae gerendis et administrandis praeest, transtulit, inter quae jura primogeniturae aliquot emolumenta comprehendentur, quemadmodum patet ex Rotae decisione diei 6. Martii 1832. Accedit autem eumdem Comitem Aloysium primum inveniri genitum ex Maria Clorinda Montani, quae etiam genita prima fuit ex Nicolao postremo ex eadem familia, ideoque in ea esse extra omnem dubitationem sedem, ad quam pertinere videtur electio, praesentatio et nominatio capellani ex dispositione superius laudata anni 1675 per Equitem Leopardum peracta. Hic ita animadvertens »in se stesso riunito il giuspadronato di nominare tanto per essere figlio di Clorinda Montani, quanto per essere donatario del suo Zio Conte Montani chiamento per la sua qualità primogeniale alla successione de' diritti, titoli, e nomina allo stesso fondatore Leonardo appartenente,« degente adhuc in vivis Josepho Paccaronio capellano supplex adiit Pontificem, ut all' occassione della vacanza potesse egli nominare il suo unico figlio Stanislao, il quale potesse ritenerla in amministratione anche secolare, e goderla in qualunque stato, facendo scrupolosamente sodisfare l' obligo delle messe prescritte. At per eminentissimum Cardinalem Secretarium brevium die 11. Decembris 1829 rescriptum fuit, rationem precibus habitum iri suis loco et tempore. Mortuo interim die 24. Julii 1833 capellano Sempronius praesentato ad capellaniam Stanislao filio annos sexdecim nato iterum postulavit, che il nominato possa ritenerla in amministrazione adempiendo gli ingiunti oblighi. Monuit deinceps die 2. proximi Augusti curiam Firmanam, ne ex lege a testatore sancita nominandi capellani intra decem dies potesse devenire alla nomina in pendenza delle accennate suppliche, de quibus jam Emus Archiepiscopus pro singulari sua sapientia retulerat denunciavitque, nolle se pregiudicarsi in alcun modo nell' exercizio della nomina, che voleva espressamente a se riservata, quante le volte il S. Padre non credesse di annuire alle sue dimande.

Ast Cajetanus Paccaronius clericus ex Lavinia Nicolai Montani filia tertio genita prognatus ob lineae agnatitiae cessationem arbitratus transfuso il diritto di nomina attivo e passivo dei figli provenienti dalle femine Montani attinenti al testatore, cioè nelle famiglie Patrizie Paccaroni e Sempronio; suamque ac misserimae matris egestatem causatus die 9. Augusti petiit ab hoc sacro Ordine, ut dilata nominatione redditus sibi addicerentur, quibus necessaria sibi et parenti suppeditaret. Sed immutata deinceps sententia die 24. ejusdem mensis capellanum adscivit Ascentium Angeledei parochum s. Elpidii, qui tamen ab archiepiscopali curia institutionem assequutus non est; quinimmo Emus Archiepiscopus referens de utriusque precibus, nedum, quae adhuc adnotata sunt, vera esse testatur, sed activum patronatum unice in Sempronio agnoscit; fatetur tamen jus vocationis passivum adjectum fuisse presbyterali praerogativae, qua agnati fuerint insigniti. Jam vero cum nemo in pluries laudata Montania agnatione in praesens extet, qui sacerdotali fulgeat dignitate, consequitur neminem pariter existere, cui detrimentum aliquod inferatur.

Quoad preces vero Cajetani Paccaroni, ipsum quidem animadvertit Emus Archiepiscopus in passiva jurispatronatus vocatione contineri, eo quod agnoscatur a Lavinia tertio loco genita a quodam Nicolao Montani, fortunae insuper bonis esse destitutum eique onus senescentis alendae parentis incumbere, sed cum nec sit sacerdos nec spem praeseferat, ut valeat aliquando promoveri, eo quod clericali militiae vale dixerit habituque incedat seculari, ideo nullo pollere in praesens jure videtur. Cum itaque agatur de capellania jurispatronatus, cum nemini praejudicium inferri saltem in hac vocationis sede videatur, (concludit Archiepiscopus) crederem facultatem concedi posse Stanislao filio Comitis Sempronі administrandi capellaniam, donec in statu caelibi permanserit, cum onere tamen adimplendi Sacra a piissimo auctore adjecta et reservata pensione scutatorum 30 quotannis persolvenda favore Cajetani Paccaroni.

Haec de allatis precibus Archiepiscopus. Jus quidem nominandi sibi vindicare nititur Cajetanus Paccaronius, utpote matrem habens foeminam de Montaniorum gente: maximam porro, in qua versatur, familiaris rei angustiam testimonio curiae archiepiscopalis probat, quo evincitur, nihil aliud ipsum possidere quam parvam domum aere alieno ita obrutam, ut ejus valor quasi ex toto ab illo absorbeatur propriamque vitam dietim suis laboribus substentare cogatur. Innumera vero memorat exempla de tributa in egentium patronorum subsidium beneficiorum procuratione dilata interim in opportunum tempus praesentatione, ut inde expletis oneribus redditus reliqui iisdem suppeditarentur. S. C. C. *Vercellen. 19. Julii 1766*, *Asculana 20. Maji 1786*, *Sutrina 20. Junii 1829*. Quare eminentissimos Patres rogat fidenter, di sospendere la nomina del capellano, e di attribuirne le rendite al supplicante e sua Madre, finchè durerà il loro conosciuto stato d' indigenza. Quod quidem sibi potiori quadam ex causa prae Sempronio dandum existimat, quod clericali praestet tonsura, ideoque inter eos etiam, qui aequo polleant jure, dignior et ob inopiam illo aequitatis favore commendatus, quo et in patroni pauperis alimenta redditus beneficii solent impertiri, quem praecipuum patronatus fructum nuncupat *Pitonius de controv. patron. alleg. 43. n. 23* et ipsemet fundator opem eidem laturus fuisse censetur, si de misera ipsius conditione praecogitasset. (S. C. C. *Ripana 27. Julii 1822.*) Rem tamen aliter definiendam contendit Sempronius, qui sibi uni jus nominandi nunc esse luculenter tuetur. Licet enim Paccaronius quoque inter Leopardi fundatoris cognatos accenseatur, non tamen ex primigena ortum duxit, cui delatum est ex fundatoris voluntate jus nominandi, ut nimirum, quando adsunt plures aequales heredes et successores, eligatur capellanus primario per primonatum ex iis et deinde per secundonatum et suos haeredes. Frustra proinde ex canonum aequitate Paccaronium sibi auxilium emendicare conatur, cum et activo et passivo patronatu in praesens careat, pro quo nominatim primigenos praelatos conspeximus illis, qui secundo

nati sunt, prout de Paccaronio liquet qui ex foemina tertio genita Montania prognatus est. Caeterum omni plane se praesidio exisse Paccaronium, inclamat, post editam parochi Angeledei nominationem: quamvis enim ob elapsum tempus a testatore designatum irrita nulloque jure suffulta praesentatio illa fuerit, hac tamen vice, quoad suum erat, cessit Paccaronius juri, quo se potiri autumabat, nec displicere salubriter potest, quod semel placuit. *(Reg. jur. 21 in 6.)*

Verum si de jure praesentandi facile decerni potest, dubitationis profecto habent plurimum, quae de beneficii qualitate expendenda occurrunt, ut de Sempronii precibus decernatur. Constat quippe, uti animadvertit Rota, quando de hac ipsa capellania, quam subdiaconus Paccaronius sibi conferendam asserebat, disputatum fuit coram Strasoldo *Firmana Capellaniae 27. Aprilis 1795.*

Leopardum fundatorem expresse mandasse, ut ad illam is nominaretur, qui sacerdotali charactere praestaret: sacerdotalem illam proinde habendam censuit Rota, quae id insuper monuit frustra obtendi sacerdotis aut presbyteri nuncupationem, quae saepe aptatur etiam simplicibus clericis. Quamvis enim (placet rei universae rationes ex ipsius Rotae verbis proponere) quandoque simplex sacerdotis nuncupatio ad eos amplietur, qui habitu sacerdotes esse possunt, neque ita stricte accipiatur, ut ad eos tantum, qui actu sunt sācerdotes, coerceatur: hujusmodi tamen ampliatio non admittitur, ubi ex voluntate fundatoris emergit, de iis dispositum fuisse, qui actu sint sacerdotes et ad celebrandum idonei, uti monet *Rota cor. Birchio dec. 13. n. 16 cor. Ruta; dec. 150 n. 12 et seq.* Inspecta autem fundatoris voluntate compertum fiebat, eum, ubi de sacerdote meminit, ad eum respexisse, qui actu sacerdos foret. Non semel enim, sed pluries ac pluries sollicitus fuit, ut is tantum nominaretur, qui in sacerdotali ordine esset constitutus. Hujusmodi autem toties repetita sacerdotii mentio indole sua efficit, ut non alius capellaniam obtinere valeat, quam qui actuali sacerdotii praerogativa polleat, veluti ex simplici repetita sacerdotis nuncupatione arguit *Pitonius controv. patron. allegat. 33 n. 10, Rota in Setina Capellaniae 28. Januarii 1760 §. 10 cor. clar. mem. Cornelio.*

Quae si obtinent ex ipsa simplici sacerdotis nuncupatione, indubie locum sibi vindicare debent, dum in proposita fundatione non simpliciter sacerdos fuit nuncupatus, sed is, qui in ordine sacerdotali esset constitutus; cum enim hinc pateat, fundatorem ad ordinem et characterem respexisse, haud alii venire possunt, quam qui actu eodem ordine et charactere sint insigniti, ut unanimiter traditum est, *Piton. controv. patron. allegat. 17 n. 18. 8, Rota cor. Caprar. decis. 301 num. 3.* Praesertim cum a fundatore volitum fuerit, ut hujusmodi qualitas concurreret in ipso nominationis et praesentationis actu. Ex hoc enim eo fortius concludendum est pro rigorosa ac vera qualitate beneficii sacerdotalis, veluti pluribus collectis disserit *Rota in Majoricien. 27. Aprilis 1742 §. 2 cor. clar. mem. Calcagnino.*

Idemque evincebatur ex ea fundationis sede, in qua fundator egit de adimplemento Sacrorum, quod manifeste ipsi capellani personae impositum reperitur. Non modo enim voluit, ut capellanus pro tempore sive abbas teneatur et debeat ad dictam capellaniam in perpetuum celebrare tot missas etc. sed ulterius expressit, ut in casu tantum infirmitatis ipsius capellani aut alterius legitimi impedimenti praescripta onera per alium impleri possent.

Neque ex praestituta hac qualitate excepti leguntur fundatoris propinqui, licet pro passivo et pro activo jurepatronatus ab ipso prae ceteris quibuslibet honorati, ita ut posse ipsos a nemine removeri edixerit, cum extraneos ad patronorum nutum jusserit esse amoviles, sed quod eos quoque non minus impense, quinimo etiam rigidius actualem sacerdotii qualitatem requisivisse ipsum asseruit Rota; jussit quippe ut nominatus et praesentatus censeatur et sit, quotiescumque ad sacerdotium promoveatur et non ante nec alias. Quibus percensis Philippo Montanio, licet subdiacono, peremptorie obstare sancitum fuit literam fundationis, quominus obtinendae capellaniae capax renunciaretur, antequam ad sacerdotalem ordinem esset promotus.

Haec rationum momenta sacerdotalem evincerent Montaniorum capellaniam. Perpendit tamen Sempronius, verba, quibus fundator jussit, ut, qui ad capellaniam adsciscuntur, sint in ordine sacerdotali constituti, negativa non esse, sed demonstrativa potius,

quibus capellani ad sacerdotium properare adigantur, non vero disposita seu qualificativa conditionum, quibus ipsi pollere jam debeant. *(Ricius in prax. for. eccl. resolut. 337 num. 2, Gratian. discep. forens. cap. 133. num. 15, Garcias de benef. part. 7. cap. 1 §. 1 n. 85.)*

Quod sane tunc praesertim admitti certum est, quando capellanus non ad Sacra per se ipsum agenda obstringatur, sed fas eidem sit alteri id muneris committere: simplex enim esse id genus beneficiorum necqualitate actu sacerdotale agnosci, ideoque clericis rite conferri docent sacri juris interpretes eaque est sacri hujus Ordinis sententia, S. C. C. *Praenestina 16. Junii 1787, Barbosa de officio et potest. Episcop. allegat. 14 n. 29, Quaranta in summ. bullar.* verbo: *Servitium capellaniae in princip., Gratian. cit. discept. 133. n. 9 et 10, Rota cor. Merlino dec. 123. n. 8.*

Atque hanc Leopardo fundatori fuisse mentem nedum ex verbis, quibus usum ipsum fuisse conspicimus, arguit Sempronius, sed et ex facto Leopardi ipsius, qui eadem die, qua de constitutione capellaniae publicas scribi tabulas curavit, pactus est cum fratribus Augustinensibus, ut statutum Sacrorum onus susciperent annuam scutatorum triginta novem stipem habituri, quo ex convento evincit Sempronius, curationem quidem Sacrorum capellano impositam a fundatore fuisse, quin tamen de iis per alium litandis adempta eidem facultas fuerit. Verba itaque in fundationis tabulis adhibita, quibus sacerdos vel in sacerdotali ordine capellanus describitur, aliaque hujusmodi ibidem prolata capellaniam actu sacerdotalem praesignare, ita ut nequeat patronus simplicem clericum nominare, negat Sempronius. Praesumi siquidem monet *Fargna de jurepatronat. part. 2 cap. 1. n. 2. cap. 12. n. 15* fundatorem respexisse potius opus operatum, quam opus operantis; dignumque notatu est, sacrum hunc Ordinem declarasse capellaniam non sacerdotalem, licet per septem vices mandasset fundator, eam esse regendam ab uno sacerdote de familia, quatenus adsit, si minus ab aliis sacerdotibus, qui quidem sacerdotes sint capellani (S. C. C. *Nepesina 16. Novembris 1708.*) Ita pariter sacerdotalis habitu tantum dicta fuit, acriter licet refragante Patriarcha Ulixipponensi, capellania, ad quam testator primo vocavit filium casu, quo esset presbyter, ac deinceps unum ex nepotibus, qui vellet esse presbyter, ac demum extraneos, qui tamen non possent ad titulum capellaniae ordinari. (Sac. C. C. *Ulixipponen. 22. Septem. 1725.*) De postremo autem capellaniae statu animadvertunt, non inde observantiam oriri, quae vel praescriptive vel saltem interpretative clericum vel alium quempiam ordine non insignitum sacerdotali illico repellat, non scilicet praescriptive, cum in eam causam requireretur actuum series, quae in themate desideratur, cum imo indiscriminatim ac ex pii legati exequutione annos plus minus centum divinae rei operati sint Augustinienses, habita dumtaxat pii oneris implendi ratione: non interpretative, cum ex particulari actu nequeat novum onus irrogari et qualitas immutari beneficii. *(Fargna de jurepatron. can. 27. cas. 11. n. 20.)* Quo ex capite ita fundationis legem interpretantur, qui praeferentur, quotiescunque ad sacerdotium promoveantur et non ante nec alias nec aliter. Inde quippe id unum arguunt, ut nimirum, si inter fundatoris prognatos aliquis adsit sacerdos, is passive suoque veluti jure vocatus designatusque ad capellaniam censeatur et sit: at cum nullus ex Montaniis exstet, injuria praepediretur patronus, quominus clericum praesentet. Magni quidem ponderis esse romanae Rotae judicium, illius tamen decisionem esse actum extrajudicialem, qui non firmat statum, cum praesertim subsequuta non sit sententia, uti de Firmana disceptatione actum est et ex doctorum et ex ipsius Rotae sententia notat Sempronius, *Urioulus de transact. quest. 44. n. 8 et 9, Rota coram Othobono decis. 25. n. 9. coram Durano, decis. 158. n. 9. coram Merlino, decis. 284. n. 6. coram Ansaldo, decis. 184 num. 9 et ·10* et in *Romana seu Viterbien. Immissionis 30. Januarii 1733 §. Quamquam, coram Aldovrando.*

Ceterum quidquid sit de sacerdotali capellaniae qualitate, indulgentiam tamen apostolicae Sedis exorat Sempronius, qui facilem eam semper patronos nactos animadvertens, ubi de aetatis defectu dispensationem quaerant, qui et passivo et activo patronatu potiuntur, *Card. de Luca de jurepatronat. disc. 70. num. 17, Piton de controv. patron. alleg. 1. num. 25,* suis etiam votis satis factum iri confidit, qui utroque illo jure praeditus pro filio unigena postulabat, qui et ex aetate et ex familiae statu a sacerdotio ad-

huc arcetur: nemini quippe inde detrimentur infertur, cum deficientibus propinquis liberum sit patrono extraneum quemlibet praesentare, onera autem pro oratoris religione persancte explerentur, utili sedulaque procuratione incolumitati bonorum capellaniae consultum esset: cum vero de simplici atque avito majorumque pietate constituto beneficio res sit, facilius ut plurimum in patronorum commodum id concedi palam est.

Sed dissimulare silentio haud fas est, urgentem justamque rationem exquiri, ut praestitutis in beneficiario qualitatibus derogetur. *(Conc. Trident. sess. 25. cap. 5 et 18 de reform.)* Egestas inprimis patronorum, splendor divini cultus augendus, impensae in census beneficiarii tuitionem et utilitatem sustinendae aliaeque hujusmodi causae in eum finem expenduntur. *(S. C. C. Sabinen. 28. Junii 1805, Hortana 20. Martii 1830, Pignat. consult. can. tom. 9 consult. 80. num. 6.)* In iis porro concessionibus id speciatim praecavetur, ne quid detrimenti jus cujuspiam patiatur. Neminem quidem post prognatos suos singulatim designavit fundator, at post ingentes, quas ecclesiae patrimonium fecit, jacturas e re ipsius videretur testantium voluntati obtemperari, qui in sacricolarum solatium capellanias licet pro lubitu adimendas legaverunt.

Quae cum ita sint, id superest in deliberationem adduci, an scilicet in Sempronii precibus in certum tempus audiendis, donec scilicet illius filius aetatem qua sacerdotium assequi possit attigerit, Paccaronii egestati juxta Emi Archiepiscopi consilium tenui aliqua pensione subsidium decerni possit. Cum enim capellaniae redditus satis ampli sint paresque tali oneri sustinendo cumque Paccaronius, qui et fundatori propinquus est, uti filius et ipse Liviniae Montanae sororis Clorindae, quae parens Sempronii fuit, et in subsidium saltem ad patronatum vocatus, summa prorsus inopia divexetur, canonum pro ipso aequitas inclamat.

Quibus pro singulari EE. Patrum sapientia perpensis dirimenda occurrunt dubia:

I. *An et cui competat jus nominandi ad capellaniam in casu?*

Et quatenus affirmative favore Aloysii Sempronii,

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione aetatis favore Stanislai Sempronii in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative favore Comitis Aloysii Sempronii.

Ad II. Negative.

Die 19. Apr. 1834.

Fesulana.

Supremis tabulis sub die 17. Septembris 1699 exaratis Antonius Fidanza Bartoli capellaniam sub titulo b. M. Virginis ssmi Rosarii in ecclesia s. Stephani a Lucolena Fesulanae dioecesis fundavit, oneribus rectori pro tempore adjectis »Di celebrare personalmente (non essendo impedito) tre messe la settimana in perpetuo, fare un ufficio anniversario con quattro messe piane, ed una cantata, distribuere nel giorno dell' Anniversario due staja di farina panizzata ai poveri, di risiedere nel populo di detta parrocchia di Lucolena, di uffiziare da se detta capella, e prestare ogni ajuto necessario al detto porroco di Luculena nelle funzioni ecclesiastiche, come se fosse di lui capellano, amministare in detta chiesa e parrochia i Sagramenti, insegnar la dottrina cristiana, ed insegnare a leggere ed a scrivere ai fanciulli di detto popolo, pagandogli il salario.« Ad juspatronatus laicale ejus capellaniae vocavit i maschi della famiglia Bartoli .. ed estinta che sarà la linea, e discendenza mascolina legittima e naturale dei detti, e come sopra chiamati in detto caso, volse e vuole, che succeda il signor Domenico del già signor Stefano Baldinotti nobile Fiorentino suo padrone, ed i suoi figliuoli e discendenti maschi di maschio legitimo, e naturale in infinito.

Proximo elapso anno ad diem 13. Septembris 1837 suo extitit viduata rectore eadem capellania actumque est de nova nominatione emittenda, quae quidem masculis ex Baldinotti Dominico descendentibus (extincta jamdiu Bartoli descendentia) spectabat. Porro bini fuerunt Dominico filii, Stephanus et Laurentius; quorum alter Equitem Vincentium, alter Antonium Josephum edidit. Ex defuncto Vincentio extant bini filii Josephus et Gaspar: ex defuncto Antonio Josepho extat Aloysius ac nepotes Antonius adhuc pupillus ex patre Zanobi et Caesar, Antonius, Joannes Maria, Achilles ex Laurentio defuncto. Horum duo patroni Josephus scilicet et Caesar tempore legitimo declararunt sese nominationem edere favore clerici Paschalis Bicocchi viginti et octo annos nati: Aloysius vero et quatuor alii Laurentii descendentes favore sacerdotis Antonii Rossi parochi ejusdem ecclesiae s. Stephani ad Lucolena, ubi erecta est capellania. De pupillo ex Zanobio superstite nihil habet Episcopus.

Ast neutrum instituere se posse ex nominatis vel praesentatis et utrumque dispensatione indigere, clericum super qualitate sacerdotali, parochum super pluralitate et incompatibilitate beneficiorum autumabat Episcopus. Quare ut palmam praeciperet clericus Bicocchi supplex die 19. Decembris 1837. s. huic Ordini adfuit, ut praevia (quatenus opus sit) dispensatione super defectu qualitatis sacerdotalis sibi pauperi ac ad s. ordines inhianti capellania tribueretur prae alio, qui jam satis provisus incompatibilia reposcit. Hanc autem dispensationem et capellaniam eo facilius obtinere se debere mox retulit, quod patroni fere omnes in ejus nominationem consenserint. Nam qui ex defuncto Laurentio supererant quatuor filii aliam sub die 27. Decbr. clerici favore ediderunt declarationem, qua firmabant: »Noi sottoscritti sacerdote Cesare, Giammaria, Achille, Antonio Fratelli e figli del fu Lorenzo Baldinotti . . a scanso di liti, e atteso che può incontrare ostacolo la nomina da noi precedentemente fatta del Rossi, attesa la sua qualità di parroco della chiesa ove la med. è eretta, concorriamo per quanto a ciascuno di noi spetta, nella nomina e presentazione del chierico Pasquale del fu Luigi Bacocchi stata fatta nel proprio nome ed interesse, ed in quello del nobile sig. Cesare suo fratello, dal sig. Cav. Giuseppe del fu Vincenzo di Stefano Baldinotti.

Super his omnibus rogatus Episcopus capellaniae redditus ad scut. 80 circiter assurgere retulit addiditque: »Mi faccio un dovere significare che la famiglia Baldinotti la quale fu chiamata dal Fondatore della capella a succedere nel patronato attivo, dopo l'estinzione della famiglia Bartoli, ritiene a se un tale onorifico come ereditario, e perciò è tenuta ad esercitarlo in stirpes et non in capita.«

»Ora un tal patronato risiede nella famiglia Baldinotti in tal guisa. Da Domenico Baldinotti, passando esso in due de' lui figli Stefano e Lorenzo, si divide per egual porzione in due diramazioni. Dalla parte di Stefano Baldinotti risiede oggi nel Cav. Giuseppe ed in Cesare Baldinotti, e per la parte di Lorenzo rimane distribuito per una metà in Luigi Baldinotti, e per l'altra metà nei quattro nipoti di fratello del predetto Luigi, vale a dire nel sacerdote Cesare, e Gio. Maria, Achille ed Antonio Baldinotti, dimodoche tutto il patronato si esercita attualmente per un quarto dal Cav. Giuseppe, per l'altro quarto da Cesare, per un quarto parimente da Luigi, e per l'ultimo quarto finalmente dai quattro Nipoti insieme del detto Luigi nominati di sopra.«

»Il Cav. Giuseppe, e Cesare Baldinotti hanno dichiarato di nominare alla capella del ssmo Rosario, sebbene non abbiano emesso mai un atto formale, il chierico Pasquale Bicocchi. Luigi Baldinotti poi, unitamente agli altri quattro Nipoti, cioè sacerdote Cesare, Gio. Maria, Achille, ed Antonio Baldinotti nominarono, e quindi sotto li 30. Ottobre del caduto anno fecero a questa curia vescovile l'atto formale della presentazione a favore del sacerdote Antonio Rossi, parroco di s. Stefano a Luculena. Laonde in tale stato di cose tanto il predetto parroco Rossi, quando il chierico Pasquale Bicocchi, sono nominati alla predetta vacante capella ciascuno a perfetta equaglianza di voci di patronato dirimpetto all' altro; se non che il parroco Rossi ha ottenutto già superiormente all' altro, l'atto della presentazione nella speranza di poter ottenere l'opportuna dispensa.«

»L'atto poi che è stato emesso dai quattro fratelli sacerdote Cesare, Gio. Maria, Achille, ed Antonio Baldinotti sotto il dí 27. Decembre 1837 per cui si accrescerebbero di un quarto le voci a favore del chierico Bicocchi, o è da giudicarsi di niun effetto, perchè fatto da chi colla presentazione precedente avea esaurito già ogni diritto di patronato; ovvero è da intendersi, come sempre più plausibile, in subalterna condizione, vale a dire nel caso, che il parroco Rossi, da essi nominato e presentato, non potesse conseguire la grazia, che ha implorato, della necessaria dispensa, a scanso di ulteriori questioni, che fossero per insorgere per diversità di nomina.«

»Il chierico Pasquale del fu Luigi Bico-

chi che nacque li 2. Aprile 1809, è privo di ogni e qualunque mezzo per constituirsi il titolo per la sacra ordinazione, appartenendo ad una famiglia povera: ma siccome per quanto sia di buoni costumi, egli si mostra nella sua inoltrata età di talento assai scanso ed è appena iniziato negli studi, cosi non dà una fondata speranza di molta utilità per la chiesa. Per questi stessi motivi appunto, credo io che egli sia stato costretto a deporre il pensiero di abbracciare lo stato religioso nei diversi conventi d'istituto Francesaano tanto dell' osservanza, che della riforma, ove vi aveva per due volte vestito già l'abito.«

»Il sacerdote Rossi poi, Parroco di s. Stefano a Lucolena, sebbene venga escluso dal poter conseguire il sopra citato benefizio non già per un articolo di fondazione come il chierico Bicocchi, ma bensì per una disposizione canonica, pure sembra aver dei titoli non tanto per la sua probità e capacità, quanto ancora pel suo lungo e fedel servizio, da meritarsi uno special riguardo. Il motivo che lo muove ad aspirare ad un tal benefizio, non comparisce spregievole, essendo quello di tenere a conviver suo un' altro sacerdote, da approvarsi dall' Ordinario, e di conciliare in tal maniera il migliore, e maggior servizio spirituale del suo popolo.«

Jam vero bini adsunt coram EE. VV. oratores, quorum uterque dispensationem postulat. Porro, quoniam unus et alter vocum pluralitate praecipue nititur, aliquid fortassin animadverti posset circa rationem ita supputandi patronorum voces, qua utitur Episcopus, ut quatuor ex defuncto Laurentio extantes liberi unam vocem insimul sumpti conficiant. Etsi enim pacificum hoc sit inter partes, aliqua tamen oriri subinde dubitatio posset. Etenim ex una parte docemur juspatronatus gentilitium in singula descendentium jure proprio venientium capita deferri (*Rota in Gerund. Beneficii 4. April. 1753 §. 12 cor. Canilliac., S. C. in Sutrina Capellaniae 15. Maji 1802 §: Quatenus)*, adeo ut pater cum filiis ad nominandum admittatur. *Rota in Florentina Jurispat. de Ricasolis apud Vivian. de jurep. part. 1. lib. 4. post num. 61 et cor. Oriolo decis. 46 n. 7* aliisque apud *Piton. de controv. patron. alleg. 10. n. 6.* Quo posito tot esse debere viderentur voces, quot extant ex defuncto nepotes. Ex altera tradit *Panimol. decis. 137. n. 46 et 48, Gratian. discept. 521 n. 16, Ansald. in annotat. ad decis. 52 n. 39, Rota cor. Bichio decis. 206. n. 9.* non repugnare, quod fiat praesentatio in stirpes, quamvis juspatronatus sit gentilitium, cum scilicet de jurepatronatus gentilitio agitur, ut totidem verbis explicat *Piton. loc. cit. n. 9*, restricto sive ad unam certam lineam seu etiam plures lineas, quod alias appellatur juspat. lineale, ubi scilicet illud reservatum fuit certis personis de familia earumque descendentibus vel uni tantum ejusque filiis et descendentibus (qualis esse posset in casu.) Tunc enim, etsi pater filios, proximior remotiores excludat, et in capita qui sunt ejusdem gradus admittantur ad eundem Piton. ibid. et n. 11 cum bene multis ab eo allegatis, admittuntur tamen nepotes etiam cum patruis in stirpes, uti *Piton. ibid. cum Spad. cons. 9. n. 6, Tondut. quest. Benef. part. 1. cap. 30. n. 21* cum aliis ibid. legendis. Hac autem posita doctrina nepotes in themate unam dumtaxat vocem simul haberent uti certo ponit docetque Episcopus ex observantia, quam sane in terminis quaestionis plurimi faciendam esse firmat *Lotter. de re benefic. lib. 2. qu. 22 n. 125, Card. de Luca jurep. disc. 61 n. 10., Ansald. in annot. ad decis. 52 n. 29 et 30.*

Ast supervacaneam in specie ejusmodi controversiam autumat clericus orator; cum enim quatuor illi nepotes etiam post priorem favore sui nominationem emiserint, quaecumque tandem hypothesis ponatur, pluralitatem vocum semper praeseferre certo habet. Enimvero posse patronum laicum post primam a se factam nominationem saltem una vice cumulative quadrimestre variare communis est sententia doctorum, *arg. cap. Quid autem 3* et *cap. Tu autem 24 de jurep. ut in Rota part. 13 recent. decis. 14 n. 18*, cumulativam vero hanc vocem vim suam exserere ita ut, qui pro se habet privativas voces cum alio aequales, ac praeterea cumulativas praeferre merito queat ac pluralitatem vocum pro se jure allegat, tradet *Piton. de cont patron. alleg. 111 n. 25.* cum aliis ibid. allegatis.

Atqui in casu patronum esse laicum ex fundatione liquet; nepotes vero de quibus agitur ad alteram devenisse nominationem infra quadrimestre facto constat. Ergo pondus quodcumque et quaelibet vocum quantitas quatuor iis nepotibus tribuatur, eamdem

nedum parocho adversario sed et sibi suffragari debere infert clericus Bicocchi seque praeferendum omnino quippe majori vocum numero pollentem, ad *text. in cap*: *Quoniam* ibiq. *Gloss.* verbo: *Qui majoribus de jurep., Rota cor. Celso decis. 85 et decis. 19 part. 11 rec. utrobiq. n. 1.* Atque eo vel magis, quod linea, quae sui favore nominavit, sola sit, quae in exercitio nominandi versatur, nam (ut ipse asserit) alia in praeteritis aliquibus vacationibus nullum actum emisit (ad *text. in cap. Consultationibus de jurep., Rota in Lucana Benef. 22. Febr. 1709 et fin. cor. Falconerio.*)

Deinde ambigi posse pergit, utrum revera incapax existat ad capellaniam; quippe nisi sacerdos actu est, potest tamen talis evadere infra annum, quod satis putat ut quis merito et efficaciter nominetur, ad *Trident. sess. 22 cap. de reform.* Enimvero idonea illi est aetas, quae ad annum octavum supra vicesimum ascendit, et morum probitas, ipso Episcopo fatente, omnibus commendata et sufficiens scientia, qua eum potiri testantur viri omni exceptione majores; Joseph Trifogli Florentiae in Laurentiana Basilica Canonicus fidem facit »che Pasquale Bicocchi ha fatto sotto la mia direzione gli studj (nempe literaturae) con profitto, e ha dato chiari segni di sua vocazione.« Praepositus autem insignis Collegiatae s. Mariae a Figline deponit »che il chierico Pasquale Bicocchi ha continuato a studiare teologia morale sotto la mia assistenza con sufficiente profitto, e continua presentemente nella sua età di anni 28 pel desiderio di esser promosso agli ordini sacri, per conseguire i quali solo gli manca il beneficio, essendo di condizione povero, e senza titolo per l'ordinazione.« Quod idem repetit firmius in alia relatione, cui insuper addit, che fù costretot a lasciare il Chiostro per motivi di salute, e per assistere la sua madre Vedova miserabile.« Caeteroquin in presbyteris morum integritatem magis quam ventosam scientiam desiderari respondit Pontifex in *cap.: Nisi cum pridem §. Pro defectu de renunciat.*

Demum dispensatione (si quidem indiget) dignum se facere ait et christianae plebis utilitatem, quandoquidem, ubi capellania clerico oratori tribueretur, alter accresceret sacerdos, qui spirituali oppidanorum curae praesto esset, et gravissimam qua premitur paupertatem, ita ut sibi et viduae matri necessaria etiam ad vitam deficiant, dum e contra de contradictore parocho animadvertit »Che nel 1749 il priore di s. Stefano a Lucolena spedì le bolle non solo come parroco di esse, ma anche dell' altra chiesa parrochiale dei ss. Jacopo e Cristoforo a Lucolena riunita col popolo e rendite a detta chiesa di s. Stefano, per cui il parroco di questa, cioè il Rossi ha mezzi da tenere il capellano, fruttando la sua cura composta di varj boschi, e di due poderi sopra li scudi 500, come costa dalle esibite perizie e fede de' catasti, senza che aspiri ora ad un beneficio, su cui puó esser ordinato un povero chierico, e cercare di persuadere, che colle rendite del medesimo manterrà un capellano, quando ha mezzi di farlo senza avere tale provedimento.« Omnem proinde aequitatem suadere, ut sibi pauperi clerico et aliunde non proviso praelatio detur in concursu sacerdotis jam satis superque de bonis ecclesiae provisi, *cap.: Is cui de praeb. in 6, Rota coram Dunazet jun. decis. 933. num. 1* et *coram Ansaldo decis. 85. num. 37, s. Cong. in Urbevetana Canonicat. 13. Julii 1771.* Quibus accedit et cum oratoris decessoribus clericis saepe hac in re dispensatum fuisse; quibus tantum imposita obligatio est per alium capellaniae oneribus satisfaciendi, quod paratissimum sese ut executioni committat declarat orator.

Non ita tamen sentit parochus adversarius; sed pro certo inprimis ponit sese in paritate vocum cum clerico oratore nominatum fuisse, quippe binas, alteram ex Aloisio nempe et alteram ex quatuor defuncti Laurentii filiis conflatam praesentationem, praeseferat, dum clericus nonnisi Josephi et Caesaris id est binam posuit nominationem exhibere. Qui autem postea eisdem accesserunt nepotes, attendendos non esse existimat, quoniam eorum actus posterior nominationis favore Bicocchi »o è da giudicarsi di niun' effetto, perchè fatto — ut ait Episcopus — da chi colla presentazione precedente avea esaurito già ogni diritto di patronato, ovvero da intendersi, come sembra più plausibile in subalterna condizione, nel caso che il parroco Rossi nominato e pressntato non potesse conseguire la grazia che ha implorato della necessaria dispensa a scanso di ulteriori questioni. — In paritate autem vocum, si quid tamen valent in themate voces, quae in incapaces collatae sunt, cum sit dignior instituendus, *cap.: Quoniam 3 de jurep., Jo. Andreas* in *cap.: Cum autem 24 eod. tit. num. 3, Barbos. ibid. num. 8 et alleg. 72*

num. 201. de suo praelationis in dispensatione hoc capite obtinenda jure ambigi non posse propugnat. Quin obstet quod ex adverso gratis asseritur, qua ipse nominatus est, in possessione seu exercitio nominandi non extare; cum enim ex testamento aperte vocetur, rite quem libuerit nominare poterit, nam proprietas suffocat et absorbet possessorium, *Rota in Mediolanen. Benef. 1. Aprilis* 1707 §. *Quod si non, cor. Ansald., Piton. alleg. 26 n. 8* cum ibi alleg.

Huic rationi addit et aliam, quam indigitat etiam Episcopus, dum nominasse tantum patronos Josephum et Caesarem clericum Bicocchi significat, alios vero parochum Rossi coram Ordinario solemniter praesentasse. Profecto nonnisi per praesentationem minime per simplicem nominationem jus acquiri nominato ad beneficium vel capellaniam constat ex *Lappi alleg. 75 num. 3 et 6, Vivian. de jurep. lib. 8. cap. 6 n. 1 et seq., Rota decis. 3 de jurep. in nov. Lambertin. de jurep. lib. 2 p. 2 quaest. 7. artic. 3 ante num. 1, Barbos. de potest. Episc. alleg. 72 n. 76,* ac nisi istam patroni tempore habili expleverint, jure suo decidere, ex *cap. 3 et 27 de jurep.*, aut si aliqui tantum praesentationem neglexerint, aliis diligentibus eorum vocem accrescere jure accrescendi seu non decrescendi tradit *Piton. de controv. patron. alleg. 61 n. 26, s. Cong. in Lauretana Capellaniae 3. Augusti 1833 §: Haec profecto.* Quare cum praesentationem solemnem neglexerint omnino patroni Josephus et Caesar, qui nominaverant dumtaxat clericum Bicocchi, eos jure suo decidisse illorumque vocem accrevisse aliis Baldinotti, qui tempore habili parochum praesentaverant, videtur, ita ut parochus vocis pluralitatem merito praeseferat. Verum huic argumento obstare videtur regula, quae firmat lite vel recursu ad superiorem pendente tempus non currere ad praesentandum, *Pax. Jordan. lucubrat. lib. 70. tit. 7. n. 360 tom. 2, Vivian. de jurep. part. 2. lib. 5 cap. 2 num. 27, Piton. loc. cit. alleg. 59 n. 10, s. Cong. in Montis Alti Canonic. 25. Apr. 1789 §. ult.*

Ceterum etsi graviter incompatibilis cum paroecia sit capellania, qua de agitur, nam residentiam desiderat et utriusque onera sub eodem tecto impleri a capellano parocho nequeunt, *Gonzalez. ad reg. 8. cancellar. glossar. 15 §. 2 n. 20 et seq., Panimol. decis. 31 annot. 1 n. 4 et seq., Amostaz. de causis piis lib. 3 cap. 2 n. 2, Garz. de benef. part. 11. cap. 3 n. 280, Rota cor. Falconer. de benef. decis. 1 n. 11, s. Cong. in Firmana Capellaniae 15. Sept. 1770 §: Incompatibiles:* attamen novum non esse ait parochus, ut etiam a simili impedimento accedente necessitate ecclesiae, magna illius utilitate et evidenti meritorum praerogativa dispensetur. *Ferraris* in biblioth. legal. verbo: *Beneficium cap. 6 n. 49, Abbas in cap. 27 de praebend. n. 7, Pirhing. lib. 3 tit. 5 sect. 5 de praebend. n. 191, Rigant. in tom. ad reg. 1. cancellariae §. 8 n. 14, Fagn. in cap.: Quia in tantum de praebend. n. 10, s. Cong. in Trident. 20. Sept. 1788 §: Beneficiorum,* adeo ut, sive finis attendatur, cujus gratia dispensationem expostulat, sive ejus ecclesiae praestitutum servitium, propitium sibi summi Pontificis ominetur oraculum prae alio, qui nec sacerdos est nec requisitis ad sacros ordines qualitatibus, teste Episcopo, pollere videtur.

Dubium:

An et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.:

Dilata et scribatur Episcopo, qui peracto prius experimento clerici Bicocchi coram tribus examinatoribus referat an sufficienti saltem scientia praeditus sit ad excipiendas confessiones.

Die 22. Decb. 1838.

Contin. Fesulana.

Sollicitus fuit Fesulanus Antistes jussa exequi factoque revera periculo ad formam praestitutam constitit examinatoribus ipsis testantibus: »Che il chierico Pasquale del fu Luigi Bicocchi è stato ritrovato insciente delle teorie, che si conteugono in varii trattati teologico-morali, per il che, essendo stati invitati ad emettere il nostro parere per mezzo di partito segreto, per dovere di coscienza abbiamo giudicato uniformemente di emettere il partito rejettivo, dichiarandolo così inabile per l' esercizio del ministero delle sacre chiavi.«

Examinatorum vero sententiam dum remitteret Episcopus, nonnulla animadversione digna existimavit quoad exposita alias a clerico Bicocchi, ubi ait: »che il parroco di Lucolena spedisse le bolle per due parrocchie, e ch' egli ha una rendita di scudi cinquecento, e che ha il peso di mantenere un capellano, che lo ajuti pel servizio del suo Ministero.« Verum ait idem Episcopus: »Il popolo di Lucolena è ora composto di famiglie, le quali formavano uno tempo due cure separate e distinte. Fino dall' anno 1531 si trova in questo archivio memoria, che la chiesa sotto il titolo di s. Jacopo e Cristoforo a Lucolena era stata perpetuamente unita a quella di s. Stefano. Le rendite poi benchè cumulate delle due cure non hanno mai oltrepassato, come risulta dai stati di questa curia dell' A. 1616. 1663. 1671. 1715. 1781. 1807. 1819 e 1824., la somma di scudi 120, 140, 170 e di 190 al più. Nè dagli stati poi di visita, nè dagli istrumenti relativi alla prenominata cura apparisce mai imposto al parroco l'obligo di mantenere un capellano a coadjuvarlo. Anzi a provare più evidentemente ancora la nonesistenza di una tale obligazione si presenta la fondazione stessa del beneficio del ssmo Rosario accaduta nell' anno 1669, al rettore del quale s'impone l'onere oltre gli altri anche di assistere alla cura coll' ascoltare le sacramentali confessioni, ed ajutare il parroco nelle correlative incombenze. E finalmente nei registri di questo archivio non è punto notato, che nel 1749 il parroco di s. Stefano a Lucolena spedisse bolle per due titoli distinti, ma bensì per la sola, ed unica parrochia di s. Stefano, che anche nel 1532 si ritrova menzionata, come già unita ab immemorabili all' altra di s. Jacopo e s. Cristoforo.

Dignentur itaque EE. VV. resumere folium superius memoratum et dirimere

Dubium:

An et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione?

S. C. resp.:

Negative in omnibus et esse locum nominationi a patronis faciendae intra quadrimestre.

Die 29. Apr. et 22. Junii 1839.

S. Miniatis.

In collegiali ecclesia oppidi nuncupati *Castel Franco di sotto* in dioecesi s. Miniatis extat canonicatus sub invocatione s. Philippi Neri erectus necnon beneficium sub titulo s. Sebastiani. Utriusque juspatronatus ad familiam Franciosini pertinere constat, scilicet quoad canonicatum ex quibusdam donationis tabulis eruitur donatum fuisse »*al Sig. Gio Maria Franciosini . . suoi eredi, e successori uniscrsali e particolari in infinito, finchè il mondo sarà mondo, con facoltà di potere presentare al medesimo canonicato non solo loro medesimi per ordine successivo, ma qualsivoglia altro a loro totale e libera soddisfazione, volontà, elezione e collazione, con dichiarazione espressa, che tra detti successori, e loro discendenti in infinito, per Maschi di Maschio non s'intenda, nè deva intendere ereditario, mentre non compla accettare la eredità dell' antecessore volendo, ed ordinando conforme vuolse, vuole, ordinò, ed ordina, che basti per presentare se medesimo o altri, essere discendenti, e successori Maschi di Maschio di detto Sig. Gio Maria Franciosini, ancorchè non seguissero accettazioni, ed addizioni di eredità.*«

Quoad beneficium vero in fundationis charta statuitur »*quod juspatronatus et facultas praesentandi ad dictam capellaniam toties quoties vacare contingerit spectet et pertineat ad illum, qui habet facultatem et jus praesentandi ad canonicatum s. Philippi Neri erectum ad dictum altare, quod ad praesens attinet ad rev. Dominum Canonicum Dominicum Franciosini tamquam donatarium rev. Dominici Canonici Dominici Guerrazzi juxta mentem Sebastiani Guerrazzi.*«

Cum superiori anno utrumque beneficium suo rectore fuerit viduatum, supplex huic s. Ordini adfuit Titus Franciosini atque exponens »aver un figlio per nome Francioso, che tocca l'anno settimo, e trovarsi in ristrettezze di famiglia, ed esser mancante ne' studii, exinde expostulavit facultatem dictum suum filium ad memorata beneficia nominandi, ut eorum redditibus eum in seminario episcopali educandum curet.«

De more informatione Episcopi requisita ab eo relatum est circa onera et fundationem, prout superius exposui, circa redditus autem, canonicatum giguere quotannis liberos scutatos nummos 37, beneficium scut. nummos pariter ab omni onere puros 73. Idem insuper Episcopus subnectit: »Vacant modo beneficium et canonicatus et quin incompatibilia sint, immo hucusque semper idem rector eadem beneficia retinuit . . . Nullus est passive vocatus. Familia patrona in duos stipites dividitur. Primus a quatuor viris

repraesentatur, qui omnes utili tempore Franciscum Franciosini praesentarunt. Hic puer octavum annum hodie ingressus est: bonae asseritur indolis et ad ecclesiae servitium, quantum sinit aetas, propensus . . . Alterius autem stipitis donatarii ideoque compatroni adversantur, ut ex adnexa epistola Caesaris Franciosini. Quoad factum adjungam, quod, si juspatronatns hnjusmodi est gentilitium ex sex patronis viventibus, quatuor stant pro Francisco: si est haereditarium, medietas vocum pro illo foret. Medietas altera esset, hac secunda hypothesi, penes Caesarem et Gustavum: ast Caesar praesentavit heri, quadrimestri jam elapso nonnullis ab hebdomadibus: sed prorogationem postulaverat. Pro Gustavo prorogationem illius tutores obtinuerunt. Sed Gustavus meliori, qua fieri possit, data hypothesi, quotam tantum quartae partis possideret. Hinc cum Franciosinus .. bonae spei sit juvenis et ex patrona familia, submisse putarem posse illi concedi dispensationem, quam postulat, inspecta paupertate summa familiae snae, quae aliunde ex praecipnis est terrae Castri Franci, eo vel maxime quia Gustavus (a Caesare nominatus ut supra) nullam dat spem evadendi ecclesiae servitio idoneus: beneficium jam possidet, cujus redditus scutata excedunt sexaginta, et tanta ignorantia, immo ineptitudine laborat, ut in anno 18. constitutus divinum officium non valeat adhuc recitare « Usque huc Episcopus.

Patet ex his quid oratoris precibus faveat, quid eisdem adversetur. Facit scilicet pluralitas vocum, quae illius favore resultat, si juspatronatus sit gentilitium vel mixtum, quod sane magis verum videtur, habet enim quatuor voces, quot sunt familiae sua capita, contra unam Caesaris, quia in jurepatronatus gentilitio vulgatum est nominandi jus in capita derivare, *Rota part. 4 t. 2. decis. 47 n. 2 p. 16. tom. 1 dec. 285 n. 10.* Faciunt praeterea optimi mores, quibus ab Antistite commendatur, quique tutam dent spem fore ut perutilis ecclesiae olim sit futurus, dum contra dicitur de competitore. Facit tandem quod de familia patrona sit et pauper, quamvis generis nobilitate praeclarus. Hujusmodi sane rerum adjuncta pluries prae oculis habuit s. Ordo ac similes dispensationes elargita est, ceu probant exempla in *Asculana Capellaniarum super dispensat. 22. Augusti 1750*, in *Lucana Beneficii 17. Maji 1749*, etiamsi ageretur de canonicatibus, uti testantur una *Monasterien. Canonicatus 7. Aprilis 1753. §: Vacarunt, una Gallien et Pergulana 22. Februarii 1823. §. Favet* et una *Platien. Canonicatus 30. Martii 1829. §: Oratoris.*

Contra vero spernenda non esse videtur oppositio ex parte Gustavi Franciosini orta, etsi enim ille minori vocum numero polleat (de quo dubitari posset, etenim si juspatronatus est haereditarium, in quo succeditur per stirpes, medietate vocum ipse potiretur, scilicet quae conflatur a Caesare et a se ipso, qui nominare se deprecativo modo, ut fecit, legitime potest), tamen, cum voces hae collatae sint in idoneum, majoris sane momenti faciendae sunt ac aliae in puerum datae, quae imo prae istis omnino evanescunt, s. Congregatio in *Aesina Capellan. 20. Junii 1767. §. 6*; atque hinc ingrederetur laesio juris alterius habilis et rite nominati post obtentam ab Episcopo prorogationem, quae sane cursum termini suspendit, ut ait *s. Congr. in Asculana Benef. 17. Aug. 1793. §. 3*, quo posito dispensare difficilius duxit s. Ordo, ut habetur in *Faventina Beneficii 3. Julii 1761. §. 4.*

Accedit porro, quod in congruum appareat, puerum octennem, cujus aetas nil permittit de futura agendi ratione tuto suspicari, maxime ad canonicatum evehere cum divini cultus detrimento, dum alius adest, qui, etsi ingenio careat singulari, in ea tamen conditione est, ut idoneus evadere possit chorali officio satisfaciendi. Hinc haud semel petita dispensatio ad obtinendos canonicatus a s. Ordine denegata est, ceu accidit in cit. *Placien. de anno 1829.* ad secundum dubium.

Nil addendum arbitror circa beneficia, de quibus agitur, compatibilia sint necne, etenim praeterquam quod eadem compati simul posse affirmet Episcopus, incompatibilitas, si quae esset, dispensationem petitam haud posset praepedire, quando in id intendit dispensatio, ut impedimenta tollantur ad beneficium assequendum, incompatibilitas autem assecutionem non prohibet, sed tantum retentionem, ceu explicant doctores. *Piton. de controv. patron. alleg. 36 n. 21, Rocc. disp. jurid. cap. 190. n. 42, Rota in Petrusen. Beneficii 27. Junii 1703. cor. Omanna.*

Hisce praehabitis proponitur dubium:

An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione aetatis in casu?

S. C. resp.:

Negative et attentis peculiaribus circumstantiis firma remanente nominatione esse consulendum SSmo pro suspensione institutionis canonicae ad sexennium deputato per Episcopum ecclesiastico administratore. qui impletis oneribus superextantes redditus eroget in ecclesiasticam Franciosi educationem.

Die 6. Maji et 3. Junii 1843.

Maceraten.

Ultimo, quo sub anno 1657 decessit, nuncupativo testamento Borromaeus Accursius ob peculiarem, quo erga suam patriam Milodunum afficiebatur, amorem quatuor in ecclesia sua aere inibi extructa sub invocatione Deiparae sine labe originali conceptae capellanias mere laicales instituit, hisce adhibitis verbis: »*Subito seguita la mia morte si facciano quattro legati pii perpetui, col titolo di capellanie mere laicali, da darsi senza autorità o partecipazione di Monsignor illustrissimo Vescovo di Macerata, e suo Vicario generale, dichiarando oggi per sempre non esser queste capellanie servizio, ma memoria ed anniversario ec.*« Harum patronatum activum seu jus nominandi contulit quatuor diversis personis eorumque haeredibus et successoribus in perpetuum, cuique nimirum capellaniae suum assignans patronum, hac tamen sub expressa conditione: »*che i capellani da eleggersi siano sacerdoti di famiglie cittatine di Monte Milone, o almeno oriunde di detta terra, di buona vita, e di esemplari costumi; e, se non vi siano, la mia eredità goda i beni assignati alla capellania, o capellanie vacanti, faccia soddisfare le messe con eleemosina di un giulio ad altri sacerdoti, ed adempia tutti gli altri pesi ec.*« Mox addidit »*Li quali capellani debbano celebrare in perpetuo,*« certas missas in hebdomada, quas taxavit, necnon »*cantar la messa con i due vesperi della immacolata concezione . . . e non adempiendo qualcuno di essi capellani, sia obligato il mancante, o mancanti, al pagamento di un giulio a testa per la sagrestia, oltre la privazione della capellania.*« Jussit etiam: »*Ogni capellano di s. Biagio, che sia eletto capellano della mia chiesa, non rinunziando quella di s. Biagio in termine di tre giorni, che si elegga altro, e ciò ad effetto, che sia maggior numero di scaerdoti in Monte Milone.*« Tandem primos designans capellanos ad primam capellaniam vocavit »*il Signor Giovanni Antonio Ranaldi,*« eique substituit »*il Signor Girolamo Piani,*« ad secundam »*il Signor Francesco Ventura Bulgarini,*« dummodo intra sex menses fieret sacerdos, ac postea subjungens: *ma spirati i sei mesi, senza esser sacerdote, voglio li Signori Ramaldi eleggano un sacerdote di famiglia cittadina . . di buona vita, e di esemplari costumi, il che strettamente raccomando alla loro coscienza,*« ad tertiam »*il sig. Giovanni Scholastici,*« ad quartam demum »*il sig. D. Gregorio Crocetti.*«

Praeter has capellanias ecclesiasticum beneficium sub *rectoriae* nomine eadem in ecclesia erigi mandavit, onere rectori imposito, *di celebrare o far celebrare in perpetuo*« praefinitum missarum numerum; atque per patronum nominari »*Un sacerdote di esemplari costumi, come al detto numero,* (ubi nempe de capellanorum qualitate disposuerat) *mai semplice chierico, nè forastiero, nè capellano della mia chiesa, e molto meno di s. Biagio, se questo prima non avrà rinunciato alla capellania.*« Tandem tum capellaniis tum rectoriae peculiaribus bonis attributis in reliqua sua substantia universales haeredes sibi nuncupavit memoratos capellanos, quos tamen meros administratores haereditatis declaravit, cujus fructus in pios usus dumtaxat erogari praecepit; administrationis vero munus primo capellano exclusive commisit, cui tamen jussit: *che in fine di ogni anno se gli debbano rivedere i conti dal secondo, terzo, e quarto capellano unitamente.*«

Per obitum sacerdotis Camilli Travaglini mense Januario superioris anni vacua remansit tertia ex recensitis capellaniis, ad quam Eugenius Galli, qui hujus patronatu ex testatoris dispositione pollet, nominavit filium suum Augustum, puerum novennem, sed clericali tonsura tunc insignitum, statimque ad secretariam brevium confugit pro dispensatione super qualitate presbyterali ejus favore obtinenda. Verumtamen, cum nominationi ac oblatae supplicationi obstiterint caeteri capellani una cum Virginia Ranaldi, unica superstite ex ea familia, ad quam testator voluntatis suae exequutionem perpetuo demandavit, necnon duo Mildunenses sacerdotes unanimiter conclamantes, ex dispensa-

tione iri pessumdatam tum testatoris dispositionem tum jus oppidanis sacerdotibus ex vocatione quaesitum, factum est, ut preces rejectae fuerint. Haud animo tamen fractus Eugenius novum, quo adversariorum objecta diluebat, libellum porrexit eidem secretariae, quae, ad s. hunc Ordinem omnibus documentis transmissis, sapientissimum EE. PP. votum ea super re maluit excipere. Maceratensis Episcopus ab ipsamet secretaria requisitus, dum testamenti exemplar ac partium deductiones remisit, nullam animi sui sententiam pandidit.

Hisce in facto praenotatis Accursiani capellani duplici ex capite petitam dispensationem oppugnant, tum quia testatoris voluntatem ipsa summopere adverteret, tum quia alieno juri quaesito maximam laesionem inferret. Hisce enim in casibus minime concedendam esse dispensationem, nisi publica, necessaria justaque causa interveniat, firmant ex *Fagnan. in cap.: Relatum n. 30. de cler. monach., Sanch. dub. 1 n. 4; Molin. de justitia tract. 2. disp. 249 n. 4; Amostaz. de causis piis lib. 1. cap. 14 n. 8; Rota decis. 136 n. 2. cor. Cerro* et *decis. 1041 n. 11. cor. Molines*; in themate autem privatam tantum adesse ajunt, lucri nempe captandi gratia ab ecclesiasticis redditibus, quin oratori paupertas suffragari possit, cum multo familiari censu eum ditari comprobent.

Quod autem subverteretur testatoris voluntas, arguunt primum ex electione sacerdotum ab eo expresse injuncta, quae proinde cadere nequit in clerico, praesertim impubere. Et quamvis vocabulo *sacerdotis* interdum et simplicem clericum intelligi ex juris dispositione non denegent, id tamen nullimode habere locum contendunt vel quando pluries in iisdem tabulis idem vocabulum fuerit repetitum, praesertim si materno sermone expressum, vel quando ex toto testamenti tenore clare appareat non simplicem clericum sed vere celebrantem fuisse a testatore requisitum, vel denique quando sumus in dubio; tunc enim vera ac propria sacerdotis significatio est retinenda, *Piton. de controv. patron. all. 33 n. 13*; *de Luca de benefic. disc. 63. n. 7* et *Rota in recen. part. 1. decis. 496. n. 8.*

Porro in Accursianis tabulis saepissime, imo semper, cum de capellanis incidit sermo, idem sacerdotis vocabulum adhibitum legitur et quidem italico sermone, quo illae exaratae sunt. Praeterea ex plurimis testamenti locis eruitur quod testatoris voluntas in vere sacerdotes ferebatur. Et primo quidem, quando Accursius capellaniarum assecutionem prohibuit capellanis ecclesiae s. Blasii, nisi possessa prius dimissa »*ad effetto, che sia maggior numero di sacerdoti in Monte Milone.*« Abhorret enim a testantis intentione, eum hoc in loco de clericis cogitasse, cum nullo vel fere nullo hi possint esse adjumento fidelium saluti ac sacramentorum administrationi. Quin oggeratur, volitum finem hodie desiisse ob auctum illo in oppido sacerdotum numerum; quandoquidem supremae hominum voluntates ejusmodi sunt, ut numquam immutandae sed in aevum servandae sint; deinde major sacerdotum numerus a testatore requisitus numquam dici poterit sufficiens, quippe quo majori sunt numero sacerdotes, eo majorem ecclesia ac populus persentit utilitatem.

Secundo quando ob habilium defectum fructus vacantium capellaniarum in haereditarium assem inferri mandavit ac interim hujus sumptu »*soddisfare le messe ad altri sacerdoti.*« In patentissimum enim offendi absurdum, si heic clerici sub vocabulo *sacerdote* comprehenderentur, nemo non videt. Ulterius dictio illa *altri* ejus naturae est, ut dum personae diversitatem indigitat easdem tamen secumferat qualitates in simili dictione antecedenter expressa; *Tusch. lit. D. concl. 245. n. 5, Barbos. dict. alius 26. n. 3, Rota dec. 845. n. 12. cor. Coccino* et *decis. 126. n. 9. par. 18. t. 1 rec.* Quare verbum illud *sacerdote*, si dici velit ambiguum in una, interpretationem recipit ab eodem verbo explicite declarato in hac altera testamenti parte, ad tradita per *Rotam dec. 248 num. 28. rec. par. 18. tom. 1* et *Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 6 tit. 13 n. 10 juxta leg. 17 ff. de legat. 1.*

Tertio quando obligationem capellanis injunxit, ut »*debbano celebrare in perpetuo siquidem ex sola lege in fundatione apposita, ut praesentandus ibidem celebret missam, licet non exprimat, quod sit sacerdos, dicitur capellania sacerdotalis,*« ait Lambertin. *de jurepatr. lib. 2. part. 1. quaest. 1. artic. 27 n. 7*, quem sequuntur *Amostaz. de caus. piis lib. 3 cap. 6 n. 9 et 10, Barbosa de offic. et potest. Episc. alleg. 24 n. 37 p. 2, Rota dec. 46 n. 3 par. 1 recent. et in Tyburtina Capellaniae 16. Martii 1711 coram Priolo.*

Quod eo vel magis vi discretivae orationis in themate tenendum est. Ubi enim eamdem obligationem rectori imposuit, aperte dixit »*col peso di celebrare o far celebrare:* si igitur hoc alterum »*di far celebrare,*« de capellanis non expressit, noluisse censendus est, ut ii aliena opera celebrationem explerent *juxta leg. 1 cod. de Cad. tollend., Ancharan. cons. 120 n. 4, Rota dec. 243 n. 5 par. 3* et in *Ravennaten. Legati 19. Januarii 1818 coram Odescalchi.*

Quarto quando in casu omissae celebrationis capellaniarum privationem indixit; hujusmodi enim privatio inter principales capellaniae sacerdotalis notas recenset *Gonzalez. ad reg. canc. glos. 15 n. 20, Lotter. de re benef. lib. 3 quaes. 23 n. 31 et 43, Rota dec. 265 n. 5 coram Emerix.* Tandem quando sub poena caducitatis Francisco Bulgarino, quem ad capellaniam nominaverat, praecepit, ut intra sex menses ad sacerdotalem ordinem ascenderet; hoc enim satis manifeste declarat, sacerdotalem indolem capellanis adjicere voluisse.

Ita firmata sacerdotali qualitate ex aliis quoque rationibus per dispensationem iri pessundatam testatoris voluntatem ostendere prosequuntur capellani. Nimirum in Augusto Galli deest qualitas originaria a testatore volita, dum eligi jussit omnino sacerdotes »*di famiglie Cittadine, o almeno oriunde di Monte Milone;*« quippe constat, familiam Galli ex alio oppido vulgo »*Monte Lupano*« originem ducere; nec ei suffragari posse, quod Miloduni natus sit, ex recitatis verbis aperte intelligitur. Deest quoque positiva aestimatio »*di buona vita, e di esemplari costumi,*« quam spectandam idem testator summopere commendavit, quia in puero novenni bonitas tantum negativa verificatur nec ejus praesens egregia indoles et innocua vita tanti aestimari potest, ut corruptionis periculum in posterum avertat. Deest tandem habilitas *di rivedere i conti* administrationis a primo capellano gestae, quod munus secundo et tertio et quarto capellanis demandatum est, quin asseri queat, vel quod ad illud duo reliqui capellani sufficiant, quia a tribus conjunctim exerceri testator praecepit, vel quod per alium idem praestari valeat, quia in themate ejus est naturae, ut alienam respuat operam; quippe testator nominatim capellanos designans, quos simul capellaniae beneficio afficiebat, eorum industriae, probitati ac affectioni fidem habuisse dicendus est.

Quoad vero alieni juris quaesiti laesionem animadvertunt imprimis capellani, quod per dispensationem aditus ad capellaniam assequendam praecluderetur Milodunensibus sacerdotibus, quos eligi mandat patula testatoris voluntas. Plures profecto eo in oppido modo extant sacerdotes, optimis moribus exemplarique vita commendati, quibuslibet tamen fortunae bonis carentes nulloque ecclesiastico beneficio provisi ac ideo idonei, qui nominentur. Nec objiciendum, eorum jus incertum esse ac eventuale ac proinde nullo expositum praejudicio. Licet enim hoc verum sit quoad individua particularia, generi tamen civium ac sacerdotum competens ac certum jus assistit, quod pessundare nefas. Et sane passivam vocationem pro certo genere personarum adesse dicitur, ubi fundator per viam praecepti (ut in themate contingit) jussit eligendum aliquem de certa familia, civitate, loco vel collegio, ceu docet *Piton. de cont. patron. alleg. 30 n. 5, Carol. Anton. de Luca de linea leg. lib. 1 art. 25 numer. 3, Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 8 num. 109*, adeo ut hoc in casu alium praesentare, qui non sit de civitate vel collegio, patrono vetitum sit. *Card. de Luca de benef. dis. 61. num. 2* et *Rota dec. 967 num. 1. cor. Molines.* Quod si autem nullus reperiretur Miloduni sacerdos capellaniae assequendae idoneus, non tamen dispensationem concedendam esse subinde instant. Hoc enim in casu ea in praejudicium cederet Accursiani haereditarii assis, cui capellaniarum ob habilium defectum vacantium redditus addicendos voluit testator.

Postremo conclamant nihili facienda esse dispensationum exempla, quae ex adverso referri queant, tum quia gratiae in exemplum afferendae non sunt, ubi praesertim agitur de jure aliis quaesito, tollendae, tum quia in impetrantibus tunc legitimae causae potuerunt vel scilicet paupertas vel civica qualitas vel ad sacerdotium proximus ascensus vel praeclara merita vel bona circa mores aestimatio ac demum interesse habentium suffragium. Verum haec omnia in puero Augusto desiderantur ac praesertim eorum, quorum interest, consensus; qui imo totis viribus contradicunt. Accederet, urgent, ubi dispensatio impertiretur, et divini cultus decrementum et populi scandalum, qui sacerdotes et viros digniores puero posthabitos conspiceret.

Ad haec Gallius singillatim occurrit. Sacerdotalem inprimis capellaniae qualitatem inficiatur. Statuit sub vocabulo *sacerdotis* regulariter etiam clericos venire absque ulla limitatione, uti *post textum in cap.: Si quispium de cohab. cler. et mul.* docet *Rota dec. 59 n. 22, dec. 14. part. 7 rec., dec. 825. num. 12 et 13. cor. Merlino, Card. de Luca de benef. dis. 96. num. 12*, praesertim si vulgari sermone illud prolatum sit, ceu contra opinionem ex adverso allatam animadvertit *Card. de Luca loc. cit. dis. 61. num. 11. dis. 96. n. 16, Pignatell. cons. can. 3. n. 6 tom. 1.* et latius *Rota in Melevitana Beneficiorum 16. Jun. 1710. cor. Falconerio* et in *Melphicten. Beneficii 26. Jun. 1719. cor. Priolo*; perpendit insuper, quod ex verbo *sacerdotis* in capellaniae erectione adhibito nequit continuo qualitas sacerdotalis inferri, uti advertit *Rota in Tridentina Capellaniae 5. Aprilis 1713. cor. Cerro.* Illud enim verbum duplici sensu appositum intelligi potest, aut ut demonstrative, ad explicandum nimirum onus missarum, quod evenit quoties nec clausula praeceptiva celebrandi per se ipsum nec altera prohibitiva celebrandi per alium addatur, aut qualificative ad indigitandam qualitatem capellani, quod accidit ubi praefatae clausulae exprimuntur: in hoc secundo casu capellania naturam induit sacerdotalem, minime vero in primo juxta notissimam theoricam *Lupi alleg. 33*, quam amplexa est *Rota in dec. 826. n. 4 et seq. cor. Merlino* et in *Civitatis Melphicten* et *Tridentina* et in *Cremonen. Beneficii 3. Feb. 1715. cor. Cerro relata post Fargna de jurep. par. 2. can. 27. cas. 13. n. 22* et *s. Cong. in Firmana Capellaniae 12. Martii 1774.* §. 7 et in *Cortonen. Capellaniae 13. Feb. 1841. §: Vulgata.* Quapropter cum integre rimatis Accursianis tabulis praefatae clausulae non perlegantur, sponte descendit, verbum sacerdotis demonstrative tantum a testatore adhibitum fuisse: ideoque capellaniam ejus esse naturae, ut conferri queat etiam simplici clerico, qui per alium missarum celebrationem adimpleat. *Sanchez. consil. moral. lib. 7. cap. 3. dub. 38. n. 14, Gonzalez ad reg. 8. canc. glos. 5 n. 26, Amost. de caus. piis lib. 3 cap. 2 n. 45* et *Rota in cit. Cremonen.*

Quod confirmatur ex generali juridica praesumptione in capellaniis ac beneficiis simplicibus sacerdotalem qualitatem excludente, cui testator mentem suam conformasse censendus est, donec contrarium probetur. *Card. de Luca de benef. dis. 6 num. 3, Adden. ad Pamphil. dec. 69. num. 7, Rota dec. 825. num. 2 cor. Merlino* et in cit. *Melphicten.*; eo vel magis, quod in themate agitur de laicalibus capellaniis, quae ex communi recepta doctrina non solum a laicis sed et a pueris et ab ipsis faeminis possideri queant. Quae quidem praesumptio maximum robus accipit, primum ex patula quoad rectoriam clericorum exclusione, dum testator ad eam nominari jussit *»un sacerdote, mai un semplice chierico.«* Cum enim eamdem exclusionem quoad capellaniam ipsemet testator non expresserit, ex hujusmodi discretiva loquendi ratione argumentum exurgit, id noluisse, quod aperte quoad rectoriam declaravit. Insuper ex nominationibus ab ipso testatore expletis, quas in laicos vel saltem in simplices clericos contulisse eruitur ex quo nota illa, qua sacerdotes distingui solent, quarto capellano tantum addita legatur, nempe *»Don Gregorio Crocetti.«* Siquidem ad capellaniae qualitatem dignoscendam praecipue attendendas esse ab ipso fundatore factas nominationes docet *Rota in Gerunden. Beneficii 8. Martii 1697. cor. Muto* et in *Regien. Jurispr. 16. Januarii 1708. cor. Molines*, quin obstet obligatio capellano Burgarini praescripta evadendi intra sex menses sacerdotem: cumenim ex notatis verbum sacerdos in themate pro clerico usurpari debeat, impositum onus de clericatu assumendo intelligendum est, cum forsan ille adhuc clericus non esset. Caeterum quolibet in dubio capellania clericalis praesumitur, minime vero sacerdotalis, *Gabriel. cons. 191. num. 1. lib. 1, de Rosa de execut. lit. apost. par. 1. cap. 6 num. 178, Rota in Tirasonen. Beneficii 20. Maji 1658 cor. Priolo* et in *Lauret. Canon. 27. Januarii 1667 cor. Celso.*

Perperam prosequitur Gallius adlaborant capellani, ut ex aliis testamenti locis sacerdotalem qualitatem adstruant. Nil imprimis relevat frequens vocabuli *sacerdotis* repetitio, quandoquidem sacra haec Congregatio, licet per septem vices dictum fuerit *»ab uno sacerdote de familia, quatenus adsit, sin minus ab aliis sacerdotes si sint capellani,«* censuit capellaniam non esse sacerdotalem *in una Tyburtina Capellaniae 9. Decembris 1690* relata a Monacellio *in form. leg. par. 2 tit. 15. form. 1. num. 12.* Nil insuper prohibitio retinendi capellaniam una cum aliis ecclesiae s. Blasii. Siquidem, ut argumentum inde desumptum alicujus esset ponderis, probandum

esset, quod capellaniae praefatae ecclesiae sint vere sacerdotales; insuper vel ex ipso clericorum augmento ecclesiae populique utilitas dimanare potest, quandoquidem ex eorum majori numero et majus ecclesiae servitio decus accedit et major aliquando futura est sacerdotum copia; cumque autem plurium beneficiorum in eisdem personis cumulatio clericorum incremento parare possit impedimentum, ideo plurium capellaniarum possessionem vetasse testator dicendus est. Nil quoque dictio illa *»altri sacerdoti,«* etsi enim verbum *sacerdoti* eo in loco de his intelligendum sit, qui actu celebrant, quia hoc exigit idea inibi expressa, non tamen necessario consequitur eodem sensu in aliis testamenti partibus prolatum fuisse cum vi suae significationis; uti jam superius adnotatum est, clericos aeque ac sacerdotes complectatur, neque in illis ulla urgeat necessitas, ut sensus ad veros sacerdotes dumtaxat cohibeatur. Nec aliquid addit vocabulum *altri*, quia relatio, quam hoc secumfert, verificatur etiam quoad diversam speciem, quae tamen maneat sub eodem genere, proindeque de sacerdote ad clericum, qui continetur sub eodem genere nempe ecclesiastico, ad tradita per *Rotam decis. 126. numer. 7 et 8 rec.* Et sane hujusmodi dictionem nullo in pretio pro sacerdotali qualitate firmanda habitam fuisse ab hac s. Congregatione patet ex superius citata *Tyburtina 9. Dec. 1690.* Nil celebratio ipsis capellanis injuncta, quia nec praeceptum adjectum fuit celebrandi per seipsum nec facultas ablata celebrandi per alium, ad tradita per *Pignatel. consult. 2. numer. 14 et 15, Rotam dec. 13. numer. 12. coram Bichio, decis. 34. num 9. coram Priolo* et alibi; quod firmavit s. Cong. in *Romana Celebrationis 20. Novembris 1674*, in *Praenestina 28. Junii 1662* et in *Mediolanen. Capellaniae 25. Februarii 1699.* Nil demum poena caducitatis ob missarum omissionem indicta, quia haec obvio ac naturali sensu intelligenda sit, ubi capellani nec per se nec per alium celebrationem exequerentur.

Quapropter sacerdotali qualitate exclusa concludit Gallius nullimodi per dispensationem eversam iri testatoris voluntatem (quinimo illud potius inferendum esse adnotat filium suum minime ea indigere, sicuti ne altera quidem quoad aetatem, cum laicalis naturae sit capellania de qua quaestio est.) Sed nec ob alias causas, quae ex adverso jactantur, pessumdatam iri propugnat. Milodunensem civicam qualitatem praeprimis familiae suae vindicat; cum enim jam a multis annis, antequam filius Augustus nasceretur, ex oppido Montis Luponis Milodunum ipse transmigraverit fixamque inibi sedem constituerit, nec animus profecto nec legale tempus desunt, quae ad domicilium ac civitatem adipiscendam requiruntur. Et reapse, si ipse inter cives Milodunenses non accenseretur, vexilli feri munere non decoraretur. Insuper vita innocua ac egregia indoles, quibus filius suus novennis pollet quaeque ex adverso non oppugnantur, satis superque sunt pro voluntate testatoris adimplenda, ac propudiosum est, de ipsius filii sui futura mala vita impraesentiarum suspicari. Quoad idoneitatem autem pro ratiociniis excipiendis advertit, hanc qualitatem in capellano haud necessario requiri, vel quod concredito muneri adimplendo sufficere possunt reliqui duo capellani vel quod fieri satis valeat per interpositam personam, cum non constet personae industriam testatorem elegisse, ceu cuique tabulas legenti patebit; utroque vero casu finis a testatore intentus attingitur, fidelis nimirum ac diligens administratio.

Quoad alieni juris quaesiti laesionem, quam capellani secundo loco dispensationi opponunt, hanc nullo modo verificari Gallius propugnat. Jus enim, quod ex testamentariis tabulis Milodunensibus sacerdotibus datum contenditur, incertum est ac mere eventuale; ast praejudicium tunc infertur, quoties jus, quod laeditur, certum sit, non vero quoties sit mere eventuale et in spe, uti tradunt *Lotter. de re benef. tit. 2 quaest. 55 n. 20, Card. de Luca de jurep. disc. 70 n. 17 et fundis in contr. Bassoli n. 147*, et quamvis, hoc etiam intercepto praejudicium aliquod adesse asseri vellet, istud quoque esset eventuale, quod ideo hujusmodi nomen non mereretur nec ulla esset consideratione dignum; *Gomes. super reg. de non tollendo jur. quaesit. quaest. 3 fol. 71 n. 7, Fagnan. in cap. Cum simus n. 17 de reg. jur., Rota dec. 267 n. 12 part. 15 rec.*, ac proinde eventualis juris mentionem in supplicationibus necessariam haud esse docet *Rota de exec. lit. apost. par. 1 cap. 6 n. 101* et *Rota in Mediolanen. Praepositurae 3. Mart. 1704 coram Ansaldo.* Quapropter hisce in casibus facillime solere Pontificem dispensare tradit *Card. de Luca de jure dis. 47 num. 7 et 1*, quod in themate comprobant quinque, quae Gallius recitat, dispensationum exempla et praesertim Joan-

nis Baptistae Palmucci et Aloysii Pelagalli (ceu firmat ex fide trium testium), quorum primus nunquam ad presbyteratum ascendit, necnon Ignatii Ranaldi, qui in aetate octo annorum erat constitutus, cum ad primam capellaniam fuit dispensatus, ceu patet ex breve tunc expedito. Quoad praejudicium vero, quod Accursianae haereditati obveniret, Gallius non immoratur, quoniam in praesentiarum non versemur in casu a testatore contemplato, nempe vacationis capellaniae ob habilium defectum.

Quae cum ita sint, penitus capellanorum obstacula eversisse ipsemet Gallius confidit. Nil igitur reliquum ait, quam ut de dispensationis causa inquiratur et hanc quamlibet etiam privatam sat esse, quando jus privatorum non obstat, docet *s. Thomas 2. quaest. 67 art. 2 et quaest. 67 art. 4* ac praxis s. hujus Congregationis. Quapropter prae oculis EE. VV. subjicit patronalem qualitatem, qua ipse honestatur, ideoque dispensationem pro patroni filio efflagitat fundatoris praedilectio erga suam familiam clarissime manifestata ex largitione juris nominandi ad capellaniam, qua de agitur: exempla superius relata, circa quae animadvertit, quod ex iis, qui gratiam obtinuerunt, non omnes erant patronorum filii, nemo vero paupertate laborabat, quinimo duo nempe Palmucci et Ranaldi ad principes divitesque oppidi familias pertinebant: ac tandem praeclara auctoris sui Petri merita erga apostolicam Sedem difficillimis praesertim temporibus exhibita, cum videlicet teterrimis invasionis gallicae diebus ille ingentem Sacrorum numerum in s. aede Lauretana pro supremi Hyerarchae in exilio commorantis incolumitate ecclesiaeque tranquillitate curaverit celebrari, adeo ut epistolam effusissimis benevolentiae gratique animi verbis refertam a summo Pontifice Pio VII. in romana Sede restituto meruit accipere, cujus exhibuit autographum. Porro una vel altera ex recitatis causis proniorem reddidisse semper summum Pontificem ad dispensandum etiam cum puero octenni vel novenni referunt *Corrad. in prax. disp. lib. 4 cap. 2 num. 9, Vivian. de jurep. part. 2 lib. 6 cap. 6 num. 8 et 9,* ac semper ad eumdem effectum in pretio habitas fuisse plurimae testantur hujus s. Congregationis resolutiones, ceu videre est in *Aretina Dispensationis 20. Aug. 1774, in Papien. 1791, in Monasterien. Canonicatus* 7. *April. 1753* et in *Gallien. et Pergulana 22. Feb. 1823.* Quin obstet concludit capellanorum dissensus, quippe ipse unicus est patronus nullumque eisdem ob filii sui dispensationem obveniat praejudicium.

Proponitur dubium:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro dispensatione favore Augusti Galli in casu?

S. C. resp.:

Non adesse causam canonicam.

Die 30. Aug. et 20. Sept. 1845.

Praenestina.

Testamento condito anno 1788 pia femina Anna Maria Paloni laicalem capellaniam institui jussit in collegiata Olibani ecclesia d. Margaritae sacra, cujus activum juspatronatus Canonicis et beneficiatis ejusdem ecclesiae, passivum nonnullis a se designatis familiis juxta praestitutum vocationis ordinem reservavit. Scilicet »in primo luogo ai discendenti della linea mascolina del fu Antonio Sartori, in secondo luogo ai discendenti della linea pure mascolina del Sign. Antonio Micocci; in terzo luogo ai discendenti della linea sempre mascolina del sig. Francesco Falconi, e finalmente ai discendenti della linea parimenti mascolina del sig. Giovanni Martini.« Agnatis vero deficientibus vocavit eodem ordine descendentes per feminas a praefatis Sartori, Micocci, Falconi, Martini. Nemine demum extante idoneo ex lineis sive masculina sive feminina harum familiarum ceteris loci sacerdotibus capellaniam conferri praecepit. Onera capellaniae haec esse voluit, nimirum »che qualunque capellano sia tenuto in tutte le feste . . celebrare il s. Sacrificio della messa« ac praeterea »che i capellani pro tempore siano confessori, e zelanti per la salute delle anime assistendole con carità;« id quidem inferius pressius inculcans: »La signora testatrice comanda espressamente e vuole, che tutti i capellani pro tempore debbano farsi abilitare dai superiori per la confessione, e non trovandosi abili non possano in alcun modo retinere la capellania, mentre questo è uno dei motivi primari, perchè sia indotta a fondare questa capellania laicale, cioè perchè i capellani pro tempore siano confessori, e zelanti per la salute delle amime; che ogni capellano pro tempore adempia per se stesso agli obblighi che sono prescritti, e non

altrimenti« ac diserte prohibens sub caducitatis poena ne ulli ex capellanis aut ex desesset implorare deroga, per variare anche in cendentibus a designatis familiis fas unquam minima parte a questa presente sua disposizione. Declaravit denique »che alli capellani pro tempore non apporti impedimento alcuno il concorso o possesso di altra capellania o beneficio.«

Vacavit capellania anno 1853 per obitum sacerdotis Francisci Paloni ultimi ejusdem possessoris et continuo Marianus Micocci Olibani, puer annorum octo circiter proveniens per masculinum sexum a linea Antonii Micocci secundo loco vocata, preces SSmo D. N. porrexit, ut sibi facultas detur percipiendi fructus capellaniae usque dum perveniat ad aetatem praescriptam pro sacris ordinibus suscipiendis adjecta conditione, ut satisfactis oneribus reliqui redditus pro suimet alimonia in seminario episcopali impendantur. Dum hujusmodi preces ad Emum Episcopum pro sueta informatione ac voto ablegatae fuerant, supplex libellus sacerdotis Pauli Pizzuti supervenit, qui se per feminini sanguinis conjunctionem a Joanne Martini quarto loco vocato descendere ac requisitis a testatrice qualitatibus pollere edicens obstabat adolescentis Micocci petitioni sibique deficientibus in lineis agnatorum idoneis capellaniam jure deberi contendebat. Cum vero ipse alia tria simplicia beneficia in eadem collegiata ecclesia jam possideat, ad cautelam tantum super beneficiorum pluralitate dispensari postulavit altero supplici libello penes apostolicam Datariam exhibito, qui ad s. hanc Congregationem jam praeventam remissus fuit.

Vicarius generalis pro Emo Episcopo literas informationis dedit, in quibus expositis capellaniae oneribus ac monito, ejus redditus pertingere nunc annua scut. septuaginta circiter, votum suum precibus adolescentis Micocci omnino propitium pandit ob plura rationum momenta, quorum primum est, inquit, quod nemo idoneus descendens per masculos a vocatis reperitur; non solum enim desunt sacerdotes confessarii, sed etiam simplices clerici, si excipiantur duo filii Domini Antonii Sartori, qui clericali tonsura sunt initiati, sed nullum oratori Micocci ponunt obicem. Secundum est quod Olibanensis terra satis populosa operariis indiget et spes est oratorem talem aliquando fore, si ecclesiastica educatione in seminario muniatur, qua aliter destitueretur utpote qui mediis ad id necessariis caret; tertium est, quod ii, quorum interest, nedum non adversantur, sed imo supplicationi Micocci suffragantur excepto rev. Domino sacerdote Paulo Pizzuti. Duo tamen ei obesse videntur. Primo, quod ipse tria jam ecclesiastica beneficia possidet, quae simul juncta congruam ipsi ministrant substentationem; reddunt enim quotannis centum et ultra scutata. Et licet ea quam nunc petit capellania laicalis sit ideoque non subjecta interdicto circa beneficiorum pluralitatem, tamen naturalis aequitas non consentit, ut sacerdos nullo praeclarus merito, qualis est Pizzuti, aliunde congrue provisus, ecclesiae bonis ditescat. Secundo vero loco est animadvertendum, quod ipse Pizzuti sacerdotis quidem dignitate pollet, sed circa confesarii qualitatem (quam maxime requirit fundatrix et quidem sub poena caducitatis in capellanum) minime tutus est; nulla enim ne theologica quidem necessitas coegit Superiores, ut ei coadjuvandi parochum munus tribuerent et hinc facultatem audiendi confessiones fidelium infirmorum aliisque circumscriptam limitibus. Cum autem praefato munere sese nuper abdicaverit, injunctum eidem est, ut si praefata facultate uti velit in posterum rite se examini subjiciat.

Per procuratores ab utraque parte constitutos allegationes distribuuntur, quarum summam heic ut moris est subjiciam.

Defensor sacerdotis Pizzuti sustinet expeditam ab adversario gratiam et testatricis voluntati repugnare et jus clienti suo quasitum manifesto laedere. Postulat enim Micoccius, ut frui sibi liceat capellania, quae ei inhabili ob defectum aetatis et ordinis conferri nequit, ac ut per alium integrum sit impleri onera, quae capellano personaliter et non per alium adimplenda imposita sunt; quae quidem duo testamentariae dispositioni aperte contradicunt ac ideo minime concedenda. Statuit enim testatrix nemini fas esse veniam derogationis qualitatibus in fundatione requisitis exposcere ac ita postulantem a capellaniae fruitione caducatum edixit. Exploratum porro est in facultate esse fundatoris beneficii aut capellaniae illas adjicere leges et conditiones, quas maluerit, juxta *cap. 11 de praebendis, cap. 23. de jurepatr., Gonzales. ad reg. 8. cancell. gloss. 5. num. 10, Card. de Luca de benef. disc. 95. num. 10,*

quamvis hae communis juris sanctioni repugnent, ex *cap.: Cum dilectus de consuet.*, *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis de elect. num. 72.* Hinc cum testatrix praeceperit capellaniam etsi laicalem nonnisi sacerdoti ad confessiones excipiendas idoneo et approbato conferri ac injunctis oneribus per alium satisfieri prohibuerit, plane tum primum ad monitum s. *Rotae in Caesaraugustana Capellaniae 16. Martii 1578 coram Seraphin.*, cum alterum ad tradita per idem sacr. auditorium *in decis. 399. num. 3. coram Merlino* sancte religioseque custodiri ac servari necesse est. Omnia enim jura clamant, ultimis defunctorum voluntatibus derogandum non esse nec legibus et conditionibus detrahendum, quas in beneficiorum institutionibus jusserunt. Ita in *leg. 10. cod. de Episc.*, et in *Clement. Cum contingat. §. 1 de religios. domib.* ac disserte confirmat *Concil. Trid. sess. 25. cap. 5. de reform.*

Jam vero ab ipsa fundationis litera ad evidentiam comperitur testatricem eum in capellanum eligi voluisse, qui actu foret sacerdos; quippe quae quoties de capellano nominando sermonem instituit, toties sacerdotis confesarii qualitatem adjecit, quam quidem cum ipso electionis actu conjunxit »vuole che la elezione del capellano cada sopra alcun sacerdote confessore discendente etc. «Atqui qualitas adjecta verbo intelligitur de tempore verbi, ceu habet *lex in delictis. §. si extraneus de noxial. action.*, idest in ipso actus initio, ut explicat *glossa in cap. Nemo de elect. in 6*, *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. quaest. 7. art. 27*, *Rota in Firmana Jurispatr. 26. Novem. 1582. coram Pamphylio* et in *Placentina Beneficii 3. Julii 1613 coram Pirovanno.* Eo vel magis cum cautum fuerit ut capellanus demandata onera per se adimpleret, quod nemo nisi actu sacerdos posset, uti in simili specie s. Rota in *decis. 803. num. 10. coram Merlino.* Quamobrem cum id praestare nequeat Micoccius, qui in puerili adhuc versatur aetate, patet imploratam gratiam omnino ei denegandam esse, ex qua lex fundationis dubio procul violaretur.

Sed potiori ratione denegandam urget orator, quia juri sacerdoti Pizzuti quaesito adversatur. Constat enim ex fundatione ad capellaniam vocatos fuisse primo descendentes ex linea masculina familiarum Sartori, Micocci, Paloni, Martini; sed testatrix casum praevidens quod »in alcun tempo di detta vacanza non vi fosse alcun sacerdote confessore delle sopradette quattro famiglie« jussit» che la elezione del capellano cada sopra alcun sacerdote confessore discendente dalla linea feminina delle medesime famiglie. « In omni vero casu praecepit »che tutti li capellani pro tempore debbano farsi abilitare dai legittimi Superiori per la confessione.« Porro sacerdos Pizzuti ex feminina linea Martini oritur, sacerdotali charactere pollet et testatricis praecepto morem gerens »di farsi abilitare per la confessione«, facultatem poenitentiae sacramentum administrandi a proprio Ordinario obtinuit. Hinc cum nemo inter descendentes agnatos a vocatis familiis idoneus nempe sacerdos adsit, patet ipsi uni jus ad capellaniam assequendam quaesitum fuisse, ita ut nec patronorum nominatione indigeat, quippe directe ac immediate ex lege testamenti vocatur. *Abb. in cap: Cum in cunctis §. Cum inferior num. 10. de elect.*, *s. Rota in Asten. Beneficii 10. Dezemb. 1714. coram Ansaldo* et in *Gerunden. Jurispatr. 1715. coram Lancetta.* Tralatitii autem juris est gratia non concedi cum juris alieni jactura. ex *leg. 2 §. Merito Dig. Nequit in loc. publ.*, *cap. Ex parte* et *cap. Super eo de auct. et usu pall.* Nec summum Pontificem juri alteri quaesito ac praesertim vocatorum ad beneficia derogare solere, uti monet *s. Rota in decis. 575 et 596. coram Caprara.* Jure merito igitur sacerdotem Pizzuti precibus a puero Micocci porrectis obstare concludit defensor, quae nedum testatricis voluntati repugnant, sed et jus sibi quaesitum plane laederent, quo quidem jure innixus capellaniae possessionem assequi ipse postulat; qua in re ei vel magis deferendum quod vitae ac morum integritate et salutis animarum studio summopere commendabilem se numquam non praebuit, ceu amplissima cujusque ordinis virorum testimonia probant.

Quin difficultatem facessere possit, quod ipse alia tria beneficia in eadem collegiata ecclesia jam possidet. Nam id nec fundationis nec juris communis dispositioni adversatur. Constituit enim testatrix »che ai capellani pro tempore non apporti impedimento alcuno il concorso o possesso di altra capellania o beneficio nella medesima chiesa.« In jure autem interdictum quoad pluralitatem beneficiorum ad simplex pium relictum seu laicalem capellaniam protendi nequit, ex *Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. de reform.*

Quibus accedit beneficia, quibus sacerdos Pizzuti potitur, aliud nullum onus habere adjectum quam nonnullorum Sacrorum celebrationem in collegiata ecclesia peragendam, ut adeo beneficia haec veluti difformia sub eodem tecto censenda sint, quorum plura insimul retinere vetitum non est, siquidem unum ad honestam clerici exhibitionem non sufficiat, ex *can. 7 de rescript.* et habetur ex *Concil. Trid. cit. loco;* quod quidem prudenti judicis arbitrio statuendum permittitur, uti docent *Menoch. de arbitrio judic. lib. 2 cap. 216. num. 12*, *Paris. de resign. benef. lib. 5 quaest. 6.* Nemini at vero in praesentiarum parem videri posse redditum scut. centum, quot a tribus beneficiis insimul junctis sacerdos Pizzuti percipit, ut se et senem ac infirmum parentem duasque innuptas sorores sustentare valeat. Quapropter, ubi etiam dispensatione opus foret super beneficiorum pluralitate, quam quidem ad cautelam ipse expostulare non omisit, justam subesse causam censet defensor, ut hujusmodi ejus petitio pronis auribus excipiatur.

Qui alteram partem agit, uti exploratum in facto affirmans, tam Micoccium ob defectum aetatis ac ordinis quam adversarium Pizzuti sacerdotem quidem sed non confessarium saltem de tempore nominationis in eadem inhabilitatis conditione versari, ita ut uterque ad capellaniam assequendam dispensatione indigeant, plane illum huic in dispensationis venia praeferendum contendit, ratione scilicet habita ad vocationis gradum et ordinem, quia Micoccius ad lineam secundo loco vocatam per masculini sexus conjunctionem pertinet ideoque inter institutos recensetur; Pizzutius vero a linea postremo loco vocata ac per medium feminae descendit, ut adeo inter substitutos dumtaxat admuneretur juxta ea quae ad rem tradit *Piton. de contr. patr. et leg. 100 num. 337*, quin objiciatur adversarium Pizzuti ob sacerdotalem qualitatem Micoccio praevalere nec idcirco ejusdem cum illo esse conditionis. Cum enim testatrix capellanum nedum sacerdotem sed ad confessiones quoque excipiendas approbatum eligi praeceperit, nil sane prodesse poterit una sacerdotalis qualitas altero deficiente requisito; quamobrem sacerdos Pizzuti charactere quidem Micoccio potior est, sed quoad testatricem ob idoneitatis defectum in pari cum illo conditione versatur, in inferiori autem siquidem praesumpta ejusdem testatricis praedilectio spectetur.

Atqui urget etiam quoad capacitatem inferior censendus. Jussit enim testatrix, quod capellani pro tempore sacerdotali charactere insigniti tenerentur »farsi abilitare dai legittimi superiori per la confessione, e non trovandosi abili, non potessero in alcun modo riternere la detta capellania.« Jam vero monet defensor sacerdotem Pizzuti usque a mense Januarii 1854 examinis pro facultate confessiones excipiendi fecisse periculum, sed omnino inhabilem ab examinatoribus repertum fuisse, ceu horumce testimonio allato comprobat; quem scilicet nec in moralis scientiae principiis instructum esse imo nec latinum idioma callere constitit, ut adeo examinatorum judicium fuerit »che il medesimo sacerdote non può non deve essere approvato dall' Ordinario per l'aministrazione del Sagramento della penitenza.« Quapropter, licet actu incapax sit Micoccius, cum tamen studiorum curriculum confecerit et ad canonicam pervenerit aetatem, idoneus evadere poterit, dum sacerdos Pizzuti, qui examinatorum sententia nec potest nec debet approbari ad sacramentalium confessionum ministerium, nec actu neque in potentia idoneus reputandus est.

Quibus aliae favore Micocci praelationis rationes accedunt. Nam constat sacerdotem Pizzuti tribus beneficiis in eadem ecclesia s. Margaritae jam potiri, ex quibus pro decenti sua exhibitione satis congruos percipit redditus, dum e contra adolescens Micocci nil ferme habet in bonis ac egestate laborat. Hinc ipsa aequitatis ratio suadet, ut non beneficiatus beneficiato, pauper diviti in beneficiorum assecutione praeferantur, quod ipsius ecclesiae menti et ss. canonum sanctioni apprime consentaneum est, *s. Rota decis. 256. num. 8. part. 11*, *decis. 160. num. 3, part. 12. recen.* et in *Anconitana Capellaniae 24. Martii 1828. §. 7 coram Spada.* Idque etiam ob praesumptam testatricis voluntatem et haec quidem praesumptio magnam vim acquirit ob ejusdem testatricis factum, quae, antequam in testamenti tabulis de passivo patronatus jure disponeret, in primos capellanos ipsamet nominavit duos ex familia Sartori descendentes, quorum alter clericus, alter ne clericus quidem erat; unde non immerito existimare licet, ob eadem, si in vivis ageret, electum iri adolescentem Micocci, qui nunc in seminario degens ac operam studiis navans ad spem ecclesiae succrescit. Ex hoc imo novum infertur prae-

lationis argumentum, cum oratoris petitio eo spectet, ut redditus capellaniae, qui detractis supersint oneribus, in ejus ecclesiasticam educationem seu in causam studiorum impendantur, qua nulla commendatione dignior est ac magis confovenda, quippe merito inter pia opera recensetur. *Gratian disc. for.. 62. num. 3*, s. *Rota decis. 488. num. 10 part. 19. recent.* Quibus cumulum imponit populi votum ac praesertim familiarum Sartori et Paloni, quae praedilectae a testatrice fuerunt, item majoris partis Canonicorum et quod magis est ipsius Ordinarii, cujus quidem judicium maximi hac potissimum in re faciendum docet *s. Rota in Majoricen. Beneficii 1. Febr. 1709. § 7. coram Falconieri* et *decis. 458. num. 6 coram Cerro.*

Quod vero sacerdos Pizzuti nuper approbatus fuerit ad confessiones excipiendas, id sane haud expetitae gratiae obicem parare posse contendit defensor. Nam primo rem hanc in dubium revocat, sive quia literae patentes apud acta exhibitae non sunt (moneo nunc exhibitas fuisse.) sive quia inverosimile est et adversarium tam brevi aptum ac idoneum ad tanti administrationem sacramenti evasisse. Deinde observat facultatem confessiones excipiendi illum obtinuisse, si fides eidem adhibenda sit, anno 1856, dum capellania vacavit anno 1853, quo quidem anno et Micoccius pro gratia institit et ipse adversarius impedimentum *nihil transeat* apposuit atque acriter porrectis precibus obstitit. Atque compertum in jure est, legitimi contradictoris partes suscipere posse neminem, qui tempore motae litis omnibus qualitatibus in fundatione requisitis praeditus ipse non sit, quin referat si postea pendente lite qualitas quae deerat supervenerit, uti ad rem docet *Piton. de contr. patr. alleg. 6. num. 75*, secus enim, ut inquit ibi, actum esset de omnibus dispensationibus, quia nunquam concederentur contra principia, quibus edocemur habilitatem seu clericatum supervenire debere tempore habili et oppositorem esse debere qualificatum de tempore motae litis seu instantiae super dispensatione, alias haec dependeret ab eventu futuro, quando in omnibus materiis attenditur principium litis et instantiae, ut quis dicatur legitimus contradictor . . . . Hinc prodesse adversario nequit obtentum nuper confessarii munus, quia probe monet *s. Rota decis. 17. §. 10. recent.*, qualitas in aliquo actu requisita non suffragatur si postea supervenit, signanter vero ubi agitur de beneficiis ex lege fundationis vel ex aliquo statuto debitis certo generi personarum, quibus per comparitionem et oppositionem jus interim quaeritur.

Denique ex hoc etiam arguit defensor falso conqueri adversarium de laesione sui juris, quatenus dispensatio concedatur, perinde ac si dispensatione denegata sibi locus fieret tamquam subsidiarie vocato in agnati defectum. Nam ex quo ipse quoque inhabilis erat tempore motae litis nullum profecto per oppositionem jus quaerere sibi potuit et praeterea, uti monet idem *Piton. alleg 100. num. 338,* »non vocatur praejudicium seu lucrum eo ipso, quod adversarius impediendo dispensationem principalis vult ex tali impedimento sibi quaerere jus subsidiarie succedendi sublata praelatione agnati veluti incapacis, quod propterea est velle sibi parare lucrum cum praejudicio alterius habentis jus quaesitum ex praelatione volita per fundatorem.«

Sic itaque

Dubium:

An sit annuendum precibus Marianni Micocci seu potius sit locus nominationi favore sacerdotis Pauli Pizzuti in casu?

S. C. resp.:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 23. Maji 1837.

Nepesina.

Per obitum clerici Benedicti Ceselini vacat a die 2. Septembris anni superius in collegiata ecclesia Campaneani Nepesinae dioecesis beneficium s. Joannis Baptistae a Nicolao Focasi tabulis testamentariis diei 31. Julii 1659 hisce legibus institutum »con obligazione al capellano, che sarà pro tempore presentato, di celebrare per se stesso e non per interposta persona, due messe la settimana in perpetuo .... comparire personalmente e non per interposta persona in cotta e berretta in coro della detta Collegiata tutte le feste e domeniche dell' anno e le vigilie delle feste solenni alli vesperi con titoli di residenza«, hujus vero capellaniae juspatronatus »vuole che sia« ita testator edixit »del sig. Andrea figliuolo del sig. Rocco Lozzi e suoi eredi e succesori cioè

sempre il maggior erede di linea mascolina in perpetuo, quale mancando possa lasciarlo ad altri a chi più parrà meglio con l'istessa condizione detta di sopra per successione delli sopradetti, ordinando che si debba sempre presentare persona idonea e. di età almeno di venti anni, nativa di Campagnano, di padre e madre nati in Campagnano.«

Cum igitur juspatronatus activum exhausta masculorum linea Andreae Lozzi primo loco vocati per feminam Gabrielam una cum bonis et juribus haereditariis ultimi masculi ejusdem lineae Jacobi Lozzi transierit, uti constat ex rotali decisione anni 1797, in Horatium Mancinella filium Petri Pauli a praedicta Gabriela geniti cumque Sanctes Mancinelli Horatii filius in tribus ultimis vacationibus pacifice et cum effectu capellanos nominasset, secuta hodierna vacatione per obitum clerici Ceselini Paulina Mancinelli vidua comitis Marescotti et soror praefati Sanctis, necnon Carolina Venturi ejusdem Sanctis neptis ex altera illius sorore Ursula praedefuncta, quae ambae ipsius Sanctis haereditatem acceperunt, attenta masculorum exarescentia in subrogata linea Mancinelli juspatronatus utili tempore exercuerunt.

Robertus Passeggeri a praefatis feminis nominatus, quia puer erat tredecim annorum et quia ejus mater Romae natales habuerat, pontificiam dispensationem postulavit super duplici defectu aetatis nempe annorum viginti a testatore requisitae et nativitatis maternae extra oppidum Campaneam. Et, quamvis Episcopus illius petitioni plene faveret, objiciente tamen contra altero clerico Campaneanensi passive vocato die 26. Januarii h. a. rescriptum est: »Lectum, ad instantiam Roberti et notificetur Episcopo, qui moneat assertos legitimos patronos, ut ad novam rectoris beneficii nominationem juxta legem fundationis procedant.«

Paruit mandatis Episcopus, qui vulgato edicto die 6. Februarii proxime sequentis patronos admonuit de nova facienda nominatione deque jurispatronatus pertinentia demonstranda. Et dum proxime erat expiraturus novus quadrimestris terminus die nempe 30. Maji current. anni puerum duodennem Lucam Mazzarini clericum utroque parente Campaneani nato genitum sub spe dispensationis aetatis ab institutore praescriptae nominarunt et praesentarunt praedictae duae feminae, pueri paupertatem commiseratae, ut beneficii seu capellaniae redditibus propriae suae educationi ecclesiasticae consuleret. Et Mazzarinius illico Principem adiit sacratissimum per secretariam brevium, a qua dispensationis negotium ad H. S. Ordinem remissum est una cum Episcopi voto Mazzarini precibus contrario. Hic enim ita suam pandidit sententiam: »Nel fanciullo Mazzarini non si verifica il requisito della età prescritta di venti anni almeno, ed anzi manca della stessa età congrua, lo che costituisce nel caso presente un gravissimo difetto, mentre non si ha nè può aversi presentemente alcuna sicurezza, che quel fanciullo sia per corrispondere alle intenzioni del pio fondatore, come pure, supposto anche che sia per abbracciare realmente lo stato ecclesiastico e rendersi sacerdote, per lunghissimo tempo non potrebbe prestare alla chiesa il servizio voluto dallo stesso fondatore. Il perchè io non credo conveniente che venga accolta la supplica avanzata, mentre in Campagnano vi sono chierici aventi tutti i requisiti voluti e se ne ha una perfino già Suddiacono e quindi di sicura riuscita.«

Et recentioribus literis ad H. S. O. 30. Junii datis editam superius sententiam confirmat menti s. Congregationis innixus, quae Roberto Passeggeri in identico, ceu ait, casu dispensationem recusavit.

Praejactae Nepesini Antistitis animadversiones cum generalibus ss. canonum et Concilii Tridentini sanctionibus apprime concordant, cum statutum luculenter sit quod idoneae ad beneficia personae assumi debeant, in ea potissimum aetate constitutae, quae a Concilio Tridentino praescribitur ad ecclesiastica beneficia obtinenda, ceterisque praeterea praeditae requisitis in fundatione praescriptis, cum suprema morientium vota et mandata sarta tectaque servari jura omnia clament eisque derogari non soleat nisi gravi et legitima concurrente causa. Quae omnia difficiliorem etiam in casu dispensationis gratiam efficiunt, cum agatur de beneficio, cui ex fundatoris voluntate onus inest servitii choralis et residentiae.

Hic vero ulterius accedit aliam jam a sacra Congregatione rejectam fuisse nominationem ab iisdem feminis peractam favore Roberti Passeggeri haud passive vocati et inhabilis mandatumque pariter esse, ut ad novam rectoris beneficii nominationem juxta legem fundationis procederetur. Cui mandato

eo vel minus satisfactum fuisse videtur per subsequentem nominationem favore Mazzarini, cum plures adsint Campaneani, ut Episcopus refert, clerici omnibus a jure et a fundatore praescriptis praediti requisitis.

At plures autumat sibi favere exceptiones orator Mazzarinius rationabilesque simul dispensationis causas adesse contendit, quin ullum obveniat aliis passivam vocationem habentibus praejudicium.

Praemonet enim ipsius defensor maximum intercedere discrimen inter casum Roberti Passeggeri et oratoris Mazzarini petitionem. Ille siquidem rejectus est duplici potissimum et substantiali motivo, quia nimirum passiva vocatione carebat ob maternae nativitatis defectum et quia alter ex passive vocatis adversus illius nominationem et petitionem excipiebat. Lucas e contra Mazzarini substantiale requisitum habet passive vocationis et accidentali tantum laborat aetatis defectu, a quo dispensationem exorat, quin ullus ex aliis passive vocatis habilibus contradicat.

Ceterum, etsi quisquam habilis ex coetu passive vocatorum obsisteret, ejusmodi oppositio praepedire non posset dispensationem inhabilis, qui unicus est praesentatus et jus ad rem acquisivit, quia singuli de coetu vel de genere vocato, cum agatur de vocatione mediata, nullum habent jus petendi eoque minus opponendi, nisi patronorum fulciantur nominatione, ceu tradunt unanimiter doctores, *Card. de Luca de jurep. discus. 45. num. 7 et 8* et *discus. 70. num. 17 et 18.* necnon *Fargna de jurep. part. 2. can. 3. cas. 6. num. 5 et seq.*, quo loco monet in cāsu mediatae vocationis jus esse vocatis mere eventuale et in spe nominationis videlicet, addens »quando tollitur jus mere eventuale, adesse dicitur praejudicium mere eventuale, quod non meretur nomen praejudicii nec est ulla consideratione dignum.« Quare spreta in similibus casibus oppositione, prout observant iidem auctores, solet Pontifex dispensare: quod sane testantur complures S. H. Congreg. resolutiones, quas inter binae recentiores recolendae; *Placentina Dispensationis diei 21. Martii hujus anni*, in qua data est dispensatio puero Angelo Previdini contradicente licet sacerdote Lupastri ex descendentia vocatorum et subsidiarie nominato, qui praeterea qualitate sacerdotali pollebat a fundatore requisita, et *Romana seu Cingulana Capellaniae diei 6. Junii nuper elapsi*, in qua suspensa est nominatio capellaniae choralis in Basilica Liberiana favore pueri septennis e gente patronorum, dissentiente licet capitulo, ut redditus interea in ecclesiasticam pueri educationem erogarentur.

Ex aequitate namque solet S. H. Ordo gratias elargiri favore patroni activi vel passivi, quoties causa subsit rationabilis et praesertim inopia vel puer nominatus aut vocatus mediis careat ad ecclesiasticam sui educationem obtinendam. Quod adamussim contingit in casu ex attestatione parochi, qua praeterea tum optima indoles adolescentis tum mores integri tum impensum illius studium in ecclesiae servitio et propensio ad vitam ecclesiasticam commendantur: duobus enim abhinc annis clericali militiae ab Episcopo suo adscriptus est.

At Eminentairum Vestrarum erit resolvere

Dubium:

An et quomodo consulendum sit SSmo pro dispensatione super defectu aetatis ad effectum consequendi beneficium in casu?

S. C. resp:

Negative in omnibus et Episcopus administrator praefigat congruum patronis terminum ad faciendam nominationem novae personae idoneae ad formam testamenti, quo inutiliter elapso ipse provideat, facto verbo cum SSmo.

Die 26. Septb. 1863.

c) Dispensatio dilata.

Montis Falisci.

Usque ab anno 1843 die 6. Decembris vacante ob Aloysii Galeotti decessum beneficio sub invocatione b. Virg. Mariae sine originali labe conceptae, in Collegiata oppidi s. Laurentii dioeceseos Montisfalisci erecto de anno 1676. a quodam d. Laurentio Capotondi, qui ejusdem beneficii juspatronatus activum in familiam Orienti contulit, ad illud obtinendum strenue contendebant tum d. Josephus Paolucci unus ex descendentibus a primo patrono, Canonicus et ejusdem oppidi Vicarius foraneus, tum puerulus Carolus Galeatti ultimi illius possessoris ex fratre nepos. Uterque a legitimis patronis suffragia accepta praeferebat, primus scilicet septem, alter vero novem, quorum nonnulla

edita sub spe ac conditione pontificiae dispensationis a nominato obtinendae super defectu aetatis canonicae. Re ad episcopalem curiam delata et judiciali cognita ritu die 17. Septembris 1846 Vicarius generalis institutionem in vacans beneficium Paoluccio dandam esse sua sententia definiit.

Ast Carolus Galeotti ejusque nomine pater appellatione interposita causam ad supremum hoc tribunal detulit.

Ut in more positum re Emo Praesuli pro informatione et voto remissa sedulus ille acta omnia controversiae ad hanc sacram Congregationem dabat declarans in sua relatione nil aliud accepisse a contendentibus, licet appellanti mensem ad sua deducenda jura praefixisset. De hoc autem quid sentiret mox ita significabat: »inhabilem esse puerum Carolum Antonium Caleotti ad beneficium assequendum duplici ex defectu, aetatis nempe et clericalis tonsurae; nominationes, quas a patronis obtinuerat, unicam praeseferebant conditionem reportandi dispensationem super aetatis defectu. Pro hac obtinenda supplex ipse adiit s. Sedem, sed perperam; non aliud enim rescriptum obtinuit, nisi: Recurrat post exitum causae cum Canonico Paolucci. Etsi autem petitam obtinuisset dispensationem inhabilis semper manebit ex eo, quod non est clericali tonsura insignitus. Quare de justitia sententiae favore Canonici Paolucci prolatae dubitandum non esse mihi videtur.

Vadimonio deinde coram me indicti dubii formula, quae in calcem refertur, concinnata est atque ad ejusdem definitionem hodierna comitia destinata. Quia vero, post acceptum responsum dilatorium super dispensatione ab Emo Episcopo paulo ante relatum, patroni, qui sub conditione nominarunt, per emissam ad acta curiae solemnem declarationem optime sibi caverant, ne pendente recursu tempora currere intelligerentur ipsisque adimeretur facultas alium libere nominandi, ubi dispensatio denegaretur, ideoque »ad effetto di evitare le liti, che la questo incidente potrebbero derivare«, obtulit mox libellum Carolus, ut alterum, quoad novam nominationem, adderetur dubium, quod primo in calce appositum videre licet.

Hisce in facto praemissis epitomen allegationis, quam Paolucci procurator typis commissam erit distributurus, exhibere de more aggredimur. Ille primum totus in eo est ut refellat adversarium, qui et alio suo potiori jure et majori vocum numero, quibus ipse praesentatus fuit in controversum beneficium, sibi uni vindicat institutionem. Hasce siquidem rationes omnes et jure et factis falsitate prorsus laborare laudatus procurator nititur ostendere. Ad jus quod attinet nil est ait, quod de potiori jure disserendum sit. Agitur enim de jurepatronatus prorsus familiari, in quo nullum masculos inter et foeminas discrimen intercedit. Patet id ex apertissimis fundatoris beneficii verbis, quae ita se habent: »item jurelegati reliquit juspatronatus nominandi seu praesentandi rectorem seu capellanum dictae capellae ad d. Capitaneum Placens Oriens, post obitum praedicti Capitanei ad Valerianum ejus filium et filios ipsius et sic continuaretur in perpetuum in capita.« Probato igitur, pergit ipse, eos omnes qui clienti suffragati sunt de Valeriani esse progenie, prout ex arbore genealogica quam apertissime patet, quaevis potioris juris quaestio supervacanea procul dubio, ut jam dicebatur, evadit. Nulla siquidem juris praerogativa hac in parte favere potest adversario, nec ratione agnationis, quum Valerianus nullos masculos habuerit et ex filiabus nulla sit quae adhuc supersit, nec ratione eorum qui ipsum nominarunt, perinde ac isti propius adversariis primum patronum cognatione attingerent, quum re ipsa patroni hodie utrinque nominantes eodem consanguineitatis gradu a primo illo patrono distare comperiantur; nec denique ratione suae ipsius majoris proximitatis cum ultimo possessore, quum hic non de passiva vocatione nec de transitu fideicommissi ab una ad alteram lineam agatur, sed tantum de jure activo, cui haec qualitas nil ponderis addere posset; quinimo cavendum pro viribus esset, ne unquam beneficia tanquam quid haereditarium conferantur.

Quod vero spectat ad majorem suffragiorum numerum, tantum abest Carolo quas jactat nominationes prae Paoluccio suffragari, ut quinimo nullam eum efficacem habuisse appareat nominationem et praesentationem.

Ipse namque die 24. Februarii 1844, cum ad beneficium controversum occupandum nominaretur, ne quartum quidem annum agens aetatis et tonsurae clericalis defectu impar institutioni obtinendae inveniebatur, ita decernente *Concil. Trid. sess. 23. cap. 4 de reform.* Hinc,

si incapax jam tum erat, nec efficaciter praesentari poterat: quaelibet enim nominatio et praesentatio in inhabilem cadens omni prorsus caret juris effectu, licet majori vocum numero ille suffulciatur, ad ea quae tradit *Rota decis. 308. num. 1 seq. coram Rezzonico, decis. 2. num. 2. coram Crispo*, ubi super eodem aetatis defectu solerter disserens concludit, quod hisce in casibus »totum jus praesentandi in praesentantibus habilem capacem remanet consolidatum.«

Nec refert Caroli praesentationem non simpliciter, sed sub futurae dispensationis conditione factam a nonnullis inter patronos fuisse ideoque efficacem ac validam habendam esse. Nam primo perpendendum, ex decem nominantibus quatuor dumtaxat eam conditionem adjecisse quoad aetatem tantummodo, uti ex cancellarii episcopalis testimonio eruitur. Secundo vero observandum unam eandemque personam, idest Mariam viduam Dolci Fastellini duplici Carolum donasse suffragio, primo nempe simpliciter die 6. Decembris 1843, altero, ut defectui occurreret, sub conditione die 22. Februarii 1844 nomine Mariae Hyacinthae Fioravanti; ex quo sequitur non decem sed novem retulisse ipsum suffragia et ex hisce novem quatuor tantum sub conditione, quin alia quinque simpliciter exhibita, veluti non lata, sint in jure censenda.

Haud melior tamen fieret adversarii conditio, etiamsi omnia suffragia sub conditione prolata fuissent; animadvertendum enim quod, nisi conditio dispensationis obtinendae intra utile quatuor mensium tempus adimpleatur, eo semel elapso conditio evanescit. Quod vero intra dictum tempus nedum obtenta, sed ne petita quidem dispensatio fuerit, res facti est, quae vel ex ipsis rescripti verbis luculenter eruitur, cum in eo potestas facta fuerit Carolo recurrendi post exitum litis cum Canonico Paolucci. Ergo in petitione patet de lite mentionem factam fuisse vel saltem de apposito: *Nihil transeat*, quod nonnisi praeterlapso quadrimestre idest post evulgata edicta ad contradicendum emissum fuit.

Licet huic conditionalis omnium patronorum fuisset voluntas, nil tamen Carolo suffragari potuisset, quum consensus praestitus sub conditione hac non impleta resolvatur.

Ne quicquam etiam objiceretur haud licuisse institutionem in beneficium favore clientis decernere vi memorati rescripti SSmi, ne alioquin finis peracti recursus evanesceret; ubi namque hujusmodi ratiocinatio admitteretur, illud absurdi sequeretur, quod scilicet beneficium ferme in perpetuum vacare debuisset, quod profecto praeter animum mentemque Pontificis rescribentis fuisse tenendum est, qui potius facultatem Carolo indulsisse videtur recurrendi eo tantum in casu, quo institutio Paoluccio negaretur.

Alteram modo defensionis partem de clericalis tonsurae defectu ita paucis absolvit qui Paoluccii jura tuetur.

Concilium Trident., inquit ipse, *sess. 23. cap. 4. de reform.* mandat neminem nisi prima tonsura initiatum aut etiam in minoribus ordinibus constitutum ante decimum quartum aetatis annum beneficium posse obtinere. Atque infantulus Carolus nec tempore praesentationis nec cum institutionis dies ab Episcopo faciendae venisset et cessisset nec cum ejus nomine solemniter ipsa institutio flagitata fuisset, clericali tonsura erat insignitus, quodque majus est, insigniri non poterat: ergo ex hoc etiam capite ejus praesentationem nullius roboris ac efficaciae agnoscendam esse nemo non videt.

Et prorsus absurde contenderetur, posse scilicet quempiam non clericum pure simpliciter praesentari ad ecclesiasticum beneficium, quin opus sit tonsurae defectum patefacere, prout de aetatis defectu id necessarium foret.

Haec namque opinio tum obtinet quum praesentatur laicus, qui caeteroquin passiva vocatione in jurepatronatus gaudet vel saltem per certam fundatoris voluntatem ad beneficii possessionem est vocatus. Ast haec omnia in themate desiderari nec ex adverso denegari possent. Imo et illud deterius accedit, scilicet neque in Caroli facultate fuisse intra quadrimestre spatium tonsurae defectum tollere et necessariam habilitatem ad beneficium acquirere, quum legitima destitutus esset aetate ad clericalem tonsuram requisita, nec in sua manu foret aetatem legitimam complere, sed ex temporis beneficio totaliter penderet, uti optime advertit *Rota in citat. dec. 2. num. 13. coram Crispo* cum DD. ibi relatis. Quare ex hoc ipso concludendum omnem rationem cessare, ob quam licuisset efficaciter laicum in casu, quo de agitur, pure et simpliciter nominare.

Caeterum seposita etiam parumper juris efficacia et illud pro coronide adjiciendum

majorem scilicet vocum numerum potius quam adversario clienti utique favere. Nam septem suffragiis jam antea erga ipsum prolatis et alia decem accessere sub die 9. Augusti 1846, uti patet ex documento ad acta s. Congregationis exhibito.

Omnia referat haec tardius lata fuisse tardiusve exhibita.

Ad exhibitionem enim quod attinet, considerandum nullam legem adesse, quae prohibeat in secunda judicii sede nova adduci documenta, eoque vel magis, si iis utatur reus conventus. Quoad vero retardatam suffragiorum accessionem, quamvis verum sit non licere patronis post quadrimestre intervallum nova edere suffragia, tamen verum est hujusmodi terminum non a die vacationis, sed a die scientiae habitae incipere; proinde hanc scientiam quatuor ante menses habuisse illos patronos, quorum suffragia Paoluccio superaddita sunt, demonstrandum ex adverso omnino esset.

Expendendum praeterea id actum fuisse re adhuc sequuta possessione et eo tantum animo ut lis finiretur; quo in casu accedere posse patronos tradit *Roch. tractat. de jurepatron. in vers. honorificum quaest. 23, Philip. Franc. in cap.: Si hi contra quos. et gloss. cap. ut lit. pend. in 6, Rota decis. 117. numer. 3 coram Crescentia.* De altero dubio super nova nominatione nec minimum sollicitum se praebet Paolucci defensor. Quid vero ad haec omnia eidem objici queat, colligent EE. VV. ex Caroli, si forte eam exhibeat, allegatione. Nos ab hoc nihil accepimus, licet ejus procuratorem de causae propositione opportuno tempore conscium fecissemus. Erunt interim dirimenda

Dubia:

I. *An sententia curiae episcopalis Montis Falisci sit confirmanda vel informanda in casu?*

II. *An sit locus novae nominationi in casu?*

S. C. resp.:

Ad primum et secundum: dilata et coadjuventur probationes.

Die 6. Maji 1848.

d) Quando constat de caducitate beneficii si beneficiatus intra tempus sacerdotio non est insignitus?

Caesenaten.

Per apostolicas literas anni 1777 factus est clericus Philippus Achilli coadjutor Thomae ejus patrui cum reservatione annuae pensionis scutorum 36 in sacerdotali Caesenatensis Cathedralis mansionaria sub titulo s. Mariae Magdalenae praestititque ad annum 1789 servitium choro. Lex ei indicta erat suscipiendi sacros ordines infra annum sub poena caducitatis ipso jure. Quum eam igitur ex capite ignorantiae adimplere non posset et pluries ab examine, nemine discrepante, reprobatus discessisset, prorogationes idcirco ad diem 8. Augusti 1781 ab hac sacra Congregatione impetravit, si quid interim in studiis proficeret. Supplicavit deinde sequenti anno pro subrogatione pensionis in locum patrimonii sacri et promotione ad ordines; rescripsitque sacra Congregatio, quoad subrogationem pensionis pro titulo ordinationis non indigere, in reliquis recurrat ad Episcopum. Atque hinc sine aliis prorogationibus in officio continuavit.

Nepoti tandem diffidens alterum Thomas Achilli anno 1789 elegit coadjutorem, sacerdotem nempe Jo. Baptistam Massa: sed electionem hanc revocavit, dum post signatam gratiam contendebat in Dataria apostolica de expediendis literis secundus coadjutor cum primo; et in hoc rerum statu decessit. Deleri statim fecit Caesenatensis Episcopus a mansionariorum albo clericum Achilli auctaeque fuerunt in Dataria contentiones. At Emus Pro-Datarius facto verbo cum Sanctissimo remisit ad sacram Congregationem Concilii judicium super praetensa caducitate instantis ob non susceptos sacros ordines infra tempus praefinitum et prorogatum; in reliquis instet post exitum causae in dicta sacra Congregatione Concilii. Interim optionem ad mansionariam s. Mariae Magdalenae uti vacantem ob non susceptum ab Achillio presbyteratum petiit etiam Antonius Sautini mansionarius s. Clementis. Praefixo itaque collitigantibus termino ad deducenda jura sua in sac. Congregatione unus judicio sistit clericus Achilli.

Nulla major sane controversia quam de vacatione beneficii ob non adimpletam legem suscipiendi sacros ordines intra praefinitum tempus, ubi adjecta sit poena caducitatis ipso jure, eo ipso, ipso facto. Affirmat Achillius, eam non induci ante monitiones et declaratoriam sententiam, juxta *Clementin. ut ii, de aetat. et qualit. ordin.* confirmatam a sac. *Concil. Tridentino sess. 22. cap. 4. de reform., Fagnan. in cap.: Cum in cunctis*

§: *inferiora, de elect. num. 39, Pignatell. consult. 75. num. 6 et seq. tom. 7*, declaratoriam scilicet facti, *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat. canon. lib. 4. tit.* 8. *num. 30 et 31, Rot. in nuper. decis. 238. num. 3 et seq. tom. 6.* Aequum porro non est quemquam indicta causa beneficio privare; *gloss. in leg. jubemus 2.* §. *oeconomus verb.: privatur cod. de sacros. eccles., Sot. de justit. et jur. lib. 1. quaest. art. 6. cons. 1, Petr. ad constit. 8. Innocentii IV. num. 11, Bellett. disquisit. cleric. part. 1. de disciplin. cleric.* §. *17. num. 8, Pignatell. consult. 88. num. 120. tom. 9*, licet imposita sit caducitatis poena cum clausula: ipso jure et facto, vel ampliori etiam altera: sine una monitione et declaratione judicis, *Sanch. in praecept. decal. lib. 2 cap. 22. num. 19 et seq., Bellett. disquisit. cleric. part. 2 de poen. cleric.* §. *54. num. 15* et sacra haec Congregatio in *Romana Canonicatus 9. Septembris 1786.*

Et ratio est, quia in notorio etiam non assumpti sacerdotii facto aliqua esse potest excusatio, quae ad odiosam excludendam caducitatis poenam àdmittitur, *Rot. cor. Molin. decis. 918. num. 60, cor. Rezzonic. dec. 76. num. 35* et in *Vicen. Beneficii 22. Novembris 1754.* §. *3. cor. Borull.* Se autem Achillius ex hoc excusat, quod per ipsum non stetit, quin ad sacerdotium ascenderet, ob injustam scilicet defuncti Episcopi repulsam. Qui iterum enim atque iterum reprobatus ab eo fuit ex capite ignorantiae, approbatus est superiore anno a Vicario capitulari tanquam idoneus, judicio etiam duplici publici lectoris, parochi aliorumque.

Plures contra magni nominis doctores sustinent, caducitatis poenam sub clausula: eo ipso, ipso jure, ipso facto, canonem esse latae sententiae et conditionem resolutivam gratiae ideoque vacationem inducere beneficii per simplex inadimplementum legis, *Rebuff. in prax. dispens tit. de non promot. intra annum num. 1. pag. 221, Amyden. de styl. Datar. tit. 16. de dispens. de non promoven.* §. *7. num. 10, Corrad. prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 30 et 32, Clericat. de benef. part. 1. discord. 80. num. 69 et 14, Rot. in Ostunen. Canonicatus 15. Januarii 1750.* §. *8. cor. Molino* et in ejus *confirmatoria 14. Maji 1751.* §. *5 et seq. cor. Elephantutio.* In hoc autem doctorum conflictu ea est utriusque sententiae conciliatio, ut praemittenda non sit sententia declaratoria collationi beneficii, de qua hic agitur, sed privationi possessionis, ut praemitteretur in nostro themate per definitionem sacrae Congregationis. Ita *Clericat. de benefic. part. 1. cit. discord. 80. num. 10, Valent. de re ecclesiast. vot. 20. num. 34, Rot. in Recent. decis. 69. num. 7 et 8. part. 12* et *coram Caprar. decis. 75. num. 5 et seq.*

Nonnulla adversus clericum Achilli opponuntur crimina illudque praesertim falsi ob supplantatam occasione examinis attestationem ejus confessarii de sacramentorum frequentia. Hoc ille non inficiatur factum; sed peccasse fatetur propter absentiam confessarii impensamque voluntatem accedendi ad examen. Plura de cetero sunt de bonis ipsius moribus testimonia, licet de his fortasse quaeri non debeat in hac causa, quae strictim remissa est ad sacram Congregationem super praetensa caducitate instantis ob non susceptos sacros ordines infra tempus praefinitum et prorogatum.

Dubium est:
An constet de caducitate in casu?

S. C. resp.:
Negative et ad mentem; mens est quod scribatur Ordinario ut in Senogallien. anni 1754.

Die 15. Septb. 1792.

32) Usufructuarius.

Vd. *p. 142. n. 15.*

Praenestina.

Quilibet beneficiatus aequiparetur in vità usufructuario, *cap.: Praesenti de offic. Ordin. in 6, cap.: Requisiti de test., cap. final. de peccat. cleric.*, et usufructuarius tenetur ex fructibus res in bóno statu conservare. *Leg.: Usufructu Legato I. respons. in fin. et* §*: Hactenus ff. de usufructu leg. Cum ad quem cod. eodem.*

Die 8. Aug. 1801.

Fabrianen.

Beneficiatus super beneficio gaudet tantum jure perficiendi fructus et ad instar usufructuarii haberi debet, *Gloss. in cap. final. de offic. Ordinarii n. 6, Sperell. decis. 82. num. 9, Barbat. de divisione fructuum part. 3. cap. 8. num. 21.*

Die 19. Decbr. 1801.

Beneficium.

1) Adjici quando potest onus novum a fundatore?

Vd. *Beneficium* (resignatio benef. alicujus patronat. in favor. etc decr. *Maceraten* §. *Causa* etc. § *Cozzius* etc.; mutatio; conditiones etc.); *Fundatio. Missa* (hora celebr. ab Episcopo design. decr: *Urbevetana* §. *Episcopus* etc. §. *Denique* etc.).

Beneficii erector seu fundator potest in limine erectionis seu fundationis adjicere quascumque qualitates,*) leges et conditiones sibi benevisas etiam juri communi contrarias, dummodo non sint turpes, impossibiles et contra naturam juris patronatus et ab Episcopo sint concordatae et admissae; *cap. Significatum 11. de praebend., c.: Praeterea 23. de jurepatronat.* et *cap.: Quanto 16. de censib.* et est communis DD. cum *Rota decis. 1. de praebend. in novis.* et *dec. 2. de testament. in antiquis.* Et tales qualitates, leges et conditiones in limine fundationis adjectae debent omnimode integre observari; *Clement. Quia contingit cap. 2.* §. *2. de religiosis domibus*, ubi dicitur: »Cum tamen ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant non ad alium (salva quidem Sedis apostolicae auctoritate) converti« et concordat *textus in leg. Nulli licere, cod. de Episcop. et Cler.* et *c. Nos quidem 3. de testam.* et expresse *Conc. Trid. sess. 25. cap. 5.* praecisis his verbis: Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur; quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis consuetudinibus qualitates aliquae requiruntur seu certo illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur«, et in fine: »Aliter facta provisio subreptitia censeatur«. Unde si fundator in limine fundationis statuit, ut vacante beneficio a se erecto istud debeat conferri uni ex consanguineis descendentibus ex sua cognatione,**) haec dispositio et conditio est omnino observanda, ut censuit *Rota in una Caesaraugustana Capellaniae 16. Martii 1587 coram Seraphino.*

Juremerito fuit dictum posse fundatorem beneficii in limine fundationis ipsius adjicere conditiones sibi benevisas, etiam jure communi contrarias, quia, etiamsi ipsae conditiones sint juri communi contrariae, dummodo sint honestae et possibiles, adhuc debent omnimode observari, ut tenet *glossa* communiter recepta in *cap.: Cum dilectus 8. de consuetudine.* verb.: *Constitutum* in fine; *Card. de Luca de beneficiis disc. 95 n. 10, Fagnan. in cap.: Cum in cunctis 7. de electione n. 72. et 73*, ubi refert sic tenuisse sacram Congregationem, quam secuta fuit *Rota p. 2. dec. 194. num. 1. in Granaten. Capellaniae 12. Januarii 1606*, ubi fuit decisum, quod in beneficio simplici jurispatronatus non habet locum dispositio Conc. Trid. *sess. 23. cap. 6 de reformat.* volens, quod obtinens sit major 14 annis, quando in fundatione dicti jurispatronatus fuit dispositum, quod etiam minores possint illud habere. Et *Fagnan. loc. cit. num. 73.* dicit sac. Congregationem respondisse Episcopo Nepesino, quod canonicatus Cathedralis*) potest conferri ante aetatem a jure communi vel Concilio Tridentino praescriptam, si ita dispositum fuerit a fundatore in limine ipsius fundationis et talem conditionem in erectione et fundatione beneficii posse etiam Episcopum admittere. Unde infertur, quod patronus haeres sive fundatoris successor non potest neque cum consensu Episcopi alterare seu mutare leges, conditiones seu qualitates in limine fundationis a fundatore appositas, quamvis juri communi contrarias. Sic conformiter Concilio Tridentino *sess. 25. de reformat. Card. de Luca de beneficiis disc. 96. num. 6. et 7.* citans *Rotam* in *Alexandrina Decanatus 12. Junii 1598 coram Orano* et etiam *Rotam p. I. Recentior. dec. 296. num. 9, Pirrhus Corradus in praxi beneficiorum lib. 2. cap. 10. num. 145. et seq.*, ubi *num. 152.* refert declarationem sacrae Cong. Concil., quae, cum inter alia interrogaretur:

»An de consensu patroni possit dispensari cum minori viginti quinque annorum ad capellaniam simplicem obtinendam, ad quam ex fundatione est praessentandus sacerdos?«

*) Vd. *p. 185. n. 27.*
**) Vd. *p. 236 n. 31. a.*

*) Vd. *t. I. p. 279. n. 3. etc.*

respondit: »Hanc dispensandi facultatem Episcopis post Concil. non competere.«

Sic tenet et refert etiam *Fagnan. in cap. Conquerente 6. de clericis non residentib. n. 24*, ubi dicit: Sacram Congregationem censuisse, quod hodie ex decreto Concilii Tridentini *sess. 25. cap. 5. de reformat.* non sit in facultate Ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis etiam de consensu patronorum, ut etiam dixit *Rota in dicta Alexandrina Decanatus 12. Junii 1595 coram Orano.* Immo neque ipse fundator etiam de consensu Episcopi potest mutare leges et conditiones a se in fundatione positas et ab Ordinario acceptatas, si talis mutatio esset in praejudicium ecclesiae vel tertii, quia Tridentinum et declarationes cit. sac. Congr. non distinguunt inter patronum viventem et defunctum. Sic *Pirrhus Corrad., Card. de Luca et Rota p. VII. recentior. dec. 37. n. 1. et seq.*

Conditiones juri contrariae in limine fundationis beneficiorum appositae ut sustineantur, requiritur omnino expressa et specialis approbatio Ordinarii. Quo fit, ut sub generali decreto erectionis approbatae non censeantur conditiones hae juri contrariae juxta originalem doctrinam Philippi Saraceni, quam laudat et sequitur *Lambertin. de jurepatronatus lib. 1. part. 1. quaestion. principal. 9. num. 50.* in fine. Quando autem dictae conditiones juri contrariae dicantur ab Ordinario approbatae necne, consule *Rotam in Casertana Beneficii 28. Junii 1745. §. 7. et plur. sequent. cor. clar. mem. Millino et 24. Januarii 1746. §. 13. et duob. sequent. cor. R. P. D. Elephantutio.*

Num fundator adjicere ex intervallo possit conditiones juri contrarias, non incongrue hic discutitur. Sequenti autem distinctione est procedendum: vel enim fundator in ipso fundationis limine approbante Ordinario facultatem sibi reservavit addendi vel mutandi vel non reservavit. Si reservavit quidquid contra dicat, (Add. ad Pamphil. decis. 54. n. 8.) communis est sententia, posse fundatorem et jam ex intervallo adjicere conditiones juri contrarias, quippe quae vigore dictae reservationis censentur appositae in ipso limine fundationis, *Piton. de controver. patron. alleg. 82. n. 8.* in fin. et *discept. ecclesiast. 25. n. 9.* in fin., *Corrad. in prax. benefic. lib. 2. c. 10. num. 151., Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 10. quaest. 5. num. 203., Cagliard. de jurepatron. cap. 6. num. 6.* in fin. Quod si non reservavit, non est in fundatoris potestate adjicere amplius conditionem juri contrariam.

An autem fundator vel ejus haeres adjicere ex intervallo queant conditiones, quae non sint juri contrariae, vd. *Vivian. de jurepatron. lib. 2. cap. 8. n. 10.* et *Gagliard. de benefic. cap. 3. num. 14.*

Firmana.

Certum est et communi doctorum placito firmatum fundationes post editum ab Ordinario decretum non posse immutari nec in minimo alterari: quando tamen variandi facultas fuit in fundatione reservata, tunc novae leges ac conditiones adjici ex intervallo possunt, quia reservationis vigore retrahantur ad tempus, quo hujusmodi facultas fuit reservata, cum reservatio importet praerogativam perfectionis fundationis et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem. *Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10. quaest. 5. num. 151.*

Die 12. Mart. 1774.

Ariminen.

Post exaratam donationem non potest fundator novas in testamento conditiones adjicere multoque minus jus nominandi communitati tributum immutare, *Leg. Perfecta codic. de donat., Rot. in recent. decis. 515. n. 1. et seq.*

Die 26. Febr. 1774.

Terracinen.

Nova onera superaddenda non esse, quoties perspecta sunt illa, quae ex fundatione adimpleri debent: *Monacell. formul. legal. tom. 4. supplem. ad 1. pag. 28. num. 241.*

Die 14. Septbr. 1782.

Montisfalisci.

Fagn. in comment. ad canon. de jurepatr. part. 2. can. 1. et 2. cas. 7. num. 6. addit, quod fundatores ante erectionem beneficii perfecte secutam possunt tollere et adjicere quascumque substitutiones sibi benevisas. *Corrad. in prax. beneficiorum lib. 2. cap. 10. num. 150. et Piton. discept. eccles. 25. numer. 9.* contendunt, quod, sicuti fundatores in beneficiorum erectione apponere possunt onera, qualitates, conditiones et leges sibi benevisas, ita pariter hisce omnibus suppleri debet post peractam perfectamque erectionem, si neglectae vel omissae ab Ordinario deprehendantur, dum erectionis actum expletum est.

Die 21. Aug. 1784.

Perusina.

Post beneficii erectionem nova onera non sunt imponenda, nisi legitima id postulet causa utilitatis vel necessitatis ecclesiae, sac. Congr. in *Veliterna Residentiae 20. Martii 1790. §.: De viribus, et in Tranen. Reductionis et commutationis onerum 24. Julii 1854. §.: Quod.* Gravare siquidem beneficia non est Episcopi sed fundatoris, uti ex textu in *cap.: Porro de privilegiis* admonet *Fagnan. in cap.: Conquerente de clericis non residen. num. 24. et seq., Barbos. ad Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. num. 7. de refor., Garzias de benef. part. 7. cap. 1. num. 112., Monacell. Formular. tom. 2. tit. 15. ad formulam primam num. 19.* et sac. Congr. in *Vercellana 12. Septembris 1750 §.: Confugit.*

Perpendendum tamen est, etiam ex consuetudine onera favore ecclesiae induci posse, uti pluries monuit sac. Congr. et praesertim *in cit. Vercellana 12. Septembris 1750*, et missarum onera evinci non modo prolata fundatione, sed etiam probato per diuturnum tempus implemento, uti docuit ead. sac. Congreg. in *Burgi s. Domini Beneficii 17. Martii 1781. §.: Hinc* et in *Comen. Legàti missarum 20. Martii 1824.* Cum igitur ab anno 1764 ad haec usque tempora missas 42 semper celebratas fuisse constet, totidem Sacra nunc quoque et in perpetuum a rectore beneficiorum s. m. de Baltrignana et s. m. Pontis novi offerenda videntur.

Die 21. Jan. 1826.

Calaritana.

Fundatori profecto integrum est in institutionis vestibulo, accedente Ordinarii et capituli consensu, leges quascumque velit apponere easque etiam juri communi contrarias, dummodo nec turpes sint nec alias a jure improbatae nec beneficii substantiam destruentes, *Lambertin. de jurepatron. lib. 1. part. 1. quaest. 9. num. 52., Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. num. 15, Barbosa de officio et pot. Episc. lib. 1. tit. 2. gloss. 17. num. 18.*, s. Congr. in *Ripana Erectionis canonicatuum 30. Januarii 1830. §.: Longe.*

Die 7. Sept. 1831.

Alben.

Proprium non est Episcopi sed fundatoris beneficia oneribus gravare, quemadmodum ex *text. in cap. Porro de privilegiis* admonet *Fagnanus in cap. Conquerente de cler. non resid. num. 24 et seq., Garzias de benefic. part. 7. cap. 1. num. 12.*, s. Congregatio in *Vercellen. 12. Septembris 1750 §.: Confugit* et in *Galaritana Onerum 17. Septembris proxime elapsi §.: Haud vero.*

Die 3. Dec. 1831.

Fanen.

Cum ex Tridentinae synodi dispositione *sess. 25. cap. 5. de refor.* leges fundationis sancte ac pie sustineri et custodiri debeant, cautum hinc jure est, ut post peractam beneficiorum erectionem non alia queant beneficiatis imponi onera, quam quae a fundatore initio imposita et constituta sunt. Hinc non solum non est in facultate Episcopi vel capituli novis praegravare oneribus beneficia, ceu post textum *in cap. Porro de privileg.* admonet *Fagnan. in cap. Significatum num. 2. et sequ. de praebend.* et in *cap. Conquerente de cleric. non resident. num. 24., Garzias de benef. part. 7. cap. 4. num. 12., Monacell. Formul. pract. tom. 2. tit. 15. ad formul. 1. num. 19.* et tenuit s. Congr. in *Verulana. 12. Sept. 1750. §.: Confugit;* et in *Calaritana Onerum 7. Sept. 1770. §.: Haud vero*, sed nec ipsis patronis fas est pro lubitu suo quidquam agere, ex quo et beneficii status immutari et ejusdem onera ac servitutes augeri possint. *Abbas lib. 3. decretor. cap. 3. num. 4. de jurepatr., Rota in Recent. dec. 5. num. 4. part. 5. tom. 2.*

Quod adeo verum est, ut ne id quidem liceat, quamvis per novas leges ab Episcopo vel a capitulo vel a patronis latas fundatoris voluntatem in melius ampliari contingat; nam praeterquam quod de oneribus agatur, quae utpote odiosa coarctari potius quam ampliari debeant, illud continuo recurrit fundatorum voluntates adeo religiose servandas esse, ut ne in melius quidem, immutari debeant, quemadmodum post text. in *Clement. Quia contingit de religios. domibus leg. 7.*

cod. de testam. docet *Gràtianus discept. forens. cap.: Nos quidem de testam. num. 35.* ac saepe definivit s. Congregatio ceu in *Forolivien. Translation. legati 16. Junii 1830. §: Hisce* ac praecipue in *Montis Falisci 25. Januar., 8. Febr., 8. Martii et 24. Maji 1721,* in qua abrogata tuere onera licet imposita ab Ordinario ad majorem dei cultum et ecclesiae servitium et per spatium annorum nonaginta circiter adimpleta.

Die 12. Mart. 1853.

In ecclesia parochiali N. existit capellania, cujus lex fundationis anni 1412 his verbis est expressa: *volumus quod beneficiatus* (scilicet capellanus) *ipsius ecclesiae seu capellae omni die seu saltem quinquies in hebdomada missam in dicta ecclesia celebrare teneatur; justo tamen impedimento cessante, et si negligens fuerit vel renitens ad celebrandum ipsam missam, seu ipsam missam non celebraverit, quod ipse beneficiatus incurrat poenam solidorum duorum pro qualibet vice, qua ipsam missam non celebraverit, convertendam in utilitatem dictae ecclesiae.«*

Hac exposita fundationis lege Ordinarius quaesivit, utrum ad preces eorum, quorum interest, possit obligari capellanus ad accensendum inter quinque hebdomadales dies (quibus saltem juxta legem fundationis celebrare tenetur) dies festos.

Rogatus Ordinarius ut iterum inspecta fundationis lege referret, si quid forte inveniret quod magis praecise explicaret tum originem tum valorem praedictae obligationis: retulit se praeter allata superius verba nil aliud reperiisse, quod clariorem lucem possit super illis affere. Interea monebat ob quasdam circumstantias circa annum 1854 a curia decisum fuisse, inter quinque missas comprehendi debere missam diebus festis.

Ea quae ex officio observabantur.

Praestituto generali principio, quo onera beneficiorum dimetienda sunt juxta leges fundationis, ita ut hae nec in melius mutari possint, *Clement. Quia contigit, de relig. domibus,* observatur, in praesentia sermonem tantum esse de missa quinquies saltem in hebdomada celebranda: cum determinatio dierum facta non fuerit, liberam videri celebrationem quovis hebdomadae die. Adsignatio enim peculiaris dierum vel horarum nova est obligatio, quae imponi non potest si in lege fundationis non sit praescripta.

Verum denegari non posse advertebatur, quod ipsi fundatores in ejusmodi institutionibus consulere plerumque intelligant fidelium necessitati; hinc visum est (*Ceccoper. Lucubrat. canon. l. 3. n. 146 et seq.*) non licere capellanis sacra mysteria temporibus et horis sibi benevisis peragere, sed teneri easdem celebrare ad ecclesiae commoditatem juxta ordinationem tabellae vel mandatum ejus, cui competit jus disponendi missas in ecclesia et in casu quo illi recusent Episcopi esse in actu s. visitationis providere, ut prima missa summo mane et deinde caeterae debito intervallo usque ad meridiem celebrentur ad populi commodum, praesertim diebus festis. Ad hujus assumpti probationem allegat resolutionem s. Congregationis apud *Nicolium in flosculis verbo: capellanus n. 3*, cujus verba sunt: *Capellani etiam jurispatronatus celebrare debent in horis commodis ecclesiae.*

Contrariam tamen sententiam sustinet *Pitonius de controv. patron. alleg. 100. n. 29* afferens S. C. C. resolutionem in *Pisauren.* 6. Aprilis 1648, quae in regestis s. Congregationis reperitur *Lib. Decret. 18. pag. 231.* his verbis concepta: *S. Congr. respondit: Episcopum Oppiden. oratorem obtinentem beneficium simplex in ecclesia cathedrali Pisaurensi cum onere celebrandi missas duobus diebus cujuslibet hebdomadae et aliquibus diebus festis non posse cogi ab Episcopo Pisaurensi ibidem celebrare vel celebràri facere certis diebus et horis per eumdem Episcopum Pisauren. praescriptis sed tantummodo posse illum hortari ut celebret vel celebrari faciat.«* Quod in alia *Pisauren.* diei 17. Maji 1654 idem decisum reperitur, ut legitur in iisdem regestis *Lib. 19 Decret. p. 243*; proposito enim dubio: »an capellanis capellani»arum de jurepatronatus laicorum in ecclesia »cathedrali erectarum possint ab Episcopo »assignari dies et horae, in quibus celebrent »missas ex obligatione earumdem capellani»arum celebrandas?« S. Congr. respondit: *Episcopum non posse cogere hujusmodi capellanos ut missas celebrent vel celebrari faciant certis diebus et horis.*

Recens praeterea adducebatur quaestio in *Florentina Celebrationis missarum* die 18. Aprilis 1836. In ecclesia fratrum hospitalitatis infirmis inservientium existere dicebantur capellaniae sive ibidem erectae sive etiam translatae cum onere missas festivis diebus

celebrandi. Cum autem populi commodo et ecclesiae servitio haud parum expedire iidem fratres judicarent, ut missae a primo mane ad meridiem continuata serie celebrarentur, quod sine augmento eleemosynae facere non poterant, in eam venerunt sententiam, ut onus celebrandi certis horis vel onus augendae eleemosynae in earumdem capellaniarum rectores rejicerent. Proposito itaque dubio: »an et quomodo rectores capellaniarum cogi »valeant ad missas celebrandas vel celebrari »faciendas certis horis diebus festis in casu?« S. C. respondit: *negative in omnibus et Archiepiscopus adhibeat hortationes.*

Haec autem ex generali principio deduci animadvertebatur, non posse episcopali auctoritate novum onus beneficiis imponi, quod in fundatione non contineatur.

His propositis supererat judicandum: an in casu ex adducta fundationis lege teneretur capellanus celebrare in propria ecclesia unam ex praescriptis missis diebus festis?

Responsio. — S. Congregatio Concilii quaesitunculae *per summaria precum* expositae die 9. Decembris 1865 respondere censuit: *Non teneri.*

Ex iis colliges:

I. Onera capellaniarum seu beneficiorum determinanda esse ad normam legis fundationum nec posse ordinaria auctoritate ea onera augeri.

II. Quare non determinatis aliqua ratione diebus vel horis in lege fundationis, quibus missae celebrentur, regulariter capellani cogi non possunt ad celebrandum determinatis diebus et horis.*)

2) Adjici potest novum onus auctoritate apostolica.

Veliterna.

Ordinaria Cardinalis Barberini auctoritas satis fortasse non fuit ad novum superaddendum onus beneficio jam erecto, quum requiratur in id pontificia. *Text. in Clement. Quia contingit, de religios. domib., Fagnan. in cap.: Significatum num. 2. in fin. de praebend., Ventrigl. in prax. for. eccles. part. 2. annot. 28. §. 1. num. 47.* Atque ea verba *»tam auctoritate ordinaria quam vigore quorumcumque privilegiorum et indultorum apostolicorum«* adhibita non fuerunt per Cardinalem Barberini in adjectione oneris, sed in collatione beneficii. Saepe autem sacra haec Congregatio beneficiatos absolvit ab onere, quod neque impositum in fundatione neque apostolica inductum fuerat auctoritate, ut *in Tudertina Capellaniae 12. Martii 1718, in Montis Falisci 31. Maji 1721 et in Urbevetana 24. Novembris 1787.*

Die 20. Mart. 1790.

---

*) Dixi *regulariter:* namque licet Episcopus novum onus injungere non possit beneficiis atque inde non possit novam imponere obligationem capellanis celebrandi missam determinatis diebus et horis, quam ex lege fundationis non habent: urgente tamen populi necessitate, cui consuli alia ratione facile non possit, potest cogere capellanos, ut celebrent determinata die vel hora Cogere autem eosdem potest non ex vi legis fundationis, sed ex alio generali principio, quia ipsi utpote sacerdotes habent ratione ordinis munus suum addictum populo, ut loquitur *Pasqualigus de sacrif. missae q. 844 n. 11.* Concilium namque Tridentinum *sess. 23 c. 14* statuit: *Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, et hi sint, qui ... ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta. idonei comprobentur.* .. *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus, ... missas celebrent.* Unde *Pasqualigus loc. cit.* haec scripsit: »Si in aliquo oppido »sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare »diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, po»terit Episcopus eis praecipere ad celebrandum die»bus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, »eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora con»veniant ad audiendam missam, et ideo, cum sacer»dotes habeant ratione ordinis munus suum addic»tum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impen»dant officium suum populo offerendo sacrificium, »ut absque difficultate possit adimpleri praeceptum »audiendi Sacrum...« Quae auctoris verba inseruit Benedictus XIV. in sua constitutione *Declaratis his,* ad indicandum unum modum, quo iteratio missae diebus festis declinari possit.

Ipsemet *Pitonius,* qui *allegation. 100.* confutat Ceccoperii sententiam, casum necessitatis excipit, his verbis: »excepto casu necessitatis ecclesiae pro »indigentia populi, cui succurri nequeat cum aliis »missis.« Quo sensu forsan accipienda erunt verba, quae tanquam s. Congregationis tradit Nicolius in loco supra citato.

Caeterum, licet capellani de quibus agimus cogi regulariter non possint ut ad majorem populi commoditatem missam successivis horis celebrent, non tamen id facere detrectabunt (maxime si Episcopus sit qui eos hortetur), si ii non sint, qui vel de populo christiano nullimode solliciti ignobili commoditati nimis indulgent vel paupertate pressi eleemosynam majorem quaeritare coguntur.

In cathedralibus autem vel collegiatis ecclesiis ipsi Canonici vel beneficiati tempore, quo ad populi commodum ex licentia praefecti chori celebrant, distributiones chorales non amittunt.

Praenestina.

Ordinarii auctoritatem tanti non esse, ut nova onera post fundationem beneficio superaddita valeat approbare, *Loter. de re benef. lib. 2. quaest. 51. n. 38, Fargn. de jurepatr. part. 6. can. 11. cas. 1. n. 2, Rot. cor. Falconer. de jurepat. decis. 61. n. 5.* Licet post completam fundationem nec Episcopus anctoritate ordinaria nec ipsemet fundator nova onera et conditiones adjicere possit, *Fagnan. in cap. Significatum de praebend. et dignit. num. 4*, nihilominus, si summus Pontifex suprema qua pollet auctoritate nova onera imposuerit vel imposita confirmaverit, tunc tenetur beneficiatus ea subire atque adimplere. Patet id ex eodem *cap. Significatum*, quo Alexander III. scribens praeposito et capitulo Insul. confirmavit onus missae quotidianae de b. Virgine ordinaria auctoritate cuidam praebendae impositum et rectorem adegit ad hujusmodi onus subeundum.

Die 20. Aug. 1774.

3) Adjici potestne onus a benefactore beneficii?

Conditiones et onera adjici posse non solum a fundatoribus sed etiam a patronis, qui capellaniae aut beneficii dotem auxerint, censet *Lambertin. de jurepatron. lib. 1. per. 2. quaest. 4. art. 4. num. 20., Rot. coram Seraphin. decis. 1414. numer. 1., coram Coccin. decis. 146. num. 9 et s.* Congregatio in *Melevitana Jurispatronatus. 2. Junii 1729.*

4) Quid et utrum ab Episcopo aliquid adjici possit?

Vd. *Missa* (hora celebrandi ab Episc. design. etc. decr: *Urbevetana* §. *Denique* etc.)

Beneficium (adjici pot. nov. onus auctorit. apost. p. 357; adjici quando potest a fundatore? p. 353; 356 §: *In ecclesia*; mutatio, conditiones.) *Beneficium ecclesiast.* (in servitutem etc.)

Episcopus non potest clericis beneficiatis addere nova onera in fundatione beneficiorum a fundatoribus non apposita aut a sacris canonibus non imposita, v. gr. non potest injungere clerico beneficiato onus residentiae, quod testator seu fundator non injunxit; nec addere, quod beneficiatus seu capellanus pro tempore per seipsum missas celebret,*) prout respondit sacra Congregatio Concilii in *Viterbiensi 11. Januarii 1698* et in *Asten. 14. Februarii 1699* et *Mexicana 16. Maji ejusdem anni 1699*, neque alio modo testatoris voluntatem immutare, eadem sacra Congregatio Concilii in *Derthonen. 4. Junii 1701*, *Barbosa* supra Concil. Trident. *sess. 25. de reform. c. 5. n. 7*, ubi *n. 11* addit, neque de consensu patronorum posse Episcopum nova onera addere clericis beneficiatis; et sic decisum fuisse a sac. Congr. Conc. refert *Garcias de benef. par. 7. cap. 1. num. 122.* Et ibi Garcias hoc ampliat, etiamsi aliquo tempore ex sua voluntate praestiterint, et tenent *Riccius in praxi parte 4. resol. 468. num. 2, Fagn. in cit. Conquerente, de clericis non residentibus num. 24 et 25.* Et etiamsi consensus Canonicorum seu beneficiatorum antecessorum intercessisset, *Riccius loc. cit. resolut. 436. per tot., Monacell. tom. 3. tit. 2. form. 7. num. 21.*

Episcopus neque de consensu et positiva voluntate haeredis seu patroni potest in erectione capellaniae seu beneficii eis injungere onus residentiae, quod testator non injunxit, nec addere, quod beneficiatus sive capellanus pro tempore per seipsum missas celebret, sac. Cong. Concil. in *Viterbien. 11. Januarii 1698.* Nec Episcopus etiam de consensu patroni potest reducere et moderari missas in limine fundationis beneficii impositas, quamvis redditus ipsius beneficii ob temporum injuriam sint diminuti, ex decreto de celebratione missarum a sac. C. demandato Urbani VIII. edito 2. Junii 1625 et confirmato ab Innocent. XII. 28. Decemb. 1697, in cujus decreti §. 1. sic praecise habetur: »Districte prohibet atque interdicit ne Episcopi in dioecesana synodo aut Generales in capitulis generalibus vel alias quomodolibet reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad apotstolicam Sedem recurratur; qua re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit:« Et clarissime habetur in declarationibus sacr. Congregationis Concilii eidem decreto subjunctis, quod Sedes apostolica sit omnino adeunda pro hujusmodi missarum reductionibus seu moderationibus, ut patet in responsione ad hoc primum dubium:

*) Vd. *p. 146.*

Quaeritur: quid si legatum est ita tenue, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

S. C. C. respondit: Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris ut supra impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino e re esse judicaverit.« Et sic stat clarum, quod Episcopus nequit ullimode onera et missas reducere ac moderari, nisi sit ei concessum in ipsa beneficii erectione, ex citata responsione sacrae Congregationis ad primum dubium, ubi sic praecise subjungit: »Verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.«

Romana.

Fargna in suo tract. *de jurepatronat. part. 2. can. 27. casu 4* docet non modo patronum sed ne ipsum quidem Episcopum posse alia onera addere iis, quae in fundatione posita sunt et casu V. statuit neque Episcopum adjicere posse onus frequentandi doctrinam christianam (quamvis ea sit valde utilis puellis), ne praejudicium irrogetur iis, qui liberum habent jus nominandi.

Die 30. Maji 1835.

Reatina.

Nova onera beneficiis imponenda non esse jubet *textus in cap.: Dilectus de consuet., cap. Prohibemus de censibus* et *cap: Porro de privileg.*, cui consonant canonistae, sane *Amostaz. lib. 2. de caus. piis n. 43.* docet quod, *si fundator non praescripserit dies festos, potest capellanus pro lubitu celebrare.* Die 4. Apr. 1840.

Episcopum etiam tamquam visitatorem apostolicum sine speciali facultate onerare non posse nova obligatione beneficium simplex tradit ad mentem sac. Ordinis *Fagnanus in cap.: Significatum n. 1 et seq. de praebend.* et *Scarfant. lucubrat. canon. in anim. lib. 3. tit. 11. n. 6. in fine.*

(Ibid.)

Reatina.

Condidit die 20. Augusti 1827 supremum elogium suum Angelus Silvaggi Reatinus jussitque tres filias suas, quas universales scripsit haeredes, confraternitati Reate a bona morte nuncupatae tradere adsignatos fundos ac centum quinquaginta scutorum summam, quibus in capitale fructiverum redactis erigenda foret perpetua capellania sub invocatione b. Columbae ad aedem s. Petro Martyri sacram, ubi sodalitium praedictum Sacra facit. Mandavit insuper capellanum ab Antistite pro tempore eligendum esse clericum, et si is adesset inter descendentes haeredum praedictarum »*dovrà esser nominato apreferenza dichiunque altro.*« Eidem vero capellano onus imposuit »*di celebrare annualmente 200 messe in un altare da scegliersi e destinarsi da Monsig. Vescovo, di assistere in qualità di capellano alla Compagnia della morte tanto nelle Processioni quanto nei funerali, ed intervenire a tutte le sacre funzioni e ceremonie, che fra l'anno dalla medesima Compagnia si faranno celebrare.*«

Verum codicillaribus tabulis die 27. Octobris 1836 exaratis testator summam ab haeredibus tradendam auxit ad scutata tercenta declaravitque: »*voglio, che il capellano abbia soltanto l'obbligo di celebrare annualmente messe 200 nell' altare che destinerà Monsig. Vescovo, e tolgo ad esso il peso di assistere alle processioni, funebri associazioni, ed altre funzioni e ceremonie della nominata confraternità.*« Curatores vero testamentarios dixit Canonicos Simeoni et Dominicum Giannini, quibus dedit »*ogni più ampia, illimitata ed opportuna facoltà di prendere quelle misure e quei temperamenti, che crederanno necessarii ed espedienti per la pronta ed esatta esecuzione di ogni mia testamentaria e codicillare disposizione d'interpretare e dichiarare ogni articolo ed ogni frase, che possa sembrare dubbia ed oscura ed equivoca, cosichè alla loro interpretazione e dichiarazione dovranno onninamente uniformarsi i miei eredi e legatarii.*«

Humanis rebus exempto die ultima Martii 1838 testatore ejusdem voluntati exequutioni committendae manus admota est; tradita sunt praedia praesignata; tradita argentea vis destinatusque ab Antistite ad capellaniam optimae spei adolescens clericus Vincentius Palmegiani ex altera testatoris filia descendens. Ast quum praeclarissimus ille Episcopus existimaverit in bulla erectionis collationisque conditionem apponere, ut a capellano »*ex biscentis missis quindecim ita in unoquoque mense celebrentur, ut in unoquoque die festo et in omnibus diebus, in quibus ab ecclesia, in qua erecta capellania est, fit defunctorum commemoratio, missa non desit,*« fortiter obstitere testatoris haeredes et huic s. Ordini dirimendam definiendamque proposuerunt quaestionem, num videlicet fas sit Episcopo missarum celebrationem, quas testator ad libitum capellani infra annum litandas reliquit, ad certos dies festos statumque tempus coarctare.

Episcopus, cui haeredum preces ablegatae sunt, mihi roganti pro informatione et voto respondit sibi in eadem sententia, quam Silvaggi haeredibus significaverit, perseverandum, quod ecclesiae utilitas populique commodum *privato sane et praesertim sacerdotis praeferendum*, ac testatoris voluntas etiam per exequutores testamentarios explanata ita expostulant, adeoque sibi suadet vi etiam muneris, quo pollet visitatoris apostolici, hujusmodi sententiam exequutioni demandare posse.

Enimvero in themate non substantialia sed accidentialia tantum in capellae erectione Episcopus immutare velle videtur; biscentorum enim Sacrorum onus, quod voluntatis substantiam constituit, integrum omnino relinquit eorumque solummodo celebrationem ad quosdam dies tempusque, quod accidentale est, restringere cupit. Hoc autem praestare posse Episcopum tamquam Ordinarium in limine erectionis alicujus beneficii sentiunt *Ricci coll. 558 vers. secund. causs., Tondet. quaest. benef. resp. 68. a n. 6 ad seq., Monet. de commut. ultim. voluntat. cap. 5. n. 336* et clarus idem *Monet. loc. cit. et Scarfant. ad Ceccoper. lucub. canon. lib. 1. tit. 14 n. 37 et 39.* Eo vel magis, si accedat (ut Episcopus asserit in casu) ecclesiae utilitas populique commodum; traditum siquidem est Episcopo fas esse qualitatibus derogandi in fundatione alicujus beneficii a fundatore appositis ex causa necessitatis ac utilitatis ecclesiae, *Lambert. lib. 2. jurepat. part. 1. art. 30 n. 2, 7, 8, 12 et 15, Monet. cap. 10. de derog. ult. volunt. in fundat. benef. n. 526* et *Ceccoper., qui lib. 3. de lucub. can. n. 146.* putat capellanis non licere sacra mysteria temporibus et horis sibi benevisis peragere, sed juxta ordinationem ejus, cui competit jus disponendi missas in ecclesia; hinc Episcopi munus esse providere in sacrae visitationis actu, ut missae ad populi commoditatem diebus praesertim festis celebrentur; neque hoc novum onus intelligendum, sed normam esse ordinate celebrandi missas jam a fundatore impositas, qui juri communi praesummitur se voluisse conformare; idcirco sacram hanc Congregationem edixisse apud *Nicol. in flosc. verb. Capellanus*, etiam jurispatronatus capellanus debet in horis commodis ecclesiae celebrare.

Quod autem testatoris voluntas Episcopi sententiae collineet, patet ex testamenti curatorum testimonio, qui amplissimis ab illo circa dubia interpretandi facultatibus donati fatentur testatorem voluisse ut in ecclesia s. Petri Martyris diebus potissimum festivis minori quo fieri poterat sumptu ac debita populi satisfactione sacrae functiones celebrarentur ac augmentum dotis capellaniae non ita haeredes persolvere cepisse, ut sodalitas bonae mortis compensaretur de oneribus, quibus capellanum per codicillum exuerat, sed quia monitus ipse fuerat adsignitos fundos capellaniae erigendae impares esse adeoque opus esse, ut congruam saltem 100 scutatorum conficeret.

Exequutorum testamentariorum declarationes multum inservire pro recta ultimae voluntatis interpretatione, fortius si ipse testator detulit ejus auctoritatem dubia interpretandi, definivit *Rota dec. 265. §. 7 anni 1752*, ac per consequens eorum interpretationi omnino standum esse ad *Rota dec. 17 §. 4 et 6 anni 1829.*

Ex adverso haeredes Silvaggi inclamant testatorem nullam dedisse facultatem novi oneris adjiciendi, quinimmo potius expressim prohibuisse per ea verba praeceptiva »*voglio, che il capellano abbia soltanto l' obbligo di celebrare.*« Nec minimum attentendam esseurgent praesumptam populi utilitatem; siquidem non hanc, sed animae suae suffragium et capellani commodum dumtaxat prae oculis habuisse satis ostendit, dum pensum testamento injunctum sacris functionibus adessendi codicillo ademit dumque auxit pro duplo stipendium sine ullo augumento numeri missarum. Multo minus vero id licitum esse in praesens, quo designatus est ad capellaniam Palmegianius: etenim hic cum singulis unus polleat qualitatibus a fundatore volitis jus habet quaesitum ad capellaniam absque aliis a fundatione oneribus obtinendam; atque adeo facultates suas excessisse Episcopum propugnant.

Adsertas haeredum rationes canonicae sanctiones et DD. sententiae protueri videntur; nedum enim defunctorum voluntates sancte servandas utrumque jus imperat, adeo ut nec in melius immutandae sint, ex Trid. synodo *ses. 22. cap. de ref.*, ac jus alteri quaesitum inviolabiliter custodiri sancitum est *cap. Super eo de offic. deleg. et reg. cancell. 18 de non tollendo jus quaesit.*, sed nova onera beneficiis imponenda non esse jubet textus *in cap. Dilectus de consuet., cap. Prohibemus de censibus, et cap. Porro de privileg.*, cui consonant canonistae. Sane Amostaz. *lib. 2 de caus. piis n. 43.* docet quod, *si fundator non praescripserit dies festos, potest capellanus pro lubitu celebrare,* et *Pignatellus tomo 9 consult. III. num. 14* probat, quod »*Episcopus non potest suis ordinationibus augere ipsius ecclesiae commoditatem in praejudicium libertatis, quam testator reliquit capellano sive de jure competenti rectori; ecclesia enim hoc in casu ageret de lucro captando majoris sui commodi, quod fieri non debet cum aliena jactura.*« Tandem *Pitonius de controv. patr. all. 100. n. 29* concludit, quod *coarctare capellanos beneficiorum de jurepatronatus ad celebrandum certis horis et diebus sit servitus, quae tollit libertatem eorum et quae veluti non imposita per fundatorem non est imponenda ab Episcopo, cui potestas non est gravandi beneficia jurispatronatus hac servitute non data per fundatorem;* deinde refellit ceu erroneam Ceccoperii sententiam, inquiens: *Neque verum est hoc, censeri se conformasse cum norma ordinate celebrandi, qui, cum missas celebrari ipse voluerit pro suffragio animae suae, non censetur illas voluisse accommunare cum aliis missis ad populi commoditatem, dum non prospexit populo sed sibi in celebratione missarum.* Idem docet fere Rota *in Valentina Jurispatr. 1789. cor. Orano* et *Toletana Capellaniae 14. Feb. 1583 cor. Robusterio.*

Nec aliena videtur s. Ordinis sententia praesertim quum agitur de capellaniis, ut animadvertit *Garzias de benefic. part. 7. cap. 1. n. 112.* Revera in una *Pisaur. 6. Apr. 1647.* relata apud *Monacell. in formul. for. ec. part. 2. tit. 13. form. 2. n. 56* decretum fuit »*neque ab Episcopis cogi possunt capellani sed tantum hortari ad celebrandum certis diebus et horis, si in fundatione hoc eis non reperiatur injunctum;*« idemque resolutum est in una *Firmana 5. Februarii 1628* ac una *Florentina et Tudertina Capellaniae 12. Martii 1718.* necnon in alia *Pisauren. Capel. 14. Maji 1653*, ubi proposito dubio: *an capellanis capellaniarum possint ab Episcopo assignari dies et horae. in quibus celebrent missas ex obligatione earumdem capellaniarum?* respondit: *Episcopum non posse cogere hujusmodi capellanos, ut missas celebrent certis diebus et horis.*

Post haec nihili faciunt haeredes Silvaggi testamenti executorum interpretationem; quae enim ex se clara sunt non indigent interpretatione ad *leg. ille ff. de leg.* et Rota *in Bononien. Edictionis 1. Martii 1697 et decis. 61. n. 6. tit. de invent. cor. Falconerio:* atqui in themate patulam existimant testantis voluntatem de novis oneribus capellano non adjiciendis.

Ast Episcopus sese tuetur etiam qua visitator àpostolicus. Scilicet sciendum est Emum Ferretti in Reatina cathedra decessorem summo Pontifici exposuisse: »*che conoscendo nella sua diocesi, e specialmente nella parte vastissima del regno di Napoli molti disordini, che eccedono l'autorità ordinaria d'un Vescovo per esser riparati, quali sarebbero obbligazioni di residenza, legitima di collazioni, di possessi, e di unioni, adempimenti di legati, usurpazioni ec. implorava la facoltà di visitatore apostolico anche a non vescovi accordata*; rescriptum porro fuisse per sac. Congr. Episcoporum et Regularium negociis praepositam: «*Pro gratia.*« Eadem vero facultas ad formam praecedentis rescripti tributa est die 13. Julii 1838 hodierno Reatino Antistiti.

Heic tamen juvat animadvertere munus visitatoris apostolici forsan tributum fuisse Reatinis Episcopis ad effectum dumtaxat, de quo in precibus; etenim s. Congr. annuit uno verbo »*Pro gratia,*« visitator autem apostolicus stricte uti debet privilegio sibi concesso, *Rota in Legionen Interdicti cor. Lancel-*

lotto apud Marchis. part. 1. f. 1218. n. 1 et Pignat. consult. can. tom. 9. decis. 148. n. 14. Hinc Episcopum etiam tamquam visitatorem apostolicum sine speciali facultate onerare non posse nova obligatione beneficium simplex tradit ad mentem sac. Ordinis *Fagnanus in cap. Significatum n. 1. et seq. de praebend.* et *Scarfant. lucubrat. canon. in anim. lib. 3. tit. 11. n. 6 in fine.*

Perpendant vero singula haec EE. VV. et dirimant

Dubium:

An liceat Reàtino Antistiti adjicere onera, de quibus agitur, capellaniae Silvaggi in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 4. Apr. 1840.

5) Quid et quando adjicere possit patronus?

Albintimilien.

Quilibet ex patronis, qui primi fundatoris instar habetur, novas beneficio conditiones in praejudicium etiam suorum haeredum addere potest ad *text. in Clement. plures de jurepatr., de Luc. eod. tit. disc. 60. num. 2, Piton. discept. eccles. 53. n. 20* et *de controv. patron. allegat. 92. num. 6 et seq.* et *Rot. cor. Molin. dec. 563. num. 7.*

Die 19. Maji 1787.

Censura juris canonici interdicit tam patronis quam Episcopis beneficiorum seu capellaniarum qualitates a fundatoribus in testamento adjectas immutare multoque minus ea de perpetuis in manualia et ad nutum amovibilia variare.

Cat. disp. 11. Januar. 1778. n. 8.

6) Adjicere nihil potest Vicar. generalis.

Vicarius generalis non potest onera primae fundationi superaddere.

Sac. Congregatio *in Sarnen. 3. Julii 1690,* in *Asten. Capellaniae 14. Februarii 1699.* et in *Florentina 12. Martii 1718,* in *Collen die 15. Decbr. 1804.*

7) Administratio.

Vd. t. *I. p. 186. n. 2. a*; p. *187. n. 3; p. 220. n. 3. Beneficium* (bona, administratio etc. —)

a) Aliquando patrono concessa.

Collen.

Non raro sacra Congregatio vacantis beneficii administrationem concessit patrono pauperi, quousque ad legitimam pervenisset aetatem, ut in *Segovien. Capellaniae 17. Novembris 1731. ad III. dubium,* in *Vercellen. proposita per summaria precum 26. Novembris 1785* et in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786.* Quandoque etiam ex audientia Sanctissimi similis elargita est gratia ad illius vitam, ut in *Asten. 25. elapsi Junii.* Eadem sane favet canonica aequitas, ex qua alendus est pauper patronus ex fructibus beneficii durante paupertate, *can.: Contra 26.* et *can.: Quicumque 31. quaest. 7* et *cap. Nobis de jurepatr.*

Die 9. Aug. 1788.

b) Non competit patrono.

Vd. t. *I. p. 224 n. 9;* p. *288. n. 13; Beneficium* (bona, inventarium; nominationis suspensio.)

Extat capellania jurispatronatus laicalis familiaris fundata in ecclesia oppidi N. Mortuo capellano ex patronis novum capellanum nominantibus tres praesentarunt Titium clericum quinquaginta annos natum, qui jamdiu habitum clericalem dimiserat et procuratoris officium in urbe exercebat; verum unus ex tribus his patronis nominantibus, mutato postea consilio, supplices preces exhibuit Episcopo, ut sacra tonsura initiaretur suus filius Vincentius, qui natus erat mense Februario 1853, ut capellaniam assequeretur. Plures alii patroni institerunt ut a seipsis capellania nullo interea capellano suffecto administraretur ad capellae altare et sepulcrum reficiendum necnon ad alienata bona recuperanda.*)

Successive preces porrectae sunt Sedi apostolicae; Titius nimirum postulabat dispensationem ab incedendo in habitu et tonsura; Vincentius postulabat dispensationem super defectu aetatis quatenus opus esset; reliqui insistebant pro suspensione capellaniae ad supradictos effectus.

De more rogatus est Episcopus pro informatione et voto, qui inter caetera respondit capellaniam jurispatronatus laicalis esse ecclesiasticum verumque beneficium simplex, quod jugiter collatum esset per canonicam

*) Vd. *p. 142. n. 15.*

institutionem bullis expeditis, onus capellano incumbere viginti duo missarum et manutentionis càpellae; de redditu capellaniae ejusdem deficiente inventario se nihil posse referre neque ipsos patronos licet rogatos opportuna documenta exhibuisse. Optabat autem idem Episcopus, ut Vincentii preces exaudirentur, ita tamen ut seminarium dioecesanum ingredi deberet studiorum causa, dato eidem administratore, qui impletis capellaniae oneribus annuum fructum pro expensis ejusdem educationis impenderet, bona insuper capellaniae recuperaret, si reapse alienata fuissent etc.

Animadvertebatur *ex officio*, heic agi de jurepatronatus gentilitio familiari, in quo omnes descendentes ex primo patrono jus habent praesentandi nullumque esse statutum jus passivum, ita ut posset quilibet a patronis ad capellaniam nominari, dummodo ex communi jure esset habilis.

Hisce praemonitis quoad suspensionem capellaniae adnotàbatur, quamvis justa causa snspendendi collationem in medium deduceretur, tamen in praesentia obstare nominationes factas ab aliis patronis, eo vel magis quod nihil impediret quominus novus capellanus ab Episcopo adstringeretur ad reficiendum altare et sepulcrum bonaque recuperanda si fuerint alienata.

Cohibita ita quaestione inter duos praesentatos Titium et Vincentium ita disputabatur. Titio suffragatur pluralitas suffragiorum; habilis insuper est ex sacra tonsura jamdiu suscepta neque obest dimmissio habitus clericalis,*) quamvis enim tradat *Fagnanus* in *cap. Odoardus de solut. n. 24*, clericum, qui dimisso clericali habitu se gerat publice pro laico, in omnibus reputari uti laicum et omni privilegio clericali nudatum manere, integrum tamen est clerico habitum quandocumque resumere inscio etiam vel invito Episcopo, juxta ea quae docet *Card. de Luca de pension. disc. 81. n. 14*, quod satis esse videbatur, ut clericus, licet habitu et tonsura non incedens, jus haberet beneficium optandi; nil ergo aliud Titio deesse videbatur quam habitus clericalis reassumptio, a qua tamen ut dispensaretur postulabat.

Vincentio autem suffragari adnotabatur patris nominationem, qui, licet prius Titium nominaverit, potuisse tamen utpote laicum intra utile tempus nominationem primam variare juxta ea quae tradunt doctores ex *cap: Quod autem 3* et *cap.: Cum autem 24 de jurepatr.* Quod si tempore nominationis Vincentius non attigerat canonicam aetatem ad assequenda beneficia, praescriptam tamen tempore vacationis illam fortasse assequutum fuisse et facile super hac re dispensationem concedi his in adjunctis, quando orator qui ea indigeat sit de patronorum familia; quamvis autem tempore nominationis tonsura sacra initiatus Vincentius non fuisset, tamen observabatur eam utili tempore petiisse ac proinde sufficere, ut ante institutionem ea fuerit insignitus.

Post haec recolebatur quaedam causa *Mutinen. Capellaniae* in S. C. C. agitata die 20. Maji 1854, in qua a patronis nominatus inter caeteros fuerat ad capellaniam quidam clericus, qui jamdiu habitum clericalem dimiserat, qui rogaverat curiam, ut eumdem habitum posset resumere; quamvis vero caeteri praesentati obstitissent, tamen illi clerico capellania fuit adjudicata, sed animadvertebatur praesentem causam ab ea *Mutinen.* multipliciter differe et reapse capellania in *Mutinen.* erat mere laicalis, quamvis ex voluntate fundatoris conditio clericalis pro ea assequenda requireretur, in praesenti vero controversa capellania est ecclesiastica, in illa proximitas gradus in pretio habenda erat, in hac majoritas suffragiorum, in utraque tamen difficultas ex dimissione vestium clericalium.

Dubia:

I. *An et quomodo annuendum sit oratorum precibus quoad suspensionem nominationis novi rectoris capellaniae in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et cujus favore consulendum sit SSmo pro dispensatione ad assequendam capellaniam in casu?*

S. Congregatio Concilii causa cognita die 14. Septembris 1867 respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Affirmative favore Vincentii quatenus dispensatione indigeat facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

*) Vd. *p. 144. n. 16. b.*

I. Onus esse illius, qui beneficium possidet, bona beneficii ejusdem non rite alienata vindice Episcopo vel ejusdem auxilio recuperare aut bona veterascentia Episcopo etiam cogente instaurare et reficere.

II. Quare nisi cogat necessitas non esse locum suspensionis institutionis canonicae, ut redditus in beneficii instaurationem impendantur.

III. Neque patronos, quibus tantum vigilantia super rerum beneficii administratione conceditur, jus habere administrandi bona in beneficii augmentum perfectionemque.

IV. Colliges insuper simplicem clericum, licet habitum clericalem jamdiu sponteque dimiserit, posse tamen ad beneficium nominari illudque assequi, si habitum clericalem reassumere sit paratus.

V. In praesentia autem renuente Titio habitum reassumere clericalem Vincentium vicisse, licet ab uno patrono nominatus neque canonicam aetatem tempore praesentationis esset assequutus.

Familia N. vineam quamdam possidet, quae onere gravatur solvendi singulis annis canonem scut. 4: 80 favore laicalis capellaniae B. jurispatronatus laicalis cujusdam nobilissimae familiae. Cum autem ignoraretur, quam partem vineae ejusmodi canon gravaret, cumque alii jam essent canones, quibus pariter antea eadem vinea gravabatur et quibus debitis conditionibus servatis liberata est, accedente insuper transitu viae ferreae, quae eamdem vineam intersecuit, ut quaevis quaestio submoveretur, petiit ut exhibita summa pro unicae viae scut. 160 ab hoc canone liberaretur:

Exhibitae preces s. Congregationi Episc. et Reg. pro venia obtinenda remissae de more fuerunt Ordinario pro informatione et voto iis auditis quorum id interesset.

Interpellatus est itaque ab Ordinario patronus, qui petitioni refragatus omnino est: et inter caeteras rationes hic inquiebat familiam N. affrancationem non posse exigere, quae fortasse exigere tantum potuisset, ut determinaretur quam vineae partem canon gravaret: eamdem teneri solvere laudemia quaedam non soluta ob dominii utilis transitus juxta naturam emphyteutici contractus: meliorem esse conditionem capellaniae hoc canone servato, qui si fuisset antea redemptus fortasse redditus jam deperditi essent: quod si nihilominus se refragante canonis redemtio decernatur, eum redimi non posse nisi solutis plus quam scut. 200, habita scilicet ratione scut. 2 pro singulis centenis.

Regerebat e contra familia N., se id non petere ex justitia sed ex aequitate, et principium invocabat: *quod tibi non nocet et alteri prodest, hoc faciendum est.* Eo vel magis quod dicta canonis affrancatio capellaniae non solum non noceret, sed quammaxime prodesset et quaestiones evitarentur in determinanda dicta vineae parte.

Animadversiones ex officio.

Animadvertebatur ex officio, quamvis Concilium Tridentinum prohibuerit patronis, ne sese immiscerent in administratione rerum beneficialium, nihilominus auctores docere eos se posse apponere in contractibus, qui sibi laesivi videantur, ita tamen ut eorum oppositio tanti facienda sit, quanti rationes quae adducantur.

Affrancationem non aliud esse quam venditionem directi dominii si de fundo emphyteutico agatur, vel juris in re si de simplici onere fundo imposito: ad eam perficiendam, si de bonis ecclesiasticis agatur, necessarium esse apostolicum beneplacitum, quod non conceditur nisi utilitas evidens aut necessitas pateat: quod si praesens capellania sit laicalis, ita ut bona ejusdem laicalia appellanda sint, necessariam pariter esse s. Congregationis facultatem, ut affrancatio seu proposita alienatio legitime fiat: namque etiam quoad bona laicalis capellaniae, cum eorumdem dominium non resideat nec in capellano, qui est potius usufructuarius, nec in patrono, qui nec administrator est, necessariam esse facultatem s. Congregationis, quae tutrix universalis est piorum legatorum: proindeque totam quaestionem in praesentia reduci, an in dicta affrancatione facienda adsit necessitas vel evidens capellaniae utilitas. Cum autem non agatur de *necessaria* affrancatione, sed de *voluntaria*, judicio Emorum Patrum esse remissum, qua proportione ea sit facienda.

Quoad laudemia vero solvenda recolebatur principium: *sine emphyteusi laudemium non debetur:* et ideo in capellanum incumbere

onus ostendendi titulum emphyteuticum, quem tamen titulum incertum in facto fuisse ab anno 1591.

Dubium:

An et quomodo annuendum sit petitae affrancationi in casu?

S. Congregatio Episc. et Reg. re cognita die 2. Augusti 1867 respondere censuit:

Affirmative, aucto pretio ad scutata biscentum ad effectum ea investiendi et ad mentem. Mens s. Congregationis fuit, ut Ordinarius rationem haberet augmenti redditum, ut capellanus in onera capellaniae inhaerentia implenda diligentius incumberet, adjecta clausula: *Et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Quamvis patroni sese immiscere non possint in administratione rerum beneficii, tamen convenire, ut in earumdem alienatione audiantur.

II. Neque interesse, an agatur de bonis ecclesiasticis vel potius laicalibus, quae relicta semel ecclesiae fuerint ad causam piam.

III. Eorumdem patronorum dissensus habendam non esse rationem, si causae canonicae pro alienatione facienda militare videantur.

IV. Denique colliges expedire ecclesiae, ut canones illi congrue redimantur, quorum juridica natura ignoretur, neque partes fundi cognoscantur, quae favore ecclesiae canone graventur.

8) Admissio.

Vd. *Beneficium* (collatio, institutio).

Ad Benef. admitti possunt filii etc. ejus, qui de haeresi inquisitus et absolutus fuit.

Vd. *Beneficium* (collatio quibus personis non danda).

Summarium.

1. Romani Pont. frequenter inquisitoribus commisserunt haereticos et fautores eorumque filios et nepotes beneficiis et officiis privari. — 2. Quidam Philippus inquisitus et emendatus fuit, et tamen communitas Spoleti nolebat admittere ad officia Archionum ejus filium neque ipsius natos. — 3. Hic tamen Pont. jubet eos admitti constito esse fideles.

Honorius IV. Episcopus, Servus servorum Dei dilecto filio fratri Galgano de Eugubio, ordinis fratrum Minorum inquisitori haereticae pravitatis in ducatu Spoletano salutem et apostolicam benedictionem.

Exhibita Nobis dilecti filii Archioni militis nati quondam Philippi dicti Palmerii militis Spoletani petitio continebat, quod olim significantibus fel. rec. Alexandro Papae Praedecessori Nostro inquisitoribus pravitatis haereticae per Italiam deputatis, quod frequenter a Sede apostolica committebatur eisdem, ut tam haereticos, credentes, fautores receptatores haereticorum quam ipsorum filios et nepotes privandi dignitatibus, personatibus et officiis publicis et beneficiis ecclesiasticis de dioecesanorum vel eis absentibus vicariorum suorum consilio haberent liberam potestatem, et qualiter hoc deberet intelligi postulantibus declarari praefatus Praedecessor eisdem inquisitoribus per suas duxit literas respondendum, quod de filiis et nepotibus illorum haereticorum, credentium et aliorum hujusmodi, qui modo tales esse probantur, intelligendum esse videbatur, non autem illorum, quos emendatos esse constaret ac pro culpa hujusmodi ad mandatum ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi vel jam perfecerant vel humiliter persecutioni ejus instarent vel parati fuerant dum viverent ad recipiendum eamdem.

§. 2. Verum, licet inquisitor pravitatis hujusmodi, tunc in partibus illis per Sedem apostolicam deputatus, memoratum Philippum, qui sibi confessus extitit, quod cuidam haeretico reverentiam fecerat quaedam contra fidem proferendo catholicam, privaverit bonis suis ac idem Philippus injunctam sibi propter hoc ab eodem inquisitore poenitentiam perfecerit reverenter, ac tandem sicut vere catholicus receptis ecclesiasticis sacramentis viam fuerat universae carnis ingressus et ab inquisitore praefato etiam absolutus, tamen potestas, concilium et commune Spoletanum dictum Archionum ejusque filios occasione praemissorum ad officia civitatis Spoletanae pro sua recusant admittere voluntate. Quare praelibatus Archionus Nobis humiliter supplicavit, ut Nos misericorditer attendentes, quod idem Philippus sicut praemittitur tamquam vere catholicus et fidelis ecclesiae romanae decessit, eumdem Archionum et filios ejus decernimus juxta praemissum ejusdem Praedecessoris responsum in aliquo puniri

occasione hujusmodi non debere, sed eos ad omnia saecularia officia et beneficia ecclesiastica et dignitates ac ad omnes ordines impedimento hujusmodi non obstante potius admittendos.

§. 3. Quia igitur de facto hujusmodi et ejus circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, Nos gerentens de circumspectione tua fiduciam in Domino specialem, praesentium tibi auctoritate committimus et mandamus, ut, si diligenti inquisitione praemissa praedicta inveneris veritate fulciri et tibi etiam constiterit, quod praefati Archionus et filii non sint de haeretica pravitate suspecti et in fidelitate ac devotione ecclesiae supra — dicta persistant (super quibus omnibus tuam intendimus conscientiam onerare), auctoritate Nostra denuncies et declares, quod propter praemissa vel eorum occasione nihil eis possit objici vel opponi, quin ad omnia saecularia officia et beneficia ecclesiastica, etiam si dignitates existant, illis non obstantibus assumi libere valeant: et qui liberati esse noscuntur, ad omnes ordines promoveri prout secundum Deum et honorem catholicae fidei videris expedire. Quicquid autem super his inveneris et duxeris faciendum Nobis per tuas patentes literas harum seriem continentes fideliter studeas intimare.

Dat. Romae apud s. Sabinam.

Die 27. Nov. 1286.

(Bull. r. t. IV. p. 85. Ed. Aug. Taur. 1859).

9) Aetas adipiscendi.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus p. 236. n. 31. a.; p. 315. b.) *Beneficium* (collatio pueris etc., beneficii resignati).

Vd. *t. I. p. 278. etc.*

10) Affectio.

Vd. *Beneficium* (reservat. a Papa per apposit manus, reservationis et affectionis differentia).

11) Affectum.

Vd. *Beneficium* (reservatio a Papa per manus appositionem; reservationis et affect. differentia).

Beneficia pluribus modis redduntur affecta per appositionem manus Papae.

I. Ex mandato Papae concesso de providendo aliquem de certo beneficio; *Extravagant. ad romani Pontificis providentiam 14. de praebend. inter communes*, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 254. n. 19. et 20.* Etiamsi mandatum sit subreptitium ex defectu personae provisae, *Rota ibidem n. 21.*

II. Ex resignatione facta in manibus Pontificis, etiam in mense Ordinarii, tunc etiam beneficium ita remanet affectum, ut nullus inferior possit de illo providere, quamvis a Papa nondum fuerit collatum, *Rotae part. 5. tom. 1. dec. 34. num. 2. part. 6. dec. 63. num. 1. et 2. part. 76. dec. 22.*

III. Ex mandato Papae facto electoribus, ne procedant ad electionem; *cap. Si eo tempore 45. de electionibus in 6.*

IV. Ex gratia praeventiva, cum videlicet Papa jure praeventionis contulit alicui beneficium, et collatio non teneat ex aliquo defectu impetrantis vel alias sit inutilis, quia amplius non poterit Ordinarius se intromittere in dispositione illius vacationis, quamvis contigerit in suo mense ordinario; *Gonzalez. ad regul. 8 cancellar.**) *gloss. 52. n. 14. 15. et seq.* et *Rota par. 2. decr. 401 n. 1. et 2.*

V. Ex decreto Papae facto alicui de dimittendo beneficio in manibus ejus; *Barbosa lib. 3. juris eccles. cap. 13. n. 90; Gonzalez. dict. glossa 52. num. 14.*; *Rota dec. 14. de rerum permutat. in antiquis,* idque intellige etiamsi alter non dimitteret beneficium, quia adhuc solus Papa posset conferre pro ea vice.

VI. Ex commenda, quando scilicet Papa dat alicui beneficium in commendam vel in eo ponit administratorem, tunc enim ex appositione manus Papae adeo beneficium remanet affectum, ut cessante commenda vel administratione nequeat conferri per alium Papa inferiorem, donec de eo Papa plene et perfecte disponat et provideat in titulum; *Rota par. 4. tom. 2. dic. 70. n. 1. part. 19. tom. 2. dec. 523. n. 42. et 44.* et *annotat. ad dec. 254. num. 51. 52. et 53. part. 9. tom. 1.*

VII. Eoc decreto facto a Papa, quando mandat aliquem privari suo beneficio, nam secuta privatione, utpote jussu et auctoritate Papae facta, beneficium remanet affectum atque collationi Papae reservatum: *Extravagant. ad regimen 13. de praebend., inter communes.*

VIII. Ex sola signatura supplicationis; *Rota part. 9. dec. 313. n. 28. et part. 16. dec. 112. n. 38. et 39.*

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

IX. Ex coadjutoria, *Rota part. 18. dec. 112. n. 5. et 29.*

Alii varii sunt casus, in quibus beneficia ex appositione manus Papae remanent affecta, adeo ut nullus inferior de ipsis disponere possit; sed quia ex adductis de facili cognosci possunt, brevitatis gratia relinquuntur videndi, cum placuerit, apud *Gonzal. ad reg. 8. cancellar. glossa 52. n. 14. 15. et seq.*

Pro regula tamen generali ad dignoscendum, an beneficia reddantur et dicantur affecta per appositionem manus Papae, advertendum est, quod beneficium non dicitur affectum ex qualibet appositione manus Papae, sed ita solum, quando Papa non moveatur ex falsa causa; *Rota p. 2. decis. 187. n. 5.* Si enim Papa moveatur ex falsa causa ad apponendam manum super collatione beneficii, ut si v. g. sibi narretur beneficium esse reservatum, tunc, si provisio facta fuerit ex dicta falsa causa, nulla resultat affectio, ut expresse censuit *Rota p. 1. dec. 570. num. 9.* et *part. 10. dec. 25. 31. et 32*, dependet enim affectio beneficii a validitate gratiae et justificatione causae, qua motus fuit Papa ad concedendum, *Rota. part. 7. dec. 237. n. 2.* et *16. dec. 112. n. 6.* Sic nulla affectio resultat ex gratia, quae ob non adimplementum conditionis non potuit effectum sortiri, *Rota part. 2. dec. 180. num. 8.* Sic pariter nulla affectio resultat, quando Papa apposuit manum ad alium effectum et finem quam conferendi beneficium; nam appositio manus non operatur ultra intentionem Papae, juxta illud: *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum, l. non omnis, ff. Si certum petatur, l. in agris, ff. de acquir. rerum dominio: Barbosa Axiomat. 12. n. 7.* cum pluribus ibi citatis. Unde cum Papa v. g. super beneficio aliquo reservat pensionem ad favorem resignantis, non propterea collator Ordinarius impeditur, quominus beneficium illud, dum vacat, possit conferre, quia manus appositio quoad unum effectum v. g. reservatae pensionis, non operatur quoad alium v. g. reservatae collationis contra intentionem agentis, *cap.: Quia intentionis 29. de privil.*, *Rota dec. 14. num. 3. et decis. 15. num. 2. de concess. praebend. in novis* et *par. 2. recen. dec. 190. num. 7.*

12) Alternativa.

Vd. *Alternativa quoad benef.* (t. I. p. 510.)

13) Amissio.

Vd. *Simonia in collatione beneficii*; *Beneficium* (privatio; dimissio; caducitas; collatio simoniaca).

Certum in jure est, clericum, qui saeculari militiae nomen dedit, praesumi tacite renuntiasse militiae Christi et incapacem effectum fuisse retinendi beneficium vel pensiones sibi reservatas tamquam incompatibiles cum saeculari militia, utcunque arma vel saeva non exerceat aut se imisceat enormitatibus, *Card. de Luca de pension. disc. 46. n. 9., disc. 47. n. 3., Rocca disputatio. jur. select. c. 191. n. 5. etc., Scarfantonius ad Ceccoper. vot. decis. 53. n. 2., Rota decis. 69. et 216. coram Celso.*

Mantuana.

Si capellania etiam ut verum beneficium ecclesiasticum aestimatur, tunc qui ad nuptialia vota convolat*) hoc ipso beneficio renunciat et ab ipso decidit. *Sanchez. de matrim. impediment. lib. 1. disput. 13. num. 14.*

Agitur de capellania laicali et simplici officiatura missarum, et tunc a laicis et quidem uxoratis immo et a foeminis atque pueris retineri potest, ut statuit *Rota decis. 334. per tot. coram Manzaned. decis. 120. per tot. cor. Paenia* et in *Urbevetana Capellaniae 17. Junii 1726. §.: Maxime, cor. Ratto* et s. Congregatio *in Romana Capellaniae 12. Julii 1721.*

Die 23. Novb. 1816.

14) Amovibile factum.

Vd. *Beneficium* (mutatio).

Florentina.

Sacerdos Aurelius Bettini parochus suburbanae ecclesiae s. Quirici vulgo a Legnaja Florentinae dioecesis, cum ob numerum animarum circiter nongentum auxilio indigeat capellani curati et nequeat ex paraeciae redditibus illius congruae substentationi supplere, postulavit, ut simplex capellania de jurepatronatus laicali sub invocatione s. Bonaventurae in eadem ecclesia erecta, cum primum vacaverit, redderetur amovibilis accedente patronorum consensu atque onus, quo praedicta capellania gravatur, missarum

*) Vd. *Benefic.* (reservatum SS. Pontifici juxta regulas cancellar. — reg. 58. —)

biscentum in diebus ferialibus et octoginta unius in diebus festivis ad missas tantum festivas cohiberetur.

Ablegatis de more precibus Archiepiscopo haec retulit in sua informatione: »Quae ab oratore sacerdote Aurelio Bettini fuerunt exposita, ne paulisper quidem a veritate distare mihi compertum est; ecclesia siquidem, de qua agitur, dum propter ingentem fidelium numerum alio indiget sacerdote, qui noctu diuque ibi commoretur, adeo exiguis redditibus est praedita, ut vix uni, nunquam vero duobus sacerdotibus, alimenta possit suppeditare, cum comprehensis incertis deductisque omnibus impensis ac oneribus centum dumtaxat scutata rectori quotannis reddant. Si vero ad capellani stipendium ratio habetur, sicuti in quadraginta scutatis ab aerario regio quotannis reddendis totum positum est, sic alendo sacerdoti impar omnino est habendum, ni et alia saltem triginta addantur scutata: desunt quoque et missarum eleemosynae manuales et alia cujuscumque generis emolumenta, desunt praeterea media tum propter exiguas paroeciae fortunas cum propter beneficiorum in hac ecclesia ac dioecesi Florentina inopiam, ut dos ista aliquantulum augeatur, nec aliunde hoc foret ullo pacto sperandum.«

»Hisce igitur de causis probandum sane mihi videtur oratoris consilium, qui ad consulendum perpetuo ecclesiae suae utilitati ac ad populi commoda procuranda preces SSmo Patri ad id effudit, ut beneficium simplex sub invocatione s. Bonaventurae et in eadem ecclesia erectum, ut primum vacaret, amovibile fieret ac in capellani pro tempore existentis dotem vel in dotis augmentum adsignaretur ac constitueretur utque missarum insuper onera statim imminuerentur et ad festivas dumtaxat redigerentur. Beneficium siquidem isthoc jurispatronatus laicalis dotem habet in quinquaginta octo annuis scutatis positam et praeter octoginta et unam festivas missas et alias biscentum feriales, quibus omnino sublatis congruum sane capellano pro tempore emolumentum dimanaret.«

»Auditis igitur omnibus interesse habentibus praesertim vero compatronis, quorum consensus ad haec peragenda omnino accedit, uti lucullentissime patet ex literis ac documentis apud me existentibus, in eam irem sententiam, dummodo ita Sanctitati Suae videatur, ut oratoris preces penitus exaudiretur tum quoad praedicti beneficii futuram amovibilitatem ac in augmenti dotis capellani pro tempore existentis adsignationem cum quoad missarum petitam reductionem, quae quidem gratia opportunum est ut suum statim sortiretur effectum.«

Ne quid ad rectum reddendum judicium deesset, nova postulata est informatio ab eodem Archiepiscopo, ut audiret in scriptis curatorem deputandum futuris vocatis ad formam fundationis ac transmitteret ejusdem curatoris responsum una cum statu activo et passivo paroeciae.

Statim Archiepiscopus Antonium Ulivierum in utraque jure doctorem ac in archiepiscopali curia fidei promotorem ac Sacramenti defensorem in curatorem futuris vocatis constituit, qui muneri suo ita in scriptis functus est:

Demandato mihi muneri satisfacturus, Illme ac Rme Domine, quo sensum animi mei aperire jussus sum circa postulationem a Rev. presbytero Aurelio Bettinio parochialis ecclesiae s. Quirici vulgo a Legnaja curione sac. Congregationi Concilii exhibitam ita mentem meam hac in re aperire et declarare muneris mei et officii ratio postulat.

Petitionem hanc nedum ecclesiae utilem sed et nullimode juri suo oppositam ipsemet actualis patronus Antonius Salvius agnovit et fatetur, qui propterea sua plena scientia et deliberata voluntate suum praebuit assensum et praebet, nullum quoque inde emergere damnum seu juris aliquam laesionem videtur haeredibus in jus vocatis; firma namque et salva remanente in eorumdem Salviorum familia nominatione ac praesentatione ad beneficium et capellani officium posteri ipsi pari ratione possunt sua jura exercere iisque uti ac antea fruerentur. Quinimo jura ipsa videntur potius augeri ac fieri majora vel ipso, quod beneficii rector una simul gaudere debet capellani munere ex officio, in curam animarum adscitus ejusdem parochialis ecclesiae, in qua situm est beneficium.

Duo de jure requiruntur ad unionem beneficiorum perficiendam scilicet necessaria causa et consensus eorum, quorum interest, ut ex *cap. 49. caus. 26. quaestion. 1., cap.: Tua nuper de his quae fiunt a Praelat.*, et s. Congregatio in *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis 19. Decembris 1801* et in *Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.*

Cum in praesenti casu concurrat consensus tum actualis patroni tum curatoris pro futuris vocatis, inquirendum superest de necessaria causa. Sane obstat, quod perpetuum beneficium efficiatur amovibile et uniatur alteri beneficio; privatur enim hoc modo ecclesia alio sacerdote, et ubi unio vertit in aliquod ecclesiae damnum, eam non permittit sac. Congregatio ut in *Leopoldien. Unionis 1. Septembris 1736.*

Verumtamen tenuitas reddituum, ob quam nemo erit qui munus capellani curati suscipere velit, ac deficientia alterius medii supplendi, praesertim ex paroeciae censu probare videntur eam necessitatem, quae canonicam causam unionis et amovibilitatis suadeant, ne fideles Sacramentorum administratione priventur. Sane Tridentinum *sess. 24. cap. 13. de refor.* probat, ut inopiae paroeciarum succurratur per beneficiorum unionem*) et sac. Congregatio probata necessaria causa et concurrente consensu unionem probavit in eadem *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis 19. Decembris 1801.* Ex statu activo et passivo ab archiepiscopali curia remisso constat, paroeciae redditum esse scutorum 118, unde dispunctis rationibus patet superesse pro parocho oratore annua tantum scuta 61. Ex hac quidem congrua nequit aliquid detrahi ad augendum honorarium capellani curati.

Haec quoad unionem ac amovibilitatem; quo vero ad missarum reductionem justam concurrere causam putat Archiepiscopus in sua informatione ad augendum capellano curato necessariam vivendi congruam. Siquidem ad augendas tenues praebendas non raro sac. Congregatio reductionem missarum concessit,**) ut in *Syracusana Missarum 10. Martii 1759* et in *Nucerina Reductionis 13. Martii 1784.* Hisce igitur positis vestrum erit Emi PP. dirimere dubia:

I. *An et quomodo sit concedenda amovibilitas simplicis beneficii sub invocatione s. Bonaventurae in casu?*

II. *An sit concedenda reductio missarum ad festivas tantum in casu?*

Die 18. Mart. 1820.

*) Vd. *Beneficium* (unio).
**) Vd. *Missa* (reductio).

Continuatio.

Cum haec causa relata in filio diei 18. Martii proxime praeteriti proposita fuit in sequenti Congregatione diei 15. Aprilis placuit eminentissimis Patribus rescribere: *Dilata et scribatur Archiepiscopo pro nova informatione juxta mentem. Mens autem fuit, ut referret factis diligentiis: an aliquod favore enunciatae paroeciae ab aerario publico augmentum pensionis annuae obtineri queat; an et quomodo in aliis paroeciis pensio scutorum 40 satis sit pro capellano et an petita amovibilitas sit exercibilis a parocho vel a patronis?*

Datis in id literis Archiepiscopo haec retulit in novissima informatione: »*Adhibitis illis, quae in re tanti momenti necessariae evadebant, diligentiis ad Te, eminentissime et reverendissime Domine, rescribendum duxi quoad primum: nullam prorsus spem affulgere, ut a publico aerario pro praedicta ecclesia annua quadraginta scutorum pensio augeatur. Siquidem ante annum septingentesimum octogesimum quintum supra millesimum nullus erat in citata paroeciae capellanus nullaque proinde pensio solvebatur; verum sodalitas ibi canonice erecta ex propriis quibus praedita erat redditibus curabat, ut sacerdos aliquis ex proxima urbe adveniens diebus dumtaxat per annum festis alteram post parochialem missam celebraret et sacramentales confessiones exciperet. Posteaquam vero hujuscemodi sodalitates a magno duce Petro Leopoldo fuerunt per Hetruriam suppressae bonisque omnibus expoliatae praedictaeque ecclesiae parochus, ut populi utilitati consuleretur, preces Principi enixas effudit, ut missa haec secunda celebraretur et in posterum: quo factum est ut specialissima, quemadmodum in regiis literis scribitur,* gratia quadraginta scutorum pensio super publicum aerarium ad id fuerit adsignata. Forte evenit, ut tunc temporis intra paroeciae fines immoraretur et in praesentiarum immoratur sacerdos Joseph Minchioni loci indigena ac beneficii, de quo agitur, sub invocatione sancti Bonaventurae rector, qui diebus festis missas celebrandi non solum onus suscepit, verum etiam hortante Archiepiscopo ac parocho capellani munere functus est et modo fungitur, cum fidelium multitudo, quae magis magisque in dies augescebat, praesentiam alterius sacerdotis requireret, qui noctu diuque ibi versaretur. Ex his igitur, quae a me dicta sunt, facile comperias minime spe-

randum esse, ut pensio haec quadraginta scutorum augeatur a publico aerario, praesertim vero si consideres juspatronatus paroeciae non ad Principem, sed ad nobilem Frescobaldorum familiam pertinere. Aliunde autem necessaria omnino evadit sacerdotis alterius praesentia, qui semper populi servitio sit praesto ac capellani curati obeat officia.«

»Quoad vero reliquas hujusce dioecesis paroecias, quemadmodum secundo loco a me postulabas, sciendum est, non omnes capellano indigere, cum vel propter fidelium exiguum numerum vel finium angustias ipse parochus per se sufficiat. In illis vero, in quibus opus est capellano curato, huic alimenta omnia a parocho plerumque suppeditantur vel ex ipsius ecclesiae redditibus vel ex alia ampliori pensione. Numquam autem aut a Principe aut potius a synodalibus constitutionibus declaratum est, pensionem quadraginta scutorum idoneum esse ac sufficiens capellano curato stipendium.

Denique quoad petitae beneficii amovibilitatis exercitium Antonius Salvi patronus libere ac sponte per se et suos successores consensuit, uti ex authentico apud me existente instrumento luculentissime patet, ut in eligendo capellano haec perpetuo ratio servaretur. Patronus igitur pro tempore existens beneficii, annuente parocho ordinario Florentino, sacerdotem nominabit vel ad excipiendas confessiones jam idoneum declaratum vel per publicum examen approbandum, qui eidem Ordinario placuerit, in capellanum curatum ab ipso Archiepiscopo eligetur, cuique proinde in dotem adsignabitur pensio haec quadraginta scutorum necnon fructus praedicti beneficii cum onere celebrandi missas festivas, quae quidem ratio religiose servabitur, quoties oportuerit alium eligere capellanum.

Post haec Archiepiscopus duplicem gratiam tum amovibilitatis tum reductionis missarum perutilem vel etiam necessariam populo sancti Quirici autumat. Dignentur igitur eminen. PP. reassumpto folio diei 18. Martii dirimere, quae iterum proponuntur dubia:

I. *An et quomodo sit concedenda amovibilitas simplicis beneficii sub invocatione s. Bonaventurae in casu?*

II. *An sit concedenda reductio missarum ad festivas tantum in casu?*

S. C. resp.

Ad. I.: Affirmative juxta votum Archiepiscopi.

Ad II.: Affirmative pro reductione centum missarum ferialium tantum, firma remanente celebratione missarum in diebus festivis et centum ferialium.

Die 26. Aug. 1820.

15) Applicatio bonorum.

Vd. *Missa* (reductio, suspensio). *Beneficium* (suppressio, cessio, mutatio, commutatio, reductio, nominationis suspensio, unio.)

a) In augmentum dotationis parochiae.

Vd. *Benef.* (suppressio in commodum parochi.)

Ampliatio dotationis ecclesiae parochialis sanctae Mariae Gratiarum castri Palatii dioecesis Assisiensis facta applicatione bonorum legati pii Dreuccioli.

Venerabili fratri Episcopo Assisiensi.
Gregorius PP. XVI.
Venerabilis frater.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Ex pastoralis officii Nostri debito convenit, ut ea quae ad ecclesiarum omnium praesertim parochialium indigentiis consulendum et pro supportandis oneribus illarum rectoribus pro tempore existentibus utilia fore dignoscimus, apostolica benignitate concedamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Benovenuti Franceschini presbyteri ac rectoris parochialis ecclesiae sanctae Mariae Gratiarum nuncupatae castri Palatii Assisiensis expositio continebat, quod parochialis ecclesia praefata tam modicis est dotata redditibus, ut cum non levi parochianorum ipsius parochialis ecclesiae animarum detrimento difficile idoneus presbyter, qui in suscepto parochiali munere perseveret, inveniatur. Si autem, sicut eadem expositio subjungebat, legatum pium Dreuccioli nuncupatum, ad quod dum illud pro tempore vacat nominatio personae idoneae ad pro tempore existentem praefatae parochialis ecclesiae rectorem ex illius fundatione spectat et pertinet et quod per obitum quondam Bernardini Aluigi illius dum viveret ultimi possessoris extra romanam curiam pluribus ab hinc annis defuncti ad praesens vacet, cum omnibus illins bonis ac fructibus, redditibus et proventibus praefatae parochiali ecclesiae perpetuo ut infra uniretur aliaque infrascripta per Nos ac Sedem apostolicam etiam fut infra fierent et ordinarentur, ex hoc protecto tum decentiori pro tempore existentis ipsius parochialis ecclesiae rectoris sustencationi tum etiam animarum dictorum parochianorum curae foret aliqua in parte consultum. Ideo Nobis humiliter supplicari fecit exponens praefatus, quatenus ejus votis in praemissis formaliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eidem exponenti specialem gratiam facere volentes ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione sel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, ac aliarum unionum praefatae parochiali ecclesiae hactenus forsan factarum, si quae sint tenores etiam veriores, ac datas necnon verum et ultimum praefati legati pii vacationis modum praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus tu vocatis, qui fuerint ad id evocandi legatum pium praefatum, ut praefertur, vacans, cujus fructus, redditus et proventus etiam non deductis illius oneribus septem ducatorum auri de camera valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, eidem parochiali ecclesiae, cujus et illi forsan adnexorum fructus, redditus et proventus sexdecim unciarum cum incertis viginti quatuor ducatorum auri similium valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, cum omnibus et singulis illius fructibus, redditibus et proventibus praefatis necnon bonis, rebus, proprietatibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis, ita quod liceat moderno et pro tempore existenti ejusdem parochialis ecclesiae rectori per se vel alium seu alios hujusmodi legati pii bonorum, rerum, proprietatum, jurium, fructuum, reddituum, proventuum, obventionum et emolumentorum praefatorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare illiusque fructus, redditus et proventus praefatos percipere, exigere, levare, supportatis tamen prius per modernum ac pro tempore existentem ipsius parochialis ecclesiae rectorem omnibus praefato legato pio inhaerentibus oneribus in suos usus et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate praefata, sine alicujus praejudicio perpetuo unias, adnectes et incorpores.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 20. Decembris 1832.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 187. Ed. Romae.)

Ampliatio dotationis ecclesiae parochiali Cerralti Tudertinae dioecesis facta ex bonis simplicis beneficii sub invocatione beatae Mariae Virginis de Auxilio.

Venerabili fratri Episcopo Tudertino.
Gregorius PP. XVI.
Venerabilis frater.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Inter pastoralis muneris Nostri partes, quibus divina fungimur dispositione, assidua quae respicit animarum curam cogitatio praecipuum locum sibi vindicat. Cumque propterea illorum rectores sustentationis defectu laborare comperimus, necessitati hujusmodi per ecclesiasticorum etiam beneficiorum suppressionis medium ultra prospicimus, ut rectores ipsi viribus sic adauctis commissum sibi pondus valeant facilius supportare ac gloriam et gratiam aeternae salutis mereri sempiternam.

§. 2. Sane pro parte tua Nobis fuit humiliter expositum, quod redditus parochialis ecclesiae castri Cerralti Tudertinae dioecesis adeo modici sunt ac exigui, ut illius rector pro tempore existens gravibus plerumque pressus angustiis congruae suae sustentationi ac onerum sibi incumbentium supportationi nequeat prospicere. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione beatae Mariae Virginis de Auxilio nuncupatae in praefata parochiali seu alia ecclesia dicti castri per obitum quondam Felicis Mariae Renazzi illius, dum viveret, ultimi possessoris, nuper apud Sedem apo-

stolicam defuncti, aut alias certo, quem Nos habere volumus pro expresso, modo vacaverit et vacet ad praesens, et si praevia ejusdem beneficii suppressione illius bona ac fructus, redditus et proventus praefatae parochiali ecclesiae perpetuo ut infra applicarentur aliaque infrascripta per Nos et Sedem apostolicam ut infra fierent et ordinarentur, ex hoc profecto dictae parochialis ecclesiae indigentiis opportune consuleretur, ideo Nobis humiliter supplicari fecisti quatenus tuis votis in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui tam parochialium ecclesiarum quam illarum rectorum utilitates et commoda libenter procuramus, specialem tibi gratiam facere volentes necnon aliarum applicationum eidem parochiali ecclesiae hactenus forsan factarum, si quae sint tenores etiam veriores, ac datas verumque et ultimum dicti beneficii vacantis redditum, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultet, eisdem praesentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, quatenus tu, vocatis qui fuerit ad id evocandi, beneficium praefatum, cujus et illi forsan adnexorum fructus, redditus et proventus undecim ducatorum auri de camera, ut juliorum septem monetae romanae cum dimidio alterius julii similis, secundum communem aestimationem valorem annuum, ut accepimus, non excedunt, sive praemisso siye alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque personae seu per liberam resignationem dicti defuncti vel cujusvis alterius de illo in romana curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, quovis auctoritate collati, vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, ac de caetero uti tale in titulum collativum, quavis auctoritate conferri vel impetrari aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illud ullo unquam tempore quavis auctoritate conferri aut impetrari vel alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, impetrationes aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae et invalidae nulliusque roboris vel momenti existant neminique suffragentur nec cuiquam jus vel coloratum titulum possidendi tribuant, auctoritate Nostra perpetuo supprimas et extinguas. Illisque suppressis et extinctis omnia et singula praefati beneficii bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta universa in quacumque re consistentia ac ad dicta beneficia quomodolibet spectantia et pertinentia praefatae parochiali ecclesiae, ita quod liceat hodierno ac pro tempore existenti illius rectori per se vel alium seu alios ejusdem parochialis ecclesiae nomine beneficii hujusmodi, ut praefertur, suppressi et extincti, bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum praefatorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare ac fructus, redditus, proventus et emolumenta praefata percipere, exigere, levare ac supportatis tamen prius per privatum hodiernum ac pro tempore existentem dictae parochialis ecclesiae rectorem omnibus et singulis beneficii hujusmodi, ut praefertur, suppressi et extincti oneribus in suos dictaeque parochialis ecclesiae usus et utilitatem convertere, Dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, dicta auctoritate Nostra sine alicujus praejudicio etiam perpetuo applices et appropries.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 27. Julii 1832.

(Ibid. p. 189.)

b) Pro manutentione ecclesiae.

Applicatio fructuum nonnullorum beneficiorum pro manutentione ecclesiae sancti Antonii de la Florida sitae extra muros civitatis Toletanae.

Pius PP. VII.

Nos Ferdinandi regis votis quantum cum Domino possumus obsecundare volentes ac singulares personas, quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, beneficiorum praedictorum fructus, redditus et proventus in usus memoratos, dummodo beneficia praedicta non sint de jurepatronatus alicujus familiae ac onera illis adnexa accurate adimpleantur, ac sine praejudicio alieni juris, si forte sit, auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum convertimus, assignamus et applicamus.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 26. Junii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 54. Ed. Romae.)

Suppressio beneficii nuncupati Mezzo Prestamo de Valverde in dioecesi Toletana et applicatio bonorum pro manutentione ecclesiarum regalis domus Campi in regno Hispaniarum.

Pius Papa VII.

Nobis Ferdinandi regis nomine supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem Ferdinandi regis votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes ac singulares personas, quibus praesentes nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati beneficii praedicti fructus, redditus et proventus in usus memoratos, dummodo beneficium praedictum non sit de jurepatronatus alicujus familiae ac onera illi adnexa accurate adimpleantur, ac sine praejudicio alieni juris, si forte sit, auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum convertimus, assignamus et applicamus.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 26. Junii 1819.

(Ibid. p. 55.)

c) In favorem mensae episcopalis.

Vd. *Benef.* (suppressio in commodum massae capitul.)

Applicatio bonorum simplicis beneficii sub invocatione sanctorum Felicis et Adaucti favore mensae episcopalis Ripanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Multas inter sollicitudines, quibus ob curam omnium ecclesiarum Nobis injunctam angimur, illa est vel praecipua consulere Episcopis qui se redditibus nimis angustis instructos quaeruntur.

§. 2. Quibus sane difficultatibus atque angustiis Nobis expositum est episcopalem ecclesiam Ripanam premi, cujus ex bonis scutata millecentum quinquaginta percipiuntur quotannis, sed ita ut Episcopus onus sustineat tum reficiendi episcopales aedes tum cathedralem ecclesiam, quae nunc ob vetustatem ruinosa nonnisi magnis sustentari impensis potest. Quia vero non longe ab urbe Ripanae verumtamen in oppido Masseneani Firmanae dioecesis bona sunt beneficii simplicis ss. Felicis et Adaucti, quod a dilecto filio nostro Nicolao S. R. E. presbytero Cardinale Riganti nuncupato Episcopo Anconitano et Humano obtinetur, cujus ex beneficii proventibus conficiuntur annis singulis scutata circiter trecenta, videtur Canonicis Cathedralis Ripanae ac decurionibus urbis illius egestati Ripanorum Episcoporum facilem et in propinquo positam opem adesse, si quidem beneficium ss. Felicis et Adaucti eorum mensae adjungendum uniendumque apostolica potestate sanciamus. Nec vero destiterunt Canonici ac decuriones Ripani apud Nos rem enixo studio ac precibus multis urgere.

§. 3. Nos autem qui episcopalis mensae illius levamen cupimus, audito dilecto filio nostro Caesare S. R. E. presbytero Cardinale Brancadoro nuncupato Archiepiscopo Firmano necnon accepto ad eam unionem consensu dilecti pariter filii Nostri Nicolai S. R. E. presbyteri Cardinalis Riganti nuncupati Episcopi Anconitani et Humani jam nunc prospectantes futurum in tempus, quum simplex beneficium ss. Felicis et Adaucti in oppido Massineani Firmanae dioecesis institutum canonica ex causa vacabit, sine detrimento jurium praedicti dilecti filii Nostri S. R. E. presbyteri Cardinalis Riganti nuncupati Episcopi Anconitani et Humani perpetuo unimus et adjungimus episcopali mensae Ripanae et pro unito et adjuncto haberi mandamus.

§. 4. Volumus tamen, quod episcopalis men-

sa Ripana in possessionem illius bonorum ac fructuum veniat nisi post elapsum quinquenium a tempore quo vacabit. Eo autem elapso temporis intervallo Episcopi Ripani eorum bonorum ac fructuum possessionem acquirent, sed ea lege, ut beneficii oneribus omnibus singulisque accurate satisfaciant atque ex iis perpetuo et in singulos annos scutata centum sacrario cathedralis ecclesiae supellectilibus egenti pendant. Quod vero ex ejus beneficii proventu his impletis supersit, in sumptus reparationis ecclesiae cathedralis erogabitur, quamdiu reparatione indigebit: reparatione absoluta cedet Episcopis.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 6. Februarii 1821.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 374. Ed. Romae.)

d) In commodum Seminarii concessa.

Vd. *Benef.* (suppressio in commodum seminarii.); ***Missa*** (reductio concessa in com. seminarii.)

Toletana.

Haeredem instituit anno 1708 Rudolphus Valtieri Baptistam ejus fratren eoque absque filiis decedente tot in collegiata ecclesia s. Jacobi Tolentini erigi jussit canonicatus, quot ad mensuram praebendarum *Fidi et Sonni* haereditatis redditus ferrent. Sine prole decessit anno 1743 Jo. Baptista sibique haeredes scripsit fratres Orselli in proprietate suamque uxorem Rosam Gasperini in usufructu. Orta hinc inter equitem Orsellium et Collegiatam lite super erectione canonicatuum ad formam testamenti Valtieri quaedam anno 1776 per concordiam accepit Collegiata haereditaria bona valoris scutorum circiter decem millium ac potissimum convenit, ut vindicare deberet Orsellius a Rosa Gasperini fructus ex hereditate viri perceptos ac tertiam sibi illorum partem in casu victoriae traderet utque duobus simplicibus beneficiis de jurepatronatus familiae Orselli, altero nempe sub titulo SSmi Corporis Christi et s. Mariae Pietatis annui redditus scutorum 23. 40 cum onere missarum 52, altero s. Mariae suffragii annui redditus scutorum 17. 85. cum onere missarum 104, erigeretur in Collegiata mansionaria initamque concordiam die 13. Maji 1778 per pontificium chirographum Sanctissimus confirmavit.

Ob gravem Tolentinatis seminarii necessitatem ei primum Sanctitas Sua per aliud chirographum die 25. subsequentis Julii partem addixit hereditatis Valtieri deindeque sub die 25. Junii 1779. integrum assem cum onere solvendi ex redditibus praebendas quatuor pro totidem erigendis canonicatibus aliaque in singulos annos scuta 50 orphanotrophio recenter Tolentini instituto. Satis tamen non fuit pontificia haec providentia indigentiae iterumque anno 1784 clementissimo Principi supplicavit seminarium pro applicatione vacantium beneficiorum Orselli, ut binas philosophiae et theologiae erigeret cathedras. Petitioni favebat Episcopus, assentiebatur patronus, dummodo cederet seminarium juribus reservatis in concordia anni 1776 super bonis Rosae Gasperini: sed de mansionariatu sollicita restitit Collegiata jamque ex supremo rescripto: *Ad Congregationem Concilii pro apcritione oris* (adversus chirographum diei 13. Maji 1778) *cum facultatibus necessariis et opportunis*, agenda erat lis, cum patres convenerunt de uno in stipendium cantorum addicendo beneficio Collegiatae, altero pro cathedraticis seminario ac de impetranda missarum reductione.

Nihil adversus secundam hanc concordiam habere dixerunt ministri Datariae. At clar. mem. Cardinalis Riminaldi in requisito ejus voto censuit, utrumque seminario prae utilitate operis applicandum esse beneficium eorumque onera ad annuas dumtaxat missas centum reducenda. Per errorem tamen arbitratur, beneficio SSmi Corporis Christi et pietatis missas incumbere 152, quum reipsa sint 52. Emi relatoris voto non acquiescentes litem in sac. Congregatione prosequi decreverunt Canonici in capitulo diei 28. Aprilis 1788. Quidam vero ex ipsis nullam apud EE. Vestras dixerunt capitularem illam resolutionem prodiitque sub die 24. Maji rescriptum: *Ponatur in folio et oratores utantur jure suo in sac. Congr.* Sed alia ad sedandas illorum voces coacta fuerunt die 21. sequentis Junii comitia et in sententiam tandem convenerunt Capitulares permittendi utriusque beneficii applicationem seminario sub conditione erigendi designatas cathedras et reintegrandi capitulum de sumtibus litis. Utraque igitur per deputatos seminarii emissa obligatione cum ipsis Canonici EE. Vestris supplicarunt pro approbatione novissimae hujus concordiae et reductione missarum, quibus unienda beneficia gravantur.

Necessariam quodammodo unionem dicit

Episcopus optimumque *juxta votum Emi Riminaldi onera missarum utriusque beneficii minuere eaque ad centum singulis annis redigere.* Quo vero ad reficiendas litis expensas duo proponit media: *alterum petendi a thesaurario Principis condonationem fructuum eorumdem beneficiorum, quae vacant ab anno 1783. Et haec via non est ceteris difficilior, cum idem thesaurarius aliquam jam dederit condonationis spem, ubi contingat beneficia seminario applicari. Alterum suspendendi ad annum praeceptorum electionem, quo fructus in manus administratoris pervenientes expensas praedictas absolvant.* Atque ita concludit: *Hinc omissis, quae de cessione* jurium seminarii super bonis Rosae Gasperini alias retuli, simulque omissis, *quae super reliquis delibavi, hoc unum affirmare audeo, quod EE. Vestrae possent oratorum precibus favere novumque contractum inter eos initum approbare, si studiosi juvenes hoc unum medium, quo scientias addiscere sperant, sibi praereptum lugeant.* Haec autem de reservato jure adversus bona Gasperini notaverat, *quod, cum praedictum jus ex una parte gravibus implicetur difficultatibus litisque incerto eventu dependeat, ex alia haud grave interesse respiciat ac insuper deputari debeat expensis, etiam extrajudicialibus in casu victoriae, tanti faciendum non est ut mereatur ab EE. Vestris pro aliquid magni reputari.*

Primum concordiae caput applicationem respicit beneficiorum Orselli. Permittit *sacrum Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 18 de refòrm., ut ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam* episcopali seminario applicentur *beneficia aliquot simplicia, cujuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam ante vacationem, sine cultus divini et illa obtinentium praejudicio.* Ne id tamen in casu nostro fiat, obesse posset transactio anni 1776 per chirographum pontificium confirmata. Jus enim ex ea quaesitum collegiatae ecclesiae pro erectione mansionariae renunciari fortasse a Canonicis non potuit per novissimam concordiam, ex qua nihil, praeter expensas litis, in correspectivitatem acquireret, *gloss. in cap.: Sicut vobis de test., Rot. coram Ansald. decis. 258. num. 13 et coram Molin. decis. 865. num. 9.* Se praeterea Eques Orsellius beneficiis abdicavit, ut correspectivam acquireret cessionem jurium super bonis Rosae Gasperini. Hac igitur non purificata conditione perinde habetur ac si consensum illorum applicationi non praestitisset, *text. in leg. cum te fundum 6. cod. de pact. inter empt. et vendit., leg. fin. ff. de acceptilat. et in leg. adigere 6. §: Quamvis ff. de jurepatr.*

Obstaculum contra transactionis anni 1776 ejusque confirmatorii chirographi ab EE. Vestris removeri valet ex rescripto illo: *pro aperitione oris cum facultatibus necessariis et opportunis*, quoties applicationis necessitatem deprehendant. Ex informatione siquidem Episcopi 27. Martii 1784 haec sunt Tolentinatis seminarii circumstantiae. Arbitrantur deputati, nedum illius inopiae sed erectioni etiam utriusque cathedrae consultum esse per applicationem haereditatis Valtieri; *verum manu ad messem admota compertum fuit, annuum redditum ejusdem seminarii, comprehensis fructibus haereditariis Rudolphi, Valtieri annua scuta 370 circiter non excedere, ex quibus detractis oneribus* (canonicalium praebendarum annuaeque praestationis orphanotrophio) *vix superesse annua scuta biscentum pro ipsius seminarii regimine ac propterea unicum tantum coacti sunt grammaticae et humanitatis praeceptorem adhibere, quod in causa est, ut ipsi alumni ad majora studia ascendere nequeant ac una cum clero nimis illiterato ac rudi ignorantia otioque tabescant.*

Neque suppleri posse ajebat per impositionem taxae aliisque modis a Tridentina synodo praescriptis. *Beneficia enim, cum tenuissima sint et pleraque taxam synodalem non attingant, imparia sunt ad nova onera sustinenda. Nec juvari posse seminarium compertum est augendo annuas praestationes ab alumnis solvendas. Si enim augerentur, attenta generali paupertate, quae in tota viget civitate, vix unus fere inter alumnos posset adnumerari.*

Ubi inopia autem concurrit seminarii aliaque desunt media, per unionem beneficiorum provideri debet,*) ut conciliarem exornantes dispositionem *in cit. sess. 23. cap. 18. de reform.* tradunt *Garz. de benefic. part. 12. cap. 2. num. 190 et seq., Monacell. form. legal. part. 1. tit. 2. form. 9. num. 11. et sequen., Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 9. cap. 7. num. 2 et seq.* et dixit sac. Congregatio in *Amerina Applicationis 23. Novembris 1776 ad I. dub.*

Dimittunt quidem Canonici jus quaesitum ex concordia anni 1776 pro erectione mansionariae; sed id dimittunt, quod facile exe-

---

*) Vd. *Beneficium* (unio.)

qui non posset parumque utile esset; erigi namque deberet mansionaria juxta primam concordiam ex alterutro beneficio vel scutorum 17. 85 vel scutorum 23. 40 neque prae tenuitate forsan reddituum esset, qui eam cum missarum etiam onere accipere vellet. Haud multum praeterea unus mansionarius servitium levaret Canonicorum 17, ex quibus componitur capitulum, quum vix ad tertiam missam et vesperas teneantur diebus festis. Atque his demum accedit, quod juri suo renunciant Canonici ad succurrendum seminario, quod magis fortasse pium est opus; pro quo applicata etiam fuerunt bona orphanotrophii in *cit. Amerina Applicationis.*

Adhuc contra adimpleta non est conditio, sub qua patronus consensum praestitit, iterumque interpellatus praestat applicationi; sed jura seminarii adversus bona Gasperini, quum judicio Episcopi nullius sint momenti, renunciari possent. Explorata insuper non videtur utilitas seminarii per applicationem beneficiorum ad formam concordiae; nam ob annua scuta 25, quae detracta missarum eleemosyna ex utroque supersunt beneficio, vel integrum etiam redditum scutorum 40, onus assumeret instituendi duplicem majorem cathedram philosophiae et theologiae, pro quibus vix annua sufficiunt sc. 100 aut 150. Ac offendit tandem respectiva sumptum litis petitio et promissio; nam *in beneficialibus actus reciproci, videlicet facio ut facias, inducunt simoniam,* ut in haec verba monet *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num. 16.* Recessus vero a lite licitum forsan reddit pactum, ipsomet teste *Redoano loc. cit. cap. 2. n. 14.* Ejus vero adimplendi modum in novissima informatione proponit Episcopus, ut notatum est in facto.

Haec ad primum dubium. Quo vero ad secundum, parum utilem seminario dicunt oratores unionem beneficiorum, nisi missarum onera quam maxime reducantur. Tenues enim illorum redditus scutorum circiter 40 nec integri, ut notatum est, pro stipendio duplicis cathedratici sufficiunt. Haud facile quidem volitis fraudari debent suffragiis defuncti, *sacr. Concil. Trident. sess. 25. cap. 5 de reform.*, etsi justa quandoque urget causa succurrendi loco pio ac indigenti etiam parochiae, fieri solet illorum reductio ad tempus, ut in *Spoletana 16. Junii 1785* et in altera *Spoletana 27. Junii elapsi anni 1789.* Prae maxima tamen cathedrarum utilitate gravique seminarii inopia perpetuam clar. mem. Cardinalis Riminaldi proponebat reductionem ad missas centum ejusque sententiam sectatur Episcopus. Haec fuerunt illius verba: *Etsi deletioni onerum missarum pro effectu erigendae inutilis mansionariae nequaquam annuere valeam, annuerem tamen deletioni ejusdem oneris e conspectu utilitatis non modicae, quae certo certius obventura erit ecclesiae, si qui eidem addicti sunt, qui prae caeteris theologiae moralis praecepta bene càlleant. Ne igitur, salvis adhuc oneribus missarum, suluberrima ejusmodi providentia suo frustraretur effectu, illud etiam suaderem, ut ex iisdem missarum oneribus utrique beneficio inhaerentibus centum dumtaxat Sacra pro omni et toto quotannis celebrarentur.* Non desunt profecto in levioribus terminis hujusce reductionis exempla ad augendas nempe quotidianas distributiones*) in Collegiata ac prae caeteris in *Syracusana Missarum 10. Martii 1759.*

Quaeritur ergo

I. *An et quomodo sit locus applicationi beneficiorum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus reductioni missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative et ad D. secretarium cum SSmo.

Ad II. Affirmative pro missis centum ad quinquennium.

Die 20. Mart. 1790.

Facultas Archiepiscopo Gnesenensi applicandi seminario in ditione Borusica erigendo praeter beneficia simplicia alia duo beneficia curam animarum habentia.

Venerabili fratri M. Archiepiscopo Gnesenensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Quantum pastoralis sollicitudinis et vigilantiae in dominicum gregem, cui fraternitatem tuam Dominus Noster Jesus Christus voluit praesidere, a te semper impendatur, novis hisce etiam postulatis ostenditur.

*) Vd. *Distributiones.*

§. 2. Exponi siquidem nuper Nobis fecisti, quod Nos alias per Nostras in simili forma brevis diei 15. Decembris anni 1786 expeditas literas, ut spirituali tuorum subditorum in ditione regis Borussiae consistentium utilitati prospectum esset, tibi praevia monasterii Wysoka Canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini in dicta ditione tuaque dioecesi existentis suppressione bona quaecumque, jura et actiones ad monasterium hujusmodi spectantia ecclesiastico seminario inibi erigendo sub certis modis et conditionibus uniendi et applicandi plenam et amplam facultatem impertiti sumus tibique insuper concessimus, ut, si redditus ac proventus bonorum ac jurium dicti suppressi monasterii ad sufficientem alumnorum numerum sustentandum sat non essent, beneficia saecularia ac simplicia dumtaxat non autem curam animarum adnexam habentia ad formam concilii Tridentini eidem seminario pro tuo arbitrio ac prudentia unires et incorporares.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ea sit ut plurimum in hisce partibus beneficiorum natura et indoles, ut vel minima sint simplicia vel curam animarum adnexam habeant, quae tamen, cum ab illorum rectoribus per vicarios geri soleat, hinc etiam beneficia hujusmodi tamquam simplicia quodammodo reputantur; quamobrem, cum ad tam utile inceptum perficiendum erigendi scilicet seminarii in ditione Borussiae redditus ac proventus alias ad dictum novissime suppressum ac unitum monasterium spectantes non sufficiant nullaque sint fortasse beneficia simplicia saecularia aut saltem nullius aestimationis, quae, ut praefertur, illi uniri possint, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur memores quantum indulgentiae et facilitatis iis Nostris cooperatoribus, qui circa dominicum gregem pondus diei et aestus quotidie portare non recusant, debeatur, te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, dictarum Nostrarum literarum diei XV. Decembris 1786 tenores etiam veriores pro plene ac sufficienter insertis et expressis habentes, supplicationibus hujusmodi Nobis tuo nomine humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut praeter beneficia saecularia ac simplicia, si quae sint in ea tuae dioecesis parte, quae in ditione Borussica est et quae juxta earundem Nostrarum literarum tenorem dicto seminario essent unienda, duo etiam beneficia curam animarum adnexam habentia in futurum vacatura illuc consistentia, prout juxta datam tibi a Domino prudentiam satius atque opportunius videbitur, erigendo seminario praedicto auctoritate Nostra apostolica unias, applices atque incorpores ac unita, applicata et incorporata esse et fore statuas atque decernas, ita tamen, ut vicariis perpetuis, per quos cura animarum eidem beneficiis adnexa erit exercenda, juxta synodales constitutiones certam ac fixam annuam congruam ex redditibus eorumdem uniendorum beneficiorum persolvendam eadem auctoritate constituas et assignes. Volumus propterea, ut postquam haec omnia confeceris quam primum de hisce Nos aut romanos Pontifices successores Nostros certiores reddas atque applicationum et unionum hujusmodi actus ad urbem transmittas. Nos enim tibi necessariam et opportunam ad praemissa omnia et circa ea, quae ad optatum finem illa perducenda pertinent, faciendi, gerendi, dicendi et exequi mandandi ea omnia, quae componere ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 14. Martii 1788.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 137. Ed. Romae.)

Supprimuntur collegium, capella necnon sex capellaniae alias a bo. me. Emmanuell de Noronha Episcopo Lamacensi erectae ad effectum erigendi in eadem Lamacensi dioecesi seminarium episcopale, cum aliis ordinationibus.

Venerabili fratri I. A. Episcopo Lamacensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod, cum inter caetera, quae pro reformanda tuendaque ecclesiastica disciplina a concilio Tridentino statuta fuere, illud perutile visum sit, ut scilicet ab Episcopis, unusquisque in sua dioecesi, collegia seu seminaria erigerentur, in quibus ii pueri recipiantur, quorum indoles et voluntas spem afferet eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros esse, ut sic recte instituti et a teneris annis et antequam vitiorum habitus totos homines possideret ad pietatem et religionem efformati, Deo auxiliante, in disciplina ecclesiastica facilius perseverarent, hinc cum primum tam utile institutum in tua dioecesi prorsus desiderari tibi compertum fuit, ad seminarium ecclesiasticum juxta decreta dicti concilii Tridentini pro spirituali bono ac ecclesiasticae disciplinae progressu fundandum ac ad procuranda media magis accommodata et ad optatum finem conducentia animum adjecisti.

§. 2. Et quoniam pro constituenda ad formam ejusdem Tridentini concilii eidem seminario, ut praefertur, erigendo firma stabilique dotatione aeque firma ac stabilia requiruntur subsidia tum pro alumnis inibi excipiendis et sustendandis cum pro magistris aliisque inservientibus congrua danda stipendia, idcirco considerans tu, quod alias anno nempe 1596 bo. mem. Emmanuel Noronha, dum vixit Episcopus Lamacensis, in ultimo suae voluntatis elogio non solum sex anniversaria quotannis in animae suae expiatione a capitulo cathedralis Lamacensis celebrari voluit aliaque disposuit, sed etiam fundata capella sub titulo sancti Nicolai in claustro ejusdem cathedralis ecclesiae collegium instituit in educationem octo clericorum dictae dioecesis, qui quotidie officium divinum in eadem capella recitare, duas missas quotidie juxta pii testatoris intentionem per vices celebrare, nonnullas praescriptas preces fundere aliaque onera adimplere, praesertim vero in collegio pernoctare, theologiae morali ac plano cantici modo seu canto firmo in scholis in id erectis sedulam operam navare deberent, qui, cum nunc otio tapescentes neque theologiae morali neque cantui vacent, nullam ecclesiae utilitatem afferunt immo cum assignati a pio fundatore redditus progressu temporis copiosiores ac uberiores facti sunt, unde deductis sumptibus ad haec onera adimplenda necessariisqui in summa scutorum mille et ducentoru m circiter monetae romanae constituuntur, licet Episcoporum ac capituli sede vacante visitationibus nunc decem anniversaria quotannis fiant, a quolibet ex cathedralis ecclesiae presbyteris decem missae pro anima Episcopi testatoris celebrentur, emolumenta clericis collegii et capituli persolvenda pariter aucta sint, ac pro octo duodecim aluntur clerici in dicto collegio, nihilominus superextent annua scuta duo millia et octingenta circiter ejusdem monetae, neque proinde aptius neque utilius erigendo seminario consuli posse arbitratus es, quam si retenta quantum fieri potest pii testatoris voluntate bona, redditus, jura et actiones ad dictam fundationem pertinentia in id applicarentur, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, dum providum tuum consilium fundandi atque instituendi ecclesiasticum seminarium in tua dioecesi in Domino plurimum commendamus, tuis justis petitionibus libenter assensum praebere volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide ac religionis zelo quantum maxime confidimus, per praesentes committimus ac mandamus in primis, ut dictum collegium necnon capellam sancti Nicolai, servitium chori in ea ut praefertur faciendum ac sex ex dictis duodecim capellanis, qui eidem capellae veluti collegiales inserviunt, auctoritate Nostra apostolica supprimas atque extinguas ac suppressa et extincta fore et esse edicas.

§. 4. Sex vero alios capellanos dictae capellae inservientes ad tuam cathedralem ecclesiam transferas illiusque chori servitio perpetuo addicas, ita tamen, ut altera ex duabus missis quotidie in dicta capella sancti Nicolai ut praefertur celebrandis a dictis sex capellanis ad cathedralem ecclesiam translatis in posterum aut in eadem capella,

ubi Episcopus testator tumulatus est, aut in ecclesia cathedrali, prout statuendum fore opportunius duxeris, altera vero in capella dicti erigendi seminarii semel ac constituta fuerit juxta intentionem et modum ab eodem testatore praescriptum, sint celebrandae constituas. Volumus insuper tibique injungimus, ut anniversaria, quae in expiationem animae pii fundatoris nunc in memorata capella fiunt, in ecclesia cathedrali cum iisdem distributionibus et emolumentis ac in eadem summa et modo, quo nunc a Canonicis aliisque Capitularibus percipiuntur, nisi quod aegrotantes quoque distributiones ac emolumenta hujusmodi lucrabuntur, deinceps haberi debeant dicta auctoritate declares.

§. 5. Ne porro temporis progressu aliqua difficultas exoriri possit quoad omnium onerum praedictorum satisfactionem, si ea ex administratione erigendi seminarii pendeat, tibi propterea mandamus, ut ecclesiam de Fanzeres, alias dicto suppresso collegio ac capellae adnexam, mensae capitulari dictae tuae ecclesiae cathedralis ea lege, ut omnia dicta onera adimpleantur, eadem auctoritate perpetuo unias et incorpores ac unitam et incorporatam esse statuas atque decernas. Verum quia redditus dictae ecclesiae de Fanzeres excedunt injuncta onera, volumus idcirco, ut a mensa capitulari praedicta nedum moderno administratori dictae capellae et collegii integrum quoad vixerit emolumentum ei alias pro gerenda administratione hujusmodi constitutum solvatur, sed etiam fabricae ecclesiae cathedralis annua scuta centum viginti extincta tamen pensione scutorum septuagintorum, quae fabricae praedictae quotannis de capitulari massa solvebantur, perpetuo assignentur, necnon de hisce ipsis fructibus portio aliqua sicut praefertur persolvenda pro congrua parochi ac ecclesiae de Fanzeres praedictae tuo arbitrio ac prudentia praefinienda statuatur. Post haec vero tibi concedimus, ut omnes redditus ac proventus dicti collegii ac capellae seu redditus ac proventus ecclesiae de Orezinho eis unitae aliaque jura, actiones, bona mobilia et immobilia, sacra et prophana, quomodolibet ad collegium ac capellam hujusmodi spectantia et pertinentia seminario aut in loco dicti collegii aut alibi pro tuo arbitrio erigendo, ita tamen, ut administratores pro tempore existentes seminarii hujusmodi quotidianam missam praedictam in capella ejusdem seminarii juxta Episcopi testatoris intentionem curare teneantur, dicta auctoritate perpetuo unias, incorpores atque adnectes ac unita, incorporata atque adnexa esse et fore decernas.

§. 6. Cum porro Nobis undique perspecta sit tua pastoralis sollicitudo, te hinc enixe hortamur, ut ea omnia, quae ad formam dicti Concilii Tridentini tum pro puerorum in seminario excipiendorum ad pietatem et religionem efformatione ac in ecclesiasticis disciplinis institutione, tum etiam ad seminarii firmitatem salubriora fore conspexeris, pro tuo arbitrio ac prudentia statuas sicque agas, ut seminarium hujusmodi tuae dioecesi proficuum ac utile futurum sit. Nos enim tibi omnem et quamcumque necessariam et opportunam ad praemissa omnia et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi et exequendi ac exequi mandandi pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 18. Aprilis 1788.

(Ibid. p. 141.)

Civitatis Castelli.

Tribus passuum millibus a Tiferno Tiberino distans est locus in ipsis Apenni jugis positus, quem Capuccinos veteres incolae appellant et quem ab eo oppido dividant praerupti torrentes, viae difficiles collesque sub hiemem nive oppleti. Ibi inaedificata est ecclesia s. Josepho dicata et ecclesiae adhaeret coenobium, quod, licet anno 1657 aboletum ab Alexandro VII., tamen usque ab anno 1673 recuperaverant PP. Cappucini, quorum opera in spiritualibus indigentiis juvabantur fideles limitaneas terras habitantes, quibus ob nimiam distantiam praesto esse nequibant parochi. Anno 1798 Cappucini, deserto hoc coenobio, in aliud concesserunt a Tiferno distans passibus circiter quingentis quodque vulgo dicitur locus novus.

Paulus Bartoli tunc temporis Episcopus ecclesiam sancti Joseph cum coenobio et silva eidem adnexa adtribuit seminario dioecesano, nulla tamen apostolica venia intercedente nulloque decreto a se in scriptis

edito. Res ita processit donec hodiernus Episcopus primam dioecesis visitationem obiens non sine animi dolore vidit necessitates illorum hominum, qui spiritualibus subsidiis destituti montana illa loca incolunt. Hinc miseratus ipsorum conditionem rogavit moderatorem coenobii Cappuccinorum in loco novo positi, ut saltem diebus festis sacerdotem illuc mitteret, qui missam celebraret ac fidelium confessiones exciperet: ipse interim ecclesiam instauravit, suppellectilibus eam ornavit campanamque in turri reposuit, ex qua ob temporum iniquitates subtracta fuerat. Praestitum id a Cappuccinis usque ad annum nuper elapsum 1833, dum praeses provinciae caenobia perlustrans Episcopo renuntiavit non posse amplius Cappuccinos demandato muneri satisfacere causatusque est sacerdotum numerum plus aequo parvum quam hoc onus ferre possent.

Tunc Episcopus de montanorum sorte sollicitus hanc s. Congregationem adiit eique exposuit, quae superius narrata sunt, ac petiit ut praefata ecclesia cum coenobio, horto ac silva perpetuo uniretur seminario suae dioecesis ad hoc, ut ex hisce bonis constitueretur capellania ejusque rectori imponeretur onus missam celebrandi in illa ecclesia singulis festis diebus et adjacentium hominum spiritualibus indigentiis occurrendi.

Plura tunc ab ipso Antistite sciscitata est s. Congregatio, ad quae omnia respondens retulit:

1) Parochos finitimos atque illum etiam cui hi fideles subsunt huic capellani institutioni consentire, quia id cedit in bonum animarum quae nimis a paroeciis distant.

2) Deputatos seminarii et ipsos unioni assensum praebere, quia nullum hinc seminario praejudicium irrogatur, ejus enim annui redditus superant expensas in sc. 173. 78. prout ex dati acceptique rationibus planum est.

3) Bona capellano tribuenda aestimata esse scut. 156. 44. atque ex iis redire quotannis scut. 10. 31 soluto omni onere, sed ipsum Antistitem fovere certam spem, ea longe auctum iri ab aliquot fidelium pietate, si capellanus eo in loco instituatur.

4) Nullum omnino apostolicae Sedis decretum a suo decessore obtentum fuisse, quo haec bonorum unio firmaretur.

Hinc petit ut praefata unio probetur atque manente bonorum proprietate penes seminarium ea inserviant capellaniae erigendae fructusque dentur capellano sub invocatione s. Josephi, qui missam celebret in ea ecclesia quolibet festo die et meliori quo fieri potest modo spiritualem opem ferat illis hominibus, qui in locis nimium a sua paroecia sejunctis positi sunt.

Atque ne quid negligi videretur, quod accuratae negotii definitionis interesse posset, auditus est etiam procurator generalis ordinis Cappuccinorum. Hic porro suis literis ad s. Congregationem datis die 23. Martii 1834 aperte profitetur, nimis incommodum accidere religiosorum familiae celebrationem missae festis diebus in ea ecclesia, tum quia in coenobio loci novi, ut vocant, desunt sacerdotes, qui illuc mittantur, tum quia longum est iter ac impervium: quapropter sibi non modo non displicere, ut capellanus ibi constituatur juxta votum Episcopi, sed immo gratissimum ei obvenire, si hac ratione antiquissimum Franciscanum aedificium Deo divoque Josepho sacrum alias periturum conservetur.

Jam vero quod ab hac s. Congregatione petit Episcopus Tifernas pugnare videtur cum lege a Tridentina synodo lata, quae *sess. 23. cap. 18 de reform.* jubet, ut pro seminario instituendo, si ceteri redditus deficiant, beneficia ei uniantur parsque detrahatur etiam ex fructibus mensae episcopalis et capituli ac aliarum dignitatum et beneficiorum etiam regularium. At si probaretur Episcopi instantia contrarium prorsus eveniret: non modo enim non uniretur seminario beneficium, sed ab eo aufferetur beneficium a multo jam tempore unitum: quod sane pugnat cum Tridentini sanctione. Pugnat etiam cum ipsius Tridentini lege: »ne regularia beneficia saecularibus ac ne saecularia regularibus tribuantur,« quae sane omnia demonstrant pronis auribus excipiendam non esse Episcopi instantiam. Verum si omnia ut par est expendantur aliter se res habere videtur. Tridentini enim sanctio aliena prorsus est a themate. Ibi enim agitur de redditibus seminario tribuendis, vel cum primum instituitur vel cum ipsi adolescentibus in eodem alendis impares deprehendantur. Patet autem ex statu activo et passivo, ut vocant, seminarium Tiferni adeo redditibus abundare, ut ipsi superent annuas expensas in scut. 173. 78. Cessat ergo ratio Tridentini decreti.

Nihil etiam ad rem pertinet lex: »ne beneficia saecularia regularibus, regularia saecularibus conferantur.« Illa enim locum sibi vindicat in beneficiis proprie dictis ac jam erectis. Non enim hic agitur de beneficio regularibus assignato, sed de ecclesia ac coenobio a regularibus derelictis, quibus nullum omnino beneficium erat attributum.

Dum autem Episcopus urget uniri seminario seu potius confirmari unionem a decessore suo Episcopo Bartoli jam factam, ecclesiam et coenobium cum horto et silva ad Cappuccinos veteres pertinente, ut capellanus eo in loco statuatur, considerandum videtur num utilitas vel necessitas intercedat. Hanc adesse suadet numerus tot fidelium, qui montanam illam regionem incolentes ad ecclesiam festis diebus accedere nequeunt ut missae sacrificio intersint ac Sacramenta suscipiant, idque ob locorum distantiam et viarum difficultatem, seu constat ex Episcopi literis et parochorum declaratione. Porro in his casibus posse Episcopus constituere novas paroecias in iis locis, etiam invitis rectoribus, statuit Alexander III. in *cap.: Ad audientiam de eccles. aedifican.* ac pro victu et sustentatione novi parochi fructus esse assignandos arbitrio Episcopi decrevit Tridentin. *sess. 21. cap. 4 de reform.* Potiori jure id tribuendum videtur Episcopo Tifernati, qui hac ratione consulit conservationi fabricae ecclesiae, cultum dei promovet et tot fidelium necessitatibus occurrit; idque peragit nemine refragante aut invito, sed consentientibus probantibusque illis omnibus, quorum interesse potest.

Accedit antiquis temporibus ecclesiam et coenobium a piis benefactoribus aedificatum hortoque et silva donatum ut ibi Cappuccini insisterent religionis adjumenta miseris agricolis per eos montes dispersis praebituri. Eorum voluntates meliori ratione quam fieri potest esse servandas justitia suadet. Hoc autem est quo Episcopi studia contendunt, qui, postquam desperatum videt de religiosa familia in eodem coenobio iterum collocanda, sacerdotem sufficere cupit, qui illorum vices aliquo modo referat in spiritualibus fidelium indigentiis sublevandis. Aequum autem est huic capellano tribui redditus ex coenobio cum horto et silva proficiscentes: qui enim sentit incommodum et commodum sentire debet ex *reg. 55. juris in 6.*

Ex his dirimere dignabuntur EE. VV. sequens

Dubium:

An et quomodo annuendum sit precibus Episcopi Civitatis Castelli in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus facto verbo cum SSmo.

Die 21. Febr. 1835.

e) In commod. Seminarii non concessa.

Tyburtina.

Dum a presbytero Cottarelli postulatur suspensio capellaniae s. Antonii Abbatis, ut superextantes redditus erogentur in fabricam ecclesiae, publici repraesentantes *castri Madamae* supplicant pro ejusdem capellaniae applicatione seminario dioecesano, ut in illo recipiatur adolescens indidem *castri Madamae*, qui ad ordines promoveri possit.

Verum *parochus castri Madamae instantiae renuit* (quemadmodum refert Vicarius capitularis in sua informatione) *ne cultui ecclesiae archipresbyteralis aliquid deficiat ob suppressionem. Capellanus enim onera habet non solum missas celebrandi sed etiam parochum adjuvandi in cura animarum. Annuit autem parochus prout jam retuli in contemporanea mea epistola pro suspensione collationis beneficii seu capellaniae ad effectum applicandi redditus beneficio ecclesiae ad sexennium. Renuunt etiam, quos audivi, deputati hujusce seminarii episcopalis. Redditus enim capellaniae detractis oneribus impares omnino sunt ad clericum in seminario alendum et redditus hospitalis jam ad alios usus pios applicati reperiuntur. Collator capellaniae est Ordinarius nullumque proinde jus habet communitas. Rejiciendam igitur esse censeo supplicationem communitatis, favendum ab EE. VV. supplicationibus sacerdotis Michaelis Cottarelli.* Publici vero repraesentantes mihi in scriptis rationes dederunt, ut eas EE. PP. referrem, ex quibus instantiam confirmare student et rejicere oppositionem paro-

chi. Ajunt enim necessarium et utile futurum si adolescentes in seminario erudiantur. Nam castrum Madamae populosum est ad capita bismille, ut proinde necesse sit plurimos habere presbyteros, qui frequenti populo opitulari possint.

Nullam porro contendunt causam subesse cur parochus applicationi capellaniae refragetur. Nam ex fundatione capellania s. Antonii Abbatis non habet impositum onus coadjuvandi parochum in cura animarum, sed tantummodo adessendi choro et sacris functionibus. Hoc onus impositum fuit a defuncto Episcopo Manni in postrema collatione. Verum non adeo necessaria nunc est opera hujus capellani in cura animarum, cum in oppido *castri Madamae* adsit parochus et duo vicarii curati et praeterea capellanus *suffragii*, qui omnes curam exercent. Quo igitur minor est necessitas, eo injustius parochum applicationi repugnare concludunt.

Ex hisce porro pergunt, ut postulent non ut unus sed duo alumni in seminario alantur; atque rem ita expediunt publici repraesentantes. Proponunt enim nedum applicationem reddituum capellaniae in hanc causam sed etiam reddituum hospitalis. Nam ex hujus redditibus jam solvitur stipendium ludimagistri et magistrarum piarum, qui pueros puellasque publice instituunt. Hoc stipendium in se recipere proponit communitas, ut redditibus hospitalis uniantur redditus capellaniae atque ex his symbula scutorum octoginta conferatur seminario, ut duos alumnos alat.

Quamquam Tridentinum *sess. 23. cap. 18. de reform.* praescribat, ut per applicationem beneficiorum simplicium consulatur manutentioni seminarii, nescio an haec dispositio casui nostro applicari possit, in quo publici repraesentantes per subversionem capellaniae et hospitalis sibi quaerere volunt jus retinendi duos alumnos in seminario. Duo tamen in vestram revoco memoriam, EE. PP., quae Vicarius capitularis affirmat. Primum redditus hospitalis jam applicatos fuisse in fabricam ecclesiae *castri Madamae*, ita ut durante hac applicatione redditus hospitalis in alios usus converti nequeant. Alterum illud est, quod deputati seminarii negant duos alumnos alere pro annua pensione scutorum *octoginta*.

Ex his deliberandum erit:

An commode sit locus applicationi capellaniae in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 13. Jan. et 17. Febr. 1816.

f) In usum Sacrarii et capellae musioalis.

Vd. *Benef.* (suppressio in commod. sacrarii); p. 372. b; 373. c.

Incorporatio beneficii simplicis sub invocatione sancti Petri favore capituli metropolitanae Firmanae ad consulendum gravissimis necessitatibus fabricae et capellae musicalis.

Venerabili fratri Archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater. Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, quod usque ab anno millesimo septingentesimo nonagesimo secundo Joseph Graziani clericus istius civitatis Firmanae rite, prout asseritur, obtinuit beneficium quoddam simplex sub invocatione sancti Petri in Orgeano nuncupati in ecclesia parochiali Villae capitis Arcus istius Firmanae dioecesis erectum, et cum ille miserimis transactis temporibus coactus fuerit castra sequi, a Nobis, prout etiam asseritur, obtinuit indultum percipiendi fructus beneficii hujusmodi etiam in militari statu, constituto administratore uno ex Capitularibus metropolitanae ecclesiae Firmanae ab ipso capitulo electo, ad quod certis determinatis mensibus anni hujusmodi beneficii collatio, sicuti pariter asseritur, pertinet, qui in administratione praedicta adhuc perdurat, licet fama sit, praedictum Graziani in nuperrimo bello contra Russiam anno millesimo octingentesimo tertio decimo e vivis decessisse; quodque, si forte per obitum ejusdem locus sit vacationi et successive collationi, tu beneficii praedicti fructus in perpetuum applicare et unire ecclesiae metropolitanae praedictae, ut consulere valeas gravibus necessitatibus fabricae, sacrarii et musicalis capellae ejusdem ecclesiae, quae opportunis redditibus carent, summopere desideras, si Nostra et hujus sanctae Sedis ad id facultas accedat. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur te specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae, quatenus certo constet de obitu praedicti Graziani, cujus jura quoad perceptionem fructuum dicti beneficii vigore apostolici indulti Nostri ab eo acquisita durante ejus vita salva et illaesa remaneant, facultates necessarias et opportunas in perpetuum applicandi et uniendi fructus praedicti beneficii, satisfactis omnibus et singulis illius oneribus, ac dummodo expressus ad id consensus capituli Metropolitanae praedictae accedat, eidem ecclesiae metropolitanae favore fabricae, sacrarii et musicalis capellae ejusdem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 2. Octobris 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 246. Ed. Romae.)

g) In subventionem scholae.

Vd. *Benef.* (suppressio in commodum mulierum piarum praeceptricum etc.)

Assignatio bonorum beneficii simplicis nuncupati Prestamera in subsidium et subventionem scholae primarum literarum et educationis puellarum nuncupatae Ruris de Linares.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper Nobis pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici expositum est, quod ipse in subsidium et subventionem scholae primarum literarum te educationis puellarum uuncupatae Ruris de Linares fructus cujusdam beneficii simplicis seu Prestamera appellati, actu per obitum bo. mem. Joannis Martinez Nubla vacantis et rure memorato Giennensis dioecesis fundati, illi unire et applicare intendit, si Nostra et hujus sanctae Sedis ad id facultas accedat. Nobis propterea ipsius Ferdinandi regis nomine supplicatum humiliter fuit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Ferdinandi regis votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut praedictum beneficium simplex, dummodo ad patronatum laicorum excepto tamen regio non pertineat, memoratae scholae primarum literarum et educationis puellarum Ruris de Linares aggregari ac perpetuo uniri illiusque fructus, redditus et proventus erigi ac percipi et in suos usus et utilitatem converti, cum obligatione tamen satisfaciendi omnibus et singulis oneribus eidem beneficio adnexis, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium permittimus atque concedimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 24. Septembris 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 329. Ed. Romae.)

16) Archiepiscopi facultas quoad beneficia vacantia in dioecesi Suffraganei.

Potest conferre Archiepiscopus beneficia vacantia per negligentiam Suffraganei; si enim Suffraganeus sit negligens ad conferenda beneficia intra semestre, tunc collatio devolvitur ad Archiepiscopum, *c.: Licet 3. de supplenda negligentia praelator.*

Potest Archiepiscopus instituere praesentatum a patronis per negligentiam Suffraganei; nam si Episcopus noluerit instituere infra duos menses praesentatum in jure patronatus a patronis, illum instituet Archiepiscopus, quem possunt adire patroni; *Pius V. constit.* incip: *In conferendis* edita 16. Maji 1567.

17) Beneficia sub eodem tecto quae sunt?

Vd. *Beneficium* (pluria possid. — dispens. apostol., disp. in quibus beneficiis etc.; Episcop. dispens. potest —.)

Illa dicuntur *beneficia sub eodem tecto*, quae existunt intra eamdem ecclesiam, hoc est, vel in ipsa ecclesia atque intra parietes ipsius sunt vel saltem intra claustrum aut coemeterium contiguum ipsius continentur. Beneficia autem existentia in capella vel coemeterio non contiguo principali ecclesiae sed extra non censentur esse sub eodem tecto ecclesiae principalis, *arg. cap: unic. de consecrat. eccles. in 6*, ubi: polluta ecclesia polluitur coemeterium illi contiguum, sed non remotum. Sic *Barbosa p. 3. de offic. et potestat. Episcop. allegat. 62. n. 15, Garcias. part. 11 de benefic. cap. 5. num. 259, Pirhing. lib. 3. tit. 5 de praebend. num. 124.*

Beneficia sub eodem tecto alia dicuntur

uniformia seu similia, alia dicuntur difformia seu dissimilia. *Beneficia uniformia seu similia sub eodem tecto* sunt illa, quae in eadem ecclesia sunt instituta ad eumdem finem, adeo ut habeant idem prorsus onus et officium eodem tempore peragendum. Ita *Piasecius p. 2. praxis Episc. c. 5. art. 3. n. 73, Pirhing. loc. cit. n. 124.* Talia sunt duo canonicatus, duo personatus, duo praestimonia et duae capellaniae, quae tamen capellaniae sint ejusdem prorsus rationis et obligationis personalis; alias si essent diversae rationis et distincti oneris non essent beneficia uniformia sub eodem tecto nec proinde incompatibilia, si una capellania non sit sufficiens; et per hoc duae capellaniae in duobus altaribus ejusdem ecclesiae fundatae cum onere, ut in uno altari bis verbi grat. in hebdomada celebretur, et in altero ter aliis distinctis diebus, licet eodem nomine generali *capellaniae* appellentur, reipsa tamen non sunt beneficia uniformia sub eodem tecto, sed difformia, adeoque compatibilia, cum habeant distincta onera seu officia in diversis altaribus pro distinctis diebus peragenda. Sic *Navarrus cons. 16. de praebend., Garcias. part. 11. de benefic. c. 5. num. 225 et 229, Parisius lib. 3. de resignat. benefic. quaest. 1· num. 128, Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 8. num. 7, Gonzalez. ad regul. 8. cancellar. gloss. 10. num. 33 et 35.* allegans plures alios ac multiplices decisiones Rotae.

Beneficia *difformia seu dissimilia sub eodem tecto* sunt illa, quae sunt quidem in eadem ecclesia instituta, sed non ad eundem finem sive officium eodem tempore peragendum, immo ad diversum. Talia sunt verbi grat. unus canonicatus et portio, una dignitas et canonicatus, unus personatus et beneficium curatum et hujusmodi, *Azorius part. 2. l. 6. cap. 11. q. 1, Reiffenstuel lib. 3. tit. 5. de praebend. num. 237. (Ferrar.)*

18) Bona.

a) Administratio sine patrono.

Vd. *Administratio; Administrator; Beneficium* (administratio p. 362); *t. I. p. 186. n. 2;* p. 187. *n. 3; p. 220. n. 3.* Vd. *infra p. 389. c.*

Extat in quadam ecclesia SSmae Mariae Virgini dicata beneficium juripatronatus obnoxium Exmi cujusdam Dynastae; et inter fundos, qui beneficii dotem constituunt, non exiguus recensetur ager, qui redditum scutatorum octodecimquolibet anno reddebat, fructum multo uberiorem redditurus, si aliqua emponemata, vulgo meliorationes, in eo peractae fuissent. Quae videns sacerdos Salvator beneficii rector nactus est hominem, qui agrum ipsum in perpetuam emphyteusim acciperet, adpromisso canone annuo scutatorum triginta supra octo. Itaque idem rector, nulla Exmo patrono ejus rei significatione facta, sed S. C. Ep. et Reg. adita veniaque impetrata, publice edicta proposuit, quibus ad emphyteusim oblatores invitabantur. Cum tamen unus ille homo, praeterea nemo, comparuisset, ex decreto S. C. Ep. et Reg. eidem emphyteusis deliberata est, salvo jure vigesimae et sextae ad normam decretorum generalium ejusdem s. Congregationis.

Instaurato certamine pro vigesima,*) nullus extitit oblator: at vero cum experimentum sextae perfectum fuisset, inventus est Titius, qui canonem ad scutata 43 adauxit. Quae oblatio deliberatario significata cum fuisset, eam hic omni ex parte accepto habere non dubitavit. Cum jam in eum locum adducta res esset, ut instrumentum definitivum cum homine illo conficeretur, Dynasta patronus hujusce negòtii certior factus apud S. C. Ep. et Reg. oblato libello conquestus est, nullo praehabito suo consensu, quinimo sese plane inscio, ad eum emphyteuseos contractum deveniri: itaque postulabat, ut acta eatenus celebrata rescinderentur. Ordinarius ea de causa rogatus S. C. rescribebat, negari, ut sibi videbatur, non posse definitivi instrumenti celebrationem, dummodo patroni consensum ad eum contractum absolvendum omnino necessarium non aestimaret s. Congregatio.

Quid patronus opponeret.

Exmus Dynasta patronus acta omnia veluti nulla traducebat ex eo, quod rescriptum a S. C. Ep. et Reg., prout ipse tuebatur, obreptionis ac subreptionis vitio laboraret; nam in precibus nulla patronatus mentio facta fuerat, nulla patrono de emphyteusi celebranda data significatio neque consensus exquisitus; insuper emphyteusis in perpetuum duratura erat, quod ab ordinaria S. C. disciplina alienum est, ac denique contractus seu distractus a beneficiato proponebatur, qui minime beneficii dominus sed merus administrator existit. Denique idem patronus, quando emphytheusis ad effectum omnino perduci ex S. C. decreto debuisset, ipsemet sese offerebat, eum in finem, ut contractum illum eodem persoluto canone eisdemque conditionibus in se susciperet.

*) Vd. *infra p. 385 §: Decretum.*

Deliberatarius in eo totus erat, ut ostenderet acta, quae in tribus experimentis locum habuerant, adamussim juxta decreta generalia S. C. absoluta fuisse adeoque nihil impedimento esse, quominus instrumenti stipulatio permitteretur; quinimo contendebat sine injuria hoc in rerum statu id sibi denegari non posse. Neque enim ceteroquin patroni interpellatione vel consensu opus est, qui econtra in administratione fundorum beneficialium sese immiscere prohibetur. Quoniam autem a S. C. venia petita fuit eaque per Ordinarium de precum veritate edocta evidentem beneficii utilitatem agnovit ac probavit, nihil reliquum esse quisque videt nisi ut res numeris omnibus ad unguem absoluta esse dicatur, adeoque nihil obesse, ut instrumenti celebratio opus coronaret.

Quid ex officio animadverteretur. — Ex praescripto concilii Tridentini *sess. 24. cap. 3 de reform.* prohibitum est patronis beneficiorum, ne in administratione bonorum beneficialium ingerere sese audeant. Nihilo tamen secius non idcirco iisdem jus adimitur invigilandi, ut eadem administratio recte procedat et beneficialis dos ne dilapidetur. Hanc ad rem doctores triplicem distinguunt administrationis speciem. *Alia est enim* (ita *Archid.* in *cap. Laicis 16 qu. 17. n. 1*) *auctoritatis, et haec est solius Episcopi. Alia est ministerialis, et haec est oeconomi, qui tantum est sive debet esse clericus. Alia providentiae est et sollicitudinis, et haec competit laicis puta patrono. Card. de Luca ex Miscell. disc. 35 n. 11.*

Immo accuratius rerum canonicarum interpretes in hoc argumento quaestionem proponunt, an patronorum consensus ad fundorum beneficialium alienationem necessarius plane sit. Ipsi proinde discrimen statuunt inter alienationem *voluntariam* et *necessariam;* pro hac extrema docent, patroni consensum requiri non *ex necessitate actus ac validitate,* sed solummodo ex *quadam urbanitate ac honestate.* Quod vero alteram respicit, integrum patrono esse autumant, sese opponere, contradicere suumque dissensum interponere: nisi quod oppositio (ita *Fargna de jurepatron. p. I. can. IV. cas. VI. n. 11*) »seu dissensus patroni est attendendus, »si ipsemet alleget causam rationabilem et »gravem, quae grave involvat praejudicium »ecclesiae patronali, secus si nullum affertur praejudicium.«

Jamvero si alienatio accidat, causa per sanctam Sedem praecognita et accedente ejus venia jam planum est non amplius licere patrono sese opponere, etiamsi idem nullatenus interpellatus fuerit: neque enim *gravis ac rationabilis* sese opponendi subesse potest causa, postquam sancta Sedes ea quae scitu necessaria erant sedulo exquisiverit, in promptu habuerit et alienationem auctoraverit, quod in causa, de qua agebatur, adamussim obveniebat.

Dubium:

»An et quomodo attendendae sint patroni reclamationes in casu?«

Resolutio dubii. — Die 8. Martii 1861. Emi patres rescripserunt: *Negative.*

Ex iis colliges:

I. Prohibitum esse patrono sese immiscere in administratione bonorum beneficialium.

II. At vero non esse eidem ademptum jus invigilandi, ne bona beneficialia male administrentur.

III. In alienatione bonorum beneficialium non requiri ejusdem consensum, quando contra alienationem gravis et rationabilis causa ab eo non opponatur, et ceteroquin solemnitates a jure canonico praescriptae observentur.

Decretum de locationibus et alienationibus rerum ecclesiasticarum.

Sub hoc titulo venit quaedam resolutio S. C. Ep. et Reg. cujus occasione nonnulla emissa fuerunt decreta, quae in causa supra exposita citantur, et sequentibus verbis continentur:

»Curia episcopalis Assissiensis, datis literis ad s. Congregationem negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam IV. Idus Mart. anno MDCCCXXXV. duas quaestiones seu dubia proposuit, videlicet:

I. »Utrum ad legitimam sextae et vigesimae oblationem requiratur ea pecuniae vis, quae vicesimam et sextam jam oblati pretii partem saltem exaequet, an vero sufficiat quodcumque augmentum titulo vicesimae et sextae?

II. »An ad majorem ecclesiae utilitatem possit prorogari legitimum tempus, ut oblatores, si velint, novas oblationes exhibere valeant?«

Sacra Congregatio respondit

»Ad primum: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*«*)

»Ad secundum: *Negative.*«

»Et dentur decreta de adjudicandis bonis ecclesiasticis alias edita, et praesertim quae sequuntur:«

I. »In adjudicandis rebus ecclesiasticis observandae sunt leges latae a Benedicto XIV. in suo motu proprio edito die 23. Novembris 1742. pro locationibus bonorum cameralium.«

II. »Oblationes fieri debent in quadam summa certa et explicata sine ulla conditione aut augmento, quod ex eventu pendeat, ac proinde si quis obtulerit ex. gr. decem nummos scutatos vel supra meliorem quamcumque oblationem vel supra eas oblationes, quae ad certam summam pervenerint, oblatio isthaec rejicitur veluti captiosa et utilitati locorum piorum adversa.

III. »Si quis vero in eadem oblatione, postquam summam certam obtulerit, polliceatur etiam se soluturum ex. gr. decem nummos scutatos vel supra aliam quamcumque oblationem vel supra eas oblationes, quae certa summa contineantur, tum augmentum decem nummorum scutatorum non aliorum oblationibus, sed certae summae ab eodem oblatae addendum erit.«

IV. »Si edicta proposita fuerint vi literarum s. Congregationis et elapso termino apertisque oblationibus novae exhibeantur oblationes, tum oblationes omnes ad s. Congr. mittendae erant, s. autem Congregatio, re adhuc integra, poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel rejicere vel mandare ut denuo edicta proponantur.«

V. »Idem jus novas oblationes vel rejiciendi aut etiam edicta denuo proponendi, rec adhuc integra, ad executorem beneplaciti apostolici spectat, ubi ob peculiares aliquas rationes facultas adjudicandi eidem executori tributa fuerit.«

VI. »Cuique licet oblationem ejus, cui res adjudicata est, intra viginti dies ad vicesimam et ultra augere: hic terminus incipit a die, quo ex decreto executoris beneplaciti apostolici res adjudicata fuerit.«

VII. »Si quis intra hujusmodi terminum vicesimam obtulerit, tunc ei, cui res adjudicata fuit, significanda erit eique decem dies permittuntur, intra quos declaret velit necne vicesimam acceptare.«

VIII. »Pro offerenda sexta spatium trium mensium conceditur: hic terminus decurrit a die, quo primum res adjudicata est, si nemo vicesimam obtulerit; si vero oblata fuerit, decurrit a die quo oblatori vicesimario res adjudicata fuit.«

IX. »Privilegium addictionis in diem*) et restitutionis in integrum sive jus vicesimae et sextae tectum integrumque manet favore ecclesiae, etiamsi in decreto executoris nulla mentio de ea facta sit.«

X. »Neque etiam pro invitandis oblatoribus necesse est ut edicta vicesimae et sextae proponantur.«

Romae die 18. Martii 1835.

T. A. Card. Sala Praefectus.

T. Archiep. Ephesinus Secret.

Huic decreto s. Congr. Ep. et Reg. adjicimus leges quas observandas praecepit Benedictus XIV. in suo motu proprio edito die 23. Novembris 1742 pro locationibus bonorum cameralium quasque leges s. Congregatio observandas praecipit in ceteris alienationibus juxta id, quod praescripsit in articulo I. hujus decreti. Constitutio itaque Benedicti XIV. ex motu proprio italice edita quamque in latinum idioma vertimus est sequens:

*) Quare si quis oblátor promitteret puta 50 pro vicesima vel sexta, dum vicesima vel sexta pars oblati pretii esset major hac summa et ascenderet puta ad scut. 80, deliberatarius, qui primum pretium proposuit et cui res alienanda adjudicata est salvo jure vicesimae et sextae, non tenetur hanc oblationem scut. 50 loco vicesimae vel sextae acceptare et bona ecclesiastica, de quibus agitur, huic deliberatario erunt adjudicanda. Non idem tamen esset dicendum si pretium pro vicesima vel sexta oblatum summam 80 scut. excederet.

*) Addictionem in diem, hoc exemplo describit *Paulus l. 1. lib. 5 ad Sab.* »In diem addictio ita fiet: Ille fundus centum esto tibi emptus, nisi si quis intra calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit; quo res a domino abeat.«

Benedictus PP. XIV.

»Cum controversiae, quae non minori jactura utilitatis publicae quam privatae in bonorum nostrorum cameralium locationibus*) deliberandis propter oblatorum contentiones frequenter intercidunt, apprime graves sint, supremae vigilantiae nostrae referre arbitramur et magni illius desiderii, quod jugiter fovimus, omnem litigii causam, quoad fieri potest, e medio tollendi, ipsis deliberationibus praescripta atque invariabili harum regularum et constitutionum norma apte providere.«

I. »Ut uno saltem anno, antequam unaquaeque cameralium bonorum locatio explicit, invitentur per consueta edicta ii, qui eam affectant, ad exhibendam statuto die suam oblationem scripto clausam obsignatamque.«

II. »Ut, cum dies aderit in edictis constitutus, in plena congregatione camerali explicentur literae, quae oblationes scriptas continent, atque illi adjudicetur locatio, *prout de jure*, qui plus obtulit et est caeteris optimus; salvo tamen jure et arbitrio cameralis congregationis aliis subinde edictis tempus prorogandi ad oblationes exhibendas, quando nullam exhibitarum oblationum aequam ac rationi consonam juxta praesentem bonorum locandorum statum fuisse arbitretur.«

III. »Ut deliberatione facta eo, quem descripsimus modo, copiosiori sive meliori offerenti, eaque a Nobis et summis Pontificibus successoribus nostris comprobata, ante instrumenti stipulationem ipsis viginti diebus supersedeatur, initio facto a die proxime sequente ipsam deliberationem, ut eo temporis intervallo tum ii, qui oblationis actum peregerunt et victi repulsique sunt, tum ii, qui nil obtulerunt, adjicere aliquid possint maximae oblationi, cui locatio deliberata fuit, dummodo ejusmodi additio vicesima illius parte minor non sit: atque idcirco volumus statuimusque, ut posthac omnes, quae sequentibus temporibus a generali congregatione fient, locationes camerales, licet a Nobis nostrisque Successoribus subinde sive voce sive rescripto sive etiam chirographo speciali adprobentur, habeantur factae et adprobatae conditione *addictionis in diem*, eodem viginti dierum intervallo durante, ita ut ille, cui deliberata locatio fuit, nullum in eam locationem, dictae deliberationis et adprobationis vi, jus acquirat, quoties illo viginti dierum intervallo alius superveniat, qui illius oblationis saltem vicesimam partem adjiciat.«

IV. »Ut intervallo viginti dierum vix transacto, si alius non se stiterit, qui ipsam saltem vicesimam obtulerit, amplius non vigeat privilegium illud *addictionis in diem* camerae nostrae, sed absque mora, quin alia oblatio admittatur, stipulatio instrumenti fiat ejus nomine cui initio deliberata fuit locatio. At vero contra si illo viginti dierum spatio unus pluresve se stiterint, qui vicesimam saltem insuper obtulerint, poterit tum nostra camera frui privilegio *addictionis in diem*, atque eadem congregatio cameralis locationem illi deliberabit, qui saltem vicesimam addiderit: pluribus autem vicesimam ipsam offerentibus illi locationem deliberabit, quem ipsa congregatio optimum judicaverit vel plus quam caeteri obtulerit.«

V. »Ut adprobata sive per Nos sive per Successores nostros ejusmodi deliberatione ille, qui plus quam caeteri obtulit, primo oblatori qui superatus est denunciet ipse per se et quidem personaliter atque edicat, additionem vicesimae partis vel majoris pretii a se factam et deliberatam sibi ipsi cameralem locationem: post quam denunciationem concedantur illi eidem (primo oblatori) alii decem dies, ut si velit possit plus quam iste ultimus oblator exhibuit offerre: qui si intra illud temporis intervallum obtulerit plus quam ipse ultimus oblator, ipsi eidem adjudicetur locatio, quin aliae additiones seu oblationes admittantur. At contra si intra illud tempus primus ille oblator, qui superatus fuit, nil plus obtulerit quam secundus, qui eum superavit, hujus secundi nomine absque mora instrumenti stipulatio fiat, ita ut transactis decem illis diebus nullae aliae additiones seu oblationes nec ab illo primo oblatore nec ab aliis quibusvis admittantur.«

VI. »Unus ab hac prohibitione alias majores oblationes admittendi excipitur casus,

*) Vertimus vocem italicam *Appalto* in latinam *locationem* vel *conductionem*.

quo eveniat ut aliquis vel ex iis, qui ad conductionem aspirarunt, vel ex iis, qui nunquam adspirarunt, sextam pretii summi a primo vel secundo oblatore exhibiti partem adjiciat: eo enim casu nostra camera *lacsionis* nomine frui debebit privilegio *restitutionis in integrum*; quod beneficium (non item privilegium *addictionis in diem*) fisco competit, licet res jam integra non sit, licet sit confecta instrumenti stipulatio, licet tandem conductor rem ipsam jam acceperit et actu possideat: nec aliud in hoc casu exigere conductor potest, quam ut caeteris anteferatur, offerens et ipse aequum pretium, scilicet sextam insuper oblati pretii partem.«

»Sed quoniam, si haec *restitutio in integrum* absque ulla temporis definitione (uti par esset) admitteretur, difficile admodum camera invenire posset idoneos conductores, ob metum, quo unusquisque angeretur, ne ex locatione pellātur nomine *restitutionis in integrum*, postquam sua diligentia atque industria rem locatam meliorem fructuosioremque reddiderit, idcirco praecipimus ut sextae oblatio admittatur solummodo intra trium mensium spatium, initio facto a die, quo vel communi modo vel per privilegium supradictum *addictionis in diem* deliberata fuit locatio illi, qui optimus inter oblatores indicatus est et plus quam caeteri obtulit, licet hic intra idem temporis intervallum stipulatus sit una cum camera instrumentum et dispendia subierit vel quidquid aliud peregerit, quod ad instrumenti stipulationem vel ad bonum rei locatae regimen necessarium visum fuerit, cum Nos velimus ut intra idem trium mensium intervallum sextae partis oblationi et contractus rescissioni, nomine *restitutionis in integrum*, semper locus sit atque idcirco ille cui locatio, ut supra dictum est, deliberata primo fuerat, si haec rescindatur, nec a camera nec ab ultimo oblatore expensarum, quas intra idem tempus forte perfecit, compensationem nullo modo exigere queat, sed solummodo, quando et ipse eamdem sextam offerre velit vel majorem pecuniam, quam ultimus oblator, huic et possit et debeat anteferri.«

»Ut transactis ipsis tribus mensibus, deliberata locatione, contractus rescissioni locus amplius non sit, sed firmus stet atque irrevocabilis toto ipso tempore constituto, juxta formam et conditiones in deliberatione expressas. Dumtaxat jus remaneat camerae contractum impugnandi in casu *laesionis ultra dimidiam, quatenus de jure* et *prout de jure*, et juxta apostolicas constitutiones, absque ulla temporis praefinitione, nisi huic vel a Nobis vel a Successoribus nostris speciatim ac nominatim derogatum fuerit.«

VIII. »Demum hujus circa camerales locationes praescriptionis occasione capta gravaminibus prospicere volentes, quae a conductoribus ecclesiasticae ditioni subditis populis quotidie fiunt, praecipimus ut in instrumentis stipulandis cum ipsis conductoribus absque facultate nostra aut speciali chirographo a Nobis subscripto vel nostris Successoribus pro tempore capitulum adjicere audeat nemo, quo vectigale aliquod tributum aut privativa, quae locatione contineatur, quovis modo extendatur et amplietur ultra casus et terminos in ipsius tributi vectigalis vel privativae institutione praescriptos, atque, si aliter quam antecedentium conductorum tempore fuit communiter gestum observatumque, declarantes invalidum ac nullum quodcumque instrumenti capitulum sive quodcumque edictum sive *Bannus*, qui fieri deinceps contingat.«

»Quae praescriptiones volumus ut posthac adamussim observentur in omnibus cameralium locationum deliberationibus, nullitatis poena ipso facto et ipso jure incurrenda, absque ulla judicis declaratione et juxta earumdem praescriptionum formam publicatio et edictorum renovatio et supradictarum locationum stipulatio fieri debeat; quinimo juxta earumdem formam debeant intellìgi atque haberi publicata edicta, perfectae deliberationes et publica instrumenta stipulata, quia sic et non aliter praecipimus ac mandamus et uti lex volumus ut hae praescriptiones inviolabiliter observentur, quod haec mens Nostra est ac firma voluntas. Volentes ac decernentes, ut haec praesens nostra caedula ex motu proprio recipienda ac describenda in plena camera inque ejus libris juxta bullam Pii IV. Praedecessoris nostri *de registrandis* valeat ac plenum suum effectum, executionem et vigorem simplici nostra subscriptione obtineat nec quidquam possit contra eam opponi subreptionis, obreptionis aut cujusvis alius vitii aut nostrae voluntatis et intentionis defectum; et ut ita et non aliter debeat semper in praemissis judicari, definiri, decidi ac interpretari a Rmo Card. Camerario et a Praesule Thesaurario generali, a plena camera, et a quocumque judice et tribunali, licet collegiato, et quod constet Rmis Cardinalibus, removentes ab ipsis et ab unoquoque eorum facultatem auctoritatemque aliter judicandi, definiendi et interpretandi, declarantes jam nunc nullum, irritum et invalidum quidquid fieret aut his contrarium fieri attentaretur, licet nec accersitus nec citatus nec auditus esset Praesul nostrae camerae Commissarius sive alius, quorum interesset aut sua praesumeret interesse: Constitutionibus Pauli III. et Pauli IV. et Pii IV. Praedecessorum nostrorum *de rebus ecclesiae et camerae non alienandis* omni et cuicunque juri et potestati nostrae camerae, licet in legum corpore clauso: regulae nostrae cancellariae *de jure quaesito non tollendo* et quibuscumque aliis constitutionibus et ordinationibus nostris apostolicis nostrorumque Praedecessorum usibus, stylis, consuetudinibus, sententiis, decretis et *rebus judicatis* in similibus casibus, omnique alii rei, quae obstet aut quae obstare possit, omnibus et singulis his, quorum hic formula expressa habetur et ad verbum inserta ad supradictum solummodo effectum, ample atque expresse derogamus. Data in nostro palatio apostolico Quirinali hac die XXIII. Novembris an. Dom. MDCCXLII.

b) Alienatio quoad patronum.

Vd. *t. I.* art.: *Alienatio. Beneficium* (bona-administratio sine patrono p. 384.)

c) Applicatio. Vd. *p. 370.*

d) Inventarium et redditio rationis Episcopo facienda.

Vd. *Administratio.*

Super dubio proposito circa inventarium et rationum redditionem bonorum beneficialium.

Triennio circiter postquam causa *super exemptione*, quae penes s. Ordinem Ep. et Reg. acta fuerat, Petrus Prior ecclesiae a s. Maria de Misericordia universae carnis viam gravis annis ingressus est. Eo tamen deficiente minime defecerunt nova controversiarum capita, quae singula recensere hic locus non est; ea tantum curabimus et referemus, quae aliquo cum lectorum fructu referri possunt. Ubi primum itaque beneficium priorale vacavit, nobiles patroni pro tempore publica monitione competitores invitaverunt, ut praescriptarum qualitatum testimonia exhiberent. Quibus peractis formalem nominationis actum favore cujusdam personae pluribus de causis meritissimae ediderunt simulque nonnullas conditiones adjecerunt, quibus persona nominata adhaerere ac subscribere non dubitavit.

At curia ecclesiastica in harum conditionum acceptatione quasdam irregularitates deprehendit, quae eidem pontificia sanatione indigere visae sunt. Sed haec res non ita magni ponderis erat prae duobus aliis dubiis, quae, antequam nominato viro canonicam institutionem Ordinarius dare posset, ab apostolica Sede resolvenda esse consultissime arbitrabatur; ideoque opportunam resolutionem a sacra Congregatione Episc. et Reg. exorabat. Horum porro dubiorum alterum in eo consistebat, num ipse Ordinarius substantiae beneficialis statum cognoscendi jus haberet: alterum vero erat, an a patronis de prioralis beneficii administratione tempore vacationis exercita ut rationem sibi redderent exigere posset: quae duo aliis verbis eo redigebantur, ut quaereretur, an curia ecclesiastica bonorum beneficialium inventarium et rationum redditionem posset exquirere.

Utrumque dubium levioris momenti videri fortasse poterit: haud ita tamen censebitur, cum ambo ad juris trutinam revocentur. Hanc itaque ad rem necessarium est in facto cognoscere quod, quamvis a saeculo decimo quinto usque ad totum saeculum decimum octavum non interrupta serie (quemadmodum ex actis cancellariae ostendebatur) Priores a curia ecclesiastica institutionis canonicae et investiturae bullas consequi et praeterea in possessionem beneficii a patronis immitti consuevissent, nihilominus neque hi neque Priores ipsi eidem curiae inventarium bonorum, quae beneficii dotem constituunt, ullo unquam tempore tradiderant, ita ut nullum documentum, nulla notitia hac de re ibidem extaret. Praeterea ab immemorabili consuetudine hic mos pacifice servabatur, ut, quo tempore beneficium vacaret, vacantis beneficii bona ab ipsis patronis administrarentur fructusque in onerum beneficialium adimplementum potissimum erogarentur. Merito itaque Ordinarius anceps haerebat, an ista consuetudo utroque in capite sustineretur. Singulatim primo de uno capite, deinde de altero in consultatione conscribi solita disceptatur.

Quae circa bonorum beneficialium inventarium afferebantur.*)

Ante omnia ponebatur, quod Sixtus V. in suo *Motuproprio* incipien. *Provida Romani* diei 29. Aprilis 1587 providerat, ut per totam Italiam atque insulis adjacentibus in singulis dioecesibus peculiare tabularium construeretur, in quo omnium bonorum, quae ad pia loca propriae jurisdictioni subdita pertinerent, inventaria rite confecta asservarentur. Porro Sixtina isthaec dispositio duas habet partes; prima pars curias afficit aliaque instituta, quibus onus injungitur hoc tabularium construendi; altera vero pars personas attingit, quae ad idem tabularium inventaria bonorum ecclesiasticorum mittere obstringuntur: quas inter praecipuum habent locum beneficiorum possessores. Animadvertendum etiam est, ab hac lege non excusari eos, qui ab episcopali jurisdictione exempti sunt et immediate apostolicae Sedi subduntur. Tam salubris haec Sixti V. constitutio confirmationem quodammodo accepit a Benedicto XIII. in constit. incipien. *Maxima vigilantia* mensis Junii anni 1727.**) De utraque constitutione loquitur Angelus Lucidi auctor novissimi operis *de VV. SS. LL. vol. I. pag. 233 n. 224,* quinimo ambas per extensum exhibet *vol. III. pag. 129 ac pag. 146.*

Hisce positis pro excludenda obligatione exhibendi inventarii in curia episcopali, de qua res erat, observabatur, quod prioratus s. Mariae a Misericordia per literas Nicolai V. anni 1454 supra memoratas uti praesulatus seu Abbatia *nullius* quodammodo declarata fuerat; quamvis enim per Concilium Tridentinum aliquae determinatae facultates ablatae fuissent, nihilominus sartum tectumque relictum fuerat quidquid Tridentini patres expresse nequaquam nominaverant. Itaque id omne, quod alios jurisdictionis actus complecteretur, Priori s. Mariae ereptum non fuerat: et reipsa curia ecclesiastica tam diuturno tempore jus hoc exercere minime ausa fuerat neque in sacra visitatione, quam nunquam in ecclesia ipsa absolvere attentaverat Ordinarius. Praeterea hujusmodi exhibitio inutilis ac superflua existimabatur, quandoquidem apud ecclesiam s. Mariae a Misericordia priorale archivium extabat, in quo singula acta scripturaeque ad eamdem pertinentes fideliter custodiebantur.

E contra vero reponebatur conceptis verbis in Sixtino *motu proprio* ad inventarium praesentandum obstringi eos etiam, qui ab episcopali jurisdictione exempti sunt et immediate apostolicae Sedi subduntur. Quamvis hoc de prioratu s. Mariae dici haud poterat, sicut apparet ex superiore resolutione, deinde ex eo, quod curia jus habebat canonicae institutionis impertiendae, illud consequebatur, ut inventarium bonorum eorum exigere posset, quorum in possessionem Priorem immittebat; quin obstaret, quod ecclesia s. Mariae suum proprium tabularium haberet: hoc enim et capitula Canonicorum aliaque instituta sacra obtinent, et nihilominus inventarii exhibendi lege afficiuntur.

Quae circa rationum redditionem subderentur.

Praemittebatur, quod ex antiquiori ecclesiae disciplina patroni jus habere potuissent sese immiscendi in administrandis bonis beneficiorum patronalium, veluti colligitur ex *cap. Cum vos. 4. de offic. ord., Fagnanus in hoc cap.* At vero Concilium Tridentinum cum aliis locis tum praecipue *cap. 9. sess. 25. de ref.* gravissime patronis iisdem prohibuit, ne in perceptione fructuum beneficialium eorumque erogatione, *non obstante quacunque consuetudine*, se ingerant, idoneis poenis contra hujusce sanctionis violatores constitutis.

Hisce praelibatis consequi videbatur, ut consuetudo licet antiquissima, quae ferebat, ut patroni prioratus s. Mariae vacationis tempore prioralia bona administrare possent, Tridentinae dispositioni contrairet atque ideo aboleri deberet.

At vero vice versa animadvertebatur, Tridentinos patres *in cap. 3. sess. 24 de ref.*, ubi pariter prohibetur patronis, ne in beneficiis patronalibus sese immisceant, hanc limitationem apposuisse: *nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat.* Jamvero licet primitivum fundationis decretum in themate desideraretur, tamen ab immemorabili tempore servabatur consuetudo, ut, vacatione durante, patroni prioralia bona administrarent. Indubitatum est autem, quod consuetudo immemorabilis in Concilii Tridentini decretis nullatenus sublata censeatur, nisi expressis verbis eidem derogatum fuerit, *Panimolla decis. 1. annot. 10 a n. 23 et sequ.*, s. Rota *decis. 585. n. 2 coram Seraphino*, et passim doctores.

*) Vd. *Archivium; inventarium.*
**) Vd. *t. I p. 1086.*

Quod si Emis patribus visum fuisset consuetudinem hujusmodi posse sustineri, quaerendum supererat, an saltem de prioralium bonorum administratione reddere rationem tenerentur. Jamvero in celebrato *cap. 9. sess. 22 de ref.* statutum est, ut omnes administratores bonorum ecclesiasticorum Ordinario rationem reddere obstringantur. Docent vero communiter interpretes, per hujusmodi decretum sublatas fuisse quaslibet contrarias consuetudines, etiam immemorabiles. Vid. *Fagnan. ad cap. de Xenedoc. 3 de rel. dom. n. 4 et 5,* ubi referuntur ad rem nonnullae S. C. Conc. declarationes.

Attamen Tridentini patres huic dispositioni hunc limitem posuerunt videlicet: *nisi secus (forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset* - quod intelligendum cum clausula: *salvo jure Ordinarii in casu negligentiae administratorum in adimplenda testatoris voluntate.* S. C. Conc. in *Bononien. Reddit. ration.* diei 2. Martii 1839. Illud etiam cavendum, quod, si ex privilegio, consuetudine vel alia constitutione alicui coetui vel personae ratio esset reddenda, tum idem Ordinarius adhibendus est cum hoc coetu vel persona in rationum redditione peragenda. Vid. *Pignat. Consult. 15. tom. 7 n. 36.* De hac materia redditionis rationum fuso calamo agit citatus auctor *de VV. SS. LL. vol. 2 in art. 2 vol. II. pag. 459 et seqq.*

Monendum est, quod pendente causae propositione Ordinario ex rescripto summi Pontificis, suas in id preces iteranti, auctoritas data est, ut novum electum ad priorale beneficium instituere posset et quemcumque defectum sanare; licet (quod postmodo scitum est) Ordinarius hac facultate minime uti censuisset. Cum interea caput hoc veluti confectum haberetur, judicio patrum Emorum suppositum non fuit; ideoque controversia coercita est ad obligationem exhibendi inventarii et rationum administrationis reddendarum per generalem, quae sequitur, dubii formulam.

Dubium:

An et quomodo respondendum sit quaesito Ordinarii NN.?

Resolutio. — Emi Patres die 1. Septemb. 1865 causa discussa rescripserunt: *Firmo remanente jure curiae... dandi canonicam institutionem in reliquis servetur consuetudo.*

Continuatio.

Hac emissa resolutione Ordinarius sese denuo audiri postulavit et obtinuit. Cum novas deductiones s. Congreg. detulisset, cognitum est, eumdem rescriptum summi Pontificis, cujus mentionem fecimus, executioni non mandasse, quod ex hac re jura sua laedi arbitraretur. Hinc res una cum iterata dubii jam resoluti propositione Emorum patrum judicio fideli et accurata rerum omnium addita relatione subjecta est, prout in calce legitur.

Neque etiam omittendum, quod Prior nuper electus insimulabatur, quod sese in prioralium bonorum administrationem intrusisset, antequam a curia canonicam institutionem consecutus esset. In quo memoriae revocabantur ea, quae in jure canonico statuta sunt contra illos, qui, nondum institutione canonica acceptata, in beneficium sese immittere non reformidant, *cap. 5. Avaritiae caecitas de elect. et elec. potes. in 6°, Ferraris V. Beneficium. art. VII. num. 19.* Quamvis e contra videretur id non posse de persona nuper electi Prioris asseverari, quippe qui, admisso etiam quod in aliquem actum administrationis sese ingesisset, id (prouti ex actis colligi posse videbatur) ea de causa certe fecerat, quod eam in rem facultas sibi facta fuisset a patronis, qui ab immemorabili consuetudine versabantur in possessione juris administrandi beneficii bona, ideoque licite hanc potestatem alteri delegare non prohibebantur.

Dubiorum expositio.

I. »An et quomodo recedendum sit a resolutione diei 1. Septembris 1865 in casu?«

II. »An et quae determinatio capienda sit super delegatione impertita Ordinario et super ingerentia neoelectae personae ad prioratum in casu?«

Resolutio. — Die 9. Martii 1866 Emi patres re de more discussa respondendum censuerunt

Ad I: *In decisis juxta modum: firmo nempe remanente jure curiae... dandi canonicam institutionem; relate ad administrationem, quam, prioratu vacante, patroni habere consueverunt,, servetur consuetudo, ita tamen ut quilibet novus beneficiatus curiae... inventarium tradere teneatur et Ordinarius in casu*

negligentiae administratorum possit ab eis rationum redditionem exigere: et amplius.

Ad II: *Affirmative, et supplicandum SSmo pro sanatione favore presbyteri NN., ut ei canonica institutio detur, ad quam* Ordinarius *ordinaria sua auctoritate procedere possit.*

Ex his colliges:

I. Singulas curiasItaliae et insularum adacentium ex motu proprio Sixti V. habere debere tabularium, in quo inventaria bonojum ad ecclesias, beneficia, loca pia aliaque instituta pertinentium asserventur.*)

II. Ex jure novissimo patronos sese non posse immiscere in administratione bonorum ad patronalia beneficia pertinentium.

III. Sustineri tamen immemorabilem consuetudinem, ut patroni beneficia patronalia administrent beneficio vacante.

IV. Ordinarium in casu saltem negligentiae patronorum posse ab eis rationum redditionem exigere, si alias id ei non competat.

V. Ante canonicam acceptam institutionem et initam possessionem haud licere beneficiato sese in beneficialium bonorum administrationem intrudere.

e) Reficienda quando sunt bona?

Vd. *p. 142. n. 15.*

Institutionis seu dispensationis.

Extat capellania jurispatronatus laicali familiaris fundata in ecclesia oppidi N. Mortuo capellano ex patronis novum capellanum nominantibus tres praesentarunt Titium clericum quinquaginta annos natum, qui jamdiu habitum clericalem dimiserat et procuratoris officium in Urbe exercebat; verum unus ex tribus his patronis nominantibus, mutato postea consilio, supplices preces exhibuit Episcopo, ut sacra tonsura initiaretur suus filius Vincentius, qui natus erat mense Februario 1853, ut capellaniam assequeretur. Plures alii patroni institerunt, ut a seipsis capellania, nullo interea capellano suffecto, administraretur ad capellae altare et sepulcrum reficiendum necnon ad alienata bona recuperanda.

Successive preces porrectae sunt Sedi apostolicae; Titius nimirum postulabat dispensationem ab incedendo in habitu et tonsura; Vincentius postulabat dispensationem super defectu aetatis quatenus opus esset; reliqui insistebant pro suspensione capellaniae ad supradictos effectus.

De more rogatus est Episcopus pro informatione et voto, qui inter caetera respondit, capellaniam jurispatronatus laicalis esse ecclesiasticam verumque beneficium simplex, quod jugiter collatum esset per canonicam institutionem bullis expeditis; onus capellano incumbere viginti duo missarum et manutentionis capellae: de redditu capellaniae ejusdem deficiente inventario se nihil posse referre: neque ipsos patronos, licet rogatos opportuna documenta exhibuisse. Optat autem idem Episcopus, ut Vincentii preces exaudirentur, ita tamen ut seminarium dioecesanum ingredi deberet studiorum causa, dato eidem administratore, qui impletis capellaniae oneribus annuum fructum pro expensis ejusdem educationis impenderet, bona insuper capellaniae recuperaret, si reapse alienata fuissent etc.

Animadvertebatur *ex officio*, heic agi de jurepatronatus gentilitio familiari, in quo omnes descendentes ex primo patrono jus habent praesentandi: nullumque esse statu-

*) Sixtus V. romanus Pontifex meditabatur archivium generale ecclesiasticum erigere, in quo omnia inventaria rerum, bonorum ac jurium et scripturarum pertinentium ad ecclesias et pia loca per universam Italiam constituta in palatio apostolico reconderentur et asservarentur. Verum ab ejusmodi proposito discessit ob graves difficultates et gravia incommoda quae inde oriri cognita sunt. At praeconcepto consilio Pontifex non omnino valedixit, sed alia ratione providit ut videre est in supra citato *motu proprio* quod legitur in *appendice Concilii romani, coll. cum cap. 1. tit. XII. et seqq. ejusdem Concilii.*

Absoluto autem romano Concilio Benedictus XIII. apprime noscens detrimenta, quae ecclesiis locisque piis provenirent ex neglectu archiviorum et inventariorum, solemni constitutione quae incipit: *Maxima vigilantia* XVIII. Kal. Julias 1727 accurate prospexit huic inventariorum et archiviorum negotio et sub poenarum sanctione ea quae praescripsit servari mandavit. Vid. etiam Angelum Lucidi in opere locisque citatis.

tum jus passivum, ita ut posset quilibet a patronis ad capellaniam nominari, dummodo ex communi jure esset habilis.

Hisce praemonitis quoad suspensionem capellaniae adnotabatur, quamvis justa causa suspendendi collationem in medium deduceretur, tamen in praesentia obstare nominationes factas ab aliis patronis: eo vel magis quod nihil impediret, quominus novus capellanus ab Episcopo adstringeretur ad reficiendum altare, sepulcrum bonaque recuperanda, si fuerint alienata.

Cohibita ita quaestione inter duos praesentatos Titium et Vincentium ita disputabatur. Titio suffragatur pluralitas suffragiorum; habilis insuper est ex sacra tonsura jamdiu suscepta: neque obest dimissio habitus clericalis; quamvis enim tradat *Fagnanus* in *cap. Odoardus, de solut. n. 24* clericum, qui dimisso clericali habitu se gerat publice pro laico, in omnibus reputari uti laicum et omni privilegio clericali nudatum manere, integrum tamen est clerico habitum quandocumque resumere, inscio etiam vel invito Episcopo, juxta ea quae docet *Card. de Luca de pension. disc. 81 n. 14:* quod satis esse videbatur, ut clericus, licet habitu et tonsura non incedens, jus haberet beneficium optandi: nil ergo aliud Titio deesse videbatur quam habitus clericalis reasumptio, a qua tamen ut dispensaretur postulabat.

Vincentio autem suffragari adnotabatur patris nominationem, qui, licet prius Titium nominaverit, potuisse tamen utpote laicum intra utile tempus nominationem primam variare juxta ea, quae tradunt doctores ex *cap. Quod autem 3* et *cap. Cum autem 24 de jurepatr.* Quod si tempore nominationis Vincentius non attigerat canonicam aetatem ad assequenda beneficia praescriptam, tamen tempore vacationis illam fortasse assequutum fuisse, et facile super hac re dispensationem concedi his in adjunctis, quando orator, qui ea indigeat, sit de patronorum familia: quamvis autem tempore nominationis tonsura sacra initiatus Vincentius non fuisset, tamen observabatur eam utili tempore petiisse, ac proinde sufficere, ut ante institutionem ea fuerit insignitus.

Post haec recolebatur quaedam causa *Mutinen. Capellaniae* in S. C. C. agitata die 20. Maji 1854, in qua a patronis nominatus inter caeteros fuerat ad capellaniam quidam clericus, qui jamdiu habitum clericalem dimiserat, qui rogaverat curiam, ut eumdem habitum posset resumere; quamvis vero caeteri praesentati obstitissent, tamen illi clerico capellania fuit adjudicata: sed animadvertebatur, praesentem causam ab ea *Mutinen.* multipliciter differre: et reapse capellania in *Mutinen.* erat mere laicalis, quamvis ex voluntate fundatoris conditio clericalis pro ea assequenda requireretur; in praesenti vero controversia capellania est ecclesiastica; in illa proximitas gradus in pretio habenda erat, in hac majoritas suffragiorum: in utraque tamen difficultas ex dimissione vestium clericalium.

Dubia:

I. »An et quomodo annuendum sit ora»torum precibus quoad suspensionem nomi»nationis novi rectoris capellaniae in casu?«

»Et quatenus negative,

II. »An et cujus favore consulendum sit »SSmo pro dispensatione ad assequendam capellaniam in casu?«

Resolutio. — S. Congregatio Concilii, causa cognita, die 14. Septembris 1867 respondere censuit

Ad I: *Negative.*

Ad II: *Affirmative favore Vincentii, quatenus dispensatione indigeat facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Onus esse illius qui beneficium possidet bona beneficii ejusdem non rite alienata, vindice Episcopo vel ejusdem auxilio, recuperare aut bona veterascentia Episcopo etiam cogente instaurare et reficere.

II. Quare, nisi cogat necessitas, non esse locum suspensionis institutionis canonicae, ut redditus in beneficii instaurationem impendantur.

III. Neque patronos, quibus tantum vigilantia super rerum beneficii administratione conceditur, jus habere administrandi bona in beneficii augmentum perfectionemque.

IV. Colliges insuper simplicem clericum, licet habitum clericalem jamdiu sponteque

dimiserit, posse tamen ad beneficium nominari illudque assequi, si habitum clericalem reassumere sit paratus.

V. In praesentia autem renuente Titio habitum reassumere clericalem Vincentium vicisse, licet ab uno patrono nominatus neque canonicam aetatem tempore praesentationis esset assequutus.

19) Caducitas.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus p. 236. n. 31 a; p. 314.); *p. 341. d;* decr.: *Nullius s. Pauli seu Leprinia. p. 216.*

20) Canonicatus est beneficium.

Beneficium vocatur canonicatus et est jus spirituale proveniens ex electione seu receptione alicujus in Canonicum, et est verum beneficium, si habeat suam praebendam, ut convenit ex *cap.: Relatum 9. de praebend.*, ibi: Quia non est congruum, ut praebenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus.

21) Capax quis est?

Vd. *Beneficium* (incapaces; collatio quibus personis etc.); *t. I. p. 278.*

Reginaten.

Requiritur in tonsurato aetas annorum 14 ad ecclesiasticum obtinendum beneficium, *sacr. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reform.*; non item ad laicalem capellaniam, in qua expresse data est facultas celebrandi per alium. Hujusce enim capellaniae capax est nedum puer tonsuratus, sed etiam infans, *Rigant. ad regul. 58. cancell.*) num. 54* et sacra haec Congregatio in *Urbevetana 11. Decembris 1847.*

Die 14. Mart. 1795.

22) A capellaniis in quantum differt?

Vd. *t. I. p. 806; t. II. p. 236. n. 31. a.*

A beneficio capellania differt primum in eò, quod beneficium ecclesiasticum clerico semper concedatur, at capellania non semper clericum exigat possessorem, sed et quandoque laico conferatur, adeo ut, si capellaniae nullae exercendae hierarchicae functiones adhaereant, sed tantum pia quaedam opera aut religiosa, veluti dotium annuatim praestandarum, pecuniae in pauperes distribuendae, haec a laico capellano fiant; quod si functiones hierarchicae peragendae sint, laicus capellanus satisfaciat, si clerico eas obeundas mandet, nisi specialiter in fundatione cautum fuerit, ut capellanus clericus esse debeat. Potissimum autem discrimen, quod inter capellaniam et beneficium intercedit et ex quo semper capellania a beneficio distinguitur, illud est, quod beneficium vere inter jura ecclesiae recenseatur et titulus semper penes ecclesiam sit, manente administratione generali penes ecclesiae praelatum, licet identidem reserventur quaedam jura honorifica gratia fundatoris eorumque, qui a fundatore causam habent. At capellania proprie non est inter jura ecclesiastica, cum titulus remaneat penes fundatorem, sive iste laicus sit sive ecclesiasticus, vel penes eos, qui a fundatore causam habent, licet fieri possit ut multa ad capellaniam ipsam spectantia conferantur in fidem, religionem ac sollicitudinem praelati ecclesiastici, ex quo fit, ut multa, quae in beneficiis obtinent ex constitutionibus praelatorum, ad capellanias non producantur. *(Ferrar.)*

*) Vd. *Beneficium* (reservat. SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

23) Capellaniam eccles. et beneficium eodem jure censeri.

Camerinen.

Scitum est beneficia et capellanias *ecclesiasticas* eodem censeri jure ac nomine tantum inter se discrepare, *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 1. n. 7, Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 3. n. 9;* s. Congr. in *Montis Alti Capellaniae 22. Augusti 1795.* §: *Plura.*

Die 15. Mart. 1828.

24) Cessio in congruam parochi.

Vd. *Beneficium* (applic. bonor. in augm. dotat. etc. p. 370. n. 15. a; suspensio; mutatio.)

Asculana.

Incredibile dictu est, quod in Asculana dioecesi pagus s. Mariae inter saltus Appeninos positus nec proprium habeat parochum nec ullae viciniori paroeciae subjiciatur. Attamen dispersae illae oves, quae ad capita octoginta pertingunt, a pluribus annis sine pastore vivunt nec Asculani Antistites alio modo in rem consulere quam hos homines commendare viciniori parocho vel aliquem sacerdotem approbatum eisdem delegare, ut

diebus festis Sacrum conficeret et aliquam animarum curam gereret. Neutrum tamen diu consistere potuit, ut experiundo compertum est. Nam distantia et difficultas locorum impedimento est, quominus viciniores parochi hisce incolis opitulentur nec incolae saeviente hyeme ad parochiales accedere possint, vel saltem, si ad ipsas irent diebus festis cogerentur puerosque senesque deserere ipsasque domus indefensas latronibus exponere. Capellanos vero, qui àd illos accedant, difficilius in finitimis oppidis invenire est et deficiente congruo stipendio vel nullo modo hanc provinciam suscipiunt vel eam cito derelinquunt. Post haec opus non est describere mala, quibus homines illi contristantur.

Carent Sacris, destituti Sacramentis occumbunt, pueri nulla institutione adolescunt et eo res redit, ut nec paschale praeceptum aliquando implere potuerint. Nunc igitur illi oppidani in vestram tutelam EE. PP. confugiunt, ut hisce malis afflicti spiritualem opem deprecentur et vestra authoritate de idoneo pastore provideri possit. Multa sane ab eis proposita sunt, unde suppetere possit congrua novo parocho, quo idcirco carent, quia eumdem alere nequeunt. De his tamen inferius sermo redibit ex accuratissima *informatione* Emi Episcopi administratoris, qui exposita confirmat, addit praeterea juribus nullius detractum iri, si parochus constituatur, immo viciniores plebani hunc eumdem parochum necessarium esse putant. Per capellanum quidem curatum satis consuli possit hisce oppidanis, sed aegre invenietur qui hoc munus exercere velit. Contra vero si parochus constituatur, facilius ad concursum venient presbyteri moti dignitate nominis et honore muneris, quod eis pro merito esse poterit ad pinguiores paroecias adipiscendas. Tum autem parochi, qui *bollati* dicuntur, majorem apud populum quam capellani amovibiles sibi vindicant authoritatem et diligentius curam obeunt animarum. Congrua porro necessaria erit ad scuta annua *quinquaginta.* Quae ut consequi possit modum hunc Emus administrator proponit.

Paupertus habitatorum non patitur, ut ab illis plus possit parocho tribui quotannis quam decem aut ad summum undecim scutata, atque ita reapse et non aliter se obligarunt incolae publico instrumento. Quae quidem summa scutorum decem facile implebit annuum redditum scutorum quinquaginta, si EE. VV. videbitur auctoritate vestra firmare ea, quae in precibus continentur. Hoc sic planum faciam.

Ex nonnullis parvis fundis, quos antiquitus possidet liberos ecclesia illa, potest parochus, si ipsi addicantur, capere annuum redditum scutorum 10. 53. ut ex legali peritia. Alia circiter scuta decem percipiet ex decimis in illo territorio. At vero jus illic decimandi pertinet ad rectorem cujusdam beneficii ecclesiastici erecti in eadem ecclesia s. Mariae; cui nullum missarum onus addictum est redditusque annuus computatis decimis pertingit ad scuta 80 circiter. Hujus beneficii jamdiu vacantis ob pendentiam litis nobiles compatroni exorati et pietate ducti chirographo omnes assensum praebuerunt, ut futurus ejusdem beneficii rector decimandi facultatem in territorio s. Mariae futuro parocho cedat, donec tamen aliis redditibus parochus ipse aliunde provideatur ad scuta quinquaginta. Ut autem hic patronorum consensus effectum habeat et rector futurus dicti beneficii teneatur decimas parocho libere cedere, auctoritas istius s. Congregationis imploratur.

Quod si eidem paroeciae bona etiam addicantur quatuor legatorum piorum, quae in eadem ecclesia jamdudum instituta reperiuntur, habebitur alius annuus redditus scutorum 21. 07, ut ex legali peritia et inventario patet. Necesse autem erit, ut missarum onera eisdem legatis ratione fructuum inhaerentia imminuantur et reducantur. In qua reductione, si placuerit, ut habeant EE. VV. quid sequantur, addam uniuscujusque legati redditum annuum. Ex bonis, quae *legavit antiquissimus quidam Carolus Vitelli excepta domuncula, de qua infra, habetur annuus redditus scutorum 10. 85, ut ex peritia. Ex censu scutorum quadraginta, quae legavit quaedam Maria Antonia Massi, habetur redditus scuti 1. 60. Ex censu scutorum 12. 50, quae legavit Dominicus Ruggeri, habetur fructus scuti unius. Ex bonis, quae legavit Nicolaus Sciampagna, habetur redditus scutorum 7. 62, ut ex peritia. In totum scutorum 21. 07. Quae summa, si superioribus addatur, habebitur annualis redditus scutorum 42. 35. Facta itaque reductione missarum quatuor legatorum, quod deerit usque ad scuta quinquaginta, incolae pagi suppeditabunt quotannis donec ut supra aliunde parochus provi-*

deatur. Ad hoc supplementum solummodo uti singuli et in solidum sese obligarunt. Et quidem necesse est, si velimus animabus illis rectorem providere, ut legatorum missae ad satis exiguum numerum reducantur, ne vel congrua nimis imminuatur vel imponatur incolis tale onus, quod eorum vires non possint ferre nec possint nisi minimum conniti.

Superest, ut aliquid dicamus de ratione parandi domum parocho. Plurimae missae legatorum celebratae non fuerunt, quae omnes ad scuta circiter quinquaginta perveniunt. Condonatio harum missarum, quam expetunt, sola poterit suppeditare media reficiendi pro parocho domum illam spectantem ad legatum pium Vitelli. Impensa pro hac refectione domus pene dirutae ascendit juxta legalem peritiam ad sexaginta circiter scutata, ut minimum impendatur. Sine condonatione vero missarum non celebratarum usque ad diem non poterit certo domus propria haberi, in qua parochus resideat, ut necesse est in pago s. Mariae.

Quae superius exposita sunt, necessitatem ostendunt constituendi parochum oppidanis s. Mariae eaque sunt quae Tridentini PP. prae oculis habuere, cum in *sess. 24. cap. 13. de ref.* mandarunt Episcopis, ut *in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quam primum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Praeterea si ob locorum distantiam et difficultatem eadem Tridentina synodus *sess. 21. cap. 4. de reform.* permittit paroeciarum divisionem *etiam invitis rectoribus,* ut novis constitutis parochis animarum saluti provideatur, multo sane magis erit deputandus parochus in oppido s. Mariae, quod nulli subest parochorum jurisdictioni quodque ita dissitum est a vicinis paroeciis, ut ab eis spiritualia auxilia sibi mutuari non possit. Cum vero Emus administrator melius consultum iri putat spirituali bono illarum gentium, si proprius parochus deputetur quam capellanus curatus non ita facile inveniendus et in munere retinendus, profecto omnis EE. VV. sollicitudo converti debet ad *media,* unde congrua novo parocho saltem in scutis quinquaginta constituatur.

Haec vero ab Episcopo proponuntur: *Unio* reddituum, quae ad ecclesiam pertinent, in annuis scutis 10. 53. *Cessio* juris decimandi, quod in illo agro gaudet aliud beneficium in eadem ecclesia erectum, ex quo percipi poterunt quotannis alia scuta 10. *Applicatio* legatorum *Vitelli, Massi, Ruggieri et Sciampagna,* unde scuta 21. 07. quaeruntur. Ex his conflatur summa scutorum 41. 60. Quod vero deest ad scuta quinquaginta populani uti singuli dare sponderunt. Et sane paupertati paroeciarum opitulari posse per beneficiorum unionem decrevit Tridentinum *sess. 21. cap. 3. de reform.* et in hanc causam unionem fieri jussit s. Congregatio *in Sabinen Unionis 16. Junii 1788* et in *Nullius Nonantulae Erectionis paroeciae et unionis 12. Februarii 1803.* In re vero nostra non erit facienda unio beneficii sed portio tantum reddituum assignanda, quae in jure decimandi consistit. Redditus beneficii annua scuta *octoginta* attingit et ex decimis scuta *decem* quotannis percipiuntur. Nulla habet onera missarum, patroni, dum nunc vacans est beneficium, huic cessioni libenti animo assentiuntur, ita ut cessio hujusmodi facienda sit non in perpetuum sed usque dum alia suppetant media ad congruam parochi constituendam. Non desunt quoque exempla applicationis legatorum una cum reductione missarum, ut in *Spoletana 18. Decembris 1790.* Ignoratur quot missae ex quatuor legatis celebrandae sint. Nam Emus Episcopus hoc unum exponit, quod missae celebrantur ratione fructuum; monet tamen quod exiguus missarum numerus erit relinquendus, ne parochus oneribus gravetur. Prae oculis quoque habendae erunt aedes parochiales. Censet Emus Antistes has constitui posse in domuncula, quae pertinet ad legatum *Vitelli* quaeque, cum fatiscat, restaurari poterit ex scutis *quinquaginta,* quae ex fructibus legatorum sunt pro missis in praeteritum non celebratis.

Dubium proponitur:

An et quomodo providendum sit curae animarum in oppido s. Mariae in casu?

S. C. resp.:

Scribatur Emo administratori juxta mentem: Mens est, quod transmittat fundationem beneficii jurispatronatus, curet patronorum consensum pro cessione ejusdem beneficii in congruam parochi reservato favore eorumdem patronatu et interim provideat, ne cura animarum detrimentum patiatur.

Die 15 Decbr. 1804.

25) Collatio.

Vd. *Beneficium* (nominatio.)

a) Acceptio personae.

Vd. *t. I. p. 170. etc.*

b) Apostolica Sede vacante.

Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici.)

Regulae cancellariae morte Pontificis expirant sed a successore innovantur. Atque hinc factum est, ut, quae beneficia vacant Sede pontificia vacante, ea non subjaceant *regulis cancellariae,* idque in favorem non solum collatorum sed et patronorum ecclesiasticorum; *Nogueir. qu. singular. disput. 4. quaest. 12. per tot.*

c) Appellatio de collatione.

Vd. *t. I. p. 594. 607.*

d) Beneficii consanguineis resignati.

Nucerina.

Gravis annis cum esset presbyter Paulus Berardi, qui paroeciam s. Joannis in Villa Musciani regebat, eam die 20. Junii proxime praeteriti in manibus Episcopi sui Nucerini libere resignavit. Indicto ideo concursu tres ab examinatoribus probari meruerunt. Primus, qui fuit probatus, erat in dignitate presbyterali constitutus, sed oblatam sibi ab Episcopo collationem peculiaribus de causis renunciavit. Alter accessit ad concursum Petrus Giacoletti nepos resignantis in tertio consanguinitatis gradu domum bonaque possidens in Villa Musciani et actualis parochus in Villa Macantone. Sed huic obstat constitutio s. Pii V., quae incipit: *Quanta ecclesiae,* vetans, ne consanguineis resignantium conferatur beneficium resignatum. Tertius, qui approbationem meruit, fuit subdiaconus Emilianus Grassi, cui aetas viginti quatuor annorum impedimento est, quominus paroeciam consequatur secundum dispositionem juris in *cap.: In cunctis* §: *Inferiora de elect.*

Quaeritur nunc utri ex novissimis candidatis sit danda dispensatio, ut paroeciam assequi possit. Episcopus in sua informatione quoad parochum Giacoletti haec habet: »Nulla me ne levis quidem tenuit umquam suspicio confidentialis simoniae inter oratorem Giacoletti et senem parochum resignantem. Unum dumtaxat semper prae oculis habui omni me penitus facultate destitui ad legitime conferendam paroeciam oratori, quem, utpote resignantis consanguineum, ab illa prohiberi videbam per literalem constitutionem s. Pii V. Caetera, quae adhuc magis me haerere faciebant, ne praeeligerem oratorem alioquin bonum probumque, localitatem respiciebant, cui fortassis haud convenire perspiciebam illam vacantem paroeciam«, scilicet in qua Jacobettus paternam domum et bona possidet. Quoad vero subdiaconum Grassi: utinam (inquit) aetatis legitimae annorum viginti quinque obstaculum non haberet. Agit hic annum vigesimum quartum quam cito implendum, moribus fulget angelicis atque parocho Jacobetto scientia nequaquam secundus maxime ecclesiae utilem futuram exhibet spem. In potestate EE. VV. erit cui maluerint dispensationem indulgere.

Constitutione *Quanta ecclesiae* anno 1586 edita a s. m. Pii V. cavetur: »ne ipsi Episcopi aut alii collatores de beneficiis et officiis resignandis aut suis aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere,« ut legitur in *bullar. magn. tom. 4. part. 3. pag. 10.* Ubi tamen deprehenditur manifestus typographi error. Non enim legendum est »admittentium consanguineis« sed »dimittentium consanguineis,« ut notat *Fagnan. in cap. Non sine, num. 45 de arbitris* et *Benedictus XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 24. num. 2.* Quare exploratum est, quod beneficia resignata ab Episcopis conferri non possint aut suis aut dimittentium consanguineis. Quaesitum autem olim est ab hac sac. Congregatione in *Cremonen. anni 1753,* utrum allegata constitutio locum habeat in ecclesiis parochialibus et beneficiis curam animarum habentibus, quae per concursum magis idoneis conferri debent ex decreto Concil. Trident. *cap. 18. sess. 24,* itaut, si familiaris aliquis Episcopi vel consanguineus resignantis comparuerit et in concursu ad hujusmodi beneficium curatum ut supra vacans cum aliis se examinari petierit, admitti non possit et si admissus ad examen uti idoneus ab examinatoribus relatus fuerit, utrum ei beneficium conferri possit. SSmus Noster etiam ex sententia sac. Congregatio-

nis Concilii declaravit: Locum habere et ideo monendum Episcopum, ne hujusmodi familiares vel consanguineos admittat ad concursum. Cujus sac. Congregationis responsum exscripsimus ex *lib. I. decret. pag. 145.* Haec tamen Jacobettus nil sibi negotii facessere putat, quominus paroeciam consequatur; nam contendit, quod ratio constitutionis Pianae in eo reposita sit, ut suspicio collusionis et fraudis inter Episcopum et resignantem submoveatur, atque idcirco vetitum sit eorum consanguineis beneficia etiam parochialia conferre. Contendit vero ex facto, quod procul absit in specie fraus et collusio tum ex parte Episcopi, qui alium jam nominavit eoque renunciante clericum Grassi nominat, tum ex parte resignantis, cum Episcopus ipse testetur: »nulla me ne levis umquam tenuit suspicio confidentialis simoniae inter oratorem et parochum resignantem.«

Praeterea Jacobettus adducit testes deponentes, quod parochus Berardi resignans ob nonnullas simultates ortas cum Jacobetto nepote suo aegre tulit hunc ad concursum accedere, ita ut obstiterit, ne parochiani eumdem acclamarent. Tandem ab allegata Cremonen. se expedit ex eo, quod tum sac. Congregatio definivit, ut moneretur Episcopus, ne consanguineum resignantis ad concursum admitteret, numquam vero, ut illum a consequenda paroecia excluderet, si in concursu admissus et probatus fuerit. Quare cessante suspicione fraudis, cum ipse inter concurrentes admissus approbationem meruit, concludit quod constitutio Piana aut omnino non illum prohibeat ab obtinenda paroecia aut saltem ab ea sit dispensandus.

Ad subdiaconum Grassi quod attinet, satis ei est, ut subdiaconatu insignitus sit, ut expresse habetur ex *cap.: Praeterea de aetate et ordin. praeficien.*, quod exornat *Pirching. in jus canon. lib. I. tit. 14.* §. *5. num. 41. tom. I.* Sed ei impedimento est aetas. Nam ex *cap.: Cum in cunctis* §: *Inferiora de elect.* et ex decreto Concilii Trident. *sess. 24. cap. 12 de reform.* cavetur, ne quis ad parochialem promoveatur, nisi attigerit aetatem annorum viginti quinque.

Potest sane ab hac aetate dispensari, si justa concurrat causa, scilicet ecclesiae utilitas, ut tradit *Pirhing. loco citat. num. 42* et late *Rebuff in praxi tit. de non removen. intra ann., Navarra in manual. cap. 25 num. 118. pag. 8.* Erit EE. VV. judicium, num in casu concurrat ecclesiae utilitas. Certe quidem in concursu plures affuerunt, ut sperandum sit, quod novo indicto concursu aliquis idoneus accedat, qui nulla egeat dispensatione. Verum Episcopi votum fertur in subdiaconum Grassi, quem angelicis ornatum moribus praedicat, doctrina Jacobetto non secundum, ita ut maximam ecclesiae utilem futuram spem exhibeat.

Dignentur itaque EE. PP. deliberare:

An et cui sit concedenda dispensatio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative favore subdiaconi Grassi et ad secretarium cum SSmo.

Die 10. Apr. 1802.

e) Beneficii non vacantis irrita est.

Vd. *Benef.* (promissio, provisio, nominatio ad vacatura beneficia; reservatum SS. Pontifici juxta regulas cancell., regul. VI. XI. XXI.)

Lauden.

Collationem beneficii, de cujus vacatione certo non constat, nullam penitus irritamque esse ex *cap.: Nulla* et *cap.: Cum dilectus de concess. praebend.*

Die 13. Sept. 1800.

Viterbien.

Nulla penitusque irrita est collatio parochiae aut beneficii, de cujus vacatione certo non constat, ex *cap.: Nulla* et *cap.: Cum dilectus de concess. praeben.*

Die 24. Jan. 1801.

Beneficia quaecumque ecclesiastica conferri solum possunt ab inferioribus Papa, quando sunt vere vacantia, et si conferantur vel promittantur ante vacationem etiam a patronis, eorum collatio seu promissio est nulla; *cap.: Nulla de concessione praebend.*, ubi sic expresse habetur: »Nulla ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur, antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsis etiam legibus gentilium inveniatur

inhibitum, turpe est et divini plenum animadversione judicii, si locum in ecclesia Dei futurae successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarunt.« Id statuitur *c.: Cum dilect. 16. de concess. praebend.* his verbis: »Cum dilecta etc. fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis ecclesiarum, in quibus jus obtinet patronatus, et donationes eorum in manibus posuerit alienis, mandamus quatenus id irritum decernentes inhibeatis eidem ne similia de caetero attentare praesumat « Idem sancitum fuit in Concil. Subinensi *cap. 15.* praecisis his verbis: Ambitionis improbae et cupiditatis perversae studium, per quod ad beneficia nedum vacantia via damnabiliter aperitur, resecare et praecludere affectantes statuimus, ut nulli ecclesiarum patroni ad ecclesias, in quibus juspatronatus obtinent, antequam vacent, cuiquam literas praesentationis concedant, quas si forte concesserint, eo ipso irritae sint penitus et inanes. Clerici vero, qui hujusmodi literas praesentationis impetrant vel pro quibus ipsis scientibus vel consentientibus ab alio impetrantur, ad ecclesias ipsas obtinendas in ipsa vacatione reddantur inhabiles ipso facto.« Sic etiam habetur in *cap.: Relatum 3* et *cap.: Ex tenore 15. de concess. praebend.* et *cap.: Detestandae 2. de concess. praebend. in 6* et expresse in concil. Trident. *sess. 24. cap. 19. de reform.*, ubi expectativae seu concessiones ad beneficia vacatura prohibentur et in *constit. 28. Pauli III.* incip.: *Sanctissimus* edita 11. Decemb. 1841, in qua beneficia viventis impetrari vetuit, et sic tenet *Rota part. 3. recent. dec. 726. num. 2 et p. 4. tom. 3. p. 609. n. 9 et par. 8. dec. 159. num. 3. et par. 9. tom. 2. dec. 374. num. 9.* Immo beneficium non vacans obtinens scienter est deponendus; *cap.: Qui vivorum 1. de concess. praebend.*, ubi sic praecise statuitur: »Qui vivorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ab ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores vivis sacerdotibus adhiberi.«

Notanter fuit dictum beneficia ecclesiastica solum, quando sunt vacantia, posse conferri ab inferioribus Papa, quia Papa ipsa ratione suae plenariae potestatis potest jus tribuere etiam in beneficiis vacaturis, ut expresse habetur in *cap.: Licet 2 de praebend. in 6*, ubi dicitur, quod Papa non solum ipsa (beneficia) cum vacant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis. Et hoc factum esse patet in *cap.: Dudum 14. de praebend. in 6.* Et passim fieri videmus in coadjutoriis, quae de consensu coadjuti dantur a Papa in canonicatibus et aliis beneficiis in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis et hoc quia Papa est supra jus, ut ipsemet dicit in *cap.: Proposuit 4. de concess. praebend.* praecisis his verbis: »Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare.« Et hoc adeo verum est, ut non solum coadjutoriae cum futura successione a Papa ex speciali gratia concessae, sed etiam simplices expectativae, quae procul dubio sunt contra Conc. Trident. *sess. 24. cap. 19*, ut dixit *Rota p. 1. recent. dec. 276. num. 3*, sustineantur, licet Tridentino Concilio derogatum non fuerit, quia illi nec solet nec oportet specialiter derogare propter expressam praeservationem auctoritatis apostolicae Sedis, quae habetur in *cap. ult. sess. 25 de reformat.* Sed satis est ut Papa disponat contrarium ejus, quod Concilium disposuit, dummodo supplicatio manu Papae signata fuerit, ut expresse declaravit s. Pius V. in suo motu proprio ad literam relato a *Nicolao Garcia de beneficiis p. 4. c. 5. n. 32 et 33.* et saepius censuit sacra Congreg. ejusdem Concilii interpres et fuit declaratum a cancellaria apostolica per abbreviatores, ut testatur idem *Garcias cit. cap. 5. n. 34 et 35* et decidit *Rota in una pensionis s. Angeli 16. Decembris 1594. coram Cardinal. Pamphilio.* Non autem requiritur specialis ipsius Trident. expressa derogatio, sed sufficit, quod Papa contra Concilium disponat, *Rota p. 2. recentior. dec. 724. num. 6 et p. 6. decis. 71. n. 9 et part. 19. tom. 2. dec. 498. num. 27.* Hinc satis videtur eidem Concilio derogatum ex clausula: »Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis,« *Rota part. 2. recentior. decis. 687. num. 24. (Ferrar.)*

f) Beneficii de cujus possessoris morte nihil certe constat.

Vd. *Beneficium* (provisio.)

g) Canonica debet esse.

Vd. *Beneficium* (collatio valida.)

Beneficia ecclesiastica debent conferri seu provideri canonice, scilicet juxta praescriptum sacrorum canonum, hoc est sine vitio conferentis, recipientis et formae. Sic *com-*

munis canonistarum juxta regulam 1. juris in 6, ibi: Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri. *Et reg. 64. pariter juris in 6*, ibi: »Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.« Unde in quacumque collatione seu provisione beneficiorum debet necessario observari forma a jure communi vel legitima consuetudine aut particulari statuto vel fundatione praescripto, aliter collatio seu provisio nulla erit, quia forma dat esse rei; *Leg. Julianus* §. *Si quis rem ff. At exhibendum*, et forma non servata corruit actus, *cap.: Quia propter 42.* §. *Aliter de election.*, *cap.: Cum dilect. 22. de rescriptis* et epist. Leonis Papae ad Episcopos Siciliae relata in *cap.: Sine exception. 52. caus. 12. quaest. 2.*

h) A capitulo Cathedralis.

Vd. *Devolutio ad capitul. Cath.; Beneficium* (collatio ab Episcopis p. 413.)

Capitulum Cathedralis Episcopo negligente potest conferre beneficia ad hujus collationem spectantia; habetur expresse in *cap.: Nulla 2. de concession. praebend.*, ibi: Si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per capitulum ordinetur.« Quando collatio beneficii communiter pertinet ad Episcopum et capitulum, mortuo Episcopo vel effecto inhabili potest illud conferre capitulum, *cap.: Unic. Ne sede vacante in 6*, ibi: »Si ad Episcopum et capitulum communiter pertineat collatio praebendarum, mortuo Episcopo vel a beneficiorum collatione suspenso poterit capitulum vacantes conferre praebendas, etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut praelatus.« Et sic etiam capitulo effecto ad conferendum inhabili, puta vel quia est suspensum a collatione vel quia singulariter omnes de capitulo sunt excommunicati, tunc solus Episcopus poterit illud conferre, ex *cit. cap. Unic. Ne sede vacante in 6.* Et ratio est, quia capitulum et Episcopus censentur unum corpus quoad ea, quae eis conveniunt communiter facienda, *cap.: Novit 4. de his, quae fiunt a praelatis*, ac proinde uno ipsorum effecto inhabili succedit alterum; nam jura corporis mystici seu universitatis conservantur in uno, *leg. Sicut* §. *fin. ff. Quod cujusque universitat. nomin.* Capitulum, sede episcopali vacante, potest confirmare electiones ad beneficia celebratas vel eas justa exigente causa infirmare, *cap.: Cum olim 14. de majoritate et obedient.* Potest etiam, sede vacante, praesentatos a patronis ad beneficia instituere, *cap.: Etsi Capitulum 1. de institut. in 6*, ibi: »Etsi capitulum sede vacante beneficia, quae ad collationema Episcopi pertinent, conferre non possit, presentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quae fuerint praesentati, licet ad Episcopum (si superesset) admissio vel institutio hujusmodi pertineret.« (*Ferrar*)

Capitulo potest competere jus conferendi beneficia, etiam privative ad Episcopum, ut colligitur clare *ex cap: Nulla 2. de concessione praebend.*, alias enim non fieret devolutio de capitulo ad Episcopum, ut disponitur *in c. Nulla, verb.: Quod si ad capitulum pertinuerit* et notat *Bernard. ibi in princip., Abb. n. 5, Fagnan. n. 40.*

Ex consuetudine in Italia praesertim recepta non concurrit amplius capitulum cum Episcopo in collatione canonicatuum et dignitatum, *Gagliard. de benefic. cap. 8. n. 1.* Ubi vero viget antiqua disciplina, non est necesse, quod concursus Episcopi et Canonicorum collegialiter fiat, sed diversis loco et tempore jus alterutrius explicari potest, dummodo in unam eamdemque personam conveniant. Quod si dissentiant, dubitari solet de quota votorum. At decisio hujus quaestionis pendet a capitularibus statutis vel consuetudinibus, quae alibi votum duplex, alibi unicum et simplex Episcopo tribuunt, singulis Canonicis coaequale. Deficientibus vero statutis et consuetudinibus »probabilior (inquit *Gagliard. supra num. 4.*) sententia doctorum constituebat olim in solo Episcopo tantam vocem, quantam in toto capitulo, quae capituli vox a majori parte quum concluderetur, posthabita minore, huic minori nec adhaerens, Episcopus eamdem compleret. Quod si constanter votum capituli ab Episcopo dissonasset, neutrum efficax ad perficiendam collationem habebatur, ideoque per lapsum semestris dabatur locus devolutioni.«

i) A capitulo Cathed. non est facienda.

Capitulum sede vacante episcopali non potest conferre beneficia libera, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, textu expresso in *cap. Illa 2. Ne sede vacante*, ubi declaratur irrita collatio beneficii facta per capitulum sede episcopali vacante, hac

addita ratione, ibi: Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante sede fungatur vice Episcopi in collationibus praebendarum« et *cap.: Etsi capitulum 1. de institutionibus in 6.* praecisis his verbis: Etsi capitulum sede vacante beneficia, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit.

Capitulum sede vacante non potest praesentare ad beneficia, quando jus praesentandi pertinet ad solum Episcopum, dum vivit; *glossa in Clement. unic.* vers. *Conferantur, de rerum permut., Joan. Andreas in cap. unic. n. 2. de major. et obedient. in 6, Rebuffus in praxi benefic. tit. de devolutionib. n. 70, Garcias par. 5. de beneficiis cap. 7. num. 52.*

k) A Cardinalibus et Regibus.

Vd. *Bullar. rom.* t. II p. 784. Ed. Luxbg 1742; t. III. p. 276 *Const. Pauli V.* diei 22. Oct. 1609 *Beneficium reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.* (praecipue *notam* ad regul. IX et regulam XXXII.)

Indultario jure conferunt Cardinales beneficia et, ut placet *Gagliard. de benefic. cap. 7. num. 5*, Legati ac Nuntii. S. Sedes indultum hoc concedere etiam consuevit regibus. Vide de hoc indulto concesso a s. Sede regi utriusque Siciliae. *Gagliard. dict. tractat. cap. 6. num. 6.* et auctores ab eo allegatos.

l) Causa.

Beneficium datur propter officium. *Concil. Trident. sess. 21. cap. 13. de reform.; Fagnan. in cap.: Licet de praeb. num. 24.*

m) Civibus conferenda praecipue juxta fundationem.

Vd. *Beneficium* (collatio — dignioribus et magis idoneis p. 404; dioecesanis p. 412.); *Ferraris.*

Civis ex privilegio admittitur ad beneficium ad quod vocantur soli cives civitatis, Sac. Cong. Conc. *in Romana 16. Septemb. 1649. lib. 18. decr. fol. 674* referente *Ursaya instit. crimin. lib. 1. tit. 3. n. 32.*

Civitas Bononiens. ex concessione Julii II. habet privilegium, ut illa beneficia nonnisi civibus conferri possint, idemque privilegium confirmatum fuit per duos Pontifices Bononienses Gregorium XIII. et Gregorium XV., quorum ultimus addidit, ut civilitas *ex privilegio* non suffragaretur. Sic *Card. de Luca de beneficiis disc. 113. num. 1.*

Generaliter vero loquendo beneficià civibus potius quam exteris conferri debent et originarii seu naturales loci praeferendi sunt exteris seu alienigenis. *Rota part. 3. recent. dec. 61. num. 1, Card. de Luca de benefic. disc. 96 num. 12, Decius consil. 542. num. 13, Roch.* de Curt. *tract. de jurepatron.* verb. *honorificum, num. 45 cum pluribus seqq.* et alii. Licet enim in beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptio personarum,*) ista qualitas civilitatis non reputetur necessaria et sola qualitas loci non sufficiat de jure ad exclusionem a beneficio, per *Rotam part. 13. recent. dec 55 n. 12*, attamen data aequalitate idoneitatis atque in concursu dicitur considerabilis ac species etiàm benemerentiae, ob quam caeteris paribus praelatio saltem de congruo seu de honestate debeatur, ex collectis apud *Cavill. decis. 66. alias decis. 232. part. 7. recent.* et pluries ex praecedentibus, nec discordat in hac parte haec justa et recta opinio a juris communis dispositione, secundum quam beneficia, officia et gubernia propriis civibus, non autem exteris demandanda et conferenda sunt, ut post multos firmavit *Rota in Perusina Abbatiae 14. Januarii 1701.* §: *Accedente, coram Scotto* apud *Ursajam tom. 8. part. 2. discept. 8. num. 9.* et ead. *Rota part. 7. rec. decis. 232. num. 11.* dicens, quod, cum beneficia sint fundata ex bonis illius civitatis seu loci, fraudarentur fundatores sua ultima voluntate, si eorum redditus ad extraneos transferentur.

Immo si fundator legem imposuit, ut beneficium conferatur solis originariis seu oriundis ex tali loco et non alienigenis, nullimode conferri poterit exteris tum de jure divino tum de jure canonico tum de jure civili. De jure divino: *Deuteron. cap. 17. n. 15*, ibi: »*Non poteris alterius gentis hominem facere regem*« et *c. 18. n. 15* ibi: »*Prophetam de gente tua.*« De jure canonico: *c. Bonae memoriae 4.* §: *Quia vero, de postulat. praelat.*, ibi: »*Non poteramus salva conscientia eidem ecclesiae de persona alterius regni providere*«, ut allegat *Rota part. 7. recent. decis. 232. num. 9* stando in vero sensu canonis, non praecise in litera; *cap.: Ne pro defectu 41. de elect., cap.: Nec emeritis* et *cap.: Nullus dist. 61, cap.: Afros distinct. 98* cum similibus.

---

*) Vd. *t. I. p. 170.*

De jure civili: *l. in ecclesiis 11. cod. de Episcopis et clericis*, ibi: *Clerici non ex alia possessione vel vico sed ex eo, ubi ecclesiam esse constiterit, ordinentur,*« *leg. unica cod. non licere habitatoribus*, ibi: »*Ut nullo extraneo illic quoquo modo possidendi licentia tribuatur*« et concordat Conc. Trident. *sess. 25. cap. 5 de reformat.*, ubi expresse jubet, ut in conferendis beneficiis serventur omnino conditiones et qualitates in eorum erectione seu fundatione impositae, ibi: »Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione*) aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur.«

Et ratio est, quia voluntas testatoris seu fundatoris tamquam lex est omnino servanda: *cap. Ultima voluntas 4. caus. 13. quaest. 2*, ibi: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet; leg. In conditionibus 19. ff. de conditionibus et demonstrationibus*, ibi: *In conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditione; lib. Cum quaest. 23 in fin. cod. de legatis*, ibi: *In omnibus etenim testatoris voluntatem, quae legitima est, dominari censemus.* Nec ab alio quam a summo Pontifice et quidem de potestatis plenitudine in his circumstantiis dicta ultima voluntas commutari potest,**) juxta text. in *Clementin. Quia contingit de religios. domibus, et in l. legatum ff. de administrat. rer. ad haereditatem pertinent* et animadversa per *Monet. de commutat. ultim. volunt. cap. 5. quaest. 2. conclus. 1. num. 86, Ursajam tom. 8. p. 2. discep. 8. num. 12.* et *Rota dec. 560 num. 2.* ibique addendo *n. 12. coram Burat.* et *dec. 979. a n. 1 dec. 1042. n. 1. cor. Emerix jun. p. 7. cit. dec. 232. per tot.* cum plurimis ibi adductis.

Beneficium erectum seu legatum fundatum pro solis civibus v. g. Alexandrinis debetur tantum natis in civitate, suburbiis, vicis et districtu, non autem natis in toto comitatu, provincia seu dioecesi, per text. *in leg. Qui ex vico 30. ff. Ad municipal. l. Quin in continentibus 147. ff. de verb. signific.* et dixit *Rota dec. 188. num. 3. dec. 127. num. 12. par. 17. dec. 9. num. 1. dec. 429. num. 21. part. 10. rec.* et in *Romana seu Senen. Dotium 22. Junii 1703. coram Caprara* et *7. Januarii 1704. coram eod.* impress. apud *Monacell. par. 2. in append. dec. 49 et 50.* Et sic in terminis similis dispositionis *Lara de Anniv. c. 21. n. 34*, ubi de legato facto puellis Toletanis; *Gratian. dec. Marc. 96. num. 1 et seq.*, ubi de legato pro maritandis puellis Fanensibus; *Ventrigl. prax. for. eccl. tom. 1. annot. 29. num. 12. in fine*, ubi de legato facto maritandis puellis pauperibus Capuae; *Capon. discept. 115. tom. 2, Moron. resp. 4. num. 1 et 60, Amostaz. lib. 4. de causis piis c. 6. n. 17.* cum pluribus ibi citatis.

Et si a tali beneficio seu legato excludantur expresse cives *ex privilegio*, isti ad illud non possunt admitti, per dicta supra. Et decretum supra allatum intelligendum est de civibus *ex privilegio*, qui non sunt expresse exclusi, seu de habentibus tale privilegium a summo Pontifice de plenitudine potestatis derogante expresse simili dispositioni. Non censentur tamen exclusi cives nati extra civitatem originariam occasionaliter nec nati in civitate et alibi necessarium vel occasionale domicilium habentes. Beneficium seu legatum, ad quod vocantur cives naturales et originarii alicujus loci, debetur solum natis in tali loco, non casu aut per transitum, sed quando pater domicilium ibi habuit, aut est locus, ubi pater natus est. Et solum in istorum defectum deberetur natis ibi casu aut per transitum, ut a fortiori id debent tenere DD. citati.

Beneficium seu legatum, ad quod vocantur naturales alicujus loci, potest conferri non solum illius loci originariis seu oriundis, sed etiam illis, qui per decennium ibidem domicilium habent, licet aliunde originem traxerint, dummodo tamen habeant animum ibi commorandi cum retentione domus et supportatione onerum civicorum, nam talis habitatio facit quemquam naturalem illius loci; *leg. Nec ipsi 2 et l. Cives 7. cod. de incolis; Rota part. 2. divers. decis. 159. num. 2, Gregorius in l. 32. tit. 2. p. 3. glossa dies annos; Diana p. 4. tract. 4. res 140. vers: Nota quinto; Sanchez de matr. lib. 3. dis. 23. n. 2 et lib. 4. c. 2. dub. 12, Amostaz. de causis piis lib. 4. c. 6. n. 58, Ursaya tom. 9. part. 2. discept. 50. per tot.* et signanter *a n. 60.*

Beneficium seu legatum, ad quod vocantur patricii alicujus loci, potest conferri non solum patriciis originariis sed etiam domiciliariis. Patria enim est duplex, una originis, altera domicilii, ut putant communiter DD. allegati et secuti ab *Ursaya cit. discept. 50. num. 75.* Unde, cum quis per decennalem habitationem cum retentione domus et supportatione onerum civicorum et animo morandi perpetuo in aliquo loco reddatur verus patricius illius loci, per text. *in cit. leg. Nec ipsi 2 et leg. Cives 7. de incolis*, debet admitti ad tale beneficium seu legatum, ad quod vocantur patricii.

In dictis tamen et similibus dispositionibus est serio, attente et caute investiganda voluntas disponentis seu erigentis vel relinquentis, idque perpendendum ex verbis ipsius vocantis et qualitatibus vocatorum. Potest enim testator vocare naturales intelligendo non solum domiciliarios, sed etiam oriundos alicujus civitatis vel oppidi, prout quando est sermo de naturalibus alicujus regni, in quo non domiciliarii tantum intelliguntur, sed etiam qui ibidem originem habent. *Gregorius in leg. 2. tit. 24. p. 4. gloss. 14, Salced. ad Bernard. cap. 54. num. 23, Bolanus in curia tom. 2. leg. 1. cap. 1. num. 37, Sanchez Consil. l. 2. cap. 1. dub. 9, Amostaz. loc. cit. num. 61.* Et aliter potest naturales vocare intelligendo de iis, qui solum sunt domiciliarii, quamvis originem non habeant, ut sunt, qui decennalem habitationem habent in aliquo loco cum retentione domus, supportatione onerum civicorum et animo ibidem perpetuo permanendi. Item vocando originarios potest testator intelligere non solum de iis, qui nati sunt in loco, ubi parentes eorum habent domicilium constitutum, sed etiam de iis, qui nati sunt per transitum ceu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tamquam peregrini per transitum aut casu ibi reperiebantur.

In his casibus, si testator sub nomine naturalium voluerit solos originarios intelligere, non debent admitti domiciliarii, quia exclusi censentur. *Castrensis 1. p. cons. 21. n. 5, Menoch. l. 6. praesumpt. 30. n. 22, Gail. l 2. obs. 35. num. 6, Barbosa in l. Haeres absens §: Proinde ff. de judiciis art. de for. orig. n. 58, Amostaz. loc. cit. num 61.* et alii passim. Et si voluerit comprehendere etiam domiciliarios, etiam isti, quamvis originem non habeant, sunt admittendi, per text. *in cit. l. Nec ipsi 2 et l. Cives 7. cod. de incolis.*

Si vocando originarios voluerit testator intelligere solum de illis, qui nati sunt in loco, ubi eorum parentes habent domicilium constitutum, non debent admitti, qui nati sunt per transitum seu casu in loco, ubi eorum parentes non habent domicilium, sed tamquam peregrini per transitum aut casu ibi reperiebantur, per text. *in l. filios 3. cod. de municip. et originariis.* Si autem voluerit comprehendere etiam eos, qui nati sunt per transitum aut casu in loco, ubi parentes non habebant domicilium, etiam isti veniunt admittendi per text. *in leg. Municipem 2. ff. Ad municipalem, et in leg. Cives 7. cod. de incolis.*

Cum hoc tamen ordine, quod habentes omnes qualitates volitas a testatore praeferendi sunt habentibus solum aliquas ex ipsis; unde qui sunt naturales et domiciliarii, praeferendi sunt pure domiciliariis et pure naturalibus. Et qui sunt originarii nati in loco, ubi eorum parentes habent domicilium, praeferendi sunt originariis natis in loco, ubi eorum parentes non habent dictum domicilium. Et sic de similibus. Hoc enim est magis conforme testatoris voluntati, quae tamquam lex omnino servanda per text. in *cap. Ultima voluntas 4. caus. 12. quaest. 2. l. In conditionibus et demonstrationibus l. Cum quaest. 23. in fine cod. de legatis.*

Lunen-Sarzanen.

Ex communi juris sanctione admonemur, beneficium iis esse conferendum, qui dotibus praestent ab illius conditore praescriptis, *Lotter de re benefic. lib. 1. qu. 26. num. 16, Rot. in recent. par. 3. dec. 97. num. 3.*

Die 2. Mart. 1833.

Lunen-Sarzanen.

Civibus et incolis prae caeteris habendam in collatione beneficiorum rationem explorati juris est, ubi rerum, personarum adjunctorumque idem status sit, *Vivian. de jurepatr. lib. 12. cap. 9. num. 13, Corrad. prax. benef. lib. 4. cap. 6. num. 55.* Licet enim (inquit *Card. de Luca de benef. disc 69. num. 12*) in beneficialibus ex regula, quod apud Deum non est acceptio personarum, ista qualitas civitatis non reputetur necessaria, attamen data aequali idoneitate atque in concursu dicitur considerabilis ac species etiam benemerentiae, ob quam ceteris paribus praelatio saltem de congruo debeatur.

Die 23. Novb. 1833.

*) Vd. *p. 185. n. 27.*

**) Vd. *Commutatio ultimae volunt.*

n) Consanguineis.

Vd. *Beneficium* (collatio dignis etc; collatio resignati beneficii. p. 397 d; collat. ab Episcopop. 413.)

Praerogativa sanguinis et qualitatis patronalis praelationem neutiquam tribuit, si concurrat alter consanguineus, qui, si non actu, habitu sit patronus, ut in patronatus gentilitio est filius, qui post mortem parentis in illud est successurus; *Rota in Brundusina Beneficii 20. Martii 1747.* §. *9.* et in *confirmatoria 19. Junii ejusdem anni* §. *12. coram reverendissimo P. D. Bussio decano.*

o) Dignioribus ex competentibus.

Vd. *Beneficiatus* (qualitates requis. p. 185, 232; *Concursus* (pro collat. eccles. paroch.); t. *I. p. 594. n. 13; Beneficium* (collatio — quibus? —); vd. *lit. p.;q.*

Beneficia ecclesiastica conferenda esse dignioribus eisque, qui aetate, moribus, doctrina et prudentia caeteris antecellunt, statutum habetur *in can.: Si forte dist. 63, cap.: Quoniam de jurepatron.* et *cap.: Constitutis de appellat.* Id autem ut exacte impleretur in collatione ecclesiarum, sive ea sint de jurepatronatus ecclesiastico sive de libera Ordinarii provisione, certam normam omnino servandam praescripsit Concilium Tridentinum. Itaque *sess. 24. cap. 18. de reformat.* praecisam formam indixit concursus habendi coram examinatoribus synodalibus statuitque, ut peracto *examine renuncientur, quotquot in his idonei judicati fuerint aetate, moribus, doctrina et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis: ex his Episcopus eum eligat, quam caeteris magis idoneum judicaverit atque illi et non alteri collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.*

p) Dignis et idoneis.

Vd. *Beneficium* (collat. quibus personis?) *Concursus* (pro collat. ecclesiar paroch.); *t. I. p. 594. n. 13; p. 170. n.* 1; *Ferraris.*

Beneficia ecclesiastica nonnisi dignis et idoneis sunt conferenda. Sic doctores communiter. Rectae enim rationi adversatur assumere personam inidoneam et indignam ad officium spirituale et consequenter ad beneficium ecclesiasticum, quod datur propter officium, ex *c. Quia per ambitiosam 15. de rescriptis in 6.* Unde in *cap. Grave nimis 29. de praebend.* graviter arguitur contraria quorumdam praxis praecisis his verbis: Grave nimis est et absurdum, quod quidam ecclesiarum praelati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non vereantur indignos, quibus nec morum honestas nec literarum scientia suffragantur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat.« Et expresse Concilium Tridentinum *sess. 7. c. 3.* his verbis: Inferiora beneficia ecclesiastica praesertim curam animarum habentia personis dignis et habilibus et quae in loco residere ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant juxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quae incipit: *Quia nonnulli*, et aliam Gregorii X. in generali Lugdunensi concilio, quae incipit: *Licet canon*, editam conferantur, aliter autem facta collatio sive provisio omnino irritatur et ordinarius collator poenas constitutionis concilii generalis, quae incipit: *Grave nimis*, se noverit incursurum.« Hinc qui promovet indignum ad quodcumque beneficium ecclesiasticum peccat mortaliter, cum, ut patet, cit. Conc. Trident., Lateranense et Lugdunense severe praecipiant, ut beneficia conferantur dignis, alioquin promovens indignum incurrat poenas indicta a concilio generali in cit. *cap.: Grave nimis*, tum quia talis indignorum promotio cadit in grave damnum ecclesiarum, ut ex verbis cit. *cap. Grave nimis*, ibi: »Unde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Quibus ecclesiis debetur restitutio, uti habet communis cum *Garcia par. 7. cap. 16. num. 47, Filliucio tract. 41. n. 183, Castropal. tract. 13. dec. 2. pag. 11.* §. *4. num. 1.* Ac tenentur damna illa compensare ante omnes indigni, qui procurarunt sibi beneficia; post indignos illi, qui injuste talia beneficia ipsis indignis contulerunt; denique cooperatores.

Immo peccant mortaliter eligentes seu promoventes ad beneficia ecclesiastica minus dignum praetermisso digniore; electores enim, patroni et collatores beneficiorum, praesertim curatorum,*) quantum in ipsis est,*) sive in ipsorum libera dispositione, tenentur in conscientia ad praeferendum inter dignos digniorem seu quem magis ecclesiae utilem ipsi judicaverint.*) Colligitur ex *c. Metropolitano 19. dist. 63*, ibi: »*Optimus ordinetur.* Concordat *c.: Licet 15. caus. 8. q. 1*, ibi: Qui praestantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdo-

---

*) Notanter fuit dictum: ***beneficiorum praesertim curatorum***, quia loquendo de beneficiis simplicibus et nullam curam animarum habentibus non esse peccatum mortale ipsa conferre personis dignis omissis dignioribus tenent permulti doctores, ut *Garcias part. 7. de beneficiis cap. 17. num. 16, Navarrus lib. 2. de restit. cap. 2. num. 172 et 182, Gutier. canon. quaest. lib. 2. cap. 11. num. 12. col. 2, Lugo disp. 35. de justit. et jur. sect. 2. num. 20, Lessius lib. 2. de justit. et jur. cap. 34. dubit. 14, Layman. lib. 4. t. 2. cap. 15. num. 8, Molina de primogen. lib. 2. cap. 5. n. 55, Felix Potest. tom. 1. part. 2. num. 1358, Diana part. 2. tract. 7. Miscellan. resolut., Sanchez* et alii cum *Barbosa p. 2. de offic. et potest. Episc. allegat. 60. n. 103.* Et ratio est, quia neque Conc. Trid. cit. *sess. 24. c. 1. et 18.* nec s. Pius V. in cit. constit. incip: *In conferendis* nec dicta propositio damnata ab Innocentio XI. die 2. Mart. 1679 loquitur de beneficiis simplicibus, sed solum de curatis. Insuper periculum tanti mali inde non imminet; neque ex iis adeo pendet bonum ecclesiae, sicuti fit in curatis, ac proinde facilius potest excusari elector, qui semel atque iterum digniorem praetermittit, dummodo alter sit vere dignus et idoneus. Et sic absolute *Rota p. 10. rec. dec. 262. num. 1.* dicens praecise, quod dignus in beneficiis simplicibus eligi potest omisso digniori, ex quo antiqua jura admodum sint dubia propter consuetudinem introductam a Papa praeferendi in hujusmodi beneficiis dignos dignioribus, qua videtur abrogata dispositio contraria Innocent. III. loquens de beneficiis non curatis in *cap. 1.* §. *Circa, ut beneficia sine diminutione conferunt.* De jure autem divino et naturali, seclusa ordinatione ecclesiae, beneficia non videntur esse bona communia et praemia meritorum; nec est praeceptum, ut dentur dignioribus; quod si aliud diceremus, omnes fere praelati essent in statu damnationis, providentes beneficia simplicia dignis, praetermissis dignioribus, quae acerbissima profecto esset sententia. Hactenus *Rota citata dec. 262. num. 1 et 2,* quae tamen ibid. sub *n. 8.* dicit, quod *tutius* est etiam beneficia simplicia adjudicare dignioribus.

Atque haec obligatio eligendi digniorem extenditur etiam ad resignantem suum beneficium in favorem alterius, ut tenent *Navarrus in miscellan. 38. n 7, Sot. de just lib. 3 qu. 6. art. 2. in fin.* et *Vasquez. opusc. de benefic. cap. 2.* §. 4. *dub. 7. num. 100,* ubi ait: »Cavere debent renunciantes, ne praetextu consanguinitatis vel alia via, praetextu majoris pensionis renuncient beneficium indigno aut saltem minus digno. Ut enim supra diximus, sicut electores ita et renunciantes tenentur consideratis omnibus digniorem eligere, in quo forsan plura peccata committuntur, quam advertantur.« Haec Vasquez. Sed contrariam opinionem amplexi sunt *Regin. tom. 1. lib. 30. tract. 3. c. 14. num. 170, Lessius lib. 2 c. 34. dub. 13. num. 61* et *Malderus in 2-2, tract. 9. cap. 2 dub 7,* qui citat Cajetanum, Sa et Salonium. Ratio est, quia iste resignans non sit distributor, si jure permittatur in favorem resignare, potest resignare digno, cui voluerit: neque hiç est locus concursui tamquam ad commune bonum ex parte totius distribuendum, sed pars parti jus suum transfert Unde patet ¦etiam tunc collatorem non peccaturum acquiescendo resignationi factae in favorem minus digni relicto digniore; et sic *Petrus de Aragona in 2-2. q 63. art. 4.* ait, hanc sententiam esse conformem praxi receptae, etiam ipsius summi Pontificis.

*) Notanter fuit dictum: ***quantum in ipsis est.*** Nam in beneficiis patrimonialibus, sive quae ex primaeva fundatione, statuto vel consuetudine, certo personarum generi v. g. talis familiae, patriae, civitatis seu loci conferenda sunt, id observari debet, dummodo adsint idonei, qui ex tali genere institui possint, non obstante quod alii meliores, sed extranei, reperiantur, cum dispositioni sacrorum canonum non repugnet, quod ex aliqua vocata familia et natione idonei et habiles praeferantur extraneis; *Rota part. 11. recent. decis. 120. num. 10. dec. 122. num. 11 et 12. decis. 130. num. 7.* Deinde quando patronus laicus praesentat clericum dignum ad beneficium etiam curatum, tenetur eum Episcopus instituere, non obstante quod judicet aliquem alium fore digniorem; arg: *cap. Cum nobis* §*: His igitur,* et *cap. Cum dilectus 32. de election.*, et communis doctorum. Immo praeferendus est praesentatus a pluribus in discordia patronorum, dummodo sit idoneus et dignus, licet alius praesentatus sit dignior. *Rota part. 8. tom. 1. decis. 235. num. 7 et part. 19. tom. 1. decis. 298. num. 8. et 9.* Et patronum laicum ad parochialem sui jurispatronatus non teneri praesentare digniorem, sed sufficere dignum seu idoneum resolvunt *Lambertin. de jurepatronat. part. 1. lib. 2. quaest. 10. art. 3. num. 17, Petr. Navarr. de restit. lib. 2. cap. 2. num .150, Bann. 2-2, quaest. 63. dub. 4, Petr. de Ledesma in sum. part. 2. tract. 7. c. 2. conclus. 7. different. 9, Garcias de beneficiis part. 7. cap. 16. num. 19, Riccius in decis. cur. Archiep. Neap. part. 3. decis. 306. num. 4, Joan. Valer. de differ. inter utrumque forum* verb.: *Electio differ. 2, Barbosa in c. 18. sess. 24. Conc. Trident. n. 132, Felix Potest. tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 1359.* Et *glossa in cap.: Quoniam 3. de jurepatronatus,* verb. *Qui majoribus* et ibi *Hostiens. n. 5.* verb. *Eligitur*, et ibidem *Fagnan. num. 15.* Et hanc partem non obscure approbavit Conc. Trid. *sess. 24. cap. 18. de reform.* Nam, ut recte ait *Fagnanus in cit. cap.: Quoniam n. 45,* etsi in parochialibus liberae collationis et jurepatronatus ecclesiastici jusserit digniorem esse eligendum, tamen in ecclesiis jurispatronatus laicorum voluit satis esse, ut praesentatus ab examinatoribus synodalibus examinetur et idoneus repertus admittatur; ibi: »Quod si jurispatronatus laicorum fuerit, debeat, qui a patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti.« Sunt praecisa verba Concilii.

*) Notanter fuit dictum: ***seu quem magis ecclesiae utilem judicaverint***, quia non tenetur quis assumere simpliciter meliorem, sed meliorem quoad regimen ecclesiae, qui scilicet possit ecclesiam et instruere et defendere et pacifice gubernare, prout dixit *d. Thomas 2-2, q. 63. art. 2 et q 185. art. 3.* et expresse *quodlibet 6. art. 9 in corpore* his verbis: »Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare quoad hoc,« quia, ut dicit

tium.« Unde Innocentius tertius in *cap.: unico, ut ecclesiastica beneficia*, §. *Omnibus* arguit ut culpabilem Archiepiscopum Mediolanensem, ex quo non contulerit, ut debebat, beneficium magis idoneo, ibi: »Te in tribus comperimus fuisse culpabilem . . . quia non ex affectu carnali sed discreto judicio debuisti ecclesiasticum officium et beneficium in persona magis idonea dispensare.« Et Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 1. de reform.* loquens de iis, quibus competit jus electionis, monet, ut inprimis meminerint nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint.« Et *cap. 18. ejusdem sess. 24. de reform.* expresse decernit, ut in delectu parochorum Episcopus digniorem prae caeteteris etiam dignis eligat: »Peracto deinde examine renuncientur quotquot ab his idonei judicati fuerint, aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisce Episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit. Atque illi et non alteri collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.« Insuper addens etiam patronos teneri ad praesentandum Episcopo pro beneficiis curatis, quem digniorem judicaverint: »Si vero jurispatronatus ecclesiastici erit ac institutio ad Episcopum et non alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo praesentari teneatur, ut ab eo instituatur, cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat.« Hic s. Pius V. in constit. inc.: *In conferendis beneficiis* jus appellationis*) ad Metropolitanum Sedemve apostolicam concedit illi, qui se Episcopi judicio et electione laesum existimabit, ut cognita injustitia electio minus digni annulletur in favorem dignioris: »Ut autem non solum dignis sed magis idoneis repertis juxta ejusdem Concilii decretum ... parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod, si Episcopus minus habilem postpositis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum vel, si ipse eligens Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti nostrum et Sedis hujusmdi delegatum aut alias ad ipsam Sedem apostolicam appellare ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice et ejus examinatoribus provocare et constito de prioris eligentis irrationabili judicio eoque revocato parochialis magis idoneo per eumdem judicem appellationis auctoritate nostra ... conferatur.« Ad hoc potissimum etiam facit propositio 45. inter damnatas ab Innocentio XI. die 2. Martii 1679, his verbis: »Cum dixit (Conc. Trident.) eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.«

Accedit ratio, quia, cum in collatione

ibidem ipse s. doctor, »contingit quandoque aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat, quia alius forte potest ecclesiam magis juvare vel per consilium sapientiae vel per auxilium potentiae, vel quia servivit ecclesiae.« Unde et Conc. Trid. *sess. 24. c. 1. de reformat.* notanter monet eos a promotoribus esse promovendos ad ecclesias, quos digniores et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint. Nam major haec dignitas est desumenda per comparationem ad bonum commune. »Contingit enim, quandoque, dicit *s. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. in corp.*, quod ille, qui est minus sanctus et minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam vel industriam saecularem vel propter aliquid hujusmodi.« Et sic quamvis aliquis quoad aliqua sit minus dignus, tamen potest censeri esse dignus, v. g. si sit ex patria, si sit gratior populo, feudatario et hujusmodi. Unde advertendum est pro dictorum intelligentia, quod respectu beneficii ecclesiastici obtinendi ille dicitur indignus, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale requisitis seu qui non potest satisfacere tali muneri. Dignus dicitur, qui habet sufficientiam omnesque qualitates ad ministerium beneficiale requisitas Dignior tandem dicitur, qui comparatione aliorum majorem sufficientiam aptitudinemque ad administrandum habere dignoscitur quique consideratis omnibus dotibus animae et corporis aliisque circumstantiis futurus ecclesiae utilior creditur.

*) Vd. t. *I. p. 594. 607.*

beneficiorum praefertur minus dignus digniori, fit acceptio personarum in re gravi, ut docet *s. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. ad 3*; praeferendo enim personam dignam digniori pro motivo praeferendi acceptatur aliquid velut causa, quod causa non est, et circumstantia nihil conferens ad causam substituitur pro circumstantia conferente ad causam; et per hoc d. *Thomas 2. 2. q. 185. art. 3.* adducit haec verba s. Hieronymi: »Quidam non quaerunt eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt ecclesiae prodesse, sed quos ipsi amant vel quorum sint obsequiis deliniti vel dediti vel pro quibus majorum quispiam rogaverit (ut deteriora taceam) qui, ut clerici fierent, muneribus impetrarunt; hoc autem pertinet ad acceptionem personarum, quae in talibus est grave peccatum.« Unde qui in conferendis beneficiis, praesertim curatis, per acceptionem personarum*) aut alio simili motivo dignioribus minus dignos anteponunt, non minus rei fiunt, ac si ea pretio venderent.

Hinc a sanctis patribus idipsum semper fuit damnatum, ut patet per laudata verba s. Hieronymi adducta a s. Thoma et per sequentia verba s. Augustini *epist. 167. alias 29. num. 18*, ubi exponens haec verba s. Jacobi apostoli *cap. 2. num. 1.* epist. suae catholicae: *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini Jesu Christi gloriae*, sic ait: »Nec sane, quantum arbitror, putandum est leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini Nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores ecclesiasticos conferamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris ecclesiae, contempto paupere instructiore atque sanctiore?« Tum quia habentes jus eligendi, non sunt domini beneficiorum ecclesiasticorum, sed tantum *dispensatores mysteriorum Dei* seu jurium spiritualium juxta divum Paulum *1. ad Corinth. 4.* sicque tenentur jure naturali atque vi officii dispensationis consulere bono communi sive ecclesiae omni meliori modo, eo vel maxime, quod dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem juxta eumdem divum Paulum *1. ad Corinth. 12: Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem.* Atqui hoc non praestant, quando ad ecclesiam et regimen animarum scienter eligunt minus dignum praetermisso digniori et magis idoneo adeoque etc. »Non audeo tamen asserere (subdit hic Josephus Maria Maraviglia lege 165. prudentiae episcopalis), quod affirmant Cajet., Solon., Molin., Goutierez, Vasquez, Fernandez et alii apud *Dianam tract. 2. miscell. resolut. 210. fol. 150* Episcopos illos, qui spectatis omnibus requisitis etiam per examen non conferunt beneficia dignioribus, teneri singulis annis ad restitutionem eorum fructuum, quibus fruuntur minus digni, cum censeantur dignioribus surrepti, quia jam per concursum jus adquisierant; suppono enim jus ad beneficia obtinenda esse aequale in omnibus concurrentibus dignis, licet fortasse non dicatur aequale in comparatione digniorum, qui videntur jus amplius habere, quam soli digni, cui tamen juri suppellere potest vis et liberum arbitrium, quod a plerisque conceditur Episcopis, eligendi dignos etiam in comparatione digniorum, quae electio, si fiat, cum sit secundum justitiam, non imponit Episcopis aliquam restituendi obligationem. Additur, quod secundum doctrinam obligantem Episcopos ad restitutionem, si in beneficiis curatis omittant digniores, non imponitur eadem obligatio in aliis beneficiis et tamen digniores semper retinent ad illa jus intrinsecum majus, ratione majoris dignitatis nec videtur dispar ratione juris et justitiae; unde colligitur, quod, si non est obligatio restitutionis in Episcopis pro aliis beneficiis neque sit pro curatis, ad summum posset dici cum aliquibus, Episcopos peccare contra debitum fidelitatis ratione malae administrationis ex officio, si dignis postponerent digniores, quod tamen neque ita facile admittendum est. In foro tamen externo collatio beneficii curati digno facta praetermisso digniori, hoc conquerente et probante, solet revocari; et affert *Diana l. c.* declarationes sacrae Rotae in una *Tudensi 18. Aprilis 1603. coram Sacrato* et in una *Vertunensi 18. Decem. 1581. coram Gypsio* et alias ejusmodi doctorum observationes ad decret. Gregorii XV., quae omnia indicant collationes ejusmodi non probari, quod testatur etiam *Jo. Valerius in differen. utriusque fori.*« Haec auctor supra laudatus.*)

*) Vd. *t. I. p. 170.*

*) Notandum primo, quod, qui beneficii ecclesiastici collatorem jam determinatum ad conferendum alteri digniori non vi et fraude sed tantum suasione et precibus vel etiam muneribus inducit, ut sibi vel amico minus digno conferat, quamvis peccet, non tenetur ad restitutionem, quia relinquit

Benedictus PP. XIV.

V. Fr. Archiepiscopo Florentino.

Redditae Nobis sunt literae tuae, quibuscum una ad Nos misisti disceptationem advocati Petri Brogiani, ut de iis, quae a te proponebantur, quae nostra sententia sit, diceremus.

Primum: *An patronus ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad beneficium curatum eum, qui inter approbatos ab examinatoribus magis idoneus et magis dignus est?*

Secundum: *An Episcopus, ad quem spectat dare institutionem, debeat sequi judicium patroni de magis idoneo magisque digno, an potius inquirere, rectumne sit patroni judicium, an secus?*

Tertium: *Si appellaverit, qui se digniorem esse putat et posthabitus est, an suspendi debeat institutio praesentati, an vero haec debeat suum effectum sortiri; paucis, an appellatio interposita locum habeat in devolutivo tantum an potius etiam in suspensivo?*

Ut igitur exordiamur a prima quaestione in qua quaeritur:

An patronus ecclesiasticus teneatur in foro externo praesentare ad beneficium curatum eum, qui magis idoneus magisque dignus est inter approbatos ab examinatoribus?

Respondemus: *Teneri.* Nam antiquis omnibus disputationibus omissis, cum juxta Concilii Tridentini praescriptum in beneficiis curatis coram examinatoribus synodalibus concursus haberi debeat debeantque examinatores synodales approbare eos, qui magis idonei sunt, quorum deinde unum debet patronus ecclesiasticus Episcopo praesentare, ut ei institutionem praebeat; haec agendi ratio ac methodus necessario secumfert, ut patronus ecclesiasticus teneatur praesentare eum, quem digniorem inter probatos ab examinatoribus existimat.

Verba Concilii satis per se clara sunt in *cap. XVIII. sess. 24. de reformatione:* »*Si vero jurispatronatus ecclesiastici erit* — loquitur de beneficio curato — *ac institutio ad Episcopum, non alium, pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur.*«

Quod procedit, etiamsi Episcopus patrono non intimaverit, ut digniorem praesentet, quam cautionem memorat *Abbas in cap.: Constitutis 2. de appellationibus.* Quoniam, quidquid sit de utilitate hujus cautionis ante Concilium Tridentinum, superflua certe est post idem Concilium, a quo in beneficiis curatis patronatus ecclesiastici demandatus est concursus et injunctum fuit patrono ecclesiastico, ut eum praesentet, quem inter probatos ab examinatoribus digniorem magis-

collatorem in sua libertate, neque facit injuriam alteri, etiamsi ex odio id facit, quia odium non est contra justitiam, sed contra caritatem. *Lessius lib. 2. cap. 2. dub 18. num. 128, Valentia tom. 3. disp. 5. q. 7. punct. 2, Navarrus in manuali cap. 17. n. 72, Sa* verb.: *Restitutio num. 22, Sotus de just. lib. 4. qu 6. art. 3, Turrianus in 2-2. tom. 2. disp. 16. dub. 1. num 5. et 7, Layman theol. mor. lib. 3. sect. 5. tr. 2, cap. 7. n. 1, Sylvius in 2. 2. div. Thom. qu. 62. art. 2. q. 25. concl. 2, Filliucius t. 2. tr. 32. cap. 8. n. 185.* et alii apud *Dianam p. 3. tr 5. resol. 53* et *tr. 6. resol. 34.* et *p. 11. tr. 4. resol. 36.*

Notandum secundo, quod, qui se cognoscit minus dignum, potest se offerre ad beneficium obtinendum non petendo absolute, ut sibi conferatur, sed relinquendo totum judicium electori seu collatori, ut docet *Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 41. num. 70.* Si autem in concursu minus dignus eligatur, praetermisso digniori, potest ille sine peccato mortali beneficium et cathedram acceptare. Ita *Sotus de just. lib. 3. qu. 6. art. 2. post 9. concl.* et *Turrianus tom. 2-2, disp. 22. dub. 3. num. 8,* qui *num. 4.* notat hoc procedere post electionem, nam ante electionem minus dignus, quando certo agnoscit ex proprio et aliorum judicio se esse minus dignum, omnibus consideratis, non potest petere praebendam seu beneficium curatum; petit enim rem injustam, quam electores non possunt facere absque peccato simul et damno tertiae personae. Quod juxta *Ledesmam in summa tom. 2. tr. 7. concl. 7. diffic 19* et *Sylvium in 2.2. qu. 63. art. 2. concl. 4.* intelligi debet, quando certe et manifeste alius est dignior. Nam si alterius major idoneitas sit dubia putetque minus dignus examinatores posse aliquid in illo advertere, ob quod eum judicent aeque dignum, non peccat bona fide se praesentans remque totam examinatorum judicio relinquens.

Nontandum tertio, quod examinatores non tenentur indicare digniorem, nisi Episcopus id postulet ut faciat electionem ecclesiae utiliorem. Ita *Massobrius in praxi requis. 4 dub. 3. num. 2, Venerus in exam. Episc. lib 4. cap. 25 num. 21, Lotterius de re benefic. tom. 1. lib. 2. qu. 31. num. 98, Vivianus in praxi juris, part. 2. lib. 10. cap. 1 num. 45* et *Garcias de benef. tom. 2. part. 9 num. 108 et sequ.* Certe Congregatio Concilii apud *Marzillam lib. 1. tit. 2. cap. 19.* censuit non pertinere ad examinatores sed ad solum Episcopum judicare, quis ex concurrentibus ad parochialem sit magis idoneus, et in Conc. Trid. *sess. 24. cap. 18.* tantum habetur, ut examinatores peracto examine renuncient Episcopo quoscumque ab his idonei judicati fuerint.

que idoneum censebit; quod valet amplius quacumque admonitione seu interpellatione, quam Episcopus patrono ecclesiastico faciat.

Expediti a prima quaestione ad alteram transibimus, in qua quaeritur:

An Episcopus,) ad quem pertinet instituere, sequi debeat judicium patroni circa magis idoneum magisque dignum an potius inquirere, judicium ejusdem patroni rectumne sit, annon?*

Quod ad hanc quaestionem attinet censemus: *Necesse esse unum ab altero casum distinguere.*

Nam aut inter probatos ab examinatoribus nemo est, qui de patroni judicio quaeratur, a quo, puta Titius magis idoneus magisque dignus aestimatus est, isque Episcopo praesentatus et tum Episcopus sequi debet judicium patroni, neutiquam vero in ejus judicium inquirere. Nam a sacro Concilio non praescribitur, ut digniorem instituat, sed quem patronus inter approbatos ab examinatoribus digniorem judicaverit: *Quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit*, ut bene animadvertit *Fagnanus* in suis manuscriptis, quae apud Nos extant super *cap. xviij. sess. 24. de reformatione.* Et *non potest Episcopus opponere, quod patronus ecclesiasticus non vere digniorem, sed quem ipse patronus digniorem arbitratur, elegerit et Episcopo praesentaverit, quia Concilium voluit absolute institui illum, quem patronus tanquam digniorem elegerit.*

Et in hujusmodi facti specie locum habet rescriptum Congregationis Concilii ann. 1573 ut videre est lib. 1. decretorum pag. 167; verba autem haec sunt: *Sacra etc. censuit, si parochia sit jurispatronatus ecclesiastici et institutio ad Episcopum pertineat, facultatem judicandi digniorem inter idoneos probatos ab examinatoribus spectare àd patronum ecclesiasticum, Episcopum teneri instituere eum, quem dictus patronus judicaverit digniorem et ipsi Episcopo praesentavit.*

Aut inter ab examinatoribus idoneos probatos aliquis est, qui judicio pàtroni minime acquiescens coram Episcopo, cujus est dare institutionem, quaeritur, se posthabitum fuisse, licet magis dignus et idoneus altero sit, quem patronus tanquam digniorem et magis idoneum Episcopo praesentavit et *hoc secundo casu* cum *Episcopus* judicis personam sumere cogatur, *sequi non debet patroni judicium circa magis idoneum magisque dignum*, sed priusquam institutionem concedat in patroni judicium inquirere, ut inter alios recte considerant *Garzia dè benefic. par. 9. cap. 2. num. 265. sequ.* praecipue *num. 268. seq., Ventriglia in prax. rer. eccles. tom. 2. adnot. 5. §. 2. num. 5. 6.*

Non obstat, si quis assereret etiam hoc secundo casu clausis oculis sequendum esse patroni judicium de magis idoneo magisque digno, perinde ac si id consentaneum sit verbis Concilii superius laudatis: *Quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit;* nam praetermissis, quae a doctoribus dicuntur, nempe ea verba intelligenda esse de justo, vero proboque judicio, ut videre licet apud *Massobrium in praxi habendi concursum requis. 5. dub. I. num. 43. 44*, Concilium agens de beneficio curato patronatus ecclesiastici inquit: *quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit.* Non multo autem superius loquens eodem loco de beneficio curato *liberae collationis* Ordinarii his verbis utitur: *Episcopus inter eòs, qui probati sunt tanquam idonei ab examinatoribus synodalibus, eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.* At vero si quis ab examinatoribus probatus tamquam idoneus contra judicium, quod secundum alterum tulit Episcopus eum praeeligendo, institerit, auditur et ab appellationis judice expenditur, Episcopi judicium rectumne probumque sit, an pravum atque injustum, ut quotidie re ipsa contingit et definitum legitur a san. mem. Pio V. Praedecessore Nostro in sua constitut. XXXIII. *In conferendis.* Multo magis, quaeviscumque sint Concilii verba, si quis inter probatos ab examinatoribus actionem moveat contra judicium a patrono latum, aequum justumque erit, ut audiatur et munus erit Episcopi, ad quem instituere in beneficio pertinet, diligenter inquirere, patroni judicium utrum valeat necne regulis justitiae an secus innitatur.

Superest tertia quaestio, in qua ut superius diximus quaeritur:

Si is, qui se digniorem existimat et posthabitus est, appellaverit, an suspendi debeat

*) Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.* (judicium Episcopi etc.)

institutio praesentati, an potius eam exequi oporteat, paucis, si appellatio) interposita locum habeat in devolutivo dumtaxat, an etiam in sùspensivo?*

Et hic etiam opus esse videtur unum casum ab altero distinguere. Nam aut judicium Episcopi convenit cum illo patroni ecclesiastici, adeo ut is, qui praesentatus est a patrono ecclesiastico tanquam magis idoneus et dignus, talis etiam ab Episcopo judicetur et isti institutio ab Episcopo concedatur, si posthabitus a patrono et ab Episcopo appellet, ejus appellatio in devolutivo tantum locum habebit et illi, qui institutus est ab Episcopo, parochiae possessionem minime retardabit.

Et quidem si agatur de ecclesia parochiali *liberae collationis* Episcopi et ab Episcopo uni ex approbatis ab examinatoribus synodalibus tanquam digniori et magis idoneo institutio detur, is, qui inter probatos ab eisdem examinatoribus se injuste poshabitum ab Episcopo contendit sibique et non alteri debitam esse institutionem, appellans obtinere nequit, ut sua appellatio suspensiva sit, quae non alia ratione admittitur nisi in devolutivo juxta paragraphum octavum laudatae constitutionis: *In conferendis* san. mem. Pii V., multo magis cum agitur de ecclesia parochiali jurispatronatus ecclesiastici et in digniori magisque idoneo judicando patronus et Episcopus consentiunt; qui inter probatos ab examinatoribus synodalibus contendit, a patrono et ab Episcopo injuriam sibi illatam esse, si appellationem interponat, ejus appellatio non in suspensivo sed dumtaxat in devolutivo admittetur. Nam primo casu appellanti judicium solius Episcopi, secundo autem casu praeter Episcopi judicium etiam patroni ei adversatur.

Aut enim, ut alteram distinctionis partem prosequamur, in ferendo judicio de magis digno magisque idoneo sententiae Episcopi et patroni ecclesiastici minime concordant et tum, si quis ex approbatis ab examinatoribus et tanquam magis dignus praeelectus est a patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo neque ejus judicio acquiescere vult et ideo provocet, ejus appellatio ad suspensionis effectum operari debet et ecclesia parochialis sub oeconomo remanere, donec lis inter eum, qui dignior habitus est a patrono, et alterum, qui ab Episcoo et ideo ut dignior in parochiali ecclesia institutus est, finiatur. Nam hoc casu considerari debet praeelecto ab Episcopo refragari judicium patroni, nempe ejus, cui praecipue concilium electionem inter idoneos elargitum est; cujus judicio, si nemo sit, qui adversetur, standum esse voluit, ut paulo ante adnotavimus; ejus demum, ad quem in paritate meritorum pertinet, uni vel alteri gratificari, ut apud *Gratian. loc. laudat. num. 264.* apud *Ventrigl. loco pariter cit. num. 5.*

Quae cum ita se habeant, nimis durum esset, si quis in secundo judicio, quod fert Episcopus, propterea appellationem interponeret; deinde ejus appellatio non operaretur nisi in devolutivo et non etiam in suspensivo, cum regula in jure certa sit, cum aliquis in primo judicio victor in altero succumbit, si a secundi judicis sententia appellet, ejus appellationem non solum iu devolutivo sed etiam in suspensivo valere.

Si opponeretur in hujusmodi causis omne appellandi jus sublatum esse a Concilio Tridentino *cit. cap. 18. vers: In omnibusque sess. 24. de reformatione*, scire oportet, Concilium ibi loqui de eo, qui a relatione examinatorum synodalium provocat, a quibus idoneus probatus non est, cum se talem esse existimet, quod nihil pertinet ad speciem facti a Nobis propositam, in qua agitur de appellante ab irrationabili judicio Episcopi, cujus generis appellatio ignota fuit sacro Concilio, sed usu introducta est a san. mem. Pii V. in laudata constitutione, ut bene etiam considerat *Fagnanus* in suis mss. superius citatis. Insuper et illud opus est intelligere, si quis contenderet argumentari posse a casu appellantis a mala relatione examinatorum ad casum appellantis ab irrationabili judicio Episcopi, ejus argumentatio longius procederet quam vellet, cum nec ipse velit provocantem ab irrationabili judicio Episcopi non audiri saltem in devolutivo et doctores doceant a mala relatione examinatorum appellationem aut neque in devolutivo admitti aut certe ad eum dumtaxat finem, ut famae atque existimationi suae appellans consulere possit, amovendo notam ab examinatoribus sibi inustam, nunquam vero, ut ecclesiam parochialem consequi possit, ut ad propositum nostrum bene disserit *Masobrius in praxi habendi concursum requis. 5. dub. 4*, *Ventrigl. in praxi*

*) *t. I. p. 594. 607.*

rerum ecclesiasticarum par. 2. annotat. 5. §. 2. num. 48.

Haec quidem sunt, quae oportuna esse duximus exponere, ut responderemus iis, quae a te quaerebantur ea hebdomada, quae Nobis omnium totius anni laboriosissima est, nempe hebdomada sancta; te autem interea benevolo animo in caritate Dei complectentes tibi tuisque omnibus in Florentina dioecesi commorantibus apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 9. Aprilis 11746. (Bull. Bened. XIV. t. II. p. 24. Romae 1749.)

q) Dignior et magis idoneus quis reputatur?

Vd. *Supra p. 405 notam: Seu quem. Concursus pro collatione ecclesiar. paroch.*; *Ferraris.*

Juvat adducere praecipuas considerabiles qualitates, propter quas potest aliquis, caeteris paribus. censeri dignior, ut alteri praeferatur in collatione beneficii.

I. Qui est de gremio ecclesiae praefertur alteri, qui non sit de eodem gremio; et indigena seu oriundus alienigenae et forensi; *cap.: Nullus 13. dist. 61,* ibi: »Tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis*) ipsius clero nullus (quod evenire non credimus) dignus poterit reperiri«; *cap.: Obitum 16. eadem dist. 61,* ibi: »Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de alia eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis nullus dignus (quod evenire non credimus) poterit inveniri«; *cap.: Hortamur 8. dist. 71*, ibi: »Hortamur christianitatem vestram juxta sanctorum canonum instituta, ut in ecclesiis a vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur«; *cap.: Ne pro defectu 41. de elect.*, ibi: »De persona idonea ipsius quidem ecclesiae vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice ordinare;« *cap.: Bonae memoriae 4. de postulatione praelat.*, ibi: »Nec vellemus ei praeficere alienum.« Et regul. cancellariae 17.**) de concurrentibus in data, ibi: »Et similiter caeteris paribus oriundus non oriundo et dioecesanus non dioecesano praeferantur« et *Rota p. 3. decis. 61. num. 1 part. 4. tom. 2. decis. 336. n. 2. part. 12. decis. 160. num. 6. part. 17. decis. 293. num. 18* et s. *Thomas 2.2. q. 63. art. 2. ad 4. in fine*, ubi ad hoc propositum adducit illud *Deuteronomii 17: Non poteris alterius gentis hominem facere regem, qui non sit frater tuus;* praesumitur enim indigenam et patricium propriam civitatem et ecclesiam magis diligere et a populo plus amari, ut dicit *s. Thomas loc. cit.* his verbis: »Ille qui de gremio ecclesiae assumitur, ut in pluribus consuevit esse utilior, quantum ad bonum commune, quia magis diligit ecclesiam, in qua est nutritus.«

II. Praefertur ille, de cujus bonis fundata est ecclesia; *cap.: Hortamur 8. dist. 71*, ibi: »Hortamur christianitatem vestram juxta sanctorum canonum instituta, ut in ecclesiis a vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur« et glossa in *cap.: Neminem 1. dist. 70.* verb. *Sive possessionis*, ibi: »Quia potius sunt illi clerici instituendi, de quorum bonis fundata est ecclesia;« arg. *cap.: Cum adeo 17. de rescriptis* et *cap. Cum in officiis 7. de testamentis; Rota part. 3. decis. 223. num. 13.*

III. Inserviens ecclesiae et benemeritus ejusdem praefertur non inservienti; *Rota part. 10. decis. 171. num. 5 et 6. part. 17. decis. 252. num. 14;* servitium enim ecclesiae valde attenditur: *Rota part. 18. tom. 2. decis. 584. num. 3.* Eo vel maxime, quia debet talis persona quaeri, quae possit residere in loco et curam ecclesiae per seipsam valeat exercere; *cap.: Quia nonnulli 3.* et *cap. Relatum 4. de clericis non residentibus;* sicuti praesumitur de benemeritis ecclesiae et ei solitis inservire. Immo si statutum ecclesiae mandet, ut ejus beneficia debeantur eidem inservientibus, tunc collatio praedictis debetur; *Rota part. 4. tom. 2. decis. 337. num. 1.*

IV. Doctor seu graduatus praefertur non doctori et non graduato; *Rota part. 3. decisione 61. numero 3. part. 10. decisione 171. numero 15. part. 12. decisione 62. numero 9*, *Regul. cancellariae 17. de concurrentibus in data*, ibi: »Alias graduati non graduatis aut inter graduatos magis graduati ac inter aequaliter graduatos prius graduati in beneficiorum assecutione praeferantur.» Nisi gradus doctoratus fuerit assecutus lite pendente; *Rota part. 10. decisione 171. numero 19.* Nota tamen gradum in theologia non facere quem esse praeferendum sacerdoti, *Rota ibi*

*) Vd. ***Beneficium*** (collatio civibus p. *401. m.*)

) Vd. ***Beneficium* (reservat. SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

num. 18. Quinimo gradus baccalaureatus obtentus ab habentibus facultatem conferendi, si studiis laureatus non incubuerit, non juvat ad praelationem; *Rota part. 11. decis. 240. num. 4.*

V. Approbatus ad curam animarum praefertur non approbato, *Rota part. 11. decis. 232. num. 11. part. 22. dec. 62. num. 8.* Exercitium enim curae animarum et administrationis Sacramentorum valde attenditur ad effectum praelationis; *Rota part. 11. dec. 225. num. 2. dec. 295. num. 7* et praecipue in beneficiis curatis; *Rota part. 12. dec. 160. num. 7.*

VI. Confessarius approbatus ad audiendas confessiones praefertur non approbato neque habenti facultatem illas audiendi; *Rota part 11. dec. 295. num. 6. part. 12. dec. 62. num. 6.*

VII. Non beneficiatus praefertur beneficiato; *Rota part. 3. decis. 62. num. 4. part. 11. dec. 210. n. 22. et dec. 295. num. 8. part. 12. dec. 160. n. 3. et dec. 177. n. 2 et dec. 301. num. 9. part. 17. dec. 393. num. 19; Regul. cancellariae 17. de concurrentibus in data*, ibi: »Non beneficiati beneficiatis in beneficiorum assecutione praeferantur.« Praesertim ubi non beneficiatus sit pauper in concursu beneficiati; *Rota part. 10. dec. 356 num. 3.* Fortius vero si beneficia plura et magni valoris possideat, *Rota part. 12. decis. 120. num. 5 et 9.* Pauper enim praefertur in concursu divitis; *Rota part. 12. decis. 160. num. 2. dec. 177. n. 3. part. 17. dec. 393. num. 19. part. 18. tom. 2. decis. 584. n. 2. juxta text. in cap.: Is cui 19. de praebend. in 6. not. gloss. in cap.: Dudum 14. de election.* verb.: *Intitulatam.*

VIII. Senior praefertur juniori; *Rota part. 3. dec. 61. num. 1. part. 10. dec. 171. n. 4. part. 11. dec. 225. num. 2 et dec. 232. num. 10. part. 12. dec. 160. n. 4.* Major enim aetas majorem arguit prudentiam, experientiam et maturitatem; *Rota part. 12. dec. 62. num. 3,* et ideo in beneficiis obtinet praelationem; *Rota part. 11. dec. 294. num. 3* et *dec. 296. sub n. 4.*

IX. Praesens in curia praefertur absenti; *regula cancellariae 17. de concurrentibus in data*, ibi: »Ac inter personas alias in curia praesentes absentibus ab ea in beneficiorum assecutione praeferantur;« *Rota p. 3. dec. 219. num. 5. part. 18. dec. 238. n. 9. par. 17. dec. 252. num. 17. et dec. 393. num. 20. par. 18. tom. 2. decis. 461. num. 2 et seq.*

X. Nobilis praefertur minus nobili, *Rota par. 3. dec. 61. num. 7. et dec. 219. num. 5. par. 18. tom. 2. dec. 461. num. 2 et seq. et dec. 584. num. 2.*

XI. Sacerdos praefertur non sacerdoti;*) *Rota part. 3. decis. 61. num. 4. part. 12. dec. 62. num. 4 et dec. 160. num. 4.* Etiamsi beneficium non sit sacerdotale; *Rota part. 12. dec. 62. num. 5 et dec. 240. num. 5.* Sacerdos etiam repertus habilis semper praefertur simplici clerico; *Rota part. 16. dec. 203. num. 5.* Quandoque tamen praefertur clericus etiam factus immediate ante examen, si caeteris doctior et habilior ab examinatoribus reputetur, quando constitutio synodalis disponit, ut beneficium habere debeat, qui alios scientia praecellit, *Rota p. 19. tom. 1. dec. 115. num. 11.*

XII. Sacerdos antiquior praefertur sacerdoti juniori, *Rota part. 11. dec. 225. num. 1. et decis. 269. sub num. 4. par. 11. dec. 62. num. 6,* nisi agatur de beneficio, in quo solum requiritur, quod quis sit presbyter et idoneus, *Rota part. 2. dec. 481. n. 1.***)

Si fuerit dictum, ut in jurepatronatus semper magis conjunctus et magis idoneus praeferatur, is est praeferendus, qui praerogativa senii, virtutum et sacerdotii alterum vincit. Major idoneitas utrum attendenda sit respectu personae, an respectu beneficii? Qualitas originis aut domicilii aut paupertatis an attendatur ad effectum praelationis? Adi *Rotam in Romana Beneficii 26. Junii 1744. cor. bo. mem. Peralta impress. Romae 1783. to. 2. apud Barbiellini.*

r) Dioecesanis.

Vd. *supra n. I. p. 411.*

Anagnina.

Qui est ex loco et dioecesi beneficii (inquit *Vivianus prax. jurispatr. part. 2. lib. 6. cap. 11*) debet, si est idoneus, aliis extraneis praeferri; sicut etiam alteri praeferendus est ille, qui est de gremio ecclesiae, quia valde honestum et fructuosum est, ut quilibet in patria sua beneficietur, et quia facilius inducuntur ad residentiam dulcedine patriae allecti et in concursu parochiarum

*) Vd. *p. 236 n. 31. a; p. 314.*

**) Vd. *Ibid.* et *p. 185. n. 27.*

praeferendi sunt clerici ipsius civitatis aliis exteris, dummodo extranei non praecellant in maxima renitentia.

(Pyrr. Corrad. prax. benef. lib. IV. cap. 6. n. 54.)

Die 23. Aug. 1834.

s) Ab Episcopis.

Vd. *Beneficium* (probatio, provisio; reservatum SS. Pontifici juxta regulas cancell. — regula IX. —) *Ferraris.*

I. Consanguineis et familiaribus.

Vd. *p. 404. n.; p. 397. d.*

Pisana.

S. Pius V. sua constitutione, cujus initium: *Quanta*, quaeque extat in bullario sub num. 50, prohibuit Episcopis, ut beneficia in eorum manibus *resignata* suis consanguineis aut familiaribus conferrent. Nam facile contingere poterat, ut nimia affectio vel ex sanguine vel ex familiaritate causam daret fraudibus in hujusmodi resignationibus, quae pararent viam minus rectae beneficiorum collationi.

Quod vero s. Pius V. prohibuerit Episcopis beneficia in eorum manibus resignata consanguineis et familiaribus conferre, hoc ex peculiari constitutione procedit, ac proinde semper eo redit difficultas, ut necessaria sit expressa legis prohibitio. Quinimo ex hac ipsa constitutione, quae de praeciso tantum *casu resignationis* loquitur et quae non extenditur ad alios casus, duo sequi videntur, nimirum, quod consanguineitas et familiaritas per se spectata non officiunt exercitio juris conferendi beneficia et quod nequeant ad diversos casus trahi, quae in peculiari tantum casu sunt constituta. Ita docte respondit sa. me. *Benedictus XIV. in synodo dioeces. lib. 13. cap. 24. §. 6:* »*Quoties igitur paroecia per resignationem vacaverit, si eandem suo vel resignantis consanguineo aut familiari Episcopus conferat, aperte peccat in literam Pianae constit. prohibentis ne beneficia in Episcoporum manibus resignata personis supradictis conferantur; at si iisdem conferat paroeciam, quia per obitum vacaverit, nullatenus Pianam bullam laedit, quippe quae nonnisi de vacationibus per resignationem loquitur. Etenim in vacationibus per resignationem facile irrepere possunt eae fraudes dolosique circuitus, qui nullo modo aut saltem difficilius in vacationibus per obitum occurrere possunt. Itaque patet primo quam prudenter constitutum fuerit discrimen inter unum et alterum vacationum modum: deinde quomodo gerere se debeant Episcopi, cum hujusmodi casus contigerint, absque eo quod Congregationem de illis consulant: denique cui regulae tuto adhaereat eadem Congregatio in responsionibus dandis ad ejusmodi postulata, si quae forte proponi contingant.* Tandem resolutiones hujus sac. Congregationis *in Mediolanen Januarii 1587* et in *Pharen. Residentiae 28. Aprilis 1674.* respiciunt casum, de quo s. Tridentina synodus disposuerat, cum in *sess. 25. cap. 6. de reform.* Episcopis jus tribuit convocandi capitulum illiusque votum exquirendi, dummodo non agatur »*de re ad suum vel suorum commodum spectanda.*«

Die 19. Sept. 1818.

II. Jure devolutivo.

Vd. *Devolutio; Beneficium* (collat. ab Episcop. — jus non est, decr.: *Hortana p. 415.); p. 140.* §: *Quoad primam.*

Lucius PP. III. Episcopo Pictaviensi.

Fraternitati tuae praesentibus literis indulgemus, ut promissionibus irritatis, si occasione dissentionum, quae exinde frequenter emergunt, culpa illorum, qui praesentationem habere noscuntur, ultra sex menses ecclesias vacare contigerit, liceat tibi de auctoritate apostolicae Sedis, omni contradictione vel appellatione cessante, de personis idoneis sine praejudicio tamen eorumdem imposterum ordinare.

Die 13. Mart. 1182.

(Bull. r. t. III. p. 19. Ed. Aug. Taur. 1858.)

III. Jus est.

Vd. *Beneficium* (collatio a capitulo p. 400; collatio — jus triplex. —)

Inter ordinarios beneficiorum collatores summo Pontifice ejusque Legato inferiores primus est Episcopus, cujus nomine veniunt Archiepiscopi, Primates, Patriarchae aliique praelati exempti speciale territorium et jurisdictionem quasi episcopalem habentes vel

ad hoc speciali privilegio gaudentes;*) *cap.: Regenda 4. caus. 10. q. 1, cap.: Omnes Basilicae 10* et *cap.: Nullus omnino 11. caus. 46. q. 7, cap.: Accedens. 14.* et *cap.: Postulastis 15. de concession. praebend., cap.: In ecclesiis 1. de capellis monachor., cap.: Cum ex injuncto 12. de haereticis. §. final., cap.: Cum et plantare 3. de privilegiis.* Episcopus in propria dioecesi confert etiam beneficia ibi fundata ab Episcopo alterius dioecesis, *cap.: Si quis Episcoporum 1. caus. 16. q. 3*, ibi: »Omnis ecclesiae ipsius gubernatio ad eum Episcopum, in cujus civitatis territorio ecclesia surrexit, pertinebit.« Episcopo autem aedificatori competit solum juspatronatus respectu ecclesiae a se aedificatae, nempe facultas praesentandi idoneum clericum ad ipsam, sicut competit unicuique patrono privato, *Abbas in cap.: Cum ecclesia Vulterana 31. de election. n. 8.* Episcopus enim loci de jure communi habet fundatam intentionem ac juris assistentiam super collatione omnium beneficiorum suae dioecesis, ut patet per allegata jura et per *Rotam part. 2. dec. 16. n. 1. et dec. 608. n. 1. part. 1. de praebendis in 6*, ubi potestas recipiendi resignationes beneficiorum et ista conferendi *p. 6. decis. 43. n. 1. part. 7. decis. 247. num. 1. et seq. part. 8. dec. 15. num. 1. par. 11. dec. 128. num. 3. part. 12. dec. 300. n. 33. p. 13. dec. 70. n. 5. par. 18. t. 2. dec. 476. num. 1. p. 19. tom. 1. dec. 60. num. 5.* Episcopus potest culibet facere collationem de beneficio permutato, quando ad eum spectat collatio ejusdem beneficii; *Rota p. 9. tom. 1. dec. 230. n. 15.* Potest conferre beneficia vacantia mensibus reservatis de tempore vacantis Sedis apostolicae; Sede enim apostolica vacante omnes menses sunt Ordinariorum, nisi aliam reservationem habeant, *cap.: Si apostolica 35. de praebend. in 6, Rota p. 19. tom. 1. dec. 121. n. 11.* Episcopus potest conferre etiam beneficia vacantia in curia, si Papa ipsa non conferat infra mensem a die vacationis, textu expresso in *cap.: Statutum 3. de praebend. in 6.*

Jure demum *ordinario* conferunt Episcopi beneficia omnia suarum dioecesium, *can.: Omnes Basilicae 10. caus. 18. qu. 7*, cui consonant *can.: Obitum dist. 61, can.: Decretum cum sequent. 10. qu. 1* et *cap.: Ex frequent. 3. de instit.* Idque procedit etiam quoad ea beneficia, quae existunt in districtu praelati inferioris non habentis territorium separatum. Vide *Rotam in Legionen. Beneficii 11. Januarii 1743. coram de Thunn.* Notandum vero est, quod de jure canonicatus et dignitates ecclesiae cathedralis Episcopus tamquam caput illius simul cum capitulo conferre tenetur; *cap.: Pastoralis* et *cap.: Ea noscitur de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu capit.*

IV. Jus non est.

Vd. *p. 415: Hortana.*

Episcopi conferre non possunt

1) Beneficia ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, quae spectato jure communi sunt electiva sicque non per collationem aut aliam provisionem Episcoporum, sed dumtaxat per canonicam electionem obtineri possunt, ut *cap.: Nullus 1* et *cap.: Quia propter 42. de elect.* Idem dicendum est de abbatiis juxta *cap.: Ne pro defectu 31. de elect.* et *cap.: Congregato 2. caus. 16. quaest. 7.*

2) Non possunt conferre beneficia jurispatronatus sine consensu patroni; *cap.: Ex insinuatione 14. de jurepatronatus, cap.: Nobis 25. eodem tit.* et *cap.: Decernimus 32. caus. 16. quaest 7*, ubi sic praecise habetur: »Quod si spretis eisdem fundatoribus rectores ibidem praesumpserit Episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam noverit esse et ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatcres condignos elegerint, ordinari.«

3) Durante lite inter Episcopos et patronos non possunt Episcopi conferre beneficium, sed debent instituere oeconomum, ut legitur et notatur in *cap.: Cum vos 4. de offic. Ordinar.* et tenet *Hostiens. in cap.: Quoniam 3. de jurepatronatus num. 7, Abbas ibid. num. 7, Fagnan. ibid. num. 18, Barbosa de offic. et potest. Episcop. p. 3. allegat. 72. num. 141.* cum *Rota dec. 411. num. 3. p. 1. divers.*

4) Non possunt Episcopi conferre beneficia lite pendente inter patronum et praesentatum vel inter ipsos praesentatos; *cap.: Si hi contra quos 2. ut lite pendente in 6, Rota p. 3. dec. 162. n. 1. p. 1. t. 2. dec. 496. n. 21.* Textus enim in *c.: Quoniam 3. de jurepatronatus* concedens Ordinario jus conferendi beneficia tempore litis loquitur tantum de casu, quo lis est inter ipsos patronos, adeoque tamquam exorbitans et odiosus non est extendendus ad litem inter

*) Vd. *t. I. p. 41. c.; p. 65. n. 47.*

ipsos praesentatos vel inter patronum et praesentatum, ut tenuit *Rota apud Farin. dec. 186. n. 7.* in collect. novissim., *Barbosa loc. cit., Fagnan. cit. n. 19, Abbas loc. cit. n. 7.*

5) Non possunt Episcopi beneficium conferre collitiganti, etsi alter dimiserit, cum adhuc lis non dicatur terminata; *Rota in Hispalensi Beneficii de Zeres 20. Februarii 1604. coram Litta* et *par. 13. recent. dec. 170. n. 8.*

6) Non possunt Episcopi conferre beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis; *Rota par. 8. recent. dec. 252, n. 17. (Vd. p. 398. e.)*

7) Non possunt Episcopi beneficia conferre, quando collatio beneficiorum est devoluta per lapsum sex mensium, quia tunc amplius non possunt ipsi conferre, etiamsi a Papa beneficia nondum sint collata; *Rota par. 3. recent. dec. 309. num. 4.*

8) Non possunt Episcopi beneficia conferre, quae sunt reservata Sedi apostolicae; et si conferant collatio est nulla; *Rota par. 7. recent. dec. 236. n. 13.*

9) Episcopi non possunt soli conferre beneficia, quae sunt simultaneae collationis cum capitulo; *Rota p. 4. t. 1. decis. 366. n. 2.* Adeoque si Episcopi tantum provideant, provisio erit nulla; *Rota part. 5. tom. 2. decis. 585. num. 41. p. 11. dec. 74. n. 2.*

Hortana.

Defuncto die 26. *Aprilis anni* 1813 sacerdote Lanno Pizzinelli vacavit beneficium sive capellania *del Crocefisso*, quae ad patronatum communitatis *Basanelli* pertinet. Coactis, juxta illius temporis instituta, consiliariis municipalibus et praesidente (Mayre vocabant) actum est de novo eligendo capellano inter plures, qui ad vacantem optabant capellaniam. Duo prae caeteris ex concurrentibus primas obtinere, scilicet *Franciscus Mariani et Joannes Petrucci.* Suffragantibus enim novem consiliariis (praesidens enim se a ferendo suffragio abstinuit) sex suffragiorum paritate, cum nemo electus esset, municipale consilium statuit: *avendo udito il Consiglio municipale, che il signor D. Francesco Mariani e D. Giovanni Petrucci hanno avuto una parità di voti, essendo tutti gli altri esclusi, lasciano in libertà del signor Mayre il decidere col suo voto preponderante.* Die vero 20. Augusti ejusdem anni idem *Mayre* votum suum dedit presbytero Francisco Mariani, qui tamen numquam institit, ut institutionem capellaniae obtineret, eam interserens causam, quod impertienda erat approbatio *dal ministro de' culti*, id quod s. canonibus nefas habebatur.

Egit itaque presbyter Petrucci apud Episcopum, qui censuit eum oeconomum beneficii deputare suspensa interim institutione et possessione beneficii. Reclamavit tum sacerdos Mariani, qui *die 23. Julii 1813* hoc habuit ab Episcopo responsum: *Troppo tardi ha fatto. Ella a me ricorso per il beneficio vacante di juspatronato di codesta commune, poichè tal affare si trova in stato di non potere piú io interloquire. Fú dedotto al prefetto di Roma, e da questi al prefetto di Viterbo, il quale ha approvato la nomina della municipalità, e l' ha dedotta a mia notizia con dare la prelazione a favore del sacerdote Giovanni Petrucci dichiarando valido il processo verbale, non ostante che fra i municipalisti vi sian degli attinenti ai concorrenti, poichè ciò non può esser d'ostacolo alla nomina de' benefici. Ma siccome non si può dare il possesso al nuovo beneficiato secondo le Leggi vigenti senza il decreto imperiale, che l'autorizzi; così resta ció sospeso sino alla risposta del ministro de' culti, cui già sono stati diretti tali atti, ed io non ho potuto farci altro, che deputare interinamente l'amministratore per le rendite di tal beneficio, e perfin che verrà il decreto imperiale in persona dello stesso Petrucci a tenore dei suggerimenti del medesimo sottoprefetto di Viterbo.«*

Nihilominus die 26. Januarii 1814 datis bullis Episcopus contulit beneficium ex jure devoluto presbytero Petrucci, qui die 22. sequentis Januarii possessionem beneficii consequutus est. Post reintegratum pontificium regimen publici repraesentantes terrae Bassanelli ab iis, quae gesta fuere, reclamarunt ad hanc s. Congregationem. Rogatus Episcopus de sua sententia post ea narrata, quae hactenus exposita sunt, addit: *Haud video, qua ratione provisio haec in controversiam revocari valeat. Verum juxta mandatá EE. VV. fuit a me jam praefixus terminus unius mensis publicis repraesentantibus ac eidem sacerdoti Petrucci ad deducendum sua jura in s. Congregatione. Nec ad ea, quae in*

hac facti specie a me gesta sunt, male objiciuntur, nullum dare responsum existimo, res enim per se ipsa loquitur.«

Causa in vadimonio fuit inter communitatem et homines Bassanelli, qui impressam distribuent *allegationem*, et presbyterum Petrucci, qui, cum expensis sit impar, sua jura mihi in scriptis deduxit, ut ea vobis EE. PP. exponerem.

Tria proponuntur dubia, in quorum I. quaeritur: *Utrum sustineatur provisio Episcopi, qui jure devoluto capellaniam sacerdoti Petrucci contulit?*

Sane in *cap.: Quoniam 3.* et *cap.: Cum propter 27. de jurepatronat.* et *cap.: Si laicus de jurepatronat. in 6.* datur patronis laicis quatuor mensium spatium ad praesentandum, quo pendente jus collationis Episcopo minime devolvitur. Redit itaque quaestio ad factum praesentationis, cum certum sit Episcopum nonnisi post novem menses beneficium contulisse.

Communitas Bassanelli contendit, vacato beneficio die 26. Aprilis anni 1813 statim a consiliariis municipalibus factam fuisse electionem. At, cum Marianus et Petruccius paria obtinuerint suffragia, datum fuisse presidenti sive *Mayre*, ut rem suffragio suo absolveret. Cum autem hic die 20. Augusti 1813 intra quadrimestre terminum praeelegisset Marianum, ita communitas concludit praesentationem intra legitimum tempus factam fuisse, ex qua omne jus devolutum Episcopo sublatum sit. Neque si ex laicis legibus necessaria erat approbatio *del ministro del culto*, quae numquam advenit, idcirco nominatio perinde habenda sit, ac si facta non fuisset. Nam haec mora non evenit culpa communitatis ac proinde hoc impedimentum officere non poterat ejusdem juribus; immo, cum notum esset Episcopo hujusmodi impedimentum, efficiebat, ut quadrimestre non curreret.

Sacerdos vero Petrucci negat ullam praesentationem Episcopo factam fuisse. Quamquam enim electio facta fuisset, id quidem satis non est, ut jus devolutum Episcopo auferatur, nisi praesentatio fiat. Nullimode vero constat vel *Mayre* notificasse Episcopo, se suffragium dedisse Mariano, vel hunc apud Episcopum egisse, ut institutionem obtineret. Nam reclamavit ad Episcopum ante diem 23. Julii 1813, cum nondum illius praesidis suffragium Mariano accesserat. Quare, cum non liqueat, notam saltem fuisse Episcopo electionem Mariani, poterat sane in suffragiorum paritate uno potius ex electis quam alteri gratificari. Atque causam habuit Episcopus, cur Petruccium praeferret, cum hic bonis moribus sit et paupertate laboret.

Quatenus EE. VV. censeant servandam non esse Episcopi nominationem deliberandum erit in

II. dubio: *Num danda sit institutio sacerdoti Mariani?*

Tota controversia pendet ab eo, num rite facta sit electio ejusdem Mariani, qui, licet in consilio municipali paria ac Patruccius suffragia habuerit, attamen ei ex intervallo praesidens suffragatus est. Videant EE. PP., num potuerit praesidens votum post electionis actum dare, cum caeteri consiliarii hanc ei dedissent facultatem. Videant rursus, num ad sustinendam nominationem presbyteri Mariani conferat id, quod ipse a vetito juramento abhorruerit et idcirco institutionem non obtinuerit, propterea quod approbationem *dal ministro del culto* impetrare nefas duxit.

Quodsi neque provisionem Episcopi nequen ominationem presbyteri Mariani servandam esse censeant EF. PP., tum in

III. dubio quaeritur: *Num sit locus novae nominationi?*

Pendet haec controversia a praecedentibus. Etenim si jus Episcopo devolutum non sit, neque exequenda sit nominatio Mariani, videtur sane esse locum novae nominationi, cum ex interpositis impedimentis, licet quadrimestre terminum lapsum sit, integrum tamen communitati jus nominandi servetur ad tradita per *Vivian. de jurepatronat. part. 2. lib. 5. cap. 1. n. 37*, *Rota in recen. decis. 180. n. 12. part. 16* et in *Ariminen. Capellaniae 27. Januarii 1755. §. 10. cor. Amadeo.*

Tria proponuntur dubia:

I. *An sustineatur provisio Ordinarii in casu?*

Et quatenus *negative*,

II. An sit danda institutio sacerdoti Mariani in casu?

Et quatenus *negative*,

III. An sit locus novae nominationi in casu?

S. C. resp.

Ad I. Negative.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative.

Die 19. Aug. 1815.

V. Inauditis patronis et tempore de jure non elapso.

Lunen-Sarzanen.

Quod in parochiali ecclesia ss. Stefani et Margaritae terrae Arcolae erectum est beneficium pertinet ad patronatum plurium personarum, quae nunc ad viginti numerantur. In vacatione hujus beneficii, quae contigit ante postremam vacationem gravis exarsit inter turbam patronorum controversia, quaenam patronorum pars majori quantitate vocum polleret. Quae controversia diu exagitata implexa adeo visa est arbitris deputatis, ut isti censuerint ex duobus nominatis alteri beneficium dare, alteri pensionem scilicet sacerdoti Ruggia, cui etiam in sententia arbitramentali facultas reservata est petendi a s. Pontifice *subrogationem gratiosam* in jura sui collitigantis, quatenus eidem supervixisset.

Vacavit rursus beneficium, cum jam novae laicae leges promulgatae fuerunt, ex quibus omni praesentationis jure ablato patronis Ordinariis facultas nominandi data est. Ratus Episcopus Lunensis-Sarzanensis in unum praesentatum conspirare non posse tot patronorum capita censuit ad nominationem venire non expectato lapsu quadrimestri nec praesentationibus patronorum. Cum duo essent fundatoris consanguinei ad hoc beneficium jus habentes et idonei, scilicet sacerdos Felix Battini et sacerdos Joannes Baptista Barretta, ille parochus, alienus dioecesanus, provisus de beneficio extra dispersa Franciscanorum familia, destitutus patrimonio, cum fuisset ad titulum religiosae paupertatis ordinatus; huic beneficium contulit inauditis patronis. Nonnulli ex his, cum graviter hoc tulissent, post discrimina rerum, tranquillitate recuperata, ad s. Congregationem reclamarunt postulantes, ut irritaretur collatio ab Episcopo facta atque ipsi redintegrarentur ad jura patronalia atque ejecto moderno beneficiato possint alium sibi benevisum praesentare.

Episcopus de sua sententia rogatus in sua informatione haec narrat, quemadmodum exposui, atque praeterea addit: *Non alia via procedere valens ad citationem singulorum (nondum enim haec episcopalis curia libero potitur suae jurisdictionis exercitio) omnes simul admonui per edicta ecclesiae foribus affixa duplicem ipsis imminere terminum, primum videlicet dierum decem ad jura sua verbo et scriptis coram me exhibenda, alterum vero dierum 30 ad ea producenda coram s. Congregatione Consilii. Plurimi ex compatronis parentes edicto coràm me comparuerunt, sed non omnes ejusdem fuerunt sententiae; decem namque adhaeserunt supradictae reclamationi factae adversus provisionem beneficii, de quo agitur, in episcopali curia expeditam anno 1812, et nominare se velle dixerunt alium successorem in locum capellani eo tempore defuncti, quia secus agendo privari timent juribus propriis ab Ordinario pro tempore et in futuris vacationibus amplius nominare non posse. Inter illos tamen non defuit, qui postmodum poenitentia ductus suam retractavit adhaesionem declarando oretenus et in scriptis se fuisse deceptum, ut se reclamantibus admoveret. Alii vero decem improbant reclamationem istiusmodi et juramenti fide interposita unanimiter professi sunt se nullam in ea partem habuisse vel habituros fore de caetero, optare demum, ut sacerdos Joannes Baptista Baretta de beneficio provisus in illius possessione remaneat. Inhaerendo porro sententiae arbitramentali sacerdos Ruggia coram me compàruit in termino per edictum omnibus interesse habentibus ut supra assignato atque subrogari petiit in jura sui collitigantis, minitans aliter se ad sanctam Sedem clamaturum, ut per hujus gratiam beneficium ipsum veluti sibi debitum consequatur. Illius petitioni adhaesit eique associata est quaedam mulier vidua quondam Dominici Ruggia uxor veluti tutrix filiorum, quod inter compuţicuos istius beneficii connumerari dixit.*

Ex *can.: Decernimus 16. quaest. 1.* irritatur collatio facta ab Episcopo inauditis patronis, dum pendet terminum ad praesentandum illis a jure concessum. Neque Episcopo ullum jus dare poterant laicae leges, quae patronis jus omne abstulerunt, quippe quae illegitimae et usurpativae jurisdictionis eccle-

siasticae. Verumtamen si non jure, ex facto certe impediebantur patroni, quominus jus suum exerceant et praesentarent. Eo itaque quaestio redire videtur, num Episcopi collatio si minus jure initio facta sit convalidanda.

Sane ex allegato *cap.: Decernimus* irrita fit collatio facta ab Episcopo, uti de libero, spreto patrono, sed ex eo nullum impedimentum paratur, quominus collatio convalidari possit. Quando vero collatio facta est ab Episcopo uti de libero ipse confert autoritate ordinaria, saltem in habitu penes ipsum residente, licet solum exercitium ei sit interdictum infra tempus patronis ad praesentandum praefinitum ac propterea collatio facta ab Episcopo sustineri potest, quia promanat a potestate ordinaria, ut tradit *Rebuff. in prax. benefic. tit. de devolut., Garzia de benef. part. 5. cap. 9, Lotter de re beneficiaria a lib. 2. quaest. 14. num. 7* et *Rota in Allerien. Parochialis 28. Novembris 1692.* §: *Nihil refragante, coram Muto, relat. apud Piton. discept. ecclesiastic. 4. num. 97. et seq.*

Quaerenda hinc erit causa idonea ad convalidandam hanc collationem. Duo quidem esse poterunt. Prima ex eo quod Episcopus contulit beneficium non, ut patronos sperneret atque eorum jura conculcaret, sed, cum ipsi nominare impedirentur ex dominantibus legibus, contulit, ut majora averteret mala, et illum instituit, quem verosimiliter patroni nominassent scilicet sacerdotem Joannem Baptistam Berretta, ex dioecesi Sarzanensi, destitutum patrimonio ecclesiastico. Quare cum ex hoc actu nullum praejudicium in futuris vacationibus inferatur, videtur quod collatio convalidari possit. (Vd. *p. 419.* §. *Solet.*)

Altera causa inveniri posset in ratificatione facta a patronis, quae potis est ad collationem factam spreto patrono convalidandam, ut tradunt *Gonzalez ad reg. can. eccl. gloss. 56. n. 79, Vivian. de jurepatronat. lib. 2. cap. 5. n. 2, Antonell. de regim. eccles. lib. 3. cap. 6. n. 76.* Ex viginti siquidem patronorum capitibus decem collationi jam factae suffragantur. Ex decem vero, qui a facta collatione reclamarunt et alium nominare velle protestarunt, non defuit, qui se poenituit et oretenus necnon in scriptis professus est, se fuisse deceptum. Quare major patronorum pars ratam habuit collationem.

Neque obesse posset huic convalidationi sacerdos Ruggia, qui in sententia arbitramentali reservatum habuit jus petendi subrogationem gratiosam. Nullum enim jus certum dedit ei haec sententia nec dare poterat, cum penderet a gratia a summo Pontifice facienda, cum arbitri non possent hoc onus patronis imponere. Quare, si nullum jus habet sacerdos Ruggia, nec etiam potest reclamare a facta collatione.

Inquirendum superest, num sacerdos Joannes Baptista Berretta, cum sit regularis ex Franciscanorum familia, retinere possit capellaniam; nam regulares sunt incapaces retinendi beneficia et capellanias ex *text. in cap.: Cum de beneficio de praeben. in 6.**) Verum observandum est religiosum Berretta tum, cum beneficium obtinuit, extra claustra degere ob suppressionem religionum, propterea que tum ipse habendus erat qua simplex saecularis sacerdos, qui adeo non erat incapax beneficiorum, ut potius provideri deberet, ne irregularis evaderet, quippe qui ordinatus ad titulum religionis, quae tum non subsistebat. Nunc vero in illis regionibus religiones hactenus reintegratae fuerunt, ita ut ei permitti poterit, ut capellaniam retineat usque dum vel religionem ingrediatur vel gratiam obtineat, ut in saeculo vivere possit.

Dubium proponitur:

An collatio facta ab Episcopo servanda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative usquedum sacerdos Berretta extra claustra legitime degat salvo jure patronorum in futuris vacationibus.

Die 17. Decbr. 1814.

t) Ab Episcopis Germaniae in mensibus papalibus.

Vd. *Beneficium reservat. SS. Pontifici,* (quae non sunt hodie juxta Germaniae concordata); *Beneficium* (collatio — jus triplex p. 420.); *p. 429. ii.*

Beneficia vacantia in mensibus papalibus Sede papali vacante non possunt conferri ab Ordinariis Germaniae. Ratio est, quia ex quo concordata vim pacti et contractus habent ut inita inter s. Sedem et inclitam nationem germanicam, ex *Rota par. 2. dec. 580. num. 1. par. 3. dec. 2. n. 3 et dec. 266. n. 1. par. 17. dec. 185. n. 5 et dec. 215. n. 5 et 6*, sicut apostolica Sedes numquam moritur, ita in vacatione ejusdem s. Sedis concordata non evanescunt, sed perpetuo durare debent, juxta eorum naturam et dispositionem, ut notat *Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. allegat. 57. num. 63. in princip.* ac firmat *Nicolarts tom. 1. dub. 8.* §. *4. prax. benefic. ex concordat. German., Cochier. in comment. regul. cancell. in prooemial. n. 21, Petra tom. 5. comment. ad constit. 1. Nicol. V. n. 20* et expresse *Rota p. 7. recent. dec. 185. num. 3 et seq. et dec. 215. n. 4. et seq.* Contrarium tamen tenet *Engel lib. 3. tit. 5. de praebend. n. 49* hac ratione, quod per concordata summus Pontifex non voluerit conditionem Ordinariorum Germaniae facere duriorem illisve plus detrahere, quam Pontifices consueverunt per regulas cancellariae detrahere aliarum provinciarum Episcopis; quam rationem late ibi prosequitur respondendo etiam objectionibus contrariis.

*) Vd. *Beneficium saeculare.*

u) Ab Excommunicatis.

Beneficia conferri non possunt ab excommunicatis non toleratis et ab istis factae collationes sunt jure nullae; *cap.: Si ad Episcopum, unic., Ne Sede vacante in 6*, ubi notat *Glossa* verb. *Majoris; Geminian. et Ancharan. num. 2, Franc. ibidem num. 2,* ubi rationem reddit, quia parificatur Praelatus naturaliter mortuus et excommunicatus; et de excommunicato non tolerato, qualis est notorius aut etiam publicus, declarant *Imol. in cap.: Veritatis, num. 10. de dol. et contum., Abbas in cap.: Si vero, num. 9. de sententia excommunic., Succin. in cap.: De sacris n. 88. de sentent. excommunic.* et *Rota part. recent. decis. 534. num. 3.**)

v) Forma.

Forma collationis dupliciter concipi solet: vel *motu proprio collatoris* vel *ad petitionem beneficiarii supplicantis.* Ordinariorum collationes semper ex inveterata ecclesiae disciplina motu proprio factae sunt, quum nullam faciant mentionem de petitionibus praeviis ad reprobandum ambitum sacris canonibus et legibus odiosum; *Gagliard. de benefic. c. 10. num. 5.*

Contra a summo Pontifice conferri solent ad petitionem beneficiarii; et quidem vel in *forma gratiosa* vel in *forma dignum* seu in *forma commissaria.*

Collatio in *forma gratiosa* nihil amplius ad sui perfectionem desiderat, adeoque jus plenum in beneficium tribuit et fieri solet, quoties impetrator cum attestationibus ut plurimum Ordinarii idoneum se ostendit quoad mores et doctrinam ad beneficia obtinenda.

Collatio vero in *forma dignum* seu *in forma commissaria* aliud in substantia non est, quam mandatum Ordinario loci vel alio executori apostolico, ut, si dignum atque habilem reperit impetrantem, et beneficium conferat ipsumque in possessionem immittat, et tunc fit, quum deest mox dicta probatio idoneitatis impetrantis.

Hinc sequitur, quod sola collatio in forma gratiosa consumat praecedentem vacationem, ita ut, si decedat provisus possessione nondum capta, vacet beneficium per ejus obitum, non autem ut prius, ut ex *text. in cap.: Si tibi absenti de praebend. in 6.* respondit *Rota in Rossanen. Canonicatus 23. Junii 1721.* §. *10 coram illustrissimo Mollino,* in *Majoricen. Beneficii 15. Februarii 1742.* §. *5. coram clar. mem. Mollino* et in *Palentina Canonicatus 11. Martii 1767.* §. *4 cor. R. P. D. Canilliac.*

Quando collatio facta dici debeat *in forma gratiosa* et quando in *forma dignum* seu *in forma commissaria*, facile est ex deductis dignoscere; vide nihilominus *Amyden. de styl. Datar. lib. 1. cap. 5. qu. 1. n. 6, Ros. de execut. literar. apostolic. part. 1. cap. 4. n. 1. in fine et num. 71, Calcagnin. in prax. utr. signat. post prim. part. observ. pract. legal. cap. 4. num. 39, Rota in Corduben. Praestimonii 21. Januarii 1724.* §: *Neque, cor. cl. me. Corio* et in *Viterbien. Canonicatus super literis apostolicis 28. Junii 1743.* §. *Praeterquam, cor. Illmo de Thunn.*

Solet praeterea summus Pontifex largiri bullas *novae provisionis* ad convalidandam vel confirmandam priorem collationem vel a se ipso vel ab Ordinario factam, ut suppleantur defectus et tollantur nullitates anterioris collationis. Consule de bullis hisce novae provisionis earumque variis speciebus

*) Praesentatio tamen ad beneficium facta a patrono *laico* excommunicato valida est; eam nihilominus non tenetur Episcopus, immo non potest admittere, cum sit illicita; *Villalobas in summa tom. 1. tr. 17. diffic. 14. n. 3.* et alii cum *Diana part. 5. tract. 9. resol. 105.*

tum effectibus variis *Gagliard. tract. de benefic. dict. c. 10. a n. 10. ad plur. seqq.*

Vd. *p. 418.* §. *Quaerenda etc.*

w) Habitu clericali dimisso.

Vd *p. 392. e.*

x) Haereticis absolutis etc. est danda.

Vd. *t. II. p. 365. n. 8.*

y) Jus triplex.

Vd. *Ferraris; p. 423. ee; p. 413. II. III. IV.*

Extincto schismate laicalium investiturarum, quod per quatuor saecula ante Alexandrum III. ecclesiam vexavit, compertum est ab ecclesiasticis Praelatis beneficia ecclesiastica privative conferri posse triplici jure, *plenario* scilicet, *delegato* et *ordinario.*

Plenario jure summus Pontifex omnia prorsus beneficia conferre potest, *cap. 2 de praebend. in 6.* et quidem seclusis etiam reservationibus, quum concurrere queat cum quolibet Ordinario collatore eumque praevenire intra sex menses a Conc. Lateranensi sub Alexandro III. concessos Ordinariis ad conferendum, *cap. 2. de concess. praebend.*

Ipsa synodus Basilieensis abrogando expèctativas ad futura beneficia jus praeventionis nominatim Papae reservavit; Tridentinum Concilium pariter *sess. 24. cap. 9. de reformat.* expectativas omnino abrogari decrevit; at declaravit in omnibus suis decretis salvam semper haberi supremam auctoritatem Sedis apostolicae; *sess. 7. de reform. in princip.*

Ad dignoscendum autem, an Papà contulerit necne beneficium non reservatum jure praeventionis, haec traditur regula. Si expressus in supplicatione fuit mensis, quo beneficium vacavit, et, tametsi is rerservatus non fuerit, Papa contulit, dicendum est, Papam contulisse jure praeventionis. Secus e contra. *Gonzal. in comment. ad regul. 8.**) *hodie 9. cancellar.* §. *5. prooem. num. 70, Cardin. Petra in comment. ad constit. apostol. constit. 1. Nicolai V. n. 38. et sequent., Corrad. in prax. benefic. lib. 5: cap. 1. num. 62, Rota in nuperrim. decis. 34. num. 7 et decis. 74. num. 1. tom. 1.; Molin. dec. 922. n. 3. et 7. cor. Crisp., dec. 21. n. 7.*

Et, quod hic notandum est, quod Papa retinet potestatem conferendi beneficia jure praeventionis in locis etiam, in quibus vigent concordata, ut praeter allegatos firmant *Nicolarts ad concordata german. n. 1. dub. 2.* §. *3, Branden. ad ead. concordata quaest. 6. n. 5. et notab. I. n. 2, Chokier ad regul. 8. cancellar.* §. *3. num. 173, Rota in recent. decis. 2. per tot. 3.* ibique *Rubeus in adnot. num. 28.*

In concursu collationis Papae factae jure praeventionis et collationis Ordinarii prior in tempore praeferendus. Quodsi eadem die dictae collationes contigerint, tenet *Gagliard. de benef. o. 6. num. 3*, quod neglecta tamquam frivola anterioritate horarum praeferri primo debeat possessor, deinde, si nullus in possessione sit, provisus apostolicus. Notat vero *Rigant. in commentar. ad regul. 17. cancell. num. 50,* quod, si proviso ab Ordinario antecedenter jus sit quaesitum in beneficium, ei debetur praelatio supra provisum a Papa eodemmet die. Vide exemplum apud eumdem auctorem. Notat quoque Rigant., ubi supra sequenti numero, quod litterae provisionis de beneficiis, quas explent Ordinarii, etiam ab ipsis subscriptae, non attenduntur ob antidatae suspicionem in concursu provisionum apostolicarum, nisi sint in forma publica instrumenti, testibus et juris solemnitatibus munitae. Praesertim si concurrat verisimilis aliqua causa, propter quam Ordinarius induci valuerit ad simulandam praeventivam collationem. Caeterum si concurrant circumstantiae excludentes antidatae suspicionem, attenduntur, ut firmavit *Rota coram Crisp. dec. 205. fer. per tot., et quidem recedendo a dec. 24. 98 et 122.*

Indultario jure conferunt Cardinales et, ut placet *Gagliard· de benefic. cap. 7. num. 5*, Legati ac Nuncii. Illud non omittendum, quod s. Sedes indultum hoc concedere etiam consuevit Regi utriusque Siciliae; *Gagliard. d. tractat. cap. 6. num. 6.* et auctores ab eo allegati.

*Jure ordinario**) conferunt Episcopi beneficia omnia suarum dioecesium; *can.: Omnes Basilicae 10. caus. 18. qu. 7,* cui consonant *can.: Obitum dist. 61, can. Decretum cum sequent. 10. qu. 1* et *cap.: Ex frequent. 3. de instit.* Idque procedit etiam quoad ea beneficia, quae existunt in districtu Praelati inferioris non habentis territorium separatum. Vide *Rota in Legionen. Beneficii 11. Januarii 1743. coram de Thunn.* Notandum vero est, quod de jure canonicatus et dignitates

*) Vd. *Beneficium* (reservatum ss. Pontifici juxta regul. cancellar.)

*) Vd. *p. 413. III.*

ecclesiae cathedralis Episcopus tamquam caput illius simul cum capitulo conferre tenetur, *cap.: Pastoralis* et *cap.: Eu noscitur de his, quae fiunt a Praelatis sine consensu capit.*, nisi concordata alias disponunt.

z) A laicis.

Vd. *p. 422.* §: *Quarto; p. 414. IV; p. 423. ee. II.*

Beneficia conferre non possunt laici; *cap.: Si quis deinceps 12, cap. Nullus laicorum 18, cap. Per laicos 20, cap. Laicis 24. c.: Laicis 37. caus. 16. qu. 7*, quia collatio beneficii ecclesiastici est juris spiritualis, quod laici nec possidere nec praescribere possunt; *c. Causam 7. de praescriptionibus.* Et licet ex *speciali privilegio* Imperatori, Regibus aliisque laicis principibus haec potestas concessa reperiatur, cujus vestigium habetur in *cap.: Dilectus 34. de 'praebendis* et expresse in specialibus concordatis Germaniae, Galliae, Hispaniae, Poloniae, Portugaliae, Sabaudiae aliorumque regnorum et principatuum, tamen, quando Imperator sive aliquis Rex vel alius Princeps laicus confert aliquod beneficium in vim privilegii apostolici, tunc non dicitur ipse Imperator sive Rex aut Princeps laicus conferre, sed confert ipse Papa *mediante ministerio* talis personae et ideo collatio non reputatur imperialis, regalis aut alterius Principis, sed mere et absolute apostolica ad *leg.: Et si Praetor ff. de offic. ejus cui mandat. jurisdict.; leg. Solet, ff. de jurisdict. omn. jud., Rota dec. 15. n. 2. vers. Quia Imperator ff. de praebenda in antiquis* et in *Annot. ad decis. 15. p. 3. recent. n. 16 et 17.*

aa) A Legatis a latere est facienda.

Vd. *Beneficium* (reservatio a Legatis.); *constit. Pii V. p. 425.*

Legatus a latere potest conferre beneficia, quae in sua provincia vacant tempore suae legationis; *cap.: Dilectus 6. de offic. Legati, cap. Officii nostri 1 de offic. Legati in 6* et *c. Praesenti 3. eod. tit. in 6.* Etiam quae pertinent ad praesentationem patroni ecclesiastici; *cap. Dilectus 6. de offic. Legati, cap. Cum dilectus 28. de jurepatronatus, cap. Si a Sede 31 de praebend. in 6.* Immo spectato jure communi Legatus a latere concurrit cum quolibet Ordinario suae provinciae in collatione beneficiorum,*) ita ut inter ipsos simul et Papam locus sit praeventioni, *c. Si a Sede 31. de praebend. in 6, Rota in una Assisiensi Beneficii 9. Mart. 1687. coram Orano, Glossa* communiter recepta in *c. Officii nostri 1. de offic. Legati in 6. vers. Ampliori.* Insuper potest Legatus a latere reservare suae collationi beneficia vacatura, quae caeteroquin potest conferre vacantia, *cap. Praesenti 3. de offic. Legati in 6.* §. *1*, cum hoc tamen, ut legatione finita expirent reservationes ejusmodi, quando ad talium beneficiorum collationem nondum est processum, simulque una pendente reservatione Legatus aliam in eadem ecclesia vel respectu ejusdem collatoris aliquatenus non faciat, ut expresse habetur prohibitum in cit. *cap. Praesenti 3. de offic. Legati in 6*, praecisis verbis: »Caeterum reservationes hujusmodi (per quas interdum Praelati et ecclesiae nimium onerantur) restringere cupientes prohibemus, ne, postquam Legatus in aliqua cathedrali vel collegiata ecclesia reservationem aliquam duxerit faciendam, aliam (illa pendente) faciat aliquatenus in eadem. Nec etiam, postquam alibi reservaverit aliquod beneficium ad collationem pertinens cujuscumque, aliud quod ad illius collationem pertineat (quamdiu reservatio pendet alterius) sibi quoquomodo reservet.« Quinimo potest etiam Legatus a latere conferre beneficia ad Sedem apostolicam devoluta sive ex negligentia sive ex delicto inferiorum; *c. Venerabilis 37. de praebend, Glossa in c. Offic. nostri 1. de offic. Legati in 6*, verb. *Ampliori* et cum multis *Barbosa lib. 1. Juris ecclesiast. cap. 5. num. 32.* Et a fortiori potest Legatus a latere conferre beneficia ad Episcopum devoluta, dummodo praeveniat. Et dato quod idem beneficium sit collatum a Legato et ab Episcopo et nesciatur, quae collatio prius facta fuerit et neuter adhuc possideat, erit praeferendus is, cui Legatus beneficium contulit propter conferentis ampliorem praerogativam, textu expresso in *cap. Si a Sede 31. de prabend. in 6.* Et beneficia suae provinciae potest Legatus conferre cuique, etiam existenti extra provinciam,*) ex quo collatio est voluntariae jurisdictionis; *Rota part. 4. tom. 1. recent. decis. 69. num. 2* et *Amost. ad decis. 14. num. 3. part. 3. Cardinales titulares* de jure communi habent jus conferendi beneficia in ecclesia sui tituli; *cap. His, quae 11. de majorit. et obedient.* et *Abbas ib. n. 1, Rota part. 2. recent. dec. 432. n. 3.*

*) Legati a latere in collatione beneficiorum cum Ordinariis non concurrunt, *ubi extant concordata,* ut in Germania. Vd. *p. 423 ee.* §: *Secundo; p. 428. ff.*

*) Vd. *p. 411. q. I; p. 401. m.*

bb) A Legatis a latere non est facienda.

Vd. *Beneficium* (reservatio a Legatis.); *Ferraris.*

Legati a latere varia beneficia conferre non possunt.

Primo non possunt conferre ecclesias cathedrales vel regulares aut collegiatas, scilicet episcopatus, abbatias, prioratus et his similia et dignitates post episcopatum majores in ecclesiis cathedralibus, quae sunt electivae, textu expresso in *cap. Deliberatione 4. de offic. Legati in 6* et *glossa ibid. verb: Ecclesias.*

Secundo Legati a latere conferre non possunt beneficia per Papam suae collationi specialiter vel generaliter reservata; *glossa final. in cap. Officii nostri 1. de offic. Legati in 6, Garzias benefic. part. 5. cap. 3. n. 53.* post *Rotam in Regiensi Canonicatus 17. Nov. 1595* et cum plurimis *Barbosa lib. 2. juris eccles. c. 5. n. 42.* In reservatis enim summo Pontifici Legati non possunt se intromittere absque ejus speciali mandato; *c.: Quod translationem 4. de offic. Legati.* Immo, licet Legati haberent specialem facultatem conferendi beneficia reservata, non idcirco possent conferre beneficia vacantia in curia, nisi hoc ipsum specialiter et expresse eisdem fuerit concessum; *cap. Licet. 1. de praebend. in 6,* ubi sic expresse statuitur: »Eadem auctoritate statuimus, ut ecclesias, dignitates, personatus et beneficia, quae apud Sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis praeter romanum Pontificem, quacumque super hoc sit auctoritate munitus sive jure ordinariae potestatis ipsorum electio, provisio seu collatio ad eum pertineat sive literas super aliorum provisiones generales vel etiam speciales sub quacumque forma verborum receperit (nisi ei sit super conferendis eisdem in curia romana vacantibus specialis et expressa ab ipso Pontifice summo auctoritas attributa), conferre alicui seu aliquibus non praesumat.«

Tertio Legati a latere non possunt conferre beneficia, quae ad Episcopi collationem spectant jure speciali seu delegato. *Barbosa loc. cit. num. 47* et *Erasmus a Crochier de jurisdictione ordin. in exempt. part. 2. num. 22.* per *caput Studuisti 2. de offic. Legati,* ubi sic praecise habetur: »Respondemus quod, cum mandatum speciale deroget generali, Legatus commissionem alii factam specialiter impedire non potest.« Et in ejus summario sic: »De causa specialiter delegata a Papa Legatus se intromittere non potest.«

Quarto non possunt conferre beneficia jurispatronatus laicalis; *arg. cap. Dilectus 6. de officio Legati* et *cap. Cum dilectus 28. de jurepatronatus* et ibi *Abbas num. 2, Barb. num. 1* et *glossa* verb. *Praesentare,* et alia *glossa in Clementina per literas de praebend.* verb.: *Apostolicis* et DD. communiter; idque etiam procedit in beneficiis jurispatronatus mixti, quia etiam ipsa Legati conferre non possunt. Et hoc fit, ne patroni ex suis bonis patrimonialibus fundantes aut dotantes ecclesiam facile priventur jure suo, sicque tum ipsi tum alii retrahantur a fundatione et dotatione aliarum ecclesiarum; *Cardinal. Tuschus lit. L. conclus. 172. num. 10, Garzias loc. cit. num. 67* et cum plurimis *Barbosa lib. 1. juris ecclesiast. cap. 5. num. 45.* Immo neque expedit, ut Papa ipse libere disponat de beneficiis jurispatronatus laicorum, ne laici a fundationibus retrahantur, secundum *Hostien. in cap. Quoniam 3. de jurepatronatus num. 5, Joan. Andr. num. 2.* et *Fagnan. ibid. num. 10.* Unde fit, ut, quamvis Papa si velit possit libere conferre beneficia jurispatronatus laicorum, etiam invitis patronis, ut notatur in *cap. Cum dilectus 28. de jnrepatronat.* et *glossa* verb. *Praesentare* et in *cap. Dilectus 6. de offic. Legati* et *glossa* verb. *Concessione,* quae dicit tunc potestatem soli Principi competere non autem Legato, non tamen censeatur velle patronatui laicorum derogare, nisi hoc exprimat, secundum *glossam in Clementina 2. de praebend.* verb. *Apostolicis; Felin. in tract. quando lit. apostol. praejud. patron. in princip., Fagnan. loc. cit. num. 11.* Immo *Hostiens. in d. cap. Dilectus de offic. Legati sub num. 5.* testatur se vidisse literas per Papam scriptas Praelatis Angliae continentes hanc suam protestationem, quod, quando scribit pro aliquo beneficiando, non est intentionis suae, ut conferatur ei ecclesia aliqua, in qua laicus obtineat juspatronatus.

Quinto Legati non possunt conferre beneficia litigiosa, generaliter enim lite pendente*) nihil est innovandum, ne inde collitiganti quoquomodo praejudicium generetur, *c. Dispendiis 1* et *c. Si hi contra quos 2. ut lite pendente in 6.*

cc) Libera.

Vd. *p. 413. III; p. 423. III.*

*) Vd. *p. 414. n. 4.*

Albinganen.

Quum penitus lateat capellaniae fundatio semper quidem pro ipsius beneficii libertate praesumendum tradit *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 9. n. 37, Piton. discept. eccl. 35 num. 35* et *de controv. patron. alleg. 83. n. 2,* nisi saltem contrarium probent ii, quorum interest.

Die 20. Mart. 1830.

dd) Magistro Theologo et Poenitentiario num et quando conferri possit?

Vd. *Praebenda theolog.* (Erectio, decr. diei 15. Decb. 1725 et 28. Sept. 1726.)

Ubi sunt praebendae et canonicatus, non potest assignari aliud beneficium pro theologo vel poenitentiario. *Decisio S. C. C. Interpr. ad Conc. Tr. c. I. sess. V.*

Ad dub.: An lector cathedr. ecclesiae possit obtinere beneficium curatum vel residentiam requirens et legendo deservire per substitutum et gaudere fructibus in absentia et an liceat cum doctorali canonicatu obtinere aliud incompatibile, ut servetur in multis locis?

S. C. censuit: *Non posse.*

S. C. C. *Interpr. ad Conc. Tr. c. I. sess. V.*

ee) Modus.

Vd. *Concursus ad eccles. paroch., Beneficiatus* (qualit. requis. p. 232); *Beneficium* (collatio simoniaca, valida etc.; collationis jus p. 420.) *Ferraris.*

Beneficia ecclesiastica tribus potissimum modis conferuntur, ut signanter notat *Abbas in cap. Auctoritate 4. num. 7. de instit.* et alii canonistae.

I. Per electionem, v. gr. Canonicorum seu Capitularium, quam deinde superior confirmat, si electus idoneus*) sit et nullum habeat canonicum obicem et hac ratione ecclesiarum Praelati institui solent; *cap. Bonae memoriae 3. §. fin. de postulat. Praelator.* ibi: Quatenus per electionem .... canonicam in personam idoneam convenire curetis.«

II. Per praeviam praesentationem factam a patrono, ob quam ecclesiasticus Praelatus cogitur instituere praesentatum, si idoneus sit; *cap. Ex insinuatione 14* et *cap. Nobis 25. de jurepatronatus* et *cap. Decernimus 32. caus. 16. quaest. 7.*

III. Per collationem liberam, quando videlicet beneficium solo jure Praelati libere seu absque praevia capitulari electione vel alterius praesentatione alicui idoneo clerico confertur; *cap. Relatum 4. de concessione praebendae.*

*) Vd. *p. 404. o. p; p. 411. q.*

Et per hoc juxta hunc triplicem modum, quo communiter conferri solent beneficia, ipsa esse triplicis generis, scilicet *electiva, patronata* et *collativa* seu *liberae collationis.* Quamvis autem ultra tres istos assignatos communiores et praecipue usitatos modos dentur alii, quibus beneficia ecclesiastica possunt conferri et obtineri, scilicet *per postulationem, per nominationem, per resignationem, per permutationem* et *per translationem,* tamen omnes isti modi, ut clare patet, reducuntur ad aliquem ex tribus illis assignatis et tamquam communioribus praecipue usitatis.

Tribus etiam potissimum modis *summus Pontifex* beneficia ecclesiastica conferre solet, ut notat *Rebuff. in prax. tit. de devolution. §. 46.*

Primo: *jure praeventionis,* cum alicui confert gratiam expectativam ad beneficium primo vacaturum, *cap. Licet 2. de praebend. n. 6,* ubi dicitur, quod Papa non solum ipsa beneficia, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis; et hoc factum esse patet in *cap. Datum 14. de praebend. in 6,* quod speciale est privilegium Papae ob plenitudinem suae potestatis, neque cuiquam alteri concessum, beneficium nondum vacans certae personae promittere et ad illud jus dare, sicuti constat ex *cap. Dilectus 19. de praebend., cap. Relatum 3* et *cap. Ex tenore 13. de concession. praebend.* et *cap. Detestandi 2. de concession. praebend. in 6* et *Concil. Trid. sess. 24. c. 19. de reformat.*

Secundo: *jure concursus,* quia Papa concurrit*) cum quolibet Ordinario in potestate et jurisdictione conferendi beneficia, etiamsi nulla interveniat negligentia inferioris collatoris Ordinarii; *cap. Cuncta per mundum 17. caus. 9. quaest. 3, cap. Licet 20. de foro competenti, cap. Licet 1. de praebend. in 6. Clement. unic. §. fin. Ut lite pendente.* Quamvis enim Papa potestatem conferendi beneficia dederit Ordinariis, sibi tamen majorem reservavit, *cap. Dudum 14. §. Nos igitur, de praebend. in 6,* ubi sic praecise se explicat ipsemet Pontifex: »Etsi memorato Episcopo praedictam concessimus potestatem, penes Nos tamen nihilominus remansit major.« Quapropter inter Papam et reliquos inferio-

*) Vd. *p. 421. aa.*

res Ordinarios datur locus praeventioni, ita ut, qui prior tempore contulit, ejus collatio rata sit; si vero idem beneficium eadem die sit a Papa collatum uni et ab Ordinario collatum alteri nec sciatur, quae collatio prius facta fuerit, potior erit conditio possidentis, si autem neuter adhuc possideat, erit praeferendus is, cui Papa vel ejus Legatus beneficium contulit, propter conferentis ampliorem et excellentiorem praerogativam, textu expresso in *cap. Si a Sede apostolica 31. de praebend. in 6*, ibi: »Si a Sede apostolica vel Legato ipsius uni et ab Ordinario alteri eodem die idem beneficium conferatur nec appareat, quae collatio fuerit prius facta, erit potior conditio possidentis. Si vero neuter possideat, is, cui Sedes ipsa contulit vel Legatus (propter conferentis ampliorem praerogativam) erit alteri praeferendus.«

Tertio: *jure devolutionis*, quando propter negligentiam collatorum inferiorum intra debitum tempus beneficium vacans non conferentium talis potestas ab inferioribus devolvitur ad Papam, *cap. Cum accessisset 8. §. 1. de constitut.*, ubi Papa sic ait: »Cum Canonici nostris auribus intimassent, quod primiceriatus in Tullensi ecclesia tanto tempore vacavisset, quod ad manus nostras illius personatus esset donatio devoluta.« Vel quando Canonici ecclesiae cathedralis scienter eligunt indignum in Episcopum seu eorum electio per sententiam infirmatur ob canonicam electionis formam non servatam; tunc enim novi Episcopi electio non ad Metropolitanum, sed immediate ad romanum Pontificem devolvitur, textu expresso in *cap. Quamquam 18. de electione n. 6*, ibi: »Non ad dictum Superiorem sed ad romanum Pontificem potestas eadem devolvetur.«

De modo utendi jure ab apostolica Sede concesso conferendi beneficia.

Summarium:

Exordium. — Ad beneficia personae idoneae praesentandae. — Non conferenda antequam vacent.*) — De expectativis. — Derogatio contrariorum.

Innocentius III. Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, praepositis, decanis, archidiaconis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum praelatis earumque capitulis et conventibus seu collegiis tam exemptis quam non exemptis ac patronis clericis seu laicis praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Postquam regimini generalis ecclesiae Nos licet immeritos divina pietas voluit praesidere et cordi semper habuimus, quod honestatem et ordinem in omnibus servaremus ac in provisionibus faciendis haberemus illius providentiae modum, per quem ecclesiis et monasteriis seu aliis piis locis honor et commodum proveniret, quod autem contrarium quandoque accidisse dignoscitur, tum propter malitiam temporum tum improbitatem nimiam petitorum saepe Nobis dolorem intulit et cordi nostro suspiria cumulavit, maxime, cum post multa diffugia et excogitatae resistentiae studium provisiones quasdam prorsus inviti fecerimus, quas potuisse vitare pro magno et solemni gaudio duceremus. Cum itaque dudum fuerimus mente vigiles, ut super his adhibere possemus remedium opportunum, Nos pro quiete mentis nostrae ac pro ecclesiarum, monasteriorum et locorum praedictorum salute duximus statuendum, quod singuli vestrum canonias et praebendas ac beneficia seu personatus ac dignitates, cum cura aut sine cura, redditus ac etiam pensiones, ad collationem sive electionem seu praesentationem vestram spectantia, quae obtinentur a quibuscumque oriundis extra regna, in quibus habentur canonicatus et praebendae ac alia supradicta, sive apud Sedem apostolicam maneant sive alibi commorentur, ex tunc personis idoneis Deum habendo prae oculis conferre vel eas ad ea eligere ac electas confirmare sive praesentare et praesentatas admittere, sublato cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, valeatis. Et ex tunc personae ipsae in eisdem canoniis et praebendis ac beneficiis seu dignitatibus et personatibus, redditibus et pensionibus jus plenum et inconcussum obtineant. Nec tamen de his, priusquam vacent, se aliquatenus intromittant, sed ea ipsa jure quam citius vacaverint assequantur et ipsa intrandi ac retinendi nullius requisito consensu liberam habeant facultatem. Ista tamen quod illi, qui nunc ipsa obtinent, ea quousque cesserint vel decesserint, pleno jure pacifice habeant et quiete ac nullum omnino super his praetextu ejusdem statuti praejudicium patiantur. Volumus tamen, quod, si sub expectatione praebendarum in ecclesiis, in quibus provisum fuerit dictis personis, prius sint recepti aliqui, vel si super provisione sua in eis literas apostolicas impetrarunt, sicut in receptione vel impetratione, si in praebendarum assecutione personae praeferantur eisdem, si vero aliqua personarum ipsarum, cui obtentu ejusdem statuti provisum fuerit vel ei per vos juxta modum inferius notatum contigerit vel de vestra liberali gratia provideri, cedat interim vel decedat, licitum sit vobis tam cito loco sui aliam idoneam subrogare ac successive hoc facere in cujus earundem cessione vel obitu personarum: sub divini tamen judicii obtestatione praecipimus, quod personae ipsae post possessores dictorum canonicatuum et beneficiorum ac praebendarum seu personatuum et dignitatum, reddituum seu pensionum nullas insidias aut fraudem vel molestias sive quodcumque aliud inconveniens machinentur, alias autem hoc ipso cadant ab omni jure eis super provisione hujusmodi adquisito, cum dignum sit, quod, sicut gratia pro virtute tribuitur, ita poena pro vitio compensetur. Pro malitiis autem cohibendis, quae hujusmodi forsan occasione statuti oriri possent in mentibus perversorum, volumus, ut, si aliquem, cui surrogatio ex beneficio ejusdem statuti facta fuerit, quod absit, perimi contigerit quoquomodo, taliter subrogatus possessionem suae provisionis non habeat nec aliquatenus apprehendat, nisi prius apostolicas vel Ordinarii et aliquorum religiosorum virorum Deum timentium patentes literas obtinuerit, quod de morte sic occisi suspectus nullatenus habeatur. Caeterum quia personis eisdem in grave posset redundare taedium, quod vacationem canonicatuum et praebendarum ac aliorum praedictorum per longa tempora expectarent, ad hoc nostra desudat intentio, ut de canoniis, praebendis ac beneficiis sive personalibus et dignitatibus, redditibus et pensionibus ad vestram collationem aut electionem vel praesentationem spectantibus, quae praeter hujusmodi provisionem vestram vacant ad praesens sive vacare contigerit, dummodo nulli alio de jure competant, liberaliter ac sine mora provideatis eisdem et postmodum ipsorum loco alias personas idoneas quam citius subrogetis. Ad haec statutum praedictum, quamvis juri oppositum, quod pro causa legitima et salubri ad nullius requisitionem vel instantiam proprio motu fecimus, plenam et inviolabilem firmitatem volumus obtinere; si tamen ad alias collationes et electiones seu praesentationes quascumque de caetero fieri contigerit, idem statutum nullatenus extendatur nec sanctionibus canonicis propter ipsum in posterum aliquod praejudicium generetur.

(Bull. r. t. III. p. 217 Ed. Aug. Taur. 1858.)

Damnatio cujuscumque collationis ecclesiarum parochialium non servata forma concilii Tridentini hactenus factae vel de cetero faciendae.

Pius V. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

In conferendis beneficiis ecclesiasticis et praesertim parochialibus ecclesiis personis dignis et habilibus, quae in loco residere et per se ipsos curam exercere valeant, quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III. Lateranensi et Gregorii X. Lugdunensi generalibus conciliis ac Innocentii Pontificum Praedecessorum nostrorum editae constitutiones testantur.

§. 1. Quod ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam synodus Tridentina, ut occurrente vacatione parochialis ecclesiae, etiam generaliter vel specialiter etiam vigore indulti in favorem S. R. E. Cardinalium aut alias quomodolibet reservatae vel affectae, debeat Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de recto provideatur. Et deinde Episcopus et qui jus patronatus habet, intra decem dies aut aliud tempus ab Episcopo praescribendum aliquos clericos ad regendam ecclesiam idoneas examinatoribus juxta formam ejusdem synodi deputatis nominet; et nonnisi ab eisdem examinatoribus per concursum*) aliorum examinatorum, etiam tamquam magis idoneo ab Episcopo judicato et electo, de ecclesia provideatur, alias provisiones seu institutiones omnes, praeter formam praedictam factae, surreptitiae censeantur.

§. 2. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi quis eas retineat ac debitae executioni demandet, et verendum sit ne, propter constitutionum hujusmodi transgressionem, maximi abusus oriantur, Nos, ad quorum notitiam non sine gravi Nostra molestia pervenit nonnullos ex

*) Vd. *p. 398. e; p. 423. §: Primo.*

*) Vd. *Concursus pro collat. ecclesiar. parochial. etc.*

venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis et Episcopis occurrente vacatione parochialium ecclesiarum eas nullo aut minus rite servato examine, praesertim illo quod per concursum fieri debet ex concilio Tridentino, vel etiam examine rite servato personis minus dignis carnalitatis aut alium humanae passionis affectum non rationis judicium sequentes contulisse et de eis providisse, volentes, quantum cum Deo possumus, hujusmodi ac etiam futuris periculis occurrere,

§. 3. Eorumdem Praedecessorum Nostrorum constitutiones praefatas etiam innovando auctoritate apostolica tenore praesentium omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones et quasvis dispositiones parochialium ecclesiarum ab eisdem Episcopis et Archiepiscopis ac quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis quam delegatis, etiam S. R. E. Cardinalibus ac Sedis apostolicae Legatis vel Nunciis, praeter et contra formam ab eodem concilio Tridentino, praesertim in examine per concursum faciendo, praescriptam factas aut in futurum faciendas nullas, irritas ac nullius roboris vel momenti fore et esse nullumque provisis jus aut titulum etiam coloratum possidendi praebere et parochiales ecclesias hujusmodi, ut prius ante collationes hujusmodi vacabant, ex nunc vacare statuimus, decernimus et declaramus easque omnes pro tempore sic vacantes Nostrae et Sedis apostolicae seu eorum, quibus jus conferendi eas, praeterquam Episcopis et Archiepiscopis, qui curam dicti examinis, juxta decretum concilii, habere debent, competet, dispositioni reservamus.

§. 4. Insuper, ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad Episcopos, Archiepiscopos, Primates et Patriarchas et quosvis alios ordinarios collatores, in mensibus Ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis, provisio et collatio spectat et pertinet, de quibus iidem Episcopi et Ordinarii praedicti, intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine juxta formam Concilii Tridentini praefati, non providerint, ac illarum etiam, quarum collationes Nobis et dictae Sedi generaliter vel specialiter et ex quavis causa reservatae seu affectae existunt aut aliis ex indulto Sedis apostolicae competunt, ad quas, occurrente illarum vacatione, Episcopi et Archiepisocpi praefati personas per examen, concursu mutuo habito juxta dicti Concilii Tridentini formam, approbatas et magis idoneas non eligerint aut electas Nobis vel successoribus nostris aut iis, ad quos collatio spectabit, pro collatione obtinenda, intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis, non significaverint; necnon parochialium, quae jurispatronatus ecclesiastici vel aliorum seu clericorum et laicorum simul fuerint, si praesentatus intra tempus eisdem patronis a jure praefixum, praevio examine, juxta formam dicti concilii approbatus, petatur institui institutioque ipsa per duos menses a die praesentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem ac omnimodam dispositionem Nobis et ipsi Sedi ac personis indulta hujusmodi conferendi, providendi seu instituendi obtinentibus respective reservamus, data tamen in parochialibus jurispatronatus optione ipsis patronis, ut, si institutio ad Ordinarios spectabit, ipsis Ordinariis illam facere negligentibus et ultra dictos duos menses differentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad Metropolitanum vel viciniorem Ordinarium aut ad Sedem apostolicam.

§. 5. Prohibentes etiam eisdem Ordinariis, ne tempus decem dierum, eisdem Ordinariis et patronis ab eodem concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus praefixum, ultra alios decem dies prorogare audeant vel praesumant.

§. 6. Districtius inhibentes, ne quis praeter romanos Pontifices aut alios indulta hujusmodi obtinentes, ut praefertur, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de hujusmodi beneficiis sic reservatis (ut praefertur) disponere vel circa illa etiam per viam permutationis vel alias innovare quoquomodo praesumat.

§. 7. Ut autem non solum dignis, sed magis*) idoneis repertis, juxta ejusdem concilii decretum, parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus quod, si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad Metropolitanum vel, si ipse eligens Metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, uti nostrum et Sedis hujusmodi delegatum, aut alias ad ipsam Sedem apostolicam appellare**) ac praeelectum ad novum examen, coram ipso appellationis judice et ejus examinatoribus, provocare et constituto de prioris eligentis irrationabili*) judicio eoque revocato, parochialis magis idoneo per eumdem judicem appellationis auctoritate Nostra (quatenus collatio ad Episcopum a quo appellatum fuit spectaret) conferatur, alias eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio vel institutio spectabit.

*) Vd. *p. 404. o; p. 411. q*

**) Vd. *t. I. p. 607. n. 20.*

§. 8. Haec tamen appellatio interposita interim non impediat aut suspendat, quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni et prorsus ab eadem ecclesia, causa appellationis hujusmodi dependente, non amoveatur.

§. 9. Et si quis a sententia per judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam apostolicam appellabit. Si secus in praemissis omnibus et singulis actum aut attentatum fuerit, irritum decernimus et inane.

§. 10. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 11. Quodque literae ipsae, camerae et cancellariae apostolicae et audientiae causarum palatii apostolici valvis et in acie Campi Florae, dimissis inibi copiis, publicatae et affixae, omnes ita afficiant et arctent, ac si illis personaliter intimatae fuissent.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud. s. Petrum.

Die 18. Martii 1567.

(Bull. r. t. VII. p. 555. Ed. Aug. Taur.)

Declaratio et ampliatio Concilii Tridentini cap. XIV sess. XXIV de prohibitione aliquid exigendi vel petendi in collatione aliave provisione beneficiorum ecclesiasticorum vel ad illorum possessionem admissione.

Pius V. Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Durum nimis et incommodum arbitramur, quod ecclesiarum ministri in iis, quae ad ipsorum sustentationem suppedidant, dispendia patiantur. Quocirca, cum hanc ad rem simulque prohibendam ab ecclesia Dei avaritiae pravitatem editas antehac sanctiones minime satis esse intelligimus, novae constitutionis subsidio cogimur providere.

*) *Concurs. pro collat. ecclesia. paroch.* (judicium irrationab.)

§. 1. Cum itaque alias ex plurium ecclesiarum cathedralium et collegiatarum constitutionibus aut ex prava consuetudine observari intelligeretur, ut in electione, praesentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis ecclesiae vel beneficii, canonicatuum aut praebendarum vel partem proventuum seu ad distributiones quotidianas, certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones compensationesve illicitae, aut etiam quae in aliquibus ecclesiis dicuntur turnorum lucra, interponerentur, licet sancta synodus, haec detestata, mandaverit Episcopis, ut quaecumque hujusmodi, quae in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis aut sordidae avaritiae suspicionem haberent, fieri non permitterent ipsique diligenter de eorum constitutionibus sive consuetudinibus super praedictis cognoscerent et illis tantum, quas probarent, exceptis, reliquas ut parvas et scandalosas rejicerent, eos vero, qui adversus praedicta quavis ratione commisissent, poenis contra simoniacos*) editis teneri decreverit, multorum tamen indomita cupiditate tam praedicta quam alia ad beneficium et commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur aut aut in varios sensus traducta perperam eluduntur.

§. 2. Quare Nos, pro divini cultus exercitio simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore rati, revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque ecclesiarum cathedralium et metropolitanarum ac majorum necnon collegiatarum etiam juramento, confirmatione apostolica aut alio quovis praesidio munita ac etiam supra hominum memoriam et longissimo ac quantocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis ecclesiarum vel praelatorum debitis sive pro supportandis illorum oneribus sive aliis, etiam majoribus, maximis et urgentissimis causis consessa et approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa et moderata, quod, vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus,

*) Vd. *Beneficium* (collatio simoniaca. p. 443.)

canonicatibus, praebendis, portionibus, beneficiis et officiis, fructus ac etiam quotidianae distributiones, ex eis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri, mensae episcopali seu capitulari aliove loco integre vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur. Quodque nullus etiam apostolica auctoritate provisus in Canonicum recipi aut ad dignitatem seu portionem, beneficium vel officium admitti vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus et statutis juramentum praestiterit et obtentae illorum derogationi ac fructuum et distributionum perceptioni renunciaverit seu capitulo et personis praedictis cesserit seu (ut appellant) dulciaria aut quid aliud praestiterit; quorum omnium tenores, causas et effectus habemus praesentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis necnon irritantibus et aliis decretis roborata. Volentes ea omnia vires et effectum de cetero non habere.

§. 3. Praecipimus igitur et interdicimus omnibus Episcopis, capitulis, collegiis et personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus aut distributiones hujusmodi nec prorsus ullam eorum partem retineant neve ipsorum cessionem vel renunciationem aut dulciaria vel alia quomodocumque petant vel exigant aut quemquam, sive ordinaria sive apostolica auctoritate provisum ad praestandum hujusmodi juramentum inducant aut illi praedicta non facienti possessionem impediant vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si ecclesiarum Antistites, tamdiu a pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione praevia illis per Sedem apostolicam suspensio relaxetur; capitula vero et collegia quaecumque ecclesiastico subjaceant interdicto ac singulares personae in excommunicationis sententiam incurrant, a qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio quam a romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes hujusmodi praestita juramenta non tenere nec quemquam illis obligari; quinimmo jurantes in hujusmodi censuram incidere necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Et nihilominus statuimus, ut ubicumque hujusmodi fructus et distributiones fabricae vel sacristiae aut alterius pii loci usibus ultra semestre tempus reperiuntur concessi, horum dumtaxat dimidia pars ipsi sacristiae vel fabricae aut pio loco deinceps tribuatur, alteram vero beneficiati praedicti integre percipiant.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque aut, si aliquibus, communiter vel divisim, ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, decreto praedictae synodi ac constitutione felicis recordationis Joannis Papae XXII., quae incipit: *Suscepti* et aliis juribus hac de re disponentibus nihilominus alias in suo robore duraturis.

§. 6. Ceterum per praedicta non intendimus illis praejudicare capitulis, collegiis, mensis aut personis fructus et distributiones inter vacationem beneficiorum et eorumn collationem sive possessionis apprehensioem provenientes ex statuto, consuetudine vel privilegio hujusmodi percipientibus vel retinentibus, quominus ipsi illos interim ut antea exigere valeant et habere.

§. 7. Postremo volumus ut praesentium exempla, etiam impressa, etc.

§. 8. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum.

Die 1. Junii 1570.

(Bull. r. t. VII. p. 827. Ed. Aug. Taur.)

ff) A Nuntiis apostolicis.

Vd. *Beneficium* (collatio — jus triplex p. 420; — reservatio a Legatis.); *p. 401. k*; *Ferraris*; *p. 421. aa*; *constit. Pii V. p. 425.*

Nuntius apostolicus vigore suarum facultatum potest conferre quaecumque beneficia etiam reservata, dummodo non excedant valorem ducatorum 24. *Rota part. 14. dec. recent. 259. n. 3.* Sic etiam Nuntius Hispaniarum potest solum conferre beneficia non excedentia valorem ducatorum 24 auri de camera; *Rota p. 3. decis. 548. n. 1. par. 12. decis. 75. n. 4. part. 14. dec. 292. n. 1. part. 16. dec. 355. n. 14. part. 17. dec. 90. n. 11. et dec. 298. n. 17. part. 18. tom. 1. dec. 78. n. 2. seq. et et dec. 189. n. 10.* Et in tali summa computantur etiam incerta et distributiones quotidianae, exceptis metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; *Rota part. 12. dec. 75. num. 4. part. 14. dec. 292. num. 9. part. 17. dec. 298. num. 17.* Et propterea debet prius ei constare, beneficia non excedere talem summam, et debet se de ea informare ex testibus fide dignis, antequam provideat, *Rota part. 3. dec. 448. num. 1. part. 12. dec. 238. num. 9. part. 16. dec. 296. num. 22. dec. 355. num. 14. part. 18. tom. 1. decis. 232. num. 7.* Aliter nulliter providet nec tribuit titulum neque coloratum; *Rota part. 3. dec. 548. num. 1. part. 16. dec. 296. n. 22. part. 17. dec. 289. num. 19.* Et hoc desumitur ex clausulis et decreto irritante, appositis ejus facultatibus; *Rota par. 18. tom. 1. dec. 189.* Et sufficit, quod beneficium excedat summam praedictam in uno regali vel julio pro excludenda provisione Nuntii, *Rota part. 16. dec. 296. num. 14. part. 17. dec. 298. n. 16.* Et talis summa 24 ducatorum est intelligenda non deductis oneribus, immo eis comprehensis, *Rota part. 16. dec. 296. num. 19.* De jnre autem communi Nuntii apostolici, etiam cum potestate Legati a latere missi, non possunt conferre beneficia in sua provincia, sicuti possunt Legati a latere Cardinales, *textu expresso in cap. Officii nostri 1. de officio Legati in 6.:* »Proinde praesenti decreto statuimus, ut ecclesiae romanae Legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, sive a Nobis missi fuerint sive suarum praetextu ecclesiarum legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. Quod in fatribus nostris legatione fungentibus volumus observari, quia, sicuti honoris praerogativa laetantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.« Unde quoad hoc debent Nuntii attendere facultates specialiter sibi concessas, cum non jure ordinario sed speciali et delegato Papae vigore indulti tantum beneficia conferre possint, ut de Nuntio Hispaniarum censuit *Rota part. 18. recent. decis. 298. n. 24.* Et proinde nequeunt concurrere cum Ordinario, *Petra tom. 5. in constit. 1. Nicol. V. n. 40.* citans *Rotam in Compostellana Beneficii 1704. coram Cardinali Caprara.*

gg) Patronis inauditis.

Vd. *Beneficium* (collatio ab Episcopis inauditis patronis etc. p. 417.)

hh) Personis designatis.

Vd. *Beneficium* (collatio civibus etc. p. 401); *Beneficiatus* (qualitates requis. etc. p. 185.); *p. 412. r.*

ii) A summo Pontifice.

Vd. *Beneficium* (collatio — jus *p. 420. y*; modus *p. 423. e*; — ecclesiasticum — in servitutem etc. —; reservatio a Papa; reservatum Papae.) *Ferraris*; *p. 440. rr*; *p. 419. v.*

Summus Pontifex habet plenariam potestatem conferendi omnia beneficia ecclesiastica totius mundi; *c.: Licet 2. de praebend. in 6, cap. Si Papa 10. §. Si autem de privileg. in 6, Clement. unica §. final. Ut lite pendente*; *Rota part. 4. recent. tom. 1. dec. 21. num. 15. purt. 4. tom. 2. dec. 59. num. 8. part. 4. tom. 3. dec. 630. num. 23. part. 5. tom. 1. dec. 206. num. 1. part. 8. dec. 44. num. 21.* Papa enim est Ordinarius Ordinariorum habens concurrentem potestatem cum omnibus ecclesiae praelatis; *c.: Cuncta per mundum 17. caus. 9. quaest. 3, cap.: Licet 20. de foro compet.* Atque ab ipso omnis beneficiorum divisio et collatio originem habet, *cap. Ecclesias singulas, unic. caus. 13. quaest. 1.* Et primitus omnia beneficia solus Papa conferebat et licet postea dilata ecclesia in partem sollicitudinis vocaverit Episcopos iisque potestatem conferendi beneficia suarum dioecesium communicaverit, sibi tamen reservavit, ut semper penes se major et superior potestas remaneret; *cap.: Dudum 14. §. Nos igitur, de praebend. in 6*, ibi: »Etsi memorato Episcopo praedictam concessimus potestatem, penes Nos tamen nihilominus remansit major.« Unde indulta et privilegia conferendi beneficia numquam impediunt, quin Papa valeat cum Ordinario collatore concurrere; *Rota par. 16. recent. dec. 300. n. 6 et 8.* Ipse enim omnia beneficia ad Ordinariorum collationem pertinentia conferre potest vel jure praeventionis vel jure concursus vel jure devolutionis. Neque Ordinarius tamquam inferior potest praejudicare Papae, quin eum praevenire et cum eo concurrere possit super collatione beneficiorum; *Rota part. 17. recent. dec. 13. n. 5.* Immo Papa concurrendo cum aliis collatoribus potest conferre beneficia in omnibus mensibus ejusque provisio in dubio semper est praeferenda, ubi non constet de anteriori provisione Ordinarii; *Rota p. 2. recent. dec. 372. num. 2.* Ita ut provisio seu collatio per Papam facta uti amplioris praerogativae praeferenda sit in concursu collationis

factae per inferiorem eodem tempore; *cap.: Si a Sede apostolica 31. de praebend. in 6, Rota part. 10. recent. dec. 25. n. 18. part. 14. dec. 304. num. 1 et part. 18. tom. 1. dec. 18. num. 10.* Taliter quod, si non sustineatur jure devoluto, valeat tamen ratione et jure concursus; *Rota part. 18. tom. 1. dec. 180. n. 7.* Immo facta in mense reservato cum derogatione vel suspensione indulti Ordinario concessi in mensibus reservatis valet saltem per modum praeventionis; *Rota par. 4. to. 3. dec. 528. n. 14 et 20.* Quinimmo ratione suae amplissimae potestatis valet etiam collatio ab ipso facta per modum praeventionis absque ulla derogatione; *Rota par. 17. dec. 157. n. 16* et *cap.: Dudum 14. vers. Considerantes quoque, de praebend. in 6.*

Plenario jure summus Pontifex omnia prorsus beneficia conferre potest; *cap. 2. de praebend. in 6,* et quidem seclusis etiam reservationibus, quum concurrere queat cum quolibet Ordinario collatore eumque praevenire intra sex menses a Conc. Lateranensi sub Alexandro III. concessos Ordinariis ad conferendum, *cap. 2. de concess. praebend.*

Ipsa synodus Basileensis abrogando expectativas ad futura beneficia jus praeventionis nominatim Papae reservavit; Tridentinum Concilium pariter *sess. 24. cap. 9. de reformat.* expectativas omnino abrogari decrevit et declaravit in omnibus suis decretis salvam semper haberi supremam auctoritatem Sedis apostolicae; *sess. 7. de reform. in princip.*

Ad dignoscendum autem an Papa contulerit necne beneficium non reservatum jure praeventionis, haec traditur regula: Si expressus in supplicatione fuit mensis, quo beneficium vacavit, et, tametsi is reservatus non fuerit, Papa contulit, dicendum est, Papam contulisse jure praeventionis. Secus e contra. *Gonzal. in comment. ad regul. 8. hodie 9. cancellar. §. 5. prooem. num. 70, Cardin. Petra in comment. ad constit. apostol. constit. 1. Nicolai V. n. 38. et sequent., Corrad. in prax. benefic. lib. 5. cap. 1. num. 62, Rota in nuperim. decis. 34. num. 7 et decis. 74. num. 1. tom. 1. cor. Molin., dec. 922. n. 3 et 7. cor. Crisp., dec. 21. n. 7.* Et, quod hic notandum est, quod Papa retinet potestatem conferendi beneficia jure praeventionis in locis etiam, in quibus vigent concordata, ut praeter allegatos firmant *Nicolarts ad concordata German. n. 1. dub. 2. §. 3, Branden. ad ead. concordata quaest. 6. n. 5. et notab. 1. n. 2, Chokier ad regul. 8. cancellar. §. 3. num. 173, Rota in recent. decis. 2. per tot. part. 3,* ibique *Rubens in adnot. num. 28.*

In concursu collationis Papae factae jure praeventionis et collationis Ordinarii prior in tempore praeferendus. Quodsi eadem die dictae collationes contigerint, tenet *Gagliard. de benef. c. 6. num. 3,* quod neglecta tamquam frivola anterioritate horarum praeferri primo debeat possessor, deinde, si nullus in possessione sit provisus, apostolicus. Notat vero *Rigant. in commentar. ad regul. 17. cancell. num. 50,* quod, si proviso ab Ordinario antecedenter jus sit quaesitum in beneficium, ei debetur praelatio supra provisum a Papa eodemmet die. Vide exemplum apud eumdem auctorem. Notat quoque Rigantius, quod literae provisionis de beneficiis, quas explent Ordinarii, etiam ab ipsis subscriptae, non attenduntur ob antidatae suspicionem in concursu provisionum apostolicarum, nisi sint in forma publica instrumenti, testibus et juris solemnitatibus munitae. Praesertim si concurrat verisimilis aliqua causa, propter quam Ordinarius induci valuerit ad simulandam praeventivam collationem. Caeterum si concurrant circumstantiae excludentes antidatae suspicionem, attenduntur, ut firmavit *Rota coram Crisp. dec. 205. fer. per tot.* et quidem recedendo *a dec. 24, 98 et 122.*

Neapolitana.

Metropolitanum Canonicorum collegium Neapolitanae ecclesiae constabat quatuordecim Canonicis, quibus deinceps in splendidiorem rei sacrae procurationem sedecim alii Canonici accessere, peculiari praebenda donati. Jus porro conferendi hosce canonicatus, qui mensibus episcopalibus vacui fiant, spectat insimul ad Archiepiscopum et capitulum adeo ut in literis de collatione scribi inea verba consueverit: »Nos et capitulum providemus.«

Altera ex his canonicalibus praebendis potiebatur Dominus Vastapanius, per apostolicas literas in forma Brevis die 10. Junii 1798.

Episcopus Thierensium in partibus infidelium renunciatus fuit, quibus in literis

adnotanda sunt verba, quibus de Vastapanii canonicatu decernens Pontifex haec habet: »Nos hodie per solas provisionem et praefectionem de tui persona, ut praefertur, factas hujusmodi (canonicatum et praebendam) vacare eo ipso decrevimus, suspenso tamen effectu vacationis praedictae usque ad tui obitum.« Retinuit reapse Vastapanius praebendam, donec ipso decedente die septimo Julii anni superioris dubitatum est: an ob episcopalem ipsius dignitatem reservatum apostolicae Sedi, an potius liberum Archiepiscopo et capitulo jus perstiterit canonicatus illius conferendi, atque judicio sac. hujus Ordinis definienda quaestio isthaec proponitur. Arbitratur quidem capitulum, conferendum illum esse eo plane jure ac ceteros quosque canonicatus, cum regula prima cancellariae de reservatis beneficiis ad constitutam a Benedicto XII. normam, cui inest extravagante, »Ad regimen,« pro iis dumtaxat attendenda sit, qui episcopalibus sedibus praeficiuntur earumque procurationem gerunt, non vero pro iis, qui titulum dumtaxat ac ordinem episcopalem assequutus et titulares Antistites nuncupantur. Primi siquidem, cum operam atque assiduitatem praestare adigantur rectae dioeceseos, cui praepositi sunt, gubernationi, consociare episcopale munus et canonicatum vetantur, utpote incompatibilia beneficia. At de titularibus Episcopis aliter res est, quorum idcirco beneficia ex Garcia non vacant, cum non possint nec per eos stet assequi possessionem episcopatuum in terris infidelium existentium. *(Garc. de benef. p. 11. cap. 6. n. 24.)* Quam sane doctrinam communem dicit Rigantius, qui et illud scribit, quod Episcopi titulares nulla indigent dispensatione pro retinendis beneficiis obtentis, quodque, si in decreto consistoriali concessa legatur retentio, haec ad uberiorem cautelam concessa intelligitur. *(Ad reg. canc. §. 7. num. 69. 72, Piton. discept. III. n. 24, Rota post Remacamp. de Coadjut. decis. 16. numer. 19. et decis. 17. n. 14.)* Id profecto ante oculos habuerunt Patres Cardinales hujus sacrae Congregationis, qui, ut ex schedis Cardinalis Paulutii habetur, in frequentissimo conventu diei 12. Dec. 1801 de dubio:

An Parochialis obtenta ab eo, qui ad episcopatum in partibus infidelium existentem promotus ac eodem tempore alicui Episcopo in suffraganeum deputatus fuerit, vacare intelligatur?

uno ore dixerunt: »Hujusmodi Parochialem non vacare propter rationes in voto Cardinalis Matthaei allegatas et ob eam praecipue, quod episcopatus promotio non inducit priorum beneficiorum vacationem, nisi a die adeptae possessionis, non autem suffraganeatus, cum non sit titulus perpetuus.« Sua inde jura contuentur Canonici atque animadvertunt in postrema conditione ab apostolica Sede sancita anno 1818 descripta fuisse beneficia, quae sanctae apostolicae Sedi reservata perstabant, quum ibidem de Episcoporum titularium beneficiis statutum quidpiam fuerit: bene vero articulo 11, quo de paroeciis conferendis jus omne Episcopis asseritur, exceptae leguntur paroeciae vacaturae in curia aut quarum parochi fuerint a sancta Sede de aliqua ecclesiastica dignitate aut canonicatu provisi, quorum collatio spectabit ad summum Pontificem.

Id siquidem in ecclesia Neapolitana in more institutoque majorum jampridem positum referunt, beneficia illorum, qui episcopatibus regendis adsciscebantur, reservatis accerseri, ma per la promozione ai vescovati titolari non si è vista la prattica stessa, anzi si è sempre osservato il contrario. Essendosi di fatti esaminato il Bollario della curia arcivescovile si è venuto al giorno, che quanti sono stati canonicati vacanti dei Vescovi titolari del capitolo di Napoli, tutti sono stati conferiti dagli Arcivescovi. E' vero, che nelle Bolle si è fatto menzione d' indulto, ma questo indulto è quello, di cui godevano gli Arcivescovi, come Cardinali, indulto che non era sufficiente pei benefici vacanti per promozione al Vescovato in curia; ma si fece uso dell' indulto perchè erano vacanti nei mesi apostolici, ed usaronsi perciò le espressioni extra romanam curiam et vigore indulti apostolici.

Neque facessere sibi negotium putant, quod de canonicatu ad obitum usque tenendo in apostolicis literis annuitur, cum quippe constet ex communis juris praescripto, neutiquam ipsum inde vacare; pari ex ratione exulat reservatio eoque idcirco verba: *Ad uberiorem cautelam* de concessa retentione intelligenda esse testatur Rigantius.

Licet vero clausula isthaec vacationem promat, quod affectionem induceret ob manuum appositionem, regerunt tamen Canonici »che o la sulodata clausula fù apposta

anche nelle bolle degli altri Vescovi titolari non rinvenute nell' archivio arcivescovile, i canonicati dei quali cioè non per questo furono conferiti dagli Arcivescovi Cardinali in forza dell' indulto Cardinalizio, perchè vacanti per le morti avvenute ne' mesi apostolici« quod et in praesenti quaestione vim haberet »o non vi era, e dopo il concordato sono tutte cessate le altre riserve all' infuori delle retenute . . . . e non verificandosi la riserva, molto meno poi potrebbe esservi affezione de' beneficii.« Non enim omnis appositio manus Papae (inquit Rigantius) causat affectionem, sed ea solum, quam Pontifex explet ad effectum conferendi; nam si apponat ad alium finem, neutiquam impediuntur Ordinarii, quominus beneficia conferre possint, quia limitata manus appositio limitatum parere debet effectum . . . . Vis enim affectionis non consistit in materiali appositione manus, sed in voluntate summi Pontificis; quo propalante animum et voluntatem suam ulterius conferendi non decet, ut inferior collator se ingerat; immo appositio manus Papae affectionem nunquam inducit, quando id vergeret in detrimentum illorum, qui jus conferendi habent vigore concordatorum et eorundem derogatio sequeretur. Cum itaque articulo X. conventionis sancitum fuerit, ut canonicatus liberae collationis respective conferantur a sancta Sede et ab Episcopis, scilicet sex primis anni mensibus a sancta Sede, aliis vero sex mensibus ab Episcopis, certo sibi suadent Canonici ex Rigantii monitu, nec per dispositionem in concordatis non expressam Papam intendere praejudicare Ordinariis nec iisdem ullum praejudicium oriri posse ex retentione canonicatus concessa (prout titulari Episcopo datum est), de qua nihil disponitur in concordatis. (*Rigant. loc. cit. n. 126.*)

Haec ex Canonicorum sententia. Nihilo tamen secius silentio praetereundum non est, tradere nonnullos sacri hujus juris doctores, beneficia obtenta a promotis ad episcopatus titulares de stricto vigore juris vacare ideoque reservationi in extravagante »Ad regimen« contentae subjacere, quia episcopatus titularis est verus episcopatus, licet ex aequo concedatur retentio, ut pro gradus dignitate satis idoneo redditu potiantur, qui ipsa honestantur. *Ricciul. lucubr. eccl. lib. 2. cap. 9. num. 2.* ceterique, quos refert *Piton. discept. eccl. III. n. 25.*

Hinc diligenter enucleandum potius est, quidnam juris inferat memorata illa clausula. At cessat omnis difficultas (inquit *Rigantius loc. cit. §. 7. num. 223.*), quia a temporibus Clementis X. in decreto retentionis beneficiorum, quae promotis ad ecclesias episcopales indulgeri solet, expresse dicatur, quod beneficia praefata vacent eo ipso, et sic in curia, ubi actus promotionis sequitur, solumque suspendatur effectus vacationis usque ad obitum ipsius promoti, eaque propter hodie amplius non ambigitur, quod Cardinales vigore indulti conferre nequeant beneficia, quorum retentio promotis concessa fuit. Quodquidem decretum apponi etiam vidimus in promotione ad episcopatum titularem: eosdem itaque effectus haberi ex ipso palam est, cum reservatio ex vacatione in curia repetenda sit, quae vi decreti illius denunciatur. Aut ergo ex ea clausula affectio inducta censenda est: distinguendum enim est (ait *Rigantius loc. cit. num. 12.*) inter simplicem retentionem cum decreto de non vacando et aliud decretum, quod beneficium vacet eo ipso, suspenso vacationis effectu usque ad obitum, et in hoc secundo casu inducitur affectio, non autem in primo: aut habetur ipsa veluti declaratio quaedam de effectu sequuto, quin ulla immutatio facta sit et utraque ex causa jus conferendi perstat unice apud apostolicam Sedem, adempta cuilibet auctoritate ad ea beneficia impertienda. Cum enim certo inde constet de manuum appositione, quae nihil aliud est, nisi actus quo summus Pontifex pandit animum suum circa provisionem alicujus beneficii *(Rota in Gerunden. Canonicat. 25. Junii 1714. §: Constit., cor. Lancetta)*, nefas esset inferiorem quidpiam in eandem causam peragere. Cum autem altero ex capite vacuam dixerit Pontifex praebendam Vastapanii eo ipso die, quo Episcopum illum renunciavit, die scilicet decima Junii anno 1798, tunc statim vacavit canonicatus et suspensio effectus vacationis inducta est favore ipsius promoti, qui donec vivit non potitur, nisi nuda detentione de facto. (*Rigant. loc. cit. §. 8. n. 172.*)

Hinc frustra e conventione quis aucuparetur argumentum ad reservationem denegandam, quia haec ibidem speciatim recensita non fuerit nullaque alia reservatio praeter eas, de quibus conventum est, sit admittenda. Licet enim de ea, quam inde evinci autumant, ceterarum reservationum abrogatione quaestio hic excitari nolit, illud tamen de praesenti controversia certum est, leges futuris dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari (*L. 7. c. de legibus.*) Is siquidem canonicatus jam tum a Vastapanii promotione vacuus denunciatus est, quando ulla de reservationibus vel sublatis vel imminutis conventio intercesserat. Jam vero patet ex obitu Vastapanii id ademptum, quo vacationis effectus suspensus fuerat: perperam autem inanem effectu irritamque autumarent clausulam, qua insignis pontificiae potestatis actus exoritur: verba enim accipienda sunt (ait *Mascatius jus can. lib. 5. tit. XL. n. 4.*) in sensu proprio, secundum mentem legislatoris, conformiter motivo seu causae finali, cum effectu, ut aliquid operentur.

Haec de proposita questione utrinque animadvertenda erant, ut inde possint Emi Patres pro singulari ipsorum sapientia definire

Dubium:

An et cui competat jus collationis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad s. Sedem apostolicam.

Die 7. Junii 1834.

kk) Puero conferri potestne?

Vd. t. II. p. 241. *Calaguritana;* p. 244. *Faventina;* p. 246. *Cremonen;* p. 247. *Auximana;* p. 257. *Faventina;* p. 253. *Montis Alti;* p. 270. *Forosempronien;* p. 392. d.

Vd. *Missa fundata* (celebranda per ipsum etc.)

Civitatis Castelli.

Puero 12 annorum ecclesiastica beneficia conferri nequeunt juxta claram Tridentini *sanctionem sess. 13. cap. 6. de reform.*

Solet Dataria apostolica quando res est de passive vocatis facillime dispensationem concedere, *Corrad. in prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 8*, *Piton. discept. eccles. 13. num. 2.* et saepissime ita consuluit s. haec Congregatio juxta exempla collecta *in Cremonen. Dispensationis 2. Decembris 1775.**) Tanto autem securius, quia clericatus tantummodo in hac capellania desideratus videtur semel ac jussum fuit *»che il capellano debba celebrare o far celebrare all' altare etc. messe due la settimana* et semel ac primus capellanus a fundatore designatus sub ea tantum conditione fuit: *se di quel tempo sara fatto chierico.* Longe porro gravior erat casus *in Cornetana 6. Maji 1775*, in quo praecepta fuerat celebratio per seipsum et in *Cremonen. Dispensationis 2. Decembris dicti anni*, in quo nominandus erat actu sacerdos et ad sacerdotii ordinem promotus et nihilominus in utroque *annuendum s. haec Congregatio dispensationi censuit.*

Quando res est de habilitate requisita ex parte personae, satis est ut illa infra terminum quadrimestris laicis personis dati ad praesentandum superveniat, sive id per naturam rei contingat, quia eo temporis intervallo praesentatus ad requisitam aetatem adolescat, sive per apostolicam dispensationem, qua summus Pontifex supplet in eo defectum aetatis, ut bene docent *Bald. ad l. Humanitatis cod. de impuber. num. 18. thesaur. quaest. forens. 34. num. 32. lib. 1, Pignatell. consult. can. la 141. num. 2. tom. 4.* Atque in praecisis terminis *Piton. de controv. patron. alleg. 2. num. 16. plurimique ab eo collecti.*

Die 21. Jan. 1786.

Camerinen.

Can.: Ultima voluntas caus. 13. q. 2 tum etiam decretum Concilii Tridentini *sess. 23. de reform. cap. 6.* illis beneficia ecclesiastica conferri vetuit, qui decimum quartum aetatis annum nondum inchoaverint, licet prima tonsura sint initiati aut etiam in minoribus ordinibus constitui.

Quod vero pertinet ad dispensationem, hic sacer Ordo saepenumero indulsit patronis, ut pueros ac etiam infantes ex familia ad beneficia nominarent, ut videre est in *Barchinonen. Dispensationis 30. Januarii 1740*,*) in *Lucana Beneficii seu capellaniae 17. Maji 1743* et in *Vercellen. 19. Julii 1766. §: Saepissime.*

Qui est major natu et clericali militiae mancipatus, utpote dignior, praeferatur oportet, *Piton. de controv. patron. alleg. 85. n. 15; Rot. cor. Ansaldo, in Vollaterrana Beneficii 7. Julii 1709. §. Ast.*

Die 15. Mart. 1828.

ll) Quibus personis est danda?

Vd. *Beneficium* (reservat. SS. Pontif. juxta regul. etc. n. XX »de idiomate;« collatio dignis p. 404. etc.; regulare, saeculare, nominatio.) *Beneficiatus* (qualitates p. 185. 232). *Concursus pro collatione eccles. paroch., Ferraris; p. 365. n. 8.*

*) Vd. *p. 246.*

*) Vd. *p. 239.*

Contra acceptiones personarum*) in beneficiis ecclesiasticis conferendis extant querelae Bracharensis Archiepiscopi coram Patribus Concilii Tridentini apud Palavicinum in *histor. Concilii Trident. lib. 23. cap. 7. n. 7.*

Omnia jura clamant, ut meliores et sanctiores eligantur et ideo peccant contra justitiam distributivam, qui omisso digniore**) eligunt dignum, ut notant DD. in *cap.: Constitutis decretal. de appell., Covarruv. in relect. cap. Peccatum. de R. I. in 6. §. 7. num. 4, Fagnan. in cap.: Cum dilectus, decretal. de consuet. n. 19.****)*

Patroni etiam laici eligere tenentur digniorem, ut contra Lambertinum probat *Covarruv. loc. cit. num. 5*, sed ad evitandas lites et discordias praesentatio patroni de digno, omisso digniore, in foro externo irritari nequit, ut notant canonistae *ad cap. 3. decretal. de jur. patron.*

Unde desumenda major capacitas; et quomodo de ea inquirendum et quam grave delictum sit accipere personam in collatione beneficiorum, consule *Espenium in jus eccles. unio p. 2. tit. 31. cap. 3 et 4.*

Qui relicto digniore ecclesiae praefert minus dignum et acceptionis crimen perpatravit, tenetur ad restitutionem et reparationem omnium damnorum, quae ex tali provisione obvenerunt; nam laesit justitiam commutativam, cum ex quasi contractu obligatus fuerit ad majus ecclesiae bonum procurandum. Si autem digniori omisso saltem extra concursum etsi dato malo non eum a beneficii consequutione prohibuit, probabilius non tenetur ad ullam restitutionem, tum quia dignior non habuit ullum jus actu quaesitum tum quia illius respectu solummodo justitia distributiva fuit laesa; restitutio autem est actus justitiae commutativae, *d. Thom. 2. 2. quaest. 62. art. 1.* Si autem beneficium per concursum providetur, eligens minus dignum tenetur compensare damnum digniori. *Communissima.* Si autem minus dignus electus est ad beneficium simplex sine concursu, eligens a quacumque excusatur restitutione. Sic communius censent Canus, Nav., Tol., Loss., Sanchez., Lugo, Castrop., Croix. Vid. autem de tota hac materia d. *Ligor. in sua theolog. moral. lib. 4. de praecep. particul. cap. 2. de statu cleric. dub. 1.*

Beneficia ecclesiastica conferenda sunt habentibus qualitates a jure*) et Concilio Tridentino requisitas, quae praecipue sunt sequentes:

Primo, ut promovendus ad praelaturas et beneficia ecclesiastica sit ex legitimo matrimonio procreatus; illegitimus enim est incapax omnis beneficii, nisi cum eo dispensetur; *cap.: Cum in cunctis 7. de election. et electi potest.* et *glossa*, ibi verb.: *Matrim.*

Secundo, ut eligendus sit clericus,**) hoc est, ut saltem quis prima tonsura initiatus

*) Vd. *t. I. p. 170.*

**) Vd. *411. q.*

***) Distinguendum esse videtur beneficia simplicia inter et duplicia. Equidem contra justitiam distributivam agitur et mortale peccatum patratur, cum in beneficiis duplicibus, omisso digniore, minus dignus eligitur, Trid. *sess. 7. cap. 3. de refor.*. non autem idem dicendum de simplicibus beneficiis, *Reiffenst. lib. 1. tit. VI. §. X, Lugo disput. 35. de justit. et jure sect 2. n. 20, Lessius lib. 2. de just. et jure cap. 34. dub. 14, Garcias, Navarrus* et alii quamplures; quia tunc parum damni infertur ecclesiae, modo praetermittatur dignior semel vel bis. *Lug. c. n. 21, Lessius, Navar., Az., Croix. d. n. 588;* modo beneficium parvi sit momenti parvusque excessus dignitatis. Quinimo Lugo, Lessius, Sanchez, Garzias, Navarrus, Sotus, Sylvester et alii apud *Reiffens t. lib. 1. VII. §. X.* notant etiam in electione ad beneficia duplicia non adesse mortale peccatum, quando excessus dignitatis in eo, qui praetermittitur, modicus est ac dumtaxat parvus super eum, qui eligitur. (Vd. *p. 404. p.*)

*) Vd. *p. 232. n. 28.*

) Per id temporis, quo ordines a beneficiis minime fuerunt sejuncti,*) Episcopi laicis probatae vitae conferebant ordinem ecclesiasticum simul et beneficium, eos in ordinatione ipsa describendo inter matricularios clericos de proventibus certae ecclesiae viventes. At ex quo introducta fuit separatio beneficiorum ab ordinibus, nonnisi clericis prima saltem tonsura initiatis mera beneficia ecclesiastica donarunt. Laicis pauperibus distribuebant beneficia *non mera* ob portionem reddituum communium eis debitam, scilicet bona beneficiorum temporalia sine aliquo spirituali jure vel ministerio, ut erant praedia ecclesiastica beneficiario vel precario nomine concessa; *Gagliard. de benefic. cap. 9. a num. 3. ad num. 11.* In beneficiis de jurepatronatus licet patronis praesentare laicos sub conditione, dummodo clericatus intra tempus datum ad praesentandum superveniat. An vero valida sit collatio beneficii facta cum clausula: Si quamprimum ad clericatum fuerit assumptus, tum: an valida sit collatio beneficii facta eo die, quo quis ordinatus fuit, necnon de aliis id genus quaestionibus consule *Ventrigl. in prax. tom. 2. adnot. 7. a num. 8. ad plur. sequent.*

***) Vd. *supra p. 139. n. 10.*

sit, nam, licet quilibet christianus de jure communi sit capax beneficii, ut docuit *Rota part. 4. t. 1. recent. dec. 307. num. 1*, hodie tamen quilibet laicus non insignitus clericali charactere seu saltem non tonsuratus ad quodlibet beneficium inhabilis existit et nullum assequi potest, adeo quidem ut non sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari; *cap. Ex literis 6. de transact.* et notat *glossa final.* et *Abbas*, ibi *num. 3* et tenet *Rota p. 18. tom. 1. dec. 40. n. 4.* Nisi tamen Papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi ac postea quam primum tonsurari, prout aliquoties contigisse cum magnorum Principum filiis praesertim in Germania refert *Sannig. cap. 2. num. 2 de electione.* Aut nisi ejusmodi electio fiat ex speciali instinctu Spiritus sancti, prout s. Nicolaus, s. Severus et s. Ambrosius ex laicis fuerunt electi in Episcopos, ut habetur in *cap.: Statuimus 8. §. E contra dist. 61.*

Tertio, ut eligendus sit maturae seu legitimae aetatis*) a sacris canonibus praescriptae; qua non servata electio est nulla et scienter eligentes incurrunt poenas in jure statutas, ut patet ex *cap.: Cum in cunctis 7. de election.* et *c.: Indecorum 3. de aetate et qualitat. praeficiendor.*, ubi de hoc sequens ratio assignatur, quia indecorum est, ut hi debeant ecclesias regere, qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad ecclesiarum regimen tales personae sint admittendae, quae discretione praeeminent et morum fulgent honestate.

Quarto, ut promovendus sit in statu caelibatus, hoc est ut non sit matrimonio ligatus; siquidem collatio facta ei, qui matrimonio junctus est, invalida existit; *cap.: Sane 2. de clericis conjugatis.* Immo si clericus in minoribus ordinibus constitutus habeat beneficium et postea contrahat matrimonium, illud ipso jure perdit, *cap.: Si quis clericorum 1, cap.: Quod a te 3. de clericis conjugatis.***)

Quinto, ut eligendus seu promovendus habeat saltem tantam scientiam***) seu rerum agendarum notitiam, quanta est necessaria et sufficiens ad rite exequendum officium, ad quod eligitur seu promovetur, ut colligitur ex *c.: Quum in cunctis 7. de election.* et *c.: Praecipimus 10. dist. 34.* et *c.: Non confidat 59. dist. 50, Rota p. 17. recent. decis. 217. n. 6.*

*) Vd. *t. I. p. 278. etc.*
**) Vd. *p. 367. n. 13.*
***) Vd. *p. 232. n. 28; p. 423.*

mm) Quibus personis non est danda?

Vd. *Beneficium* (admissio; regulare, saeculare.) *Illegitimi* (ordinatio.) *Ferraris.*

Inhabiles et incapaces ad beneficia ecclesiastica assequenda sunt:

I. Haeretici*) eorumque fautores, receptores, defensores necnon filii eorum usque ad secundam generationem, *cap.: Quicumque 2. de Haereticis in 6. §: Haeretici autem*, ibi: »Haeretici autem, credentes, receptores, defensores et fautores eorum ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium publicum admittantur; quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane.«

II. Schismatici;**) *arg. cap.: Quia diligentia 5. de election.*, ubi electio schismatici ad unionem ecclesiae redeuntis dispensatione solum permittitur confirmari, ac notat *Abbas ibid. num. 1* et *Barbosa num. 2* et alii; Paulus IV. in constitut. incip.: *Cum Apostolatus* edita 15. Calendas Martii 1559, in qua statuitur, ut haeretici et schismatici, ultra sententias et poenas a variis Pontificibus inflictas sint ipso jure privati omnibus ecclesiis, etiam cathedralibus, metropolitanis, parochialibus ac quibuscumque dignitatibus et beneficiis ecclesiasticis; s. Pius V. in constit. etiam incip.: *Cum ex Apostolatus* edita 6. Calend. Februarii 1567 reservavit Sedi apostolicae beneficia propter haeresim vacantia declaravitque, illa non comprehendi in impetrationibus, in quibus modus vacationis propter crimen haeresis non sit expressus; Gregorius XIII. in constitut. incipien.: *In ecclesia*, edita Idibus Novembris 1580 decrevit dispositiones beneficiorum factas apostolica vel ordinaria auctoritate in personam haereticorum aut ab eis descendentium vires et effectum non habere et beneficia hujusmodi uti prius vacare. Unde, licet concilium Constantiense habilitasset schismaticos ad beneficia conferenda vel obtinenda et illius dispositio sublata non esset ex concilio Lateranensi, tamen, cum in hoc contrarium decernat Paulus IV., Pius V. et Gregorius XIII. in citat. constitutionibus, standum erit illorum extravagantibus tamquam posterioribus. Ad hoc enim, ut constitutio posterior tollat priorem conciliarem, non est opus, ut specialiter deroget concilio generali, quia haec derogatio requiritur tantum in privilegiis et literis gratiae, juxta textum in *cap.: Ex*

*) Vd. *p. 365. n. 8.*
**) Cf. *p. 440. qq.*

part. 3. de capell. monachor. et *cap.: Eam te 4. de aetate et qualitate.* Non autem in constitutionibus, quae fiunt per modum legis universalis, ut est casus in *cap.: Licet 1. de constitutionibus* et ibi *glossa Archidiaconus*, et omnes notant communiter.

III. Incapaces sunt ad beneficia, qui illa obtinent ad preces haereticorum, et ipso facto privati sunt, si obtinent, et inhabiles fiunt ad alia, cit. *c.: Quicumque 2. de haereticis in 6. §: Ad haec*, ibi: »Ad haec quoscumque viros ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus et quaecumque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc privamus taliter acquisitis, volentes, quod tales et habitis careant perpetuo et, si receperunt illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur.«

IV. Inhabiles et incapaces ad beneficia sunt excommunicati excommunicatione majori, suspensi et interdicti et collatio beneficii sicuti et electio ad illud nulla est ipsoque jure irrita, si fiat excommunicato excommunicatione majori vel suspenso aut interdicto, prout patet ex cap.: *Cum dilectus 8. de consuetudine, cap.: Ad haec 1. de postulatione Praelator.* et *cap.: Postulasti 7. de cleric. excommunicat.**) Dicitur notanter: *Excommunicatione majori*, quia, si beneficium conferatur excommunicato excommunicatione minori vel hic ad illud eligatur, collatio aut electio non est ipso jure sed solum irritanda per sententiam judicis, ut colligitur ex *cap.: Si celebrat. 10. de clerico excommun. ministrant.*, ubi de excommunicato excommunicatione minori dicitur:» si tamen scienter talis electus fuerit, ejus electio est irritanda ;« et consequenter non est ipso jure irrita, cum hoc nuspiam alibi sit expressum, simulque haec materia veluti odiosa et poenalis sit restringenda; *Barbosa in cit. cap.: Si celebrat. num. 3, Pirhing. de clerico excommunic. ministrant. n. 47, Passerinus cap. 25. de election. num. 475, Suarez. disp. 24. de censuris sect. 2. n. 2. Lessius et alii.**)

V. Irregulares sunt inhabiles et incapaces; *cap. Henricus 2. de cleric. pugnantibus in duello, cap.: Si celebrat. 10. de clerico excommunic. ministrant.* Et *cap.: Ex literis 2. de clerico non ordinato ministrante*; et colligitur ex *c.: Praecipimus 10. dist. 34* et *cap.: Non confidat. 59. dist. 50*, ubi irregu-

*) Qui beneficium confert excommunicato, praeter excommunicationem minorem, quam incurrit, ipso jure suspenditur a collatione ejusdem beneficii, ut ita puniatur in eo, in quo peccavit; *cap.: Cum in cunctis § : Clerici de electione:* a collatione vero aliorum beneficium, est ipso jure suspensus sed post binam monitionem non suspendi debet, ut habetur in *cap.: Postulasti de clerico excom. ministr.: Sayrus lib. 2. cap. 5. num. 3, Cornejo in 3. par. tract. 5. de excomm. disp. 10. §. 7. dub. unic. quaest. ult.*

*) Unde propter illa verba: *Si tamen scienter talis electus fuerit,* tuetur *Avila part. 2. cap. 6 disp. 12. dub. 4. concl. 4.* electionem ad beneficium excommunicati excommunicatione minori non esse irritandam, si electores illam ignoraverint, ne vocula illa *scienter* sit omnino superflua, ut de facto esset, si electio talis excommunicati adhuc cessanda esset sive ignoranter sive scienter facta fuisset ab electoribus. *Glossa* tamen in *cit. cap. ult. ver: Scienter* vult vocem illam *scienter* referri non ad electores, sed ad ipsum electum, ita ut sensus illorum verborum sit: »Si tamen scienter talis, id est sciens minorem suam excommunicationem itaque inhabilitatem, electus fuerit, irritandam esse ejus electionem, sive sciverint electores sive ignorarint; ignorantia enim electorum non facit eum habilem et causa in hoc cap. signata nihilominus remanet. Aliam qnaestionem subdit *gloss. loc. cit.:* an scilicet, qui talem scienter eligunt, priventur voce seu jure eligendi: et respondet: affirmative §. *de elect. cum in cunct.* et *cap.: Scriptum in fin.*: glossam sequuntur *Alterius de cens. tom. 1. disp. 4. c. 2. §: Requiritur etiam* et *Richardus in 4. dist. 18. art. 7. qu. 4.* Sed opinio negativa magis arridet *Sebastiano a Bononia tract. de elect. part. 2. cap. 2. dub. 61. num. 12* et *Gordono tom. 2. lib. 7. quaest. 11. cap. 4. §. 3. n. 26*, quibus adhaeret *Diana p. 5. tr. 9. resol. 132.*

Obiter hic notandum, I: absolutum pro foro interno, si antequam pro foro externo absolvatur obtineat beneficium, posse tuta conscientia illud retinere, quia vera et valida fuit collatio quoad forum internum, siquidem facta fuit non excommunicato pro foro interno. Ita docent P. *Suarez. tom. 5. disp. 4. sect. 7. num. 27, Trullench. in bull. cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 11. num. 2.* apud *Mendo de bull. cruc. disp. 25. num. 129.* Esto possit ille accusari apud judicem, qui privare ipsum potest beneficio, eo quod non judicet de occultis et collatio beneficii facta excommunicato sit nulla; ille autem erat pro foro externo excommunicatus, *cap.: Postulastis, de clerico excommunicato*; *Covarruv. in cap. Alma mater par. 1. §. 7. num. 1,* et communis. Consequenter ad dicta absolutus pro foro interno, pro illo faciet fructus suos, si beneficium habeat.

II. Si excommunicato conferatur a Pontifice beneficium et in rescripto aut bullis apostolicis apponatur ea clausula, quae juxta stylum curiae solet apponi, nempe: »Pontificem absolvere eum, cui beneficium indulget, ab omni censura, ad effectum dumtaxat ejusmodi rescripti consequendum,« validum fore beneficii obtentionem, cum tunc temporis, quando beneficium obtinet et perducit rescriptum ad effectum, ille non sit excommunicatus sed absolutus, esto illico in censuras reincidat et quoad alia eis ligatus sit. Ita *Garcias de benefic. par. 7. cap. 13. a. n. 59, Barbosa de clausul. clausula 179.*

lares etiam a susceptione ordinum repelluntur, *Rota part. 5. tom. 2. dec. 602. num. 15. part. 12. decis. 210. num. 11.* Immo neque possunt beneficia optare; *Rota cit. part. 5. tom. 2. dec. 602. num. 16.* Et collatio ipsis facta et ipso jure nulla; *Rota part. 5. decis. 291. n. 6.*

VI. Inhabiles et incapaces sunt infames; *ex regula 87. juris in 6*, ibi: »Infamibus portae non pateant dignitatum;« *Rota part. 12. decis. 305. n. 6.*

Omnesque indigni, inhonesti et hujusmodi; *Concil. Coloniense IV. p. 1. cap. 4. Concil. Senonense in decretis morum cap. 8, cap. Grave nimis 29. de praebend., Con. Trident. sess. 22. cap. 4. de reformatione.*

Oritana.

Infames et criminis praesertim homicidii reos a dignitatibus ac beneficiis repellendos docent aperte textus in *cap. 87. de reg. jur. in 6, Baumgartner in conclus. lib. 5. tit. 41. ren. 87, Garc. de benef. part. 7. cap. 11. n. 6.* Pariter nedum exploratum est, quod criminosus, maxime si homicida, ut talis damnatus, arcendus omnino sit ab ecclesiasticis beneficiis, sed vel ipsam homicidii diffamationem, donec ex capite innocentiae diffamatus absolutus non fuerit, ad eum effectum sufficere ad *text. in cap. Inter dilectos 11. de excess. Praelat.* et in *cap.: Omnipotens de accusat., Lotter de re benefic. lib. 2. qu. 31. num. 145 et seq., Card. de Luca ad conc. disc. 12. num. 19. vers.: Secus autem, Pignatell. consult. 16. num. 6. vers.: Secus t. 7* et s. Congr. in *Novarien. 1. Octobr. 1661. lib. decret. 22. pag. 667.* Hanc autem infamiam, quae ex facto oritur, non tolli per clausulam »*novis supervenientibus indiciis*,« quae accusatum ab inquisitione non eximit ejusque innocentiam excludit, censuit s. Congregatio in *Vigilien. diei 23. Sept. 1673. lib. 28. decret. fol. 170* et in similibus terminis clausulae »*ex hactenus deductis*« tradunt *Pignatell. consult. 93. num. 3. t. 6, Monacell. tit. 13. form. 3. num. 37. tom. 2,* Et s. Congregatio *in Capuana Concursus 21. Nov. 1739 ad 2. dub.* a concursu repellendum jussit omnino Nicolaum de Bartolomaeo, quamvis simili clausula absolutum.

Die 7. Aug. 1841.

VII. Inhabiles et incapaces sunt furiosi seu mente capti; *Rota part. 2. decis. 190. num. 3.* Laborantes morbo caduco, *Rota part 2. dec. 236. num. 2,* Spurii, *Rota part. 16. decis. 43. num. 2.*

VIII. Inhabiles et incapaces sunt simoniaci;*) *cap. Si alicujus 59. de election., cap: Nobis fuit 27. de simonia. Extravagant: Cum detestabile, de simonia* inter communes; s. Pius V. in constit. incip.: *Cum primum.***) Et in alia incip.: *Intolerabilis;****) *Rota part. 12. decis. 305. num. 2 et decis. 396. num. 5.*

IX. Incapaces sunt beneficiorum clerici uxorati; *Conc. Lateranense III. in appendice, cap.: Si qui Clericorum 1, cap.: Sane 2, cap.: Quod a te, 3, de clericis conjugatis.*

X. Insuper beneficii curati est incapax, qui nescit loqui in idiomate illius nationis, in qua habere vult curam; *Urbanus VIII. constit. 6.* incip.: *Sanctissimus cap. 20.*

XI. Filii ac nepotes offendentium Cardinales efficiuntur inhabiles ad ecclesiastica beneficia obtinenda, textu expresso cap.: *Felicis 5. vers.: Quod si quis praedictorum, de poenis in 6.*

XII. *Filii etiam legitimi clericorum* nequeunt immediate succedere in beneficiis paternis; *cap.: Quoniam 10, c.: Ad extirpandas 11, cap.: Michael 13. de filiis presbyteror., Rota part. 4. tom. 1. dec. 12. sub n. 1;* dicitur tamen notanter *immediate succedere*, quia filius legitimus non prohibetur patri *mediate* succedere, si videlicet post patrem intercesserit alia persona media, cui beneficium illud collatum fuit; *c.: Ex transmissa 7. de filiis presbyteror.*; tunc enim cessat species successionis haereditariae, quae est motivum prohibitionis, cum tales haereditariae successiones fuerint semper reputatae iniquae, detestabiles ac sacris canonibus inimicae, ut *cap.: Apostolica 7. caus. 8 qu. 1, cap.: Ad extirpandas 11. de filiis presbyteror.* et *cap : Accepimus 2. de pactis.* Et dicitur etiam notanter *succedere*, quia aliud beneficium dissimile non prohibetur filio legitimo habere in eadem ecclesia, in qua pater ministrat, textu claro *cap.: Ad haec 12. de filiis presbyteror.* Immo potest filius legitimus praeesse ecclesiae, in qua pater sine titulo quandoque ministravit, textu expresso *cap.: Constitutus 8. de filiis presbyteror.* Alias

*) Vd. *Beneficium* (collatio simoniaca p. 443.)
**) Vd. *p. 452.*
***) Vd. *p. 455.*

autem solus Papa potest dispensare, ut filius etiam legitimus in ecclesia paterna seu beneficio a patre praehabito immediate succedat, textu evidenti *cap.*: *Dilectus 17. de filiis presbyteror.* Immo hac pontificia dispensatione indiget filius legitimus ad succedendum *immediate* patri etiam beneficio de jurepatronatus, ad quod in fundatione sunt vocati proximiores de genere; sac. Congr. Concil. 23. August. 1631.

Filius legitimus consequi prohibitur beneficium a patre praehabitum; esset enim species haereditariae successionis. Nihil tamen vetat, quominus pater possit obtinere beneficium a filio praehabitum. Quod verum est etiam de patre respectu beneficii a filio illegitimo obtenti, ut ex responsione s. Congregationis; *de synodo dioec. lib. 13. cap. 24. §. 15. nov. edit.*

Num vero filio obtinere beneficium fas sit, quod pater quidem habuit, sed ab eo transivit in tertium et ab isto in eumdem filium, respondetur, filio legitimo id quidem non prohiberi; *cap. Ad extirpandas, de fil. presbyter.* Illegitimis vero non licet, ut ex bulla Clementis VII.*) et responsis s. Congr. ibid. §. 18.

Nepos vero legitimus ex patre illegitimo natus obtinere avi beneficium non vetatur, ipso licet avo vivente, ut ex responsis s. Congreg. et rotali decisione; ib. §. 19.

Urbanus PP. III.

Servus servorum Dei. Dilectis filiis Abbati et conventui Fiscannensi. Salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a sacris sit canonibus alienum, ut in ecclesiis Dei patri filius nullo mediante succedat nec sanctuarium Dei possit jure quasi haereditario possideri, mirabile gerimus et indignum, quod in quibus ecclesiis monasterio vestro utroque jure subjectis nonnulli, sicut accepimus, suis parentibus successerunt easque contra disciplinam canonicam detinent in scandalum plurimorum, ideoque auctoritate vobis praesentium indulgemus, ut eos, qui taliter memoratas ecclesias detinent, liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem ab ipsis ecclesiis removendi, ita tamen quod eaedem ecclesiae sine dilatione congrua canonice de personis idoneis ordinentur; nisi forte ibi tanto tempore fuerint et taliter conversati, quod videantur merito sustinendi.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Veronae die 1. Junii 1187.

(Bull. r. t. III. p. 48. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Filii *illegitimi* clericorum in ecclesiis, ubi eorum parentes habent beneficia vel ante habuerunt, quodcumque beneficium obtinere non possunt, sic expresse Concil. Trid. *sess. 25. de reformat. cap. 5*, ibi: »Ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur, non liceat filiis clericorum, qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere nec in dictis ecclesiis quoquomodo ministrare nec pensiones super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent vel alias habuerunt, habere.« Et colligitur ex *cap.: Ad praesentiam 2, cap.: Cum decorem 15 etc., cap.: Ad abolendam 16. de filiis presbyterorum.* Et haec prohibitio procedit non solum de filiis illegitimis presbyterorum in sacerdotio genitis, sed etiam de naturalibus procreatis ante clericatum parentum, prout a sacra Congregatione Concilii fuisse decisum refert *Garcias part. 7. de beneficiis cap. 3. n. 15.* et sequitur *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 45. num. 6.* cum aliis.

Illegitimi autem filii quoad hoc etiam illi censentur, qui postmodum legitimati sunt, non vero illi, qui post subsequens matrimonium legitimati habentur, ut partim ex decretis sac. Congr. partim ex *Fagnano*.

Possunt vero illegitimi minores ordines, tum beneficia, quibus non imminet cura animarum, ex Episcopi dispositione obtinere; *c. 18. de filiis presbyt.*, dummodo non agatur de beneficiis in ecclesiis, in quibus patres habeant aut habuerint beneficia; *c. 2. et seq. eod.*

*) Vd. *p. 439.*

De filiis illegitimis clericorum, qui in ecclesiis, in quibus patres habent vel habuerunt beneficia, prohibentur habere quodcumque beneficium, tum de filiis etiam legitimis clericorum, qui nequeunt immediate succedere in paterna beneficia, consule *Murg. de benefic. qu. 3. a n. 611. ad plur. sequent.* late de utroque hoc argumento disserentem.

Illud hic non est omittendum, quod probata qualitate sororia inter duas ecclesias illegitimus assequi haud potest beneficium in una ecclesia sororia, si ejus pater beneficium habeat in altera ecclesia sororia. *Rota in Caesaraugustana Canonicatus 2. Julii 1742. cor. r. P. D. Bussio decano.*

Filii presbyterorum ex fornicatione nati beneficia ecclesiastica per eorum patres obtenta minime obtinere possint.

Clemens VII. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad canonum conditorem non est dubium pertinere, cum statuta a se vel praedecessoribus suis ad animarum christifidelium salutem edita propter eorum abusum, qui successu temporum malitia hominum succrescente magis in dies dignoscitur, obesse quam prodesse animadvertat, ne ulterius obesse valeat providere. Sane, postquam felicis recordationis Alexander Papa III. Praedecessor Noster, filios praesertim sacerdotum in ecclesiis paternis succedere prohibuerat easque nihilominus, media intercedente persona, filios ipsos habere disposuerat, cum passim sacerdotes, ut ecclesiis suis eorum filii potirentur satagentes, in Alexandri Praedecessoris hujusmodi dispositione confisi, ecclesias suas, quas ad eorum pervenire filios constituebant, in favorem personarum, quae ecclesias ipsas, etiam illarum possessione non habita, in ipsorum resignantium filios, ex fornicatione genitos, illico mox resignare ipsique filii ecclesias ipsas, dispensatione super defectu natalium, quem ex dictis sacerdotibus resignantibus geniti patiebantur, etiam patris nomine expresso obtenta, consequi hactenus consueverint, profecto perniciosum semper et ab ominabile ac in gravem divinae Majestatis offensam tendere, videlicet quod ipsi presbyteri eorum crimen, quod erat occultum, non sine turpitudine ob inordinatum spuriorum filiorum amorem detegere non erubescerent

§. 1. Judicavimus propterea quod, ubi tempus, quod omnia palam facit, et praesentium ratio, quid in futurum cavendum sit, admonet, merito admonemur et ad tollendum hujusmodi abusum necessarium arbitrati sumus ejusdem Alexandri Praedecessoris canonem corrigere potius quam talia cum tanto hominum scandalo tollerare. Habita igitur super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et unanimi consensu, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus et ordinamus, quod de cetero filii presbyterorum, ex fornicatione nati, ecclesias cathedrales, etiam metropolitanas ac monasteria, quibus eorum patres praefuerunt, seu illa et illas dignitates, etiam majores et principales, personatus, administrationes et officia, etiam curata et electiva et alia quaecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis ordinum regularia, quae presbyteri et clerici ac religiosi eorum patres in titulum vel commendam aut administrationem, ad tempus seu in perpetuum, aliquando obtinuerunt, nullo umquam tempore quomodo obtinere possint nec cum eis super hoc dispensare intendimus. Et si quas dispensationes per Nos concedi contigerit, tamquam per praeoccupationem et contra mentem nostram concessas eis nullatenus suffragari talesque dispensationes nostris nolumus exultare temporibus; et quod Nos non patimur nostris successoribus indicamus.

§. 2. Non obstantibus praefati Alexandri Praedecessoris et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 3. Volumus autem quod praesentium transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 3. Junii 1530.

(Bull. r. t. VI. p. 143. Ed. Aug. Taur. 1860.)

Dubium beneficii. — Filius naturalis clerici postmodum ad episcopatum promoti provisus fuit de beneficio in dioecesi episcopatus sui patris. Sed quoniam juxta Con-

cilium Tridentinum *cap. 15. sess. 25.* non licet filiis illegitimis clericorum beneficia obtinere in ecclesia, in qua eorum patres beneficium habent vel habuerunt, angitur scrupulo, num possit retinere. Quare ut suae conscientiae consulat, supplex instat declarari:

An filius naturalis possit obtinere beneficium in dioecesi, in qua pater est Episcopus?

Sacra etc.: Habeatur informatio de natura, loco et impetratione beneficii.

(Anal. I. P. 1865 p. 1799.)

XIII. Stupratores incapaces sunt ad assequenda beneficia. *Rota part. 7. decis. 323. n. 30.*

XIV. Sodomitae incapaces sunt ad beneficia assequenda. *S. Pius V. in const. Horrendum.*

nn) Recursus a collatione.

Vd. *p. 426. §. 4. ad fin.; t. I. p. 594. n. 13.*

oo) Per regulas cancellariae apostol.

Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regulas etc.)

pp) Sacerdotibus, qui vitam communem gerunt.

Vd. *Clerici saecul.* (vitam commun. etc., Instit. Innocent. XI. diei *9. Febr. 1685.*)

qq) Saecularis beneficii.

Vd. *Beneficium saeculare.*

rr) A Schismaticis.

Vd. *p. 435. II.*

Beneficia conferri non possunt a Schismaticis et collationes beneficiorum a Schismaticis factae sunt ipso jure nullae; *c.: Quod a praedecessore 1. de Schismaticis*, ibi: »Adjicientes, ut qui dignitates ecclesiasticas seu beneficia per dictos schismaticos acceperunt, careant impetratis.«

ss) Sede vacante episcopali pertinet collatio ad Sedem apostol., ubi viget regula II. cancellariae.

Vd. *p. 429. ii.*

In ecclesia receptitia N. in Italia vacavit archipresbyteralis praebenda, cui cura animarum est adnexa. Absente interim Episcopo eoque deinde vita functo praepositus fuit animarum regimini tamquam oeconomus Josephus regularis saecularizatus, qui scilicet ex apostolica venia regularem ordinem deseruerat atque inter clericos ejusdem ecclesiae receptitiae N. fuerat cooptatus cum facultate consequendi *unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum.*

Cum autem Josephus per biennium ut oeconomus vacantem paroeciam rexisset, Vicarius, instante etiam municipio, edicta affixit invitavitque, quotquot ad vacantem praebendam obtinendam adspirarent, ut facto periculo juxta morem coram examinatoribus ille, qui magis idoneus repeniretur, praebendam archipresbyteralem consequi posset.

At vero Josephus dumtaxat, praesens scilicet oeconomus, nomen pro experimento dedisse dicebatur, quo peracto perquam idoneus fuit repertus. Cum autem praeterlapsus esset canonicus terminus ad conferendam paroeciam, Vicarius capitularis a Sede apostolica suis literis facultatem implorabat, ut in possessionem praebendae vacantis immittere posset memoratum Josephum.

Interea clerus ejusdem ecclesiae receptitiae reclamavit ob duplicem praesertim rationem, tum quia sibi spectare contendebat jus praesentandi ad archipresbyteralem praebendam, tum quia ipsum utpote regularem eamdem assequi non posse asserebat. Nonnulla interea contigerunt, quae nec ad praesentem quaestionem faciunt nec sunt digna memoria.

Duae itaque quaestiones in disputationem venerunt, una nimirum super jurepatronatus, altera vero super canonica electione Josephi.

Ea quae favore cleri ecclesiae N. adducebantur.

Clerus ad sibi vindicandum jus praesentandi archipresbyterum quoddam documentum adducebat anni 1585, in quo ad rem nostram haec continentur: »Supplicamus Illmo et Revmo Episcopo, ut indulgere dignetur, ne unquam Vicarius foraneus alius sit ab archipresbytero, ne lites et dissentiones ob harum dignitatum diversitatem in capitulo oriantur, et *ut dictus archipresbyter sit de gremio capituli inter eos* (Canonicos) *eligendus juxta antiquam consuetudinem capituli ejusdem*, confirmandus a Revmo Episcopo, et ita, ut creatus amoveri non possit, excepto casu gravis delicti seu legitimae

causae, nec possit alia dignitas constitui in eadem ecclesia et clero, excepto memorato archipresbytero, illo modo ut supra.« Post haec in eodem documento Episcopi illius temporis rescriptum his verbis legebatur: »*Quibus capitibus visis ac perlectis odia litium fugientes, et ne totus grex sine pastore diu esset, inclinantes benigniter subscribimus, ratificamus et de novo concedimus ac nostro consueto ipso sigillo munimus.*«

Ex hoc itaque documento arguebat cleri defensor possessionem plus quam centenariam hujus patronatus juris, ita ut, etsi ignoraretur legitimus ejusdem titulus, hic tamen praesumi deberet, maxime cum documentum adductum ostenderet, ut defensor ipse ajebat, juspatronatus haud fuisse tunc primo concessum, sed jamdudum existens per illud documentum fuerit confirmatum, prout ostendunt verba illa: *juxta antiquam consuetudinem capituli ejusdem.* Haec enim verba praeseferunt observantiam, cujus origo latet in antiquitate. Nemo porro ignorat immemorabilem hujusmodi observantiam non solum excusare ab originario titulo proferendo sed etiam praesumptionem inducere pro quovis titulo de mundo meliori, ut juristae communiter loquuntur.

Quod si et ipse jurispatronatus titulus in casu exquireretur, non immerito constitui posse dicebatur in ipso documento adducto anni 1585. Praeseferre enim videbatur transactionis speciem inter clerum et Episcopum initae: *odia litium fugientes.* Jamvero explorati juris est, transactionem exceptionem parere litis finitae eamdemque vim habere rei judicatae ideoque etiam successores obligare, eo quod correspectivum et onerosum titulum praebeat.

Sed praeter violationem jurispatronatus sustineri insuper non posse cleri defensor contendebat acta concursus. Non enim formam a Concilio Tridentino et constitutione s. Pii V. *In conferendis*,*) servatam fuisse affirmabat: namque ajebat neque indictum neque habitum fuisse concursum, sed per privatum examen Josephum fuisse electum.

Ea quae eidem clero adversabantur.

Contra ea, quae per cleri defensorem ample adducta indicavimus, plura *ex officio* advertebantur. Namque cum agatur de jure patronatus, quod quamdam servitutem inducit, eidem clero tamquam actori onus incumbebat illud jus concludentissime demonstrandi. In jure enim quodlibet beneficium praesumitur liberae collationis, prout communiter tradunt auctores. Jamvero asserta cleri patronalia jura ostendi non videbantur per adductum documentum. Omissa enim quaestione de ejus authentia, quae a Vicario capitulari in dubium ponebatur, illud accedebat, quod ipsum documentum haberi non poterat neque tamquam originarius titulus acquisitionis dicti jurispatronatus neque tamquam testimonium antiquae possessionis. Nam etsi juspatronatus acquiri possit privilegio summi Pontificis, qui ex plenitudine potestatis de omnibus beneficiis disponere valet,*) *cap. Licet 2. de praebend. in 6,* non potest tamen illud acquiri ex privilegio ab Episcopo concesso, *cap. Hoc consult. de reb. eccles. non alien., Garcias de benef. p. 5. c. 9. n. 128* aliique communiter. Quare, etiamsi ab Episcopo tunc temporis juspatronatus concessum fuisset, cum hac potestate Episcopus sit destitutus, nullius momenti esset facta concessio et observantia inde orta.

Quod si illud documentum proferretur tamquam testimonium possessionis controversi juris, juvare clerum non poterat, nisi ostenderetur eadem possessio ad praesentia usque tempora perdurasse. Quemadmodum enim reliquae servitutes, ita et juspatronatus, licet antea legitime acquisitum, amittitur per non usum longissimo vel longo tempore, quod satis sit in hac re ad praescribendum. Tradunt autem auctores, si intra longum temporis intervallum duabus vicibus ecclesiae rector fuerit institutus absque praesentatione a patronis facta, jus praesentandi praescribi, nisi patroni ostendant se fuisse legitime impeditos. Porro in praesenti themate, etsi a clero assereretur per plura saecula continuata possessio dicti juris, nulla tamen legitima adducebatur ejusdem possessionis probatio. Quinimo in contrarium quaedam adducebantur praesentis et elapsi saeculi documenta praebendae archipresbyteralis collationem per concursum factam respicientia, quae nullatenus mentionem faciebant neque de jurepatronatus neque de praesentatione a capitulo facta. Quare neque in petitorio neque in possessorio existentia jurispatronatus prout oportebat ostendebatur.

*) Vd. *p. 425.*

*) Vd. *429. ii.*

Ea quae adversabantur electioni per Vicarium capitularem peractae.

Plura insuper animadversa sunt *ex officio*, quae contra electionem factam militabant. Quamvis enim capitulum sede episcopali vacante in universam Episcopi jurisdictionem succedere censeatur, id tamen juxta sacros canones intelligitur de jurisdictione, quae necessaria censetur ad dioecesis gubernium, non vero de voluntaria. Hinc capitulum seu Vicarius capitularis, in quem jurisdictionis exercitium transferri debet, beneficia illa, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, conferre omnino prohibetur*), *cap. 2. Ne sede vac.* Jure quidem decretalium olim ejusmodi beneficia vacantia a futuro Episcopo conferenda erant, postea vero eorum collatio apostolicae Sedi reservata est juxta regulam II. cancellariae et constitutionem s. Pii V., quae incipit: *Sanctissimus* diei 9. Martii 1568.**) Quapropter beneficia omnia, quae ad liberam Episcopi collationem spectabant sede episcopali vacante, nonnisi a romano Pontifice conferri possunt, ceu unanimi suffragio docent *Girald. Exposit. jur. pontif. t. 1. pag. 277. sect. 428*, *Reiffenst. lib. 3.* §. *2. n. 30*, *Pirrhing. lib. 3. tit. 9.* §. *2. n. 9*, *Rigantius ad reg. II. cancell.* §. *3. nu. 48, 143 et 145*, aliique.

At dubitatum fuisse advertebatur, an allegatae juris praescriptiones locum etiam haberent circa ea beneficia, quae vacarunt sede adhuc plena et vacantia ab Episcopo decessore relicta fuerunt, ut in casu praesenti contigerat. Plures enim auctores negativam sententiam sunt sequuti eamque sibi magis arridere affirmat *Rigantius loc. cit.*, eo quia reservatio, cum sit odiosa, limitari debet ad casum in lege expressum, scilicet ad beneficia, quae proprio destituantur rectore sede episcopali vacante. Contrariam tamen sententiam tuetur *Garcias de benef. par. 5. c. 1. n. 634. et sequ.*, *Tondut. resol. de benef. part. 2. c. 3.* §. *5. n. 28 et sequ.* eamque esse usu receptam et in praxi servari monet idem *Rigantius loc. cit.* Quare in

*) Vd. *p. 400. i.*

**) Regula, quae hodie secunda est inter regulas cancellariae, originem ex parte repetit ex citata constitutione s. Pii V. Haec enim reservatio beneficiorum, quae vacant post Episcoporum obitum, ante dictam constitutionem sancti Pontificis cognita penes veteres auctores non erat, prout colligi potest ex *Barbosa de off. et potest. Episcopi par. III. alleg. 57. n. 35.* Vd. *Beneficium* (reservatum ss. Pontifici juxta regul. cancell.)

praesenti casu, si ad Episcopi collationem archipresbyteralis praebenda pertinere definiebatur secundum receptam in praxi sententiam, deesse Vicario capitulari videbatur facultas eam conferendi.

Sed praeter ejusmodi reservationem et alii aderant defectus, ob quos cessavisset etiam jus conferendi dictam praebendam. Elapso enim tempore a jure definito is, ad quem primo loco collatio pertinet, ex negligentia jus amittit beneficium conferendi, juxta *cap. 3, 4 et 5 de suppl. negl. praelat. in 6.* Quinimo sex mensium termino elapso, cum de parochialibus ecclesiis agitur, earum collatio Sedi apostolicae est specialiter reservata ex const. s. Pii V. *In conferendis* diei 15. Aprilis 1567.

Insuper cum in jure certum sit irrita esse acta concursus in paroeciis conferendis, quae non fiant coram examinatoribus synodalibus, idest vel in synodo electis vel ex facultatibus s. Congregationis Concilii, ceu docet *Fagnanus* in *cap. Cum sit de aetate et qualit. n. 54 et Benedict.* XIV. *de syn. l. 4. c. 7.* §. *8. et 9:* ambigi etiam posse videbatur an prosynodalium examinatorum facultas ad sex menses a S. C. concessa expiraverit: namque ex actis concursus eruebatur examinatorum judicium emissum fuisse ultima semestris die.

Iosephus suam defensionem per causidicum suscepit, quae eo praesertim dirigebatur, ut excluderet juspatronatus a capitulo, de qua quaestione satis jam loquuti sumus.

Dubia:

I. »An constet de jurepatronatus favore »cleri N. quoad archipresbyteratum in casu?«

II. »An et quomodo sustineatur electio »Josephi ad archipresbyteratum, ita ut ei»dem danda sit institutio in casu?«

Resolutio. — S. Congregatio Concilii die 8. Julii 1866 causa discussa respondere censuit

Ad I. *Negative et amplius.*

Ad II. *Negative in omnibus et collationem spectare ad s. Sedem.*

Ex dictis colliges:

I. Sicuti legitima patronatuum jura tollere aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem redigantur non esse permittendum.*)

*) Memoria sunt digna verba Concilii Tridentini sess. 25. de ref. c. 9, quibus indicatur etiam modus, quo juspatronatus probari debeat; verba autem sunt ejusmodi: »*Sicuti legitima patronatuum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam, ut hocco lore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta Synodus, ut titulus jurispatronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis juris requisitis ostendatur, sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem.*«

II. Episcopali auctoritate non posse induci in beneficiis ecclesiasticis conferendis servitutem quamlibet, quae liberae collationi opponatur.

III. Beneficia vacantia sede episcopali vacante reservata esse apostolicae Sedi juxta regulam secundam cancellariae, cujus vi (ubi ea viget) reservata etiam censentur beneficia sede plena vacantia, quae talia manserunt sede episcopali postea vacante.

IV. Elapso sex mensium spatio in paroeciis liberae collationis eas s. Sedi esse specialiter reservatas juxta celebrem constitutionem s. Pii V. *In conferendis.*

V. In praesenti casu praecisione facta a qualibet reservatione non videtur sustineri potuisse electio Josephi, qui, licet apprime idoneus ob scientiam et caetera merita fuerit ab examinatoribus renunciatus, tamen utpote regularis habilis ex indulto factus non fuerat ad consequendam dignitatem, sed dumtaxat *beneficium etiam cum cura animarum.*)*

tt) Simoniaca.

Simonia; Benef. (collationis modus p. 423; resignationis abusus.)

I.) Est.

Tolentina.

In Beneficialibus actus reciproci, videlicet »facio ut facias« inducunt simoniam, ut in haec verba monet *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num. 16.* Recessus vero a lite licitum forsan reddit pactum ipsomet teste *Redoano loc. cit. cap. 2. n. 14.*

*) In praesenti casu praecisione etiam facta a jure reservationis neque sustineri forsan potuisset electio Josephi, quamvis caeteroquin idoneus ob scientiam et caetera merita. Ipse enim utpote regularis habilis non erat ad beneficia ecclesiastica consequenda; ex indulto habilis dumtaxat factus fuerat ad consequendum *unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum.* Porro heic agebatur non solum de beneficio curato, sed de *dignitate capitulari*, cui adnexa erat animarum cura, cujusmodi est archipresbyteratus, de quo loquimur, adeo ut archipresbyter non solum paroeciae praeesset, sed etiam collegiatae ecclesiae juxta ecclesiae ejusdem consuetudines.

Die 20. Mart. 1790.

Nullius s. Jacobi.

Simoniacus est in beneficialibus contractus: *do, ut des*, qualis videtur ille, de quo agitur; nam dedit Amaya beneficium, ut sibi daret Sanchez fructus, qui ad ipsum per resignationem pertinuissent, *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num. 16.* Qui ita enim absque licentia Sedis apostolicae contrahit, veram committit confidentiam, a qua tantopere abhorruit s. Pius V. in constitutione: *Intolerabilis 85.* §: *Quare nos volentes* et §: *Ad probandum:* ac nedum privatur beneficio et fructibus sed plectitur etiam excommunicatione, a qua nisi in mortis articulo constitutus ab alio quam a romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere, ut sub §: *Sed ne quisquam.* Mereri quidem possent oratores absolutionem a censuris et condonationem fructuum ob bonam fidem, cum qua contraxisse affirmabant, *Paris. de resignat. benefic. lib. 3. quaest. 6. num. 55.* Sed ponderandum est, num excusari valeant ex ignorantia juris contra dispositionem *cap.*: *Per tuas 3. de simon.* et sententiam *Fagnan. in cap.*: *Ne innitaris num. 428. de constit.*, et num in ea fuerint ignorantia, qui secretum contractum in resignatione beneficii reticuerint.

Die 21. Apr. 1792.

Germaniae.

D. Nuntius apostolicus inferioris Germaniae, factis de mandato SSmi diligentiis, notitiam habuit nonnullorum abusuum, quorum sequitur catalogus, nempe:

Vitia, quae rumor est practicari in materia beneficiali in aliquibus harum partium:

1. Collatores ex inveterato ut dicitur usu seu potius abusu exigunt aliquando sub praetextu sigilli vel aliter summam exorbitantem et aliquando etiam ingentem.

2. Plura capitula in admittendo ad possessionem exigunt pecunias, quae non convertuntur in usus pios.

3. Archidiaconi pro institutionibus exigunt certam summam juxta valorem beneficiorum.

4. Aliquando qui petit beneficium tradit alicui aliquam summam pecuniae dicens illas esse munus destinatum collatori, si beneficium obtineat; quod quidem curat ad illius notitiam pervenire, ut eum sic alliciat et moveat ad beneficium dandum.

5. Aliquando etiam qui optant beneficia sibi conferri conveniunt cum antecessore de aliquo praestando, si beneficia ipsi obtinuerint.

6. Aliqui habentes beneficia offerunt collatori repositionem, ut aliud obtineant. Plerumque collator curat reponi et postea confert reponenti pinguius beneficium; difficile autem est sibi persuadere hoc fieri cum simplici spe obtinendi pinguius, et sine pacto tacito.

In permutationibus.

Permutatur aliquando beneficium cum beneficio de pertica, maxime ad finem percipiendi statim fructus: nam si fieret resignatio, obtinens expectare deberet per unum vel plures annos juxta privilegia vel antiquas consuetudines capitulorum, quae secundum praedictas consuetudines seu privilegia habent annos carentiae.

Permutatur aliquando beneficium tenuis valoris cum beneficio pinguiori auctoritate Ordinarii et Ordinarius mandat illi, qui obtinet beneficium pinguius, ut solvat quotannis alteri certam summam de bonis propriis ad fructus parificandos.

Cum capitula ad evitandas fraudes, quae sic fiunt in eorum praejudicium, nam, ut dictum est, alias perciperent fructus carentiae, non admittant permutationes cum beneficio minoris valoris 24 ducatorum, is, qui permutavit canonicatum cum tali beneficio minoris valoris, non animo vere permutandi, resignat deinde hoc beneficium ad favorem illius, cum quo permutavit, et is solvit summam ex gratitudine.

In repositionibus seu resignationibus quae fiunt coram Ordinariis.

Cum hominum judicia ita sint depravata, ut longe minori facerent collatorem, qui beneficium repositum non conferret personae commendatae a reponente, hinc est, quod perinde fit collatorem rogare ac resignationem fieri ad favorem, cum eumdem effectum sortiatur fere infalibiliter ob vanam illam notam, quam incurreret collator si conferret alteri quam commendato a reponente seu resignante.

In resignationibus, quae fiunt in manibus summi Pontificis.

Aliquando volens resignare pecunia obtenta adit aliquem, quem putat inventurum dispositum ad illam dandam, eique aperit animum resignandi alicui, quem vellet sibi fore gratum. Hic invento tali significat volenti resignare N. N., qui desiderat beneficium et futurum gratum, quin et quandoque addit talem fore sub fide sua.

Qui resignari desiderat in sui favorem, aliquando tradit tertio summam illam, quam vult dare, si resignatio sequatur, dicens illud esse minus, quod destinavit resignanti, et curat hoc devenire ad ejus notitiam; deinde petit ab eo resignationem in sui favorem.

Aliquando petitioni, quae fit ut supra, addit resignatarius se futurum gratum.

Si fiant resignationes cum pensione, antequam admissa sit resignatio et reservata pensio, fit aliquando pactum de pensione redimenda. Pariter aliquando, antequam sit facta reservatio pensionis, fit depositum aequivalens pensioni decem annorum pro securitate resignantis et de eo non fit mentio in supplicatione.

Aliquando resignans et resignatarius conveniunt de certa summa, quam resignans vult habere pro resignatione.

Deinde haec summa dividitur in decem partes et resignatarius consentit in pensionem annuam valoris correspondentis uni ex dictis partibus. Postea tali summa redimitur pensio et ita resignans consequitur summam, quam a principio intenderat.

Quando resignationes canonicatuum fiunt cum pensione, adest aliquando quasicertitudo a principio extimationis.

Nam aliqua capitula, quorum interest canonicatus non esse gravatos pensione, tum propter collationem, si resignans superviveret, tum propter annos carentiae non admittunt ad possessionem resignatarium, nisi juret nullam adesse pensionem, unde ne hic fiat perjurus colligitur illam extinguere.

Pariter est certum pensionem extinguendam esse, si detur cedula bancaria. Nam vitio verteretur resignanti et male audiret apud vulgus, si non consentiret cassationi ad evitandum damnum, quod resignatarius pateretur habendo suam pecuniam otiosam. Male valentes aliquando resignant ad favorem et eorum supplicatio signatur; sed postea si convalescant aut cessent signa proximae mortis, differtur extensio consensus et aliquando hoc fit etiam cum pacto praecedenti; sic obtinent unam et alteram prorogationem ad publicandam resignationem; et cum tales porogationes amplius non concedantur, novam supplicationem porrigunt, qua signata reditur ad prorogationes ut supra et sic consensus saepe non extenditur, nisi post mortem resignantis. Ita beneficium non vacat nec per obitum nec per non publicationem resignationis, et nisi uterque moriatur vacatio non datur.

Praemissorum examen ac remedii excogitationem SSmus ad hanc sacram Congregationem remisit. Propterea Emi PP. non graventur decernere:

An et quomodo praemissis abusibus occurrendum?

Sacra etc. rescripsit:

Supplicandum SSmo ut dignetur per brevia singulis Episcopis per Germaniam et Rhenum et Flandriam injungere, ut invigilent, ne in collationibus, resignationibus et permutationibus beneficiorum et similibus etc. ulla simoniae labes incedat, et brevia praedicta transmittantur Nuntiis Germaniae, Coloniae et in terram inferioris Germaniae cum instructione.

Die 18. Maji 1680.

(Anal. I. P. 1865 p. 1982.)

N. presbyter gallus rector parochialis ecclesiae, de jurepatronatus laicorum nobilium, cum se viribus imparem existimaret ad substinenda onera dictae ecclesiae ingentis numeri parochianorum cura oneratae, cuidam N. rectori alterius vicinae parochialis ecclesiae proposuit se mediante dimissione primodictae parochialis ab illius patrono laico impetraturum, ut ad eamdem parochialem sic dimissam annuis redditibus longe uberiorem praesentaretur, dummodo idem N. hujusmodi praesentationis instuitu vellet secundo dictam parochialem in sui favorem resignare, prout factum est. Cum autem primo dictus N. vereatur conventionem ut supra habitam et executioni demandatam vitium aliquod continere, supplicat pro absolutione ad cautelam. Stantibus his precibus sacrae poenitentiariae porrectis et ab ea ad hanc sac. Congregationem remissis dubitari contingit:

1. *An supradicta conventio fuerit simoniaca?*

Et quatenus affirmative,

2. *An concedenda sit oratori absolutio?*

Sacra Congregatio respondit

Ad I: In casu de quo agitur affirmative;

Ad II: Dimisso beneficio et restitutis fructibus affirmative.

Die 3. Februarii 1685.

(Anal. I. P. 1864. p. 756.)

Alexand. II. Lucensis ecclesiae Clero.

Ex multis temporibus hoc detestabile malum intra ipsam ecclesiam inolevisse cognovimus, ut nulli unquam clerico, quamvis religioso, quamvis scientia et moribus praeditis, ecclesiasticum beneficium concederetur, nisi ei, qui profano pecuniae munere illud emere studuisset; fiebat ecclesia et res ejus ita venalis, veluti quaedam terrena et vilis merx a negotiatoribus ad vendendum exposita. Quod malum quam detestabile, quantum Deo Sanctisque sit contrarium, et sacri canones docent et fere omnibus manifestum existit. Chalcedonense namque concilium, unum ex principalibus, simili poena condemnat eos, qui sacram manus impositionem, per quam spiritum sanctum confert, mercari dignoscuntur. Utrosque enim auctoritate inexpugnabili, illos a beneficio, istos sacro ordine jubet repelli; sacrorum vero canonum auctoritate docemur, omnia, quae Deo vel ejus ecclesiae offeruntur, sacra fieri ipsa oblatione; nullaque autem sacra fieri possunt nisi Spiritu sancto, a quo omnis sanctificatio procedit. Nam sicut omnis quaelibet res, cum imperatori defertur, imperialis efficitur, sic, cum ex voto Deo vel Sanctis offertur, divina ac per hoc sanctificata cognoscitur. Non igitur mirum, si pari poena constringit eos, qui

aut sacrum ordinem aut sacram rem ecclesiae vendere seu emere audent, cum neutrum nisi sancti Spiritus dono valeat sanctificari. Praeterea cum sacrorum canonum auctoritas quatuor ex rebus ecclesiae jubeat fieri portiones, quarum una pauperibus, altera fabricis ecclesiarum sit impendenda, tertia Episcopo, quarta clericis conferenda, sicut pauperibus ecclesiis singulae partes gratis sunt concedendae, ita quoque reliquae partes nec ab ipso Episcopo vel clero sunt retinendae aut vendendae, sed eis pro evangelii praecepto et officii sui labore eodem modo conferendae. In veteri quoque testamento, cum adhuc gratia evangelii non coruscaret in mundo, legimus scelus hoc quantum abominabile esset, cum tempore Jeroboam quicunque volebat implebat manum suam et fiebat sacerdos excelsorum et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam et deleta est de superficie terrae. Si vero domus Jeroboam ob hoc deleta est, quod pecuniam accipiens constituebat sacerdotes in excelsis, non immerito de libro vitae coelestis eorum nomina delentur, qui interventu pecuniae sacerdotes vel clericos in domo Dei constituunt. Puto enim, quod hi tales nunquam adverterunt psalmistae sententiam dicentis: Quia non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini. Nam si quis ideo intrat in potentias Domini, quia non cognovit negotiationem, aperte consequitur, ut non intret in eas, qui negotiationes, maxime ecclesiasticarum rerum, non solum cognoverit sed etiam exercuerit.

In novo autem testamento humani generis redemptor omnes ementes et vendentes de templo ejiciens cathedras vendentium columbas evertit, nummulariorum effudit aes praecepti sui auctoritate denuncians et dicens: Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. In quo salvatoris facto vigilanter est advertendum, quod non dicitur cathedras vendentium movisse sed evertisse. Levius utique ferendum esset, si talium negotiatorum cathedrae moverentur quam si everterentur. Sicut per Joannem dominica voce angelo idem praedicatori Ephesi ecclesiae dicitur: age poenitentiam et prima opera fac, alioquin veniam ad te et movebo candelabrum tuum de loco suo. Illud quoque in eodem facto sollicite considerate, quod per totum textum sancti evangelii nusquam reperitur, dominum tanta severitate, tam districta censura justitiae peccantes corripuisse, cum non solum eloquio increpans, verum etiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminavit de templo, aperte demonstrans, quod tales negotiatores non sicut caeteri peccatores sunt corripiendi, sed a templo Dei scilicet sancta ecclesia longius sunt projiciendi. Nam sicut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacram manus impositionem vendere conantur, sic per nummularios ecclesiastici beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste evangelio, speluncam latronum efficiunt, quia ab hujusmodi mercatoribus, quidquid possunt, capiunt et gladio suae malitiae non corpora sed quod pejus est animas trucidare noscuntur. Tempore vero Apostolorum cum multi rerum suarum pretia ad pedes eorum ponerent, Anania et Saphira inspirante sancto Spiritu voto cordis pretium agrorum suorum Deo obtulerunt, qui postmodum, quia suggerente diabolo partem ipsius pretii retinere conati sunt, voce beati Petri Principis Apostolorum Spiritui sancto mentiti esse dicuntur; et quam grave scelus contraxerint, utriusque repentina morte monstratur. Si ergo illi initio surgentis ecclesiae tam horribili poena divinitus sunt puniti pro eo solummodo, quod partem pretii retinuissent, quod solo voto ecclesiae obtulerant, quid dicendum est de his mercatoribus, qui non suas sed res ecclesiae in usus suos et propinquorum suorum non verentur vertere? Profecto sicut deterius est distrahere vel comparare res ecclesiae, non quas ipsi ecclesiae conferunt seu quas pro animabus suis fideles offerunt, quam solam pretii partem rerum a se oblatarum retinuisse, sic talium negotiatorum interitus gravior et profundior quam illorum esse convincitur. Ex hac quoque pessima venditione pene malorum omnium semina pullulare noscuntur. Nam hi, qui res ecclesiarum et potiora earum pretio student acquirere, non Deo vel ejus ecclesiae velle famulari, sed soli mammonae velle servire veridica ratione probantur. Sicut etiam s. Gregorius de simoniacis testatur, non vitam moribus componere, non scientia curant exornare, sed solummodo aurum et pecuniam, quibus res emant ecclesiae, inhiantes desiderant congregare. Ac si tandem malitiae suae votum impleverint et data numerosa pecunia rerum ecclesiasticarum penes se dominium habere caeperint, tunc aperiunt, qua intentione ecclesiae militare decreverunt. Toto enim mentis annisu, undecunque possunt, corradere pecuniam student, ut, quae prius evacuaverant, possint redimplere marsupio; cujus aviditate impulsi sacris non parcunt altaribus, sed veluti fures et sacrilegi profanas eis manus injiciunt, pauperibus et ecclesiarum fabricis decimas et oblationes juste et canonice competentes more praedonum diripiunt, a mortuis etiam quasi fixi exactores importunis clamoribus velut tributa exigunt. Terras quoque, quas fideles pro suis peccatis ecclesiae contulerunt, quia eas ex toto vendere non possunt, ob vilissimum redditum pecunia accepta quibusque concedunt. Inter se autem, ubi de lege divina et de animarum salute esset tractandum, litibus et contentionibus, clamoribus et injuriis praestrepere non desistunt. Quibus ad cumulum suae damnationis non sufficit, quod ipsi pereunt, sed insuper laicos, quibus ducatum rectae viae praebere debuerant, secum malo exemplo tradunt in profundam inferni voraginem. Quapropter ego Alexander S. R. E. et apostolicae Sedis Episcopus, immo minister indignus, tot et tanta mala in multis ecclesiis et maxime in Lucensi ecclesia ex iniqua concupiscentia fieri conspiciens, ne sanguis iniquorum a districto judice de manu nostra requiratur, illa extirpare et penitus eradicare decrevimus. Constituimus itaque et praesenti decreto firmanus, (sicut olim nostri decessores fecisse noscuntur) ut nullus deinceps Episcoporum beneficium ecclesiae, quod quidam canoniam vel praebendas seu etiam ordines vocant, pro aliquo pretio vel munere clericis audeat unquam conferre. Sed etiam ministros et servitores ecclesiae gratis et absque ulla venalitate in sancta ecclesia studeant ordinare. Nec eligant in domo Domini, qui majores sacculos pecuniae conferant, sed eos qui moribus et disciplina atque scientia divites pro officio suo ipsam valeant substentare ecclesiam. Sponsae Christi donaria non pro libito cujusque invito sponso venalia fiant, sed gratis et pro vitae meritis tribuantur; nec audeat ullus, cujuscumque gradus sit clericus, per se vel per interpositam personam aliquo ingenio pretium vel dare vel promittere nec ipsi Episcopo, nec alicui ex ejus ministris seu cuicumque magnae vel mediocri aut parvae personae. Ne vero caliditas et fraus diaboli sub specie religionis aliquos suae malitiae laqueo capiat, constituimus et eodem modo firmamus, ut nullus cujuscunque gradus clericus pro ecclesiae beneficio aliquid audeat conferre aut fabricae ecclesiarum vel donariis ecclesiarum, seu etiam, quod pauperibus sit tribuendum, quia teste scriptura, qui aliquid male accipit, ut quasi bene dispenset, potius gravatur quam juvatur. Quod si aliquis divinorum praeceptorum et animarum salutis immemor praefatum beneficium ecclesiae iniqua cupiditate ductus vendere vel emere temerario ausu praesumpserit, sicut in Chalcedonensi concilio definitum est, gradus sui periculo eum subjacere decernimus; nec ministrare possit ecclesiae, quam pecunia venalem fieri concupivit; et insuper terribili anathematis mucrone perfossus (nisi resipuerit) ab ecclesia Dei, quam laesit, modis omnibus abscindatur.

Ego Alexander solius Dei misericordia sanctae romanae et apostolicae ecclesiae Praesul et Lucensis Episcopus, in hoc decreto ad confirmandum etc.

Anno 1073. (Bull. r. t. II. p. 51. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Alexander PP. III. Upselensi Archiepiscopo et Suffraganeis.

Audivimus et audientes non potuimus non dolere, quod apud vos, tam in Soetia videlicet quam in Gothia, ex nimia et perversa non libertate sed abusione potius et insolentia laicorum consuetudo pessima et detestabilis inolevit, ex qua etiam multa illicita provenerunt, et mala non solum enormia, verum etiam intolerabilia pullularunt. Ipsi enim, vobis inconsultis, sicut dicitur, aut contemptis, concedunt et conferunt ecclesias, quibus volunt: omnia simoniace sive per pecuniam sive per privatam gratiam vel odium agentes.

Ex hoc autem multa dicuntur tam ipso actu quam exemplo nociva et perniciosa contingere. Quilibet enim et undecumque sacerdos adveniens, licet ordinationis suae nullum habeat testimonium, solo mandato seu nutu etiam laicorum, Divina in salutis eorum suaeque periculum celebrare praesumit. Unde nonnunquam evenit, ut monachi fugitivi vel homicidae seu quibuslibet irretiti et notati sceleribus, aut in gradum sacerdotii non promoti, sacerdotio fungi nefaria nimis et damnabili praesumptione non metuant. Quilibet vero, vel omnino carens ecclesia vel pauperem habens et ambiens ditiorem, potentioribus de parochia data vel

promissa pecunia, alium non erubescit tam impudenter quam illicite supplantare.

Accedit ad haec, quod clerici, sive ipsi adversus laicos sive laici adversus eos litigantes, experiri voluerint laicorum judicia subire; et secundum ipsorum instituta sive leges agere vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris ordinis clerici talibus injuriis fatigantur, verum etiam vos ipsi, si justitiae rigorem zelo Dei succensi aliquando exercetis, aliquam contra vos causam inobedientis gregis invidia machinante vel ad igniti ferri examen, vel ad aliquod aeque prohibitum et execrabile judicium provocamini, nulla canonibus, qui id prohibent, seu pontificali dignitati exhibita reverentia vel honore. Ad augmentum vero summamque malorum clerici passim in eodem regno impune caeduntur, quandoque etiam occiduntur. Et quidem gravia sunt ista nec professionis opera christianae, sed inimici potius zizania reputanda.

Ad quae radicitus evellenda et de medio vestrum penitus extirpanda tanto acrius vos decet et oportet insurgere, quanto magis desides praelatos negligentesque respiciunt vitia subditorum: et eorum culpae crimen adscribitur, quod ab his, quibus praesident et pro quibus etiam reddituri sunt in extremo examine rationem, tam frequenter quam licenter et impune committitur, maxime cum per prophetam dicatur: Clama, ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum; et alibi: Nisi annunciaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram; et in sacris canonibus, quos prudentiam vestram ignorare non expedit, scriptum legatur: Negligere, cum possis, perturbare perversos, nihil est aliud quam fovere; nec caret scrupulo societatis occultae, qui manifesto facinori desinit obviare. Ex eo autem, quod peccata ex nimia et longaeva licentia in consuetudinem jam venerunt, cum sit juxta quemdam philosophum infelicitas consummata, et vix videatur locus esse remedio, ubi, quae fuerunt vitia, mores fiunt, et juxta evangelium, qui mortuus fuerit in peccato, jam foetat: multo majori opus est ad suscitandum cum Domino mortuum non sine lacrymis et compassione conamini, ne desperentur, sicut quatriduanus in monumento, quibus potest invocato Dei nomine cum ipsius adjutorio subveniri.

Ut ergo etiam in his glorificetur Deus et sapientia honorificetur a filiis suis, caritatem Moysi, pro populo Domino obsecrantis, zelum Phinees vindicantis, contritionem David orantis, misericordiam Jesu Christi super Hierusalem flentis et pro Lazaro lacrymantis assumite: et habentes secundum apostolum scutum fidei, loricam justitiae et galeam spem salutis, accingimini armatura Dei et pugnate cum antiquo serpente, cum de obsessis per inhabitantia peccata a corporibus expellentes et diripientes universa, in quibus habet fiduciam, eos, quos domum sibi facere nititur, cum gratiae caelestis auxilio a vitiorum sordibus emundantes, ut domus Dei, templum videlicet Domini sanctum, quod estis vos, dici ac fieri mereantur. Nec vos ullus terror ab officii pastoralis executione retardet, recolentes et non tantum verbo sed opere profitentes, quod summus et primus pastor docuisse legitur et fecisse: Bonus, inquit, pastor animam suam ponit pro ovibus suis.

Et quoniam per errorem et tam divini quam humani juris ignorantiam apud vos inolevisse videntur mala, quae diximus, et a laicis tamquam licita impune hactenus usurpata: sanctorum patrum statutis tamquam armis utentes ipsis inniti debebitis atque ea et vos cum eis his quae illicite committuntur opponere, ut ex eorum scientia et auctoritate dispereant, quae per abusionem nimiam et ignorantiam succreverunt. Sane laicos ecclesias vel ecclesiastica beneficia dignitatesque concedere seu de ipsis ulla ratione disponere sanctorum patrum ad instar sacrilegii prohibent instituta; clericos tamen, qui ab eis vel per eos dato pretio sive gratis ecclesiam vel investituram ecclesiae seu ecclesiasticae dignitatis acceperint, praeter ordinis sui periculum excommunicationis etiam poena condemnant.

Nam in synodo Symmachi Papae statutum legitur: Non placuit laicum statuendi in ecclesia aliquam habere facultatem, cui subsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Item: Laicis, quamvis religiosis nulla de ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas. Item Calixtus Papa: Si quis principum, inquit, vel aliorum dispositionem seu donationem, sive possessionem ecclesiasticarum rerum sibi vindicaverit, ut sacrilegus judicetur. Item Paschalis: Nullus laicorum ecclesiarum bona occupet vel disponat; qui vero secus egerit, juxta B. Alexandri capitulum ab ecclesiae liminibus arceatur. Item Alexander: Per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter retineat ecclesiam, neque pretio neque gratis. Item Paschalis: Si quis clericus, abbas vel monachus per laicos ecclesiam obtinuerit, secundum Apostolorum sacros canones et capitulum Antiocheni concilii excommunicationi subjaceat.

Item constitutiones sacrorum canonum sequentes statuunt, ut quicumque clericorum ab hac hora investituram ecclesiae vel ecclesiasticae dignitatis de manu laici acceperit et qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subjaceat et communione privetur. Et in hanc sententiam alia multa canonum instituta et sanctorum patrum decreta conveniunt.

Caeterum ecclesias vel ecclesiastica beneficia pretii seu cujuscumque muneris interventu conferre simoniacam sapit procul dubio pravitatem. Porro Simonis crimen quam sit detestabile, quam horrendum, ipsa vos ejus infamis immanitas ignorare non sinit. Ex quo profecto tam dantem quam accipientem damnatio Simonis, quam sacra actuum apostolorum lectio protestatur, involvit; ad cujus condemnationem cum plurima, praeter Apostolorum sanctionem, sanctorum patrum rescripta manaverunt, pauca credimus ex pluribus suffectura.

Inter quae primum sit illud B. Gregorii: Presbyter, inquit, si ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non solum ecclesia privetur, sed honore sacerdotii spolietur, quia altare, decimas et Spiritum sanctum emere vel vendere simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat.

Idem alibi: Audivimus, dilectissimi, quod Nos audire oportuit, sed audivisse profecto non libuit, quosdam scilicet sacrorum ordinum esse professores, qui sub munerum datione vel acceptione Dei ecclesias vel earum sibi sacrificia usurpant, quod quidem scelus vos non jamdudum acriter correxisse miramur; juste enim uterque corripiendus est et a sanctae liminibus ecclesiae summovendus et qui pro ecclesiae ambitu munera largitur et qui, ut ecclesiam det, quicquam praesumit accipere; iste quippe donum Dei emere, hic autem vendere praesumit. Sacrilegio quoque hoc facinus haud dispar dixerim, cum id, quòd sponte et sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniae pactione causatur. Quare, fratres carissimi, quae taliter facta sunt, curiose refellite, infecta prohibite vestrisque jussionibus resistentes digno anathematis vinculo percutere non dubitate. Item: Si quis dator vel acceptor Dei ecclesias vel ecclesiastica beneficia, quae quidam praebendas vocant, sub pecuniae interventu, sive dando emerit sive accipiendo vendiderit, a Simonis non excluditur perditione.

Non solum autem pecunia sed et quaelibet obsequii aut muneris species in hujusmodi crimine aliter intercedit. Unde idem beatus Gregorius: Bene, inquit, cum virum justum pro praebenda describeret; ait: beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Non dixit solum a munere, quia aliud a manu, aliud a lingua. Munus ab obsequio est servitus indebite impensa; munus a manu pecunia est; munus a lingua favor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in divinis rebus, non solum pecuniam nullam sed nec etiam humanam gratiam requirit.

Quod autem sacerdos aut quilibet clericus, aliunde adveniens vel ignotus sine testimonio et literis saltem Episcopi sui, in aliena dioecesi recipi aut ministrare non debeat, in Chalcedonensi legitur concilio definitum per haec verba: Extraneo clerico vel lectori extra suam civitatem, sine literis commendatiis Episcopi, nusquam penitus liceat ministrare. Item in concilio Charthaginensi: Clericum alienum nisi concedente ejus Episcopo nemo audeat retinere vel promovere in ecclesia sibi credita.

Item beatus Augustinus in sermone quodam ad populum: Hortamur, inquit, christianitatem vestram, ut juxta sanctorum canonum instituta in ecclesiis a vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur, nisi a vestro fuerit Episcopo consecratus aut ab eo per commendatitias literas suscipiatur.

Die 10. Sept. 1170.

(Bull. r. t. II. p. 730. Ed Aug. Taur. 1859.)

Prohibitio confidentiarum beneficialium et reservatio dispositioni Sedis apostolicae quorumcumque beneficiorum in confidentiam re-

ceptorum cum poenarum inflictione in hujusmodi criminis reos.

Pius IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum Pontificem in excelsa militantis ecclesiae specula constitutum vigiles mentis oculos non solum in absentium extendere, sed potissimum in praesentium domesticorumque fratrum et filiorum suorum mores diligenter perscrutandos aliquando reflectere ac eos praesertim, quos in apostolicae sollicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitae contagione, verum etiam ab ejus omnimoda suspicione vacuos et immunes conservare decet, ut, qui ceteros illustris officii sublimitate antecellunt, eosdem prisca etiam illa morum integritate praestare dignoscantur.

§. 1. Sane licet dudum, cum certam simoniacae pravitatis speciem quam beneficiorum confidentiam vocant, etiam romanae curiae atque adeo in sacrum venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium collegium quasi per cuniculos irrepsisse ac nonnullos ex ipsis fratribus, nimia quadam facilitate seu potius importunis amicorum familiarumque precibus adductos beneficia ecclesiastica in confidentiam hujusmodi recepisse et frequenter recipere intelleximus et cumhanc illicitambeneficentiae exercendae seu amicitiae colendae viam a tanto saltem collegio prorsus eliminare cupientes eosdem fratres, in consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus huic aliena beneficia custodiendi modo ne assuescerent neve illa hoc pacto reciperent utque sic recepta dimitterent, nihilominus nuper ad aures nostras pervenit eorum aliquos monitionis nostrae, immo potius suimet, oblitos, quae custodienda receperant, beneficia nondum tamen dimisisse et insuper illos et nonnullos alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos et alios Episcopos ac etiam camerae apostolicae clericos ecclesias, monasteria, dignitates et alia beneficia hujusmodi, in sui favorem resignata, cessa vel dimissa, acceptasse aut de illis, per obitum vel alias vacantibus, a Nobis et Praedecessoribus nostris seu etiam ab Ordinariis et aliis inferioribus collatoribus, etiam ad patronorum praesentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse illaque ac etiam alia aliter vacantia sibi in titulum, commendam vel administrationem aut alias dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium vel cedentium seu etiam aliorum favorem cessisse vel alias dimississe ac sibi propterea pensiones annuas ac fructus, redditus et proventus ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et aliorum beneficiorum hujusmodi, in toto vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas et illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, praesentationem et aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum, ad earumdem ecclesiarum, monasteriorum et dignitatum Praelatos pro tempore existentes ac alios hujusmodi beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, necnon regressus sive accessus et ingressus ad ecclesias, etiam cathedrales, monasteria ac alia diversa beneficia ecclesiastica sibi reservari procurasse et obtinuisse, ad hoc videlicet, ut confidentes sic decimarum apostolicarum vel communis dicti collegii et annatae aliorumque jurium dictae camerae debitorum solutionem eludant, integrisque beneficiorum, etiam in mensibus apostolicis vacantium aut alias dispositioni Sedis apostolicae generaliter reservatorum, collationibus, ac interdum ut beneficia ipsa, tempore procedente, in aliquorum, tunc forsam de jure inhabilium et incapacium vel nondum adhuc natorum, favorem cedantur vel resignentur, vel ut personae inhabiles et incapaces hujusmodi, etiam laici, pensionibus ac fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis fruantur et gaudeant, seu potius illis et facultate transferendi praedicta abutantur, in animarum suarum periculum et perniciosum exemplum.

§. 2. Quare Nos, hanc Cardinalium eorumdem in monitionibus nostris parendo incuriam et tam illorum quam ceterorum praelatorum, etiam clericorum ac aliorum quorumcumque, indignam fallaciam, conniventibus oculis, diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censentes, et quoniam hanc ipsorum, qui monitioni nostrae non parentes beneficia hujusmodi in confidentiam, ut praefertur, retinuerunt et fructus ex eis indebite vel percipiendo vel per alios nomine suo, etiam per simulatas illorum locationes et fictas de receptis quietantias ac donationes et remissiones percipi sinendo graviter excesserunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia quam aliquo praeceptorum nostrorum spretu processisse facile reputamus, idcirco omnes et singulas ecclesias, etiam metropolitanas et alias cathedrales ac monasteria, etiam consistorialia, prioratus, praeposituras, praepositatus, dignitates, etiam majores et principales, etiam conventuales, personatus, administrationes et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis Ordinum regularia, etiam de jurepatronatus, etiam laicorum, etiam nobilium et illustrium, etiam ex fundatione et dotatione existentia, per ejusdem romanae ecclesiae, etiam Episcopos Cardinales et quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos et alios Episcopos ac etiam ejusdem camerae clericos in titulum, commendam vel administrationem aut alias in hujusmodi confidentiam jure prohibitam, cujusvis personae, ut praefertur, contemplatione vel intuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem et dispositionem Nobis et Sedi apostolicae harum serie reservantes, ipso jure a die receptionis earumdem vacavisse et vacare ac fructuum et pensionum reservationes ac facultates transferendi et collationis beneficiorum concessiones eis, ut praemittitur, factas ac regressus sive accessus et ingressus concessos hujusmodi cessasse et cessare ac extinctos esse.

§. 3. Et eosdem Cardinales seu quosvis alios a prima die receptionis beneficiorum hujusmodi citra fructus et proventus earumdem ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum et aliorum beneficiorum ac pensiones praedictas indebite percipere suosque facere non potuisse neque debuisse, sed illos omnes et singulos ad cameram eamdem devolutos fuisse et esse illique deberi ac ipsos Cardinales et alios, ad quorum manus quomodolibet pervenernt, et eorum haeredes ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri et ad id opportunis juris remediis compelli debere auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus.

§. 4. Et insuper universis et singulis, tam ejusdem romanae ecclesiae Cardinalibus etiam Episcopis quam Praelatis et clericis ac aliis praedictis, praesentibus et futuris, ne deinceps ullo unquam tempore aliquas ecclesias, monasteria, dignitates vel alia beneficia, etiam de dicto jurepatronatus, uti praefertur, existentia, aut fructus vel pensiones aut regressus seu accessus, in confidentiam praedictam aut ad effectum reservationum hujusmodi sibi postmodum cedentibus procurandarum, recipere praesumant, Cardinalibus videlicet et aliis praelatis hujusmodi in virtute sanctae obedientiae et sub interdicti ingressus ecclesiae, reliquis vero sub majoris excommunicationis latae sententiae-poena per contrafacientes eo ipso incurrenda, a qua, nisi a Nobis aut romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant districtius inhibemus.

§. 5. Ac quascumque collationes, provisiones, praefectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi ac regrediendi sive accedendi et ingrediendi, ac alias dispositiones de ecclesiis, monasteriis, dignitatibus et aliis beneficiis eorumque fructibus et beneficiorum collationibus, per Nos et alios romanos Pontifices successores nostros, etiam motu proprio seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios et alios inferiores collatores, etiam ad patronorum eorumdem praesentationem et alias quomodolibet, cum interventu confidentiae hujusmodi, expresse sive occulte ac de jure praesumpto et alias contra praemissa pro tempore factas, nullas et invalidas nulliusque roboris vel momenti fore neque cuiquam suffragari, sed ecclesias, monasteria, dignitates ac alia beneficia hujusmodi ipso jure vacare ac nostrae et Sedis apostolicae dispositioni reservata fructusque et pensiones camerae apostolicae applicatos, ut praefertur, esse et censeri.

§. 6. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque judices et commissarios, etiam ipsius ecclesiae romanae Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi et judicandi facultate, etiam per praesumptiones et conjecturas legitimas et eorum arbitrio (cum alias confidentias hujusmodi in lucem erui et probari non posse constet) procedendo, judicari et definiri debere ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane similiter decernimus.

§. 7. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, de una et concilii generalis de duabus diaetis ac aliis constitutionibus apostolicis, necnon collegii praefati juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, contrariis quibuscumque; aut si aliquibus,

communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas, facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

§. 8. Et ne quisquam ullo unquam tempore praesentium ignorantiam praetendere possit, volumus ac eadem auctoritate decernimus, quod ipsae praesentes literae ad basilicae Principis Apostolorum de Urbe valvas per aliquem ex cursoribus nostris, illarum copia ibi affixa et dimissa et etiam in cancellaria apostolica de more publicentur ac in ejusdem cancellariae quinterno ad majorem partium illas in judicio producere volentium commoditatem describantur.

§. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attendare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 17. Octobris 1564.

(Bull. rom. t. VII. p. 305. Ed. Augustae Taurin.)

Ordinationes circa observantiam divini cultus in ecclesiis et venerationem festivitatum necnon et contra simoniacos, blasphematores, sodomitas et concubinarios.

Pius V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum primum apostolatus officium divina Nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam et cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostrae crediti salute defiximus et christifideles, Deo juvante, ita dirigere statuimus, ut a vitiis et peccatis abstinentes iter, quod ad vitam aeternam ducit, insistant.

§. 1. Cum autem ad omnia, quae divinam Majestatem aliquo modo possent offendere, movenda mentis nostrae aciem intenderimus, ea primum et sine mora emendare decrevimus, quae Deo praeter cetera displiplere et iram ejus provocare cum divinae docent scripturae tum gravissima exempla declarant, nempe divini cultus neglectum, simoniae labem, blasphemiae crimen et libidinis naturae contrariae vitium execrandum, propter quae populi et nationes bellorum, famis et pestilentiae calamitatibus justa Dei ultione saepe plectuntur. Etsi autem contra eos, qui tam gravia crimina admiserint, multae a Praedecessoribus nostris constitutiones editae fuerunt, tamen, quia parum est leges edere, nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur,

§. 2. Idcirco, ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes plerosque poenarum gravitate magis quam Dei timore arceri solere a voluntate peccandi, omnes et singulas sententias, censuras et poenas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus et apostolica auctoritate innovamus nec de earum rigore quicquam relaxamus admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solum subituros eas poenas, quae sacris sunt canonibus constitutae, sed eas etiam, quas leges civiles comminantur et nostri quoque arbitrii discretio pro personarum qualitate constituet.

§. 3. Mandantes civitatum et locorum status nostri ecclesiastici pro tempore Ordinariis et gubernatoribus, illis quidem sub poena suspensionis a divinis, his vero excommunicationis latae sententiae, ut, quos debitum Deo cultum in ecclesiis non tribuere aliisque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent poenis afficiendos competentibus; scituri etiam ipsi judices, quod, si post hanc nostram constitutionem in castigandis hujusmodi delictis negligentes fuerint, primum quidem Dei omnipotentis judicio obnoxii erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Ut autem poenarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, aliis nihilominus contra hujusmodi criminum reos a jure statutis in suo robore manentibus.

§. 4. Ut igitur Deo optimo maximo, gloriosae Virgini et sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorii X. Praedecessoris nostri constitutionem innovantes ac statuta in Tridentino concilio observari volentes statuimus et ordinamus, ut ad ecclesias sit humilis et devotus ingressus, quieta conversatio, devotis orationibus insistant et omnes,

genibus flexis, sanctissimum Sacramentum adorent, ad nomen Jesu Christi Domini nostri cum exhibitione reverentiae caput inclinent, nullus in dictis ecclesiis seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat impetumve committat; cessent vana, foeda et profana colloquia, risus immoderati et strepitus omnes judiciorum et alia quaecumque, quae divinum officium perturbare possunt; nullus intra ecclesias deambulare audeat sive praesumat, dum celebrantur sacra missarum mysteria et alia divina officia. Qui vero praedicta petulanti animo contempserint, praeter divinae ultionis acrimoniam nostri quoque arbitrii poenas incurrent; quae omnia locorum quoque Ordinarii in suis ecclesiis facient observari. Quicumque vero in ecclesiis, dum ibi sacrificium missae et divina celebrantur officia aut verbum Dei praedicatur, deambulare, vociferari aut verso tergo ad sanctissimum Sacramentum, irreverenter sedere aut aliquid, quod scandalum generet aut divina perturbet officia, facere praesumpserit, poenam viginti quinque ducatorum incurret, praeter alias arbitrio nostro imponendas et moderandas poenas et qui non habebit in aere, luet in corpore aut exilio mulctabitur. Qui vero in ecclesiis cum mulieribus impudicis sive etiam honestis colloquium scurrile habuerit aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum poenam incurrat et carceris per mensem. Qui in ecclesiis, ut supra, obscoenis et inhonestis verbis aut signis usus fuerit aut alia foeda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum poena mulctetur aut alias corporaliter puniatur. Mandamus praeterea omnibus et singulis cathedralium, collegiatarum et parochialium ecclesiarum capitulis, rectoribus, vicariis, sacristis, ostiariis et aliis ipsarum custodibus, quatenus praefatos omnes in ecclesiis delinquentes admoneant et ut in eis vetita fieri non permittant vel saltem ipsis Ordinariis vel officialibus nostris puniendos deferant; quod si facere neglexerint poenam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

§. 5. Pauperes quoque, mendicantes seu eleemosynas petentes per ecclesias tempore missarum, praedicationum aliorumque divinorum officiorum ire non sinant, sed eos ad valvas ecclesiarum stare faciant sub poena duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, et parochis dimidium aurei. Religiosis, etiam claustralibus sive regularibus, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, ut in ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat et si negligentes fuerint gravissime ab Ordinario corripiantur; quod si illi parere recusaverint, gravissimas poenas incurrent et pro qualitate personarum etiam corporaliter puniantur arbitrio nostro sive superiorum.

§. 6. Et ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem provideant ut capsae omnes et deposita seu alia cadaverum conditoria super terram existentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

§. 7. Cum vero dierum festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat et in lege divina praecipiatur, cupientes abusus pravos, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere et antiquorum canonum statuta renovantes mandamus, ut omnes dies dominici et praecipue in honorem Dei, beatae Mariae Virginis, sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione observentur et omnes in diebus praefatis ecclesias frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito et servili opere abstineant, mercatus non fiant, profanae negociationes et judiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus praefatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, praeter divinam ultionem et amissionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves poenas incurret arbitrio nostro seu vicarii nostri in Urbe, in aliis autem locis, arbitrio Ordinariorum vel aliorum magistratuum, ita ut praeventioni locus sit. Quibus omnibus districte praecipimus, ut haec diligenter observari procurrent; illas etiam festivitates, quae juxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueverunt, juxta laudabilem consuetudinem, debita cum reverentia observari faciant, sub poena arbitrio ipsorum imponendis et moderandis.

§. 8. Et ut simoniacae pravitatis labes prorsus aboleatur, constitutiones antecessorum nostrorum contra simoniacos editas et praesertim Pauli II. inviolabiliter observari mandamus et delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione quam in beneficiorum assecutione statutis etiam inferius poenis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen simoniacae

pravitatis commississe convictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum executione per decennium, sine spe dispensationis, suspensus et per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisiverit, illis sit ipso jure privatus et in futurum inhabilis ad eas et quascumque alias obtinendas. Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus et ad fructuum omnium quos perceperit restitutionem teneatur et perpetuo sit inhabilis ad ea et quaecumque alia beneficia ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commississe convictus fuerit, praeter supradictas poenas etiam corporaliter puniatur et ab ordinibus ecclesiasticis degradatus a fidelium consortio ejiciatur. Qui vero ordines et beneficia simoniace contulerint, poenis a jure statutis puniantur, cujuscumque gradus, conditionis et dignitatis, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi vel majores fuerint.

§. 9. Caveant praeterea quicumque, ne in sacramentorum exhibitione simoniacum aliquid faciant, alioquin gravissime puniantur per locorum Ordinarios, qui hujusmodi criminis reos cum maxima severitate coercere procurent juxta Concilii Tridentini statuta.

§. 10. Ad abolendum vero nefarium et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat et imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem, propter nimiam judicum in puniendo segnitiem vel potius desuetudinem, supra modum invaluit, Leonis X. Praedecessoris nostri, in novissimo Lateranensi concilio statuta innovantes decernimus, ut, quicumque laicus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice poenam XXV ducatorum incurrat; pro secunda poena duplicabitur; pro tertia autem centum ducatus solvet et ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebejus fuerit nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores ecclesiae constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Urbem; pro tertia lingua ei perforabitur et mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium et quorumcumque beneficiorum suorum, pro secunda beneficiis ipsis privetur et in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium, poena pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur; pro secunda carceribus mancipetur; pro tertia verbaliter degradetur et ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae atque personae arbitrio judicis puniatur.

§. 11. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiae, perpetravit, curiae saeculari puniendus tradatur et, si clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili poena subjiciatur.

§. 12. Monemus praeterea omnes locorum Ordinarios et in virtute sanctae obedientiae eis praecipimus, ut statuta Tridentini Concilii contra concubinarios tam clericos quam laicos edita districte faciant observari, reddituri Deo ac Nobis, si id omiserint, rationem.

§. 13. Et ut praemissorum delictorum, simoniae, blasphemiae ac stupri nefandi notitia facilius habeatur, volumus quod in singulis casibus non solum per accusationem et inquisitionem sed etiam ad simplicem et secretam denunciationem procedatur per quoscumque judices, alias tamen de jure competentes, tam ratione delicti quam personarum, ita quod inter eos locus sit praeventioni.

§. 14. Monemus praeterea omnes et singulos, ut, solum Dei timorem prae oculis habentes et non alia animi prava affectione ducti, culpabiles tantum deferant, innocentes non vexent. Quod si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse comperti fuerint, eos ad poenam talionis teneri volumus et mandamus.

§. 15. Mulctae autem pecuniariae applicabuntur, pro duabus partibus, locis piis arbitrio nostro in Urbe; extra vero, Ordinariorum; pro tertia, accusatori, qui delinquentes detulerit.

§. 16. Mandamus etiam principibus, comitibus et baronibus omnibus, S. R. E. feudatariis, sub poena privationis feudorum, quae ab ipsa ecclesia romana obtinent, reliquos vero principes christianos et terrarum dominos hortamur in Domino et in virtute sanctae obedientiae mandamus, ut pro divini nominis reverentia et honore praemissa omnia in suis dominiis ac terris exactissime servari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem pro tam bonis operibus recepturi.

§. 17. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 1. Aprilis 1566.

(Bullar. rom. t. VII. p. 434. Edit. Augustae Taurinor.)

Declaratio casuum ac praesumptionum in causis confidentiae beneficialis contra quoscumque etiam S. R. E. Cardinales cum appositione poenarum.

Pius V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas constitutiones novis quotidie fraudibus eludere nituntur, saepe illarum auctores in necessitatem adducit cautius providendi, quo pertinacium animi ab improbis conatibus, graviore sanctione proposita, reprimantur.

§. 1. Bene quidem et providenter felicis recordationis Pius Papa IV. Praedecessor noster ad tollendam fiduciariae mancipationis beneficiorum ecclesiasticorum corruptelam statuit et decrevit etc. *(Vd. p. 450.)*

§. 2. Verumtamen, propter improbas multorum cupiditates praedicta, quae ad purgandam hac pernicie ecclesiam et animarum salutem ab ipso Praedecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem cum, frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod judices in causis hujusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes et singulas causas ipsas, ubicumque motas, ad Nos advocavissemus ac omnimodam hujuscemodi causarum, praesentium et futurarum rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem Nobis et successoribus nostris reservavissemus et super quibusdam coram Nobis processum fuisset, variis inde nec levibus conjecturis intelleximus vitium quidem confidentiae occulte irrepsisse, sed plerisque causis praesumptiones et conjecturas, quae ad illud probandum deducuntur, minime sufficere ejusque rei causa plurimos, qui ante literarum praedictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem propter difficultates probandi in judiciis confidentias ipsas, contempta constitutione praedicta, ecclesias, monasteria et beneficia sic recepta ut prius reretinere, alios fructus, pensiones et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Multi enim ipsa beneficia jure retinere nequeuntes, alii ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut, purgato delicto vel absolutione consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt et in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur aut quibus ipsi statuunt, saepe laicis et inhabilibus. Plerique vel senes vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt et renunciant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus ecclesiasticis alant vel illa etiamnum infantibus aut nascituris asservent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum et aliarum rerum aut accessu, praesertim ab illis, qui praestandorum jurium camerae apostolicae sunt immunes; alii aut incapaces aut aliis beneficiis ecclesiasticis onusti aut ecclesiastico ordini sese mancipare refugientes aut mere laici beneficia ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad haec plerique Ordinarii et collatores ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorumdem aliisve faciant ministrari. Alia item permulta ejuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum divinarum puritas impie violatur, disciplinae ecclesiasticae nervus dirumpitur et imminens patratur exitium animarum.

§. 3. Quare Nos, volentes periculosam talium audaciam novi juris subsidio cohibere, praesentium auctoritate statuimus:

Ut, si quis quacumque auctoritate ecclesiam vel monasterium aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque ex resignatione vel cessione cujuscumque personae, simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud, etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittenti vel alteri postea

conferatur aut illius fructus vel eorum pars alii vel aliis concedantur vel pensiones solvantur ex eisdem, haec confidentia censeatur.

Itidem, si Ordinarius vel alius collator contulerit antehac aut conferat in futurum beneficium ecclesiasticum, quovis modo vacans, ea conditione, tacita vel expressa, ut postea in alterum, pro arbitrio collatoris seu alterius cujuscumque, contra juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisus fructus illius vel partem ad utilitatem vel conferentis vel decedentis aut alterius relinquat et remittat seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem collator aut cedens vel alius, per se vel alium, scripto aut verbo jusserit seu significaverit, persolvat et pariter si a patrono etiam laico vel alteri praesentatori seu electori contigerit aut contingat id fieri.

Ad haec, si clericus praedictae camerae aut Cardinalis aut alius a solutione jurium ipsius camerae vel etiam cancellariae apostolicae exemptus, post resignationem vel cessionem alicujus extranei de ecclesia, monasterio vel alio beneficio ecclesiastico in se apostolica vel alia auctoritate factam et admissam, illam vel illud, etiam confectis literis apostolicis et possessione apprehensa in eumdem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium, retrocesserit aut retrocedat in futurum et ex illa retrocessione fructus ecclesiae seu monasterii aut beneficii vel eorum pars seu pensio seu quid aliud super his reservatum aut regressus seu accessus et ingressus ad illam vel illud ipsi clerico vel Cardinali aut alii exempto sit fueritve concessus.

Postremo, si quis crimine aliquo absolutus aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit quacumque auctoritate ecclesiam, monasterium vel aliud beneficium ecclesiasticum, quod ante vel post commissum delictum aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibusvis horum casuum confidentiae pravitas sit contracta casusque hujusmodi literis praedictis comprehendantur ac si illi speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiae crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum.

§. 4. Ad probandum vero plene confidentiarum abusum inter alias etiam hae praesumptiones et conjecturae habeantur legitimae, videlicet: Si quis, post cessam a se ecclesiam vel monasterium aut beneficium et publicatam resignationem seu cessionem captamque a successore possessionem, sese in illa vel illo seu rebus illius, per se vel alium vel alios, de facto ingesserit aut fructus perceperit aut quicumque successor illi vel ejus propinquis ipsos aut partem aliquam remiserit eorumdem;

Si recipiens beneficium constituerit dimitentem vel ejus parentes aut propinquos procuratores ad percipiendum vel locandum fructus beneficii dimissi et illi vel illis de fructibus perceptis aut percipiendis donationem fecerit;

Si vel sola procuratoris depositione vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis expeditio, quae personam recipientis concernit, prosecuta sit simulque expensae pro eà necessariae ab illo factae fuerint;

§. 5. Denique, si quis pro concessione alicui facta quacumque auctoritate de beneficio ecclesiastico per se vel alium seu alios intercesserit vel alias in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficii de facto, etiam per manus possessoris ac etiam simplicis donationis titulo perceperit seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque.

§. 6. Testes autem de quaque re singulares singulas probare valeant praesumptiones et conjecturas pluresque hujusmodi praesumptiones et conjecturae plenam probationem faciant in praedictis.

§. 7. Ceterum criminosi et ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniae testimonium recipi possunt, ad praedicta omnia admittantur.

§. 8. Sed ne quisquam, etiam vana fiducia fretus non intendendi contra se judicii, in crimine perseveret atque hoc malum gravioris censurae stimulo usquequoque prohibeatur, omnes et singulos, qui hucusque ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones aliasve res, intercedente hoc confidentiae vitio, receperunt ac retinent, nisi statim ad se reversi et resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint et qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus et singulis aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus,

administrationibus, officiis et beneficiis obtentis, quae pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, necnon fructibus, pensionibus et aliis rebus ecclesiasticis ac etiam romanae curiae et aliis officiis temporalibus praesentium auctoritate privamus et ad futura inhabiles decernimus et in juris subsidium excommunicationis sententia innodamus, in qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quam a romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim, advocatione causarum hujusmodi et reservatione cognitionis illarum rerumque omnium inde emergentium Nobis et praedictis Successoribus, ut praedictum est, facta causis illis dumtaxat exceptis, quae jam coram Nobis pendere noscuntur, ac etiam iis, quas ratione ecclesiarum et monasteriorum, quorum dispositio in consistorio fieri consuevit aut debet, itemque contra ordinarios collatores, Episcopos et alios superiores praelatos, etiam Cardinales, haberi contigerit, uti jam aliis nostris literis statutum est, audiendis, decidendis et terminandis, harum serie prorsus relaxatis, decernimus ita deinceps per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac praedictae romanae ecclesiae Cardinales, sublata eis et ipsorum cuicumque quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari, interpretari et definiri debere necnon irritum et inane quidquid secus in praedictis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque ecclesiis, civitatibus, dioecesibus et locis, etiam exemptis ad praedicta studiose attendat et quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divinae Majestatis judicium dictaeque Sedis censuram voluerint evitare. In ceteris vero causis et negotiis (Nobis et praedictis Successoribus exceptis) eosdem locorum Ordinarios praesentium auctoritate delegamus ut, gratia et favore postpositis, pro se quisque, cum venerit usus, contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehensos diligenter inquirant suasque inquisitiones omnes sigillo obsignatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut Nos et praedicti Successores in causis hujusmodi procedentes quod justum fuerit decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis praedictos omnes et quoscumque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, constito prius summarie et extrajudicialiter de non tuto ad illos accessu, citandi et monendi eisque ac judicibus ordinariis et delegatis aliisque personis quibuscumque, ne praedictorum executionem quoquomodo impediant vel alias in illis sese interponant, etiam per simile edictum inhibendi, eosdem ac alios contradictores et rebelles quoscumque per censuras et poenas ecclesiasticas ac omnia alia juris et facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii saecularis, quandocumque opus erit invocandi, ceteraque in praedictis omnibus et singulis necessaria faciendi et exequendi plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem.

§. 10. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae octavi de una et in concilio generali edita de duabus diaetis aliisque apostolicis constitutionibus et ordinationibus, quodque Episcopis, collatoribus et praelatis praedictis, etiam Cardinalibus vel quibusvis aliis, communiter vel diversim, a praedicta sit Sede indultum vel in posterum indulgeri contingat, quod interdici, suspendi vel excommunicari aut contra indulta hujusmodi ad judicium trahi non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam et ad verbum de indulto hujusmodi mentionem et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa aut in totum non inserta, effectum praesentium aut attributae praedictis Ordinariis jurisdictionis explicatio seu exercitium vel executio impediri valeat quomodocumque vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris literis mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 11. Literis Praedecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

§. 12. Volumus autem ut praesentium exempla etiam impressa edantur eaque notarii publici manu et cujuscumque curiae ecclesiasticae vel praelati sigillo obsignata eamdem illam prorsus fidem in judicio et extra ubique locorum faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud s. Petrum.

Die 1. Junii 1569.

Sequitur extensio ad Cardinales.

Pius Papa V.

Hodie in consistorio nostro secreto, ut moris est, accepto quod a nonnullis praetendebatur S. R. E. Cardinales obtentu privilegiorum sub constitutione nostra de confidentiis beneficialibus, saltem quoad privationem, censuras et alias poenas in constitutione contentas, propter non factam in clausula impositionis illarum specialem et expressam de dictis Cardinalibus et privilegiis mentionem, minime comprehendi, licet aliter mentis et intentionis nostrae fuerit, quemadmodum et ex literis dictae constitutionis colligi posset,

§. 1. Ad tollendum tam omne dubium atque impedimentum, quominus constitutio praefata, commune bonum et salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declaravimus omnes S. R. E. Cardinales in constitutione et literis praefatis ac singulis earum partibus, etiam quoad privationes omnesque et singulas censuras et poenas in ipsis literis contentas, comprehendi ac contrafacientes privationes, censuras et poenas ipsas incurrere, prout Nos illos omnes includi et incurrere volumus eo ipso.

§. 2. Decernentes sic per quoscumque etc., etiam Cardinales, in quavis causa et instantia, sublata etc., judicari etc. debere; nec non irritum etc. attentari.

§. 3. Ac privilegia praefata necnon exemtiones, conservatorias et indulta omnia, per quoscumque romanos Pontifices etc., etiam motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine ac etiam consistorialiter et ex quibuscumque causis, in genere vel in specie concessa, confirmata, extensa et moderata et quantocumque tempore observata, ad effectum praefatorum revocavimus et annullavimus viribusque et effectu quoad haec prorsus carere decrevimus. Volumusque et statuimus tenores privilegiorum etc., qualiacumque sint, praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi.

§. 4. Solamque hanc schedulam manu nostra signatam et in cancellariae apostolicae libro ad perpetuam rei memoriam registratam, absque alia literarum confectione, sufficere eamque et ejus exempla ubique locorum, in judicio et extra illud, fidem facere.

§. 5. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac cancellariae praefatae regulis, editis et edendis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum.

Die 14. Novb. 1569.

Caurien.

Cum vacaret beneficium seu capellania de jurepatronatus laicali nominatus ad eam fuit Ildephonsus Valentinus Fernandez Montero e Villa Carceris. Quia tamen nondum fuerat tonsura insignitus nec immerito timeret, quominus ob defectum clericatus illius possessionem assequi posset, coepit cogitare remedium, quo dimissa capellania per aliquod tempus eam in posterum posset obtinere. Sic itaque cum patrono convenit, ut iste ad illam nominaret quemdam presbyterum de re tota optime conscium. Presbyter vero eamdem capellaniam dimitteret statim ac Ildephonsus clericus fieret, ut hoc pacto per dimissionem a presbytero factam ipse in beneficii possessionem subingrederetur et primae nominationis effectus haberetur. Ita porro res composita fuit et hoc pacto executa. Mirum profecto, quod nemo ex paciscentibus deprehenderit fraudem huic pactioni inhaerentem, prout supponitur, aut saltem nec de illa dubitaverit. Praesertim quia res in judicium deducta fuerit contra presbyterum, qui renuèbat capellaniam dimittere, quamvis postea a lite recesserit, unde Ildephonsus illam a triennio possidet et fructus percipit.

Verum cum postea idem Ildephonsus ad sacros ordines promoveri cuperet, certior de simonia factus adiit sac. Poenitentiariam, a qua pro foro interno obtinuisse asserit absolutionem a censuris, dispensationem ab irregularitate et convalidationem tituli beneficii. Episcopus tamen renuit illum ad ordines promovere, nisi pro foro etiam externo sibi consuluisset, cum jam simoniae rumor per magnam partem populi Villae Carceris et per ipsam quoque civitatem Cauriensem fuisset vulgatus. Hinc obsequendo Episcopi monitis EE. VV. benignitatem implorat, ut absolutionem, dispensationem et tituli convalidationem dignentur impertiri.

Ait siquidem ignorantia juris errasse, dum illicitam pactionem convenit, de qua nullam suspicionem praeconceperat. Dignum proinde videri, ut voti compos fiat, cum praesertim pactio subingrediendi in beneficium effectu caruerit, quia illud assecutus fuit per spontaneam dimissionem a presbytero in judicio factam. Episcopus refert, simoniam juxta suam opinionem fuisse invincibiliter et ex ignorantia commissam, quemadmodum spectata vita et moribus tam presbyteri, qui secundo loco fuit ad beneficium nominatus, quam oratoris dijudicare licet. Patronum vero, utpote laicum, ne praevidisse quidem incommoda aut damna ex posteriori nominatione oritura, sed tantum jus suum praeservare curasse, quin unquam aut divinas leges contemnere aut ecclesiae constitutiones violare voluerit: *Ac proinde, quia orator est maturae aetatis ac bonis moribus honestaque vita ornatus, quae omnia animum inducunt ad sperandum fore ministrum utilem ecclesiae, judico, preces oblatas veritati nitere et ipsum benemeritum, ut prorsus sublato praedicto obice etiam pro foro externo ad sacros ordines, incluso presbyteratu, habilitari et promoveri possit.*

Quanto studio quantaque sollicitudine sacri canones et summi Pontifices a simonia abhorrentes curaverint, ut perniciosam hujusmodi labem ab ecclesia eliminarent, facile cognoscet, quisquis vetera ac recentiora monumenta paulisper excurrat. Noverant saluberrimarum legum conditores, ad vilitatem quamdam spiritualia redigi, si pro mercalia habeantur. *Quis enim denuo veneretur, quod venditur? aut quis non vile putet quod emitur?* ait s. Gregorius magnus *lib. 7. epist. 144*. Noverant Christi praeceptum: *Gratis accepistis, gratis date.« Math. 10. vers. 8.* Noverant criminis gravitatem et mala a foecunda radice oritura. *Omnia* namque *crimina ad simoniacae haeresis comparitionem quasi pro nihilo esse reputanda* statutum legitur in *can. fin. caus. 1. quaest. 6.* vel, ut habetur in concilio Bituricensi anni 1584 *tit. 41. cap. 1: Ubi haeresis simoniae in ecclesia invaluit, probis atque eruditis viris aditus ad beneficia praeclusus est, indeque omnia prope ecclesiastica disciplina collapsa est.* Et divus Gregorius *lib. 7. epist. 111* dixerat: *Ubi aurum placet, ibi et vitium . . . Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed praemiorum copia suffragatur, restat, ut nihil sibi ad honores ecclesiasticos gravitas, nihil defendat industria, sed totum auri prophanus amor obtineat.*

Nil proinde mirum, si ad exstirpandam simoniam severissimae leges omni aetate comperiantur, quemadmodum constat ex *concil. Tolet. 6. cap. 4, ex cap.: Cum super de confess., cap.: Sicut, cap.: Ex tua de simon. can. Quicumque, can. Cum ordinatur 1. quaest. 1* et alibi. Verum diversis temporibus multis fraudibus obtecta simonia est et ab hominum malitia sub palii velamine commissa. Siquidem concilium Mexicanum anni 1585 *lib. 5. tit. 3. de simon.* inquit: *Etsi semper simoniae vitium abominabile et execrabile fuerit ac sacris canonibus prohibitum gravibusque poenis punitum: tamen ea fuit hominum malitia, ut diversis fraudibus et fallaciis sua simoniaca pacta occultare et palliare procurat.* Invaluit perniciosus abusus saeculo circiter XVI., quare, licet san. mem. Pius IV. *constitut. 59* huic malo providisset, nihilominus s. Pius V. ad eliminandam penitus corruptelam aliam edidit constitutionem incipien.: *Intollerabilis 11. Junii 1569.*,*) in qua praescripsit, *ut, si quis quacumque auctoritate ecclesiam vel monasterium aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecumque ex resignatione et cessione cujuscumque personae simpliciter aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa vel illud etiam in eventum regressu vel accessu eidem dimittentur vel alteri postea conferantur aut illius fructus vel eorum pars alii vel aliis concedantur vel pensiones solvantur, ex iisdem haec confidentia censeatur.* Deinde poenas contra committentes simoniam confidentialem constituit, nempe privationem beneficiorum, fructuum restitutionem, inhabilitationem ad beneficia et excommunicationem summo Pontifici reservatam.

Inquirendum, an ignorantia in oratore praesumi valeat, cum praesertim res sit de ignorantia juris et an ea saltem a poena excusare possit. Praestat afferre doctrinam d. Thomae, qui *22. quaest. 100. art. 6. ad 3.* agens de poenis contra simoniacos ita loquitur: *Hoc quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est poena peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustae,*

*) Vd. *p. 455.*

puta cum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui vendere non potest. Et ideo si aliquis scienter vel propria sponte simoniace accipiat ordinem vel ecclesiasticum beneficium . . . Si vero eo nesciente nec volente per alios alicujus promotio simoniace procuretur, caret quidem ordinis executione et tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus, non autem tenetur restituere fructus consumptos. Denique notandum, quod orator post pactionem primam tonsuram et minores ordines suscepit. Quare perpensis omnibus circumstantiis Emi PP. decernent:

An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione, dispensatione et convalidatione tituli beneficii in casu?

S. C. resp.:

Dimittat, restituat fructus perceptos et postea supplicet.

Die 9. et 30 Julii 1774.

Cum per liberam dimissionem sacerdotis Stephani Laudi factam in manibus Emi Ordinarii vacaverit ecclesia parochialis s. Cassiani Communis Rignani, homines ejusdem villae, ad quos spectat patronatus activus dictae parochiae, ad novi parochi nominationem devenerunt. Habitis proinde comitiis die 2. Martii anni 1782 sex propositi fuerunt concurrentes sacerdotes, quos inter majorem suffragiorum numerum retulit sacerdos Sanctes Aloysi. Habuit enim vota favorabilia decem et octo, contraria duodecim. Peractis comitiis rumor invaluit, quod simoniaca fuerit nominatio. Preces nomine communitatis datae fuerunt Emo Cardinali Archiepiscopo Bononiae, quibus narratum fuit suffragia a sacerdote Aloysi fuisse pretio comparata. Non destitit Emus Archiepiscopus rem totam diligentius investigare confectoque processu ac requisita aliquorum canonistarum et theologorum sententia omnia detulit ad sac. hanc Congregationem, ut quid agendum foret significaret. Instetit tamen sacerdos Aloysi, ut quaestionis examen remitteretur ad eundem Emum Archiepiscopum. Sed placuit SSmo Domino Nostro ad preces promotoris fiscalis illud ablegare ad sac. Congregationem, cui bina inferius transcripta dubia definienda proponuntur.

Ad I. Contendit promotor fiscalis *simoniacam esse nominationem* sacerdotis Aloysi, idque ex pluribus conjecturis desumi ac primo quidem *ex publica voce et fama*, quae tam ante quam post completum nominationis actum in toto Rignani oppido percrebuit et ad finitima etiam loca diffusa est. Hanc autem diffamationem ortam fuisse ex illicitis pactionibus et pravis modis adhibitis a dicto sacerdote Aloysi ejusque germano fratre ad extorquenda et comparanda suffragia. Hujusmodi vero diffamationem obicem praebere assecutioni parochiae ob scandalum populi, qui parocho diffamato non obtemperaret nec ejus monita audiret. Accedere etiam quod ante nominationis tempus fratres Aloysi convivia pararunt, dona dederunt ad carpendam electorum benevolentiam. Imminente vero electionis die litem, quam habebant cum nonnullis ex electoribus, transegerunt et conventam in transactione pecuniam deposuerunt sub expressa conditione, ut illa exigi non posset, nisi postquam electio fuisset secuta. Haec non alio animo facta fuisse quam ad comparanda electorum suffragia.

Perperam objici sacerdotem Aloysi ignarum prorsus fuisse de his omnibus, quae ab ejus germano fratre gerebantur, cum ex ejus confessione oppositum probetur. Verum sustinet nihil prodesse sacerdoti Aloysi ignorantiam, cum nec ignorantia nec bona fides electionem simoniace factam convalidare. Spernendam vero esse depositionem Josephi Cava et preces ab hominibus Rignani porrectas Emo Archiepiscopo post processus compilationem, cum dictus Cava in primo examine ingenue deposuerit quidquid a fratribus Aloysi gestum fuerat et hanc depositionem utpote emissam tempore non suspecto attendendam esse, maxime quia secunda depositio ad suggestionem Jo. Aloysi exarata dignoscitur. Preces vero, cum signatae appareant ab hominibus, qui scribere nesciunt, suspicionem inducunt, quod fuerint ad opportunitatem expiscatae.

Probata nullitate nominationis contendit ad II. dubium: Sacerdotem Aloysi non posse ad parochiale beneficium admitti.

Sacerdos Sanctes Aloysi et homines Communis Rignani licet moniti sua jura minime deducere curarunt.

Emus Archiepiscopus de sua sententia rogatus ait: *Quae vero sit animi mei hac de re sententia, quoniam Emi Patres id exposcunt, dicam aperte, eam plane consonam*

esse voto quatuor theologorum et juris canonici peritorum, quos in consilium adhibui, a quo quidem voto ne recederem, tanto major fuit mihi religio, quanto alacrius a viro saeculari in utroque jure, si quis alius, admodum praestanti, cujus examini illud subjeci probatum commendatumque maxime fuit.

A simonia plurimum abhorruit ecclesia. Habemus in *act. Apostolorum cap. 8*, quod s. Petrus acriter redarguit audaciam Simonis magi, qui Spiritus sancti dona pretio consequi praesumpsit. Pari constantia et zelo quotquot fuerunt in Petri cathedra successores hoc scelus objurgarunt, prout patet ex constitutionibus hac de re editis, quibus simoniaci dignitatibus et beneficiis privantur aliisque ecclesiasticis poenis*) plectuntur. Committitur simonia, si in electione ad ecclesiastica beneficia electorum suffragia pecunia vel alia re temporali quis comparare studeat; *Fagnanus in cap.: Nobis de simonia num. 1. et num. 3* cum pluribus sequentibus sustinet simoniacam esse electionem, non modo cum pecunia omnibus electoribus, sed etiam cum uni tantum promittitur.

Disputant doctores an provisio beneficii simoniace facta sit ipso jure nulla, nedum in casu, quo promissio ab utraque parte completa fuerit, verum etiam quando pecuniae conventae traditio ante electionem non est secuta. Quaestionem hanc illustrat *Garzias de benefic. part. 8. cap. 1. fere per totum* et postquam singulorum opiniones retulit, concludit veram esse sententiam eorum, qui tenent, quod provisio, collatio seu alia dispositio beneficii per simoniacam conventionem facta sit nulla, etiam si promissio temporalis seu conventio et pacta non sint executa. Advertit etiam quod disposita a Paulo II. *in Extravagant.: Cum detestabile vers. Per electiones vero, inter comm.* ad solam simoniam realem ex utraque parte completam absque manifesta violentia restringi non possunt. Huic sententiae adhaeret etiam *Fagnanus loc. cit. num. 6 et 7.*

Dubitatum etiam fuit an electio simoniaca dici debeat, quando praemium electoribus promittitur inscio ipso eligendo. Hac de re requisitus Coelestinus III. sic respondit: *Nobis fuit ex parte tua intimatum, quod, cum quatuor essent a capitulo constituti, qui debeant quemdam eligere in plebanum, amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus. Quia igitur super hoc consulere Nos voluisti, consultationi tuae breviter respondemus, quod, nisi constaret illos, qui promissum tale fecerint per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio tanquam simoniaca pravitate praesumpta est penitus reprobanda. Cap. Nobis 27. de simonia.*

Hisce in jure animadversis ponderandum in facto est an electioni sacerdotis Aloysi pacta, promissiones et munera praecesserint. Videndum: an id constet ex processu exarato a curia archiepiscopali. De probationum qualitate in materia simoniae advertendum, quod *Innocentius III. in cap.: Per tuas 32. de simonia vers.: Ille quidem* sic disponit: »*Ille quidem Pomposianus Abbas, qui jam pridem renunciavit mundo, erat de simonia, perjurio, dilapidatione ac insufficientia graviter infamatus. Cumque per monachos, qui juraverant perhibere testimonium veritati, simonia multis modis videretur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones opposuit, conspirationes videlicet, inimicitias capitales, furtum et adulterium, ut eos a testimonio removeret. Nos vero (ne innocentiae puritas confusa succumberet vel simoniae pravitas effugeret impunita) illas dumtaxat exceptiones probandas admisimus, quibus forte probatis testes non zelo justitiae sed malignitatis fomite processisse constaret: ut conspirationes et inimicitias capitales: caeteras autem exceptiones, ut furti, adulterii, propter immanitatem haeresis simoniacae (ad cujus comparationem caetera crimina quasi pro nihilo reputantur) duximus repellendas, quoniam, etsi probatae, fidem testium debilitarent in aliquo, non tamen evacuarent ex toto, aliis adminiculis suffragantibus, praesertim cum testes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra talem taliter duximus admittendos non secundum rigorem juris, sed secundum temperantiam aequitatis, cum ageretur non criminaliter, ut deponeretur ab ordine, sed civiliter, ut ab administratione amoveretur tamquam immeritus et damnosus. Et utique tales praelati ex levioribus causis possunt ab administrationibus amoveri, sicut quorundam religiosorum approbata consuetudo deposcit*

*) Vd. *Simonia* (poena.)

unde praedictus Abbas non expectata sententia quasi male conscius sibi cessit.

Post haec definient EE. VV.

I. *An constet de nullitate nominationis in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit danda institutio in casu?*

S. C. resp.:

Dilata et impugnetur processus juxta instructionem Secretarii.

Die 24. Jan. 1784.

Firmana.

Qui beneficium per simoniam a patre vel ab alio etiam se ignorante patratam obtinuit, ante omnem sententiam judicis tenetur illud una cum fructibus dimittere, quamprimum noverit collationem sibi fuisse simoniace factam, *in cap.: Non fuit 7, cap.: Sicut his 33. de simonia, cap. Penultim. de elect. in extravagan. cum §. Per elect. de simon., Suarez. tom. 1. de religion. tract. ultim. de simon. §. 2, Reiffenstuel. in jus canon. lib. 5. tit. 3. §. 11. num. 168.*

Parochus, qui obtinuit beneficium per simoniam a patre commissam, teneatur, cum primum id noverit, illud dimittere ex *text. in cap.: Ex insinuatione de simonia;* attamen remoto dolo in possessore ejus ignorantia et quidem invincibilis idonea causa esse videtur ad habilitationem ex gratia consequendam.

Die 9. Mart. 1806.

Aretina.

In pago s. Martini in Poggio dioecesis Aretinae extat prioralis ecclesia Deo in honorem b. M. V. et s. Caroli dicata, cujus patronatus ad Marchionem Vincentium Riccardi e civitate Florentiae pertinet. Hic die 13. Novembris 1830, quum adhuc viveret insanabili licet morbo vexatus rector illius ecclesiae Joseph Angelus Ninci, publicas instrumenti tabulas Florentiae confecit, quibus, suo etiam subscribente curatore Benedicto Agrifoglio, dette, concesse, transferì, e cedè . . . al molto reverendo Sig. Don Luigi Martelli Pievano di s. Bartolomeo della Badia al Pino . . . . il giuspadronato della suddetta chiesa sotto il titolo della beata Madre di Dio e s. Carlo . . . di maniera che al detto signor Pievano spetti ed appartenga l' elezione e presentazione del parroco . . . vita naturae durante di esso cedente etc. Sed ea inter ceteras accessit conditio, che in correspettività di detta cessione debba obbligarsi detto sig. Pievano Martelli, conforme si obligò, e si obliga, di reidificare a torre, a tutte sue spese proprie, e secondo le regole dell' arte il Campanile della Pieve di s. Bartolomeo della Badia al Pino, di cui è attual rettor, e la di cui reedificazione è indispensabile, di patronato anco del prefato Sig. Marchese Riccardi, con erogarvi quella spesa che sarà necessaria . . . senza che nè esso nè i suoi eredi possano pretendere giammai rimborso dal patrono o patroni, e di giustificare l'esecuzione di tal lavoro a detto signor Marchese Riccardi dentro il termine di mesi dodici dal dì del presente contratto.

Ubi e vivis excessit memoratae ecclesiae rector Joseph Angelus Ninci, plebanus Martelli de ejusmodi cessionis contractu certiorem fecit Aretinum Antistitem ab eoque suppliciter petit, che si degnasse di accordargli la presentazione della suddetta chiesa che fa di se stesso. Episcopus, antequam oratoris votis annueret, contractum ipsum sedulo expendendum suscepit atque hinc de simoniae labe suspicatus rem ad aliquot suos examinatores prosynodales ablegavit, qui animi sui sententiam ita pandiderunt, ut jurispatronatus cessionem omnino simoniacam commonstraverint. Hisce mature praejactis atque iis etiam refutatis rationum momentis, quae pro causa sua Martelius scripto exarato detulerat, idem Episcopus die 18. Aprilis 1831 decrevit: »doversi reputare e ritenere per illecito e radicalmente infetto di simonia il precitato publico istromento di cessione di giuspadronato . . . e perciò, considerato, come tale, dichiariamo non potersi il contratto medesimo da Noi ammettere ed approvare, ma doversi in tutte le sue parti annullare, e rigettare, con ogni nostra Ordinaria autorità e facoltà lo annulliamo e rigettiamo per tutti gli effetti nel contratto medesimo narrati ed espressi. Itaque suo iterum patronatus jure potitus Marchio Riccardi die 29. Aprilis ejusdem anni sacerdotem Thomam Ninci demortui rectoris fratrem ad vacantem ecclesiam s. Martini in Poggio rite nominavit. Postero autem die, nempe 30. praedicti mensis, constat ab ipso Marchione Riccardi non sine curatoris sui consensu deputatum fuisse Franciscum Centeni, Aretinum, affinchè in suo nomine e voce si presenti avanti la curia vescovile Aretina, ed ivi nelle solite forme nomini puramente e liberamente il Signor D. Luigi Martelli in nuovo rettore alla suddetta Priora della beata Madre di Dio e di s. Carlo al Poggio s. Martino, autorizzando il procuratore suddetto a prendere sopra l'anima di se costituente ogni giuramento lecito, diretto ad affermare, che verum patto illecito o simoniaco è intervenuto nella nomina e presentazione di che si tratta.

Jam vero Nincius et Martellius suam quisque praesentationem in episcopali curia Aretina nulla fere mora interposita perficiendam curarunt: quumque suam uterque nominationem ex jure sustinendam contenderet, Marchio Riccardi die 16. Maji 1831 dedit Martellio testimonium, quo suo item curatore assentiente declaravit: che nello scorso giorno 29. Aprile essendomi stato rappresentato per parte del sacerdote Don Tommaso Ninci, che la curia vescovile di Arezzo aveva definitivamente dichiarato, che il Reverendo D. Luigi Martelli non poteva esser più nominato rettore e parroco della chiesa di s. Martino in Poggio . . . . in tale credenza unicamente mi determinai a fare la nomina a detta chiesa del detto sacerdote Ninci; ma siccome questa mia nomina doveva per la sua validità essere approvata dal mio consulente giudiciario signor avvocato Benedetto Agrifoglio, così portatomi col detto Ninci dal medesimo per avere il di lui consenso, il suddetto si ricusò di prestarlo, perchè bisognava prima accertarsi della verità dell' esposto, e quindi la nomina benchè da me firmata non ebbe alcun valore legale. Dichiaro inoltre che il giorno 30. Aprile 1831 conosciuto il vero tenore della sentenza dell' Illmo e Rmo Monsignor Vescovo di Arezzo . . . feci col consenso del detto mio consulente giudiciario l'opportuno e speciale mandato per la nomina a detta chiesa del detto sacerdote Martelli . . finalmente dichiaro, che l'atto del 29. Aprile 1831 a favore del Ninci come fatto nella persuasione che il sacerdote Martelli non potesse più essere nominato . . . deve considerarsi come non avvenuto . . . e quindi confermo e ratifico in tutta la sua pienezza la nomina del detto prete Luigi Martelli. At die 28. ejusdem Maji idem Riccardius non dubitavit etiam pro Nincio declarare de se ipso, che quando io devenni a nominare il sacerdote Ninci alla Priora di s. Martino in Poggio nel 29. Aprile 1831, lo feci di mia libera e spontanea volontà senza essere indotto a ciò nè da promesse nè da minaccie, come pure dietro l'esposto della verità, che il sacerdote Martelli non potesse più conseguire il benefizio per la causa avanti la curia di Arezzo. Quando nominai il detto Ninci, esercitai il mio juspatronato perchè se nulla era la nomina fatta antecedentemente a favore dell Martelli ed erasi conosciuta nulla, intendevo che il Ninci fosse il rettore; dichiaro per la verità, che il rettore da me nominato nella persona del signor Ninci, se ottenne questa nomina, ciò fu per mio espresso volere esternato al signor avvocato Agrifoglio ed al signor dottor Ademollo, i quali mi fecero quei rilievi, onde io potessi liberamente esprimere la mia volontà.

Hac duplici delata praesentatione, quoniam de spirituali agebatur animarum cura, quae super praesentati viri idoneitate peculiare postulat experimentum, Aretinus Episcopus eo fuit consilio, ut per cancellarium suum sacerdotibus Martellio et Nincio examen ad formam concursus certa die atque hora subeundum indiceretur. Paruit Nincius, qui in dicta die adfuit coram Episcopo; sed eum tamen unum noluit Antistes examini subjicere, quum se ad id Martellius sistere mordicus recusasset. Ita nimirum contigit, ut ad hanc s. Congregationem Martellius illico confugerit supplicemque porrexerit libellum, quo refert: ch' essendo troppo evidente il buon diritto dell' oratore alla parrocchia di s. Martino in Poggio, non ha creduto di cedere i proprî diritti col presentarsi ad un esame di concorso; ma invece il tutto umilmente espone alle LL. EE., RRme, perchè si degnino prendere in considerazione lo stato della questione ed emanare su di esso il loro Savio giudizio.

Episcopus Aretinus pro informatione et voto de more rogatus est, ut audito praesertim patrono ejusque curatore ac Thoma Ninci et transmissis documentis ad rem facientibus referret de enunciata cessione jurispatronatus et de oratoris bono jure. Hinc

satis ille literis ad hunc s. Ordinem datis ea omnia inprimis accurate descripsit, quae ad speciem facti pro veritate texendam necessario requirebantur. Deinde sic pergit: Poichè il signor Marchese Riccardi colla sua dichiarazione del M. Maggio 1831 intende di sostenere la presentazione a favore del Martelli, e coll' altra del 28. Maggio detto sostiene la nomina fatta a favore del Ninci, a me sembra, che non meriti più attenzione, e mi dispenso perciò dall' interpellarlo; come lascio d'interrogare anche il di lui consulente giudiziario avvocato Agrifoglio, che si è dichiarato a favore del Martelli in calce della detta dichiarazione, e così pure il prete Ninci, le di cui pretese ragioni resultano dagli annessi documenti. Denique consulto abstinet ab paudenda animi sui sententia ac dum plura congerit, quae Martellium et Nincium praescripto concursui esse omnino subjiciendos evincunt, totam hujus rei controversiam hodierno EE. VV. judicio sapientissime dirimendam fore non dubitat.

Quemadmodum cuique fas est plures diversis temporibus procuratores constituere ad text. in *L. Si quis cum procuratori* §. *ult. ff. de procurator.* et *cap.: Non injuste de procurator.*, ita profecto licet patronis laicis plures intra quadrimestris limites nominare et praesentare, *cap. Quod autem 5.*, *cap. Cum autem 24* et *cap.: Pastoralis 29. de jurepatr*, *Fargna eodem tit. part. 2. can. 9 et seq. cas. 1. num. 1*, s. Congr. in *Asculana Parochialis 30. Julii 1736.* §: *Verum.* Quare sacerdos Martelli se optimo jure a patrono Riccardi ad ecclesiam s. Martini in Poggio die 30. Aprilis 1831 nominatum fuisse propugnat, quamvis altera sacerdotis Nincii nominatio die 29. ejusdem mensis praecessisset. Ex ipso autem testimonio Riccardi die 16. Maji prolato putat Martellius plane irritam esse habendam Nincii nominationem, utpote quae falso nitebatur supposito, che il sacerdote Martelli non potesse più essere nominato. Hinc et ipsam ejusdem Nincii praesentationem penitus corruere existimat, qua eversa haud aliter Martellius de se censendum inculcat, quam si ipse unus ad memoratam ecclesiam fuisset privative praesentatus, adeo ut non posset Episcopus et Nincii praesentationem admittere et examen ad instar concursus Martellio cum Nincio subeundum praescribere. Attamen animadvertendum est, Martellium die 30. Aprilis 1831 ita fuisse a patrono Riccardi nominatum, ut non idcirco revocata et exclusa videatur Nincii nominatio, quae unum ante diem prodierat. Idque ne ex ipsius quidem Riccardi declaratione die 16. Maji pro Martellio emissa licet inferre, quum die 28. ejusdem Maji alia demum accesserit Riccardi declaratio, quae Nincii etiam praesentationem sustinendam potius quam posthabendam suadet. Atqui tradit *Fagnanus lib III. decret. in cap. 24. Cum autem de jurepatr. num. 7.* patronum laicum, si simpliciter praesentaverit secundum nec expresserit an privative vel cumulative nec aliunde apparet eum voluisse a priori praesentatione resilire, tunc censeri voluisse uti facultate sibi attributa ex dispositione juris et praesentasse cumulative non privative. Imo docent canonistae patronum laicum, si primo aliquem valide praesentaverit, non posse dehinc alium privative praesentare, sed tantum cumulative, ceu videre apud *Lambertin. de jurepatr. part. 2. lib. 2. art. 6. num. 3*, *Vivian. eod. tract. lib. 10. cap. 1. num. 4. part. 2*, s. Congr. in *Nepesina Capellaniae 23. Martii 1665.* §: *Quod.* Etenim quod semel placuit, displicere amplius non potest, ad text. in *L. 5. cod. de oblig. et act.*, *reg. 21. I. in 6.* et per praesentationem acquiritur praesentato jus ad rem, ad tradita per *Paris. de resign. lib. 2. quaest. 23. num. 12*, *Monct. de commut. ultim. volunt. capit. 10. num. 293*, *Garc. de benef. part. 4. cap. 3. num. 20.*

Ex hisce omnibus si EE. VV. censeant cumulativam esse Martellii praesentationem cum Nincio, certum exploratumque esset Episcopi jus, ut quemcunque ipse maluerit posset pro ordinaria sua auctoritate praeferre, ceu docet *text. in cit. cap. 24: Cum autem de jurepat.*, ibi: »Cum autem advocatus (patronus) clericum idoneum Episcopo praesentaverit et postulaverit postmodum, eo non refutato, alium aeque idoneum in eadem ecclesia admitti, quis eorum alteri praeferatur, judicio Episcopi credimus relinquendum.« Quod si suo ejusmodi jure Aretinus Antistes uti noluerit atque examen potius ad instar concursus inter binos praesentatos rite habendum jusserit, id sane nullam ob causam videretur improbandum Etsi enim examini per concursum locus non sit in praesentatione unius tantum nominati ad ecclesiam parochialem de jurepatronatus laicali, quo in casu debet praesentatus per examinatores synodales examinari, nec instituen-

dus nisi idoneus repertus fuerit, *Trid. syn. sess. 24. cap. 18. de reform.*, *Rot. decis. 579. num. 4. part. 2. recent.* et in *Pampilonen. Parochialis 26. Junii 1626. cor. Buratto*, secus tamen se res habet, ubi plures adsint a laicis patronis praesentati; tunc enim, nisi ex iis unus praeferendus sit de jure quia nempe aut consanguineus est fundatoris aut ipse patronus, ceu statuit *Rot. in Papien. Rectoriae 10. Decembris 1714.* §. *fin. coram Cerro*, habendum esse examen ad formam concursus coram tribus saltem examinatoribus synodalibus tradunt *Nicoll. prax. canon. de collat. benef. curat. num. 24. lit. P.*, *Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 6. num. 138*, *Piton. de controv. patr. alleg. 100. num. 12.* Videant tamen EE. PP. utrum ob simoniae labem a patrono Riccardis cum Martellio admissam ipsa nunc nominatio et praesentatio tum ipsius Martellii tum Nincii ab eodem patrono peracta sit nullius roboris renuncianda. Luculentissimum namque est decretum synodi Tridentinae *sess. 25. cap. 9. de reform.* hisce verbis conceptum: »Nec dictum juspatronatus (patroni) venditionis aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre praesumant: si secus fecerint . . . dicto jurepatronatus ipso jure privati existant«. Hinc ecclesiam effici liberam, ut deinceps, qui habebat institutionem, liberam habeat collationem, docet *text. in cap. De jure*, *cap.: Quia clerici de jurepatron.*, *Thesaur. de poen. eccles. part. 2. cap. 8. num. 11*, atque eam quidem jurispatronatus privationem ab iis, qui quovis aliquo modo juspatronatus adversus canonicas leges in alium transferre praesumpserint, incurri ipso facto commonstrant *Ugolin. de offic. Episc. cap. 15. §. 1. numer. 3*, *Barbos. ad cap. Quia clerici de jurepatr. num. 2*, *Girald. jus pontif. ad cit. cap. tit. 38. sect. 573. p. 388.* Quo demum in loco videant etiam EE. PP.: an Martellius et Nincius nominari iterum ac praesentari valeant a patrono Riccardio, quatenus hic apostolicum rehabilitationis indultum pro recuperando jurispatronatus exercitio assequatur. Ex iis enim uterque gravibus ad eam rem exceptionibus subjecti videntur: quippe Martellium simoniae reum esse constat, atque ipse modo Nincius a sua paroecia cogitur abesse, dum ab officio etiam parochiali suspensus esse pergit.

Erit itaque dirimendum

Dubium:

An constet de privativa Martellii praesentatione seu potius locus sit concursui inter Nincium et Martellium in casù?

S. C. resp.:

Negative in omnibus et attentis circumstantiis consulendum SSmo pro rehabilitatione patroni ad exercitium jurispatronatus amissum ob simoniae labem, imposita tam eidem quam Martellio salutari poenitentia arbitrio Episcopi, qui moneat patronum, ut, posthabitis duobus ab eo nulliter nominatis, alium idoneum presbyterum praesentet sub poena nullitatis praesentis indulti rehabilitationis.

Die 19. Maji 1832.

Isclana.

Promotus ad canonicatum ecclesiae cathedralis Isclanae sacerdos Franciscus Mazzella capta illius possessione die 16. Januarii 1833 vacuum reliquit parochiale beneficium, quod possidebat sub invocatione SSmae Annuntiationis loci Lacco ejusdem Isclanae dioecesis. Haec parochialis ecclesia, e fundatione et dotatione Arcelli Monti, qui fuit etiam rector ejusdem, virtute concessionis episcopalis diei 20. Januarii 1540 jurispatronatus existit descendentium masculorum a nepotibus fundatoris, quos nominatim designavit, Stephanum videlicet, Cristophorum, Andream, Thomam, Raynaldum, Bernardinum, Petrum et Jacobum, omnes e familia Monti ejusdem oppidi. Ita namque legitur in literis episcopalibus: »Concedimus eidem Domino Agnello et dictis suis nepotibus et ex iis descendentibus in infinitum et perpetuum per virilem sexum jus nominandi rectorem et rectores ac capellanum et capellanos, toties quoties in futurum casus vacationis occurrerit.« Quod sane jus ab institutione ad haec usque tempora descendentes praefatos pacifice et constanter exercuisse non controvertitur. Exhausta descendentia Christophori et Jacobi, qui jure nunc potiuntur nominandi, descendentes habentur Stephani, Thomae, Raynaldi, Petri et Bernardini.

Notitia vacationis evulgata, qui jurepatronatus fruebantur, absentibus haud exclusis per procuratorem, diversis licet studiis

scissisque suffragiis ad novi parochi nominationem devenerunt. Duodecim enim ex descendentibus nonnullis inter nepotes fundatoris primo loco vocatos die quinta Martii 1853 ad parochiam nominarunt presbyterum Ambrosium Barbieri in privata domo Ambrosii Piro, qui personam procuratoris agebat Paschalis Monti Neapoli degentis unici superstitis e linea Thomae. Die vero sequenti, sexta videlicet ejusdem mensis Martii, alii descendentes a primis vocatis numero tres supra triginta, congregati in oratorio b. M. Virginis in coelum-assumptae januis clausis, nominationem expleverunt communibus et concordibus suffragiis favore sacerdotis Caroli Monti e sanguine fundatoris et e coetu patronorum, qui Neapoli commorabatur in cura animarum occupatus, subsidiariam scilicet operam praebens parocho s. Marci in ecclesia s. Mariae Angelorum: huic etiam nominationi Caroli Monti non defuit suffragium Paschalis Monti e linea Thomae ab alio ejusdem procuratore repraesentatum. Sciendum nempe est quod Paschalis hic a die 2. Januarii anni 1853, antequam parochia vacaret, rogatu Ambrosii Piro mandatum eidem dederat per acta notarii nominandi ad parochiam vacaturam sacerdotem Ambrosium Barbieri: cum autem postea rescivisset adesse sacerdotem Carolum Monti e familia patronorum, sub finem mensis Februarii aliud dedit mandatum per acta notarii Philippo Monti nominandi ad eamdem parochiam praefatum Carolum utpote descendentem a familia fundatoris; die vero 23. insequentis mensis Aprilis, cum esset eidem Paschali relatum, quod Carolus Monti aetatis requisito careret ad parochiale beneficium assequendum, mandatum illius favore, quod jam plenarium habuerat effectum, revocavit et alterum favore Ambrosii Barbieri confirmavit, cum jam utriusque nominati praesentatio ad acta curiae usque a die 9. Martii praecedentis exhibita fuisset. In nominatione praeterea Caroli Monti ultra quam plures descendentes patronos personaliter praesentes et praeter mandatarium dicti Paschalis Monti procuratores accesserunt aliorum sex compatronorum absentium a variis ex primis vocatis descendentium, quorum mandata in actis existunt.

Allatis ad acta curiae utriusque nominati praesentationibus, patronorum praesentantium descendentia et qualitate perspecta, rite insuper firmata nominantium vel eorum actorum juris praesentandi possessione in duabus, quae immediate praecesserunt, vacationibus plenarium sortitis effectum, in eo fuit Ordinarius, ut sacerdoti Carolo Monti Barbierio posthabito canonicam tribueret institutionem, tum quia in legitima erat constitutus aetate annorum viginti quatuor completorum, antequam vacatio beneficii contigisset, tum etiam quia de sanguine erat fundatoris ac de coetu patronorum, tum demum quia vocum majoritate pollebat, sive eae in capita computari deberent sive in stirpes, si laicale reputandum sit juspatronatus: hac siquidem in hypothesi Monti e senis quatuor circiter voces numerabat computato suffragio Paschalis Monti, quod etiam Barbierio fuerat collatum, modo et tempore ut supra monui, dum e contra Barbierius, hoc eodem Paschalis voto computato, nonnisi tres voces et sextam partem alterius praeseferebat.

Cognita sed vero hujusmodi Ordinarii proclivitate, qui partes sequebantur sacerdotis Barbieri, quem etiam uti compatroni nominaverant, alterius praesentati Caroli Monti nominationem simoniae labe coeperunt accusare. Quod cum paulo post rescivisset sacerdos Montius competitoris sui Barbieri nominationem criminis ejusdem vitio laborare, propriam ab omni labe prorsus immunem affirmans curiae denunciavit et ipse. Unde factum est, ut Vicarius generalis rogatu promotoris fiscalis ad criminis inquisitionem processerit, institutione suspensa. Assumptis autem ad id testium quorumdam depositionibus, quos inter oeconomi curati ejusdem parochiae et duorum patrum ex ordine Eremitarum s. Augustini praeter alios, qui in nominationibus hinc inde colligendis partem habuerunt, acceptisque partium contra inustum simoniae crimen deductionibus et animadversionibus fiscalis promotoris res adeo dubia et incerta visa est Vicario generali, ut hic consultius existimaverit ad s. H. Ordinem confugere casum exponens et extraordinariam provisionem expostulans. Ajebat enim: »Donazioni di poeo rilievo e come da poveri, quali sono la maggior parte de' patroni, e somiglianti promesse ci sono state, per quanto sapiamo; ma queste, attese tutte le condizioni, che richiedono i canonisti per indurre le pene canoniche, difficilmente si potranno provare in giudizio.« Hinc exponens tumultuum periculum et damna vacanti paroeciae impendentia, quae ex par-

tium eorumque patronorum collisione sese timere profitebatur, id postulabat: »Per mettere argine e termine nel tempo stesso a tali disordini, che sou causa di ruina spirituale di qaella povera popolazione e la fanno stare in una massima agitazione, potrebbe questa s. Congregatione atteso l'alto potere che la investe (ed io la prego a nome del Vescovo di questa dioecesi ch' è assente) ributtare ambedue i presentati, lasciando ai patroni la facoltà di venire ad una novella nomina e presentare un' altro sacerdote più degno al detto vacante beneficio,« addens praeterea »che non può in conto alcuno riconoscersi la veritá de' fatti, mentre venuti alla compruova, tutti forse a persuasione de' Capi delle parti negheranno di aver ricevuto roba, o essere state lor fatte delle promesse, come lo sappiamo da fonti sicuri.«

Cum vero votis Vicarii generalis non putaverim annuere, ne cujus jura laederentur, Episcopo rescribendum censui, ut procederet in causa usque ad sententiam definitivam, implorato, quatenus opus esset, brachio saeculari ad compescendos, qui objiciebantur, partium tumultus; quos tamen in opinione tantum fuisse compertum est. Vicarius namque generalis acceptis vix literis s. Congregationis, definitivam sententiam rebus undique et omnino tranquillis super assumptis jam antea attestationibus pronunciavit, qua dictum fuit: »praesentationem ad vacantem parochialem ecclesiam b. Virginis ab Angelo salutatae communitatis Lacco ab utraque parte patronorum factam rejicimus, quippe quia per donationes et promissiones, per minas et implicationes et machinationes partium promotum parochum ad eorum placita sibi addictum, relicta facultate patronis aliam praesentationem faciendi.« Hae vero sunt considerationes et veluti bases, quibus initur dispositio praefatae sententiae. »Considerato che per ottenere i voti si sono fatte donazioni, offerte e promesse di denaro e di altro ad alcuni de' votanti, e che in realtà hanno questi dato il loro voto a seconda de' doni e delle promesse, come chiaro appare dalle testimonianze degne fede dell' ecomono curato canonico D. Gennaro Castaldi, I. Maestro Samuele Caccarvale Agostiniano, P. Giovanni Maria Guautamachia Apostiniano, esistenti vel Monastero di Lacco, D. Venanzio Marona Dottor Fisico, e Giuseppe Patalano di Vincenzo. Le eccezioni portate dalla parte di Monti contro i testimoni, se rendono la prova non certa, la rendono però probabile, e unite più probabilità costituiscono la certezza giusta la bulla di Pio V. che, trattandosi di simonia confidenziale, vuole che si ammettano tutti a deporre, ritenendosi per presunzioni e congetture le testimonianze degl' indegni: §. 6. »Testes autem de quacumque re singulares singulas probare valeant praesumptiones et conjecturas, pluresque hujusmodi praesumptiones plenam probationem faciant. Ceterum criminosi et ceteri omnes, qui ad perhibendum in casibus simoniae testimonium recipi possint, ad praedicta omnia admittantur.« Considerato che la maggior parte de' voti dati al Carlo Monti gli è stata data, perchè si è fatto credere ai votanti, che il patronato era attivo e passivo, altrimenti si sarrebbero dati ad altro; che alcuni a favore di Barbieri sono stati estorti con minaccie di volerli affliggere per ogni via, e che quasi tutti i voti sono stati dati da ambe le parti per raggiri ed intrighi procurati dai capi delle due parti opposte.« Quibus praemissis sententia ut supra pronunciata est.

Ab hac sententia ambo rejecti ad s. Sedem provocarunt, sed unus Carolus Monti appellationem introduxit apud s. Ordinem et unus ipse eamdem est prosecutus: sacerdos enim Barbieri omnino recessisse dicendus est, uti etiam innuit Episcopus in literis, quibus processum actorum uno Carolo Monti instante et solvente transmisit. Nihilque aliud addit, quam ut prae oculis habeantur quae Vicarius generalis ante sententiam scripserat, quaeque superius exposita sunt. Novissimas autem dedit literas Episcopus, in quibus ob diuturnam vocationem instat vehementer »che dichiari deserto e perento l'appello, o che decida essa la Congregazione sul merito della causa, essendo ed io e questa mia curia indifferenti a qualunque decisione, e servirà a solo fine di veder terminato un' affare che non può lasciarsi trasceurato.«

Ceterum non ambigitur nullos ex parte Caroli Monti intercessisse simoniae tractatus omniaque fuisse peracta eo prorsus ignorante; ac praeterea nulla objicitur difficultas circa illius qualitates ad beneficium aliunde parochiale consequendum.

Tota igitur quaestio in eo versatur, utrum

videlicet in nominatione Caroli Monti simoniae labes intercesserit necne. Cum vero Isclanae curiae sententia praesidium sibi tantummodo mutuetur ab acceptis testium depositionibus, harum praecipua summa recolenda et perscrutanda est. Oeconomus Januarius Castaldi haec deponit: »A me costa: nel giorno 19. cadente (videlicet Novembris 18[illegible]3) si presentò da me un tal Giuseppe Monti fu Vito Antonio, e giurò nella sua coscienza che Vincenzo Monti diede il voto al S. Carlo Monti per simonia, poichè D. Venanzio Marona lo spinse a fare questo con arti illecite. Nel giorno stesso Giacchino Calise di Vincenzo mi denunziò che nella nomina di D. Carlo Monti, Vincenzo zio del nominato prometteva calzoni e denari ai votanti a favore del suo nepote D. Carlo Monti. Un votante di condizione miserabilissima sopranominatc Sguecchia aveva asserito che quando dovea dare il voto a D. Carlo Monti, dal cancelliere comunale parente del nominato gli si dava qualche cosa di denaro promettendogli ancora calzoni ed altri sovenimenti dopochè avesse dato il voto; dato il voto niente più aver avuto, per lo che se ne lagna. A me poi costa dalla evidenza e dalla testimonianza di mia coscienza che in ogni luogo ha inteso clamori da un pubblico pel decorso di mesi undici, che la nomina di D. Carlo Monti sia stato effetto della mano del cancelliere comunale, di D. Venanzio Marona, e di pochi altri mal consigliati loro amici, che profittandosi della miseria della maggior parte dei votanti parte di questi corruppero con denaro ed altri donatini per riuscire nella nomina del Monti.« Majora vero et magis praecise deponere prosequitur ut simoniacam ostendat sacerdotis Barbieri nominationem.

Huic succedit Venantius Marona doctor physicus in loco, qui, postquam multa deposuerit de simoniaca Barbieri nominatione, haec addit de Carolo Monti: »Da poco tempo dietro ho inteso che Vincenzo Calix fu chiamato da Nicola Monti fu Pasquale, che essendovi andato gli disse di dover deporre come il fratello del padre di D. Carlo Monti, per nome Vinzenzo, era andato promettendo denaro e maccaroni per avere i voti pel di lui nipote; e questi si negò dicendo che non avrebbe giammai fatto da falso testimone. Questo istesso ho inteso che si è combinato coi testimoni Vincenzo Mergera e Gennaro de Linano, non che Mattia Bonocore e Sebastiano Monti, che invece di negarsi alle false lusinghe del d. Nicola Monti hanno detto di venire in questa mane a deporre contro la nomina di D. Carlo Monti onde comparisca presso la Rev. Curia d'Ischia egualmente simoniaca come quella del Barbieri; questi per altro lo fanno anche per proprio interesse, cioè il Mattia Bonocore, perchè ama che venga rigettata la nomina di Barbieri e di Monti, onde potersi conseguire con una seconda nomina in persona del fratello sacerdote D. Stanislaus Boncore: Sebastiano Monti autore degl' intrighi nella nomina del Barbieri, ed anche per fare comparire vera e reale l'accusa di simonia prodotta con un ricorso a questa curia dal di lui padre Cav. D. Raffaele Monti e dal di lui complice Nicola Monti fu Pasquale; per Vincenzo Mergera, e Gennaro de Linano, questi parente cugino con il Piro per insinuazioni del Piro istesso, giacchè questi due in tempo delle nomine trovavansi assenti in Civitavechia.«

Tertius est testis Sebastianus Monti, de quo loquitur testis praecedens Marona. Hic autem narrat: »Per la nomina fatta a favore di D. Carlo Monti, il cancelliere communale D. Gio: Battista. Pantalano, D. Venanzio Marona, e Giuseppe Monti padre del nominato D. Carlo, hanno fatto degli intrighi, dato denaro e fatte promesse, cioè abiti, mancie, e molte minaccie. per avere il voto a favore del D. Carlo. Il detto cancelliere ha dato carlini tre a Filippo Monti fu Salvatore per avere il voto a favore del nipote D. Carlo. Il detto cancelliere Pantalano ha dato a Rafaele Monti fu Pietro pur pezzente alias Squecchia una giacca e pantaloni di fioretto, e così ebbe il voto a favore del d. nipote D. Carlo. Il detto Cancelliere in unione del Dott. fisico D. Vincenzo Marona si portarono in casa di Vincenzo e Giuseppe Monti, e li minacciarono che non li avrebbero dato più elemosina e se stasser ammalati non l'avrebbe curato, se non dassero il voto a favore di D. Carlo Monti; e se glielo davano l'avrebbero compensato; e così diede il voto a favore di D. Carlo Monti il solo Vincenzo Monti. Di più si portò il cancelliere suddetto in casa di Natale e Gioacchino Monti fu Edoardo, e li disse che se davano il voto al suo nipote D. Carlo l'avrebbe dato una tavola di maccaroni e carne, come in fatti questi diedero il voto al d. Monti Carlo. Vincenzo Monti zio di D. Carlo nominato ando in casa di Raffaele Monti fu Gio. Battista, Nicola Monti e Francesco Monti fu Gaetano, e li promise un complimento, pur chè avessero dato il voto al d. nipote; come lo fecero in realtà a dare il voto. Giuseppe Monte, purchè avesse dato il voto al figlio, ed in fatti gli diede i sei carlini. Il Cancelliere Pantalano poi audava facendo violenze per trarre i votanti a nominare il suo nipote D. Carlo Monti.« Dum vero hunc simoniae incusat et gravat, alterum nominatum Barbieri ab omni simoniaca labe vindicare studet.

Alter est testis Matthias Bonocere, qui refert: »A me costa che essendo entrato in Congregazione, ove si davano i voti a favore di D. Carlo Monti il di costui padre Giuseppe Monti audava insinuando i votanti di dare il suo voto al suo figlio, perchè era della famiglia Monti, mandarono a chiamare Raffaele Monti fu Gaetano perchè avesse dato anch' esso il voto a favore di D. Carlo e questi rispose di averlo dato a D. Ambrogio: ho inteso dire poi che, come si dice comunemente, tanto dall' una quanto dall' altra parte siano fatte offerte e promesse di denaro di abiti e di mancie, ciascuno per ottenere i voti dalla parte sua.«

Quintus auditur testis Josephus Pantalano, a quo nihil de nominatione Caroli Monti; alteram favore Barbieri simoniaca labe pluribus de causis infectam ostendit. Hic autem et alibi, quae de nominatione sacerdotis Barbieri referuntur a testibus, omittenda consulto censui, quia hic appellationi et consequenter nominationi suae valedixisse, uti supra monui, videtur.

Vincentius Mergera sexto loco deponit: »A me costa che Filippo Monti venuto in casa mia dopo di aver dato il voto a favore di s. Carlo Monti, disse di aver ricevuto, almeno di essergli stato promesso, perchè non bene mi ricordo, carlini tre per ottenere il suo voto. Mia moglie soggiunse, corrono anche denari, e questi rispose, si che corrono i denari. Più mia moglie trovandosi in chiesa nel giorno della nomina d. D. Carlo Monti intese dire che correvano le piastre per procurare i voti a favore del detto Monti. Il Cancelliere D. Gio. Battista Pantaiano fa degl' impegni per far riuscire il suo nipote parroco, come si dice comunemente nel Lacco.«

Septimus in ordine Joannes Guastamacchia ordinis Eremitarum s. Augustini, postquam plura de Barbieri infecta nominatione exposuerit, quoad alteram favore Caroli Monti haec addit: »Conosco ancora che Maestro Saverio, alias lo Pittore, voleva dare il suo voto al T. Raffaele il Bernabito, ma ad istigazione del signor D. Venanzio Marona e pregato da costui fu costretto darlo al signor D. Carlo Monti; ho inteso dire dal suddetto D. Venanzio ed altri che si fosse dato il voto al detto D. Carlo perchè apparteneva alla famiglia, e così hanno ingannato le persone per avere il voto, che erano combinati per il detto Bernabito.«

Ultimus ex testibus ad causam accessit Fr. Samuel Caecavate Prior monasterii dicti ordinis Eremitarum s. Augustini, qui respondit interrogatus: »a me costa che per parte della nomina di Barbieri ei è stata molta simonia per parte sua, come per parte degli elettori, civè con denaro, regali, fascini, ed anche minnaccie. Per parte poi della nomina fatta a favore di D. Carlo Monti, per parte sua nulla ha fatto di simonia, ma però per parte degli suoi aderenti e parenti si è fatto anche della simonia con promesse di denaro non adempite, e molte persuasive. preghiere ed altro, e tutto con particolarità si è cooperato il sig. D. Gio Battista Pantalano cancelliere del detto comune, e parente del detto D. Carlo Monti, tanto che audava insinuando che alla sola famiglia Monti spetta il parrocato, ed in questo molti hanno dato il voto a questo D. Carlo.«

Haec omnia per testes inductos atque auditos enarrata in suo tenore referenda duxi, ut Emi Patres mature perpendant, utrum ex iis objectum simoniae crimen in nominatione Caroli Monti reapse convincatur, ita ut debeat eidem institutio canonica denegari. Quae autem in jure ad simoniam constabiliendam promotor fiscalis animadvertit, breviter nunc exponam.

Et re quidem vera compertum in jure est simoniacam illam dici electionem seu praesentationem, quae re aliqua temporali data vel promissa fuerit comparata, ex *can. Ea quae 5. caus. 1. qu. 3*, licet non pecunia, quae alias proprie pretium est, *L. Quod si servus* §. *fin. et L. si res ff. de in rem verso*, sed etiam res alia quaevis temporalis

pretio aestimabilis et quovis sub respectu emolumentum offerens et ad utilitatem tradita fuerit vel promissa. Neque ad simoniam perpetrandam in foro externo necesse est, quod directe quis cum rectoribus aut patronis agat; satis est enim quod indirecte etiam contractus cum aliis perficiatur, ut hi ad praesentationem tertio illi comparandam penes electores aut patronos intercedant, *Reiffenst. lib. 5. decret. de simon.* §. *7. num. 112. 123 et 124*, quin ad hoc sit faciendum discrimen, utrum pactum expressum vel tacitum interveniat ex una etiam parte perfectum, ex *cap.: Tua nos 24* et *cap.: Si quaestiones 18. de simon.*

Patratur insuper simonia ab eo, qui temporale quidquam praebet animi justam contradicendi causam praeseferenti, ne contradicat, ex *cap.: Matthaeus 23. de simon.* et *cap.: Cum primum de pactis:* quod et procedit, si tertius etiam illius favore ad hoc egisset ipso tamen sciente et dissentiente, nam saepe qui tacet consentire videtur, ex animadversis a gloss. communiter recepta in *cap.: Sicut tuis 34. de simon. V. Praebere.* Inficitur imo electio seu praesentatio, si alii nomine electi aut praesentati conventionem ineant cum electoribus aut patronis, praesentato vel electo etiam inscio, eorumque nonnulli ex tali conventione largitione aut promissione propitium illi suffragium ferant; secundum enim canonum statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere tenentur, uti verbis ipsissimis arguitur in d. *cap.: Sicut tuis de simon.*

Haec autem juris dispositio juxta quorumdam doctorum opinionem locum etiam habet nedum in casu, quo ab utraque vel ab una tantum parte rei conventae traditio facta sit, sed etiam ubi pacta a neutra parte sint executioni commissa. *Garcias de benef. part. 8. cap. 1.* Sufficit praeterea secundum aliorum doctrinam in *cap.: Nobis de simon.* ad nullitatem provisionis inducendam simoniaca pactio cum uno tantum ex electoribus unita, licet eorum major pars a simoniae labe sit immunis. Quamquam certum sit apud omnes hanc censuram tunc solum locum habere, quoties electio fiat jure collegii, ex quo una sit omnium electio, ita ut simonia cum uno commista vitiet omnium electionem, secus namque est ubi nominant uti singuli, quia tunc tot sunt praesentationes, quot sunt patroni nominantes ideoque una non inficit alteram, *Fagnan. in cit. cap.: Nobis num. 3 et 16, de Luca de canonic. disc. 18. num. 7.* cum ceteris plene adductis per ipsum *Fagnan. loc. cit.*

Quoniam vero detestabile simoniae delictum committi plerumque solet remotis arbitris, hinc est quod ad tanti criminis probationem duo sufficiant testes, uti tradit *Lotter de re benef. lib. 3. q. 29. num. 50* cum *Rota in recent. dec. 202. num. 7. part. 17*, nec testes criminosi ac ceteroquin inhabiles repellantur ex *text. in cap.: Licet 31* et *cap.: Per tuas 32. de simon.*, leviores autem juxta quorumdam sententiam probationes admittuntur ac semiplene quoties non agatur de jure quaesito auferendo seu de privatione beneficii jam obtenti ac rite possessi, sed de jure quarendo seu de assequutione beneficii impedienda, ceu monet *Jo. Andreas in cap. penult. de elect.* cum *Rota in Caurien. Canonicatus 10. Maji 1681. cor. Seraphin.* Quinimo praesumptiones etiam et conjecturae, ex *Paris. de confid. benef. qu. 72. num. 8. in fin.*, ipsaque diffamatio resultans ex denunciatione seu inquisitione criminali juxta *Lotter loc. cit. q. 31. num. 145.* cum *Rota cor. Seraphin. dec. 516. num. 4.* In quo testes etiam admitti deponentes ex publica voce et fama tradunt *Redoan. de simon. part. 4. cap. 6. num. 7* et *Mascard. de probat. conc. 1305. num. 10.*

Exploratum est autem jus ad beneficium habere tantum, qui praesentationem tantummodo habuit, canonicam vero non est consequutus institutionem, ita ut de jure quaerendo non autem de jure quaesito auferendo in hujusmodi hypothesi pertractetur. Dari namque potest justa ac legitima causa, ob quam superior denegare valeat confirmationem aut institutionem, uti monet *Card. de Luca de benef. disc. 70.* Et ubi praesertim plures sunt praesentati super institutione contendentes electi seu nominati, oppositionem jus nullum opponenti tribuere, donec sequatur actus autorizabilis superioris habentis conferre vel instituere, perpendit *Rota in dec. 172. num. 5. part. 12. Recent.*

Quibus praemissis in jure arguit promotor fiscalis ex testium depositionibus supra transcriptis in utriusque praesentati nominatione simoniam non modo realem, sed men-

talem et conventionalem intercessisse, subdens quod nec in dante nec in recipiente requiratur formalis intentio dandi vel recipiendi temporale tamquam pretium rei spiritualis, sed sufficere quod spirituale detur ob temporale. Atque in id adducit binas propositiones ab Innocentio XI. damnatas.

Quarum prima ita se habet: »Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale vel etiam quando temporale sit sola gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.«

Altera vero haec est: »Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.«

Posita vero simonia maxime reali nullas agnosci, prosequitur promotor, utriusque sacerdotis praesentationes etsi patratae simoniae praesentati et praesertim Montius probarentur ignari, ex d. *cap.: Nobis de simon.* Nec solum exinde derivare privationem ipso jure beneficii seu juris ad beneficium simoniace obtenti et excommunicationem Papae reservatam, sed etiam inhabilitatem taliter praesentatorum tum ad ipsum beneficium simonia vitiatum tum ad alia quaecumque obtinendi in futurum, juxta censuram constitut. s. Pii V.: *Cum primum,*)* ibi ita decernitur expresse: »Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea et quaecumque alia obtinenda.« Quod sane et petitae sanationi videretur obstare.

Hisce ad simoniacam labem probandam adductis in allegatione, quam exhibuit, plura reponit in facto et in jure patrocinator a Carolo Monti assumptus; cujus heic summam exscribam de more. Praemittit enim in jure judices ex naturali ratione et aequitate ita comparatos esse debere, ut ait *Auget. in L. Dedit. num. 4. ff. Qui satisdare coguntur*, ut promptiores sint ad solvendum quam ad condemnandum. Delicta siquidem non praesumuntur sed concludenti perfectaque egent probatione, ceu ultra generalia in his specialibus terminis simoniae docet totidem verbis *Card. de Luca de benef. disc. 70. n. 4*, quod ejus omnino concludens ac perfecta probatio requiratur cum suis requisitis, illo praesertim essentiali pactionis praecedentis. Et consentiunt in idem *Fargna de jurep. part. 2. can. 12. cas. 6. n. 5 et seqq.* et *Passerin. de elect. cap. 7. n. 67 et 68.*

Ab eaque sententia nunquam recessisse monet supremum *Rotae Tribunal juxta dec. 440. n. 4. part. 3. dec. 377. n. 2. et dec. 380. n. 1 et 2. part. 4. tom. 1. ac dec. 419. n. 4 et seqq. part. 12. rec.* aliasque complures et S. H. Ordinem, uti probat bene multis exemplis et praesertim in *Sutrina 18. April. 1795 ad 1. dub.* ac in §*: Et suum* et novissime in *Ortonen. Elect. seu nominat. 29. Maji 1852.* §*: Demum.* Subdit autem hujus regulae rationem, quia nimirum agitur de jure quaesito, quo nemo privari debet nisi crimen sit plene concludenterque probatum. Nominato namque dicitur jus quaesitum in re, uti monet *Tamburin. de jur. Abbat. lib. 1. disp. 10. qu. 4. n. 4.*, per solam praesentationem, quando necessario venit instituendus, quod firmatur in *Aurien. 9. April. 1785* in thesauro s. Congr. ac in cit. *Ortonen. 29. Maji 1852. d.* §*: Demum.**) Hoc siquidem in casu nullo modo probari potest simonia per argumenta et praesumptiones, sed requirit probationes certas et concludentes juxta sententiam *Rotae in nuperrim. dec. 106. n. 4.* Quod sane locum habere prosequitur non solum quando criminaliter agatur ad poenam infligendam, sed etiam ubi civiliter actio instituitur ad effectum validitatis vel nullitatis actus decernendae, ceu firmat cum *Rota in recent. part. 2. dec. 166. n. 8. part. 4. tom. 1. dec. 377. n. 2. et part. 13. dec. 35. n. 7*, ubi animadvertitur expresse: »certum est quod in subjecta materia, etiamsi civiliter agatur, simonia debet plene et concludenter justificari.«

Hinc ostendere pergit quod tam ex doctorum sententia quam ex praxi et disciplina fori, si plena deficiat probatio vel dubium tantummodo circa simoniae existentiam insurgat, pro exclusione simoniae semper sit judicandum, ut ex *L. Marito ff. pro socio arguunt*, et probant *Piton. de controv. patronor. all. 84. n. 16*, *Fargna de jurep. part. 2. can. 12. cas. 6. n. 14.* et *Passerin. de elect. cap. 7. n. 69*, ubi regulam ita tradit: »Tertia regula est ut in dubio tam juris quam facti nedum in foro externo sed in foro interno et conscientiae sumenda sit

*) Vd. *Supra p. 452.*

*) Vd. *p. 487.*

interpretatio, quae simoniam excludat, ita ut nullus damnari debeat ut simoniacus, nisi certe sit talis. Quam sane regulam in foro et in praxi semper fuisse servatam ostendit tam in Rota, uti probat *dec. 491. n. 10. tom. 2. part. 5. dec. 116. n. 25. part. 17 et decis. 141. n. 6. part. 16. recen.*, ubi regula traditur de simonia, pro cujus exclusione omnem possibilem interpretationem Rota semper assumpsit, quam in hac s. Congreg. ceu pluribus ostendit exemplis et prae ceteris in cit. *Aurien. 9. April. 1783*, in d. *Sutrina 18. April. 1795.* necnon in *Eugubina Canonicatus 7. Julii 1770*, in *Ariminen. Mansionariae 15. Septembr. 1838*, in una *Marsorum 27. Aprilis 1839* et in novissima *Ortonen. 29. Maji 1852*, in quibus omnibus objectum simoniae rejecisse s. Ordinem observat, vel quia concludens non afferebatur de crimine probatio vel quia dubium supererat de vero simoniae delicto juxta canonicas sanctiones et ad cautelam tantummodo ob patratae simoniae dubitationem censuisse supplicandum SSmo pro sanatione in cit. *Ariminen. 15. Septembris 1838.*

In facto autem non modo concludentem et certam abesse ait simoniae probationem, sed dubium vel ipsum, si testium dicta cribrentur eorumque personae ac qualitates inspicientur, exulare. Dicta siquidem deponentium, utpote vaga, incerta et contradictoria, haud apta sunt simoniam concludere, maxime cum nec sint contestes nec de scientia propria deponant, sed ex alieno auditu et referant dictum de dicto. Illorum vero personae et qualitates vehementissimam ingerunt suspicionis causam, ne vel ex proprio interesse vel partium studio in odium peractae nominationis favore Caroli Monti ad deponendum accesserint.

Et re sane vera praeterquam duo ex adhibitis testibus, Venantius Marona scilicet et Joseph Patalano vel nulla prorsus ratione de simonia aut simoniae suspicionibus in nominatione verba faciunt vel eam aperte vindicant ab objecta simoniae labe et tricas exponunt in testimoniis contra illa comparandis et testium inductorum animum studio partium aversum a Montio. Quoad Rev. Januarii Castaldi testimonium advertit nihil certi concludere, sed vage nimis asserit de votis quorundam tamquam simoniacis, quin simoniae materiam in specie revellet, et nihil aliud exhibet, quam dictum de dicto et maxime vitium personarum. Contradictionem praeterea continet in eo, quod affirmat quemdam Squecchiu praenominatum retulisse de facta promissione ac de promissionis ejusdem executione non subsequuta fuisse conquestum, dum e contra tertius ex testibus, Sebastianus Monti, contrarium refert, promissionem videlicet executione completam, eaque de causa votum Caroli Monti favore collatum. Alteruter igitur falsum affirmasse dicendus est, ideoque neutri fides adhibenda juxta tritissimas hermeneuticae regulas. Sique certum quid statueret Castaldi depositio, attendi non mereretur juxta doctrinam *Rotae in dec. 207. num. 13. part. 17. recent.*, quia ex proprio interesse dicitur ac praesumitur elicita, cum ipse ad beneficium optaret; ideoque contra utriusque praesentati nominationem insurrexit, ut horum nominatione rejecta ipsemet erigeretur, ceu ex toto processus tenore revincitur, ac proinde, qui a testimonio ferendo repellendus erat juxta allegatam Rotae doctrinam, ejus testimonium nullo penitus in pretio debet haberi.

De Sebastiano Monti, qui alter est testis ex adverso inductus, observat eo magis debuisse repelli, quia auctor extitit omnium tricarum pro nominatione Ambrosii Barbieri et nihil intentatum reliquit, ut Caroli praesentationem impediret, deinde accusator factus est ac testis adhibitus contra textum expressum. Praeter haec, quae ad extrinseca pertinent, intrinsece perspectis tam istius quam aliorum testium, quotquot sunt, depositionibus nihil aliud ait eas praeseferre, quam vagas et incertas assertiones, res et facta in iis narrari nulla scientiae causa adducta, ita ut insiliat in oculos fraus et circumventio deponentium. hujusmodi ac praesertim praefati Sebastiani, sola adversariorum machinatione, subornatione et suggestione dolosa ad testificandum adducti, ceu adamussim exponit testis fiscalis Venantius Marona. Contradictionibus insuper testimonium Sebastiani non carere subdit, si conferatur cum altero Rev. Januarii Castaldi. Accedit quod Matthias Bonocore, licet generice tantum asserat de simoniacis tricis, quod explicatur ex fine peculiaris interesse, ut fratris sacerdotis causam ageret, uti patet ex praecitato testimonio Venantii Marona, nihil aliud in specie refert de Carolo Monti quam causam nominationis inde repetendam esse, quia erat ipse de familia patronorum, quod sane, ceu probat inferius, longe aliter quam vitium

nominationis, legitimam et canonicam esse causam praesentandi demonstrat. Atque hoc unice fuisse verum motivum, quo suffragia majoris ac sanioris partis patronorum in Carolum collata sunt, confirmat ex testimonio concordi duorum testium melioris notae, Joannis nimirum Guastamachia et Samuelis Caccavale ex ordine Eremitarum s. Augustini. Ambiguum denique ac subdolum testimonium Vincentii Margera falsitatis et calumniae vitio laborare subjungit, ubi fabellam enarrat propriae uxoris: quod equidem ostendit documento Sindaci localis, qui testatur nominationem Caroli Monti fuisse peractam in ecclesia, clausis januis accessuque mulieribus praesertim penitus interdicto, ita ut inverisimile et imo impossibile dignoscetur foeminam praedictam in ecclesia fuisse praesentem et pecuniarum sonitum audivisse.

Patere hinc subsumit nullam probari eoque minus adfuisse pactionem illicitam et simoniacam in nominatione Caroli. Si quid autem in recensitis attestationibus veritatis inest, illud agnosci, quod nominatio Caroli inde causam et inpulsum accepit, quia videlicet erat ipse de familia et coetu patronorum ac de sanguine fundatoris. Hoc vero motivum non modo licitum, sed legitimum et canonicum ostendit allata in id canonistarum sententia, ac praeprimis *Piton. de controv. part. all. 83. a 15.* adjecta S. H. Ordinis auctoritate et Rotae in compluribus decisionibus, quas inter *Aretina Beneficii coram Ansaldo 21. Januar. 1721. §: Quin*, ubi sic animadvertitur: »Sacri canones, quemadmodum juspatronatus in parte activa nominandi, ita multum inclinant ad praeferendum sanguinem et descendentes ab iisdem fundatoribus in altera parte passiva.« Ait enim ad rem *Passerin. de elect. loc. supra cit. num. 167:* »Non vendit beneficium ex eo quod illud confert consanguineo quia consanguineus est, sicut neque est simoniacus qui orat pro consanguineo.«

Testes autem ad deponendum inductos, utpote qui convincantur, ut ait, non zelo justitiae, sed vel ex privato interesse vel partium studio ac ex uno malitiae fomite deponere ultra quod incerta generica inverisimilia renunciant, ipsiusque testium personae pluribus exceptionibus sunt obnoxiae et a testimonio ferendo debuisse repelli vel saltem hujusmodi testimonia prorsus elidi et reprobari debere arguit ex *cap.: Per tuas de simonia 32*, ubi decernit Innocentius III: »Nos vero, ne innocentiae puritas confusa succumberet, illas exceptiones probandas admisimus, quibus forte probatis non zelo justitiae, sed malignitatis fomite processisse constaret, ut conspirationes et inimicitias.« Testimonia namque instigatorum et conspirantium hujusmodi ad simoniam adstruendam ne adminiculum quidem praebere tradunt cum *Rota in recent. part. 17. decis. 116. num. 27 et seqq. et decis. 106. num. 16 et 17 Passerin. loc. cit. cap. 7. num. 62. et 63* et *Fargna de jurep. part. can. 16. cas. 6. num. 12 et 13.*

Nihili insuper omnino concludere testificationes in casu contrarias addit, quia testes non ex propria scientia deponunt, sed ex auditu a vilissimae conditionis et infimae plebis hominibus et aperto rumore vago in plebe sparso et ab ipsis testibus eorumque instigatoribus excitato: maxime quia simoniae crimen legitime non probari ne ex publica quidem voce et fama tuetur auctoritate Rotae centenis allatis decisionibus et signanter in *decis. 358. num. 6 et seqq. part. 2. decis. 377. part. 4. tom. 1. decis. 177. num. 22. part. 11 decis. 78. num. 5. et dec. 120. num. 6. part. 12.* necnon *decis. 141. num. 11 et 12. part. 18. recent.* Observat insuper, si sedulo testium dicta perpendantur, testes ipsos haud esse inter se contestes, imo etiam contradictoria deponere ideoque tamquam singulares, etsi verisimilia et relevantia referrent, in materia simoniae haud quaquam probare, ceu pluries resolvit Rota et maxime *decis. 141. num. 3. part. 16. et decis. 207. num. 6 et 7. part. 17. recent.* juxta sententiam s. Congregationis a Pontifice approbatam, qua in hoc derogatum est dispositioni bullae Pii V., de qua sermo est in curiae sententia, uti notat ad rem *Parisius de confid. benef. qu. 81. in fin.*, maxime cum extorta et conquisita esse redarguat testimonia praedicta lite pendente, quae nihil probare in specie monet *Pitonius loc. cit. all. 84. num. 15.*

Neque, si in viridi esset observantia bulla praefata s. m. Pii V., locus esset in casu ejusdem applicationi, ut prosequitur defensor, quia non ageretur de simonia confidentiali, in qua tantum juxta bullae tenorem testes singulares seu praesumptiones et conjecturae admittebantur, sed de simonia reali seu de muneribus datis atque pecunia, si

testium dictis esset adhibenda fides. In simonia autem reali vel conventionali plenam et concludentem requiri probationem semperque fuisse requisitam ostendit ex auctoritatibus supra recensitis. Nec sufficere in simonia reali alterutra tantum ex parte simoniacum factum intercessisse, sed opus omnino esse, quod doceatur simoniam utrimque perfectam fuisse et consummatam. Cum vero in themate juxta testium dicta vel res temporalis aut pecunia tradita non doceatur effective ex parte dantis vel promittentis vel res spiritualis seu nominatio ea de causa non demonstratur expleta, hinc deducit horum alterutro deficiente simoniam realem prorsus exulare ex doctrina *Paris. loc. cit. qu. 54. n. 2.* et *Passerin. in cit. cap. 7. de elect. num. 562. 264 et 331*, quorum theoricam firmasse *Rotam eruitur ex decis. 419. num. 7. part. 12. decis. 141. num. 16. part. 16 et decis. 207. num. 31. part. 17. recent.*

In facto autem non modo non probari ait secutum nominationis effectum ob rei temporalis traditionem, sed ne ipsam quidem rei temporalis promissionem haud quaquam comprobari, ita ut exulet omnino simoniae sive realis sive conventionalis objectum. Et, si munuscula, de quibus fit mentio, data reipsa probarentur, non modo ea simoniam non concludere, quippe quae nullius essent considerationis et correspectivum haud exhiberent, defendit cum Passerino loco super cit. num. 80 et 114, sed insuper nihil aliud iis intendi voluisse censet, quam machinationem seu vexationem ab adversariis instructam repellere, injustam illam ostendens, quippe quae directa erat ad impediendam nominationem Caroli, qui ad praelationem jus habebat exclusivum utpote habilis et unicus e sanguine fundatoris. Vexationem autem injustam redimere pecunia vel alia re temporali, quin simoniaca labes electioni seu nominationi dicatur inesse, probat omnino licere auctoritate fretus *Passerin. de elect. cit. cap. 7. num. 229 et seqq.*, ubi monet expresse »quod non sit simonia redimere pecunia vexationem injustam etiam ab eo, qui potest prodesse etc., semper enim militat eadem ratio, quia pecunia redimere injustitiam, inimicitiam, odium, persequutionem non est malum, quia res quae emitur non est spiritualis et ad hoc quisque habet jus.« Atque hanc doctrinam amplexam fuisse Rotam ostendit allatis in id decisionibus et maxime *decis. 177. num. 24. part. 11. Recent.* et s. hunc Ordinem in *Aurien. 9. Aprilis 1785 §: Consequens* et idcirco et in *Tudertina 20. Septembris 1788. §. Quo vero*, veluti etiam monet *Fagnan. lib. 6. decret. cap.: Nobis de simon. num. 105.*

Quod autem abfuerit prorsus in facto simonia satis aperte colligitur, ut ipse prosequitur, ab ipsa opinione judicis, quam pandit Emo s. Congregationis Praefecto Vicarius generalis, qui, utpote figere pedem non posse putabat in adhibitorum testium depositionibus ad simoniam agnoscendam, ideo a sententia in causa pronuncianda consultius abstinere opinabatur, remedium extraordinarium exquirens ab apostolica Sede. Ibi vero injunctum est eidem, ne jus quaesitum habenti praejudicium inferretur, ut ad sententiam procederet secundum acta et probata, ad praesentatos repellendos, praesertim vero Carolum Monti, opus eidem fuisse addit absurdum devorare, ad conjecturas videlicet, praesumptiones et meras probabilitates confugere, ubi necesse erat concludenti ac certa uti probatione, ceu ex ipso tenore sententiae depromitur, quo loco judex ipse fatetur exceptiones a Carolo Monti productas incertitudinem probationis constituere et commentitiam ac omnino falsam amplecti sententiam, quod scilicet simoniam inducere valeret insinuata quibusdam compatronis legitima praelationis ejusdem Caroli causa, quod esset de familia et sanguine fundatoris.

Ut demum admissa etiam hypothesi, quod nonnulli extiterint suasores ad patronos minis, promissionibus et munusculis corrumpendos horumque etiam nonnulli corrupti juridice probarentur, legitimam nihilominus vindicet ejusdem Caroli nominationem, sequenti utitur argumento. In casu electionis proprie dictae seu collegiative perficiendae, si major electorum pars, eo vero certius, si duae ex tribus a simoniaca labe detegantur immunes, electionem dici rite ac legitime factam et nec simoniaca labe infectam ob paucorum vota coempta electo prorsus innocente aut ignorante nec ipsam electionem esse cassandam evincit cum *Passerin. loc. proxime cit. num. 337 etc.*, majori autem sustineri defendit in themate Caroli nominationem, quia non versamur in casu collegialis electionis, quae competat pluribus uti universis, sed simplicis nominationis, quae pluribus equidem competit ratione descendentiae per fundatorem vocatae, sed iis singulis adeo ut quisque peculiarem et distinctam habeat quotam et vocem et praeinde valeret nominatio et efficax esset, etsi unius tantum suffragium a simoniaca labe doceretur exemptum, ceteris autem infectis. Quam sane regulam tamquam certam et incontroversam assignat *Fagnan. in cap.: Nobis de simonia num. 5*, ubi hanc adducit rationem: »quia tunc quilibet per se confert seu praesentat et tot sunt collatores vel patroni, ideoque una collatio vel praesentatio vitiosa in alteram non influit, sed habet locum regula Sexti: utile per inutile non vitiatur.« Et bis terminis loquitur *Rota decret. 550. num. 2. part. 4.*, quam novissime sequitur *Nicol. Garz. de benef. part. 8. cap. 1. num. 12.*

In facto autem observat tres supra triginta fuisse compatronos eorumque septem absentes per procuratores, qui Carolo Monti dedere suffragium, horumque perpaucos, nec certe numero plures quam septem vel octo, si testificationibus magis infectis esset adhibenda fides, de simonia esse redarguendos. Hinc infert, etsi de electione ageretur proprie dicta, eam tamen juxta praemissam theoricam rite et legitime factam sustineri, eo igitur magis ab omni censura vindicari factam praesentationem, cum res sit de simplici nominatione. Pacificum autem esse constat ex actis, Carolum non modo nullam habuisse partem in objecta simonia, si forte paucorum opera intervenisse dicenda esset, sed facinus quod aliis adtribuitur ipsum praesentatum penitus ignorasse. Unde consequi arguit, quod ex titulo justitiae danda sit eidem Carolo institutio.

Quod si nihilominus hisce posthabitis dubium aliquod subreperet circa simoniae vitium, quod nominationem afficere posset, ea putat defensor in themate concurrere, quibus ex s. Ordinis benignitate juxta suetam praxim supplicandum SSmo expediret pro sanatione, ceu non semel factum ostendit ad cautelam et prae ceteris in novissima Ariminen. 15. Septembris 1838. Agitur enim ut ipse prosequitur de sacerdote optimis moribus et qualitatibus instructo et in cura animarum subsidiarie jam pridem versato, ceu comprobat documento parochi s. Mariae Angelorum Neapolis, super quo nihil vel ipse et Ordinarius, imo ipsi testes adversi in contrarium objectant ac imo Episcopus in novissimis suis literis cuicumque decisioni s. Ordinis sese indifferentem omnino esse profitetur. Huc accedit, quod Carolus praedictus de sanguine et familia sit fundatoris ac de coetu patronorum, cum patronus et ipse, ita ut praesumptionem habere dicatur passivae vocationis et praelationem a ss. canonibus admissam. Attestatione demum exhibita Sindaci localis ostendit in illius nominatione omnia rite, composite et absque tricis processisse: si quid autem ex paucorum facto intercessisse retinendum esset, quod simoniae suspicionem ingeret unius votum a labe simoniaca vindicatum, praesentationis legitimitatem adstrueret, eoque magis in quolibet dubitationis casu s. Ordinis aequitatem pro sanatione impertienda suadere videretur, ut concludit orator animadvertens, quod innocens a quacumque labe Carolus ostendatur; vota namque vitiosa quatenus adessent nec ipse nominatus exquisisse nec eo sciente aut consentiente fuissent ab aliis comparata.

Hisce praejactis utrimque ac mature cribratis erit Emorum Patrum prudentiae. quae sequuntur definire dubia:

I. *An constet de legitima nominatione Caroli Monti ita ut danda sit eidem institutio seu potius obstet simoniaca labes in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam,

II. *An sit supplicandum SSmo pro sanatione ejusdem favore in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Non constare de legitima nominatione et esse locum novae praesentationis etiam favore Caroli Monti facto verbo cum SSmo.

Ad II: Provisum in primo.

Die 19. Decb. 1857.

II. Non est.

Neapolitana.

(Conc. Trid. c. 9. s. 25. de ref.)

Instrumentum stipulatum inter Damianum Mastrotam sacerdotem et Michaelem Serranum et Lucretiam ejus uxorem subsellia judicum romanae curiae defatigavit; R. P. siquidem Balestra judex confidentiarum censuit in dicto instrumento veram adfuisse

simoniam. Fuit hoc ipsum confirmatum in congregatione criminali eminentissimi Urbis Vicarii. Fuit autem hoc retractatum in congregatione criminali A. C., sed Congregatio criminalis gubernii postremam A. C. sententiam infirmavit et postremo hujus ejusdem causae examen ad hanc sacram Congregationem in quinta instantia remissum fuit ab auditore Sanctissimi.

Ut autem, si non omnia saltem principaliora, quae a scribentibus hinc inde deducuntur, oculis EE. VV. in hoc folio exhibeantur, operae pretium est referre.

Primo quod in instrumento stipulato die 18. Novembris 1707 Damianus Mastrota sacerdos donavit donatione irrevocabili inter vivos Lucretiae appartamentum domus pertinens ad beneficium seu capellaniam sub titulo annunciationis, eaque moriente ad donationem vocavit Michaelem ejusdem virum; quod idem Damianus donavit praedicto Michaeli totum id, quod ab ipso tanquam a patrono dicti beneficii quolibet anno praetendere poterat pro juribus sacristiae, missarum cantatarum et aliarum similium rerum, se obligando ad subeundum de proprio onera mox memorata, quod tandem duae superadditae fuerunt conditiones, quarum altera fuit, quod hae donationes durare deberent, quoadusque Damianus persisteret in possessione beneficii, et altera fuit, quod in casu inobservantiae exbursare teneretur scuta 50.

Secundo quod sacerdos Joachimus Villa, qui fuerat deputatus ad complenda onera missarum annexa capellaniae sive beneficio, quoadusque durasset absentia Joannis Pasquedae, qui dictum beneficium sive capellaniam obtinebat, fecit praedicti beneficii sive capellaniae resignationem die 22. Novembris 1707.

Tertio quod Michael Serranus et Antonia de Losa, ad quos jus nominandi ad capellaniam sive beneficium pertinebat, die 24. Novembris ejusdem anni 1707 deputarunt et nominarunt sacerdotem Damianum Mastrotam, ut ipse adimpleret onera missarum sub obtentu discessus Joachimi Villae a civitate Neapolis et quod ea ipsa die fuit admissa nominatio et intra terminum trium dierum fuit a nominato capta possessio.

Ab hac facti serie ex publicis actis desumpta, quaeque etiam coadjuvatur a depositionibus nonnullorum testium examinatorum et tribunali nunciaturae Neapolis, Andreas Assantes, qui praevia patronorum nominatione fuit ab Ordinario institutus et capellaniam sive beneficium obtinuit tanquam vacans propter simoniam a Damiano commissam, contendit de labe simoniaca non esse dubitandum, tum quia faciendo donationem appartamenti, quod erat de juribus beneficii sive capellaniae, et obtinendo subinde nominationem ad beneficium sive capellaniam simoniae confidentialis reus esse dignoscitur ad tramites bullae sancti *Pii V. 85.* §. *2. bull. tom. 2*, ibi: »Ad haec plerique Ordinarii et collatores ac etiam patroni laici curant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorumdem aliisque faciant ministrari«, tum quia hoc idem crimen convincitur ex dimissione ejus, quod erat solvendum per Michaelem patronum quolibet anno, pro jure sacristiae, missarum cantatarum et consimilium rerum, uti probat textus Alexandri tertii in *cap.: Veniens 10. de test. et attest.*, ibi: »Quod prius promisisset, quod unicuique parochianorum bariles vini remitteret, qui sacerdoti ejusdem ecclesiae, qui pro tempore ibi serviret, consueverant pro beneficio dari.«

Absque eo quod quidquam referat, quod non versamur in beneficio ecclesiastico sed in capellania manuali sive legato pio et quod sacerdos Damianus fuit nominatus et deputatus per modum provisionis, ut suppleret vices Villae absentis, quasi quod ex his inferatur nullum sibi posse simoniae locum vindicare ex defectu subjecti, in eo enim, quod attinet ad punctum capellaniae sive legati pii, respondet Assantes hic et nunc agi de vero beneficio, tum quia in literis apostolicis Innocentii X. illud fuit appellatum simplex beneficium ecclesiasticum de jurepatronatus laicorum et in aliis literis apostolicis Innocentii XI. concessa fuit dispensatio super aetate ad beneficia ecclesiastica requisita, tum quia nominati fuerunt ad ejus titulum ordinati, quod non contigisset in capellania pure laicali et amovibili ad nutum, et tandem, quia nominationes a patronis fuerunt expletae coram Ordinario, fuit ab Ordinario concessa institutio et coram Ordinario facta fuit dimissio, quae omnia arguere dicenda sunt veram beneficii qualitatem, in eoque, quod spectat ad deputationem Damiani non in perpetuum sed ad tempus, subdit Assantes id non excludere simoniam, cum unice ad effectum simoniae

videndum sit: »An res, quae fuit in contractu deducta, sit necne spiritualis sive ecclesiastica, non autem an ingressus fuerit titulo institutionis vel titulo administrationis, uti probat textus in *cap. Consulere de simonia.*

Adversus haec excipit Damianus Mastrota nonnulla, quae ad factum, et nonnulla, quae ad jus referuntur.

Ad factum refertur, quod alterata praetenditur data instrumenti donationis; indicat etenim data illud fuisse stipulatum die 18. Novembris 1707 et sic ante nominationem expletam die 24. ejusdem mensis, quando ex eodem instrumento desumitur, quod processum fuit per viam cessionis et donationis jurium et rerum penes Mastrotam jam existentium, in quo rerum statu argui posse videtur, quod instrumentum fuit stipulatum non ante sed post nominationem; multoque magis quia Michael Serranus hujusce criminis delator in libello transmissum fatetur instrumentum fuisse confectum die 7. Januarii anno 1708.

Dicta testium in tribunali nuntiaturae Neapolis examinatorum, cum ipsi ad summum deponant de confessione extrajudiciali Mastrotae atque Serrani, nullum constituere valent probationis gradum, tum quia loquendo de confessione Mastrotae non sunt contestes de loco, tempore et verbis, tum quia sermonem habendo de alia Serrani urget animadversio, quod, si infectus crimine simoniae adversus Correum testificari nequit, uti probat *textus in cap.: Veniens 10. de test. et attest.*, admitti per consequens nec poterit ejus confessio extrajudicialis, etiamsi esset in facto plene justificata.

Ad jus deinde refertur, quod versamur in capellania amovibili et ad quam per modum provisionis et ad supplendam absentiam Joachimi Villae Mastrota nominatus est, in qua facti specie conventiones esse possunt illicitae sed non simoniacae nec obnoxiae poenis a jure statutis adversus simoniacos, quemadmodum decisum et resolutum dicitur in quadam congregatione particulari habita die 8. Maji 1704, uti legitur apud R. P. *Petrum ad constitut. apostolicas tom. 4. pag. 50. num. 21 et seqq.*

Haud urgentibus apostolicis dispensationibus et caeteris aliis supra relatis pro inducenda qualitate veri beneficii ecclesiastici, quia admissa qualitate capellaniae laicalis et amovibilis, quae ex fundatione colligitur, subsequentes actus, utpote ab erroneo supposito derivantes, non sunt habendi in consideratione.«

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An constet de simonia in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et in quas poenas incurreret Mastrota?*

S. C. C. resp.

Ad I: Non constare de simonia sed donationem fuisse illicitam.

Ad II: Non incurrisse in poenam simoniae*) et ad mentem.

Die 13. Aug. 1718 et 26. Aug. 1719.

Salutiarum.

(Conc. Tr. c. 1. s. 21; c. 14. s. 24. de ref.)

Emmanuel Brozza in instrumento sub die 27. Septembris 1833 exarato annuam pensionem seu praestationem librarum centum et quinquaginta pollicitus est Lucae Peretto plura ob nomina, quibus se illi devinctum asseruit. Lucas vero insequenti die 28. ejusdem mensis simplex fundavit beneficium sub invocatione sanctissimi Rosarii in parochiali ecclesia loci vulgo nuncupati Isola bella et ad illud nominavit Josephum Mariam antedicti Emmanuelis filium, ut ipse posset ad ejus titulum clericali militiae nomen dare. Cum autem subinde memoratus Joseph Maria prima tonsura fuerit initiatus ac in vim dictae nominationis enunciatum obtinuerit beneficium, cujus praeterea dos, ut pro congrua beneficiati sustentatione sufficeret, ab eodem Luca fundatore fuerat etiam nonnullis aliis bonis audacta, e contra vero Lucas annuam pensionem sibi ab Emmanuele assignatam nequiverit ad haec usque tempora exigere, suum indixit animum, ut sacram hanc Congregationem adiret enixe postulans declarari: Praemissam beneficii erectionem et respective Josephi Mariae nominationem ob simoniae vitium, quo illae infectae sunt, nulla ratione sustineri posse proindeque sibi

*) Vd. *Simonia* (poenae.)

nedum licere variatis conditionibus in anteacta beneficii fundatione adjectis ad novam ejus erectionem procedere, verum etiam de bonis ut supra in augmentum dotis successive assignatis libere in aliam causam disponere.

Beneficii erectionem itidemque ad illud nominationem sive ab ipsomet fundatore sive a legitimo patrono expletam sub pactione, lege aut conditione, quae simoniacam pravitatem quoque modo redoleat, a sacris canonibus improbari colligitur ex *cap.: Praeterea 9. de transact.*, ex *cap.: Ex insinuat.* et ex *cap.: De jurepatronatus*, et docent communiter canonistae, inter quos *Fagnanus in cap.: Tua nos num. 16 et seq. de simonia, Reiffenstuel. in jus canonic. lib. 5. tit. 3. §. 11. num. 264, Piton. discept. ecclesiast. 138. num. 2* et novissime *Rota in Pampilonen. Parochialis de Alsasua 10. Aprilis 1739. cor. R. P. D. de Vais.* Pactum vero simoniacum intercessisse in enunciatis actibus erectionis et nominationis controversi beneficii inspecta annua pensione, quam Emmanuel Brozza se obstrinxit persolvere Lucae Peretto, ex tribus facti circumstantiis potissimum evinci contenditur: primo, quod Lucas tunc temporis, quo saepedictum beneficium fundavit, plurimo aere alieno reperiebatur onustus et binas habebat in nubili aetate neptes, ita ut inverisimile omnino sit fundari ab ipso voluisse beneficium et ad illud nominari Josephum Mariam, nisi reciprocae annuae pensionis pollicitatio praecessisset; secundo, quod eadem pensio constituta fuit Lucae in quantitate ita respondente annuo beneficii redditui, ut tam Emmanuelis quam Lucae par esset in asserta pactione conditio, et tertio demum, quod idemmet clericus Joseph Maria Brozza ejusque frater natu major ab Episcopo de praemissa conventione interrogati non fuerint ausi illam praesente Luca inficiari.

Haec praecipua sunt nomine Lucae Peretti proposita, quibus praestat adjicere, quod, tametsi praefatus clericus Joseph Maria facile veritus ne beneficio pridem obtento ob assertum simoniae crimen privatus declararetur, sub jurisjurandi religione affirmaverit Episcopo saepedictam nominationem sibi penitus improbae pactionis ignaro fuisse procuratam a patre nec nisi post aliquod tempus sibi innotuisse, pro ejusdem tamen beneficii retentione haud quaquam Josepho Mariae suffragaretur, cum, quisquis ecclesiasticum beneficium per simoniam a patre vel ab alio patratam obtinuit, ante omnem judicis sententiam una cum fructibus teneatur illud dimittere, quamprimum noverit collationem sibi fuisse simoniace factam,*) per *text. in cap.: Non fuit 27*, in *cap.: Sicut his 33. de simonia*, in *cap.: Penult. de elect. et in extrav. Cum detestabile §: Per electionem de simon.*, nisi forte in proviso per simoniam concurrissent ignorantia facti inculpata et pacifica beneficii possessio ad triennium bona fide protracta, juxta limitationem traditam a *Suarez. tom. 1. de relig. tract. ult. de simon. cap. 57. num. 39, Thesaur. de poenis par. 2.* verb.: *Simonia §. 2. circa finem, Reiffenstuell. loc. cit. num. 278* et aliis communiter.

Caeterum ubi ex iis, quae a Luca Peretto proferuntur, simoniaca pravitas in memoratis erectione beneficii, nominatione et augmento dotis judicetur intercessisse, superest adhuc ponderandum an juxta votum praefati Lucae respondendum sit, ei licere ad nòvam beneficii erectionem variatis conditionibus progredi et libere de bonis in ejus dotis augmentum assignatis disponere, cum statutum in jure habeatur patronum vendentem juspatronatus sive pro pretio et re temporali aliquem ad beneficium praesentantem juspatronatus amittere et ecclesiam effici liberam, ut ex *cap.: Quia clerici de jurepatron., cap.: De jure eod. tit.* et *Tridentin. de reform. sess. 25. cap. 9.* tuentur *Thesaur. de poenis d. part. 2. cap. 8. num. 1* et caeteri canonistae passim praeterea firmantes, ut, quidquid pretii nomine intercessit in simoniaco contractu, non debeat restitui emptori neque possit remanere penes venditorem sed applicari debeat ecclesiae, cui facta fuit injuria, juxta doctrinam Abbatis in *cap.: De hoc de simonia n. 3*, quam sequuntur adducti per *Reiffenstuell. loc. cit. §. 12. n. 295.* Quae tamen limitari videntur in casu personae idiotae absque ulla penitus cognitione ac formidine simoniacae labis pactiones hujusmodi ineuntis, juxta textum in *cap.: Cum universorum 8. de rer. permut.* et notat cum aliis *Fagnan. in cap.: Tua nos n. 13. de simon.*, inspecto potissimum, quod, cum fundator nullam hactenus promissae pensionis ratam exegerit, completa dici non potest simonia, quam realem vocant, et ex cujus tantum ratione supradictae poenae a sacris

*) Vd. p. 462. Firmana.

canonibus statutae non incurruntur, uti communiter ex *text. in Extravag.: Cum detestabile 2. de simon.* docent *Reiffenstuel. in jus can. lib. 5. tit. 3. §. 11. num. 249, Vallen. cod. loc. §. 4. num. 2 et ibidem Zoes. n. 93.*

Omnibus itaque perpensis unacum relatione Vicarii capitularis data in summario oratoris, ubi plura, quae ad factum pertinent, merentur adverti, placeat Eminentiis VV. rescribere:

An liceat fundatori procedere ad novam erectionem beneficii variatis conditionibus et cum facultate libere disponendi de bonis in augmentum dotationis assignatis in casu?

S. C. resp.:

Negative et amplius.

Die 3. Sept. 1740.

Ortonen.

Postremis queis decessit tabulis die 1. Julii 1699 obsignatis piissimus sacerdos Bellanfante capellam sub titulo s. Mariae Constantinopolitanae in ecclesia s. Spiritus Ortunae extantem seu ven. confraternitatem sub eodem titulo haeredem nominavit. Cui injunxit ut ex nonnullis fructibus haereditatis et ex pecunia per venditionem bonorum mobilium percipienda perpetuam capellaniam erigendam curaret, cujus activum juspatronatus eidem confraternitati reservavit, hanc unam quoad nominandos indicens conditionem: Che non si possa eleggere nè nominare, nè presentare sacerdote forastiero, ma cittadino . . . il migliore tanto in sapere, quanto in essere per maggior servitù ed amorevolezza di essa ven. confraternità e capella.

Cum die 1. Aprilis 1850 per obitum ultimi ejus possessoris capellania vacasset, convocatis comitiis die 30. Junii ejusdem anni ad novam nominationem deventum est. In antecessum vero plures conditiones futuro eligendo capellano imponendas confratres decrevere, quae partim ad onerum implementum praesertim missarum taxationem et celebrationem partim ad bonorum capellaniae administrationem referebantur. Inter has sequentes notatu dignae sunt:

1) Che se il novello capellano quale che siasi avesse un altro beneficio o canonicato o legato di messe di qualunque natura siasi debba rinunziarlo dopo otto giorni dalla nomina . . . e prima della verifica di detta rinuncia, il Priore non potrà spedire la nomina del capellano. Che se in avvenire il detto novello capellano sarà promosso al canonicato di questa Cattedrale Basilica di s. Tommaso Apostolo od a qualunque altra dignità o benefizio, dovrà tutto rinunziare dentro otto giorni; ciò non facendo, senza fare istanza, la confraternita procederà alla scelta di un nuovo capellano.

Cum inde septem sacerdotum nomina ad secreta suffragia commissa fuissent, omnibus potior inventus fuit sacerdos Paschalis Basti, quippe ex quadraginta duo electoribus vigintiquinque favorabilia vota retulit. Hic porro die 19. insequentis mensis Julii per libellum curiae exhibitum novas a confratribus appositas conditiones rejiciens nominationem acceptavit simulque canonicam petiit institutionem.

Sed jam paucos ante dies quidam Thomas Taffiorelli alter ex confratribus dato in curia libello peractam electionem nullitatis insimulaverat, utpote simoniae labe infectam sequutam nempe mercè le prevenzioni fatte ai fratelli della promessa di una ricca pianeta, tum ob malas adhibitas artes necnon ob alios defectus in conficiendo judiciali processu detegendos. Nihilominus, quo omnia rite procederent, Archiepiscopus Ortonensis seu Lancianensis consuetam edicti affixionem die 29. Julii fieri jussit novem assignans dies omnibus interesse habentibus ad opponendum et allegandum quidquid contra nominationem et praesentationem memoratam sibi jure competere existimarent; quo elapso termino ad canonicam institutionem deveniret. Pendente adhuc utili ad reclamandum termino formalis ex parte Taffiorelli prodit denunciatio, in qua jam exposita accusationis capita undequaquam confirmabat. Hinc statim ab Ortonensi curia concinnari caepit judicialis processus: ast interea temporis novae ex parte duorum ex confratribus Cajetani d' Adamo et Thomae d' Adamo excitatae sunt querelae, qui altero adhibito libello pro nullitate electionis ratione contemptus instabant.

Expletis tandem processualibus actis a curia archiepiscopali lata sententia est, in qua simoniaca et nulla electio seu nominatio sacerdotis Basti declaratur et praecipitur:

1) Che il sacerdote D. Pasquale Basti rimanga interdetto a concorrere al benefizio di patronato della confraternità di s. Maria di Constantinopoli nella città di Ortana.

2) Che la stessa confraternità proceda a novella elezione nel termine e colle forme di legge.

Ab hac sententia tum sacerdos Basti tum confraternitas ad S. H. O. continuo appellarunt eamque nullam ac irritam declarari aut saltem revocari datis de more precibus efflagitant.

Illico Archiepiscopi informationem ac votum percontatus sum, qui transmisso processu plenam rei uti narravi dedit notitiam. Quoad personam vero sacerdotis Basti in epistola diei 14. Junii 1851 haec habet: »L'accusato Don Pasquale Basti è il celebre Cappuccino Padre Basilio D. Ortona, il quale come è costi ben noto alla sacra Congregazione de' Vescovi e Regolari ed all' Emo Protettore dell' Ordine Cappuccino, dopo di aver cooperato colle sue male arti e perverse insinuazioni a tutte le ultime calamità di detto ordine, per isfugire la giusta persecuzione de' superiori, ha ottenuto co' suoi raggiri la secolarizzazione perpetua, ed è passato a seminar discordie nel clero secolare di Ortona. Passò poi sotto silenzio, che il medesimo Basti per ottenere i suoi intenti è molto facile ad offrir somme, non avendo nè meno in qualche circostanza risparmiato di tentare persone addette alla mia curia e da me conosciute, ed avendo adoprato mezzi assai turpi per ottenere dall' infelice vedova Margarita Draghi la donazione, della quale si parla solamente di volo nel processo, ed alla quale ha poi rinunziato per solo timore della giustizia.

Super tribus potissimum accusationum capitibus inquirit judicialis processus et totidem argumenta ad sequutae electionis nullitatem declarandam a curiae archiepiscopalis sententia in medium afferuntur. Primum nempe respicit simoniae probationem, alterum refertur ad conditiones juris communis dispositionibus et fundatoris voluntati repugnantes in actu electionis appositas, ac postremum ad nonnullorum confratrum exclusionem a suffragio ferendo et admissionem eorum, qui voce activa carebant.

Ad primum quod attinet, haec narrat sacerdos Dominicus Caccavone: Più di due mesi indietro andando io passeggiando per la strada della marina insieme coi sacerdoti D. Ferdinando Scaricaciottoli e D. Pasquale Basti, Basti disse: se i confratelli nomineranno me capellano di Constantinopoli, io farò alla Madonna una pianeta di lama d' argento. Eadem refert sacerdos Ferdinandus Scaricaciottoli. Duodecim autem testes ab accusatore inducti, si unum excipias qui in electionis loco se audivisse deponit, che il voto dovea darsi a Basti perchè buono e figlio di cittadino, ceteri in hoc conveniunt tam ante quam post electionem famam percrebuisse inter confratres de dono casulae seu pallae sacerdotalis magni valoris a Bastio faciendo capellae confraternitatis, si ad beneficium nominaretur: tum nonnullos confratres idem data opera disseminasse ut electio in Bastium caderet, et eorum duo ingenue fatentur se ob id potissimum Bastio propitium tulisse suffragium.

Praestat heic referre depositionem Camilli Cieri, qui rem totam minuta relatione describit: »Prima di addivenirsi alla nomina si osservava, che i confratelli Achille Umile, Prospero Mosca, Pasquale Lopes, Domenico Ulisse e Tommaso Crescenzi, come entravano i fratelli contadini, così li prendevano destramente facendoli uscire fuori, e dopo breve colloquio si vederano rientrare; ciò faceva travedere un fine di prevenzione per qualcuno. Dopo la nomina si è pubblicamente acclarato che quelle prevenzioni secrete riflettevano d' indurre i confratelli a dare il voto favorevole al suddetto Basti con la promessa che costui avrebbe fatto un donativo alla chiesa di una ricca pianeta . . . Fatta la nomina i sur. confratelli, Umile, Mosca, Lopes, Ulisse, e Crescenzi festeggiavano di essere riusciti nell' intento e corsero ad annunziare Basti, da cui ebbero quegli atti di gratitudine convenienti al merito della cosa. In fatti mentre si trattenevano nella bottega di Raffaele Rossi si è presentato Achille Umile, a cui io destramente cacciai il discorso della nomina, dicendogli, se Basti, avendo ottenuto il beneficio, sarebbe stato di parola a mantenere la promessa; egli rispose, che erano gia pronti i ducati trenta. A ciò io replicai dicendo che non di trenta, ma di 40 ducati era stata la promessa. Egli disse che sia l' una, sia l' altra somma avrebbe adempito a consegnare una pianeta di lama d' argento, anche perchè l'avea promessa prima e dopo la nomina, e che non potea mancare e nè negarlo, perchè

egli avea fatto tutto . . . Non è poi da sorprendersi, se Basti avesse posto in opra in questo incontro degli intrighi, poichè in altre circostanze ha dato sempre riprova della sua abilità e massinamente per la donazione, che con mezzi sorrttizii espiscò da D. Margharita Draghi, che poi dovè rinunziare, poichè già si era portata a conoscenza del Tribunale.«

Alii testes fiscales eadem confirmant quoad publicam vocem et opinionem, inter quos sunt qui referunt saepe saepius ante electionem Bastium visum fuisse deambulare ac sermocinari cum iisdem confratribus, qui ad ejus nominationem obtinendam plurimum adlaborasse a supra inductis testibus dicuntur ac praesertim Franciscus Cruciani, qui praeterea addit: »L'avere io veduto per quattro mattine e forse più il signor Basti passeggiare con Prospero Mosca fuori le mura della città . . . l'averlo veduto spesso nella bottega di Domenico Ulisse, e frequentare continuamente, mattina e giorno, la bottega del Margiotti; l'aver che questi, i nominati, Mosca, Ulisse ed altri si recavano di sera in casa del signor Basti, il quale dava loro delle merende e tutto ciò prima di addivenirsi alla nomina, mi fecero persuaso che erano veri gli intrighi di cui tanto si era parlato, e questa persuasione si convertì per me in certezza dopo verificato quanto prima erasi divulgato.

Plures vero numero ex parte Bastii inducti sunt testes, qui omnes sacramenti religione interposita examini subjecti sunt. Horum unus dumtaxat refert: »ho inteso prima della nomina discorrersi tra i confratelli di una pianeta che si sarebbe data alla Madonna, rimanendo eletto D. Pasquale Basti, dal quale non ho inteso però mai dir nulla nè prima, nè dopo la nomina. Alii vero de hoc interrogati reposuere: Non ho inteso mai parlare nè di pianetta, nè di altro. Alii testantur: e solo dopo la nomina ho inteso parlare fra i confratelli di una pianetta che si sarebbe data alla Madonna dall' eletto; quod quidem nonnulli (nominatim Umile, Mosca, Ulisse, Crescenzi, Lopes, quos ceteroquin Bastii promissionem inter confratres divulgasse fiscales testes perhibent) se audivisse asserunt vel ab ipso Thoma Taffiorelli vel a Cieri post peractam nominationem. Ex hisce Prosper Mosca etiam addit: »che varii giorni prima della nomina s' incontrò col sacerdote Basti, a cui insinuò di fare una dimanda al Priore acciocchè fosse compreso fra gli eleggibili del beneficio che dovea riproversi, e che questi gli abbia risposto: che questo non potea farlo poichè non avea coraggio di essere nominato mediante una preghiera, perchè vi era la simonia di mezzo.

Ad conditiones quod attinet a futuro capellano observandas, quae jam scripto exaratae in electionis actu omnium confratrum consensu receptae fuerunt, recolendum est, quod resultat ex testimonio Camilli Cieri, qui interrogatus: s' è vero che il Priore o altri abbia fatto osservare a tutti i confratelli che la scelta non dovesse cadere che sopra i preti semplici, escludendo gli insigniti contro la volontà del testatore che chiamava questi a preferenza? reposuit: si, signore, venendo così a restringere la voluntà del fundatore: cui concordant alii duo testes.

Quoad exclusionem confratrum a suffragio ferendo generatim conveniunt testes, quatuor ab electionis loco fuisse expulsos, nempe Santem Tucci, Intimum Castiglioni, Thomam d'Adamo, Cajetanum d'Adamo, eo quia tamquam confratres non habebantur, licet hi ad electionem citati fuerint et eorum nomina in anteactis confraternitatis deliberationibus subscripta aliquando reperiantur. Verum quoad Cajetanum d'Adamo nonnulli dicunt expulsum quidem fuisse, sed postea, antequam nominatio fieret, fuisse revocatum; imo et alii affirmant eum praesentem nominationi fuisse et suum cum ceteris dedisse suffragium. Istis refragatur testimonium Cajetani d'Intimo, qui testatur: »sono stati cacciati Gaetano d'Adamo, e Tommaso d'Adamo i quali non sono stati richiamati, ma si sono trattenuti con me fuori la chiesa.« Idem ipsemet Cajetanus d'Adamo contestatur. Hic vero interrogatus circa reclamationem ob contemptum apud curiam exhibitum suoque nomine obsignatam reposuit: io non ho reclamato. Querelam contemptus unus confirmavit Thomas d'Adamo, qui interrogatus: »se in altre circostanze sia mai intervenuto alle risoluzioni della confraternità? reposuit: nelle altre circostanze sono stato varie volte citato e sono intervenuto.« Hujus tamen nomen in catalogo confratrum numquam invenitur, et ad calcem duarum resolutionum ven. confraternitatis propria ipsius Thomae manu exaratum alterius deleto nomini superim positum ac supplantatum

apparet, uti videre est in autographo resolutionum libro in actis.

Denique quoad admissionem eorum confratrum, qui suffragii ferendi jure carent, licet omnes testes asserere non dubitarint: i confratelli rimasti alla votazione erano tutti tali, attamen cum ex articulo 9 statuti pro confraternitatibus die 16. Decembris 1824 promulgati et regio assensu muniti confratres hi tantum habeantur, qui solemnem professionem emiserint, qua deficiente voce activa carent; patet majorem partem eorum, ad numerum scilicet 42, qui votum tulerunt, uti extraneos et illegitimos vocales censendos esse; ex scripta enim relatione ipsius Prioris, qui etiam confratribus professis non accensetur, constat confratres professos denarium numerum vix attingere.

Hisce in facto praehabitis haud levia videntur momenta rationum, quae Basilo adversantur. Ac primo, compertum in jure est, simoniacam dici illam electionem seu praesentationem, quae re aliqua temporali data vel promissa fuerit comparata, *arg. can. Ea quae 3. caus. 1. quaest. 3.*, licet non pecunia, quae alias proprie pretium est, *L. quod si servus § final. et L. si res ff. de in rem verso*, sed etiam quaevis alia res temporalis pretio aestimabilis et quacumque ratione commodum et utilitatem afferens fuerit tradita vel promissa. Quin simonia evitari possit, etiam quoad censuram fori externi, quamquam non directe cum electoribus aut patronis, sed indirecte cum aliis contractus perficiatur, ut hi ad sibi adipiscendam praesentationem penes electores intercedere velint, *Reiffenst. lib. 5. decretal. tit. de simon. § 7. num. 112. 123. 124*; aut pactum fuerit expressum vel tacitum etiam ex una parte inchoatum, ex *cap.: Tua nos 24* et *cap.: Si quaestiones 18. de simonia*; ac tandem etiamsi promissio vergat in bonum et utilitatem ecclesiae, uti diserte cavet cit. *cap.: Tua nos*, ubi Papa consultus respondit: si quis clericus cum conditione vel pacto largitur aut offerat bona sua ut illa postmodum pro praebenda retineat et in canonicum admittatur, hujusmodi oblatio vel acceptio fieri non poterit sine vitio simoniae, cum in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat juxta canonicas sanctiones. Hinc ad avertendum quodcumque simoniae periculum Alexander II.*) in *cap.: Ex multis 1. quaest. 3. §: Constituimus* ibi statuit, ut nullus cujuscumque gradus clericus pro ecclesiae beneficio aliquid audeat conferre aut fabricae ecclesiarum vel donariis ecclesiarum seu etiam quod pauperibus sit tribuendum, quia teste scriptura qui aliquid male accipit ut bene dispenset, potius gravatur quam juvatur. Et sacrum Rotae auditorium ex hoc textu in *decis. 796. num. 2. lib. 13. cor. Puteo* tenet collationem esse nullam cum onere ut aliquid detur pro fabrica, donariis etc. Tunc enim possent hujusmodi donationes respicientes bonum ecclesiae in universum (et nullatenus redundantes in commodum eligentium) a simoniae labe excusari, cum fierent ex legitima consuetudine et lege canonica id praecipiente et absque jactura seu diminutione proprii patrimonii ipsius eligendi, sed fructibus ipsius beneficii, et dummodo conditio beneficio adhuc vacante imponatur, uti limitat *Card. de Luca de canon. disc. 28. num. 7.*

*) Vd. *p. 445.*

Quae cum ita sint, indubium videtur Bastium per illa verba »se i confratelli nomineranno me capellano di Costantinopoli io farò alla Madonna una pianeta di lama d' argento« inter amicos prolata veram pactionem indirecte saltem cum confratribus iniisse, cum nempe clausulam magni valoris in pretium seu motivum beneficii assequendi deduxit. Non enim sub voti involucro conventio isthaec tegi posset; votum siquidem hac ratione conceptum, quin destruat, potius supponit contractum, cum illius adimplementum ab adimpleta conventione omnino dependeat. Ac pariter merum simoniae tegumentum censenda est conventio illa, in qua res, licet ad divinum cultum ordinata, temporalis tamen ac temporali pretio aestimabilis in pactum rei spiritualis deducatur. Hoc enim posito facile eluderetur omnis simonia ac idem prorsus obtineret quoad omnes conventiones in ecclesiae bona redundantes per rei temporalis oblationem, quas tamen simoniae vitio infici ex deductis probatum est. Ac merito, quia res temporaliis Deo dicanda pretii temporalis aestimationem non amittit et adamussim in casu promissio casulae magni valoris plurimum fortasse confratrum intererat, queis sacris supellectilibus beatae Virginis capellam augere onus incumbit.

Ne quidquam tandem regerit Bastius, votum istud iis manifestatum, qui electores

non erant, qui potius eidem beneficio inhiantes rem in proprium commodum vertissent, omnem initae aut ineundae conventionis suspicionem amovere. Nam e contra ex universo processu constat, hujus rei notitiam ante et post electionem inter confratres divulgatam et de hoc in ipsa civitate rumores elatos fuisse imo et ad aures etiam extraneorum pervenisse, uti testes non suspecti et confraternitate extranei deponunt. Cum igitur praesumi nequeat sacerdotes Caccovone et Scaricaciottoli in sui praejudicium rem prodere voluisse, profecto ipsius Bastii opera ac studio ad electorum vota captanda id evenisse censendum est. Quod forte suspicari licet de homine, cui haud insolens esse traditur per hujusmodi artes aliorum gratiam sollicitare et bona aucupari, quique saepissime ante electionem conversari cum iis confratribus visus fuerat, qui hujus promissionis intuitu pro ejus nominatione plurimum adlaborarunt. Tandem nocturna convivia cum iisdem habita horum gratulationes ac plausus post sequutam nominationem haud leve hujus rei praebent argumentum.

Sed dato etiam Bastio penitus inscio ac nullatenus conveniente suae promissionis notitiam in vulgus fuisse prolatam, cum tamen ex multorum testimonio probatum sit Bastii amicos ejus nomine cum electoribus eamdem conventionem iniisse ac horum nonnullos sub hac promissionis spe illi propitium dedisse suffragium, palam est, idem super nullitate electionis, quam simoniaca pactio infecit, ferendum esse judicium. Nam secundum canonum statuta etiam parvuli, qui cupiditate parentum ecclesias per pecuníam sunt adepti, eas dimittere tenentur, uti dicitur in *cap.: Sicut tuis de simon.* Quae juris dispositio simoniacam electionem ipso facto irritans locum habet nedum in casu, quo ab utraque vel ab una tantum parte rei conventae traditio facta fuerit, sed etiamsi pacta a neutra parte sint exequuta, uti fert magis recepta opinio doctorum ac mordicus tuetur *Garzias de benef. part. 8. cap. 1*, ubi singulorum opiniones recenset. Sufficit imo ad nullitatem provisionis inducendam simoniaca pactio cum uno tantum ex electoribus inita, licet eorum major pars simoniae sit expers, si eligant uti in casu jure collegii, *arg. cap.: Nobis de simon.*; tunc enim una omnium est electio, ideoque simonia cum uno commissa vitiat omnino electionem, quidquid secus quando ut singuli, quia tunc tot sunt praesentationes quot patroni, ideoque una non vitiat aliam. *Fagnan. in cit. cap.: Nobis num. 3 et 16, de Luca de canon. disc. 18. num. 7.* cum ceteris plene adductis a Fagnan. cit. loc.

Nec audiendus videtur Bastius, qui ad juris censuram eludendam in veritate testimoniorum labefactanda extremum perfugium patere sibi posse confidit: dum enim ad tanti criminis probationem duo testes sufficerent, *Lotter. de re beneficiar. lib. 3. quaest. 29. num. 50, Rota dec. rec. 202. num. 7. part. 17*, nec testes criminosi ac ceteroquin inhabiles repellantur, *tex. in cap.: Licet Heli. 31. cap.: Per tuas 32. de simon.*, plures tamen numero hique omni exceptione majores sunt testes, quos Bastius sibi adversantes hac in quaestione experitur. Quin relevet testes majori etiam in numero a se inductos simoniacam hanc promissionem penitus ignorasse, cum horum ignorantia haud valeat ceterorum notitiam excludere. Inter hos autem, qui testium fiscalium depositionem inficiantur eique contradicunt, hi sunt qui praecipuam hoc in negotio partem habuere; hujusmodi ergo testimonium utpote in proprium commodum et ad criminis de quo incusantur exclusionem emissum suspectum nimis comperitur ac ideo prorsus rejiciendum.

Quamquam plena probatione opus esset si ageretur ad effectum poenae formalis privationis beneficii jam obtenti ac juris valide ac perfecte quaesiti, secus autem ad repellendum a jure quaerendo et sic a beneficii assecutione, tunc enim sufficiunt probationes leviores et semiplenae, *Joan. Andr. in cap. penult. de elect., Rota in Caurien. Canonicatus 10. Maji 1681. cor. Seraphin.*, et conjecturae ac praesumptiones, *Paris. de fideic. quaest. 72. num. 8. in fin.*, et quod testes de simonia deponant ex publica voce et fama, *Redoan. de simonia part. 4. cap. 6. num. 7, Mascard. de prob. concl. 1305. num. 10*, et diffamatio resultans ex denunciatione seu inquisitione criminali, *Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quaest. 31. num. 145, Rota cor. Seraph. dec. 516. num. 4. dec. rec. part. 12. num. 16*; quod adeo verum est (nota *Card. de Luca de benef. disc. 70. num. 3.*) quod, etiamsi inquisitus absolutorium reportasset, quoties istud non provenit ex capite inocentiae, adeo ut omnino diluat maculam ac diffamationem, adhuc intret idem obstaculum, quoniam punctus non est in delicto ejusque

punitione, sed in dicta ratione diffamationis de facto, quoties ista habet aliquod fundamentum.

Exploratum est, jus ad controversum beneficium, si quod habet Bastius, esse tantum ad rem non autem in re, quia nondum canonicam habuit institutionem. Atqui per quoscumque actus collationem praecedentes numquam acquiritur jus in re, uti monet *Rota decis. rec. 172. num. 10. part. 12. post cap. ultim. de conc. praebend. in 6*, quoniam dari potest justa causa ob quam superior denegare valeat confirmationem vel institutionem, prout in iisdem terminis firmat *Card. de Luca de benef. cit. disc. 70.* Quod fortius in themate tenendum est, quia non unus Bastius ad beneficium optavit habens qualitates a lege vel ab homine requisitas, sed plures alii adsunt concurrentes ex provisione legis et fundationis admittendi; quo casu electi et nominati oppositio nullum jus tribuit, donec sequatur actus authorizabilis superioris habentis conferre vel instituere, ait *Rota in cit. dec. 172. num. 5. part. 12. rec.*

At exclusa etiam simonia nulla tamen renuncianda videretur electio, quae sequuta est sub conditionibus juris communis dispositioni et fundatoris voluntati repugnantibus, quod fieri vetat *text. in cap. 2. de elect. in 6, cap.: Quia propter eod. tit.* et *cap.: Cum terra 14. de simon.* Et dissertius in *cap. Ut nostrum, ut ecclesiast. benefic. sine diminut. conferant.*, ubi quodcumque onus tam reale quam personale quod jure aut fundatione non inest imponi electo prohibetur,*) praesertim quia conditiones hujusmodi pactionem cum eligendo supponerent ac simoniam redolent, *capit. 7. de transact.* Jam vero jus omnino reprobat conditiones illas a confraternitate appositas, quae bonorum capellaniae administrationem respiciunt, uti colligitur ex Tridentino *sess. 25. cap. 9*, quod cavet ne patroni in fructuum perceptione se immisceant, et in *sess. 14. cap. 3. de reform.* cura administrationis bonorum Episcopo reservatur.**) Et manifesto fundatoris voluntati adversatur conditio ut nullus canonicali praebenda insignitus ad hoc beneficium optare illudque retinere possit, cum testator absque ulla limitatione eligendum edixerit »Il migliore tanto in sapere quanto in essere per maggior servitù ed in onorevolezza di essa ven. confraternità e capella; quae limitatio ac restrictio ad aliquos ceteris exclusis facit, ut nulla sit electio; *Fagnan. in cap : Cum dilectus 8. de consuetud. num. 21* et saepe decidit s. Congr. Concilii, uti refert *Ursaya tit. 1. part. 1. disc. 17*, quia eo casu libertas eligendi adimitur, ut habetur in *cap.: Ubi periculum 2. de elect. in 6. §: Ceterum.* Et licet Bastius has conditiones rejecerit per protestationem diei 18. Julii, haec tamen ut nimis serotina et post accusationem emissa attendenda non est.

Urget sententia curiae archiepiscopalis nullitatem electionis ob irrationabilem et arbitrariam nonnullorum confratrum a suffragio ferendo exclusionem; horum duo scilicet Cajetanus d'Adamo et Thomas d'Adamo querelam contemptus moverunt et unus adhuc nempe Thomas d'Adamo pro electionis cassatione instat atque de jure solus contemptus duorum imo unius sufficit ad actus irritationem, ut ad literam disponitur in *cap.: Bonae,* in *cap.: Quod sicut, cap.: Cum inter de elect.* et in *cap: Cum in ecclesiis de praeben. in 6.* Nec difficultatem facessit, querelam contemptus utili elapso termino die nempe 15. Septembris motam fuisse, cum edicti affixio, quod novem dies ad reclamandum dabat, die 20. Julii facta; nam nondum sequuta institutione ex dispositione juris in *cap. final. de elect. in 6.* audiri debent hujusmodi oppositiones, imo post institutionem seu confirmationem datur decendium ad appellandum,*) *Barbosa in cap: Ut circa num. 17. de elect. in 6, Passerin. de elect. cap. 32. num. 39.*

Ac magis magisque nullitatem resultare ex admissione vocalium ex majore parte inhabilium; nam etsi mixtura non habentium vota non contradicta non praejudicet electioni, quae ab aliis bene conclusa sit, secus tamen est quando talia vota illegitima ipsam electionem concludunt, ut advertit *Card. de Luca de regular. disc. 54. num. 13*, quod sane contigit hac in electione, ubi major pars confratrum, a quibus electio conclusa est, professionem non emiserant ac ideo inhabiles censendi erant. Quod quidem potiori ratione obtinet in electionibus secretis, in quibus constare non potest an ex sufficienti numero vocalium habilium actus conclusus fuerit; ac ideo hujusmodi electiones cassandas esse, etiamsi unus possessor malae fidei vel etiam bonae fidei in his suffragium tulerit, docet *Passerin. de elect. cap. num. 27*, si incertum maneat an vocalis illegitimus suffragatus fuerit electo per majorem partem vel potius alteri per minorem electo. Nec admissionem extraneorum justificatam videri ex consensu vocalium habilium; nam non licet capitularibus extraneos ad electionem admittere sine privilegio vel consuetudine, *cap.: Cum dilectus 8. de consuetud.* et *cap.: Humana. 50. de elect.*, et absque praevia et formali deliberatione, ex qua electorum voluntas manifestatur, cujus defectus nullam reddidit electionem, *cap.: Contingit 8. de arbitr., cap.: Decernimus 2. de judiciis.*

Quae quidem ubi consistant, justissima videtur curiae archiepiscopalis sententia, quae electionis nullitate declarata in simoniacae pravitatis poenam ad idem beneficium obtinendum inhabilem Bastium judicavit juxta canonici juris sanctiones in *cap. pen. de elect.* et *cap.: Nobis fuit 27. de simon.* ac praecipue in bulla s. Pii V.: *Cum primum,*)* quae est ordine 5. inter constitutiones dicti Pontificis *bullar. Cherubin. tom. 2.*

Hisce tamen singillatim haud parvi momenti rationibus innixus obviam it Bastius. Ac primo ab his se vindicat, quibus eum Archiepiscopus in suis epistolis ad sacram Congregationem missis immerito fortasse subdit. Et a veritate prorsus abhorrere, quod ille tradit de mala sua agendi ratione, cum in religione Cappuccinorum viveret, probat ex binis attestationibus superiorum illius ordinis, quae potius eum valde commendant. Nec pariter subsistere, ait, captiosas a se adhibitas fuisse artes ad donationem a Margarita Draghi obtinendam, cum e contra ex insuspectissimis testium depositionibus eruatur, Bastium aegre prorsus ac saepius a Margarita ipsa exoratam donationem acceptare. Ad causam inde accedens, ad accusationem simoniae quod attinet, ab hoc detestabili crimine ita abhorrere se dicit, ut ad ejus suspicionem praecavendam nullas pro nominatione assequenda preces adhibere voluerit, veluti ipse uni ex inductis testibus declaravit.

Quin simonia erui possit ex pallae sacerdotalis promissione: profecto, ut de simoniae existentia nequeat dubitari, probari debet antecedens conventio facta super re spirituali vel spiritualitati annexa pro temporali commodo. *Lotter. de re benefic. lib. 3. quaest. 29. num. 35.* Jam vero nullam conventionem inter se et confratres patronos locum habuisse ait de palla sacerdotali ecclesiae donanda sub conditione nominationis; promissio etenim, quam ipse peregit, non quidem confratribus promissionem acceptantibus et beneficii nominationem repromittentibus sed solum Deiparae Virgini facta fuit in modum voti, quod nemini ex christifidelibus vetitum est pro temporali vel spirituali aliqua gratia assequenda.

Et frustra subsumit objicere inimicam sententiam, sub specie voti simoniacam pactionem contineri eo quod ipse votum istud per confratres sibi amicos publicaverit ad hoc, ut electores ad sui nominationem induceret; electores vero ad hanc nominationem reapse devenisse ob munus ab ipso promissum. Denegat namque ullam adesse probationem super relatis facti circumstantiis. Animadvertit siquidem ex duobus supra quadraginta confratribus, qui nominatione interfuere, decem septem contrarium sibi suffragium secreto dedisse, veluti secreto etiam suffragium dedere alios vigintiquinque confratres qui ipsum nominarunt. Unde tuto affirmari non posse, quod confratres qui ab accusatore inducti sunt testes ad supra relata factorum adjuncta comprobanda, inter alios confratres non recenseantur, qui suae nominationi contrarii fuerunt. Vehemens imo adest suspicio ipsum in proprium commodum deponere, ut scilicet libertatem consequatur nominandi alterum capellanum, ut censuit s. Congr. in *Sutrina Capellaniae 18. April. 1793. §: Valde.*

Praeterea nonnulli ex fiscalibus testibus asserunt hanc promissionem ad aliorum confratrum notitiam ante electionem deduxisse confratres alios, nempe Umile, Mosca, Ulisse, Crescenzi et Lopes, dum e contra omnes isti coram judice jurati deposuerunt, post Bastii nominationem dumtaxat promissionem ab eo factam novisse ex ore Camilli Cieri et accusatoris Taffiorelli. Accedit tres contrarios testes a sententia qua simoniacam electionem declaravit ad s. hanc Congregationem cum aliis confratribus provocasse quia »la nomina del Signor Basti tuttoché ritenuta come fatta per intrigo, tale veramente non è stata,« veluti patet ex appellationis actu in processu relato: hoc igitur facto eloquentissime demonstrarunt falsum esse quidquid antea deposuerant. Nec melius

*) Vd. *p. 353. n. 1 et seq.*
**) Vd. *p. 362. n. 7. a et seq.*

*) Vd. *t. I. p. 657. n. 61.*

*) Vd. *Supra p. 452.*

simoniacam conventionem deduci ex depositione nonnullorum testium, qui referunt Bastium vidisse ante et post nominationem colloquentem cum aliquibus confratribus, quod quidem esse non debet in parva civitate; neque ex actu simplici et innocuo simoniaci criminis praesumptio potest hauriri, quia potius omnis capienda est interpretatio pro ejus exclusione, s. Congr. in *Ariminen. Mansionariae 15. Sept. 1838.*

Nec melius ex testibus de publica voce et fama deponentibus simoniae probationem haberi prosequitur Bastius, cum hi omnes non probent eam ortum habuisse a viris gravibus, probis et fide dignis, quam equidem probationem necessariam esse ad hoc ut attendi possint testes de publica voce et fama deponentes, edocent *Felin. in cap.: Testimonium num. 14. de testib., Barbosa in cap.: Omnipoten. de accusatione, Rota in nuperim. tom. 5. part. 2. dec. 324. num. 5,* ubi hujusce dispositionis tradit rationem, ne alias scilicet aperiatur via cuilibet malevolo characteri impediendi personis honestis consequutionem beneficiorum. Quod reapse in themate contingere probat ex dictis plurium testium qui deponunt, sese post nominationem audivisse a Camillo Cieri (et aliquis etiam a Taffiorello) promissionem a Bastio factam de palla sacerdotali donanda. Jam vero Taffiorellius accusator est ac proinde dubitari non potest quin in accusati praejudicium voces illas malitiose effuderit. Cierus vero adeo infensus est Bastio, ut non erubuerit mendacissima plura in sua depositione (quae violentissima potius accusatio videtur) referre, inter quae recensenda historia donationis Margaritae Draghi, quam mediis illicitis Bastium expiscasse narrat. Imo Cierum principem in hac accusatione machinanda locum obtinuisse patet ex dictis ipsius Taffiorelli, qui in accusationis libello fassus est: testimoni da me citati nel primo esposto si sono nominati da Camillo Cieri raccordandomi il fatto dell' offerta della planeta: ejus tamen intererat larvato nomine quaestionem exercere ne id fecisse videretur in gratiam sui nepotis, pro cujus electione pecunia electoribus promissa fuerat.

Ut vero magis demonstret, quam falsa sint enarrata a testibus ab accusatore inductis, Bastius depositiones invocat plurimorum confratrum nominationi praesentium, quorum una fuit jurata responsio, se nempe haud ullum ante nominationem verbusculum audivisse de donatione a Bastio facienda. Atque nemini non notum testes numero plures et pro criminis exclusione deponentes praeferendos esse paucioribus de criminis existentia testantibus. *Rota in recen. part. 1. decis. 245. n. 3. par. 3. decis. 60. num. 2. part. 4. tom. 1. dec. 570. num. 2. part. 12. dec. 51. num. 16. part. 16. dec. 141. num. 15.* Quin obsit Stephanum d'Adamo in testem a Bastio inductum deposuisse super notitia habita de Bastii promissione ante electionem et ideo testem etiam unicum contra inducentem probare, nam qui testem inducit approbat quidem ejus personam ac fidem, non vero approbat falsitates, quas testis ipse in examine proferre poterit. Ceterum cum nullus testium audeat affirmare Bastium conventionem iniisse cum confratribus de palla sacerdotali donanda, hoc unum sat est ad excludendam simoniam, quia conventio tantum simoniam conventionalem inducit, ita ut conventione seclusa excludatur constitutivum simoniae, adeoque omnis simonia. *Pignatell. tom. 10. consult. 44.*

Sed nec indirecte urget Bastius per intermedias scilicet personas initam a se conventionem comprobari. Nemo enim testium id asseruit unquam et quaelibet deest probatio super mandato a se nonnullis confratribus dato de suo voto ceteris publicando; unde iniquum esset illud 'praesumere, praesertim in casu ubi ageretur de mandato ad delinquendum. Sed in hypothesi etiam quod ipse votum manifestaverit, nec deteriorem suam conditionem evadere ex eo arguit, quod votum semper votum mansisset neque ex manifestatione in conventionem migrasset, ejus enim essentia non est in eo posita quod fiat secreto, sed quod Deo aliquid promittatur. An autem illud Bastius vulgaverit, nemo alius id noscere postest nisi solus Deus, qui corda et renes scrutatur, unde ecclesia quae non judicat de internis non posset reum punire, quia de simonia mentali res esset. Ex parte igitur sui quamlibet defuisse simoniam conventionalem Bastius concludit.

Sed defuisse etiam ex parte nominantium probat. Non enim ex eo, quod aliquis ad eorum notitiam votum perduxit, idcirco potest dici orta conventio aut commissa simonia, praesertim quia nullus ex electoribus temporale aliquod commodum referebat ex Bastii promissione D. Virgini facta. Et licet duo

ex nominantibus (ubi eorum testimonio standum esset) inducti fuerint ad ferendum suffragium pro Bastio ratione voti ab ipso facti, demptis tamen horum suffragiis tria supra viginti quae superessent favore Bastii ratione habita ad duo supra quadraginta electores majorem votorum partem constituerent; unde nominatio semper esset valida, uti docet *Passerin. de elect. cap. 7. num. 337,* ibi: Si electus demptis suffragiis simoniace emptis habeat numerum suffragiorum statutum ad valorem electionis constat electionem constare ex legitimis votis et ex vi simoniaci pretii non consistere, unde si tunc alias constat nec illa pauca suffragia fuisse empta ab electo vel eo sciente et consentiente non erit ex hac parte electio cassanda.« Falso tandem obtendi commessationibus se nominantes corrupisse; de his enim unus loquitur testis qui illas appellat merende, cui tamen multi extrajudiciales testes contradicunt.

Demum Bastius animadvertit agi in themate de jure quaesito tollendo; dicitur enim jus quaesitum in re presentato per solam praesentationem, quando necessario est instituendus, ex quo nemo alius praesentatus fuerit, uti edocet s. Congr. in *Aurien. 9. April. 1785.* Hoc vero in casu nullo modo probari potest simonia per argumenta et praesumptiones generales, sed requirit probationes certas et concludentes, *Rota in nuperrim. dec. 106. num. 4.* Atqui probationes certae et concludentes non sunt depositiones testium, quae, ceteris missis exceptionibus, contradicuntur a majore numero testium. Sed etsi dubium aliquod adesset circa simoniae existentiam, pro simoniae exclusione esset respondendum, s. Congr. in *Eugubina Canonicatus 7. Julii 1770* et in *Marsorum Institutionis 27. April. 1839.*

Ad alteram deinde gradum faciens praetensae nullitatis causam, scilicet quod violata fuerit fundatoris capellaniae mens ob nonnullas conditiones capellano nominando a confratribus impositas, observat Bastius, quod vel conditiones istae tamquam legitimae habendae sunt et nullius culpae confratres redargui possunt vel legibus adversare et non inde consequi nominationem esse nullam, tunc enim vitiat nominationem illegitima conditio, quando deducta est in pactum, idest quando inter nominantes et nominatum conventio intercessit de conditione sibi imposita adimplenda, quia tali casu nominatio ipsa simoniam redolet; sed quando patroni probabiliter aestimare potuerunt conditionem a jure non respui, neque conditio in pactum deducta fuit, tunc vitiatur, non vitiat, ut ad rem tradit *Piton. de contr. patr. alleg. 100. num. 56.* Jam vero cum omnes conditiones nominationi appositae ad bonum ecclesiae directae fuerint, nil mirum si confratres, qui fere omnes villici sunt et canonicum jus ignorant, authumaverint bona fide se illas nominationi apponere posse. Omnem autem super hisce pactionem ex eo unice excludi arguit Bastius, quod eodem temporis momento, quo declaravit suae nominationi assentiri, nondum ei Taffiorelli accusatione intimata, conditiones illas solemniter rejecit. Absurdum hinc esset simoniaci criminis eum accusare: nam conditiones quae imponuntur antequam procedatur ad electionem dum adhuc incerta est persona, in qua cadere debet electio, simoniam nullam inducunt, teste *Card. de Luca de canon. disp. 29. num. 2.*

Eadem ratione evanescere tertiam nullitatis causam a sententia curiae objectam, quae refertur ad praetensam exclusionem nonnullorum confratrum a suffragio ferendo. Ex quatuor enim, qui expulsi fuerunt, tres non sunt confratres, ut omnes testantur; quartus vero nempe Cajetanus d'Adamo expulsus quidem fuit, sed postea antequam nominatio fieret revocatum fuisse, imo et suffragium dedisse plures deponunt testes. Sed etiamsi Cajetanus d'Adamo exclusus mansisset, non inde sequeretur nullam esse nominationem; scitissimum namque in jure est, quod solus contemptus possit agere et instare pro cassatione electionis, unde nedum nullus alius de capitulo, sed nec judex ex officio potest, contempto docente, vel instare pro accusatione vel electionem pro hac causa cassare, ut docet *Passerin. de elect. cap. 11. num. 110.* Nullam vero Cajetanum d'Adamo contemptus querelam movisse vel ipse in examine juratus deposuit: imo ipsemet appellationis actum contra curiae sententiam una cum ceteris confratribus subscripsit.

Ceteris infirmiorem censet Bastius postremam nullitatis causam ex eo deductam, quod plurimi ex confratribus qui pro nominatione suffragium dedere confratres reapse non erant, quia professionem non emiserant. Constat enim ex authografo resolutionum ven. confraternitatis libro, eosdem quadra-

ginta duo confratres qui praesentes Bastii nominationi fuerunt uti tales pluribus antecedentibus resolutionibus intervenisse et uti tales semper ab omnibus fuisse habitos. Quidquid igitur sit de professionis defectu sustineri ejus nominationem Bastius concludit, quia titulus coloratus et error communis in nominationibus atque etiam collationibus beneficiorum tanti sunt ponderis, ut valida sit renuncianda nominatio vel collatio ab eis facta, quos omnes aestimabant nominandi vel conferendi jure pollere, veluti post *text. in leg. Barbarius ff. de offic. praetor.* docet *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 11. num. 175.*

Cum sententia curiae archiepiscopalis bifariam partiatur, primo nimirum electionis nullitatem declarat, secundo poenam inhabilitatis ad idem beneficium obtinendum Bastio infligit, hinc, si EE. PP. censuerint electionem cassandam esse non ex vitio simoniae, sed ob reliquos dumtaxat defectus, quos in eam irrepsisse contenditur, jam patet nulli interdicto Bastium esse subjiciendum. Quod si vero judicaverint electionem simoniacam quidem fuisse, aliorum tamen opera, invincibiliter ignorante electo, adeoque sine ejus culpa, tunc, licet in detestationem pravitatis simoniacae nulla sit electio vel provisio, *arg. can. 1. caus. 1. quaest. 5, cap.: Nobis 27. de simon.*, attamen dignus ut cum eo dispensetur is est, qui simulac beneficium quod obtinuit ex aliena simonia obtinuisse rescierit illud continuo dimittit. Nil enim tam antiquius quam hunc nova interposita collatione in beneficium jam dimissum esse restituendum, textu expresso ex *cap. 59. de elect., cap. 26. de simon.* Quae dispensandi facultas post liberam resignationem, cum agitur de simplici beneficio, etiam Episcopo competit, ita ut vi talis dispensationis possit quis beneficium simoniace obtentum retinere vel illud de novo acquirere, *Abbas in cap.: de simonia 22, Pirhing. eod. tit. num. 173*, ob claram juris dispositionem, *cap. penult. de elect.* An vero hic sit casus dispensationis indulgendae viderint EE. PP.

Quatenus tandem non plena et concludens, sed conjecturalis tantum simoniae probatio in themate videatur, jure merito dubitari posset an perpetua ista vel etiam temporanea inhabilitatis poena locum habeat. Probatio enim hujusmodi sufficit quidem ad repellendum ab assequutione beneficii, satis tamen non est ad effectum infligendi ceteras poenas a jure in simoniacos statutas, inter quas recensenda fortasse venit inhabilitas de nova concurrendi alia vel etiam hac vice ad idem beneficium. Verum cum ob id potissimum qui de crimine simoniae est diffamatus a beneficio assequendo arceatur, quia scandalum populo praebere potest, ad *text. in cap. 2* et *cap. penult. et final. de purg. canonic., Abbas in cap. 1. num. 6. de elect., Rota in Calaguritana Beneficii 1. Julii 1755. cor. Bichio decis. rec. 366. num. 8. part. 12*, eadem ratio in eadem persona perdurare videtur, saltem quoad immediatam ejusdem beneficii assequutionem, nulla media intercedente persona, in quam illud post simoniacae electionis reprobationem collatum fuerit.

Sed quae harum animadversionum in praesenti quaestione habenda sit ratio, ea qua praestant sapientiae laude decernent EE. PP. in responsione ad

Dubium:

An et quomodo sit confirmanda vel infirmanda sententia curiae archiepiscopalis in casu?

S. C. resp.:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 29. Maji 1852.

Senen.

Die 14. Aug. 1848 per obitum Canonici Thomae Grassi vacavit in Metropolitana Senensi praebenda canonicalis, cui titulus thesaurarii, jurispatronatus nobilis familiae Sansedoniorum. Aderant id temporis Josepha filia Ambrosii Sansedoni nuptui tradita nobili viro Firmano Dominico Fiori, Anna Schioppisi vidua ejusdem Ambrosii mater Josephae, universalis haeres usufructuaria praemortui filii sui Joannis, in quem duae ex tribus partibus haereditatis Sansedoniae nempe jura haereditatis Alexandri et Ambrosii fratrum convenerant, et Alexander Pucci quinquennis filius defunctae Theresiae Sansedoni suae matris et Horatii Sansedoni fratris Ambrosii et Alexandri haeres. Hujus itaque pater Angelus Pucci administrationem bonorum canonicatus ad decennium pro filio suo pe-

tiit obtinuitque per apostolicum breve, quod tamen uti falsis innixum precibus exequutioni demandatum non fuit. Interim, cum idem Puccius canonicatus bona venumfacere ac alienare inconsulta s. Sede pertentaret sub annuo canone, quem vocant d'allio Mazione, tum Josepha Sansedoni tum Anna Schippisi, altera qualitati gentilitiae agnatitiae, altera qualitati haereditariae jurispatronatus insistentes protestatione emissa bonorum licitationem impedire adnixae sunt ac die 27. Aprilis 1850 ad vacantem canonicatum nominarunt ac praesentarunt sacerdotem Emidium Selvani, qui quatuor post menses nominationem acceptam habuit.

Quod ubi primum rescivit Puccius, continuo penes tribunal civile Senense in jus rapuit Josepham et Annam excitata controversia super pertinentia jurispatronatus, quae jamdiu in primo jurisdictionis gradu favore Josephae definita penes appellationis judices adhuc pendet.

At vero perpendens Archiepiscopus tempus praetextu litis longius quam par erat duci, plane ne praebenda in maximum ecclesiae detrimentum diutius suo vacaret rectore, binis monitionibus Puccium in termino constituere e re sua censuit, ut et ipse prout et quatenus de jure suam in curia nominationem expleret; eoque inutiliter elapso die 21. Decembris 1852 tum jure devolutionis tum in vim praesentationis a Sansedoniis peractae sacerdotem Selvanium canonica institutione donavit.

Edito institutionis decreto novos expertus est adversarios Selvanius, sex nimirum ex Canonicis capituli metropolitani, qui universi ejusdem capituli nomine, supplici H. S. Ordini oblato libello, pro conscientiae debito ac sui muneris ratione haud silentio praeterire posse rati sunt: »Che il sacerdote Emidio Selvani è pregiudicato altamente nella publica opinione, perchè immerso sino alla gola nelle passate vicende politiche, perchè tuttora in manifesta relazione con i più caldi ammodernatori e perchè infine gravemente indiziato di simoniaco patto col Pucci, e di poi col Fiori pel conseguimento della prebenda tesorietale.« Quamobrem veriti, ne Selvanii in collegium Canonicorum cooptatio in totius capituli dedecus ac damnum vergeret, humili postularunt prece, ut sac. Congregatio procederet »nel modo che reputerà più opportuno e conveniente all' esame di questo interessantissimo affare.«

Qua vero mente, quo consilio hujusmodi accusationes in Selvanium Capitulares detulerint, in epistola ad Archiepiscopum missa hisce verbis declararunt: »Questo Rmo capitolo (scribebant) non ha mai inteso di elevate formale querela per simonia contro la nomina del Sig. Dott. Emidio Selvani alla prebenda del tesorierato, ma non potendo d'altronde affatto disprezzare le voci che in questo tema si sono elevate publicamente in ordine alla detta nomina, si è fatto un assuluto dovere di sottoporre il dubbio stesso all' oracolo supremo della s. Sede, e ciò in conformità delle disposizioni canoniche, non potendo il capitolo nella vertenza del dubbio prestarsi coscienziosamente al di lui possesso.«

Accepta Capitularium instantia Archiepiscopum pro informatione et voto rogavi, audito capitulo aliisque interesse habentibus et ut referret de statu causae inter patronos vertentis deque nominati vita et moribus instituta inquisitione, utrum et quae pactiones inter nominatum et patronos intercesserint, transmissis documentis ad rem facientibus. Mandatis hisce diligentissime obsecutus est Archiepiscopus actaque processus una cum sua dissertissima relatione transmisit, in qua fuso calamo rem pertractat ac votum suum Selvanio propitium pandit. Ne folium in volumem crescat, ab ea exscribenda abstineo et EE. PP. rogo ut illam perlegant in sumario pro Selvanio distributo.

Silente Puccio sive ejus filio (nam pater pendente lite super jurepatronatus defunctus est) tota quaestio Selvanium inter et Capitulares agitur circa dubia simoniae ac indignitatis ab iisdem Capitularibus excitata.

Selvani defensor primo quidem de asserto simoniae crimine agens animadvertit in facto calumniosam hanc imputationem unum habuisse auctorem Puccium, qui in epistola quadam ad capitulum missa asseruit: »che il Selvani osò di fargli proporre di sanzionare la sua nomina col rilascio a favor del figlio di una pensione.« Jam vero praeterquam quod, ubi hujusmodi relationi adhaerendum esset, haud exinde probaretur simoniacum intercessisse pactum in nominatione aut in nominationis causam ac inter nominatum et patronos, cum id retulerit Puccius,

uti ex epistolae contextu patet, cum jam Selvanius suffragium nominationis obtinuerat; accedit fabulosa prorsus a Puccio narrata esse ceu vel ipsi ab eo adducti testes asserere non dubitarunt.

Nec majorem adhibendam fidem relationi Antonii Ricci (procuratoris ejusdem Pucci) testantis se, cum de conciliatione Puccium inter et Sansedonias ageret, (post factam praesentationem) a procuratore Stasi qui Sansedoniis patrocinabatur responsum accepisse: »Dovere la nomina dal Selvani rimanere inconcussa ed essere approvata dal Pucci, il quale avrebbe in compenso potuto dividere colla Signora Fiori nata Sansedoni la peusione per lei stipolata col Sig. Selvavani.« Nam auditus hac de re Stasius juramento reposuit: »Non è vero affatto che io abbia, o possa aver fatto al Dottor Pucci un simile discorso immaginato, a bella posta per colorire l'imputatione di simonia a carico di un ecclesiastico.«

Nec diversum ferendum judicium de eo quod idem Riccius, pariter post expletam nominationem, se audivisse deposuit a Dominico Fiori: »che la causa (super jurepatronatus) dovea accomodarsi castrando ben bene il tesorierato, vel de eo quod addit Bonaventura Martinozzi testis a Riccio inductus, nimirum: »che il Presidente Nicolai (in colloquio cum Dominico Fiori quoad pensionem longe post factam praesentationem habito) intese dalla bocca dal Fiori, di non potersi accomodare, stante la perdita d'una forte somma, che avrebbe fatta da passarglisi annualmente dal Selvani« ac subdit ipse Martinotius hanc promissionem ex parte Selvani referendam esse, dopo la nomina del Selvani al benefizio, e con patto che c'intervenisse la sanzione Pontificia. Rogatus autem praeses Nicolai juratu deposuit: »non essere in grado referire le parole del colloquio col Fiori, e molto meno quelle che il Martinozzi dice essere state proferite dal Fiori, e circa il fatto niente più potè esporre se non che quel discorso facesse al più sorgere un sospetto di un qualche patto: ma questo sospetto non potè spingersi tant' oltre da dubitare, che il patto fosse intervenuto prima della nomina.«

Ast praeterea nihil haec urgere ad simoniae probationem in casu, sive quia post factam nominationem evenerunt sive quia his colloquiis non interfuit Selvanius sive demum quia omnes hujusmodi tractationes praesertim quoad pensionem cum cognitione Ordinarii ac cum reservatione beneplaciti apostolici habitae sunt.

Et hisce igitur, queis tota adversariorum accusatio concluditur, liquido patere, nullam ex parte Selvani simoniacam intercessisse pactionem, unde jure sibi ex legitima nominatione quaesito privari debeat. Non enim commemorat defensor ceteras quoad simoniam mentalem seu ab obsequiis congestas imputationes, ex eo juris principio, quod pro simonia mentali non incurritur in poenas privationis a lege canonica statutas, cujus cognitionem judiciumque scrutator cordium Deus sibi reservat.

Quo vero in jure etiam rem conficiat, haec prae oculis praecipue habenda monet, primo nimirum enorme simoniae crimen non praesumi nec etiam per dictum unius testis satis probatum censeri posse, *Piton. de cont. patr. alleg. 85. num. 17*, *Fargna part. 2. can. 13. de jurepatr. num. 14.* Neminem autem unum in toto processu adesse, haud ipsis accusatoribus exceptis, qui simoniam intercessisse pro certo affirmet ac statuat aut saltem concludenter probet. Deinde ut de simonia constet haud sat esse simpliciter probari aliquid pactum aut datum acceptumve, sed requiri ut in causam nominationis id gestum fuisse probetur, *Piton. alleg. 100. n. 663*, *Fargna part. 2. cas. 12. pag. 222. n. 14*, quod quidem longe abest in themate. Praeterea in dubio, quo tantum accusatores moventur, pro exclusione criminis simoniae judicandum esse, s. Rota coram *Millino decis. 104. n. 6 et 17*, s. Congregatio in *Caesenaten. Beneficii 1. Augusti 1823.* Denique non leves probationes aut conjecturas vel dubia et suspiciones ad repellendum jure electum et praesentatum sufficere, sive de quaesito sive de jure querendo agatur; tum censeri jus quaesitum ad rem praesentato, cui sine injustitiae labe denegari nequeat institutio, s. Congregatio in *Aurien. 9. Aprilis 1835.*

Perperam demum niti adversarios clausula in actu nominationis ab Anna expletae apposita, hisce concepta verbis: »Perchè povera può assolutamente riguardarsi la famiglia Fiori, e pingue d'altronde può riguardarsi la detta prebenda, desidera di ottenere ne' modi leciti una pensione a favore del di lui figlio Giovanni Fiori, onde poterlo mantenere agli studi, perciò la comparente Anna Schippisi Vid. Sansedoni tanto in nome, che per i diritti che competono a Giuseppa di lei figlia assente, per la quale si riserva la ratifica, fa citanza, perchè prima che si proceda all' investitura del Tesorierato, piaccia all' Illmo e Rmo Monsig. Arcivescovo secondare dalla giustizia e elemenza della s. Sede le preci di Giuseppe Fiori, onde ottenere un breve con cui nelle suddivisate circostanze sia concesso sul detto benefizio il diritto ad un' annua pensione per il tempo e modo che sarà creduto conveniente.« Et quibus simoniam confidentialem adstruere vellent. Animadvertit enim sine pacto nec simoniam confidentialem consistere, juxta ea quae tradunt *de Nigris de vacat. benef. cap. 31. num. 4* et *Reiff. lib. V. decretal. tit. 3. de simon. numer. 33*, nullum autem probari pactum in themate, quod Selvanium inter et Sansedonias intercesserit, praesertim cum idem Selvanius nominationem post quatuor menses pure et simpliciter acceptaverit ac nominatio illa non cum conditione potestativa, sed cum prece tantum modo licito pensionis ad summum Pontificem emissa fuerit. Addit, ob id, quod non deesset in precibus reservatio beneplaciti apostolici, haud simoniae confidentialis nominationem insimulari posse, ceu in consimili casu respondit sacra Congregatio in *Taurinen. Concordiae 18. Decembris 1811*, maxime cum patronae nec preces porrexerint ultra, pensionis desiderio, non conditioni valedicentes. Duriorem quippe casum expendit *Fargna de jurepatr. part. 2. n. 5*, nimirum: »Quando patronus etiam non inops praesentat pacto et conditione, ut praesentatus teneatur persolvere pensionem sub expressa reservatione beneplaciti apostolici, ac resolvit, in hoc casu praesentatio non est simoniaca, quia vel accedit beneplacitum et purgatur omnis simonia vel beneplacitum non accedit et tunc praesentatio habetur pro non facta et consequenter numquam intrat simonia.«

Atqui nullo negocio et alteram refelli ex titulo indignitatis accusationem, quae haud Selvanium in honestate vitae morumque integritate laedit, sed ad ejus tantum agendi rationem refertur, qua in postrema rerum calamitate usus est. Falso siquidem ei crimini verti posse, quod circulo quem vocabant Senensi interesset a mense Decembris 1848 usque ad dimidium Januarii 1849, quandoquidem per id temporis hujusmodi coetus adhuc innoxii et ab imperante approbati vigerent et tranquilla legitimi principis dominatio manebat; vix enim primum aliquid noxii suspicari datum est, Selvanius fugam arripuit et Florentiae commoratus est. Praesertim cum non alio cum consilio huic coetui nomen dedisse compertum sit, quam ut audaciam quidquam praeter justum ac rectum pertentandi compesceret, mala impediret, sacerdotii ac principatus jura tutaretur, ceu verbis ac factis comprobavit. Demum constat aeque, eo mense, quo Selvanius coetui Senensi adfuit, de unis municipalibus civitatis rebus actum fuisse.

Hinc putidam esse calumniam, quod tempore Constituentis in circulo sedisset, quae ortum habuit die 9. Februarii, cum jam a circulo Selvanius excesserat. Accedit nedum pro Constituente eum non tulisse suffragium sed ab eo ferendo plures retraxisse, quippe hac de re Archiepiscopo ipsi super excommunicatione comminata uti canonista disserens sine peccato fieri non posse ad urnam accessum nitidissime exposuit et comprobavit. Ceteras vero levioris momenti accusationes aeque falsissimas et calumniosas habendas esse pluribus in Archiepiscopi voto relatis documentis evincit. Nihilque magis ad eas penitus profligandas conducere, quam ministerii politiae fidem, qua perhibetur Selvaninium: non aver mai riportato prejudizio alcuno, tum amplissima a cunctis optimatum ac civium ordinibus, ab Archiepiscopo necnon ab ipsis adversariis tempore insuspecto edita testimonia, in quibus ejus vitae integritas, scientia, religio ac zelus in ecclesiasticis obeundi ministeriis summis laudibus effertur et commendatur.

Itaque eversis accusatorum objectis manifesto consequi haud amplius executionem decreti electionis aut institutionem remorari posse Capitulares: nec pariter in facultate esse Puccianorum eam praepedire ob praetensum eorum juspatronatus ac pendentiam litis, uti ad abundantiam ac multis cumulatis rationum momentis in postrema suae defensionis parte probare studet. Duo enim in facto constant, primum Puccium haud a summo Pontifice postulasse dispensationem, sed tantum administrationem beneficii, tum nullam intra utile tempus nominationem

eum peregisse, quamvis in mora fuisset constitutus, ex quibus arguit defensor merito Archiepiscopum persistente Puccio in nominatione incapacis pure et simpliciter jure devolutionis usum fuisse. Ea enim universalis est jurisprudentia, ut patronus scienter praesentans incapacem decidat ea vice a jure nominandi devoluto ad Ordinarium vel ubi ignoranter agat, si monitus patronus qui incapacem elegit alium nominare idoneum intra utile tempus neglexerit, electio jure aeque devoluto transeat ad Ordinarium. *Vivian. cap. 7. lib. 7. num. 12, Fargna de jurepatr. part. 2. can. 3. num. 11.* Eo vel magis in casu, quia, ubi etiam daretur Puccium dispensationem pro incapaci instituendo postulasse, dispensatio intra juris terminum intervenire debuisset, secus nulla foret praesentatio, uti in terminis idem *Fargna tradit 1. can. 5. cap. 7. num. 10* ac firmat *Piton. de jurepatr. alleg. 2. num. 10.*

Exinde patere etiam juribus electi in concursu incapacis et inhabilis nihil derogare litis pendentiam, quae patronos inter agitur quaeque ligat tantum ipsos patronos, uti in casu expendit *Piton. cit. alleg. n. 19,* praesertim ubi electio fiat ex jure devoluto, quod quidem datur in favorem beneficii. *Piton. disc. 124. n. 30.* Hinc distinguunt DD. tres casus quaerentes, an possit Ordinarius conferre lite pendente.*) Si lis vertat inter patronos et Ordinarium vel inter plures praesentatos, negant ob praejudicium necessario inferendum: sed si lis sit de jurispatronatus pertinentia inter patronos et unus tantum sit praesentatus tempore utili, conveniunt Ordinarium procedere posse ad collationem, quia nemini fit injuria, uti varios casus expendens resolvit. *Vivian. lib. 7. cap. 7.*

Demum quamvis extra causam haud silentio praeterit, etiam in vim praesentationis a Sansedoniis expletae jus ad institutionem inesse Selvanio. Nam aut juspatronatus est gentilitium et nullum in eo jus competit Puccio, ceu statuit sententia tribunalis Senensis, vel est, ut Puccius contendit, haereditarium et hoc in casu haeres usufructuaria in duabus ex tribus partibus haereditatis Sansedoni Anna Schippisi, quae Selvanium nominavit, juspatronatus rite legitimeque exercuit. Jura enim patronatus in usufructu universali comprehendi tradunt *Riccius in praxi quaest. 23. num. 1, Garzias de benef. part. 5. cap. 8.* et firmat s. *Rota dec. 148. part. 12. Recent.*

*) Vd. p. 414. n. IV.

Haec vero quae paucis heic attigi late exposita habent EE. PP. in allegatione distribuenda. Procurator capituli quamvis iterato monitus nihil hactenus exhibuit. Superest igitur diluendum

Dubium:

An constet de simonia vel indignitate canonica sacerdotis Emidii Selvani, ut ideo non sit exequendum decretum Archiepiscopi diei 21. Decembris 1852, seu potius sit danda institutio in casu?

S. C. resp.:

Dilata et reponatur una cum dubio super aperitione oris.

Die 29. Julii 1854.

Contin. Senen.

Praesens controversia proposita fuit in congregatione diei 29. Julii anni superioris sub unico dubio:

An constet de simonia vel indignitate canonica sacerdotis Emidii Selvani, ut ideo non sit exequendum decretum Archiepiscopi diei 21. Decembris 1852, seu potius sit danda institutio in casu?

Sed cum distributo jam folio novus praeter Capitulares prodiisset in causa contradictor, Alexander Pucci, breve pontificium objiciens, quo ejus defuncto patri bonorum canonicatus administratio ad decennium concessa fuerat, quod tamen uti falsis innixum precibus nullitatis insimulaverat Selvani defensor, ideo s. Congregatio rescribendum censuit: »Dilata et reponatur una cum dubio super aperitione oris.

Mandato huic itaque obsequens tria infrascripta dubia de partium consensu concinnavi, quorum resolutio hodie a contradictoribus instanter postulatur.

Selvani defensor ad ea se referens, quae in prima causae propositione disputavit quoad Capitularium accusationes, in nova ablegatione totus in eo est, ut apostolicum breve obreptionis ac subreptionis vitio infectum demonstret. Hinc verba ipsius brevis recolit, in cujus narrativa habetur Puccium exposuisse filium suum quinquennem unicum esse haeredem et legitimum patronum et descendentem superstitem familiae Sansedoniae, ac totidem falsitates enumerat. Falsum primo, inquit, pupillum Puccium unicum esse haeredem, quippe haeres usufructuaria universalis, quae successit in jura patronatus, erat Anna vidua Schippisi, cujus post mortem dies haereditariae qualitatis pupillo sub conditione posito supervenire tantum poterat. Falsum deinde, eundem unicum esse patronum, quia in utraque hypothesi sive gentilitii sive haereditarii patronatus pupillus excludebatur, uti reapse exclusus est judicio tribunalis Senensis. Falsum item pupillum esse unicum descendentem familiae Sansedoniae, cum nec sit agnatus neque de linea effectiva, extante Josepha Sansedoni ultima agnata filia Ambrosii Sansedoni; ac tritissimum in jure sit ultimam foeminam agnatam conservare pro se agnationem et jura fideicommissaria descendentiae. *Piton. de contr. patr. alleg. 66. num. 4.* Falsa insuper cetera, quae exposuit, nimirum velle quamdam partem reddituum seminario admodum indigenti de consensu Episcopi attribui, cum consensus Episcopi non intercesserit, tum quod sequitur:» relicto tibi onere reparandi et meliorandi bona in deterius prolapsa,« quin tamen probatum sit bona in deterius prolapsa fuisse. Jam vero cum tralatitium sit, tunc arbitrium aperitionis oris intrare, cum falsa sint Pontifici narrata vel vera reticita, ab expositis arguit hujusmodi arbitrium in casu, quo de agitur, denegandum non esse.

Nec defensorem movet, quod breve ab Archiepiscopo decreto exequutoriali donatum fuerit. Respondet primo:

Non obstare exequutionem, cum laeditur jus tertii, eoque magis cum non in forma commissoria exequutio data fuerit, uti opus erat. Breve enim disposuerat, ut verificato prius jurepatronatus coram Ordinario loci collatio et provisio ad decennium suspensa remaneat etc. Atqui clausula »constito et verificata,« facit exequutorem mixtum, qui procedere debet cum causae cognitione et citatione, *de Rosa de exeq. lit. apost. part. 1. cap. 3. num. 144.* Contigisse autem monet defensor, ut plena bona fide nec per viam mixti executoris nec cognitis et auditis veris patronis exequutionis decretum extrajudicialiter prodiret.

Observat secundo: Praesulem posteriori decreto diei 5. Septembris 1850 praecedens decretum latum die 23. Octobris 1849 revocasse, quin Puccius a decreto revocatorio appellaverit. Perpendit postremo exequutorem, qui aut ex errore et falsa ex causa aut non juris ordine et forma exequutus est, posse et debere ab exequutionis decreto recedere, quia nulliter egit juxta ea, quae tradit idem *de Rosa cit. op. part. 1. cap. 8.* Posita itaque nullitate brevis haud praepediri posse institutionem ob alteram quam opponunt exceptionem, nempe pendentiae litis super jurepatronatus in gradu appellationis. Nam praeterquam quod causa haec quae patronos inter agitur apta non est in casu institutionem impedire, ceu fuse in praeterita allegatione demonstravit, addit Ordinarium, nedum ob legitimam praesentationem, verum etiam jure devoluto ad institutionem devenisse. Duo hinc praecipua sibi esse videntur, quae institutionem independentem reddunt in hac sede judiciali a cognitione et judicio finali jurispatronatus et a lite; primum est Puccium non exercuisse praetensa jura tempore habili et spretis monitoriis nec ulla data apellatione a decreto revocatorio brevis, ut ideo iniquum esset ipsum velle jura Ordinarii ex juris dispositione scatentia per annos pessundare; alterum: jus devolutum verificatum fuisse et conclusum, antequam lis super patronatu die 4. Decembris 1850 inter patronos mota esset: (siquidem ejus opinione expiraverat quadrimestre cum mense Augusti 1830 et gratia prorogationis cum mense Octobris ejusdem anni) tum antequam preces de vitando praejudicio datae tantum anno 1853 apud H. S. C. orirentur. Quamobrem, arguit, nequibat ex post ortis effectus jam existens destrui ac jus Archiepiscopo devolutum attentari.

Demum perperam obtrudi, ante Selvani institutionem terminos ad contradicendum ac edicta apponi debuisse. Quandoquidem terminos ad contradicendum ac edicta apponi tantum debere in beneficiis jure nominationum conferendis, non autem in beneficio liberae collationis institutione sua aut in vim juris devoluti, colligit ex doctrina *Corradi in praxi disp. benef. part. 3.* ac *Tondut. quaest. benef. cap. 40.*

Qui Capitularium partes agit, una cum sua allegatione nonnullas distribuit observationes ab ipsis Capitularibus exaratas, in quibus contra relationem Archiepiscopi multa ad canonicam Selvani indignitatem evincendam congeruntur factorum adjuncta, quae in ipsis observationibus recolere EE. PP. grave non erit.

eum peregisse, quamvis in mora fuisset constitutus, ex quibus arguit defensor merito Archiepiscopum persistente Puccio in nominatione incapacis pure et simpliciter jure devolutionis usum fuisse. Ea enim universalis est jurisprudentia, ut patronus scienter praesentans incapacem decidat ea vice a jure nominandi devoluto ad Ordinarium vel ubi ignoranter agat, si monitus patronus qui incapacem elegit alium nominare idoneum intra utile tempus neglexerit, electio jure aeque devoluto transeat ad Ordinarium. *Vivian. cap. 7. lib. 7. num. 12, Fargna de jurepatr. part. 2. can. 3. num. 11.* Eo vel magis in casu, quia, ubi etiam daretur Puccium dispensationem pro incapaci instituendo postulasse, dispensatio intra juris terminum intervenire debuisset, secus nulla foret praesentatio, uti in terminis idem *Fargna tradit 1. can. 5. cap. 7. num. 10* ac firmat *Piton. de jurepatr. alleg. 2. num. 10.*

Exinde patere etiam juribus electi in concursu incapacis et inhabilis nihil derogare litis pendentiam, quae patronos inter agitur quaeque ligat tantum ipsos patronos, uti in casu expendit *Piton. cit. alleg. n. 19*, praesertim ubi electio fiat ex jure devoluto, quod quidem datur in favorem beneficii. *Piton. disc. 124. n. 30.* Hinc distinguunt DD. tres casus quaerentes, an possit Ordinarius conferre lite pendente.*) Si lis vertat inter patronos et Ordinarium vel inter plures praesentatos, negant ob praejudicium necessario inferendum: sed si lis sit de jurispatronatus pertinentia inter patronos et unus tantum sit praesentatus tempore utili, conveniunt Ordinarium procedere posse ad collationem, quia nemini fit injuria, uti varios casus expendens resolvit *Vivian. lib. 7. cap. 7.*

Demum quamvis extra causam haud silentio praeterit, etiam in vim praesentationis a Sansedoniis expletae jus ad institutionem inesse Selvanio. Nam aut juspatronatus est gentilitium et nullum in eo jus competit Puccio, ceu statuit sententia tribunalis Senensis, vel est, ut Puccius contendit, haereditarium et hoc in casu haeres usufructuaria in duabus ex tribus partibus haereditatis Sansedoni Anna Schippisi, quae Selvanium nominavit, juspatronatus rite legitimeque exercuit. Jura enim patronatus in usufructu universali comprehendi tradunt *Riccius in praxi quaest. 23. num. 1, Garzias de benef. part. 5. cap. 8.* et firmat s. *Rota dec. 148. part. 12. Recent.*

Haec vero quae paucis heic attigi late exposita habent EE. PP. in allegatione distribuenda. Procurator capituli quamvis iterato monitus nihil hactenus exhibuit. Superest igitur diluendum

Dubium:

An constet de simonia vel indignitate canonica sacerdotis Emidii Selvani, ut ideo non sit exequendum decretum Archiepiscopi diei 21. Decembris 1852, seu potius sit danda institutio in casu?

S. C. resp.:

Dilata et reponatur una cum dubio super aperitione oris.

Die 29. Julii 1854.

*) Vd. p. 414. n. IV.

Contin. Senen.

Praesens controversia proposita fuit in congregatione diei 29. Julii anni superioris sub unico dubio:

An constet de simonia vel indignitate canonica sacerdotis Emidii Selvani, ut ideo non sit exequendum decretum Archiepiscopi diei 21. Decembris 1852, seu potius sit danda institutio in casu?

Sed cum distributo jam folio novus praeter Capitulares prodiisset in causa contradictor, Alexander Pucci, breve pontificium objiciens, quo ejus defuncto patri bonorum canonicatus administratio ad decennium concessa fuerat, quod tamen uti falsis innixum precibus nullitatis insimulaverat Selvani defensor, ideo s. Congregatio rescribendum censuit: »Dilata et reponatur una cum dubio super aperitione oris.

Mandato huic itaque obsequens tria infrascripta dubia de partium consensu concinnavi, quorum resolutio hodie a contradictoribus instanter postulatur.

Selvani defensor ad ea se referens, quae in prima causae propositione disputavit quoad Capitularium accusationes, in nova ablegatione totus in eo est, ut apostolicum breve obreptionis ac subreptionis vitio infectum demonstret. Hinc verba ipsius brevis recolit, in cujus narrativa habetur Puccium exposuisse filium suum quinquennem unicum esse haeredem et legitimum patronum et descendentem superstitem familiae Sansedoniae, ac totidem falsitates enumerat. Falsum primo, inquit, pupillum Puccium unicum esse haeredem, quippe haeres usufructuaria universalis, quae successit in jura patronatus, erat Anna vidua Schippisi, cujus post mortem dies haereditariae qualitatis pupillo sub conditione posito supervenire tantum poterat. Falsum deinde, eundem unicum esse patronum, quia in utraque hypothesi sive gentilitii sive haereditarii patronatus pupillus excludebatur, uti reapse exclusus est judicio tribunalis Senensis. Falsum item pupillum esse unicum descendentem familiae Sansedoniae, cum nec sit agnatus neque de linea effectiva, extante Josepha Sansedoni ultima agnata filia Ambrosii Sansedoni; ac tritissimum in jure sit ultimam foeminam agnatam conservare pro se agnationem et jura fideicommissaria descendentiae. *Piton. de contr. patr. alleg. 66. num. 4.* Falsa insuper cetera, quae exposuit, nimirum velle quamdam partem reddituum seminario admodum indigenti de consensu Episcopi attribui, cum consensus Episcopi non intercesserit, tum quod sequitur:» relicto tibi onere reparandi et meliorandi bona in deterius prolapsa,« quin tamen probatum sit bona in deterius prolapsa fuisse. Jam vero cum tralatitium sit, tunc arbitrium aperitionis oris intrare, cum falsa sint Pontifici narrata vel vera reticita, ab expositis arguit hujusmodi arbitrium in casu, quo de agitur, denegandum non esse.

Nec defensorem movet, quod breve ab Archiepiscopo decreto exequutoriali donatum fuerit. Respondet primo:

Non obstare exequutionem, cum laeditur jus tertii, eoque magis cum non in forma commissoria exequutio data fuerit, uti opus erat. Breve enim disposuerat, ut verificato prius jurepatronatus coram Ordinario loci collatio et provisio ad decennium suspensa remaneat etc. Atqui clausula »constito et verificata,« facit exequutorem mixtum, qui procedere debet cum causae cognitione et citatione, *de Rosa de exeq. lit. apost. part. 1. cap. 3. num. 144.* Contigisse autem monet defensor, ut plena bona fide nec per viam mixti executoris nec cognitis et auditis veris patronis exequutionis decretum extrajudicialiter prodiret.

Observat secundo: Praesulem posteriori decreto diei 5. Septembris 1850 praecedens decretum latum die 23. Octobris 1849 revocasse, quin Puccius a decreto revocatorio appellaverit. Perpendit postremo exequutorem, qui aut ex errore et falsa ex causa aut non juris ordine et forma exequutus est, posse et debere ab exequutionis decreto recedere, quia nulliter egit juxta ea, quae tradit idem *de Rosa cit. op. part. 1. cap. 8.* Posita itaque nullitate brevis haud praepediri posse institutionem ob alteram quam opponunt exceptionem, nempe pendentiae litis super jurepatronatus in gradu appellationis. Nam praeterquam quod causa haec quae patronos inter agitur apta non est in casu institutionem impedire, ceu fuse in praeterita allegatione demonstravit, addit Ordinarium, nedum ob legitimam praesentationem, verum etiam jure devoluto ad institutionem devenisse. Duo hinc praecipua sibi esse videntur, quae institutionem independentem reddunt in hac sede judiciali a cognitione et judicio finali jurispatronatus et a lite; primum est Puccium non exercuisse praetensa jura tempore habili et spretis monitoriis nec ulla data apellatione a decreto revocatorio brevis, ut ideo iniquum esset ipsum velle jura Ordinarii ex juris dispositione scatentia per annos pessundare; alterum: jus devolutum verificatum fuisse et conclusum, antequam lis super patronatu die 4. Decembris 1850 inter patronos mota esset: (siquidem ejus opinione expiraverat quadrimestre cum mense Augusti 1830 et gratia prorogationis cum mense Octobris ejusdem anni) tum antequam preces de vitando praejudicio datae tantum anno 1853 apud H. S. C. orirentur. Quamobrem, arguit, nequibat ex post ortis effectus jam existens destrui ac jus Archiepiscopo devolutum attentari.

Demum perperam obtrudi, ante Selvani institutionem terminos ad contradicendum ac edicta apponi debuisse. Quandoquidem terminos ad contradicendum ac edicta apponi tantum debere in beneficiis jure nominationum conferendis, non autem in beneficio liberae collationis institutione sua aut in vim juris devoluti, colligit ex doctrina *Corradi in praxi disp. benef. part. 3.* ac *Tondut. quaest. benef. cap. 40.*

Qui Capitularium partes agit, una cum sua allegatione nonnullas distribuit observationes ab ipsis Capitularibus exaratas, in quibus contra relationem Archiepiscopi multa ad canonicam Selvani indignitatem evincendam congeruntur factorum adjuncta, quae in ipsis observationibus recolere EE. PP. grave non erit.

Summa allegationis haec est: Nullum Selvanio jus ad canonicatum quaesitum esse sive ex praesentatione sive ex collatione ab Ordinario praetenso jure devolntionis peracta. Non ex praesentatione, quia extra utile tempus a Sansedoniis Selvanius praesentatus fuit. Vacatio enim contigit mense Augusti 1848, Sansedoniae praesentarunt die 26. Aprilis 1850, biennio post vacationem. Quod vero vacationem non ignoraverint, arguit ex decreto Ordinarii diei 23. Octobris 1849, in quo edicitur jamdiu Sansedonias nuntium juri nominandi misisse. Quamobrem ante illud tempus vacationem ignorare non poterant. Atqui ab hoc decreto ad nominationem aliud semestre intercessit: non ex jure devoluto, a quo ministerio juris decidisse putat Ordinarium, utpote qui intra semestre eo usus non sit; imo quadriennium labi passus est antequam canonicatum conferret; ex textu *in cap. 2. 3. 4. 5. de suppl. negl. praelat.*, quae exornat *Gonzales.in comm. lib. 1. tit. 10. cap. 5. num. 8* pluribus ibi cit. auctoribus.

Cum igitur nullum Selvanio quaesitum fuerit jus, profecto consequi non agi hic de privatione seu de jure quaesito auferendo, sed tantum de institutione ex integro conferenda, qui nunquam canonice institutus fuit. Porro ex *cap. Literas de suppl. negl. Praelat.* arguit in casu devolutionis ad apostolicam Sedem praecedentem collationem quae nulla fuerit confirmari posse non jure quaesito sed ex gratia, ut *Glossa* ibi, *Giraldi expos. jur. pont. part. 1. sect. 65;* tum veniam hanc seu dispensationem haud temere concedi oportere, sed conditionaliter, nimirum, ut se habet cit. caput, »si beneficia et dignitates noveritis personis idoneis assignatas.« Atqui ex observationibus a capitulo exaratis abunde satis patere nedum non idoneum, sed indignissimum imo censendum esse Selvanium, qui ad amplissimum hunc de quo quaeritur canonicatum instituatur. Cujus quidem rei in testem vel ipsum allegat Archiepiscopum, qui, quamvis Selvanio impense faveat, attamen in fine suae relationis non bonam omnino se quoad illum confovere opinionem ingenue fassus est.

Nonnulla prius in facto sedula notanda proponit adolescentis Puccii defensor. Ait primo precibus Augeli pro collationis suspensione ad decennium Sansedonias aperte consensisse et preces Ordinario commendasse. Nunc autem illas certis conditionibus, quae in gratia appositae sunt, penitus probavisse, rescriptum enim fuit: »SSmus annuit juxta postremum votum Archiepiscopi«. Deinde, cum apostolica Sedes literas in forma brevis concessisset, Ordinario commisit earum exequutionem: ille vero prius omnia de more cognoscenda curavit, tum Sansedonias percontatus est; quae cum juri nominandi nuncium mitterent atque omnia explorata essent, solemne decretum exequutionis edidit, in quo precum veritatem confirmavit.

Quod ad emphytheusim pertinet seu al' allivellazione, de qua Ordinarius quaeritur, monet, eam non inconsulta ecclesia, ut votum asserit, imo vero consentiente et probante Archiepiscopo pertractatam fuisse. Quod ut probet nonnullas in summario proponit Ordinarii epistolas ab Emis Patribus investigandas.

Extemplo Sansedonias enarrat Selvanum nominasse. Archiepiscopus Angelo nunciavit duplici decreto ut juspatronatus probaret, quamquam multo ante per sententiam cognovisset de jurepatronatus, iis verbis verificato »presso di Noi il diritto di patronatu attevo« et gratiam exequutioni committi decrevisset. Denique Ordinarius praesentationem Selvani post biennium ex vacatione a Sansedoniis factam decreto institutionis excepit, quod edidit quadriennio post vacationem beneficii.

Quoad primum dubium sive ad principalem capituli controversiam in iis quae idoneitatem pertinent, non moratur Puccii defensor, extraneam enim sibi putat quaestionem idoneitatis. Attamen dubium pro Silvano dirimi non posse contendit, quia de institutione fit quaestio, atque illius institutioni opponitur breve apostolicum. Deinde ad aperitionem oris gradum facit et initio constituit literas apostolicas de nullitate aut invaliditate redargui non posse, nisi obreptio aut subreptio evidentissime probetur. In themate vero haec vitia duplici ex capite excludi, primo nempe ob consensum interesse habentium, scilicet mulierum Sansedoni, quae preces Ordinario commendaverant et nuncium miserant juri nominandi, tum etiam ob factum Ordinarii, qui preces sive ante gratiam sive multo post absolutissime confirmavit. Ante gratiam per informationem rescriptum enim est in precibus: »Sanctissimus annuit juxta postremum votum Archiepiscopi,«

post gratiam, cum Pontifex Ordinario exequutionem commiserit »verificato prius jurepatronatus,» aliisque conditionibus et Ordinarius exequutionem decreverit: »Verificato presso di Noi il diritto di patronato attivo come pure verificate le altre cose tutte rappresentate nelle preci, e da verificarsi esattamente in vigore delle apostoliche facoltà a Noi nel rammentato rescritto delegate.« Gratia vero concessa post Ordinarii votum absque evidentissimis probationibus infringi nequit. *Rota in Aesina Capellaniae sup. aper. oris. 19. Junii 1850. §. 3. cor. R. P. D. Alberghini* et in *Centumcellar. Sup. ap. oris 18. April. 1842. §. 4. cor. Emo Marini.*

Hisce praesentatis singula obreptionis argumenta confutanda aggreditur, quae sive intrinsecam attinent veritatem precum sive earum opportunitatem.

Perperam denegari contendit quod familia Sansedoni ab antiquis divitiis declinaverit, ut preces narrant: utcumque enim dives adhuc familia videatur, haud in praesentiarum de commoditate quaeritur, sed de gravi patrimonii imminutione, quae inficiari non potest. Quo in loco relativam etiam paupertatem absolute aequiparari demonstrat *Amostaz. de. caus. piis lib. 4. cap. 3. n. 39* et aequum esse ut nobilitati minus diviti subveniatur. *Navar. in apologet. de redit. quaest. 1. monit. 77. n. 4, Mantica lib. 8. conject. tit. 13. num. 3, Sanchez. cons. lib. 4. cap. 1 dub. 59, Amost. loc. cit. num. 41.* Accedit quod tempore precum nihil praeter nudam proprietatem illius patrimonii habebat orator, usufructu Sansedoniae a testatore ablegato ac proinde inutilis prorsus est in precibus de opulentia disceptatio. Quod autem objicit Ordinarius, obreptitias esse preces pro participatione reddituum ad aptius prospiciendum educationi adolescentis Pucci ea ratione, quia orator habebat unde commode illum educaret, respondet defensor extraneam esse in themate de commoditate et possibilitate controversiam. Non enim orator se non posse narravit, sed unum petiit ut sibi liceret aptius educationi prospicere, quod longe diversum est. *Rota in Spoletana Pensionis 3. Jun. 1757. §. 8. cor. Canilliac.* Nec objiciendum quod nuper defuncto Angelo parente adolescens illius successionem fuerit adeptus; primo enim nil movet, utrum prius paterno sumptu educaretur an deinceps proprio, semper enim idem patrimonium est; deinde notat haec evenisse anno 1852 sive quatriennio post preces atqui exploratum est obreptionis investigationem esse referendam ad tempus precum, minime vero ad ea quae deinceps evenire potuerint, ut Rota monet in *Centumcellarum Immissionis sup. aper. oris 18. April. 1842. §. 6. cor. Emo Mariani.* Denique Pontificem haud in animo habuisse ut indigentis educationi consuleret, sed probe novisse nobilitatem generis et oratoris facultates, cum Ordinarii informationem accepisset, ac proinde per ea verba» ad aptius prospiciendum educationi« voluit aliquid amplius concedece, ut pars reddituum in aptiorem institutionem pueri, pars in pia opera absolvenda erogaretur.

Tertium obreptionis argumentum aggrediens quoad subsidium pro seminario alium in locum transferendo evincit hoc promissum ab oratore fuisse auctore Archiepiscopo. Et perperam opponi seminarium subsidiis non indigere; primo enim, ait, nomina pro sumptibus ad rem necessariis jamdiu fuisse contracta ac demum in themate non requiri utrum seminarium egeat necne, sed utrum opera enarrata in precibus facienda sint. Orator enim missa indigentiae quaestione pecuniam dumtaxat spopondit pro operibus absolvendis. Eam etiam precum partem, in quibus pecuniam promittit orator ad beneficii melioramenta absolvenda, obreptitiam nullo pacto dici posse contendit, eo quod postremus thesaurarius vita functus redditum auxerit. Quidquid enim sit de istius administratione, absurdum esse inficiari quominus bona meliorationem recipiant, praesertim cum vir peritus a civili tribunali adlectus atque ab Ordinario commendatus gravissimorum sumptuum pro extraordinariis operibus necessitatem demonstraverit.

Denique cum ex duplici interpellatione, quam post decretum exequutionis oratori nunciavit, Ordinarius opponat juspatronatus de quo in precibus minime probatum fuisse, defensor triplici ex capite offensionem oriri praesumit, nempe quod Angelus quinquennem praesentaverit et jure deciderit: quod Ordinarii interpellationibus non paruit: quod controversia de pertinentia jurispatronatus pendet coram laico tribunali Senensi.

Ad primum quod pertinet, nempe ad devolutionem propter incapacis praesentationem, quamquam hujusmodi controversiam

extraneam putet quoad veritatem precum, illud primo demonstrat huic devolutioni locum non esse. Scilicet, ut quinquennem praesentaverit Angelus, nominavit tamen ne perperam quadrimestre elaberetur et sub spe futurae dispensationis, quam in precibus ad Pontificem exposuit. Atqui etiam incapacis nominatio consistit si fiat dignus ante provisionem, *Gagliardi de benef. cap. 9. §. 11, Piton. de controv. patr. alleg. 2. n. 2* atque in *eccl. disc. 13. n. 40, de Luca de jurepatr. disc. 45. num. 7. 8.* Cònditio autem licet non expressa ministerio juris praesumitur, *de Luca de jurepat. disc. 64. num. 28.* Expectandum igitur decennium suspensionis, eatenus enim semper orator poterit dispensationem obtinere, quin interea jus devolutum dici possit. Eo vel magis, quod, ubi probetur bona fides nominantis, novus terminus illi erat constituendus ante devolutionem, *Rota cor. Falconer. de jurepat. decis. 16. num. 1*, et bona fides abunde concluditur per alia exempla similis praesentationis, ibi n. ult., *Piton. disc. eccl. 156. num. 26, de Luca de jurep. disc. 43. n. 1 et 11.* In themate adolescens Pucci similimum exemplum producit pueri Ambrosii Sansedoni anno 1775; atque illius orator concludit primo ob novum terminum ab Ordinario contemptum corruere institutionis decretum, deinde jus devolutum non esse per adolescentis praesentationem. Sed quamquam devolutio admitteretur, haec nullo in pretio haberi posse quoad veritatem precum. Ex eo enim quod quis amittat pro ea vice jus nominandi non excluditur, imo probatur illum jurepatronatus pollere. Distinguendum enim est juspatronatus ab illius exercitio, *de Luca de jurep. disc. 69. num. 47.* Addit, quod coram Ordinario jus suum Angelus probavit, ut constat ex decreto exequutionis. Nec objiciendum quod Angelus binis interpellationibus de jure probando deinceps non paruit. Semel enim verificato jure per sententiam, quae in rem judicatam migraverat, mixtus exequutor fit merus nec licet precibus rursus obsistere, *Rota dec. 225. cor. Coccino, Gagliardi de benef. cap. 14. §. 8.* Ut igitur, concludit Ordinarius, non poterat decretum multo ante editum retractare, ideo Angelus non tenebatur bis evincere, quod semel in suo judicio demonstraverat et obtinuerat.

Nec tertium officere, nempe litem de pertinentia usquedum agi, hoc enim non obstat pontificiae voluntati, quae voluit constare de jurepatronatus »coram Ordinario loci,« uti reapse constitit: nec movet quod alias in principali deinceps instituto judicio decerni possit a laico tribunali. Quidquid autem de hoc judicio sit, quaestionem dirimi ex facto mulierum Sansedoni, quae litem ducunt in tribunali laico quaeque ut gratiam plenius obtineret Angelus solemniter protestatae sunt se juri nominandi nuncium mittere, ut adeo nequeant precibus opponere jus illud, quod in gratiam precum sponte dimiserunt.

His in specie praenotatis exstrinseca argumenta circa opportunitatem expendit. Nequidquam decretum opponi laicae potestatis, quod exequutionem brevis denegavit; primo quod incongruum esset coram apostolica Sede nullitatem brevis ideo tueri quod laicae potestati non placuit; deinde quia denegata exequutio est ob suspicionem obreptionis, de qua Ordinarius et Selvanus conqueruntur. Obreptione vero a s. Ordine rejecta facili negotio arbitratur se posse regium placitum consequi, tum de tractatu quodam conciliationis, quem in voto memorat Archiepiscopus, exponit quomodo se res habuerit et concludit, rejectis tractatus conditionibus, quae adolescenti favent, illam admitti non posse, quae Selvano faveret. Postremo fuse demonstrat emphyteusim, quam in bonis beneficii pertractavit Angelus, haud opponi literis apostolicis, quibuscum a petente jungebatur, et minime propositam fuisse inconsulta ecclesia immo vero auctorante et probante per literas Ordinario, postquam specialis cognitor Mannelli negotium utilissimum putaverat, ubi errores facti recenset, qui in voto Ordinarii excepti sunt.

Multa hic leviter attigi, quae plenius Eminentissimi Patres poterunt ex allegationibus distribuendis haurire.

Dubia.

I. *An constet de simonia vel indignitate canonica sacerdotis Emidii Selvani, ut ideo non sit exequendum decretum Archiepiscopi diei 21. Decembris 1852, seu potius sit danda institutio in casu?*

II *An intret arbitrium pro aperitione oris super breve apostolicum in casu?*

III. *An constet de nullitate, obreptione et subreptione ejusdem brevis in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Quoad simoniam et indignitatem negative, quo vero ad institutionem providetur in sequentibus.

Ad II. et III: Dilata usque ad exitum judicii super qualitate patronatus.

Die 27. Jan. 1855.

Continuatio.

Contra resolutionem ad primam primi dubii partem Capitulares qui Selvanio de simonia et indignitate canonica nomen detulere novae audientiae beneficium impetrarunt et de partium consensu hodierna comitia pro causae propositione destinata sunt. Sed Capitularium procurator licet monitus nihil hactenus exhibuit. Igitur hic brevi persequar factorum adjuncta, quae Selvanius novis prolatis documentis exponit, ut adversariorum perfidia ac sua integritas magis magisque pateat.

Quaeritur enim primo mala et vexationes, quibus post recens Archiepiscopi funus adversariorum libidine affectus et afflictus fuit. Siquidem, cum primum Praepositus Menighetti illorum dux et antesignanus ad Vicarii capitularis munus adlectus est, praedicationis et confessionum excipiendarum officium sibi interdictum narrat. Summam hinc in universa civitate partam admirationem et scandalum; in irritum probatissimorum virorum cessisse conatus ut Vicarius capitularis latum decretum revocaret; causam suspensionis ab eo prolatam, quod Selvanius in monialium claustris jurgia et dissidia concitaverit, putidam esse calumniam novo ausu conflatam. Praesto esse omnium monialium testimonia, quae hujusmodi imputationem plane diluunt ac explodunt. Quod si minis ac poenis inflictis aliter deinde testari coactae sunt, contrarias hujusmodi vi et metu extortas depositiones nihili faciendas esse. Adhibitas hac in re malas artes patere satis ex alterius monialis relatione, quae potius poenis subjici, quam veritati contradicere maluit ac editum jam testimonium retractare constantissime renuit.

Ex quibus omnibus arguit Selvanius non ecclesiastici decoris servandi studio, sed odii ac vindictae explendae causa dubia tum de simonia cum de canonica indignitate in eum excitata ac in medium prolata fuisse. Hinc ad priorem refutandam accusationem nihil iis addens quae in anteactis propositionibus fuse exposita sunt, alterum accusationis caput magis magisque a se amoliri studens plura exhibet documenta quae probant inquit:

1. Che nel tempo in cui il Selvani intervenne al circolo, era Siena la città moderatissima e fedelissima di tutta Toscana, segno ch' era prescelta a soggiorno del Principe, e proverbiata dai Giornali demagoci siccome l' *Inspruck* della Toscana.

Che in conseguenza le discussioni del circolo erano a quel tempo moderatissime nell' ordine e quiete del Governo costituito.

3. Che il circolo era presieduto dal professore Corbani, il quale dopo ripristinato il Governo legitimo fu eletto a prefetto interino di Siena.

4. Che il Selvani nelle poche adunanze in cui intervenne non fece che procurare la tranquillità publica, e non v' intervenne, se non che pregato e stimolato dai buoni, i quali credevano essere assai utile alla sicurezza di tutti, in quei tempi difficoltosi, l' intervento di persone ragionevolmente moderate per tenere a freno quelli che non volevano tollerarne alcuno; come testualmente si esprime il . . .

Ac reapse, ubi aliter se res haberet, profecto (prosequitur) rebus restitutis nec Corbanius praestantissimo praefecturae Senensis munere honestatus fuisset nec Selvanius ipse integram probitatis ac virtutis, quam sibi jamdiu comparaverat, opinionem servasset; cujus quidem rei indubiam faciunt fidem plures Etruriae Antistites, Primores civitatis aliique publicis muneribus scientia et virtute praeclarissimi viri.

Datur itaque dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis quoad primam partem primi dubii in casu etc.?

S. C. resp.:

Provisum per renunciationem.

Die 28. Apr. 1855.

III. Propositio damnata ab Alexdr. VII.

Vd. p. 443. *Germaniae.*

Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica pecunia

interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Die 24. Septbr. 1665.

(Bull. r. t. VI. Append. p. 1. Ed. Luxbg.)

IV. Quae circumstantiae constituunt simoniam?

Lauretana.

Vd. *p. 443. tt. n. I.*

Translatitium in jure est, ad simoniam constituendam requiri rem spiritualem aut saltem spirituali immediate adnexam, uti observat *Fagnanus in cap.: Cum pridem de pactis, Petra comment. ad constit. VII. Eugenii IV. numer. 21. tom. 4.*

Cum autem laicales capellaniae utpote absque ecclesiastica auctoritate constitutae nullam praeseferant beneficii rationem, pactiones de iis absque apostolico placito initas de simoniae vitio neutiquam argui debere communis doctorum sententia est. *Gonzalez ad reg. 8.**) *canc. gloss. 5. num. 25, Leuren. For. benefic. cap. 3. quaest. 96, Schmalzgrub. lib. 5. titul. de sim. num. 273, Piton. de contr. patron. alleg. 67. num. 267.* In his enim uti observat Card. Petra vere non cadit praesentatio conveniens in beneficiis ecclesiasticis: ac proinde constat pluries a sacro hoc Ordine decretum fuisse in laicalibus capellaniis locum non esse simoniae, bene vero improbari summopere pactiones hujusmodi easque pro irreligiosis haberi; S. C. C *Neapolitana 13. Augusti 1718,***) *Januen. 1722. §. Plane, Piton. alleg. 67. num. 38.*

At de ecclesiastica beneficiaria sacraque omnis generis re crimen simoniae patrari potest; hinc augere ob juspatronatus pretium rei, cui adjunctum illud sit, vel in beneficiorum litibus componendis inire pactiones, quin legitima intercedat auctoritas, vel demum largitione, muneribus, pollicitationibus beneficia aucupari notam incurreret simoniae: caveantque idcirco magnopere, quibus seu patronatus seu alterius nominis jus est, ut, cui beneficii auctores fuerint, quocumque id modo facultateque fiat, ab eo aut ejus ministris propinquisve quidquam omnino ne sponte quidem delatum ingestumque accipiant.

Die 3. Aug. 1833.

*) Vd. *Beneficium* (reservat. SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

**) Vd. *p. 475.*

Explorata res est devinctos simoniae noxa esse tum qui juspatronatus vendiderunt pactionesve de ipso conciliarunt, tum qui id emerunt vel quidpiam e convento praestarunt spoponderuntque, *cap. De jure, cap.: Quia Clerici de jurepatron., Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de reform.*

(Ibidem.)

De beneficio in litigium deducto transigi aliquo dato vel retento seu promisso speciem esse dixit simoniae Alexander III.,*) nisi forte gratis et amicabiliter se partes componant. *Cap.: Super eo 7 de transact., Bened. XIV. de synod. lib. 12. cap. 6. num. 9.*

(Ibidem.)

uu) Subdiacono danda est.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus p. 236. n. 31 etc. p. 314. b); *Beneficium* (aetas p. 366. n. 9; collatio resignati beneficii. p. 397. d.)

vv) Suspensio concessa.

Vd. *Missa* (suspensio); *Beneficium* (nominationis suspensio; applicatio p. 370. n. 15.)

I. Pro reparatione altaris.

Nullius Faren.

Capellaniam duplicis hebdomadalis missae ex censibus in forte scutorum 250 instituit anno 1630 Palladius Olivari ad proprium s. Caroli Borromaei altare in parochiali ecclesia Montopolis ac reservato Flaminiae et Liviae ejus ex Prospero germano fratre neptibus et heredibus patronatu mandavit, ut delata hereditate ad substitutas sorores Fulviam et Fortiam addi per eas earumque descendentes deberent illius fundo, cum duplici altera hebdomadali missa, alia scuta 250. De erectione hujusce capellaniae et purificatione substitutionis, a quo augmentum pendebat ejus fundi, non constat. Compertum tamen est delatum fuisse juspatronatus ad plures extraneas familias et ad Dominicum tandem de Sanctis capellaniaeque fundum in tot modo consistere census scutorum 319, annui redditus scutorum 18. 20, et in domuncula redditus scutorum 3. EE. igitur Vestris supplicavit hodiernus patronus pro trienni nominationis capellani et missarum suspensione ad reficiendum altare per decreta sacrae visitationis interdictum novamque in eo subrogandam tabulam pictam, cum

*) Vd. *p. 447.*

obligatione erogandi in missas quod superest operi; ejusque favet instantiae Farfensis Abbas. Onus reparandi et ornandi altare veluti adnexum juripatronatus de jure est patroni, *Franc. de eccles. cathedr. cap. 13. num. 67, Card. de Luca de jurepatr. disc. 84. num. 2, Piton. de controv. patron. allegat. 43. num. 11, Benedict. XIV. instit. 100. §. 14* et sacra Congregatio in *Firmana Suspensionis oneris missarum 14. Decembris 1782,* in qua ad dubium: an et quomodo sit locus suspensioni oneris missarum? rescripsit: Negative et ad mentem et mens est, quod praefigatur terminus patronis ad solvendum quod revera per parochum expensum fuerit in restaurationem capellarum coram Episcopo liquidandam, quo termino elapso et solutione non facta idem Episcopus patronos cecidisse a jurepatronatus declaret.

Ex verbis illis sacri Concil. Tridentini *sess. 21. cap. 7. de reform.,* nempe »patronos et alios qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt,« dubitari posset, num futurus in nostro themate concurrere deberet capellanus in expensam reparationis. Id namque deficientibus fabricae redditibus affirmant *Barbos. in cit. sess. 21. cap. 7. Concilii Tridentini num. 6, Amost. de caus. piis lib. 5. cap. 6. num. 23, Pirhing. lib. 3. decretal. tit. 48. num. 15,* quum aequum non sit, ut reparationis onus in unum refundatur patronum, qui nullum ex beneficio percipit fructum, *Pirhing. loc. cit. num. 20, Wiestner. instit. canon. lib. 3. tit. 48. art. 3. num. 45, Pichler. lib. 3. decretal. tit. 48. num. 5.*

Contrarium tamen sentiunt alii, ubi nulla ab initio per fundatorem constituta fuit dos pro manutentione fabricae, ac prae ceteris *Barbos. de offic. et potest. Episcop. allegat. 64. num. 16, Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 180, Albert. de sacr. utens. tom. 1. cap. 12. num. 207. pag. 214.* Loco enim fructuum sunt jurispatronatus honorificentia et jus ad alimenta ex redditibus beneficii in casu inopiae, *Fagnan. in cap.: Consultationibus de jurepatr. num. 5, Reiffenstuel in jus canon. lib. 3. tit. 48. sub num. 23, Piton. in cit. alleg. 100. num. 178.* At sive ad patronum sive ad capellanum pertineat expensa, locus forsan non erit suspensioni missarum, quum unus non sit pauper, annua alter scuta decem ultra illarum eleemosynam superlucretur, quae in refectionem altaris tabulaeque pictae et ad perfectionem operis erogari possent. Ponderare autem dignentur Emi Patres, num ad aliquot potius annos expediat suspendere nominationem capellani, ut celebratis per alium missis tutius quod superest in necessariam cedat causam reparationis, quam capellanus negligere posset.

Respondere igitur placeat ad dubium:

An et quomodo sit locus suspensioni nominationis capellani et oneris missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad quinquennium deputato ecclesiastico administratore, qui celebratis missis ad formam fundationis superextantem redditum eroget in restaurationem altaris et subrogationem novae tabulae pictae.

Die 14. Jan. 1792.

II. In commodum clerici studentis.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus — dispensatio concessa p. 236. n. 31. a.) *Beneficium* (nominatio)

Piscien.

Cum clericus Vincentius Landucci tria possideat capellanias sive *officiaturas,* quae ad patronatum suae familiae pertinent, oportet singularum fundationes cognoscere, ut statui possit, num concedenda sit quam ipse postulat onerum suspensio.

Alteram ex hisce capellaniis fundationem jussit in postremo testamento anni 1630 Vincentius Landucci eamque erexit ejus haeres sub invocatione *sancti Michaelis Archangeli* in ecclesia plebana s. Laurentii Collis in ejusque dotem assignavit quatuor fundos. Onera vero injunxit: *unam missam singulo quoque die dominico ad honorem ssmae Trinitatis, alteram die Martis cujuslibet hebdomadae ad honorem d. Michaelis Archangeli, alium vero die sabbathi cujuslibet pariter hebdomadae ad honorem Virginis Mariae et ulterius capellanus praedictus teneatur et obligatus sit adesse, intervenire, assistere in choro omnibusque functionibus fieri solitis in ecclesia praedicta et tenere accensam lampadem ante hujusmodi altare omnibus diebus festis de praecepto a matutino usque ad solis occasum et die 29. Septembris cujuslibet anni in perpetuum celebrare facere festum apparitionis s. Michaelis Archangeli cum omnibus clericis et sacerdotibus*

dictae ecclesiae adscriptis et die immediate sequenti non impedita annuum officium seu anniversarium mortuorum pro omnibus defunctis ejusdem familiae distribuendo clericis et sacerdotibus eleemosinas dari et distribui solitas ac insuper teneatur sufficienter manutenere fulcitum et provisum hujusmodi altare de cera, paramentis et de omnibus aliis ad sacrificium missae peragendum necessariis.

Alteram capellaniam sub titulo s. Catharinae in ecclesia s. Petri Buggiano ex suo asse haereditario erigendam reliquit Nicolaus Coli in suo testamento: »*col carico al capellano pro tempore di far celebrare quel numero di messe conforme all' entrate dell eredità predetta da arbitrarsi dall' Illmo Ordinario.*« Ex decreto vero Ordinarii 4. Septembris 1696 tenetur capellanus *ad missas quatuor cum applicatione sacrificii pro anima fundatoris et aliorum, quos habebat in mente, pro qualibet hebdomada celebrandas qualibet die dominico et quocumque alio festo occurrente infra eamdem hebdomadam et reliquis diebus feriatis ad libitum et insuper celebrandi festum s. Catharinae cum campanis et organo et insuper solvendi sacristiae pro hostiis et vino libras septem et providendi et manutenendi omnia, quae pertinent ad ornatum altaris.*

Tertiam tandem capellaniam, quam Catharina Cecchi in codicillis 12. Septembris anni 1619 ordinaverat, ejus filius et haeres Carolus Galeotti erexit anno 1687 in ecclesia praeposituerali Pisciensi »*coll' obligo di una messa di requiem nei giorni feriali, e nelle solemnità.*« Hanc tamen missam quotidianam reduxit Episcopus Pisciensis ex facultatibus concessis a s. m. Benedicto XIII. ex decreto hujus s. Congregationis diei *25. Junii 1729*, ut patet ex sententia reductionis, in qua statuitur: »*quod onera missarum futuris temporibus sint celebranda omnibus diebus festivis de praecepto singulis annis et insuper duas missas feriales pro qualibet hebdomada ad libitum capellani pro tempore circa dies et ultra omnibus feriis sextis quadragesimae, in quibus si cadat aliud festum, possit capellanus celebrare die antecedenti vel subsequenti.*

Haec sunt onera, quae annexa sunt tribus capellaniis, quas clericus Landucci possidet. Horum omnium suspensionem postulat, quoad Romae manet, ut studiis operam navet et ad sacerdotium idoneus sit simulque postulat, ut quoad praeteritum absolvatur quoad omissa Sacra fere ad tria millia et celebrationem festorum. Episcopus in sua informatione haec praecipua refert: capellanias hujusmodi pertinere ad patronatum familiae Landucci: familiam hanc angustiis domesticis laborare, ut vix habeat unde vivere possit; ex hisce capellaniis redire annua *scuta* 164, sed detractis oneribus pro capellano superesse scuta 71; omissa fuisse Sacra non quidem fraude sed ex impotentia ob praeteriti temporis discrimina. Ex his censet concedendam esse temporaneam onerum suspensionem exceptis tamen missis celebrandis die festivo, cum in populi detrimentum vergeret ac pari modo indulgendam esse absolutionem quoad praeteritum.

Patroni (ut habetur *ex concilio Toletano can. 37*) *eorumque filii redacti ad inopiam ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu recipiant.* Nec indolens est, ut ad sublevandam inopiam patroni suspendantur onera missarum, ut ex redditibus beneficii alatur, ut *in Aquen. Capellaniae 20. Januarii et 3. Februarii 1787.* Videant EE. PP., num haec congruant rei nostrae, in qua clericus Landucci; est quidem ex familia patronorum et habet libera ex tribus capellaniis annua scuta 71. Haec quidem satis non videntur, ut Romae maneat, et necesse videtur, ut studiis applicetur, quibus idoneus ad sacerdotium fiat.

Ad *modum* quod attinet concedendae suspensionis Episcopus putat eam ita esse indulgendam, ut tamen missae festivae celebrentur, ne populus detrimentum capiat. Tempus quoque indulgendae suspensionis pendet ab arbitrio EE. VV., et saltem ad *quinquennium* esse poterit, ut clericus studiorum cursum absolvat. Cum vero omissionem in praeteritum Episcopus tribuat impotentiae, non malae fidei, idcirco indulgenda esse videtur, dum concedi soleat remota fraude et subeunte impotentia, ut *in Asten. Reductionis 6. Martii 1778.*

Dubia proponuntur:

I. *An et quomodo et ad quod tempus sit concedenda suspensio onerum in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative et pro missis ferialibus ad quinquennium tantum.

Ad II. Affirmative celebratis pro unica vice missis triginta applicandis collective pro omnibus fundatoribus.

Die 8. et 29. Mart. 1806.

III. Pro reparatione ecclesiae.

Vd. *Missa* (suspensio concessa pro reparat. eccles.)

Viterbien.

Parochialis ecclesia s. Lucae Viterbii unita collegiatae ss. Faustini et Jovitae ejusdem civitatis prompta indiget reparatione, nam undique disjectum est ejus pavimentum proximamque ruinam minatur tectum, quod nudis de cetero stat trabibus. Congregatio igitur pii operis pauperum, quae in eadem est ecclesia, seu Prior et parochiani eam constituentes Sanctissimo supplicarunt labente anno 1796 pro suspensione collationis beneficii, annui redditus scutorum circiter 40, quod ibi cum onere duplicis hebdomatalis missae erectum est ex dispositione Laurentii Frachini et ab ipsis uti patronis confertur. Reparationis siquidem opus perficere sperabant ex illius redditu et hereditate Canonici Caroli Cecarelli novissimi beneficiati, ad idem opus relicta, sed terminum simplicis reparationis praetergressi impensam per peritum constituerunt in scutis 789.

Precibus ad sacram hanc Congregationem remissis retulit eminentissimus Viterbiensis Episcopus deesse parocho congruam et parochianos omnes, si familiae excipiuntur sex vel octo, labore tantum et industria vivere, ita ut contribuere nequeant sumptum: sequendam vero non esse exhibitam peritiam, nam si ea omnia confici debuissent, quae longe peritus designavit, opus fuisset pro gravi impensa scutorum 789 constituere censum, quod si fieret (sunt verba eminentissimi Episcopi) perpetuum actum esset de collatione beneficii; nam redditus demptis oneribus pro missarum celebratione non sufficerent pro annua solutione usurarum. Nullam insuper rationem habendam esse dixit hereditatis Ceccarelli, quae vix satis fuit aeri alieno et legatis, et suum aperiendo votum censuit, suspensionem statuendam esse dumtaxat pro comparandis scutis biscentum, scilicet pro annis septem, quam summam satis credo pro pavimenti et tecti restauratione et interiorum parietum munditie.

Dum ita res pendebat denuo oratores in Congregatione 22. Aprilis 1797 super modo perficiendi restaurationem deliberarunt et ultimo loco decreverunt »quod secondo il solito la Congregazione potrà venire all' elezione e nomina del beneficio senza pregiudizio della petizione alla sagra Congregazione del Concilio, avanzata per il motivo di sopra espresso.« In altera vero Congregatione 29. sequentis Maji ad electionem inter plures et nominationem devenerunt clerici Caroli Bargassi in beneficiatum nulla facta mentione de praecedentibus comitiis neque de precibus ad sacram Congregationem Concilii porrectis. Institutionem propterea denegavit eminentissimus Episcopus nominato; qui Vestram proinde in id ex duplici ratione imploravit auctoritatem, quod onus nempe reparandi ecclesiam s. Lucae incumberet collegiatae ss. Faustini et Jovitae, cui unita est, et per suam nominationem in beneficiatum resoluta fuerit instantia promota in sacra Congregatione pro suspensione collationis beneficii; iterum hinc rogatus eminentissimus ille Antistes refert in secunda informatione, quod oratores 29. Maji ad electionem devenerunt, nihil prorsus commemorantes neque de precibus neque de praeterita eorum Congregatione: admittit insuper manutentionem praedictae ecclesiae spectare ratione unionis ad capitulum Collegiatae, sed causas affert, ex quibus cogi nequeat ad illius reparationem.

Capitulum, ait, aere alieno gravatur in summa scutorum 2250, quod ab annis supra triginta contraxit causa restaurandi et ampliorem reddendi eandem ecclesiam ss. Faustini et Jovitae. Hac de causa persolvit in anno scuta circiter octoginta pro usuris et extinctione sortis. Quaelibet autem Canonicorum praebenda annuatim reddit scuta triginta et una inter alias scuta viginti duo. Quum itaque sint adeo tenues et hoc tempore tanto onere premantur, Canonici renuunt amplius augere debitum pro ecclesia priorali s. Lucae. Parochiani autem, quando petierunt suspensionem collationis beneficii, nemini nec detrimentum nec injuriam afferebant, quum ad illud eo tempore nullum jus esset quaesitum.

Contemnenda omnino non videntur, quae ad impendiendam suspensionem beneficii et suam sustinendam nominationem oppo-

nit clericus Borgassi. Propriis siquidem deficientibus redditibus ecclesiae s. Lucae prae omnibus ad ejus refectionem tenetur capitulum Collegiatae ratione patronatus, quem ex unione quaesivit; ideoque locus esse non posse videtur suspensioni beneficii post patronum obligati, juxta sacrum Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de reform.* Jam expleta vero ejusdem beneficii collatio nedum recessum suadere valet a praecedenti suspensionis instantia, sed impedimento etiam esse posset, ne jus per nominationem quaesitum Borgasio anferretur, per *text. in cap.: Cum omnes de constit., dec. in cap.: Cum accessissent num. 3. eod. tit.* Notare tamen dignentur eminentissimi Patres, gravi capitulum premi alieno aere scutorum 2250 valdeque tenues Canonicorum praebendas novum ferre non posse reparationis onus eminentissimo Episcopo teste. In his sane terminis Tridentina ipsa synodus loco cit. reparationem praescribit ex fructibus beneficiorum, quae in eadem sunt ecclesia et sacra haec Congregatio suspensionem permisit trium canonicatuum in *Senogallien. Fabricae 20. Februarii 1796. ad II. dubium.* Neque per suspensionem beneficii de qua agitur laedi videtur assertum Borgasii jus ex nominatione quaesitum. Hoc namque purificari poterit cessata suspensione, eo magis, quod in Congregatione 22. Aprilis demandata fuit in posterum nominatio »senza pregiudizio della petizione alla sagra Congregazione del Concilio avanzata.« Licet autem in comitiis sequentis Maji nominatio expleta fuerit absolute et absque mentione antecedentis Congregationis et supplicis libelli ad EE. Vestras, dici tamen posset, quod implicite congregati nominaverint sub praedicta conditione, nempe quatenus non concederet sac. Congr. suspensionem. Haec vero satis esset ad quinquennium, quo ex annuo redditu beneficii scutorum 40 compleretur summa scutorum 200 ad refectionem ecclesiae necessariam; sed etiam proponit eminentissimus Episcopus ad septennium, detrahendo forsan ex eo redditu, quod pro celebratione requiritur hebdomadalium missarum.

Vestrae igitur proponitur deliberationi:

An et quomodo sit locus suspensioni collationis beneficii seu potius sit exequenda nominatio beneficiati in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem juxta votum eminentissimi Episcopi, suspensa interim nominationis executione ad septennium.

Die 18. Novbr. 1797.

ww) A Suspensis.

Conferri non possunt beneficia a suspensis; c.: *Si ad Episcopum*, unic., *Ne sede vacante in 6.* et *glossa* ibi, verb. *Majoris.* his xerbis: »Suspensi autem vel majori excommunicatione ligati non eligunt.« *Rosa in una Assisiensi Canonicatus 25. Jan. 1599.*

Etiamsi suspensi essent occulti, quia suspensus etiam occultus censetur prohibitus ab exercitio jurisdictionis; *Rota part. 1. recent. dec. 534. n. 5*, et consequenter collationis beneficiorum, quae est jurisdictionis; *cap: Nosti 9* et *cap.: Transmissum 15. de election.*

xx) Taxa pro collatione.

Vd. p. 443. *Germaniae*; p. 497. III

yy) Tempus infra quod facienda.

Vd. *Praesentatio* (tempus, infra quod laici et ecclesiastici praesentare tenentur.); p. 400. h. i; p 413 s.

Beneficia omnia vacantia, etiam in quibuslibet cathedralibus et aliis ecclesiis ab Episcopo, ad quem collatio spectat, sunt conferenda intra sex menses; quibus elapsis, de Episcopo ad capitulum et e converso et demum ad proximum Superiorem collatio devolvitur. Ita expresse habetur in *cap.: Nulla 2. de concession. praebend.* et concordant *cap.: Quia diversitatem 5. tit. eodem, cap.: Licet 3. de supplenda negligentia Praelatorum* et *Clementina in tit. eodem.* Sic etiam parochialium provisio intra sex menses facienda est, quando earum collatio ad illum spectat. Intra quatuor vero menses, quando ad Papam spectat, s. Pius V. constit. incipiente: *In conferendis beneficiis ecclesiasticis et praesertim parochialibus**) edita 15. Mart. 1567. Menses sex dati ad conferendum incipiunt currere non a die vacationis beneficii, sed a die scientiae vacationis; *cap.: Quia diversitatem 5. de concession. praebend.*, ibi: »Semestre autem tempus non a tempore vacationis praebendarum, sed notitiae ipsius potius volumus computari,« et concordant *cap.: Licet 3. de supplend. negligentia praelator.*, ibi: »Tempore semestri . . . non a vacatione sed a notitia computato;« et *Rota p. 2. recent. decis. 186. num. 1.* Et eadem *Rota in una Placentina Parochialis de Malpartita 28. Junii 1585 coram Seraphino*

*) Vd. *p. 425.*

dec. 702. inter impressas tenuit tempus sex mensium datum Ordinariis ad conferendum parochiales ad eorum collationem spectantes per dictam bullam s. Pii V., quae dicit a die vacationis notae, quamvis Episcopus nondum accepisset possessionem episcopatus, cum per ipsum stetisset, refert *Nicol. Garcias de benefic. part. 10. cap. 2. num. 21 et seqq.* Sic etiam tempus quatuor mensium concessum Ordinariis ad provisionem faciendam de parochialibus ad Papae collationem spectantibus non currit nisi a die notitiae vacationis habitae, ut tenuit *Rota in una Toletana Beneficii 18. Novemb. 1578 coram Seraphino dec. 380.* inter impressas.

Et haec notitia seu scientia vacationis praesumenda est in Ordinario, cum praesumatur habere certam notitiam beneficiorum vacantium in sua dioecesi, quam tenetur visitare singulis annis ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 3* et de beneficiis inquirere ex cap.: *Ordinarii locorum 3. de offic. Ordinar. in 6.*, considerata per judicem beneficii qualitate, vacationis modo et temporis illius longitudine ac distantia locorum; *Rota decis. 6. de jurepatronat. in novis* et in dict. *Toletana Beneficii coram Seraphino decis. 380. num. 4.* Et ita praedicti sex menses incipiunt currere ab eo tempore, quo scire potuit vel debuit Episcopus, ut tenuit *Rota p. 2. recent. dec. 223. n. 3. 14. Jan. 1611, in Vicent. Parochialis Castri Tertiali coram Manzanedo.* Et dicti sex menses debent computari juxta calendarium, secundum quod occurrunt; et jacent per totum circulum anni et quod deficit de primo mense, accipiendum est de ultimo. Ita cum communi *Glossa in c.: Quam sit 6. de election. in 6.* verb.: *Mensem.*

zz) Post tempus a jure praescriptum.

Vd. *Beneficium* (collatio valida esse debet p. 504. III.)

aaa) Valida.

I. Quando est?

Vd. *Concursus pro collat. parochiarum* etc. (examinatores, qui et quot?); p. 399. g.

I. Ut valida sit collatio seu provisio, debet fieri gratis sine ullo pretio aut mercede temporali;*) *cap.: Si quis datur 2, cap.: Si quis Episcopus 3, cap.: Quaesitum 4, cap.: Si quis objecerit 7, cap.: Salvator 8, cap.: Si quis Praebendas 15. caus. 1. qu. 3*, aliter contraheretur simonia, qua collatio seu provisio beneficii vitiatur et ipso jure evadit invalida ejus acquisitio; *cap.: Ea quae 5. causa prima quaest. 3.* et *Extrav.: Cum detestabile 2. de simon. inter commun.*

II. Ut collatio et quaevis beneficii ecclesiastici provisio sit valida et canonica,*) debet fieri pure idest sine ullo pacto, conditione ac modo privata partium conventione adjecta, aliter esset pariter simoniaca et nulla; *cap.: Super eo 7. de transactionibus, cap.: Cum pridem 4, cap.: Cum Clerici 6* et *cap.: Pactiones 8. de pactis*, ubi sic praecise habetur: »Pactiones factae a vobis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti«; et *cap.: Quaesitum 5. de rerum permut.*, ubi sic expresse dicitur: »De jure fieri non possunt praesertim cum pactione praemissa, quae circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper simoniae.«

At hoc loco (inquit Josephus Maria Maraviglia Episc. Navarien. in suis legibus prudentiae episcopalis anno 1678 Innocentio XI. dicatis lege 145.) ea tantum difficultas enodanda est, qua vertitur in dubium: an possint collatores beneficiorum aliquid exigere a beneficiatis applicandum vel locis piis vel pauperibus vel fabricae ecclesiae vel sacristiae,**) cum adsit quaedam constitutio Alexandri II. in *cap.: Ex multis §. Constituimus 9. caus. 1. q. 3*, quae videtur expresse prohibere ejusmodi exactiones etiam piissimas pro collatione beneficiorum, quam constitutionem videtur ita intellexisse et etiam *Rota coram Puteo decis. 396. n. 2. lib. 3*, ubi decernitur omnem beneficiorum collationem esse nullam, si fiat cum onere, ut aliquid detur pro fabrica, donariis etc. Vera tamen allati textus intelligentia ea est, quod solum prohibeatur collatio beneficiorum tamquam simoniaca, si pro obtinendo beneficio aut in eum praecise finem, ut obtineatur, aliquid promittatur vel conferatur fabricae aut aliis locis piis, illa enim particula *pro* importat causam finalem, ut tradunt multi juristae et canonistae; unde qui ex eo fine conferret aut reciperet beneficium et pactum iniret tribuendi aliquid esset vere damnandus ab Episcopis tamquam simoniacus ex illa constit. Alexand. II. Quotiescumque enim temporale ordinatur ad obtinendum spirituale, licet bene dispensetur, semper male [illegible]-

*) Vd. *p. 443.* decr. *Germaniae.*

*) Vd. *p. 399. g.*
**) Vd. *p. 479: Ortonen.*

cipitur, ut constat ex verbis summi Pontif. in illa const. In hoc igitur tantum casu possunt et debent Episcopi maxime invigilare, ne quid simoniacum et prohibitum perpetretur juxta talem consuetudinem. Haec piissimus et doctissimus auctor, qui in titulo legis citatae haec habet: »Collatores beneficiorum exigentes aliquid a beneficiatis non semper damnandi ab Episcopis tamquam simoniaci.«

Videri etiam possunt *Azor. lib. 12. cap. 12, Diana coordin. tom. 5. tract. 7. resol. 20 et 21, la Croix. lib. 3. p. 1. n. 100 et 101* et *Viva in Prop. 45 et 46; Innocen. XI. n. 11.*

III. Insuper requiritur, ut collatio beneficii non sit obtenta subreptitie aut obreptitie, hoc est per expressionem falsitatis aut suppressionem veritatis de jure exprimendae, aliter ipsa collatio non teneret et nullius esset momenti; *cap.: Cum adeo 17, cap.: Constitutus 19* et *cap.: Ad audientiam 31. de rescriptis, c.: Si is 2. de filiis presbyter. in 6*, ubi sic habetur: »Talis dispensatio veluti per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti«; et *Clement. cap.: Si dignitatem 1. de praebend.*, ubi loquendo de rescriptis gratiosis super dignitate obtentis, non habita mentione necessaria exprimendorum, sic praecise dicitur: »Gratia hujusmodi velut subreptitia nullius penitus est momenti.«

IV. Collatio debet esse libera*) absque omni vi et metu et debet fieri palam, *cap. unic. Ut ecclesiastica beneficia.*

V. Debent conferri beneficia sine diminutione fructuum, *cit. c. Unic. Ut ecclesiastica beneficia.*

VI. Ad collationem omnes vocari debent, ad quos spectat collatio, etiam absentes; *cap.: Cum in ecclesiis 33. de praebend. in 6.***)

Beneficia curata seu curam animarum habentia debent necessario conferri ad praescriptum Conc. Trid. *sess. 24. cap. 18* et *constit. s. Pii V.* quae incipit: *In conferendis beneficiis.****) Unde pro eorum collatione debet indici examen per concursum†) coram Episcopo vel ejus Vicario et saltem tribus examinatoribus synodalibus habendum; Conc. Trid. cit. *sess. 24. cap. 18. de reformat.*

II. Quando non est?

Vd. ***Beneficium*** **(collat. benef. non vacantis p. 398 e)**

*) Vd. *p. 422. cc.*
**) Vd. *p. 417. V.*
***) Vd *p. 425.*
†) Vd. *Concursus.*

III. Debet esse.

Vd. *p. 399. g.*

Justo impedimento cessante omnis electio seu collatio, quae fit post elapsum tempus a jure praescriptum, est nulla, nisi de patientia seu misericordia toleretur; *cap.: Licet 3, cap.: Literas 4* et *cap.: Dilecto filio 5. de supplend. negligentia Praelator.* ac tradit *glossa in cap.: Nulla 2. de concess. praebend.* praecisis his verbis: »Nisi de patientia toleretur«; et in summar. cit. *cap.: Literas 4. de supplend. neglig. Praelator.* expresse dicitur: »Si is, ad quem spectat beneficii collatio, lapso tempore Lateranensis Concilii conferat, non valet collatio, nisi de misericordia toleretur.« Et ratio est, quia post lapsum temporis a jure praefixi collatores sunt privati potestate conferendi et haec ipso jure devoluta est ad superiorem adeoque, si postea conferant, licet statim prima die post elapsum praefixum tempus, collatio est invalida, ut cum communi docet *Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolutionibus n. 27*, quia, ut expresse dicitur in *cap.: Quod autem 4. de jurepatronatus:* »Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare.« Fuit autem notanter dictum: »Nisi de patientia seu misericordia toleretur,« quia, si collatio beneficii post lapsum praefixi temporis per inferiorem facta toleretur per superiorem, ad quem jus conferendi devolutum est, tunc electus et institutus tutus est in conscientia illud retinendo; *arg. cap.: Literas 4. de supplend. neglig. praelat.*, et tenent ibi communiter doctores, »cum, ut expresse dicitur *cap.: Cum jam dudum 18. de praebend.*, multa per patientiam tolerentur, quae si deducta fuerint in judicium exigente justitia non debeant tolerari.« Licet enim Superior non possit ratificare seu convalidare dictam collationem beneficii, utpote ipso jure nullam et invalidam, ut *cap.: Auditis 29. de election.*, potest tamen illud conferre de novo, eo quod ad ipsum propter negligentiam inferioris jus conferendi sit devolutum, ut recte *Abbas in cit. cap,: Literas 4. de supplend. negligent. Praelator. num. 2* et *Ancharan. ib. etiam num. 2.* Et quia nova haec collatio videtur tacite fieri, dum Superior institutum de patientia seu misericordia tolerat, ideo *glossa in cit. c.: Literas* rectissime dicit praecisis his verbis: »Quod sola patientia dat hoc jus talibus institutis, non ex illa institutione ex tunc, sed ex nunc

ex tali patientia, utpote quae vim novae collationis obtinet.« Immo potest Superior elapso tempore maxime in beneficiis patronatis gratiam facere patronis et tempus ad praesentandum prorogare, arg. *cap.: Sicut 2. de supplenda neglig. Praelat.* »Ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in iisdem (ecclesiis) ordinare rectores:« ubi doctores ponderando verbum *Liceat* notant, quod textus ponit causam in voluntate illius, cui licet. *Rota part. 17. decis. 13. num. 2*, dummodo tamen Superior non proroget tempus ultra sex menses, *arg. c.: Nulla de concession. praebend.*, quia ut recte censuit *Rota loc. cit. num. 3. et 4* hoc solum facere potest in praejudicium sui ipsius, non autem in praejudicium alterius superioris.

bbb) A Vicario generali.

Vd. p. 400. h i.

Tradit *Reiffenst. tit. de off. Vic. num. 82. 83.* Vicarium generalem vigore mandati generalis conferre non posse beneficia liberae collationis, instituere vero posse praesentatos a patronis.

In generali Vicariatus commissione non venit potestas conferendi beneficia, nisi ipsi Vicario generali beneficiorum collatio sit specialiter commissa, textu expresso in *cap.: Cum in generali concessione 3. de officio Vicarii in 6*, ibi: »Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verosimiliter in specie concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa, Officialis aut Vicarius generalis beneficia conferre non possunt.« Data autem Vicario generali speciali facultate conferendi beneficia poterit Vicarius generalis conferre etiam ea beneficia, quae jure devoluto ad Episcopum pertinent ob negligentiam vel delictum inferiorum, quorum erat jus conferendi, nisi beneficia sint devoluta ad Episcopum tamquam Sedis apostolicae delegatum, puta ob negligentiam regularium; *Clement. 1. de supplend. negligent. Praelat.*, sic *Zerola in praxi Episcop. part. 1.* verb.: *Beneficia* §. 3. et cum aliis *Barbosa de officio et potest. Episcop. p. 3. alleg. 14. n. 62.* Vicarius generalis, cui data est facultas conferendi beneficia, potest conferre etiam curata. Sic cum multis a se citatis *Fagnan. in cap.: Mandato 46. de simonia* et *Rota decis. 7. de offic. Vicar., alias 437. in antiq. et dec. 2. cod. tit. in antiquior.*

ccc) Venalitas.

Vd. p. 443: *Germaniae*; p. 447.

Tricaricen.

Alexander III. in canon. 7. Concilii Lateranensis III. an. 1179 celebrati tamquam nimis horribile increpat, quod in quibusdam ecclesiis locum habeat venalitas, ita ut pro Episcopis vel pro Abbatibus ponendis in Sedem ut et pro aliis quibuscumque personis ecclesiasticis seu presbyteris introducendis in ecclesiam aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur non attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur de cetero haec fiant vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem vel instituendis sacerdotibus aliquid exigatur districtius prohibemus. Cujus canonis verba transcripta sunt in *cap.: Cum in ecclesia de simonia.* Hinc Innocentius III. expresse jussit Archiepiscopo Cantuariensi, ut penitus abrogaret pravam consuetudinem, qui in illa dioecesi irreperat »per quam pro ecclesiarum investitura Archidiaconi marcham unam argenti, minores vero Decani vacham albam sibi dari postulant vel certam pecuniae quantitatem« ut videre est in *cap.: In tantum de simonia.* Tandem Gregorius IX. in *cap.: Jacobus de simonia* asperius appellavit Canonicos Aprutinae dioecesis, qui novis electis recusabant proventus praebendasque assignare »quandam praetendentes consuetudinem, quod prandium habere debeant a Canonico recepto de novo.«

Die 12. Septbr. 1801.

26) Commenda beneficium est.

Vocatur commenda beneficium et est custodia ecclesiae alicui commissa, unde commendatarius dicitur ille, qui accepit ecclesiam in commendam seu custodiam ejusmodi, et si commenda conferatur in perpetuum, ut de facto modernae commendae a Papa personis qualificatis solent in perpetuum conferri, aequi paratur beneficiis proprie dictis ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 17. de*

reformatione, ubi prohibetur quis habere plura beneficia etiam commendata.

27) Commutatio in alium finem quam a testatore fixatum non concessa.

Vd. *Commutat. ultimae volunt.*, *Beneficium* (mutatio; applicatio bonor. p. 370. n. 15 etc.; immutatio; de essentia quae sunt?; suppressio.)

I. In bonum hospitalis non concessa.

Albintimilien.

Vd. *Stipend. superfluum in usum hospitalis etc.*

Quo tempore in civitate Albintimis minor erat incolarum frequentia, redditus unici, quos semper habuit nosocomium s. Spiritus, pares comperti sunt recipiendis curandisque cujusque nationis infirmis. Minor enim erat infirmorum numerus, vilius pharmacorum aliarumque rerum pretium, redditus uberiores, sed aucta decursu temporis plebe, redditibus imminutis et ampliata victualium aestimatione modus nosocomio deesse caepit, quo gravius pondus posset sustinere. Cogitantes idcirco vigiles illius protectores qua via possent pii operis durationi prospicere, ne advenientes infirmos rejicere cogantur neve ob istorum copiam in majores conjectum angustias omnino dilabatur, nullum opportunius adesse posse remedium existimarunt quam si redditus nonnullis celebrationis missarum oneribus addicti in alimoniam pauperum et hospitalis subsidium convertantur.

Tria itaque sunt legata, quorum petunt commutationem; unum provenit ex dispositione Angeli Orengo, qui in testamento condito anno 1637 reliquit ecclesiae b. Virginis ab Angelo annuntiatae ejusdemmet civitatis Albintimilii libras 500 cum onere celebrationis unius missae in unaquaque hebdomada et cum substitutione hospitalis, si ecclesia praedicta legatum recusasset, additis in hoc casu aliis libris 600 cum onere alterius missae in ejus ecclesia celebrandae. Casus substitutionis evenit factusque jamdiu est locus favore hospitalis utrique legato atque correspective duarum missarum oneri singulis hebdomadis adimplendo.

Alterum habet originem a dispositione sacerdotis Hieronymi Lanteri condita anno 1670, in cujus bonis ob sequutum haeredum tam institutorum quam substitutorum obitum hospitale successit. Huic haereditati adnexum erat onus missae quotidianae; sed quia haereditarii redditus huic ferendo oneri impares deprehensi sunt, idcirco usque ab anno 1720 auctoritate sac. Congregationis imminutus fuit missarum numerus juxta eleemosynam in ratione taxae perpetuae; atque Episcopus, cui commissa fuerat exequutio, earumdem missarum numerum in quantitate 173 praefinit. Bona autem haereditaria consistunt tum in libris 6464, quae fructum reddunt librarum trium pro centenario, tum in scutis 345 monetae romanae, ex qua summa fructus scut. 3 cum dimidio percipiuntur.

Tertii tandem auctor est Joannes Maria Gastaldi, qui in supremis tabulis anno 1672 confectis Hieronymae filiae suae sine filiis decedentis memoratum nosocomium substituit cum onere unius missae in qualibet hebdomada et jamdiu haec extitit purificata conditio. Sed Episcopus quoad bona haereditaria haec ait: »In quonam consisteret praed. Gastaldi haereditas, nec ex testamento nec ex libris hospitalis apparet. Verosimile autem est, tum haereditatem hanc tum alia bona hospitali legata, cum reliquis ejusdem fundis incorporata, partim divendita et alienata partim ratione diversorum contractuum mutasse naturam et ea esse nomina debitorum, ut ajunt seu capituli accensus, quae modo possidet hospitale.«

Haec sunt legata atque onera, quae protectores commutari postulant in solamen infirmorum et in commodum hospitalis, donec ad meliorem statum deveniat. Asserunt enim, annuum illius introitum haud excedere libras circiter 1500; exitum vero certum, non comprehensa missarum eleemosyna, ad libras 562 ascendere, incertum autem ducto calculo per decennium libras 1100 anno quolibet superare. Hinc necessariam putant petitam commutationem ex dispositione sac. Concilii Tridentini *sess. 22. cap. 6. de reform.*, cum non deficiant causae, ob quas illa concedi consueverit, quod scilicet non adversetur testatoris voluntas, *Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 4*, ulterius quod ea indulgeatur ob causam, quam si testator praevidisset, utique consensum praestitisset, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 3. num. 6*, ac demum, quod ea cedat in utilitatem civitatis aut populi, *Amostaz. loc. cit. num. 11.*

Concurrere autem sustinent praesumptam disponentium voluntatem, cum Angelus Orengo infirmis prospicere voluerit, quoties duo missarum legata hospitali reliquit et ex legatorum pluralitate amor testatoris erga legatarium satis desumatur, *leg. Praedia §: Affin. de fund. inst.*, *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 6. tit. 11. num. 26.* Alios vero testatores Joannem Mariam Gastaldio et Joannem Lemtera aegrotos maxime praedilexisse, dum bona sua omnia ad hospitale deferri voluerunt. Hinc arguunt, quod si testatores hospitalis deteriorationem praevidissent vel illud tam magnis oneribus non gravassent vel permisissent, ut fructus in auxilium pauperum converti possent, *Mantic. loc. cit. lib. 7. tit. 1.* maxime quia in publicam utilitatem haereditarios redditus erogari vidissent.

Addunt justitiam suadere voluntatis commutationem in aliud pietatis opus, quod utilius defuncto comperiatur, *Gratian. lib. 4. de test. num. 13.* Quamvis ergo admittant sacrificii valorem ex opere operato immensum atque infinitum et plurimum prodesse ad animarum expiationem, nihilominus demonstrare nituntur purgantium animas aeque per civitatis officia expiari et ideo exhibent congeriem auctoritatum ex ss. Patribus erutam, ut probent primis ecclesiae saeculis defunctorum animas misericordiae et pietatis operibus fuisse expiatas atque effusam in pauperes largitatem multum fidelibus fuisse commendatam, quae quidem omnia ex circumferendo libello Emi PP. deprehendere poterunt.

Episcopus de sua sententia requisitus ita concludit: »Remanet ergo ne pereat adeo pium et charitativum opus, quod in maximum pauperum aegrotantium vergit commodum, ut EE. VV. interpretando mentem supradictorum legantium (qui si viverent libere bona legarent ad hoc ut pauperum aegrotantium indigentiis occurrerent) liberent hospitale onere supradictarum missarum illas ad tres reducendo applicandas supradictis tribus benefactoribus, onere tamen conducendi capellanum, qui singulis diebus missam in capella dicti hospitalis in commodum spirituale aegrotantium celebret et casu, quo ditius hospitale evadat et supersint redditus ad adimplenda supradicta onera missarum sufficientes, in tali casu teneantur administratores pro tempore celebrari facere missas ut supra legatas.«

Notum est, justam et necessariam causam requiri ad testatorum voluntates immutandas, Concil. Trid. *sess. 22. cap. 6. de reform.*, idque semper prae oculis habuit sac. Congregatio, quae commutationes justa et necessaria impellente causa concessit eaque deficiente denegavit. Pluries hac de re actum est, praesertim in *Cassanen. 24. Septembris 1665*, in *Vicen. 18. Januarii, in Imolen. 22. Martii*, in *Fanen. 25. Decembris. 1764*, in *Feretrana 20. Decemb. 1766* et in *Eystetten. seu Bambergen. 4. Aprilis 1767.* *)

In praesenti casu ponderandum occurrit: an quae allatae sunt SS. Patrum auctoritates procedant, quando agitur de jam factis dispositionibus et a longo tempore exequutis. Aliud est enim alicui suggerere, ut loco celebrationis missae pauperem fame laborantem et pene morientem alat ac foveat, aliud vero, ut missarum legata in diversum usum convertentur. Sane charitatis officia summis laudibus merito extolluntur, sed non minor Sacrorum custodia et commendatio. Divitem matronam redarguit s. *Cyprianus lib. de oper. et eleemos.* eo quia ad Sacrum faciendum de suo nihil conferret: »Locuples es, ait, dives es et Dominicum celebrare te credis. quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.« Frequens in antiquis christianarum rerum scriptoribus sermo habetur de oblatione panis et vini. cujus portio pro alimonia ministrorum ecclesiae erat destinata, quodque pro eleemosyna seu missarum celebratione relictum fuerit, eo etiam excellentius ac sanctius, quia et religionis actus exercetur et sanctuarii ministris prospicitur.

Demum non est praetereunda reflexio, quod commutatio voluntatis remedium dicitur extraordinarium ac subsidiarium, cum Concilium Tridentinum *loc. sup. citat.* non aliter fieri permittat, nisi *urgente necessitate*: proindeque cum nosocomii manutentio universae communitati atque hominum societati conferat, videndum idcirco an redditus aliorum operum, quae minus utilia fuerint, in eam causam erogari possint aliaque etiam remedia adhiberi debeant priusquam ad imminutionem numeri missarum deveniatur.

*) Vd. *Commutat. ultimae volunt.*

Vestrum nunc erit Emi PP. decernere:

An et quomodo sit locus commutationi onerum missarum in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 25. Jan. et 15. Febr. 1772.

II. In bonum Seminarii non concessa.

Vd. p. 374. d; 381. e.

Paderbornen.

Franciscus Georgius Harseovinkel haeredem ex asse scripsit Henricum Christianum fratrem, cui omnes per lineam masculinam descendentes substituit. His autem defectis jussit, ut tria vel quatuor beneficia simplicia in Cathedrali Paderbornen. erigantur, quorum juspatronatum foeminae primogenitae reliquit. Nuper ergo defecta masculina descendentia Episcopus Paderbornen. preces Sanctissimo dedit, ut bona in erectionem dictorum beneficiorum eroganda applicari mandaret seminario jamjam erigendo in alumnorum substentationem, reservata patronis beneficiorum facultate nominandi tres vel quatuor alumnos. Obstitit Maria Anna Harseovinkel, in quam beneficiorum patronatus devenit. Quumque eadem mulier donationis titulo patronatum cesserit Francisco Ludovico Meyer aliaeque preces Sanctissimo datae fuerint pro dictae donationis approbatione, ablegatis hinc precibus utrisque ad sacram Congregationem nunc tam de petita *unione* quam de *donationis* approbatione inquirendum est.

Ad I. Inquit promotor fiscalis in commutandis ultimis voluntatibus duo spectanda esse, utilitatem nempe et necessitatem, C. Tr. *sess. 22. cap. 6. de reformat.* Utrumque autem in casu concurrere, quum nihil rei publicae christianae utilius ac magis necessarium sit erectione seminarii. In eo enim adolescentes a saeculi illecebris primo aetatis flore sejuncti pietate, doctrina optimisque moribus instruuntur ad clericalem statum, disciplinam morigeram et ad omnia virtutum genera ducuntur; hinc a vetustis canonibus, synodalibus Conciliis necnon occumenico Tridentino tam utilem necessariamque seminarii erectionem summopere injungi. Hanc vero erectionem maxime optandam esse in Paderbornensi civitate, in qua, admixtis haereticis cum catholicis, necessitas urget, ut sapientiores magisque docti ecclesiae ministri habeantur, qui non tam catholicos verbo et exemplo foveant et a nefaria contagione removeant quam haereticos in salutis et veritatis semitam reducant. At quantum utilis et necessaria et in Paderbornensi dioecesi seminarii erectio, tantundem inanis ac supervacanea foret nova beneficiorum erectio, cum Cathedralis jam iis abundet usque ad numerum quadraginta et nihil christianae reipublicae prosint, sed utpote nullo fere onere gravata nonnisi ad locupletandos tres vel quatuor clericos inservire valeant.

Urgente idcirco utilitate ac seminarii erigendi necessitate commutationem voluntatis optandam et indulgendam esse. Eamque ipsam consonam esse inquit verosimili fundatoris voluntati, quum ipse pius et in Deum religiosus vir post defectam lineam masculinam non foeminas vocaverit, sed bona omnia Deo addixerit in pietatis religionisque christianae augumentum ope erectionis beneficiorum, illamque ordinasse probabile est, quia haec una species pii operis religiosae testatoris menti observata fuerit et hanc utiliorem, saluberrimam et magis necessariam ad religionis christianae augumentum cogitaverit. Dum itaque seminarii erectio longe utilior ac magis necessaria est, piae testatoris menti maxime convenire videtur, ut hoc magis pium utiliusque opus exequatur, quo pinguius illius voluntas impletur, christiana religio augetur atque ecclesia Dei piis, doctis et prudentibus ministris imbuitur ac ornatur.

Nec ad seminarii erectionem adhiberi posse media a Concilio Tridentino praescripta. Redditus enim episcopalis, ut prosequitur, adeo tenues sunt, ut ultimi belli temporibus imminuti vix vivendi media pro dignitatis statu Episcopo supersint. Clerum item saecularem et regularem iisdem temporibus adeo aere alieno se obruisse, ut ad contribuendum pro seminario undique impar evaserit; opus ideo esse extraordinario remedio, ut tantae necessitati consuli queat. Hinc si Tridentina synodus Ordinariis indulget, ut commutata fundatorum voluntate beneficia licet jam erecta, reservata et affecta etiam ante vacationem unire valeant, potiore jure indulgendam esse unionem bonorum, quae beneficii naturam nondum induerunt. Nec obesse dissensum patronae, quum ille irrationabilis sit, statim ac loco nominationis rectorum ei praeservatur nominatio totidem alumnorum, ac proinde spernendus sit eique anteferenda dioecesis utilitas atque necessitas, *Piton. de controv. patron. allegat. 55. n. 2.*

Ad II. Advertit nullibi ad juspatronatus vocatos esse haeredes et successores, sed tantum lineam faemineam jure primogeniturae descendentem, idemque juspatronatus delatum esse ad primogenitam uti simpliciter pollentem jure sanguinis, non qua haeredem quia post defectos agnatos opus pium fuit substitutum. Hinc arguit juspatronatus non quidem haereditarium esse, sed quodammodo gentilitium ac familiare in familia faeminea primogenitae ac proinde cedi non potuisse Francisco Ludovico Mayer, qui persona extranea est a familia vocatorum. Nec obesse putat, quod Maria Anna sit ultima de familia, unde in ipsa juspatronatus evaserit haereditarium. Advertit enim testatorem taxative et limitative vocasse ad juspatronatus faeminas primogenitas earumque descendentes, ideoque hisce defectis omne jurispatronatus vinculum censeri penitus dissolutum ac peremptum et beneficia ad liberam ecclesiae collationem redacta, *Tondut. quaest. benef. part. 1. cap. 32. n. 35. in fin.*

Contra Franciscus Ludovicus Meyer ad I inquit: Fundatorem unice erectionem beneficiorum demandasse *invariabili dispositione* et injuncta *ad literam* executione, itaut omnia *firmiter et inviolabiliter* servanda et implenda essent. Nulli itaque interpretationi voluntatis adeo clarae et enixae locum esse nec aliter seminario applicari posse bona relicta, quam ope eversionis, abolitionis et odiosae commutationis voluntatis. At vero hanc non aliter indulgendam etiam a summo Pontifice nisi ex urgentissima et necessaria causa, *Rot. dec. 1041. num. 11. tom. 4. cor. Molines.* Verum licet utilis ac necessaria causa applicandi bona pro erigendis beneficiis destinata.

Concilium siquidem Tridentinum tria pro seminarii erectione praescripsit:

I, ut uniantur ea, quae ad instituendos alendosque pueros destinata sunt,

II, ut aliqua fructuum portio a massa episcopali, capitulari aliisque omnibus beneficiis detrahatur,

III, in subsidium ut beneficia uniantur, *sess. 23. cap. 18. de ref.* At vero advertit, usque adhuc nulla loca pia pro alendis instruendisque pueris destinata unita fuisse, etsi plura adsint tam in civitate quam in dioecesi Paderborn., nullam taxam impositam fuisse diviti mensae episcopali, capitulari, parochiis, commendis aliisque beneficiis numero pluribus, quorum omnium redditus ad conspicuam summam scut. 264 ascendunt. Hisce autem omissis injuria oculos statim converti ad unionem beneficiorum vel bonorum pro beneficiis destinatorum, quae nonnisi in subsidium iis deficientibus uniri et applicari possunt, Bened. XIV. de *synod. dioeces. lib. 9. cap. 7. num 3* et *Garzias de benef. dec. 80. num. 6.*

Hanc siquidem commutationem non quidem redolere publicam utilitatem vel necessitatem, sed tantum privatum commodum mensae episcopalis aliorumque dioecesis beneficiorum, quae ab onere taxae sublevarentur. Hinc absonum esse inquit evertere enixam expressamque fundatoris voluntatem necnon derogare juribus patronorum, qui amplius non possent beneficiatos eligere et suos vel exteros gratificari, ut eorumdem titulo ad sacros ordines promoveri possint. Caeterum addit beneficia uniri non posse nisi post erectum seminarium introductosque alumnos, *Barb. de potest. Episc. part. 3. alleg. 71. numer. 23, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 30. numer. 47, Pignatel. consult. can. 81. numer. 99. tom. 9,* et ea tantum uniri posse, quae sint liberae collationis Ordinarii, non vero quae sunt jurispatronatus vel ad inferiorum collationem spectant, *Pax Jord. lib. 7. tit. 4. de semin. num. 65, Fermos tom. 11. ad tex. in cap. Quia 4. de magistr. quaest. 2. num. 22, Pignatel. cons. 81. num. 30. tom. 9,* verum usque adhuc seminarium non esse erectum et beneficia erigenda subjici juripatronatus et spectare ad collationem inferiorum.

Ad II. ait: Recte patronos patronatum donationis titulo in alium transferre, *Rot. coram Duran. decis. 407. num. 6*; initam proinde donationem uti juri consonam confirmationem mereri. Nec obesse defectum consensus Episcopi. Hic enim non requiritur dum confirmatio a s. Sede petitur et ulterius contradictio undique irrationabilis sit, dum nulli legitimae causae innititur, sed tantum injustae praetensioni bona seminario

uniendi, unde tam injustum dissensum non tam spernendum quam moderandum et supplendum esse a superiore, *Rot. coram Seraph. dec. 833. per tot. et dec. 10. num. 13. de jurep. cor. Falcon.*

Nuntius apostolicus censet, indulgendam esse petitam bonorum unionem favore seminarii necnon confirmandam esse patronatus donationem, ut ex ejusdem relationibus, quae inter monumenta causae habentur.

Synodus Tridentina post probatam seminariorum utilitatem ac necessitatem ultra ea, quae ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis restituta, quae eo ipso huic seminario applicata censeantur, jubet, ut Episcopi cum consilio duorum etc. ex fructibus integris mensae episcopalis et capituli et quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum etc. partem aliquam seu portionem sic detrahent et eam portionem sic detractam necnon beneficia aliquot simplicia cujuscumque qualitatis et dignitatis vel etiam praestimonia vel praestimoniales partiones nuncupatas etiam ante vacationem sine cultus divini et illa obtinentium praejudicio huic collegio applicarent et incorporarent, *sess. 23. cap. 18 de ref.*«

Remedium tamen hoc unionis subsidiorum est, ita quidem ut non aliter beneficia uniri queant, nisi praecesserit dismembratio partis fructuum mensae episcopalis, capitularis et beneficiorum, quam fructuum dismembrationem passim doctores *taxam* appellant, eaque non expleta unio beneficiorum nullo modo subsistit, *Lotter. lib. 1. quaest. 29. num. 61, Barbos. alleg. 77. num. 2.* Requiritur item pro validitate unionis, ut seminarium vere sit erectum, nempe praeparata domus, formaliter institutum collegium puerorum, ipsique cum magistris actu introducti et electi Canonici pro illius directione, ut edixit sac. Congregatio in *Nullius 8. Junii 1596* per haec verba: »Item censuit unionem beneficiorum ab Episcopo factam seminario reipsa nondum erecto nullam et irritam esse,« et in altera *Nullius 3. Martii 1597* sacra Congregatio censuit: »Non posse uniri beneficia seminario, si juxta formam ipsius Concilii unionis tempore minime erectum fuerit, utpote nec magistris nec scolaribus actu existentibus«; et in *Licien. Unionis 16. Maji 1711.*

Non item quaelibet beneficia cujusvis speciei uniri possunt, sed tantum ea, quae liberae sunt collationis Ordinarii vel sanctae Sedis, adeo ut nec beneficia jurispatronatus praesertim laicalis nec quorum collatio ad inferiores spectat uniri et applicari seminario queant, *Pax Jordan. lib. 7. tit. 4. de semin. n. 65, Amostaz. de caus. piis lib. 4. cap. 12. n. 39, Pignatel. cons. 81. n. 30. tom. 9.*

Haec tamen recte procedunt, quando Episcopus in vim facultatis sibi a Concilio concessae ad beneficiorum unionem procedit. At vero in praesenti casu Episcopus Paderbornen. non sua utitur jurisdictione, sed facultatem a s. Sede implorat controversa bona pro erigendis beneficiis destinata seminario uniendi et applicandi. Id ergo inquirendum, an desint alia media conciliaria, quae praeire debent unionem, hisce deficientibus an justa et necessaria causa concurrat non tam commutandi testatoris voluntatem quam aspernandi patronae dissensum et derogandi collationi quatuor presbyterorum executorum, quibus a testatore relicta fuit.

Ad II. Vocata est ad juspatronatus linea faeminea cum suis descendentibus, Maria Anna unica et ultima superstes est, unde juspatronatus sive ex sui indole familiare sive haereditarium sit semper in dicta Maria Anna evaserit haereditarium juxta notissimam theoricam *Ancarani in cons. 81.* Haec tamen limitationem patitur quando vel expresse vel tacite fundator taxative coercuit juspatronatus ad personas et gentem nominatas, in hoc siquidem casu personis extinctis perimitur etiam juspatronatus et ecclesia omnimodam beneficiorum libertatem adipiscitur, *Tondut. quaest. benef. part. 1. cap. 32. num. 35.*

Spectatis itaque rerum circumstantiis necnon litera fundationis dignentur eminentissimi PP. judicium ferre:

I. *An sit locus unioni et applicationi haereditatis quondam Franzisci Georgii seminario episcopali Paderbornensi in casu?*

Et quatenus negative;

II. *An sit confirmanda donatio jurispatronatus facta per Annam favore Henrici in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative et amplius.

Ad II. Affirmative et amplius.

Die 21. Novb. et 19. Decbr. 1772.

28) Quoad Concordata.

Beneficium (reservatum SS. Pontif. juxta regul. cancell., praecipue notam ad regulam IX. cancell.); *Ferraris.*

Per concordata hic intelliguntur illa, quae potissimum super provisione beneficiorum ecclesiasticorum in ditionibus variorum supremorum Principum vacantium inter Sedem apostolicam ex una et ipsos supremos Principes ex altera partibus pro firmiori unione et pace et tranquillitate servanda hinc inde conclusa, approbata et acceptata fuerunt. Et hujusmodi concordata potissimum fuerunt inita ad tollendas lites et controversias nonnumquam oriri solitas, ex eo quod Papa jure praeventionis (scilicet per gratias expectativas) vel etiam jure concursus uni, et collator ordinarius provisionis apostolicae ignarus alteri idem beneficium ecclesiasticum contulisset sicque inter ipsosmet provisos vel etiam ipsorum familias variae contentiones et discordiae subortae fuissent. *Addit. ad dec. 2. n. 229. cum sequent. part. 3. Rotae romanae.* Hic autem, ne nimis in longum trahatur discursus adducendo singillatim specialia uniuscujusque nationis concordata, sufficiet adducere pro omnium notitia concordata nationis germanicae, ex quorum dilucitatione poterit de facili servatis servandis et caeteris paribus deveniri ad cognitionem et intelligentiam pro praxi etiam omnium aliorum. Inter Papam Nicolaum V. igitur ex una parte et imperatorem Fridericum III. et principes Germaniae ecclesiasticos ac saeculares ex altera anno 1447. *Calendis Aprilis* fuerunt inita concordata tenoris sequentis pontificiae constitutionis.

Nicolaus Episcopus.
Servus Servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Ad sacram Petri Sedem divina dispositione sublimati singulis, quae pro universalis ecclesiae unione ac pace et tranquillitate profutura fore conspicimus, apostolicae providentiae sollicitudine libenter intendimus et ad felicem illorum prosecutionem et consumationem opem et operam impendimus efficaces.

§. 1. Nuper siquidem carissimus in Christo Filius noster Fridericus Romanorum Rex illustris et nonnulli alii dilecti filii ecclesiastici et saeculares Principes inclitae nationis germanicae ex una ac dilectus filius noster, Joannes s. Angeli Diaconus Card. in partibus illis apostolicae Sedis de latere Legatus, per Nos ad dictas partes missus, sufficienti desuper a Nobis et Sede apostolica auctoritate suffultus ex alia, partibus romanae ecclesiae et dictae nationis hominibus pro ipsius ecclesiae unione, pace et tranquillitate inter ecclesiam et nationem praedictam perpetuo solidandis et conservandis diversa rationabilia et utilia, ordinationes et statuta, a partibus ipsis hinc inde approbata, laudata, conclusa, acceptata et concordata fecerunt et ediderunt Nobisque humiliter supplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum subsistentia robur apostolicae firmitatis adjicere necnon auctoritatem potiorem et decretum interponere dignaremur.

§. 2. Nos itaque, qui statuta, ordinationes et concordata praedicta per nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, magnarum maturitatis, auctoritatis et literaturae viros diligenter examinari et discuti fecimus eaque rationabilia et salubria tam ecclesiae quam nationi praefatae fore comperimus, de dictorum et aliorum venerabilium fratrum nostrorum praedictae ecclesiae Cardinalium consilio et assensu apostolica auctoritate et ex certa scientia approbamus, ratificamus, laudamus et acceptamus et praesentis scripti patrocinio communimus juxta modum et formam subsequentes. Placet Nobis super provisione ecclesiarum et beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque provisionibus, juris scripti reservationibus et: *Exsecrabilis* ac: *Ad regimen* constitutionibus modificatis, ut sequitur.

Ad regimen ecclesiae generalis quamquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostrae diligentiae studium ad quarumlibet ecclesiarum et monasteriorum regimina et alia beneficia ecclesiastica juxta divinum beneplacitum et nostrae intentionis effectum viri assumantur idonei,*) qui praesint et prosint committendis eis ecclesiis, monasteriis et beneficiis praelibatis. Praemissorum itaque consideratione inducti et suadentibus Nobis aliis rationabilibus causis, nonnullorum Praedecessorum Nostrorum romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, omnes patriarchales, archiepiscopales et episcopales ecclesias et etiam monasteria, prioratus, dignitates, personatus et officia necnon canonicatus, praebendas et ecclesias caeteraque beneficia

*) Vd. *p. 404. p; 411. q.*

ecclesiastica cum cura vel sine cura, saecularia et regularia, quaecumque et qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud Sedem apostolicam quocumque modo vacantia et in posterum vacatura necnon per depositionem vel privationem seu translationem per Nos seu auctoritate Nostra factas et in antea faciendas ubilibet: necnon ad quae aliqui in concordia vel discordia electi sive postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renunciatio admissa auctoritate nostra extiterit seu quorum electorum vel postulatorum et in antea eligendorum seu postulandorum electionem cassari seu postulationem repelli aut renunciationem admitti per Nos aut auctoritate Nostra continget apud Sedem praedictam vel alibi ubicumque et etiam per obitum Cardinalium ejusdem ecclesiae romanae aut officialium dictae Sedis, quamdiu officia actualiter tenebunt (videlicet Vicecancellarii, Camerarii, septem Notariorum, auditoris literarum contradictarum et apostolici palatii causarum auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum literarum apostolicarum et viginti quatuor Poenitentiariae praefatae Sedis et viginti quinque abbreviatorum necnon virorum commensalium nostrorum et aliorum viginti quatuor capellanorum Sedis ejusdem in epitaphio descriptorum) et etiam quorumcumque legatorum seu collectorum ac in terris romanae ecclesiae rectorum ac thesaurariorum deputatorum seu missorum hactenus vel deputandorum aut mittendorum inposterum, nunc vacantia et in antea vacatura, ubicumque dictos legatos vel collectores seu rectores et thesaurarios, antequam ad romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad romanam curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus jam forsan obierint vel eos in antea ab hac luce transire contigerit. Et etiam simili modo quorumcumque curialium peregrinationis, infirmitatis seu recreationis vel alia quacumque causa ad quaevis loca recedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dictas ab eadem curia, ut praemittitur, non remotis (dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem) jam forsan decesserint vel in posterum eos contigerit de medio submoveri, etiam nunc per obitum hujusmodi vacantia vel in posterum vacatura. Rursus monasteria, prioratus, dignitates, personatus, decanatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas et ecclesias caeteraque beneficia ecclesiastica saecularia et regularia cum cura vel sine cura, quaecumque et qualiacumque fuerint, etiamsi ad illa personae consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, quae promoti per Nos seu auctoritate Nostra ad patriarchalium, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum necnon monasteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum, nunc quocumque modo vacantia aut in posterum vacatura: necnon etiam per assecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, praebendarum, ecclesiarum aut beneficiorum aliorum, per Nos seu auctoritate Nostrarum literarum immediate collatorum seu conferendorum in posterum, praeterquam si virtute gratiae expectativae assecutio fiet, nunc vacantia et in antea vacatura, plena super praemissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione praehabita et matura deliberatione secuta ordinationi, dispositioni ac provisioni nostrae de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica reservamus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super praemissis et quolibet eorum per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Item placet Nobis, quod in metropolitanis et cathedralibus etiam immediate non subjectis ecclesiis et monasteriis immediate subjectis Sedi apostolicae fiant electiones canonicae, quae ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus constit. fel. rec. Nicolai Papae III. quae incipit: *Cupientes* expectabimus; et elapso dicto tempore si non praesentatae vel si praesentatae minus canonicae fuerint providebimus, et si canonicae fuerint, eas confirmabimus, nisi ex rationabili et evidenti causa de dictorum fratrum consilio de digniori*) et utiliori persona duxerimus providendum, proviso quod confirmati praedicti et per eos provisi Metropolitanis suis et aliis praestent debita juramenta et alia, ad quae de jure tenentur. Et in monasteriis dictae Sedi immediate non subjectis et aliis regularibus beneficiis, super

*) Vd *p. 411. q.*

quibus pro confirmatione vel provisione ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi seu illi, quibus providendum est pro confirmatione et provisione, hujusmodi ad curiam romanam venire non tenebuntur; ipsaque regularia beneficia sub expectativis gratiis non cadant; ubi autem pro monasteriis ad dictam curiam venire seu mittere consueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. Et de monasteriis monialium non disponemus, nisi sint exempta et tunc per commissionem ad partes. De caeteris vero dignitatibus et beneficiis quibuscumque saecularibus et regularibus vacaturis, ultra reservationes praedictas (majoribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus et principalibus in collegiatis ecclesiis exceptis,) de quibus jure ordinario providetur, per illos inferiores, ad quos alias pertinet.

§. 4. Placet etiam Nobis, quod per quamcumque aliam reservationem, gratiam expectativam aut quamvis aliam dispositionem, sub quacumque verborum forma per Nos vel auctoritate Nostra factam vel faciendam non impediemus Nos, quominus de illis, cum vacabunt de Februarii, Aprilis, Augusti, Octobris et Decembris mensibus, libere disponatur per illos, ad quos eorum collatio, provisio, praesentatio, electio seu quaevis alia dispositio pertinebat, reservatione aliave quavis dispositione auctoritate nostra factis vel faciendis, non obstantibus quibuscumque. Quoties vero aliquo vacante beneficio in Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris et Novembris mensibus specialiter dispositioni dictae Sedis reservatis non apparuerit intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate provisum fuerit, ex tunc et non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponere poterit. Et ad finem, ut haec ordinatio collationum beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per dictam nationem publicari et omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem a calendis Junii proxime futuris ipsa currere incipiet et durabit deinceps, nisi in futuro concilio de consensu dictae nationis aliter fuerit ordinatum.

§. 5. Placet similiter Nobis, quod circa provisionem dictae Sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat ecclesiis cathedralibus omnibus et monasteriis virorum dumtaxat vacantibus et vacaturis, solvantur de fructibus primi anni a die vacationis summae pecuniarum in libris cam. apost. taxatae, quae communia servitia nuncupantur, et si quae excessive taxatae sint, relaxentur et quod provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum et regionum, ne nimium praegraventur, ad quod petentibus dabimus commissarios in partibus, qui diligenter inquirant et relaxent. Taxae autem praedictae pro media parte infra annum a die habitae possessionis pacificae totius vel majoris partis solvantur et pro alia media parte infra annum sequentem. Etsi infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum hujusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat. De caeteris vero dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis saecularibus ac regularibu quibuscumque, quae auctoritate dictae Sedis conferentur vel de quibus providebitur (praeterquam vigore gratiarum expectativarum aut causa permutationis), solvantur annatae seu medii fructus juxta taxam solitam a tempore possessionis intra annum et debitum hujusmodi similiter in successorem in beneficio non transeat; sed de beneficiis, quae valorem viginti quatuor florenorum auri de camera non excedunt, nihil solvatur duretque haec observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari.

§. 6. In iis autem, quae per fel. rec. Eugenium Papam quartum etiam Praedecessorem Nostrum pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis concilii permissa, concessa, indulta et decreta ac per Nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiae praesenti non obvient, ista vice nihil volumus esse immutatum et per hoc, quod in concordatis hujusmodi sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis literis propter compendiosiorem descriptionem Alemania specialiter appellatur, natio ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta seu quomodolibet separata.

§. 7. Et praeterea, quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis forsitan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, quod ipsorum transumpto Metropolitanorum dic-

tae nationis sigillo munito tamquam praesentibus si exhiberentur literis plena fides adhibeatur et proinde stetur, ac si dictae praesentes literae forent exhibitae vel ostensae et insuper quoque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam etc.

Datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis dominicae 1447 15. calendas Aprilis.

Ex hac concordatorum adducta pontificia constitutione clare patet non omnes beneficiorum reservationes papales sublatas esse, sed eas tantum, quibus concordata specialiter et expresse derogent caeteris salvis et in suo robore permanentibus.

29) Concursus pro collat. beneficior.

Vd. *Concursus; Beneficium* (examen.)

30) Conditiones addendae.

Vd. *Beneficium* (adjicere etc. p. 353. etc. a num. 1. usque ad n. 6.)

a) Approbatio Episcopi.

Ordinarius tenetur omnes conditiones fundatori benevisas etsi juri contrarias approbare, dummodo turpes non sint, impossibiles et contra substantiam beneficii, *Piton. de controvers. patron. allegat. 66. n. 241 et allegat. 80. num. 7, Rota coram Emerix jun. decis. 1241. num. 6.*

Si in fundatione reservata non fuerit facultas, tunc existimant doctores remitti posse, de consensu tamen Episcopi, ut adjiciantur conditiones, quae non sint juri contrariae. Ita censent *Gagliard. de benefic. cap. 3. n. 4, Vivian. de jurepatron. lib. 2. cap. 3. n. 10*, qui idcirco licere putat apponere ex intervallo conditionem, quod beneficium conferatur alicui de gremio, quia conditio hujusmodi non est contra jus, dummodo Episcopus non dissentiat.

b) A fundatore faciendae.

Montis Politiani.

Habemus in jure, pios fundatores posse in nstrumento fundationis conditiones sibi magis benevisas caeteroquin possibiles et honestas apponere, dummodo juri divino positivo vel naturali non repugnent, ex *cap. Significatum 11. de praeb.* et *cap.: Praeterea de jurepat., cap.: Quanto 16. de censib.* Et ita inter alios tradunt *Gonz. ad reg. 8. cancel. glos. 5. num. 100 et seqq., Reiff. in jus can. lib. 3. tit. 5. §. 4. num. 105. et seqq.* et *Card. de Luca de benef. dis. 65. num. 10,* qui dicit hanc esse regulam generalem. Nec obstat appositas conditiones possibiles et honestas repugnare juri communi juxta gloss. communiter approbatam in c.: *Cum dilectus V. constitutum V. satis tamen credo de consuet., Card. de Luca loco cit. dis. 95. num. 10, Fagn. cap.: Cum in cunctis n. 72 et 73. de elect.*, qui asserit sic tenuisse s. Congregationem, quam secuta fuit s. Rota *dec. 194. n. 1. par. 2. recent.* Summus enim Pontifex annuere solet voluntati fundatorum tum ut alii quoque invitentur et ita cultus divinus augeatur, tum quia in fundationibus magis praeponderat cultus divinus, quam ratio praejudicii, quod alicui inferri possit jam quaesitum jus non habenti, ut fuse docent *s. Rot. dec. 258. num. 23 et 24. par. 7. rec.* et *Lambert. de jurepatron. lib. 1. q. 9. princ. n. 82. et seqq.*

Die 21. Julii 1821.

Maceraten.

Quando consensus cum conditionibus, praestitutus est, de iis etiam eodem modo inquiritur, num justae vel injustae sint. Justas siquidem sacra Congregatio semper probavit, injustas vero rejecit, ut in *Alatrina 8. Febr. 1727, in Sabinen. Erectionis canonicatus 18. Nov. 1730, in Lauretana Canonicatus 20. Julii 1754* et in *Eugubina Erectionis canonicatuum 26. Martii 1765.* Praecipua ideo nunc inspectio est, an conditiones ab archipresbytero propositae justae vel injustae sint, ita ut rejiciendae vel omnino servandae sint.

Die 23. Febr. 1771.

Gerdunen.

Certa res est atque unanimi doctorum firmata consensione, fundationes post decretum legitime interpositum nullo modo alterari posse aut immutari. Si vero fundator hanc facultatem in actu fundationis sibi reservaverit, tunc novae leges ac novae conditiones adjici possunt, quia vigore reservationis conditiones et leges ex intervallo adjectae retrotrahuntur et appositae censentur eodem tempore, quo variandi facultas fuit reservata, cum reservatio importet prorogationem perfectionis fundationis et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem, ita *Corrad. in prax. benefic. lib. 11. cap. 10. quaest. 5. n. 151.*

Die 14. Decb. 1771.

Pisana.

Juris indubii est, posse pios fundatores quascumque conditiones sibi benevisas caeteroquin possibiles et honestas nec juri divino vel naturali repugnantes apponere ex *cap.: Significatum 11. de praebend.* traduntque *Reiffenstuel. in jus canon. lib. 3. §. 4. num. 105. tit. 5, Card. de Luca de benefic. discurs. 65. num. 10* et s. Congregatio in *Montis Politiani Patrimonii sacri* 21. Julii 1821.*)

Die 14. Decbr. 1822.

Viterbien.

Exploratum est pios fundatores apponere posse quascumque conditiones sibi benevisas possibiles ceteroquin et honestas nec juri divino vel naturali aversantes, *cap. Significatum 11. de praebend., sac. Congr. in Montis Politiani Patrimonii sacri 21. Julii 1821* et in *Pisana Celebrationis missarum 14. Decembris 1822.* Impleri hujusmodi conditiones oportet, quia secus a tributo jure cadit, quisquis earum implementum neglexerit, *Glossa in L. 2. ff. de in diem adject., Rot. in Romana Caducitatis 8. Maji 1771. §. 1. cor. Mannelli* et haec *s. Congreg. in Romana 13. Februarii 1819.*

Die 12. Julii 1823.

31) Congrua.

Vd. *Beneficium* (sufficiens quod est?)

32) Confidentia.

Vd. *Benef.* (collatio simoniaca, decr. Pii IV. p. 450; et Pii V: *Intolerabilis* p. 455.)

33) Curatum.

(Collatio per concursum quando intercedit?)

Vd. *Beneficium* (collatio valida p. 503; collationis modus p. 423; divisio p. 518.) *Concursus pro collatione ecclesiar. paroch.*; p. 521 c.

Beneficia curata debent conferri per viam concursus, etiamsi, ut expresse dicit Concilium Trid. *sess. 24. c. 18. de ref.,*» cura ecclesiae vel Episcopo incumbere dicatur et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, cum vacatio per obitum vel resignationem etiam in curia seu aliter quomodocumque contigerit, etiamsi ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae romanae ecclesiae Cardinalium seu Abbatum vel capitulorum.« Per viam igitur concursus debent ex Concilio conferri beneficia curata, etiamsi sint jurispatronatus ecclesiastici. Immo si beneficium curatum jurispatronatus ecclesiastici in mensibus Sedi apostolicae reservatis vacaverit, Episcopus ipse Ordinarius nulla habita ratione patronorum debet edicta concursus proponere et idoneum eligere ac Romam mittere cum fide Ordinarii a summo Pontifice instituendum, sicut fit in aliis curatis, quae non sunt de jurepatronatus; sic referunt fuisse a sac. Congreg. Concil. decisum *Piasec. in praxi nova Episcopor. cap. 5. num. 17. in fine, Gonzalez gloss. 6. num. 116, Aloysius Riccius resolut. 351. vers. Amplia 6.* Et addit ad hunc concursum admitti debere tam nominatos a patronis quam alios, ut censuit sacra Congreg. in una *Florentina Paroch. de anno 1599*, quam declarationem secuta fuit *Rota in dicta Florent. de eodem anno 28. Maji coram Justo,* eadem *Rota dec. 458. num. part. 3. recentior. coram Sacrato 10. Decemb. 1612.* In qua decisione dicitur, quod dispensatio Concilii de habendo concursu procedit nedum in rectoriis de jurepatronatus ecclesiastico, verum etiam in vicariis perpetuis, ut fuit per eamdem sacram Congregationem resolutum, ut in copia resolutionis data. *Haec Rota ibi.* Intellige tamen concursum requiri in vicaria perpetua, quando in vicarium est translata totalis cura; secus vero quando est translatum solum exercitium curae; *Rota part. 2. recentior. decis. 579. num. 1 et decis. 710. num. 1 et par. 4. tom. 1. decis. 352. num. 6.* Dicitur autem *totalis cura* in vicarium translata, quando certa portio seu congrua assignatur rectori ecclesiae, caeteris fructibus remanentibus penes vicarium; et e contra, ubi certa portio seu congrua assignatur vicario, cura beneficii uniti dicitur translata in rec-

*) Vd. *p. 514.*

torem ecclesiae, cui fuit unio et solum nudum exercitium remanet penes vicarium; *Rota in Dertusen Vicariae 7. Novembris 1616. coram Ubaldo* et in *Barchinonen. Vicariae 17. Maji 1624. coram Merlino* et *par. 2. recentior. decis. 576. n. 3. in Ulyssiponen. Concursus coram Coccino decano* et *decis. 710. num. 3, in Ulyssiponen. Concursus coram Rembaldo.* Etiam beneficium parochiale jurispatronatus laicalis confertur per concursum inter plures praesentatos, si ipsi praesentati habeant aequales voces et tunc ex ipsis solum praesentatis, qui facto examine idonei ab examinatoribus renuntiati fuerint. Episcopus eum eligit, quem caeteris magis idoneum judicaverit atque illum et non alium debebit instituere;*) *Rota in Pampilonen. Parochialis 27. Januarii 1614. coram Coccino decano* et in *Illerden.. Porticonis de Pertusa 11. Decembris 1613. coram Buratto.* Immo etiam beneficia parochialia jurispatronatus laicorum, quae ab Episcopo ob praesentationem in tempore debito non secutam jure devoluto conferuntur, debent conferri per concursum, sac. Congreg. Conc. 29. Novemb. 1600. Praebenda theologalis**) et poenitentiaria in Cathedralibus debet conferri per viam concursus ex novissima dispositione Benedicti XIII. const. incip.: *Pastoralis, edita 1725 decimo quarto calendas Julii.* Josephus Maria Maraviglia in *lege 165. suae prudentiae episcopalis* haec habet: »Cum examen praecipiatur a Concilio tantum ad scientiae sufficientiam indagandam, quae sane unum est ex requisitis pro justa et recta beneficiorum collatione, cum tamen ipsa non sit omne requisitum, poterunt Episcopi aliis in aliquo concurrentibus requisitis illum postponere, qui in concursu perfectior in scientia fuerit inventus, et ideo ab ipsis non erit semper attendendus examinis rigor, cum possit contingere, aliquem virum sapientiorem esse moribus et vita improbiorem, in quo casu vitae probatio est semper praeferenda, ut res magis intrinseca statui ecclesiastico. Ubi vero in concurrentibus inveniantur caetera paria, sane rigor examinis attendendus, ne fiat personarum acceptio***) aut justitiae distributivae culpabilis laesio.

Sine concursu confertur beneficium curatum, quod vere est dignitas. Sic decisum fuisse ab eadem sac. Cong. refert *Gallet. in margarita casuum conscientiae* verb. *Beneficium p. 24* et verb. *Canonicus* ult.

Sine concursu conferuntur beneficia regularia*) curata, licet clericis saecularibus commendari solita, sac. Congregatio Concil. *3. Augusti 1600.*

Beneficia curata aut residentialia conferri nequeunt presbyteris aut clericis congregationis missionis. *Bened. XIV.* in constit. 69. incip.: *Quo magis* §. *4.*

34) Dapiferi.

(Reservatum Pontifici.)

Vd. Benef. reservat. SS. Pontifici juxta regul. cancell.

Dapiferorum beneficia esse reservata juxta decreta in IV. regula cancellariae, nam vigore motus proprii Dapiferi fiunt veri Pontificis familiares et quamvis eorum familiaritas ficta forsan videri possit, tamen in effectu reservatio tenenda est pro vera, cum Pontifex operare potest, ut quoad effectus juris fictus pro vero et proprio familiari habeatur. *Marescat. var. res. lib. 2. cap. 94. num. 13. in fin., Lotter de re beneficiar. lib. 2. quaest. 28. num. 60. et quaest. 32. n. 139, Rota decis. 104. lib. 1. et decis. 131. lib. 2. part. 3. divers. cor. Coccin. decis. 159. n. 14 et seq. et cor. Seraphin. decis. 851. n. 15* et praeterea etiam ficta familiaritas inducere potest reservationem. *Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quaest. 29. n. 16, Frances. variar. resolut. lib. 3. cap. 3. n. 20, Rota cor. Buratt. decis. 706. n. 7 et coram Coccino dec. 1059. dic. n. 7.* Et quia haec reservatio inducta est tantum ratione familiaritatis Pontificis, afficit solum beneficia obtenta ante et durante dicta familiaritate, et mortuo Pontifice, qui familiaritatem communicavit, non habet vim pro illis beneficiis, quae Dapifer postea obtinere potest, quia tunc jam est dissoluta familiaritas, quae fuit causa reservationis. *Spad. const. 36. n. 1 et per tot. lib. 3, Card. de Luca de benef. disc. 141. num. 5.* Demum cum in indultis Cardinalium excipitur vacatio ex morte conclavistarum, non excipitur propterea etiam vacatio per obitum Dapiferorum, nam Dapiferi proprie venire non possunt sub nomine conclavistarum, uti videri potest apud *Rigant. comment. in reg. cancell. reg. 11. tom. 1. §. 5. pag. 326. edit. Colon. 1751*, apud quem vide etiam caetera, quae diximus de reservatione beneficiorum Dapiferorum. Quoad vero regulam XXXII. cancellariae, qua praecipitur, ut impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis ejus consensum obtinere debeat, adverte, quod locum non habet in impetratione beneficiorum familiarium, qui simul conclavistae fuerunt; rationesque pro et contra hanc sententiam habes apud *Rigant. comment. in reg. cancell. tom. 3. reg. XXXII. §. 165. et seq. pag. 115. edit. cit.*

Si de beneficiis obtentis ante vel durante familiaritate Pontificis, in cujus conclavi Cardinalibus dapiferi inservierunt, certum est, non requiri consensum Cardinalis patroni, etiamsi vacatio evenerit post obitum illius Pontificis; nam Papae familiaritas nobilior est et ejus effectus semper durat.

Si vero agitur de beneficiis obtentis post mortem Pontificis electi in conclavi, in quo Dapiferi inservierunt, tunc Cardinalis patronus potest consensum praebere; nam morte Pontificis dissolvitur familiaritas. Si vero Dapifer annumeratus fuit inter apostolicos Protonotarios, etiam post mortem supradicti Pontificis ejus beneficia sunt reservata, nam protonotariatus est dignitas perpetua, quae inhaeret ossibus Dapiferorum. *Rigant. in reg. XXXII. cancell. t. 3. §. 235. et seq. pag. 119. edit. Coloniae Allobr. 1751.*

35) Difforme quod est?

Vd. *Beneficium* (sub eodem tecto etc. p. 383 n. 17.)

36) Dimissio.

Vd. Benef. (omissio.); p. 367. n. 13; p. 420. w.

Aretina.

Retentionem beneficii in conjugali statu postulare nequit Raffinius contra ss. canonum praescripta; nam qui ad nuptias convolat, eo ipse renunciare censetur beneficio, quod possidet, et jus amittit ad illud, ad quod passiva vocatione invitatur. Ita *Sanchez. de matrim. impedim. lib. 1. disput. 13. num. 4* et s. Congregatio *in Mantuana Capellaniae 16. Novemb. anni 1816.* Id ipsum agnovit Raffinius, cum inito matrimonio beneficium sponte dimisit, quod statim alteri nimirum Canonico Lippi collatum fuit.

Die 14. Junii 1817.

Terracinen.

Dimissio beneficii favore certae personae et sub reservatione jurium, nisi in manibus fiat summi Pontificis, simoniaca est; *Reiffenst. in jus canon. lib. 1. tit. 9. de renunc. §. 5. num. 108. et seqq., Paris. de resign. benefic. lib. 5. quaest. 6. num. 188 et seq. et de confiden. benefic. quaest. 27. num. 37, Barbos. de re eccles. lib. 3. cap. 15. de renunciat. num. 52. et seq., Ferrar.* in biblioth. verb.: *Resignatio num. 38* et *Rot. cor. clar. me. Crescentio decis. 292. per tot.*

Die 19. Septbr. 1789.

37) Dimittens beneficium amittit jus percipiendi fructus.

Fabrianen.

Amittit jus percipiendi statim ac beneficium reliquit, ut post *text. in cap. Relatum de testament., cap. Praesenti de offic. Ordin. in 6.* docet *Barbos. de offic. et potestat. Episcop. part. 5. allegat. 117. num. 6, Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 44. num. 23, Rota in Turritana Fructuum 5. Decembris 1755 §. 4. coram Stadion.*

Die 20. Mart. 1802.

38) Dismembratio odiosa.

Vd. *Dismembratio eccles. paroch.*; *Beneficium* (divisio p. 518.)

Massanen.

Nescit nemo, qui vel a limine sacros canones salutaverit, beneficiorum dismembrationem in jure esse odiosissimam, quippe quae alienationem sapiat, ut ajunt *Abbas ad cap. 3. ad Audientiam in 1. notabilium de eccl. aedif., Lotter de re benef. lib. 1. qu. 28. n. 4, Rot. p. 7. recent. decis. 68. n. 1.* Hinc nonnisi in subsidium ac gravissimis patentibus causis, quae sunt urgens necessitas vel evidens ecclesiae utilitas, permittendam docent juxta cap.: *Sine except. 12. quaest. 2, cap. Et hoc jus 10. qu. 2, Decius consil. 141. n. 1. vol. 2, Rota decis. 578. n. 117. part. 19.*

*) Vd. *p. 404. p; p. 411. q.*
**) Vd. *Praebenda theolog.*
***) Vd. *t. I. p. 170.*

*) Vd. *Beneficium* (saeculare, regulare.)

§. *2. recent.*, praesertim cum de parochialibus ecclesiis sermo est; nihil enim .magis alterat, quam divisiones seu dismembrationes, ut ait *Lotter. 'de re benef. lib. 1. qu. 28. n. 1.* Quod si talia adsint in causa dismembrationis, nulla esse posset contraria ratio quae illam impediat, s. Congr. *in Imolen. Dismembr. 8. Junii 1726, in Aquen. 13. Julii ejusd. anni, in Asculana Dismem. 15. Dec. 1719*, adeoque nec dissensus patronorum, ut eruere est ex ipso Trid. *sess. 21. cap. 4. de reform.*

Inter necessitatis et utilitatis exempla recensetur etiam magnus oppidanorum numerus ac nimia distantia a parochiali ecclesia. *Reiffenst. in lib. 3. decret. tit. 48.* §. *3. n. 12, Fagn. in cap. Ad audient. 3. de eccl. aedific. n. 14, Trid. synodus cit. cap. 4. sess. 21* et passim s. Congr. Verum adnotant doctores ob solum parochianorum numerum, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco ecclesiae parochialis, ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, quum succurri possit semper per unius vel plurium vicariorum deputationem, idque ex mente Trid. ad cit. sessionem tradit *Constant. Vot. decis. 343. n. 18 et seq., Rot. decis. 6. n. 18 et seq. cor. Ottobono.*

De distantia vero non ambigitur, quod causa dismembrationis esse possit. At quaeritur quaenam haec debeat esse. Qua in re, quamvis Abbas aliique nimiam videantur exigere distantiam, attamen ut adnotat *Fagnanus cit. loco n. 18* magna longinquitas non requiritur, sed solum talis, ut propterea parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad majorem ecclesiam, *Vanespen. in jus eccl. unio. p. 2. tit. 16. de aedific. eccl. n. 14.* cum *Rota decis 484. n. 2.* §. *1. recent.*, ubi advertitur, quod, cum jure statutum non sit, quanta debeat esse hujusmodi distantia ad hoc ut parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad ecclesiam accedere, id judicis arbitrio relinquitur. Ceterum grave incommodum eo fortius clarescere, quo asperitas viarum accedat, maxime in hyeme imbribus vel nivibus impedientibus, non dubitatur. *Gonzalez comm. ad cap.: Ad audien. n. 4, Fagnan. ibid. n. 1. et 2, Piton. disc. eccles. 160. n. 10. et 11. Constantin. Vot. cit. n. 11.*

Die 9. Maji 1840.

39) Dissimile quod est?

Vd. *Beneficium* (sub eodem tecto etc. p. 383. n. 17.)

40) Divisio.

a) Concessa.

Vd. *Benef.* (suppressio; dismemb.)

Marsorum.

Sacrorum ministrorum numerus jam ob publicas vicissitudines valde imminutus in dioecesi praesertim Marsorum, nunc vero ob auctam patrimonii taxam ex novissimo concordato inter s. Sedem et serenissimum Ferdinandum utriusque Siciliae Regem pene deficit. Licet enim, ut clericorum decenti substentationi provideretur, sapientissime constitutum fuerit, ut patrimonii taxa non minorem redditum 50 ducatorum monetae neapolitanae praebeat in singulos annos, tamen clericis ut plurimum adeo parva supellex est, ut sibi redditum hunc constituere nequeant. Ne igitur ex ministrorum defectu damnum percipiant oves suae curae concreditae, modernus Marsorum Episcopus supplex adiit s. hanc Congregationem postulans facultatem dividendi duas capellanias, quarum collatio et provisio ad se spectat, ut ita ex duabus quatuor constitutis titulus ad ordines recipiendos sufficiens quatuor clericis idoneis paretur.

Ejusdem Episcopi circa oblatas preces votum et informationem exquisivi, quae ita se habet: »*Capellaniae praedictae fuerunt a quondam Julio Caesare Lattare villae s. Sebastiani hujus Marsicanae dioecesis sub die 5. Februarii anni 1696 erectae hac inter alias apposita conditione ac lege, ut capellani omnes excepto uno d. Andrea di Luca ab ipso fundatore in altera illarum primo capellano designato in quacumque vacatione ab Episcopis Marsorum pro tempore in perpetuum eligerentur, dummodo tamen dioecesani sacerdotes essent bonisque vitae moribus ac virtutibus praediti, prout ipsis Episcopis conscientia ac prudentia sua suggesserint, ita tamen, ut si sacerdos aut clericus aliquis ex Ambrosio di Pietrantonio per lineam masculinam descendens existeret, hic in electione praeferretur.*

Linea masculina praefati Ambrosii jamdudum extincta nullus nunc extat ad dictas capellanias passive vocatus ac proinde liberum est hodie Marsicanis Episcopis sacerdotes dioecesanos sibi melius visos, prout in fundatione, ad ipsas eligere. Equidem in ultimis vacationibus alteram earum obtinuit sacerdos Vincentius Cambise, alteram sacerdos Joseph Addari hujus dioecesis et ob hujus obitum nuper sequutum una ex illis in praesentiarum vacat.

Ast quum in praesenti rerum statu haec Marsicana dioecesis pluribus indigeat sacris ministris, vix autem unus aut alter clericali militiae adscriptus sacrum patrimonium possit sibi constituere ob ejus redditum ultimo concordato hujus regni ultra medietatem antiqui patrimonii scilicet a viginti quatuor usque ad quinquaginta ducat. nostrae monetae auctum, qui quidem redditus et a publicis oneribus immunis esse et juxta organicas hujusmet regni leges non secundum peritorum, ut prius solebat, sed secundum catastri, quem provisorium appellant, aestimationem computari debet (hoc autem ad sexaginta tres ducatos usque redditum ipsum extendit,) capellaniam praedictam ut supra vacantem sicut et aliam, quando vacaverit, in duas aequales partes dividere easque clericis pauperibus, quibus alia media non suppetunt s. patrimonium sibi constituendi, aetate caeteroquin, scientia, morum honestate aliisque canonicis requisitis praeditis durantibus tantum circumstantiis assignare, ad hoc ut ad sacros ordines ipsarum titulo promoveri atque ecclesiae servitio mancipari possint, in votis habeo.

Si quidem capellaniae praedictae annuum singulae habent redditum ducatorum centum octaginta monetae hujus regni cum onere solvendi ex eis viginti novem circiter pro regiis collectis, capellam s. Antonii Patavini intus ecclesiam parochialem dictae villae s. Sebastiani erectam manutenendi ac necessariis supellectilibus in communi providendi necnon planas missas biscentum sexaginta pro qualibet ipsarum celebrandi.

Si igitur ex summa ducatorum nonaginta, quae dimidius est redditus cujusque capellaniae, quindecim circa demantur pro regiis collectis, quod reliquum est, nedum ad sacri patrimonii constitutionem juxta concordatum praedictum, verum et ad caetera onera sustentanda satis superque erit.

Porro quum haec omnia ad divini cultus ac religionis augmentum necnon ad fidelium aedificationem eorumque animarum salutem maxime conferant, ea per Vos mihi, Eminentissimi Patres, concedi posse arbitror.

Defunctorum pias voluntates exequutioni committendas esse nec ulla umquam ratione immutandas, nisi justa subsit causa, decrevit s. Tridentina synodus vetustiorum canonum vestigia sequuta *sess. 22. de reform. cap. 6.* Ubi autem justae causae id suadeant, nihil impedit, quominus romanus Pontifex piam immutet testatoris dispositionem, quemadmodum probat praxis hujus sacrae Congregationis, quae justa causa concurrente affirmative pro commutatione saepissime respondit. Porro in casu de quo agitur nihil immutatur quoad substantiam piae dispositionis, sed tantum circa modum. Cum enim fundator voluerit, ut duo essent capellani, Episcopus exorat ut quatuor hi sint et missas celebrent, quas in suffragium animae suae celebrandas constituit pius institutor.

Nec praetereundum est, quod defunctus, cum has duas capellanias fundaverit, non quidem sibi proposuit, ut duo capellani taxative missas celebrarent, sed *desiderando di disporre esso vivente per la salute dell' anima sua* piam institutionem peregit. Nihil ergo detractum foret saluti animae pii hujus defuncti, si a duobus vel pluribus sacerdotibus numerus missarum a se relictarum persolveretur.

Videant igitur eminentissimi Patres an servanda juxta literam sit fundatio vel potius Episcopi precibus sit annuendum. Dubium erit:

An et quomodo sit annuendum precibus in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Die 24. Novbr. et 22. Decbr. 1821.

b) Non concessa.

J. Agathae Gothorum.

(Conc. Tr. c. 9. sess. 25. de ref.)

Sub assertiva', quod Vincentius Limata ex una et fratres de Aloysiis ex altera partibus sint in possessione quasijuris praesentandi respective pro medietate ad beneficium sub invocatione s. Mariae et

Benedicti situm in ecclesia s. Erasmi oppidi Duratiani, quodque occasione vacationum semper controversiae gravissimaeque lites acciderint eaedemque prope diem immineant ex senio moderni beneficiati ac proinde decreverint ad bonorum beneficialium divisionem in duas partes aequales devenire ex iisque duo beneficia constituere, alterum sub titulo s. Mariae, alterum vero s. Benedicti, firmo remanente ad favorem uniuscujusque ex dictis familiis suo jure praesentandi, preces SS. D. N. ad hanc s. Congregationem remissas porrexerunt pro apostolico beneplacito reportando. Conquisitaque in praemissis Episcopi informatione idem retulit praefatum beneficium reperiri collatum per duo saecula sub duplici praedicta invocatione uni tamen beneficiato, prius de jurepatronatus familiae Severinae et postmodum de anno 1534 approbante Episcopo tunc temporis translatum in Gratianum de Ansis ejusque haeredes per viam donationis, ac de praedicto tempore fundatum enunciari in ecclesia s. Mariae et s. Benedicti, qua deinde ecclesia diruta translatum fuisse ab Episcopo in actu visitationis ad primo dictam ecclesiam s. Erasmi, ac in multis enunciativis antiquis in ecclesiis et plurali nuncupatione appellari; subinde vero haereditate Gratiani in duas partes divisa duos pariter ait informans effectos fuisse patronos de familiis oratorum, qui non sine jurgiis per sesquisaeculum praesentarunt; praemissorum veritatem subdit sese adinvenisse pervolutis processibus, qui reperiuntur post antiquum incendium archivi episcopalis, censuitque tandem valde expedire petitam divisionem, cum fructus beneficii ascendant ad annuos ducatos 80 divisi sufficientes ad sustentationem sacerdotis, necnon discordiae evitentur nullique fiat injuria et enixa patronorum voluntas accedat.

Sub die 23. Februarii prope defluxi proposita hujusmodi instantia rescriptum fuit, ut exhiberetur fundatio. Unde Episcopus denuo retulit, quod adhibitis diligentiis in processu, qui conservatur in archivo episcopali super hoc beneficio, deprehenderit diu allaboratum esse pro instrumento fundationis reperiendo, sed communem esse omnium fere in ea dioecesi antiquorum similium beneficiorum conditionem, ut fundatione carere dignoscantur neque scripturas in eodem archivo repositas praecedere annum 1525, quo tempore incendio consumpta omnia fuisse in illa civitate perhiberi. Cujusmodi hodie iidem oratores reiterarunt humillimas preces sub dubio ab EE. VV. decidendo:

An beneplacitum apostolicum sit concedendum in casu etc.?

S. C. resp.: *Negative.*

Die 15. Junii 1709.

Calaguritana.

(Conc. Tr. c. 13. s. 7. de ref.)

In villa s. Petri Manrique quatuor adsunt parochiales ecclesiae, prima sancti Michaelis undecim habet beneficiatores, altera s. Martini novem, reliquae duae, s. Mariae della Penna et s. Joannis Baptistae, sex pro qualibet. Hae omnes uti ecclesiae matrices alias viginti quatuor ecclesias habent filiales, in totidem locis et castris, quae Aldeas nuncupant, in districtu dictae villae s. Petri existentibus, atque in praefatis ecclesiis beneficiati matricibus adscripti ministrant et quamvis omnes triginta duo beneficiati unum capitulum seu collegium constituant, nihilominus unaquaeque ex matricibus ecclesiis suos distinctos habet redditus ex decimis provenientes, quos inter proprios beneficiatos distribuit; beneficia praedicta sunt patrimonialia et praesentatio filiorum patrimonialium facienda est a capitulo seu collegio beneficiatorum juxta leges a Clemente VIII. in suo brevi praescriptas pro universa dioecesi Calaguritana et EE. VV. in summario exhibendo. Verum quia, ut refert Episcopus, ex triginta duobus beneficiatis nunc non existunt nisi quatuor ex natis et baptizatis in viginti quatuor Aldaeis et reliqui viginti octo populares sunt dictae villae s. Petri et ideo in praesentationibus capituli praeferuntur nati in villa s. Petri, quamvis incomparabiliter populares Aldearum in numero excedant populares dictae villae s. Petri et plus in numero, pondere et mensura de decimis quatuor praefatis ecclesiis matricibus quam illi ex villa s. Petri persolvant, hinc Aldeae praefatae praevia commissione manu Sanctissimi signata supplicant EE. VV, ut dignentur Episcopo Calaguritano committere, ut ad mensuram decimarum, quas unaquaeque Aldaea solvit, numerum beneficiorum seu portionum beneficialium popularibus uniuscujusque Aldeae assignet, qui, si approbati sint, aliis omnibus in praesentationibus praeferantur, juxta resolutiones editas in *Calaguritana Juris eligendi seu praesentandi die prima Decembris 1685, in alia Calaguritana Beneficiorum die 30. Septembris 1702.* Quare monito procuratore beneficiatorum quatuor ecclesiarum villae s. Petri Manrique sequens EE. VV. dubium proponitur:

An sit locus distinctioni et divisioni beneficiorum pro rata decimarum et fructuum, qui solvuntur capitulo villae Manrique a populis viginti quatuor Aldearum dictae villae, itaut ad eadem beneficia in concursu sint praeferendi filii patrimoniales dictarum Aldearum in casu?

S. C. C. resp.:

Affirmative ad formam aliorum decretorum.

Die 2. Oct. 1717; 15. Jan. 1718.

Ad normam hujus resolutionis expeditum fuit breve cum solida clausula; »*salva auctoritate hujus sacrae Congregationis*« et in dicto brevi commissum fuit Episcopo Calaguritano, ut ad mensuram decimarum, quae a populis viginti quatuor Aldearum villae Manrique capitulo ejusdem villae persolvebantur, numerum portionum beneficialium populis praedictis assignaret et patrimoniales dictarum Aldearum, dummodo alias essent approbati, ad proprias portiones praeferri mandaret, servata in reliquis forma motus proprii Clementis VIII.; sed reclamante capitulo et beneficiatis quatuor ecclesiarum villae s. Petri Manrique, qui suas antecedenter non deduxerant rationes, et instantibus pro nova audientia, sacra haec Congregatio die 2. Decembris 1719 novam audientiam concessit et supersederi jussit in executione brevis, per sex menses a die intimationis in partibus faciendae computandos. Cumque hoc minime obstante plura dicantur gesta a curia episcopali, ex juribus circumferendis dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis sub die 15. Januarii 1718 in casu?*

II. *An et quomodo sit locus ulteriori purgationi attentatorum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I. Recedendum a decisis.

Ad II. dilata.

Die 13. Apr. 1726 et 6. Junii 1727.

Ad dub. I. An sit standum vel recedendum a decisis sub die 15. Januarii 1718 seu potius in secundo loco decisis sub die 13. Aprilis 1726 et sub die 6. Junii 1727 quoad negotium principale?

II: An sit standum vel recedendum a decisis sub die 6. Junii 1727 quoad attentata?

III: Et quatenus affirmative, an et quomodo sit providendum in casu?

S. C. C. resp. ad I: In secundo loco decisis et ad mentem; ad II: in decisis; ad III: provisum in superioribus et amplius.

Die 2. Julii 1729.

c) Multiplex.

Vd. *Beneficium* (dismembratio p. 517. n. 38.)

Beneficia ecclesiastica sunt multiplicia et varie dividuntur.

I. Ratione diversi status hominum, quibus conferenda sunt, dividuntur in *beneficia regularia et in beneficia saecularia.*

Beneficia *regularia* sunt, quae ex sui fundatione seu in consuetudine legitime praescripta competunt solis regularibus, et beneficia *saecularia* e contra alia, quae ex sui fundatione seu ex consuetudine legitime praescripta competunt solis clericis saecularibus. Unde nec beneficia saecularia possunt conferri clerico regulari nec beneficia regularia clerico saeculari; *cap.: Cum de beneficio 5. de praebend. in 6, c.: Cum ad nostram 37* et *cap.: Officii tui 38. de election.* Concilium Tridentinum *14. sess. c. 10. de reformat.* et *sess. 25. cap. 21. de regularibus.*

II. Ratione annexae curae animarum, administrationis et aliorum jurium dividuntur in *beneficia curata**) *et non curata.***) *Beneficia curata* sunt, quae habent annexam curam animarum; et *beneficia non curata* sunt illa, quibus nulla animarum cura est annexa. Beneficia curata sunt duplicis generis, scilicet alia, quae habent curam animarum in foro externo seu contentioso, quatenus habent jurisdictionem spiritualem visitandi, corrigendi, excommunicandi et alia hujus-

*) Vd. *p. 515. n. 33.*

**) In dubio: utrum beneficium sit curatum an simplex, praesumitur simplex, quia ad curatum multae requiruntur qualitates, quae proinde praesumi non debent, nisi probentur; *Guttierez alleg. 8. n. 5, Hejeda de incompatibil. benef. par. 1. q. 13. n. 2, Gonzalez in reg. 8. cancell. glos. n. 91* et alii.

modi praestandi juxta notabilem textum in *cap.: Dudum 54. §. Sed cum jure, de electionib.*, et haec solum large et improprie dicuntur beneficia curata seu habentia curam animarum, cum etiam non sacerdotibus, puta Archidiaconis, convenire possint, ut patet ex *cap.: Mandamus 6* et *c. Ad haec 7. de offic. Archid.* Et alia, quae habent curam animarum in foro interno seu animae, quatenus habent potestatem ligandi et solvendi in foro poenitentiali simulque subditis suis administrandi ecclesiastica sacramenta in foro interno et externo, qualia habent omnes parochi quocumque nomine nuncupentur, et talia dicuntur stricte et proprie beneficia curata. *Rota in una Conchensi Archipresbyteratus 29. Januarii 1594 cor. R. P. D. Penna.*

III. Beneficia ecclesiastica alia sunt *duplicia* et alia *simplicia*. Beneficia duplicia sunt illa, quae vel curam animarum habent annexam vel quandam jurisdictionem, praecedentiam sive administrationem adjunctam continent, ut sunt dignitates, personatus et officia. Licet enim beneficia non curata saepius appellentur simplicia, tamen rigorose loquendo et indistincte id non recte dicitur neque subsistit, nisi benigne interpretetur, cum de facto dignitas, v. gr. personatus et officium curam animarum non habeant annexam, nec tamen vere loquendo sint beneficia simplicia, sed duplicia propter adjunctam eis administrationem vel praeeminentiam. *Dignitas enim est praecedentia cum jurisdict.*, ut sunt v. gr. abbatia, archidiaconatus, decanatus et hujusmodi; et licet alicubi de consuetudine istae dignitates non habeant jurisdictionem, adhuc tamen dignitates censeri debent ex praxi, quamvis de jure sine ulla jurisdictione non sint tales.

Personatus est praecedentia sine jurisdictione et talem personatum habere dicuntur, qui in ecclesia in capitulo et aliis honoribus praecedunt Canonicos.*)

Officium vero est administratio rerum ecclesiasticarum sine alia speciali praecedentia et jurisdictione, ut sunt thesaurarius, custos, sacrista et hujusmodi. Sic *glossa in cap.: Consuetudinem 1. de consuetudine in 6.* Unde patet, quod rigorose loquendo ista non sunt proprie beneficia simplicia. Immo, ut observat *Engel. lib. 3. tit. 5. de praebend. et dignit. num. 5.*, plerumque neque canonicatus veniunt nomine beneficiorum simplicium; Canonici enim tenentur ad personalem residentiam ex Trident. *sess. 24. cap. 12. de reformat.* et majorem prae caeteris clericis praecedentiam habent, *cap.: Statutum 22. de election. in 6* et ideo vi provisionis apostolicae de conferendo beneficio simplici alicui non potest ei conferri canonicatus; *arg. cap.: Quamvis plenissima 4.* et *cap.: Cui 27. de praebend. in 6.*

Beneficia simplicia sunt illa, quae neque curam animarum neque dignitatem neque personatum neque officium adjunctum habent sed tantum sunt instituta ad preces Deo persolvendas et de talibus beneficiis solummodo sunt intelligenda rescripta pontificia, quae mandant, aliquem de beneficio simplici esse providendum, nam beneficium habens aliquid praedictorum annexum non est simplex; adeoque non potest ipsi conferri in vim talis rescripti; *arg. cap.: Quamvis plenissima 4, c.: Cum in illis 16* et *c.: Cui 27. de praebend. in 6.*

Beneficia ecclesiastica adhuc dividuntur in *electiva*, in *patronata* et in *collativa*.

Beneficia electiva sunt illa, quae conferuntur per electionem legitime celebratam atque a Superiore confirmatam. *Patronata* sunt illa, quae ad patroni praeviam praesentationem et subsecutam institutionem a praelato factam conferuntur. *Collativa* seu *liberae collationis* sunt illa, quae per liberam Superioris collationem sine praevia capitulari electione et alterius praesentatione conferuntur.*)

Insuper beneficia alia sunt *manualia* seu *ad nutum revocabilia* et alia *non manualia seu titularia*, quae in titulum perpetuum conferuntur.

Manualia sunt illa, quae ad nutum alterius possunt auferri, ideoque dicuntur manualia, quia in alterius manu et dispensatione stat illa relinquere vel auferre et haec rigorose loquendo non sunt proprie beneficia, cum de natura beneficii proprie dicti sit, ut institutus in eo perpetuo duret, *cap.: Sanctorum 2. dist. 70.*

Non manualia seu titularia sunt illa, quae conferuntur in perpetuum.

Beneficia inspecto officio dividi queunt in *majora* et *minora*.

Majora dicuntur, quae dignitatem aliamque praerogativam honorisve ecclesiastici gradum habent. *Minora* vero, quae in simplici officio sine tali praeeminentia subsistunt. *Majora* rusus diversimode dicuntur ratione dignitatis. *Dignitates ecclesiasticae* primarie hae sunt: Primum locum occupat pontificatus; secundum cardinalatus; tertium patriarchatus vel hodie primatus: quartum archiepiscopatus; quintum locum episcopatus: sextum abbatia et praepositura in primis exempta et episcopalibus infulis decorata, *Bohemer. in dec. l. 3. tit. 3. a §. 9. ad 63.*

In capitulis quoque dantur dignitates, quibus annexa beneficia ad majora referuntur. Huc pertinet praepositura, decanatus, archipresbyteratus, archidiaconatus, primiceriatus etc. At standum consuetudini; vide eumdem *Rohemer. loc. cit. a §. 65. ad §. 71.*

Canonici quoque in cathedralibus ecclesiis in adeo sublimem locum evecti sunt, ut in oppositione ad reliquos clericos non Canonicos dignitatem quamdam habere videantur. Canonicatum cathedralis ecclesiae asserit *Barbosa de Canon. cap. 19. num. 1* posse dici dignitatem non stricto sed lato significatu. Duplex autem est effectus hujus observationis:

1) Quod Pontifex soleat etiam Canonicos delegatos judices dare, quum alioquin has vices tantum his, qui in dignitate constituti sunt, concedere soleat; *cap. 11. de rescript. in 6. 2.* 2) Quatenus considerantur collective sumpti in capitulo, prae aliis Praelatis locum tenent. Singuli autem iis cedunt, qui dignitate ecclesiastica stricte dicta instructi sunt; *Schilter instit. canon. lib. 2. tit. 7. §. 19, Barbosa tract. de Canon. c. 18. n. 44. et seqq. n. 16.*

Inspecto officio beneficia dividuntur in *curata* et *sine cura*, puta animarum. Rursus in *residentialia* cum onere residendi et *simplicia sine residendi onere*. Demum in *compatibilia*, quae simul ab uno retineri possunt, et *incompatibilia*, quorum scilicet simultanea retentio uni est prohibita.

Dividuntur etiam beneficia inspectis personis conferentibus in *reservata* vel *affecta*,*) quae nimirum pertinent ad collationem Pontificum, et *non reservata* nec *affecta*. Alia sunt *electiva*, quae ad alicujus electionem conferuntur, alia de *jurepatronatus*, quae ad patronorum praesentationem, et *collativa* alia, quae ad liberam Ordinarii vel alterius collationem pertinent.

d) A Vicario generali.

Firmana.

Etsi Canonistae doceant Vicarium Episcopi vigore mandati generalis beneficiorum divisionem peragere minime posse, hoc tamen nulla lege dictante tradunt, sed ex quo divisio beneficiorum habetur inter ardua, quae ex regula tradita *in cap. 2. de penit. et remiss. in 6* in generali concessione non veniunt, utpote quae non esset quis verosimiliter concessurus.

Die 29. Julii 1837.

41) Dos.

Vd. *Beneficium* (erectio — dos —; sufficiens quod est?)

42) Duplex.

Vd. p. 522. III.

*) Personatus seu beneficium personale dicitur etiam illud, quod instituitur ex redditibus certis et stabilibus auctoritate Episcopi in favorem alicujus personae, quae sola vel alii duo aut tres juxta voluntatem fundantis obtineant illud et postmodum cesset beneficium et illi redditus in alia opera pia convertantur juxta mentem ipsius. Haec beneficia non sunt de jure communi, cum non sint perpetua, sed ab eo jure exorbitantia. At ecclesiastica sunt, cum auctoritas Episcopi requiratur et fundentur in bonis stabilibus et Papa possit concedere, ut sint ecclesiastica, licet collatio non fiat ab Ordinario et consuetudo immemorabilis, quae certe circa illos personatus datur, id ipsum praestare possit. *Concil. Taraconense ann. 1591 inter Hispan tom. IV. pag. 524* haec habet: »Licet personatus sive personalia beneficia ideo nuncupata sint, quod non ut in perpetuum beneficia remanerent, sed ad vitam aliquarum personarum ecclesiasticarum dumtaxat instituerentur etc., nullus personatus seu personale beneficium sine auctoritate et decreto Episcopi erigatur.« Hinc in his beneficiis committitur simonia, quando in aliis committitur. Obligant sicut alia ad recitationem officii canonici. Poscunt esse prima tonsura initiatum eum qui ea obtinet. Vacat beneficium id, si ille maritetur. Cum quis instituit personatum cum animo interno permutandi illum cum beneficio ordinario, non committit simoniam. Quod si illud fundét cum pacto inito cum alio beneficiato permutandi eum cum beneficio illius, stando regulis communibus est simoniaca pactio, cum omnes hujusmodi pactiones in permutatione et fundatione beneficiorum sint reprobatae jure ecclesiastico; *cap.: Tuae de simonia; cap. fin. de pact*, et saepe alibi. Si tamen alicubi factum exstaret in contrarium, ut de provincia Taraconensi testatur P. Mendo in epitome, verb.: *Beneficium num. 18*, ubi talis viget consuetudo, scientibus viris doctis et timoratis, nec referuntur eae pactiones Ordinario, cum sit permutatio, dicendum erit, sicut Papa potuit facere, ne illae pactiones essent simoniacae, ita consuetudinem immemorialem id praestitisse; alias a labe simoniae nunquam posset excusari.

*) Vd. *p. 413. III; p. 423. III.*

*) Vd. *p. 366. n. 11.*

43) Ecclesiasticum.

Vd. *Capellania.*

a) Definitio.

Vd. *Beneficium eccles.* (quod est? p. 530)

Beneficium ecclesiasticum juxta canonistas est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione spiritualis officii personae ecclesiasticae auctoritate ecclesiae constitutum: colligitur ex *cap.: Cum secundum apostolum 16. de praebend.* et ex *cap.: Si quis amodo 16. dist. 18.*

Theologi definiunt beneficium: Jus perpetuum in ecclesia ministrandi auctoritate Episcopi constitutum cum annexo atque inseparabili jure percipiendi fructus ecclesiasticos. Secundum igitur canonistas beneficium consistit principaliter in jure percipiendi redditus et accessorie in jure ministrandi seu officium obeundi. At juxta theologos in jure ministrandi principaliter, accessorie vero in jure percipiendi redditus. Definitionem a canonistis traditam tuetur *Gagliard. de benefic. num. 2. et duob. sequent.*

b) Divisio.

Vd. p. 521. c.

c) Dubium.

Lauretana.

Clericus Marcus Tullius Pignotti à legitimis patronis anno 1852 nominatus ad capellaniam ex testamentaria dispositione Joannis Antonii Fortuna anno 1691 in Lauretana Basilica erectam duplicem cum ejus possessionem obtinuit taxam exsolvere coactus est; alteram uti de capellania *ecclesiastica* curiae episcopali ob bullarum expeditionem et canonicam institutionem nominato datam, alteram tamquam de capellania *laicali*, officio seu directione, quam vocant *del bollo e registro* titulo successionis. Cum itaque duplici huic solutioni error facti causam dederit, vel ex parte curiae episcopalis, quae capellaniam ecclesiasticam, vel ex parte directionis *del bollo e registro*, quae laicalem existimavit, hinc clericus Pignotti supplici huic sac. Congregationi oblato libello institit, ut quid circa capellaniae naturam sentiendum sit, definiatur; illud etiam postulans: »che nel caso probabile che la capellania venga dichiarata laicale abbia la bontà (s. Congregatio) di ordinare, che questa curia vescovile restituisca tutta la somma indebitamente percepita nella spedizione non richiesta delle bolle la quale ascende a scudi 32. 30.

Supplicem libellum ad Episcopum pro informatione et voto remisi, a quo una cum particula fundationis promotoris fiscalis *allegationem* accepi curiae propitiam, cui ipse Episcopus adhaeret.

Jam vero ita se habet fundatio: »Per ragion di legato voglio che due anni dopo la mia morte si debba eleggere un capellano, siccome io adesso per allora istituisco (riservato il beneplacito apostolico et di altri superiori, in caso vi sia bisogno et non altrimenti, nè in altro modo) al quale si conceda per entrata la rendita della casa.. con condizione però, che la capellania sia perpetua, la quale dovrà essere eretta in questa chiesa cattedrale di Loretto, con peso di celebrare quattro messe la settimana. Il capellano di essa voglio che sia la prima volta il sig. D. Regolo Magnifici il quale mi contento che possa celebrare dette messe dove a lui parerà e piacerà.. ma dopo la di lui morte i capellani per sempre in perpetuo siano tenuti ed obligati celebrare in questa chiesa... La nominazione di detta capellania dopo la morte del suddetto Signor D. Regolo dovrà farsi dall' infrascritta mia erede usufruttuaria, con piena facoltà alla medesima di poter cedere trasferire detta nomina a chi a lei piacerà... dopo la morte della quale dovrà detto capellano pro tempore in detta capellania celebrare cinque messe la settimana in perpetuo, con espressa condizione, che nè la santa casa di Loreto, nè tam poco Monsig. Vescovo di Loreto e Recanati, nè altre persone siano di qualsiasi condizione anche della Corte Romana, possino mai ed in qualunque tempo, ed in qualsivoglia capo o titolo acquistare alcun jus sopra la detta capellania, nè in essa intromettersi o ingerirsi; ma sia come sopra assoluta padrona la mia erede usufruttuaria, o chi lei rinuncierà o cederà detta nomina etc.

Ne quid plenae rei cognitioni desit juverit heic ex promotoris relatione exscribere factorum ac nominationum seriem, quae quoad capellaniam Fortuna observantiam constituunt. Haec itaque narrat promotor:

»Il giorno 11. Marzo 1691 morì il Fortuna, e la superstite sua consorte diede piena esecuzione alla mente di esso testatore, e da quell' epoca prese origine la capellania, che ad instanza del sacerdote D. Regolo de Magnificis primo capellano nominato venne nelle forme canoniche e con l'autorità e decreto dell' Ordinario eretta in questa Basilica, ove s'istituì e si fondò dal testatore, conforme apparisce da talune memorie ed indicazioni autentiche di antica data, risultanti dagli atti analoghi esistenti in questa cancellaria, fra i quali però non si rinviene l'analogo processo di erezione, d'istituzione e possesso del suindicato primo capellano de-Magnificis; processo che conviene ritenere essersi negli andati anni remoti smarrito insieme a molti altri, de quali sono mancanti gli atti di cancelleria.«

Hinc meminit, Margaritam Sassi in vim facultatis sibi ex testamento tributae instrumento diei 15. Martii 1694 jus nominandi contulisse in familias Fortunas, Buffardi et Sassi seu Orlandi alternatim ac per turnum exercendum.

»Il suddetto (prosequitur) primo capellano D. Regolo Magnifici passò a miglior vita nel giorno 18. Giugno del 1719; ed i nuovi compatroni Fortuna nominarono in capellano il sacerdote D. Saverio Fortuna loro Fratello. Possedè questi pacificamente fino a che visse la sunnominata capellania, e lui defonto nel giorno 11. Febbrajo 1730 la famiglia Buffardi nominò in capellano il sacerdote Michelangelo Buffardi, che in egual modo pacificamente qual rettore fruì delle rendite della medesima capellania.

Passato ancor questi nel primo Gennajo 1764 amiglior vita, le famiglie Politi, Mariotti, e Guardabasso, allegandosi discendenti dai conjugi Clementina Sassi, e Sebastiano Orlandi patroni di terzo turno nominarono un tal D. Bernardino Politi. I discendenti Fortuna, ritenendo estinta la linea del terzo, nominarono in capellano. D. Vincenzo Fortuna; da ciò insorse tra essi ostinatissima giudiziaria contestazione, che con vario evento fù discussa nel tribunale vescovile di questa città, avanti quello della segnatura e della sagra Rota. In perduranza di tale accanito conflitto morì il detto Benardino Politi e con bolla apostolica del 23. Settembre 1765 si conferì la detta capellania al ridetto D. Vincenzo Fortuna. In seguito il terzo turno presentò e sostituì il sacerdote D. Vincenzo Palmigiani.

Si diè poi termine ad ogni contestazione mediante transazione del 10. Maggio 1766 per gli atti del Notaro Aurelio Francesconi di Loreto, la quale venne approvata da breve apostolico della s. m. di Clemente XIII. del di 17. Novembre 1766.

»Il Palmigiani rinunciò alla nomina, e venne rattificato il dritto nel terzo turno, il quale aderì alla nomina del Fortuna, che ne fù il capellano sinche visse.

»Il giorno 31. Juglio 1759 morì il capellano D. Vincenzo Fortuna. Secondo il convenuto nella detta Transazione doveva in allora nominare il nuovo capellano il primo turno; il secondo turno si credeva in diritto d'avere esso detta nomina, si suscitò anche in allora per tali pretese causa formale in questa curia vescovile. Venne però sanzionata la nomina del secondo turno, ed il chierico Angelo Secci, da questo nominato, fù immesso al possesso della detta capellania. Nell' anno 1815 si spogliò il Secci dell' abito clericale, e si ascrisse spontaneo all' armata in allora del regno d'Italia.

»Fù perciò che il chierico Luigi Politi di Loreto, riportate le nomine del terzo turno impetrò dalla santa Sede la detta capellania, dalla quale per la surriportata ragione di avere abbandonato lo stato clericale era decaduto il Secci, ed in virtù di bolla apostolica dell 13. Ottobre 1815 resa esecutoria da decreto di questo tribunale vescovile 10. Gennaro 1816, fù nelle prescritte forme immesso sotto il dì 15. Gennaro suddetto dal cancelliere vescovile al possesso della ridetta capellania.

»Investito l'indicato sig. chierico Politi della medesima, umiliò istanza alla sagra Congregazione del Concilio per essere abilitato ad imporre un censo in sorte di sc. 300 sulli beni dell' indicata capellania, all' oggetto di supplire con detta somma alle spese occorrenti per i restauri, e miglioramenti dei fondi della medesima. Il sullodato sagro consesso con Ven. rescritto del 26. Aprile 1817 annuì alla richiesta, rimettendone l'essecuzione all' Ordinario di Loreto, dal quale nel giorno 11. Febbrajo 1818 si pronunciò l'analogo decreto in senso favorevole alla dimanda, senza che i patroni della capellania su di ciò fossero menomamente interpellati.

Passato il suddetto capellano Politi nel giorno 17. Ottobre 1840 a miglior vita, i patroni del primo turno, a favore dei quali facevasi luogo a nominaro il nuovo capellano, e rettore, nominarono il chierico Fer-

dinando Pignotti di Loreto, chiedendo nelle stesse nomine, che dall' Ordinario Loretano venisse nelle forme canoniche istituito ed investito della suddetta capellania ed immesso al possesso della medesima.

Con apposita comparsa del giorno 15. Febbraro 1841 si esibirono in questa cancellaria vescovile dal suddetto chierico allora minorenne, coll' assistenza ed intervento del di lui padre Giuseppe Pignotti, uno fra i padroni nominati, i fogli contenenti le nomine dai medesimi ottenute, e si tornò a richiedere al prelodato monsignor vescovo la canonica istituzione ed immisione al possesso della ridetta capellania a favore del nominato.

Presso ciò furono esauriti tutti gli atti di prattica che sogliono aver luogo nelle istituzioni alle capellanie ecclesiastiche; ebbe luogo l'affissione degli analoghi Avisi, e la citazione ad valvas, nella quale si riconfermò la domanda per la spedizione della bolla ossiano lettere d'istituzione, e per il corrispondente possesso. E tali lettere del lodato monsig. vescovo vennero rilasciate sotto il di 3. Marzo 1841, ed in sequela di esse si effettuò nel successivo giorno l'atto di possesso colle forme e modi coi quali si danno i possessi delle ecclesiastiche capellanie.

A causa che i fondi Urbani costituenti il Manso della preaccennata capellania richiedevano pronti e costosi restauri, il suindicato chierico col consenso, ed assistenza del preindicato suo genitore rinunciò alla suddetta capellania, rassegnandola interamente nella mani del prefato Monsignor Vescovo, con comparsa emessa negli atti di questa cancellaria vescovile sotto il di 13. Ottobre 1843; rinuncia, che il giorno medesimo e senza altra formalità venne ammessa, ed accettata con decreto di Monsignor vicario della stessa curia vescovile.

Consequentemente a ciò il prelodato Monsignor Vescovo di sua autorità sospese la nomina di detta capellania, e senza alcuna dipendenza dei patroni, nominò un amministratore ai beni della medesima, onde provedesse agli occorrenti restauri, ed adempisse a quant' altro era inerente alla capellania stessa, compresa la celebrazione delle messe.

Continuava ancora la indicata amministrazione quando nell' anno 1850 Sebastiano Politi uno dei detti patroni umiliò istanza al santo Padre, onde ottenere la continuazione di tale sospensione, la reduzione delle messe e la facoltà di potere esso fruire per un quinquennio delle rendite della stessa capellania dopo dimessi i pesi ed avere adempiuti gli oneri a quella inerenti. Con rescritto di cotesta sacra Congregazione del dì 17. Febrajo 1851 reso esecutorio con decreto del di 6. Agosto di detto anno dall' Ordinario di Loreto si annuì alla domanda del Politi.

Post haec ea narrat quae ad nominationem et institutionem clerici Pignotti referuntur. Nec tandem praetereundum existimet: »Che la summentovata capellania venne anche nell' anno 1851 confermata come ecclesiastica, dacchè in seguito di venerata Ordinanza della sagra Congregazione de' Vescovi e Regolari sulla Tassa imposta sopra i beni ecclesiastici, vennero in detta Tassa compresi anche quelli che costituiscono la dote della suddetta capellania, e la Tassa del capellano è stata senza reclamo sempre soddisfatta.«

Jam vero promotor fisci tum ex dispositione testamentaria tum maxime ex iis omnibus, quae retulit, capellaniam de qua agitur ecclesiasticam esse propugnat. Id enim juxta ipsum suadent peculiaris dos, proprius titulus, designata ecclesia, certum missarum onus, perpetuitas; quae quidem adjuncta conveniunt capellaniae juxta doctrinam s. *Rotae in Papien Beneficii 28. Januarii 1754 coram Borullo* et s. Congregationis *in Firmana 8. Augusti 1767* §: *Contendit.* Praeterea vocatio ab ipso fundatore facta sacerdotis ac injunctum successoribus capellanis onus celebrandi id est per se praescriptum missarum numerum fundatorem ostendunt de re ecclesiastica cogitantem, ceu docet *Piton. de contr. patr. alleg. 33. num. 16.* Quibus accedit decretum erectionis ab Ordinario latum: bona enim ex legitima dedicatione facta Deo per Episcopum a ceteris separantur et divini juris efficiuntur, *cap.: Ad haec de relig. dom.* Adde ceteros actus pacifice exercitos, uti sunt praesentationes patronorum, canonicae institutiones, decreta curiae de immittendo collationes aliquando a Sede apostolica factae, solutio taxae super bonis ecclesiasticis anno 1851 imposita aliaque hujusmodi, quae quidem omnia omnino abhorrent a natura laicalis capellaniae, ceu cumulatis auctoritatibus traditur a s. Congregatione in *Sabinen. Exequutionis literarum apostolicarum 14. Januarii 1804.* §: *Nunc,* et in *Pisauren. Capellaniae 15. Martii 1845* §: *Capellaniam.* Tandem nec praetereunda peculiaris circumstantia, qua capellanus Secci anno 1815 ob dimissionem vestium clericalium et adscriptionem militiae a capellaniae possessione decidit: cum aliunde compertum in jure sit capellanias laicales etiam a laicis posse retineri. Ex quibus concludit, quod aut capellania ex lege fundationis censenda sit beneficium ecclesiasticum aut saltem, quod ex contraria observantia nedum quadragenaria, quae sufficeret, sed imo centenaria omnino immutata sit ipsius indoles, quae contra ipsam fundationem praescribitur, quando per legitimum praescriptionis tempus collationes et institutiones factae fuere, ut docet *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 2. num. 28, Garz. de benef. part. 6. cap. 10. numer. 37,* s. Congregatio *in Signina Beneficii 2. Augusti 1711* et traditur in *cit. Sabinen. 14. Januarii 1804* §: *Nunc.*

Hinc non officere verba licet effraenatissima a testatore adhibita ad exprimendam laicalem capellaniae naturam, sive quia testamentariae dispositioni e contraria consuetudine legitime praescripta derogatum esset sive quia in hisce materiis interpretandis non tantum quod dixerit sed quod voluerit ac contra fecerit testator attendendum est; nam verborum cortici non est inhaerendum sed fundatoris sententiae, *ex leg scire penult. ff. ad exhib.*, sive demum quia facta omnia quae subsequuta sunt, praesertim interposita in erectione capellaniae auctoritas Ordinarii et collationes ac institutiones, evenere annuentibus et consentientibus nedum capellanis sed et ipsa haerede usufructuaria testatoris uxore, cui juspatronatus primo relictum est, et successoribus patronis, quibus amplissimae datae sunt super eadem capellania facultates *»ma sia assoluta padrona la mia erede usufruttuaria, o a chi lei rinuncierà o cederà detta nomina di essa capellania.«* Ac sane hujusmodi verba peremptoria viderentur, ut patronorum, praesertim haeredis usufructuariae ac primi capellani, cujus rogatu decretum latum est erectionis, factum sit attendendum, quibus nempe voluntas defuncti prae ceteris nota praesumitur. *Piton. de contr. patr. alleg. 31. numer. 26.* In dubio demum capellaniam censeri ecclesiasticam, quia hoc est magis favorabile ipsi capellaniae magisque consentaneum fundatoris sententiae tradit *Rota part. 3. recen. decis. 13. num. 10, Monoch. vol. 1. caus. 99. num. 122, Barbosa de univers. jur. lib. 2. cap. 3. num. 1* et *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 2. num. 15.*

E contra vero clara sunt indicia et argumenta, quae capellaniam laicalem esse revincunt. Cum enim id potissimum dijudicandum veniat ex voluntate fundatoris, profecto quae ipse adhibuit in testamento verba satis superque manifestant laicalem erectionem capellaniae eum in animo habuisse; nedum enim canonicam ipse non requisivit erectionem aut Ordinarii auctoritatem sed Ordinarium ipsum et quoslibet ecclesiasticos superiores diserte exclusit. Ubi autem verba ista per se aperta sunt, ut quamlibet excludant ambiguitatem interpretationis, locus non datur nec voluntatis quaestio admittenda est, ceu monet *Paulus in leg. 26. ff. de leg. 3.* Simplex autem missarum onus impositum magis laicali quam ecclesiasticae convenire capellaniae docent *Gonzales ad reg. 8. cancell. gloss. 6. num. 20.* Et designatio ecclesiae, imo et altaris, constitutio dotis, perpetuitas aliaque hujusmodi adjuncta aequivoca semper habita sunt ecclesiasticae capellaniae signa ac nil habenda sunt, cum de contraria voluntate fundatoris manifesto constet. *Lotter de re benef. lib. 1. cap. 5. num. 16, Piton. de contr. patr. alleg. 87. num. 16.* Pariter ex injuncta celebratione missarum ac ex nominatione sacerdotis in primum capellanum ab eodem fundatore peracta perperam ecclesiasticae capellaniae natura inferretur. Nam praeterquam quod fundator Sacra haud *per se* litari opportere capellanis injunxerit, ex hoc praeterea id unum sequeretur, quod nimirum capellania, licet mere natura sua sit laicalis, quoad personam tamen nominandam sacerdotalis aut ecclesiastica censenda sit; de qua quidem plura extant exempla, ut videre est in *folio* s. Congregationis in *causa Urbevetana 27. Decembris 1784.* Qua posita interpretatione nullam facessit difficultatem, quod capellanus Secci a capellaniae possessione caducatus ob vestium clericalium desertionem declaratus fuerit.

Cum igitur constet de patula fundatoris voluntate mere laicalem capellaniam instituendi, nullius ponderis habenda videretur subsecuta beneficii ecclesiastici erectio, quae asseritur ab Ordinario facta rogante primo capellano ac haerede usufructuaria consentiente, quia non potest Ordinarius etiam de consensu patronorum vel haeredum volunta-

tem testatoris immutare et pium legatum ceu capellaniam laicalem ab eo relictam in beneficium ecclesiasticum erigere, ceu docent *Ursaya disc. eccles. 15. num. 20. tom. 1. part. 1.* ac pluries definivit s. Congregatio uti in *Camerinen. Capellaniae 21. Novembris 1772. ad I. dub., in Viterbien. Capellaniae 23. Novembris 1765,* ubi ad dubium:

An capellania sit ecclesiastica, ita ut sustineatur erectio facta ab Ordinario et institutio?

Responsum prodiit: *Negative in omnibus et amplius.*

Quin difficultatem faciant amplissimae datae patronis facultates super eadem capellania, quas ita interpretari oportet, ut intra limites versari deberent exequutionis voluntatis fundatoris, quam a capellania ecclesiastica alienam fuisse probatum est. Aliunde vero notatu dignum est non exhiberi a promotore fiscali assertum erectionis decretum, quod deperditum asseritur ac erectionis probatio eruitur tantum ex documentis in archivo curiae asservatis, ut adeo probabile sit hujusmodi decretum non respexisse erectionem capellaniae in beneficium ecclesiasticum, sed simplicem approbationem aut acceptationis actum, quae profecto laicali capellaniae non repugnat ac interponi debet in quibuslibet legatis piis ex praescripto s. m. Urbani VIII., Innocentii XI, ceu notat Benedictus XIV. *de synod. dioec. lib. 13. cap. ult. num. 13.*

Cum enim Episcopus sit legatorum piorum exequutor, proinde ejus auctoritas interposita hoc in casu in id tantum intendit, ut judicet num legatum pium sit necne utile ecclesiae, cum possit secus illud repudiare, uti docet *Barbosa de universo jur. lib. 3. cap. 30. num. 45. et 16, Amost. de causis piis lib. 1. cap. 12. num. 42.*

Id ipsum porro sentiendum videretur de institutionibus capellanorum ab Ordinario datis aut collationibus ab apostolica Dataria peractis, cum hujusmodi actus nequeant nativam capellaniae qualitatem immutare, ceu docuit s. Rota *in Romana Capellaniae 3. Julii 1731. §. 13. coram Amadeo,* neenon s. Congregatio censuit *in Florentina Capellaniae 19. Decembris 1730* et in *Urbinaten. seu Ariminen. Capellaniae 3. Februar. 1759,* quos ideo ex errore dumtaxat intercessisse praesumendum est.

Hinc posthabenda videretur observantia fundationi contraria ab hujusmodi actibus elicita ex eo etiam, quod in jurepatronatus versemur gentilitio; praescriptio non inducitur ex communi doctrina, ad *text. in leg. filius familias §. Divi ff. de leg. 1.* nec factum antecessoris praejudicium infert successori jure suo utenti, ut ait *Piton. de contr. patr. alleg. 11. num. 22,* ac in consimili quaestione perpenditur in folio s. Congregat. *in cit. Pisauren. Capellaniae 15. Martii 1845. §: Spernit.* Eoque magis in casu, quo cum perspecta sit fundatio deesse videretur justus titulus ad praescribendum necessarius. Denique si quid in casu dubii snpersit ratione observantiae, plane fundationis legi, quae in casu perspicua est, adhaerendum foret. Sacra enim Congregatio, quidquid in beneficiorum legatorumque constitutione sancitum est, persancte custodiendum et a quavis contraria consuetudine vindicandum constantissime suscepit, s. C. *in Romana Capellaniae 30. Julii 1768, in Mutinen. Residentiae 23. Novembris 1833 §: At.*

Quodsi capellania laicalis habenda sit, definiendum superest: an curia episcopalis adigenda sit, quod dumtaxat orator postulat, ad restitutionem taxae ob datam institutionem ac possessionem perceptae. Negat promotor fiscalis, etiamsi s. Congregatio capellaniam laicalem censuerit, »Dappoichè (inquit) tale supposta decisione potrebbe dare una norma per il tempo in avvenire, ma non potrebbe avere forza retroattiva d'invalidare quegli atti già seguiti, e quelle norme prattticate, essendochè furono rispondenti, ed analoghe alla immissione al possesso di una capellania che fù ritenuta e dichiarata ecclesiastica, dichiarazione che per non essere stata mai impugnata anzi col fatto osservata fù e sarà in istato d'implicita validità fino a che da una contraria suprema risoluzione non venga reservata.«

Favore autem oratoris perpendi potest, eum solvisse taxam vel quia putabat capellaniam esse ecclesiasticam vel probabilius cum dubitaret, ei a curia persuasum est agi revere de capellania ecclesiastica, eo tamen animo ut si apparuisset taxam esse indebitam redderetur. Solvit itaque ex errore facti vel dubitans de facto, non aliter plane soluturus si scivisset capellaniam laicalem esse. Atqui nil antiquius in jure, quam ut per errorem, ita et per dubitationem solventi aeque indebiti condictio sit. *Leg. ult. cod. de condict. indebiti.* Ceterum resolutio s. Congregationis cum novum non constituat capellaniae statum sed declaret dumtaxat et explicet ad normam fundationis, profecto natura sua videretur *retroactiva* ad hoc, ut si quid contra fundationem ipsam actum est revocetur et qui ex hoc praejudicium persensit indemnis praestetur.

Ceterum ea qua praestant juris scientia rem definient EE. VV. Quibus enodanda propono

Dubia:

I. *An capellania de qua agitur sit censenda laicalis seu potius beneficium ecclesiasticum in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam,

II. *An sit locus restitutioni taxae solutae pro expeditione bullarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I et II: Quoad restitutionem taxae negative reservato jure agendi super natura capellaniae in separato judicio, citatis omnibus interesse habentibus.

Die 11. Aug. 1855.

d) Laicus possidere potestne?

Vd. p. 392. e.

Ariminen.

Ecclesiastico beneficio in parochiali ecclesia Turris erecto a. 1696, cui onus inest »celebrandi per se ipsum vel etiam interpositam personam non tamen a parocho dictae ecclesiae duas missas qualibet hebdomada, unam scilicet omnibus diebus dominicis, alteram quacumque alia die ad nutum capellani in altari s. Monicae«, fruitur usque ab anno 1828 Joseph Baldini clericus et tunc clericali habitu incedens a patrono patre suo rite nominatus in possessionem immissus, nunc vero decem circiter abhinc annis omnino laicus et saeculari veste vitaque degens, quamvis non uxoratus.

Itaque is ut suae conscientiae consulat s. Ordinem postulat »benigna assoluzione da qualnnque difetto incorso per il passato, e pel tratto successivo un grazioso indulto, che lo facoltizzi a ritenere ad tempus anche nello stato laicale la capellania in proposito promettendo di soddisfare i singoli pesi inerenti alla medesima; e ciò in vista della miserabilità del supplicante.

Res est de paupere regno. Ex transmisso enim beneficii statu constat, illius redditus integros censeri in scutatis circiter triginta duobus; onera vero (comprehensis etiam missis) in scutatis viginti quatuor. »Nemo extat, (ut Episcopus ait in sua relatione) qui tamquam interesse habens foret audiendus. Tanquam uni, cui cordi deberet esse reservare beneficia ecclesiastica in sua ecclesia instituta, erat parochus et ipsum reapse interrogavi et fortasse tantum miserationis causa censet exaudiendas esse preces oratoris.« De bona vero fide oratoris ipsius ita disserit idem Episcopus, qui animi sui sententiam pandit in haec verba: »Quid vero dicam de bona fide oratoris? Nullam in eo extitisse in comperto est. Constat ipsum scivisse non posse beneficio frui in statu saeculari. Constat ab ipso adimplenda esse onera. Auscultentur autem ejus industriae praeterito tempore adhibitae. Ad me recursum fecit, ut exoneraretur gravamine procurandi missam diebus festivis et conventionem iniit cum confratribus ssmi sacramenti illius parochialis cedens aliquos fructus censuum cum conditione, ut ipsi missam festivam providerent. Miserationis causa et potius ne illa missa deesset assentitus sum. Dein me inconsulto hunc commissarium fabricae adivit pro absolutione et pro condonatione omnium ferme missarum per plures annos haud celebratarum. Haec omnia advertentur et fortasse callide gessit Baldinus.«

Hisce omnibus peractis istam sacram Congregationem adivit, ut de praeteritis fructibus male perceptis absolutus prosequatur frui iisdem in statu laicali per decem annos et fortasse semper cogitans, forsitan et in mente habens hac obtenta gratia illam etiam expostulare, qua valeat beneficio frui etiam uxoratus.

Per me, Emi ac Rmi Patres, quoniam indulgentia Vestra mihi permissum est dicere quod sentio, non possum assentiri Baldinianis expostulationibus post ita facta et post adhibitum modum nunc ab uno nunc ab altero dissimilia obtinendi, non possum etiam assentiri, ut fruatur saecularis id quod institutum est pro ecclesiastico. Etenim capellania Baldini beneficium ecclesiasticum est. Si quis adhuc extat illius familiae, qui habitum clericalem suscipiat, sit ipse beneficiatus; sed si non extat gaudeat redditibus hujus beneficii aliquis ecclesiasticus ab illa

familia nominandus, eo vel magis, cum sit in hac dioecesi copia quidem sacerdotum et clericorum et insimul inopia ferme maxima beneficiorum.

Patrono pauperi alimentorum loco ex beneficii fructibus succurrendum esse edocemur expresse ex canone *Quicumque 30 caus. 16. quaest. 7* et s. Ordinis resolutionibus jam pluries allegatis. Ita pariter suspensionem saepe illius beneficii in patroni pauperis favorem concedi, sicut conceduntur alimenta, testantur exempla in *Vercellen. 19. Julii 1766, Perusina Capellaniae 8. Aug. 1829 ad I. dub.* Id autem eo potius sibi vindicat orator in themate, quod de tenuissimo agatur beneficio, cujus redditus dispesci nequeunt inter capellanum et patronum vere pauperem. Sane de ejus paupertate, de qua nil habet Episcopus, ita testatur parochus: »Certifico, che il Sig. Librario Baldini domiciliato d'alcuni anni a questa parte in questa parochia, appartiene alla classe de' poveri: carico qual' è di sette figli, e nulla possedendo di stabile, compreso il di lui figlio Giuseppe, e costretto di vivere colla sola ristretta paga dell' ufficio di cursore, che esercita di questo governo di Fano; e da ciò ben si comprende, in quali finanze egli si trovi, e come possa mantenere si numerosa famiglia colla tenue paga, che gli somministra questo governo mensilmente.«

Porro hac ratione consultum putat orator tum petitioni super condonatione fructuum (sane injuria perceptorum, etsi nulla accesserit retentia declaratoria privationis, ut ex constit. Bened. XIII., quae incipit: *Apostolicae ecclesiae* explicat *Giraldius ad thesaur. de poenis eccles. par. 2. cap. 3. Verb: Habitus;*) tum alteri super beneficii suspensione in futurum. Cum enim ejus paupertas extiterit jam a die, qua clericalem habitum dimisit, ea profecto sufficiens ratio ex tunc esse poterat indulgendi pro suspensione beneficii, sicut hodie esse videtur totaque culpa in eo stetit, quod non id petierit a superiori auctoritate, cui hodie integrum est eum consensum supplere, quem decem abhinc annis non recussasset.

Nihilominus haud suo destituta fulcro Episcopi sententia censenda est, quandoquidem vel ipsa beneficii tenuitas ex adverso deducta cuique prima fronte suadet, beneficium hujusmodi sicut homini laico, qui missas per seipsum litare nequit, nullius esse posse subsidii, ita facile in clerici seu presbyteri exhibitionem et sacri patrimonii titulum apprime inservire. Quare non immerito existimasse Episcopus visus est, cum beneficium hujusmodi clerico potius suae dioecesis impertiri optavit quam patrono, qui hinc a propria, inde a beneficii paupertate coactus in ancipiti constitueretur conditione vel sibi non consulendi vel beneficii onera negligendi cum fundatoris animae jactura, ceu forte praeteriti temporis experientia probavit. Profecto beneficia pro clericorum, qui ecclesiasticae militiae inserviunt, sustentatione institui nemo unus ignorat, hinc difficilius eadem suspendi in regione beneficiis minus locuplete docet s. Ordo in *Aquilana Capellaniarum 7. Junii 1834 §: Utroque* et in *Spoletana Suspensionis Capellaniae 16. Dec. 1837. §: Voluntatem.*

Ceterum, si nemini malam fidem decet patrocinari, non incongrue ambigi possit cum Episcopo de condonatione quoad fructus in praeteritum illegitime perceptos.

His positis dirimenda erunt dubia:

I. *An et quomodo concedenda sit oratori beneficii suspensio in casu?*

II. *An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro condonatione quoad fructus perceptos in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Dimisso prius titulo affirmative ad quinquennium deputato ecclesiastico administratore ab Episcopo, impletis oneribus et facto verbo cum SSmo.

Ad II. Affirmative celebrata unica missa attenta paupertate.

Die 15. Mart. et 7. Junii 1845.

e) Quod est?

Vd. *Beneficium* (de essentia; saeculare — regulares saecularizati §: *Compertum.* —)

Ecclesiasticum beneficium est, quod erigitur et confertur auctoritate Ordinarii, secundum *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 2. num. 11* et *Piton. de controv. patron. allegat. 31. numer. 9.*

Ad verum beneficium ecclesiasticum sex potissimum requiruntur requisita ex communi canonistarum.

Primum requisitum est, quod beneficium ecclesiasticum Episcopi auctoritate sit erectum; requirit enim canonicam erectionem, alias non est beneficium; *cap.: Nemo 9. de consecrat. dist. 1, cap.: Omnes 1. dist. 22.* Et per hoc, si quis in aliqua ecclesia certas missas vel etiam anniversaria sub competenti stipendio in perpetuum fundaverit aut etiam capellaniam, nisi approbatio Episcopi accesserit, non erit beneficium ecclesiasticum sed solummodo pium legatum et quia talis capellania seu tale legatum caret erectione seu institutione Ordinarii, erit quid laicale et temporale, ut decidit *Rota in una Monopolitana Hebdomadar. Vener. 14. Decembris 1612. coram Manzanedo*, quia nullus privatus sine Ordinarii auctoritate potest locum sacrum vel rem spiritualem constituere; *arg. c.: Ad hoc 4. de religios. domib.*

Secundum requisitum est, quod habeat aliquid spiritualitatis annexum, scilicet, quod detur propter divinum officium, v. gr. celebrandi missas, recitandi horas et deserviendi in officiis spiritualibus alicui ecclesiae, secus si pars reddituum ecclesiasticorum daretur propter ministerium mere temporale, v. gr. musicis, aedituis et hujusmodi pro laboribus suis laicalibus; *cap. ult. de rescriptis in 6*, ubi dicitur: Propter officium datur beneficium ecclesiasticum.

Tertium requisitum est, quod conferatur a persona ecclesiastica, scilicet a Papa vel Ordinario, non vero a laico, nam laici*) non possunt conferre beneficia ecclesiastica (non obstante, quod juspatronatus eisdem competat, sicque idoneum clericum ad beneficium vacans praesentare valeant) sed ea conferunt talis ecclesiae Praelati eorumque officiales; *c.: Ex frequentibus 3. de constit., cap.: Si deinceps 12, cap.: Si quis clericus 16* et *cap.: Nullus laicorum 18. caus. 16. q. 7.*

Quartum requisitum est, quod conferatur clerico, idest personae saltem prima tonsura initiatae, taliter quod non sufficiat post illum jam acquisitum tonsurari; *arg. c.: Ex literis 6. de transact.* et notat *glossa final.* et *Abbas ibid.* illud limitans, nisi forsan Papa cum aliquo laico insigni et eminenti dispensaverit, ut possit beneficium recipere et postea quam primum tonsurari, aliter collatio beneficii facta in personam laici seu nedum prima tonsura initiati est ipso jure nulla et invalida, nam laicus est incapax omnis juris ecclesiastici; *cap.: Causam 6. de rescriptis* et colligitur etiam ex *cap.: Cum adeo 17. juncta glossa verb.: Ne clericus de rescriptis* et *cap.: In ecclesia 2. de institutionib. 6.*

Quintum requisitum est, quod sit perpetuum; *cap.: Praecepta 12. dist. 55, cap.: Sanctorum 2. dist. 70, cap.: Veniens de filiis presbyteror., c.: Ex parte 5. de clerico aegrotante* et notatur in *cap.: Si gratiose 5. de rescriptis in 6.*

Sextum requisitum est, quod sibi non possit retinere, sed necessario sit conferendum alteri; *cap.: Cum ad nostram 7. de institutionib.*, ibi: Quia cum ratione abbatiae ad ipsum pertineat donatio tam custodiae quam aliarum dignitatum ac etiam praebendarum in ecclesia Patranen., custodiam ipsam recipere non potuit a seipso, cum inter donantem et accipientem debeat esse distinctio personalis. Et in ejus summario praecise dicitur: Is, ad quem spectat collatio dignitatum, seipsum instituere non potest.

Utile autem immo necessarium est haec nosse; nam conditio essentiae beneficii contraria nec in limine quidem fundationis admitti ab Episcopo potest et admissa non sustinetur; *Piton. de controvers. patron. alleg. 24. num. 10, Rota in Casertan. Benef. 28. Jun. 1745. §. 6. cor. clar. mem. Millin.* Recte autem Ferraris inter alia essentialia beneficii affert, quod clerico non item laico sit illud conferendum. Verum nota, essentiae beneficii minime repugnare, quod laicus percipere per aliquod tempus possit fructus beneficii, interim per alium impletis oneribus ejusdem, quum eos percipere dicatur non ex jure et titulo beneficii, sed ex jure et titulo saecularis administrationis, donec veniat qui capax sit; vid. *Corrad. in prax. dispen. apostol. lib. 4. cap. 1. num. 27, Lotter de re benefic. lib. 1. quaest. 32. num. 35, Garz. de benefic. part. 1. cap. 3. num. 30* tum resolutiones sacr. Congregationis Concilii interpretis in *Derthonen 15. Augusti 1730.* et in *Senogallien. Capellaniae 6. Junii 1750.*

Affert Ferraris inter beneficii essentialia et hoc, quod sit illud perpetuum. At num perpetuitas pertineat ad essentiam beneficii, in medio reliquit *Rota in dicta Casertana Beneficii 18. Junii 1745. ad §. 6. et 24. Januarii 1746. §. 13. cor. R. P. D. Elephant.*

Firmana.

Praeter multa legata, quae Jacobus Ferri testamento reliquerat, nonnulla peculiaria

*) Vd. *p. 421. z.*

bona designavit pro dote unius vel plurium capellaniarum, quas in ecclesia suffragii oppidi Montis Ulmi erigi mandavit. Deinde in usufructu instituit Octaviam et Joannem Baptistam Ferri patrueles et post istorum obitum haereditatem deferri voluit ad eamdem ecclesiam, cum lege ibidem erigendi tot capellanias, quot ex universa haereditate erigi potuissent, injuncto capellanis onere sex missas qualibet hebdomada in ea celebrandi. Plurimum vero confidens prndentia et integritate dictorum Octaviae et Joannis Baptistae, cum quibus de erigendis capellaniis saepius sermonem habuerat, pluries eisdem contulit facultates tum quoad bona prioribus vel posterioribus capellaniis adjudicanda tnm quoad illarum nnmerum, amovibilitatem seu perpetnitatem, tum etiam quoad capellanorum nominationes aliaque in testamento fusius legenda. Ipsorum proinde consilia pro lege haberi et omnino servari jussit eisque potestatem fecit convertendi haereditaria bona in aliud pium opus, etiam post jam secutam capellaniarum erectionem; ac denique mandavit, ut, si ab ipsomet testatore ant ab haeredibus aliquod altare constructum in memorata ecclesia fuisset, tunc ab uno vel pluribus capellanis pro libito haeredum missae ad dictum altare celebrari deberent. Defuncto jam testatore Octavia et Joannes Baptista haeredes usufructnarii praemissa protestatione de servanda omnino et absque variatione illius dispositione declararunt, quod, licet fructuum haereditariorum quantitas onus missae quotidianae praeseferre posset, nihilominus nonnisi quam sex missas singulis hebdomadis in ecclesia suffragii praescribere optabant. Praeterea in eodem actu ad unam ex capellaniis nominarunt clericum Joannem Philippum Pampinoni, *e non essendo in età esso chierico Gio. Filippo Pampinoni di celebrare per alium, che sia confessore.* Insuperque patronatum activum post mortem Octaviae sodalitio suffragii adjudicarunt. Ac tandem unicuique capellano onus addiderunt assistendi in decursu unius mensis expositioni sanctissimi Sacramenti et auxilium in ea sacra functione praestandi. Occubuit Joannes Baptista superstite Octavia sorore, quae novam edidit quoad capellanias de quibus agitur declarationem. Siquidem declaravit capellaniam collatam clerico Pampinoni subesse oneri audiendi sacramentales fidelium confessiones.

Addidit, quiquid in posterum explicatum ab ea fuisset, id omne consonum futurum voluntati testatoris sibi jam panditae. Hinc unicuique ex capellanis suam denominationem aptavit ac proinde de sex capellaniis dixit: »*Devono avere la sua uffiziatura nell' altar maggiore di detta chiesa di s. Michele Arcangelo, ed in detto altare celebrarsi le messe da ciascun capellano.*« De aliis duabus capellaniis ait: *Queste offizieranno nel sudetto altare di s. Alessio in detta chiesa.*« Et de alia inquit: »*Avrà l'uffiziatura e celebrazione delle messe nell' altare di s. Nicolò parimente in detta chiesa.*« Post haec declaravit, ut capellaniae sacerdotibus tantum conferri possent, sed si in oppido Montis Ulmı aliquis adesset bonae indolis adolescens, tunc permisit, nt iste ad capellaniam nominari posset, dummodo tamen antequam capellaniae possessionem apprehendat clericus evadat et postquam ad aetatem annorum 25 perventus fuerit ad sacerdotium ascendat, sub poena amissionis capellaniae ipso facto incurrenda. Verum praeferri jussit sacerdotes seu clericos ex tribus sibi sanguine conjunctis familiis, nempe Ugolini, Bertolazzi et Pampinoni. Postremo loco declaravit, ut, si qnis ex capellanis in adimplemento onerum defecisset, tunc liberum esset sodalitio suffragii capellaniae redditus sequestro subjiciendi eosque erogandi in adimplementum onerum cum eleemosyna manuali et quidquid superest eidem sodalitio applicandi *in premio della vigilanza sopra l'adempimento della pia volontà del testatore.*

In sequelam postremae hnjusce declarationis tam sacerdotes quam clerici trium familiarum Ugolini, Bertolazzi et Pampinoni post obitum Octaviae de praelatione cum sodalitio contenderunt. Favorabilem ab A. C. sententiam reportarunt, sed devoluta in gradu appellationis causa ad Rotae auditorium in hoc tribunali adhuc indecisa pendet. Praeter causam super praelatione aliam earumdem familiarum sacerdotes et clerici excitarunt praetensionem praevio monitorio coram A. C. authumantes nullimode teneri ad sacerdotium ascendere nec oneribus capellaniae per se ipsos satisfacere. Sodales tamen suffragii oblatis precibus sanctissimo Domino nostro curarunt, ut decreto eminentissimi Pro-auditoris ad s. Congregationem remitteretur inspectio tantum super qualitate sacerdotali capellaniarnm, atque haec est causa, quae tribus dispertita dubiis modo agitur.

Ad I et II inquiunt sodales solam fundatoris voluntatem spectandam esse ad dignoscendum, utrum onera capellanis injuncta sint a capellanis per se ipsos adimplenda, *Rot. in Reatina Capellaniarum 16. Junii 1711. §: Quoniam, coram Aldrovando.* Hinc testatoris dispositionem et geminas declarationes serio perscrutandas. Sustinent autem tres familias Ugolini, Bertolazzi et Pampinoni nullam habere directam vocationem passivam, sed virtute tantum posterioris declarationis nuda ac simplici ad capellanias praelatione gaudere. Arguunt proinde, quod si alii ad capellanias primario vocati et sacros ordines suscipere et onera per se ipsos adimplere tenentur, id ipsum quoque trium familiarum clerici exequi debeant, *Gratian. disceptat. 460. n. 56, Rot. decis. 571. n. 1. part. 1. recent.* Nec obesse, quod alii vocati fuerint appellatione sacerdotis aut juvenis; respondent enim disparitatem solum adesse quoad qualitatem sacerdotalem actu non tamen quoad onus assumendi sacerdotium statim ac ad aetatem annorum 25 pervenissent, quemadmodum diversa personarum conditio praesefert. Addunt demandatum capellanis fuisse, ut in designato altari celebrarent, atque ex hoc inferunt requisitum quoque fuisse sacerdotium et onus personalis celebrationis. Observant praeterea injunctum ipsis fuisse aliud onus assistendi expositioni augustissimi Sacramenti, atque id nonnisi quam a sacerdotibus aut in sacris ordinibus constitutis fieri posse, cum in eo actu necessaria sit delatio stolae, quae solum a sacerdotibus vel diaconibus adhiberi potest ex edicto sa. mem. Clementis X. relato a *Ferrar. in biblioth.* verb.: *Eucharistia num. 64.* Animadvertunt ulterius praescriptum ab Octavia fuisse, ut capellaniae conferrentur *a soggetti, che siano sacerdoti.* Atque inde sequi praescriptam qualitatem sacerdotalem in ipso actu electionis, a quo disjungi non possit, *Constantin. vot. decis. 35. num. 1 et seq.* Sustinent, quod, si Octavia in aliquibus casibus permisit, ut ad capellanias etiam clerici aliquando nominari possent, legem tamen indixit, nt sacerdotium susciperent statim ad aetatem ann. 25. pervenissent, cujus rei exemplum praebet nominatio ab ipsamet facta de clerico Pampinoni eidem cognito et sanguine conjuncto, cui expresse mandavit, ut ad sacerdotium ascenderet et interim oneribus per alium satisfaceret. Si ergo in isto casu et in certum tempus facultatem tribuit adimplendi per alium, hujusmodi facultatem in aliis circumstantiis vetitam contendunt *Rot. in Reatina Immissionis 25. Junii 1758 §: Dupliciter, coram eminentissimo Elaphantutio*, unde concludunt, omnes capellanos indispensabiliter teneri ad assumendum sacerdotium, sine quo personali obligationi missarum satisfacere non valent, *Constantin. vot. decis. 35. num. 36. et 17. ac vot. decis. 191. n. 43. 44.*

Neque objici posse, quod facultas celebrandi per alium certa causa et ratione coercita solum fuerit ad clericum Philippum Pampinoni, non tamen ad caeteros, qui ex designatis aliis familiis descenderent, tum quia reliquis clericis alibi expresse legitur injunctum onus suscipiendi sacros ordines, tum etiam quia, si facultas coercita fuit ad dictum clericum Philippum filium Constantii Pampinoni, quem pro stipite praedictae familiae Octavia designavit, id ipsum potiori jure repetitum censeri debet de clericis aliarum familiarum, cum eadem qnoad omnes concurrat ratio conjunctionis sanguinis, *Rot. in Romana Praelationis 3. Junii 1732 §: Spectata, coram Nunez.* Immo prae aliis contemplatum fuisse clericum Philippum ex eo deprehendi putant, quod ipse notissimus fuerit Joanni Baptistae et Octaviae Ferri eisque magis dilectus; caeteri vero, qui ex aliis familiis nascituri erant, utpote ignoti minorem dilectionem promereri debuerint. Jam vero absurdum esse dicunt, quod Octavia durius egerit cum dilecta et nota persona quam cum aliis omnino ignotis, proindeque existimant, quod, si clerico Philippo injunctum fuit onus assumendi sacerdotium statim ac per aetatem potuisset et onera per se ipsum adimplendi, id a fortiori aliis praescriptum fuisse dijudicari debeat, *Rot. in Firmana Pecuniaria 20. Januar. 1712. §: Ultimo, coram Aldrovando.* Praesertim, quia clericus Philippus directam habuit vocationem, reliqui autem vix nuda praelatione potiebantur. Observant insuper, quod tam in testamento quam in posterioribns declarationibus semper mentio habita fuerit de sacerdotibus eisque demandatum, ut onera per se ipsos in designato altare adimplerent. Praecisius vero animadvertunt declaratum ab Octavia fuisse, ut capellaniae conferri deberent personis morum candore fulgentibus, quae divinum cultum in ecclesia sodalitatis promoverent, ideoque permiserit, ut ad capellanias nominari posset etiam clericus, dum-

modo tamen ad sacerdotium sub poena caducitatis ascenderet, eique solum tribuerit oneribus per alium satisfacere posse, quousque ad legitimam aetatem pervenisset. Ex hoc autem novum exsurgere putant argumentum, quod suadeat capellanias esse sacerdotales et onus capellanis impositum per se ipsos adimplendi. Neque objici posse, quod aliud sit disponere intuitu conjunctionis sanguinis, aliud vero meritorum intuitu et ideo disposita in uno casu ad alium trahi non possint. Siquidem ponderandum proponunt, quod etiam clericus Pampinoni iisdem legibus subjectus fuit a Joanne Baptista et Octavia Ferri, quia scilicet perspecta ipsis erat testatoris voluntas quoad omnes et sicuti in iis quae divinum cultum respiciunt potior ratio haberi debet de meritis quam de sanguinis conjunctione, idcirco inferunt, quod, si clericos meritis pollentes eidem legi subjecit et eodem onere gravavit, multo magis id ipsum de aliis demandatum fuisse dijudicari debeat.

Denique animadvertunt testatorem praescripsisse, ut ecclesiae inservirent sacerdotes *collegialiter* viventes, sed absurdum fore dicunt, si hujusmodi collegium ex sacerdotibus constitueretur atque ex clericis, qui semper in clericatu manerent. Sustinent collegium eundem finem et eadem onera habere et quamlibet inaequalitatem respuere, *Rot. in Cervien. Beneficii 20. Novembris 1713.* §: *Quo vero, coram Scotto.* Praesertim quia onus unicuique impositum legitur fidei rudimenta et literas pueros edocendi, pro quibus aetas et sacerdotium requiritur. *Piton. de jurepatr. alleg. 33. num. 15 et 18.* Addunt tam in testamento quam in declarationibus ea usurpari vocabula, quae cum sacerdotio conjuncta sunt, ab eoque inseparabilia, et ideo capellanias de quibus agitur sacerdotales dijudicatas fuisse ab Emo Archiepiscopo, cujus judicium plurimum attendi mereatur. Breviter se expediunt sodalitii defensores a III. dubio, animadvertentes aperte ab Octavia adjectam fuisse poenam caducitatis in casu, quo aliquis ex capellanis ad sacerdotium non ascenderet, absque ulla interpellatione vel morae purgatione, atque ideo contendunt, quod dies interpellet pro homine neque in claris ulla opus sit interpretatione, *Leg. Ille aut ille ff. de leg. 2.* Nec prodesse exemptionem, quod poena indicta solum fuerit clericis ex tribus extraneis familiis descendentibus. Repetunt enim de aliis etiam demandatum existimari debere quidquid de illis fuit dispositum, *leg. 13 et leg. 26 et 27. ff. de legib.* Si ergo Octavia extraneis clericis poenam indixit, eam quoque clericis consanguineis impositam fuisse censeri, ne consanguinei testatoris voluntatem impune contemnerent. Omnes enim pari poena constringit: praesertim quia Octavia prius de poena locuta est et deinde ad consanguineorum praelationem descendit, atque in quavis dispositione priora magis influunt in posterioribus, *Rot. in Sulmonen. Canonicatus 7. Maji 1721* §: *Quia, coram Crispolt.* Caeterum si consanguinei poenam ab Octavia inflictam effugerunt, evadere tamen non posse confidunt poenas ad juris tramites ab EE. VV. infligendas, ut ad sacerdotium ascendere cogantur, cum jamdiu aetatem annorum 25 fuerint praetergressi. Ex alia parte nihil hactenus deductum est. Eminentissimus Archiepiscopus perpensis omnibus, quae circa capellaniarum qualitatem animadvertenda erat, putat non potuisse Octaviam priorem declarationem immutare aut variare, quam cohaerenter ad testatoris voluntatem una cum fratre emiserat. Deinde ait: *Haec igitur in causa sunt, ut capellanias actu sacerdotales universim existimem eisque propterea neminem frui posse, nisi cum ad quintum et vigesimum aetatis annum pervenerit sacerdotii gradum assumat.* Praesentis controversiae definitio tota pendet a fundatoris dispositione, quae serio perscrutanda est. Nihil enim facultatis sibi assumere poterant exequutores, nisi quae fuit ipsis a fundatore tributa. Certum est et communi doctorum placito firmatum fundationes post editum ab Ordinario decretum non posse immutari nec in minimo alterari.*) Quando tamen variandi facultas fuit in fundatione reservata, tunc novae leges ac conditiones adjici ex intervallo possunt, quia reservationis vigore retrotrahuntur ad tempus, quo hujusmodi facultas fuit reservata, cum reservatio importet praerogativam perfectionis fundationis et conditionem suspensivam actus usque ad novam declarationem, *Corrad. in prax. benef. lib. 2. cap. 10. quaest. 5. num. 151.* Ponderandum idcirco an haec regula locum habeat seu a fortiori servanda sit in praesenti casu, cum nullum ab Ordinario editum videatur decretum, quo prior vel posterior declaratio fuit approbata.

*) Vd. p. 353. n. 1. etc.; p. 506. n. 27 etc.; p. 514. n. 30 etc. *Beneficium* (mutatio.)

Videndum an facultas executoribus impertita extiterit quocumque tempore aut modo variandi seu potius in aliquibus tantum circumstantiis.

Animadvertendum praeterea an Octavia post mortem cohaeredis variare potuerit et vinculum sodalitio injicere. Ac demum an fundator voluerit sacerdotales capellanias instituere et an ex posterioribus saltem declarationibus tales dijudicandae sint. Varias hac de re tradit regulas *Fagnan. in cap.: Ut Abbates de aetat. et qualitat. per tot.* et plura habentur in folio causae, cui titulus *Ariminen. Capellaniae*, relatae in postrema Congregatione diei *26. Februarii* nuper elapsi, quae priori loco in hodierno folio recensetur. Quibus omnibus perpensis EE. PP. definire rogantur:

I. *An capellaniae ordinatae a Jacobo Ferri et conferendae familiis Ugolini, Bertolazzi et Pampinoni sint sacerdotales vel non sacerdotales in casu?*

Et quatenus affirmative ad primam partem et negative ad secundam,

II. *An capellani teneantur per se ipsos onera adimplere in casu?*

Et quatenus affirmative,

III. *An et quomodo in casu inadimplementi sit providendum in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. Iterum proponatur.

Ad III. Dilata.

Die 12. Mart. et 23. Apr. 1774.

Nullius Guastalae.

Beneficium sub nomine capellaniae a Paulo de Bonianis in ecclesia Plebis s. Petri civitatis Guastallae cum onere missarum fundatum testator manuale et non perpetuum esse voluit. Quum autem die procedente in titulum perpetuum conferre consueverit, S. C. beneficium esse ecclesiasticum decidit.

Die 31. Maji 1784.

Sabinen.

Quod capellania est beneficium ecclesiasticum demonstrat *decretum erectionis* ab Episcopo latum, *solutio taxae* seminarii et spoliorum ab hisce capellanis facta, quae super beneficiis ecclesiasticis tantum exigitur, ut tradit *Amostaz. de causis piis lib 8. cap. 14. num. 2, collationes* hujus capellaniae factae ab Episcopo et a s. Sede apostolica praesertim in postrema vacatione, quae in simplicibus legatis piis fieri non solent, *Rota cor. Buratto dec. 221. per tot. coram Riminald. dec. 394. num. 4.*

Die 14. Jan. 1804.

Urbinaten.

Si capellanus per se celebrare debet capellania censenda est ecclesiastica ex eo, quod nonnisi a sacerdote retineri potest, et nil obstat, quod capellania sit *jurepatronatus laicali* quoad jus activum nominandi et ecclesiastica quod passivam nominationem, ut docet *Caesar. de Grass. decis. 114. de praeben. per tot.* et *s. Congregatio in Urbinaten.*

Die 17. Septbr. 1815.

Gallien.

Sane ut capellania sit ecclesiastica requiritur erectio ab auctoritate Ordinarii facta, per quam bona Deo dicata sunt et in titulum ecclesiasticum transeunt, ut ad *text. in cap. Ad haec, ibique gloss. verb.: Auctoritate de relig. dom.* tradunt *de Marin. var. resolut. lib. 1. cap. 36. num. 4, Gonzalez. de reg. cancellar. gloss. 5. num. 26, Card. de Luca jurepatronat. disc. 27. num. 7, Piton. de controvers. patron. allegat. 49. num. 18* et s. Congregatio *in Firmana Legati 9. Augusti 1777.*

Die 24. Aug. 1816.

Mantuana.

Plura in casu concurrunt requisita, quae beneficia ecclesiastica constituunt quaeque enumerat *Corradus in praxi beneficiaria lib. 1. cap. 1. num. 12*, scilicet *erectio* authoritate ordinaria facta (nam Episcopus voluit ut *ad dictum altare erigatur, prout ejus auctoritate propria ordinaria erexit perpetuam capellaniam*), *annexa spiritualitas*, cum capellania erecta sit in designato altari pro celebratione missarum; *perpetuitas, destinatio* clerici vel sacerdotis, attamen deficit precipuum illud requisitum, quod capellania sit *collativa*. Expresse enim fundator prohibuit ne capellania esset *collativa minusque in titulum conferatur aut ullo umquam tempore erigi valeat in beneficium ecclesiasticum, sed sit tantum officiatura perpetua immovibilis cum dote, ut supra assignata, sicque non sit subjecta mediae annatae neque alicui oneri*

imposito et imponendo. Ex quibus sequi videtur simplicem capellaniam laicalem fundatam fuisse, quae pro vero beneficio haberi non potest, ut tenent *Corradus loc. cit. lib. 1. cap. 2. num. 3, Garzias de benef. part. 1. cap. 2. num. 102, Rota cor. Seraphin decis. 611. n. 3.*

Die 23. Novb. 1816.

Nullius Sublacen.

Ut beneficium vere ecclesiasticum dici queat, erigatur oportet auctoritate expressa Episcopi, *glossa in Clement. cap. 2. de decimis verb.: Si beneficiorum in fine. Cum commen., Barbosa juris eccles. lib. 3. cap. 4. num. 15, Rota decis. 1. num. 24. coram Buratt.* Requirunt enim omnes canonicam erectionem, alias non sunt vera beneficia ecclesiastica, *c.: Nemo 9. de consecrat. dist. 1, s. Congregatio in Urbinaten. seu Arimin. Capellaniae 3. Febr. 1753,* diceretur que simpliciter pia donatio vel pium legatum, si forte pro missis celebrandis vel pro anniversario vel etiam in perpetuum quidpiam relictum esset, *Rebuff. in praxi tit.: Quare instituta sunt beneficia num. 10, Barbosa loc. cit. num. 16, Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 5. num. 56.*

Nisi enim certo constet de erectione capellaniae auctoritate Ordinarii vel vere vel saltem praesumptive, ipsa capellania non ecclesiastica, sed laicalis dicenda est, etiamsi caetera concurrant, quae naturae ecclesiasticae capellaniae conveniant, *Piton. de controv. patron. alleg. 33. per tot., Rota in Terraconen. Capellaniae 11. Martii 1748. §. 8. cor. Cortada* et *s. Congregatio in Firmana Capellaniae 29. Augusti 1772.*

Die 3. Julii 1819.

Anagnina.

Capellania, quae habet peculiarem dotem, proprium titulum, suum altare, certum missarum onus et jurisdictioni et visitationi subest, vere esse ecclesiastica dicitur, *Rota in Papien. Beneficii 28. Januarii 1754. §. 5. cor. Borull.*, s. Congr. in *Firmana 8. Augusti 1767 §: Contendit.*

Die 28. Jan. 1832.

Firmana.

Laica est capellaniae natura, praesertim quando Ordinarii auctoritas] in ejus fundatione defuit, ad tradita per *Rot. in Ferentina Rescissionis affectus 29. Aprilis 1822. §. 21. cor. Serlupi* et s. Congr. in *Ferentina Capellaniae 22. Augusti 1750. §. Idipsum.* Quin aliquid obesse putet, quod fundator titulo beneficii usus sit, altare designaverit et verba adhibuerit *fondare, eriggere, presentazione, istituzione;* haec enim omnia per se satis non esse ad capellaniae ecclesiasticitatem demonstrandam, docet *Rot. in nullius seu Orbetellen. Capellaniae 13. Februarii 1741 §. 8. cor. Canilliac.* et s. Congr. in cit. *Ferentina Capellaniae 22. Augusti 1750. §: Manifestum.*

Die 18. Febr. 1832.

Nullius Nonnantullae.

In *Anconitana diei 12. Junii 1762* sacerdotalem dici posse capellaniam sancitum est, ubi onus missas celebrandi directe fuerit impositum capellanis.

Die 25. Febr. 1837.

Cortonen.

Recepta in jure est sententia presbyteralem esse debere capellaniam, quoties fundationis contextus ad ipsos capellanos dirigitur, siquidem fundor sic non agit de impositione oneris directe, sed de persona, quae illud adimplere debet, ut ait *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 5. num. 9,* cum *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. p. 1. qu. 7. num. 9, Barbos. de offic. et potest. Episc. part. 2. alleg. 24. num. 37, Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 116, Mastrill. dec. 2. num. 7 et 8, Monacell. tom. 4. in suppl. ad tom. 1. pag. 24. num. 233, Rota in Gerunden Benefic. 8. Martii 1797. §: Respectu, cor. Muto.*

Ad tutiorem dumtaxat controversiae definitionem recolam distinctionem, quam affabre tradit Fagnanus inter qualitatem sacerdotalem et obligationem per se satisfaciendi. »*Ex eo autem* (ita ille in *cap.: Ut Abbates de aetat. et qualit. ordin. n. 61. et 75) quod capellanus tenetur missas celebrare non infertur necessario, quod capellania sit sacerdotalis, quia onus missarum celebrandarum potest per alium adimpleri. Et similiter ex eo quod capellania sit sacerdotalis regulariter non licet inferre, ut capellanus teneatur celebrare per se ipsum, quia stant simul ut capellanus debeat esse sacerdos et nihilominus missas celebrare possit per substitutum.*« Consonant *Lambertin. de jurep. lib. 1. part. 2. q. 7. art. 17, Guthier. cons. 1. n. 11, Corrad. in prax. benefic. lib. 2 cap. 11. n. 120, Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 5. n. 12.*

Die 13. Febr. 1841.

Aquilana.

Josephus Eusani Porphiriensis Antistes ac apostolici sacrarii praefectus novissimo quo decessit voluntatis elogio diei 20. Aprilis 1692 suo nepoti Petro Costanzi oppidi Pratae Aquilanae dioeceseos legavit »venti luoghi di Monte (in summa scut. 2000) fede delli contanti a mio favore con obbligo di non poterli vendere nè alienare, ma solo che possa disporne di essi dopo la sua morte in opere pie.« Patrui jussis religiosissime paruit praefatus nepos, qui suis tabulis testamentariis anno 1712 confectis haec scripta reliquit: »Dichiaro ritrovarmi possedere due mila scudi di luoghi de' Monti.... lasciatimi dall' Illustrissimo fra Giuseppe Eusani mio zio carnale da poterne disporre ad causas pias.. per lo che voglio, ordino, e comando che l'infrascritta mia universale erede di detti scudi duemila di luoghi de' monti sia tenuta fondare una capella seu semplice beneficio ecclesiastico sotto il titolo della Madonna delle Grazie nella venerabile chiesa di Maria santissima del colle della terra di Prata... e che il juspatronato di presentare li capellani in detta capellania sia de' reverendi D. Antonio Petrarca, Domenico e Filippo Petrarca della terra di Prata e loro eredi e successori maschi in perpetuum, e caso che Dio non voglia, che cessasse la linea mascolina di detti Petrarca, il detto juspatronato ricada a Francesco Eusani di detta terra e suoi eredi e successori.«

Porro inscripta heres exeunte mense Novembri anni 1713 piam Petri Costanzi voluntatem executioni commisit ac publicum fundationis instrumentum conficiendum curavit. Hujus autem vi fratres Petrarca eorumque heredes ac successores patronatus jure pacifice sunt perfruiti usque ad diem 13. Maji 1807, quo per Josephi Petrarca obitum masculinam ejusdem lineam exaruisse disceptantes partes ultro haud renuunt admittere. Quid vero post id temporis evenerit inter eas controvertitur. Ex una enim memorati beneficii indoles ac natura edicitur omnino laicalis, non ecclesiastica proindeque acriter denegatur Eusaniorum substitutioni locum fuisse factum gallicam post legem die 15. Martii ejusdem anni promulgatam, quae fideicommissorum ac substitutionum cujuscunque generis abolitionem sancivit. Hinc juspatronatus ex gentilitio vel familiari hereditarium evasisse concluditur. Ex altera vero parte de ecclesiastica beneficii natura ne levissimum quidem dubium suboriri posse asseritur, neque ulla gallicae sanctionis mentione interjecta Eusaniorum substitutio propugnatur.

Cum vero anno 1819 praefati beneficii vacatio contingeret obitu Joannis Angeli Nontemurri, in quem patronatus jura per actum donationis inter vivos accedente ecclesiasticae auctoritatis sanctione idem Josephus Petrarca transtulerat, quidam Salvator Tarquini fuit beneficiarius renunciatus suffragiis editis tum a plerisque ex familia Eusaniorum tum ab Hermenegilda filia et herede Josephi Petrarca. Beneficio Tarquinius potitus est usque ad diem 29. Septembris 1855, quo ipse diem supremum obivit. Hinc hodiernae controversiae origo. Si quidem Philippus Colantosi qua filius et heres praedictae Hermenegildae nominationis suffragium edidit in favorem Silvestri Taddei, dum fratrum Eusaniorum s. Pii Fonticulorum degentium nonnulli germanum suum Franciscum proposuere, reliqui quemdam Aurelium Paci nominarunt. Ii vero qui Terrae Pratae commorantur universi Aloysium Giordani novum beneficiarium renunciare maluerunt. Postremus hic nominatus Aquilanam curiam adiit ecclesiasticam institutionem expostulans. Acriter contra ipsum inclamatum est. Attamen, re judicialiter acta, ab illa curia decretum prodiit die 3. Aprilis 1858 prolatum quo definitur: »Beneficium controversum esse ecclesiasticum.... et jus nominandi ad beneficium B. M. Gratiarum erectum in ecclesia parochiali s. Mariae de Colle Terrae Pratae spectare ad omnes heredes et successores quondam Francisci Eusanii ejusdem Terrae Pratae juxta arborem generalogicam dicti parochi in actis exhibitam:« ea propter diaconum Aloysium Giordani Terrae Pratae utpote a legitimis patronis nominatum in enunciato beneficio ac in ejusdem possessionem immittendum et bullam in ejus favorem expediendam esse, prout praesenti sententia admitti et expediri mandamus. Et tandem condemnamus rev. Dominos Silvestrum Taddei, Joannem Franciscum Eusani, clericum

Aurelium Paci, sorores Fortunatam et Magdalenam Camilli ad omnes judicii expensas. A qua quidem sententia penes hunc S. O. appellationem interposuit tum Philippus Colantoni tum Franciscus Eusani ejusque fratres tum Silvester Taddei, qui vero haud unquam liti se immiscuisse declarans queritur dumtaxat injuste omnino ad judiciales expensas ab Aquilana curia fuisse damnatum. Unius porro Philippi Colantoni allegationes ab Aloysio Giordani acriter impeditas recepi, a quibus, ut moris est, paucis me expediam.

In antecessum Philippi defensor controversi beneficii indolem laicam esse protuetur, quod vel a die 15. Maji 1788 per regiam quaesturam fuisse definitum commemorat. Porro civilis hujus judicii veritatem canonicis sanctionibus apprime respondere perpendit. Siquidem ad ecclesiastici beneficii naturam prae ceteris necessarium dicit, ut praeter constitutam dotem et injunctum missarum onus erigatur illud in ecclesiasticum titulum, ceu adnotat *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 2. num. 12* et *s. Rota praecipue in decis. 81. num. 1. cor. Pamphilio*. Verum de hujusce beneficii in ecclesiasticum titulum erectione nullo pacto constare animadvertit. Quin immo beneficii dotem, quae vix annuum redditum scut. sexaginta attingit, perexiguam ac ecclesiastico titulo omnino imparem edicit, cum ex fundatoris voluntate scutata triginta in missarum celebrationem sint eroganda, decem persolvenda publico loci praeceptori ac reliqua viginti cedere debeant in capellani commodum ac utilitatem. Accedit expressa primaevi benefactoris voluntas, quae eo spectabat, ut dos illa non ad ecclesiasticum beneficium instituendum sed ad pias causas dumtaxat inserviret.

Nec injuncta obstat obligatio, quae prostat in testamentariis Petri Costanzi tabulis, nimirum: »che detta capella si debba bullare, e spedirsi sempre le bulle nella corte vescovile di questa città;« quae quidem testatoris voluntas fuit posteriori tempore executioni mandata. Siquidem inter cetera animadvertit, superadditam a Petro Costanzi obligationem nullius ponderis esse habendam utpote quae in Porphiriensis Antistitis testamento imposita haud reperiatur. Quapropter tamquam exequutoris abusus ac arbitrium jactata bullarum expeditio est merito rejicienda.

Ita vindicata laica beneficii natura ad alterum defensionis caput pergit orator edisserens de patronorum jure ac nominatorum praelatione. Principii loco ponit ei patronatum beneficium esse deferendum, qui a legitimis patronis intra tempus habile fuerit nominatus, ceu tradit *Fagnan. de jurepatr. tom. 2. par. 4. num. 16 et tom. 3. par. 6. num 15 et num. 24.* Jam vero ex fundationis lege superius allegata liquido patet nominandi jus germanis Petrarca fuisse attributum ac substitutionis jure in Eusanios devolutum, si forte masculina priorum linea exaruisset. Factum vero est, ut, antequam extremus masculus, Josephus nempe Petrarca, hac ex vita migraret, quaecumque substitutio per gallicam legem aboleretur. Hinc patronatus jura non quidem Eusaniis, at dubio procul Josephi Petrarca heredibus ac successoribus generis cujuscunque transmittebantur. Et re quidem vera Hermenegilda altera ex Josephi filiabus et aliarum sororum Magdalenae atque Columbae procuratorio agens nomine patronatus jura exercuit, cum nempe nominationis suffragium edidit in favorem Salvatoris Tarquini, qui in pacifica beneficii possessione versatus est usque ad annum 1855. Ex hisce vero prono velut alveo fluit Philippum Colantoni praefatae Hermenegildae filium ac heredem legitimos inter patronos esse indubitanter recensendum, qui proinde jure suo fretus ad vacantem capellaniam Silvestrum Taddei intra canonicum tempus validissima ratione nominavit. Perperam autem adversarium confugere ait ad fundationis legem, qua sancitur nominandi jus ex defectu lineae masculinae Petrarca devolvi in Eusaniorum familiam. Quandoquidem ex ipsorum fundatorum placito praefatum jus recidit non quidem in universos Francisci Eusanii descendentes, sed in eos dumtaxat, qui ejusdem heredes ac successores existerent. Igitur id extremum ab adversario foret in sui favorem demonstrandum. Sed quamvis ipse rem conficere valeret, nihilo tamen minus causa perpetuo caderet, cum et in hac hypothesi Eusaniorum substitutio ob memoratam gallicae legis sanctionem penitus evanescat.

Nec regeri posse contendit gallicam legem substitutionibus inimicam subjecto themati aptari non posse eamque praeterea per decretum diei 2. Julii 1818 regiumque rescriptum diei 30. Septembris 1820 fuisse abrogatam. Continuo enim reponit memoratam legem cujuscumque generis substitutiones funditus evertisse, nimirum, prout habetur

in primo ejus articulo: »Qualunque chiamata al godimento di prelatura, commende familiari dell' ordine Gerosolimitano, legati Pii, capellanie laicali, e qualunque beneficio senza cura di anime ed obbligo di residenza.« Jam vero nemo inficiari potest beneficium Eusani vel a fundationis limine existere »senza cura di anime ed obbligo di residenza.« Ad regia vero placita quod spectat perpendit eadem nec potuisse nec voluisse gallicam sanctionem revocare. Sanioribus enim justitiae principiis apprime repugnaret jure quaesito quemlibet exspoliare, praesertim cum exploratissima liqueat ratione »legem futuris dare formam negotiis, non autem ad facta praeterita posse revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore et adhuc pendentibus negotiis cautum sit,« ad *text. in leg. 6. cod. de legibus*. Eo vel magis quia in novo codice, quem utriusque Siciliae Princeps exaravit, *sect VI. §: 941 et seqq.* edicitur: »Tali sostituzioni sono relate,« exceptis quibusdam taxative nominatis, quas inter profecto non recensetur illa in beneficio Eusani praescripta. Ceterum in eodem regio rescripto an. 1820 legitur: »Gli eredi e successori de' fondatori senza legame di fidecomisso avranno la libera disposizione dei beni addetti a quelle capellanie, eleggerano i capellani, e ne adempiranno i pesi.« Jam vero promulgata Gallorum lege die 15. Martii an. 1807 in humanis adhuc erat Josephus Petrarca, in cujus favorem proinde cujuscunque substitutionis vinculum fuerat omnino dissolutum. Hinc ipse mortis suae tempore nihil Eusaniis restituendum habuit, sed nominandi jus ab omni onere liberum suam in filiam Hermenegildam transmisit, quod idcirco in Philippo Colantoni ejusdem filio ac herede integrum liberumque perseverat. At contra qui tuetur partes Aloysii Giordani ecclesiasticam beneficii naturam ne in dubium quidem revocans solummodo de patronatus jure sermonem instituit. Paucis rem conficit. Animadvertit siquidem deficiente primo vocatorum genere illico substitutis locum esse faciendum. Atqui per Josephi Petrarca obitum, qui an. 1807 contigit, masculam hujus familiae lineam exaruisse nullam dubitationis aleam patitur. Hinc liquido deducit nominandi jus in Franciscum Eusanium Terrae Pratae ejusque heredes ac successores haud dubie fuisse devolutum. Memorat proinde Eusanios fratres an 1819 Tarquinium nominasse, qui ab Aquilana curia institutus pacificam beneficii possessionem diuturno tempore retinuit. Porro hodiernos patronos, qui Aloysium Giordani elegerunt, Francisci Eusanii Terrae Pratae descendentes existere genealogico ex schemate a loci parocho confecto abunde commonstrari affirmat. Nec ullum creat obstaculum prostare masculum descendentem, nempe Philippum Colantoni Hermenegildae Petrarca filium ac heredem. Siquidem masculus hic per foeminam cum familia Petrarca conjungitur et incontroversum est advocatam masculorum lineam per intermediam foeminam penitus interrumpi, ceu juxta communem doctorum sententiam adnotat *Fusarius in tract. de substitution. q. 546. num. 12, Carol. Anton. de Luca in tract. de linea legal. art. 16. num. 18 et 48. disc. 30. de jurepatron. num. 6, Pitonius alleg. 100. num. 418. de controv. patron.* Corruit igitur tum praesentatio in Silvestri Taddei favorem a Philippo Colantoni peracta tum eadem prorsus jure altera nominatio per sorores Fortunatam et Magdalenam Camilli in Auxilii Paci utilitatem edita, cum praefatae et foeminae sint et a Liberata Philippi Petrarca filia originem suam deducant. Nec eidem Liberatae controversum juspatronatus in dotem constituere valebat Philippus Petrarca ex eo quia fundationis tabulae vel masculos ex familia Petrarca vel in eorum defectu Eusanios Terrae Pratae beneficii patronos apertissime renunciabant foeminis utut proximioribus procul exclusis, prout monet *Rocca disp. jur. cap. 111. num. 23. 25. 26.* necnon *Pitonius loc. cit. num. 523. 526.* At quaesitum Aloysii Giordani jus non solum nominationem in favorem sive Silvestri Taddei sive Aurelii Paci editam, bene vero et illam vincere propugnat, qua Eusanii s. Pii Fonticulorum degentes scilicet Joannes maximus, Joannes crux et Vincentius germanum Franciscum proposuerunt. Ut enim isti asserti patroni suum jus protueantur luculenter demonstrare deberent se a Francisco Eusani Terrae Pratae ortum trahere verum ex genealogica arbore, quam ipsi protulerunt, id nullo pacto erui affirmat; immo contrarium evinci ex schemate illo apud acta exhibito, quo non interrupta Francisci Eusani Terrae Pratae portenditur successio. Jam vero inter hujus descendentes neminem ex assertis patronis recensitum invenies. Ad haec observat in arbore genealogica, quam fratres Eusanii s. Pii Fonticulorum exhibuere, neminem reperiri, qui Francisci nomine gaudeat.

Et qui Joannes Franciscus nuncupatur, confundi non posse perpendit cum Francisco Terrae Pratae. Siquidem dato parochi testimonio memorat Franciscum in lucem fuisse editum die 17. Octobris 1739. Joannem Franciscum contra longe seniorem existere, cum ipse vel a die 3. Octobris 1733 filium nomine Josephum ab uxore Felice Rampini susceperit. Ceterum, etsi utrosque inter Eusanios cognationis nexus intercederet, nihilo tamen secius Aloysius Giordani adversarium Franciscum Eusanium in assequendo beneficio omnino vinceret utpote majori suffragiorum numero fretus. Franciscum enim tres dumtaxat elegerunt, nimirum Joannes maximus, Joannes crux et Vincentius Eusani; septem vero ex Francisco Eusani Terrae Pratae descendentes Aloysium nominarunt, scilicet Sabatinus, Natalis, Julianus, Stephanus Ciamitti, Angelae Rosae Eusani filius, Paschalis, Joannes Catharinus et Franciscus. Quos quidem omnes in re nostra unicam efficere lineam singulosque in capita concurrere explorati juris edicit, cum vel ab initio unicus fuerit stipes, nempe Franciscus Eusani in testamento constitutus, ceu tradit de *Luca disc. 53. num. 4. 5. de jurepr.* Quocirca Aloysium Giordani prae Francisco Eusani in beneficii possessionem immittendum contendit ex eo, quod eidem Aloysio faveat major patronorum pars, quae minorem devincit, prouti docet idem *de Luca disc. 32. num. 6. de jurepatr., Vivian. in praxi jurispatron. lib. 12. cap. 8. num. 1. et seqq.*

Nec invocatae suffragiorum majoritati officere valent sive praefati Paschalis Eusani et Stephanus Ciamitti, qui die 24. et 28. Martii 1858 suffragium suum revocarunt, sive Cajetanus et Carmelus Eusani memorati Sabatini filii, qui parentis sui voluntati contradicere adnituntur. Priores enim intra fines quadrimestris ad praesentandum concessi seu die 4. et 10. Decembris 1855 Aloysium Giordani rite nominarunt. Ergo irrito prorsus conatu binos post annos exhibitam nominationem satagunt reprobare. Alteris autem variare non licet suffragium illud, quod eorum genitor antequam extremum obiret diem inter legitimum tempus seu die 4. Decembris 1855 in Aloysii favorem ediderat.

Ad rem confirmandam adjicit, universos praefatos patronos innitti possessione eorum auctorum: quod juris praesidium adversariis haud suppetere perpendit. Nam cum anno 1819 beneficii vacatio contigeret factum est, ut Aquilana curia Tarquini nominationem admitteret a fratribus Eusaniis Terrae Pratae editam, illa omnino rejecta, quam Hermenegilda Josephi Petrarca filia proposuerat. Postremo subdit hac in re sedulo inspiciendum ultimum possessionis statum et instituendum nominatum ab eo, qui in extrema beneficii vacatione capellanum praesentavit, prouti tenent unanimi consensione doctores teste *Gonzalez in cap. Consultationibus de jurepatron., cap. Querelam eod. tit., Barbosa in jur. pontif. lib. 3. cap. 12. num. 185* et novissime sancivit haec s. Congregatio in *Montis Virginis Juspatronatus an. 1859.*

Hisce breviter disputatis erit EE. VV. definire

Dubium:

An et quomodo sententia curiae episcopalis Aquilanae sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus ad primam partem, negative ad secundam.

Die 28. Apr. 1860.

Franciscus B. suo testamento anno 1870 instituit capellaniam hisce verbis: »*constituit et fundat iuspatronatus laicale sub invocatione s. Margaritae fundandum et erigendum in altare ejusdem Sanctae, quod existit in templo N., declarans et protestans dictum juspatronatus esse debere mere laicale neque ullam habeat mixturam ecclesiasticam, ita ut nec ecclesia nec persona aliqua nomine ecclesiae possit aliquo modo sese ingerere ex quocumque titulo.*«

Quoad jus activum nominandi seu praesentandi haec constituit: »*dictum juspatronatus liberum maneat et immune favore personarum, pro quibus ipsum testator instituit, commendans et jubens jus praesentandi esse debere tum masculorum tum feminarum ex Petro B. ejus germano fratre eorundemque heredibus et descendentibus in infinitum ...*«

Quoad jus passivum disposuit: »*quod si casus detur, quod dicti mei heredes et nepotes eorundemque familia in infinitum essent clerici atque solum possent retinere dictum beneficium seu juspatronatus, nunc pro tunc nomino unum ex eis qui sit magis idoneus.*«

Bonorum dotem huic beneficio constituit atque onus, quod capellano injunxit, consistit in celebratione missae singulis sabbatis a nominato et praesentato capellano. Immo si possessionem capellaniae caperent clerici, qui nondum sacerdotio essent initiati aut nollent ad sacerdotium progredi, quum tamquam beneficiarii tenerentur satisfacere missae celebrationi, possent eam celebrare per alios.

Voluit denique, ut capellania tum erigeretur, quando ejus uxor ac heres usufructuaria migrasset e vita.

Anno 1719 ejus uxor e vita migravit; sed nullum vestigium habetur de aliqua capellaniae erectione: constat tamen quendam clericum Philippum M. institutum tunc fuisse in capellania *institutionalibus literis* ab Ordinario habitis quamvis extraneus a cognatione testatoris; eidemque Philippo successisse anno 1785 alium clericum de cognatione testatoris, sed per similes episcopales literas seu bullas *institutionales*, uti eas appellabant.

Anno 1810 capellania vacante pronepos ex Petro B. paupertate pressus a summo Pontifice Pio VII. fe. rec. obtinuit, ut administratio capellaniae in sua familia consisteret tum pro se tum pro suis descendentibus in infinitum cum emolumento reddituum satisfactis oneribus. Perduravit descendentia ejus masculina usque ad annum 1855.

Vidua superstes ejusque filiae novum indultum ratione paupertatis sunt consequutae his verbis conceptum: *pro gratia ad decennium, deputato idoneo administratore ecclesiastico viro, qui impletis oneribus residuales redditus tradat oratrici in sui suaeque familiae sustentationem arbitrio et conscientia Episcopi.*« Adveniente hujus rescripti termino renovatisque precibus pro ejusdem indulti prorogatione obstitit quidam Benedictus clericus, qui descendit ex familia B. per feminas, contendens sibi pertinere capellaniam seu bonorum possessionem: atque rescriptum prodiit: *non esse locum prorogationi indulti, relicto tamen usu domus favore viduae ejusque filiae donec maneant innuptae facto verbo cum SSmo.*

Inde quaedam orta est quaestio inter clericum Benedictum et viduam super quadam bonorum capellaniae parte et per curiae episcopalis sententiam victor Benedictus extitit, qui per sententiam possessionem bonorum obtinuit: sed habitu clericali derelicto medicinae studio sese addixit.

Dum illa quaestio in curia episcopali agebatur, alter prognatus e familia B., nomine Alphonsus, adolescens, tonsuram clericalem recepit.

Appellante vero vidua a sententia curiae ad S. C. C. ea praesertim de causa, ut posset bonorum possessionem retinere, tunc dictus adolescens clericus Alphonsus postulavit a s. Sede interventum in causa, ut sibi capellaniam vindicarent: quare tres contendentes possessionem bonorum capellaniae petebant.

Jura Viduae.

Vidua B. ejusdemque filiae insistebant dicentes neutrum postulantium clericorum frui posse possessione bonorum capellaniae ex ea ratione quod capellania esset ecclesiastica, non laicalis; esset videlicet verum ecclesiasticum beneficium per literas bullares Episcopi consequendum seu per canonicam institutionem, idque eruebant ex eo, quod ante collata fuerit per literas episcopales *institutionales*, quae ab Ordinariis expediuntur, quando agitur de beneficio ecclesiastico. Neque censendum esse inquiebant id factum fuisse ex errore sed ex ipsa capellaniae natura, ubi enim capellania instituatur, quae habeat peculiarem dotem, proprium titulum, suum altare, certum missarum onus, ecclesiasticam esse reputandam.

Atqui neminem ex duobus clericis obtinuisse ab Episcopo canonicam institutionem, ergo bonis capellaniae neutrum frui posse.

Neque canonicam institutionem alterutri clericorum posse ab Episcopo dari propterea quod Dominicus habitum clericalem derelinquens omni juri eo ipso ad obtinendum ecclesiasticum beneficium valedixerit, Alphonsus vero in aetate constitutus non esset, quam sacri canones exigant ad obtinendum beneficium, ideoque quum neuter esset idoneus infirmandam esse curiae sententiam, quae bonorum possessionem ipsis mulieribus subtrahens Benedicto adjudicaverat.

Jura Benedicti.

Hic animadvertens contra Alphonsum, se progenie fundatoris derivantem et sacra tonsura initiatum consequutum fuisse per sententiam curiae bonorum possessionem,

quin ullus obsisteret, contendebat non posse removeri ab hoc acquisito jure: idque ostendere curabat, tum quia capellania non amplius vacans censenda esset, sed plena, ideoque serotinus nimis esset interventus in causa ab Alphonso postulatus, tum quia nulla ratio suppeteret cur ab acquisito jure per curiae sententiam repelleretur. Affirmabat enim dimissionem*) habitus clericalis non ipso jure repellere clericum a capellaniae possessione, sed opus esse ut trina canonica admonitio praecedat, juxta constitutionem Benedicti XIII. diei 1. Octobris 1724, quae incipit: *In supremo militantis.*

Jura Alphonsi.

Alphonsi orator, allegatis testatoris verbis, contendit capellaniam de qua agimus laicalem omnimode esse; attamen capellanum clericum esse debere, juxta casum, quem expendit *Rigantius in reg. 58. cancellariae***) *n. 59*, ideoque mulieres ejus bona possidere non posse. Neque opponi posse literas *institutionales*, quibus una alteraque vice Episcopi capellaniam contulerint, quasi vero esset ecclesiastica, non laicalis: non enim per unum alterumque actum episcopalem capellaniam suam posse immutare naturam ceu passim ab auctoribus traditur.

Exclusis itaque feminis a possessione bonorum totam quaestionem versari inter Benedictum et Alphonsum, quum uterque sacra tonsura initiati et eodem parentelae gradu reperirentur. Verum hoc in casu testatorem disposuisse ut *magis idoneus* praeferretur.

Quum autem testator non significasset conditiones***) quibus magis idoneus judicaretur eas desumendas esse ex communi jure. Ex duplici autem causa praeferendum esse Alphonsum Benedicto, tum quia Alphonsus clericus esset et ut clericus se gereret, contra vero Benedictus clericali militiae renunciaverit habitu dimisso et in medicinae artem incumbens, tum quia Alphonsus pauper esset et Benedictus dives.

Contra primam rationem objici non posse illud testatoris dictum, quod clerici possent satisfacere celebrationi missae per alium, si ad sacerdotium nollent ascendere, namque respondebat juxta eandem mentem testatoris esse, ut clerici permaneant, qui idonei essent ad beneficium (sic capellaniam appellabat testator) obtinendum possidendumque: non posse autem considerari tamquam beneficiarium, qui derelicto habitu clericali negotiis saecularibus se tradat, quod contra ss. canones esset.

His accedere consuetudinem, qua a sua origine semper clericis capellania esset tradita, quod si ab anno 1810 aliud contigerit, ex gratia et indulgentia apostolica factum esset.

Ad secundam rationem confirmandam, inquiebat orator, inter causas ad unum alteri praeferendum recenseri paupertatem, juxta textum in cap. *Is cui, de praeb. in 6*, ubi Amostazius cum aliis tradit: »est et alia causa »in beneficiis praelativa, nempe paupertas, »quapropter quoties pauper*) concurrit cum »divite pariter idoneo est ille praeferendus, »quia in egeno non solum concurrit gratia, »verum etiam pietas et misericordia.«

Quum itaque Alphonsus clericus esset et ecclesiae ut clericus deserviret, quum canonicae leges magis suffragentur clericis pauperibus quam divitibus, sponte fluere Alphonsum esse magis idoneum quam Benedictus ad obtinendam capellaniam.

Dubium:

An et quomodo et cujus favore danda sit immissio in casu?

S. Congregatio causa cognita distulit resolutionem rescribens: *Dilata et scribatur Episcopo ut perquisitis actis cancellariae et ss. visitationum referat de natura capellaniae.*

Sed perquisitione in curia episcopali peracta nihil repertum est quod ad rem faceret. Episcopus tamen animadvertit bullas episcopales, licet ut argumentum afferri possint ad dicendam capellaniam ecclesiasticam, non posse tamen immutare voluntatem fundatoris.

Itaque proposita causa sub eadem dubitandi formula s. Congregatio respondere censuit: *Affirmative favore clerici* (Josephi) *praevia dispensatione super aetate et deputato per Episcopum ecclesiastico bonorum administratore.*

Die 4. Septb. 1869 et 26. Mart. 1870.

Ex quibus colliges:

I. Non debere confundi juspatronatus laicale cum beneficio seu capellania laicali.**)

*) Vd. *p. 392. e.*

) Vd. ***Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

***) Vd. *p. 411. q; p 433 ll.*

*) Vd. *p. 412. VII.*

**) Beneficia laicalia seu melius capellaniae laicales vel legata pia sunt quaedam piae institutiones, in quibus auctoritas ecclesiastica non aliam partem habet praeter eam, quae a fundatoribus et

II. Indicia praecipua capellaniae ecclesiasticae esse fundationem ab institutore imperatam, quae non excludat auctoritatis ecclesiasticae interventum per solemne erectionis decretum: capellaniae naturam, quae omnia ea requisita habeat quae soleant esse beneficiorum ecclesiasticorum: modum quo fuerit intellecta fundatio, tempore fundationi proximo, ab iis quorum intersit.

III. In praesenti themate haec omnia videri concurrisse ad judicandam capellaniam ecclesiasticam; verba enim *mere laicale* et similia non esse ab institutore relata ad capellaniam, sed ad juspatronatus, quod voluit non ecclesiasticum, sed laicale.

f) In servitutem redigi non potest.

(Conc. Trid. sess. 25. c. 4. de reform.)

In ecclesia receptitia N. in Italia vacavit archipresbyteralis praebenda, cui cura animarum est adnexa.

Absente interim Episcopo eoque deinde vita functo praepositus fuit animarum regimini tamquam oeconomus Josephus regularis saecularizatus, qui scilicet ex apostolica venia regularem ordinem deseruerat atque inter clericos ejusdem ecclesiae receptitiae N. fuerat cooptatus cum facultate consequendi unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum.

Cum autem Josephus per biennium ut oeconomus vacantem paroeciam rexisset, Vicarius instante etiam municipio edicta affixit invitavitque, quotquot ad vacantem praebendam obtinendam adspirarent, ut facto periculo juxta morem coram examinatoribus ille, qui magis idoneus reperiretur, praebendam archipresbyteralem consequi posset. At vero Josephus dumtaxat praesens scilicet oeconomus nomen pro experimento dedisse dicebatur, quo peracto perquam idoneus fuit repertus. Cum autem praeterlapsus esset canonicus terminus ad conferendam paroeciam, Vicarius capitularis a Sede apostolica suis literis facultatem implorabat, ut in possessionem praebendae vacantis immittere posset memoratum Josephum. Interea clerus ejusdem ecclesiae receptitiae reclamavit ob duplicem praesertim rationem, tum quia sibi spectare contendebat jus praesentandi ad archipresbyteralem praebendam, tum quia ipsum utpote regularem eamdem assequi non posse asserebat.

Nonnulla interea contigerunt, quae nec ad praesentem quaestionem faciunt nec sunt digna memoria.

Duae itaque quaestiones in disputationem venerunt, una nimirum super jurepatronatus, altera vero super canonica electione Josephi.

Clerus ad sibi vindicandum jus praesentandi archipresbyterum quoddam documentum adducebat anni 1585, in quo ad rem nostram haec continentur: »Supplicamus Illmo et Revmo Episcopo, ut indulgere dignetur ne unquam Vicarius foraneus alius sit ab archipresbytero, ne lites et dissentiones ob harum dignitatum diversitatem in capitulo oriantur et ut dictus archipresbyter sit de gremio capituli inter eos (Canonicos) eligendus juxta antiquam consuetudinem capituli ejusdem confirmandus a Revmo Episcopo et ita ut creatus amoveri non possit excepto casu gravis delicti seu legitimae causae; nec possit alia dignitas constitui in eadem ecclesia et clero, excepto memorato archipresbytero illo modo ut supra.« Post haec eodem documento Episcopi illius temporis rescriptum his verbis legebatur: »Quibus capitibus visis ac perlectis odia litium fugientes et ne totus grex sine pastore diu esset inclinantes beniguiter subscribimus, ratificamus et de novo concedimus ac nostro consueto ipso sigillo munimus.«

Ex hoc itaque documento arguebat cleri defensor possessionem plus quam centenariam hujus patronatus juris, ita ut, etsi ignoraretur legitimus ejusdem titulus, hic tamen praesumi deberet; maxime cum documentum

a jure conceditur. Quod autem a jure conceditur est, ut invigilent ne voluntas pii fundatoris pervertatur. Quare si a fundatore excludatur auctoritas ecclesiastica, ea non potest intervenire nisi ad admittendam hanc ipsam voluntatem fundatoris et ad vigilandum, ut voluntas testatoris servetur, nisi et in hoc excludatur.

Capellaniae ecclesiasticae jurispatronatus laicalis sunt institutiones vere ecclesiasticae et considerantur et sunt beneficia ecclesiastica: juspatronatus enim sive pertineat ad laicos sive ad ecclesiasticos ratione ecclesiastici tituli (quo casu juspatronatus ecclesiasticum appellatur,) efficit tantum ut beneficia ecclesiastica non sint liberae collationis.

Juspatronatus enim sive laicale sive ecclesiasticum tribuit jus patronis praesentandi idoneos et dignos ad beneficia ecclesiastica et Episcopus*) tenetur acceptare hos idoneos et dignos praesentatos, quos tamen sua auctoritate in beneficia ecclesiastica immittit; quae immissio appellatur canonica institutio. Quum autem fiat auctoritate episcopali expediuntur litterae bullares, quae sunt literae solemnes, quibus ecclesiastica auctoritas manifestatur.

*) Vd. *p. 409. §: An.*

adductum ostenderet, ut defensor ipse ajebat, juspatronatus haud fuisse tunc primo concessum, sed jamdudum existens per illud documentum fuerit confirmatum, prout ostendunt verba illa: juxta antiquam consuetudinem capituli ejusdem. Haec enim verba praeseferunt observantiam, cujus origo latet in antiquitate. Nemo porro ignorat immemorabilem hujusmodi observantiam non solum excusare ab originario titulo proferendo sed etiam praesumptionem inducere pro quovis titulo de mundo meliori, ut juristae communiter loquuntur.

Quod si et ipse jurispatronatus titulus in casu exquireretur, non immerito constitui posse dicebatur in ipso documento adducto anni 1585. Praeseferre enim videbatur transactionis speciem inter clerum et Episcopum initae odia litium fugientes. Jam vero explorati juris est transactionem exceptionem parere litis finitae eamdemque vim habere rei judicatae, ideoque etiam successores obligare, eo quod correspectivum et onerosum titulum praebeat.

Sed praeter violationem jurispatronatus sustineri insuper non posse cleri defensor contendebat acta concursus. Non enim formam a Concilio Tridentino et constitutione s. Pii V: *In conferendis**) servatam fuisse affirmabat: namque ajebat neque indictum neque habitum fuisse concursum, sed per privatum examen Josephum fuisse electum. Contra ea quae per cleri defensorem ample adducta judicavimus plura ex officio advertebantur. Namque cum agatur de jurepatronatus, quod quamdam servitutem inducit, eidem clero tamquam actori onus incumbebat illud jus concludentissime demonstrandi. In jure enim quodlibet beneficium praesumitur liberae collationis, prout communiter tradunt auctores. Jamvero asserta cleri patronalia jura ostendi non videbantur per adductum documentum. Omissa enim quaestione de ejus authentica, quae a Vicario capitulari in dubium ponebatur, illud accedebat, quod ipsum documentum haberi non poterat neque tamquam originarius titulus acquisitionis dicti jurispatronatus neque tamquam testimonium antiquae possessionis. Nam etsi juspatronatus acquiri possit privilegio summi Pontificis, qui ex plenitudine potestatis de omnibus beneficiis disponere valet, *cap.: Licet 2. de praebend. in 6*, non potest tamen illud acquiri ex privilegio ab Episcopo concesso, *cap.: Hoc consult. de reb. eccles. non alien.*, *Garzias de benef. p. 5. c. 9. n. 128*, aliique communiter. Quare, etiamsi ab Episcopo tunc temporis juspatronatus concessum fuisset, cum hac potestate Episcopus sit destitutus, nullius momenti esset facta concessio et observantia inde orta.

*) Vd. p. 425.

Quod si illud documentum proferretur tamquam testimonium possessionis controversi juris, juvare clerum non poterat, nisi ostenderetur eadem possessio ad praesentia usque tempora perdurasse, quemadmodum enim reliquae servitutes ita et juspatronatus licet antea legitime acquisitum amittitur per non usum longissimo vel longo tempore, quod satis sit in hac re ad praescribendum. Tradunt autem auctores, si intra longum temporis intervallum duabus vicibus ecclesiae rector fuerit institutus absque praesentatione a patronis facta, jus praesentandi praescribi nisi patroni ostendant se fuisse legitime impeditos. Porro in praesenti themate etsi a clero asseritur per plura saecula continuata possessio dicti juris nulla tamen legitima adducebantur praesentis et elapsi saeculi documenta praebendae archipresbyteralis collationem per concursum factum respicientia, quae nullatenus mentionem faciebant neque de jurepatronatus neque de praesentatione a capitulo facta. Quare neque in petitorio neque in possessorio existentia jurispatronatus prout oportebat ostendebatur.

Plura insuper animadversa sunt ex officio, quae contra electionem factam militabant. Quamvis enim capitulum sede episcopali vacante in universam Episcopi jurisdictionem succedere censeatur, id tamen juxta sacros canones intelligitur de jurisdictione, quae necessaria censetur ad dioecesis gubernium, non vero de voluntaria. Hinc capitulum seu Vicarius capitularis, in quem jurisdictionis exercitium transferri debet, beneficia illa, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, conferre omnino prohibetur. *cap. 2: Ne sed. vac.**) Jure quidem decretalium olim ejusmodi beneficia vacantia a futuro Episcopo conferenda erant, postea vero eorum collatio apostolicae Sedi reservata est juxta regulam II. cancellariae**) et constitutionem

*) Vd. *p. 400. h. i; p. 413 s; p. 505 bbb.*

**) Regula, quae hodie secunda est inter regulas cancellariae, originem ex parte repetit ex citata constitutione s. Pii V.

s. Pii, quae incipit: *Sanctissimus* diei 9. Martii 1568. Quapropter beneficia omnia, quae ad liberam Episcopi collationem spectabant, sede episcopali vacante nonnisi a romano Pontifice conferri possunt, ceu unanimi suffragio docent *Girald. Exposit. jur. pontif. t. 1. pag. 277. sect. 428, Reiffenstuel. lib. 3. §. 2. n. 30, Pirhing. lib. 3. tit 9. §. 2. n. 9, Rigantius ad reg. II. cancell. §. 3. n. 48, 141 et 145* aliique.

At dubitatum fuisse advertebatur: an allegatae juris praescriptiones locum etiam haberent circa ea beneficia, quae vacarunt sede adhuc plena et vacantia ab Episcopo decessore relicta fuerunt, ut in casu praesenti contigerat. Plures enim auctores negativam sententiam sunt sequuti eamque sibi magis arridere affirmat *Rigantius loc. cit.*, eo quia reservatio, cum sit odiosa, limitari debet ad casum in lege expressum scilicet ad beneficia, quae proprio destituantur rectore sede episcopali vacante. Contrariam tamen sententiam tuetur *Garcias de benef. par. 5. c. 1. n. 634 et seq., Tondut. resol. de benef. part. 2. c. 3. §. 5. n. 28. et seq.* eamque esse usu receptam et in praxi servari monet idem *Rigantius loc. cit.* Quare in praesenti casu si ad Episcopi collationem archipresbyteralis praebenda pertinere definiebatur ,secundum receptam in praxi sententiam deesse Vicario capitulari videbatur facultas eam conferendi. Sed praeter ejusmodi reservationem et alii aderant defectus, ob quos cessavisset etiam jus conferendi dictam praebendam.

Elapso enim tempore a jure definito is ad quem primo loco collatio pertinet ex negligentia jus amittit beneficium conferendi, juxta *cap. 3, 4 et 5. de suppl. negl. praelat. in 6*, quinimmo sex mensium termino elapso, cum de parochialibus ecclesiis agitur, earum collatio Sedi apostolicae est specialiter reservata ex constit. s. Pii V.: *In conferendis* diei 5. Aprilis 1527.*)

Insuper cum in jure certum sit irrita esse acta concursus in paroeciis conferendis, quae non fiant coram examinatoribus synodalibus, idest vel in synodo electis vel ex facultatibus s. Congregationis Concilii, ceu docet *Fagnanus in cap.: Cum sit de aetate et qualit. n. 54* et *Benedict. XIV. de syn. l. 4. c. 7. §. 8 et 9*, ambigi etiam posse videbatur an prosynodalium examinatorum facultas ad sex menses a S. C. concessa expiraverit, namque ex actis concursus eruebatur examinatorum judicium emissum fuisse ultima semestris die.

Josephus suam defensionem per causidicum suscepit, quae eo praesertim dirigebatur, ut excluderet juspatronatus a capitulo, de qua quaestione satis jam loquuti sumus.

Dubia:

I. *An constet de jurepatronatus favore clerici N. quoad archibresbyteratum in casu?*

II. *An et quomodo sustineatur electio (Josephi) ad archipresbyteratum ita ut eidem danda sit institutio in casu?*

S. C C. causa discussa respondere censuit

Ad I: Negative et amplius.

Ad II: Negative in omnibus et collationem spectare ad s. Sedem.*)

Die 10. Junii 1865 et 8. Julii 1866.

Ex dictis colliges:

I. Sicuti legitima patronatus jura tollere aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem redigantur non esse permittendum.**)

II. Episcopali auctoritate non posse induci in beneficiis ecclesiasticis conferendis servitutem quamlibet, quae liberae collationi opponatur.

III. Beneficia vacantia sede episcopali vacante reservata esse apostolicae Sedi juxta regulam secundam cancellariae, cujus vi (ubi ea viget) reservata etiam censentur beneficia

Haec enim reservatio beneficiorum, quae vacant post Episcoporum obitum, ante dictam constitutionem sancti Pontificis cognita penes veteres auctores non erat, prout colligi potest ex *Barbosa de off. et potest. Episcopi part. III. alleg. 57. n. 35.*

*) Vd. *p. 425.*

*) Vd. *p. 429 ii; 440 ss.*

**) Memoria sunt digna verba Concilii Tridentini *sess. 25. de reform. c. 9*, quibus indicatur etiam modus, quo juspatronatus probari debeat; verba autem sunt ejusmodi: »Sicuti legitima patronatuum jura tollere piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit sancta synodus, ut titulus jurispatronatus sit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis juris requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum juris dispositionem.

sede plena vacantia, quae talia manserunt sede episcopali postea vacante.

IV. Elapso sex mensium spatio in paroeciis liberae collationis eas s. Sedi esse specialiter reservatas juxta celebrem constitutionem s. Pii V.: *In conferendis.*

V. In praesenti casu praecisione facta a qualibet reservatione non videtur sustineri potuisse electio Josephi, qui apprime idoneus ob scientiam et caetera merita fuerit ab examinatoribus renunciatus, tamen utpote regularis habilis ex indulto factus non fuerat ad consequendam dignitatem, sed dumtaxat beneficium etiam cum cura animarum.*)

44) Electio.

a) Acceptio personae.

Vd. t. I. p. 170; t. II. p. 433. ll.

b) Simoniaca.

Vd. *Benef.* (collatio simoniaca p. 443.)

c) Per sortes vetita est.

Ariminen.

Electiones fieri per sortes prohibent *textus in cap. fin. de sortilegiis* et *in leg. Sacris Nostris 45. de Episcopis et clericis.* Non desunt vero doctores plures, qui hanc prohibitionem extendunt etiam ad praesentationem a patronis faciendam. *Ita Farg. comm. ad singulos canones de jurepatronatus part. VI. in cap. XXV. num. 7, Zab. in dict. cap. fin. de sortilegiis sub num. 4*, ibi: *Intellige etiam in quocumque modo, per quem proveniatur ad titulum beneficii, ad quem obtinendum cum requiratur canonica institutio, non est locus sorti.*

Die 17. Febr. 1821.

*) In praesenti casu praecisione etiam facta a jure reservationis neque sustineri forsan potuisset electio Josephi, quamvis caeteroquin idoneus ob scientiam et caetera merita. Ipse enim utpote regularis habilis non erat ad beneficia ecclesiastica consequenda; ex indulto habilis dumtaxat factus fuerat ad consequendum unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum. Porro heic agebatur non solum de beneficio curato, sed de dignitate capitulari, cui adnexa erat animarum cura, cujusmodi est archipresbyteratus, de quo loquimur, adeo ut archipresbyter non solum paroeciae praeesset sed etiam collegiatae ecclesiae juxta ecclesiae ejusdem consuetudines.

d) Valida.

Vd. *Beneficium* (nominatio valida); *Beneficiatus* (qualitas p. 181 etc. 185 etc.); *p. 503 aaa.*

45) Electivum.

Vd. *Beneficium* (divisio multiplex p. 521.)

Quod attinet ad beneficia electiva notandum est, ea proprie dici electiva, in quibus intervenire necessaria debet confirmatio superioris. Caeterum quae conferuntur electione communibus suffragiis facta, confirmationem vero Superioris minime requirunt, ea nonnisi improprie electiva dicuntur, ut post *glossam in Clementina 2. Ut dotem*, verb.: *Electionem de religios. domib.* tradunt *Van. Espen jur. eccles. univers. part. 1. tit. 21. cap. 3. num. 4 et seq., Gonzal. in commentar. ad regul. 8. hodie 9. cancellar. gloss. 19. n. 10 et sequent., Garz. de benefic. par. 1. cap. 6. num. 14 et sequent., Murg. eod. tractat. quaest. 3. art. 2. n. 114 et plur. sequent., Rota in nuperrimis decis. 27. n 11. tom. 5. part. 1*, ubi quod in beneficiis proprie electivis servanda est forma; *cap.: Quia propter, de elect.*, et per obitum beneficiatorum viduatae remanent ecclesiae, et in *Colon. Decanatus 28. Januar. 1724. §. Ex quibus, cor. bon. mem. Gamach., in Uladislavien. Archidiaconatus super coadjutoria 14. Jan. 1757. §. 7. cor. R. P. D. Parraciano.*

Utilis autem est haec observatio, nam expressio, quae de jure facienda est in collationibus beneficiorum, electivae qualitatis ipsorum obtinet quoad beneficia proprie electiva, *Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 18. n. 14 et plur. seq., Tondut. de benefic. part. 1. cap. 40. num. 9. et sequ., Rota in nuperrimis d. decis. 27. d. num. 11. tom. 5. part. 1* et in d. *Colonien. Decanatus 28. Jan. 1724. §. 12. cor. bon. mem. Gamach.* et in *d. Uladislavien. Archidiaconatus super coadjutoria 14. Januar. 1757. d. §. 7. cor. R. P. D. Parraciano.*

46) Episcopi facultas in beneficia et curam animarum exercentes.

Vd. *Visitatio beneficiator.*; *Beneficium* (erectio — consensus Episcopi. *p.* 552. h.); *p. 358 n. 4, p. 514 n. 30. a.; p. 554. k.*

Regien.

Conc. Trid. ipsum curata beneficia quibuslibet sublatis privilegiis ordinariae Episcoporum jurisdictioni subjecit et Rota *dec. 233. num. 30. part. 10* sub exemptione non venire curam animarum, de qua privilegium non loquitur, definivit. Insuper s. hic Ordo in *Constantien. Jurisdictionis 31. Martii 1770*, in *Mediolanen. 12. Novembris 1689 apud* Ferraris biblioth. verb.: *Visitare num. 31*, in *Hispalen. 30. Januar. 1694 ad 6. dub.* et praecipue in *Capitaquen. 17. Januar. 1761* paroecias ecclesiis exemptis unitas ab Ordinario visitari posse decrevit, quamvis per praelatos suos visitatas esse constaret, nisi Benedicti XIV. constitutio attendatur, quae incipit: *Firmandis*, qua Tridentinae sanctiones ad paroecias exemptis ecclesiis unitas extenduntur.*)

Die 19. Dec. 1835.

Venetiarum.

Profecto tradit Franciscus *Begnudell. Bussi biblioth. jur. canon. civ. verbo: Jurisdictio n. 18:* Jurisdictio concessa super beneficiis ecclesiae non infert concessionem juris conferendi, etsi enim collatio sit actus jurisdictionis, non venit tamen sub jurisdictionibus.

Die 19. Decb. 1840.

47) Erectio.

a) Ex abbatia suppressa.

Suppressio abbatiarum in dioecesi Lucana et erectio ex bonis earum duorum beneficiorum de libera collatione sanctae Sedis.

Pius VII. Episcopus.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Humanarum rerum ea est inserta conditio, ut non raro accidere videamus, quod illa etiam, quae in ecclesiae ejusque ministrorum commoditatem fuerant constituta, gravibus identidem jacturis atque immutationibus obnoxia reperiantur. Hoc sane proxime superioribus annis evenisse intelleximus circa bina ecclesiastica beneficia seu potius monasteria abbatias nuncupata, unum nempe sancti Hieronymi atque alterum sancti Bartholomaei in dioecesi Lucana existentia et actu per obitum bo. mem. Prosperi, dum viveret, sanctae romanae ecclesiae diaconi Cardinalis Bottini nuncupati vacantia, quorum bona ob novas praeteritorum temporum circumstantias maxima ex parte fuerunt deperdita.

§. 2. Cum igitur bona, redditus ac proventus insimul sumpti antedictorum duorum monasteriorum in praesentiarum annuam summam biscentum triginta circiter ducatorum auri de camera, ut accepimus, non excedant atque onere moderno et pro tempore existenti rectori parochialis ecclesiae loci de Cantignano ejusdem dioecesis annuatim titulo congruae scuta centum et quinquaginta libere solvendi praecipue sint gravati, ideo votis etiam obsecundando charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Aloisiae Lucae ducissae Nos ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine statum, naturam et essentiam supradictorum duorum monasteriorum perpetuo supprimimus, extinguimus et annullamus eisdemque sic suppressis, extinctis et annullatis unum dumtaxat simplex beneficium sub invocatione sanctorum Hieronymi et Bartholomaei a Nobis et romanis Pontificibus successoribus Nostris semper et quandocumque, prout de praedictis monasteriis pridem disponebatur, libere conferendum in ecclesia et ad altare ab infrascripto executore designandis de novo erigimus et instituimus ipsique omnia et singula supradicta bona, redditus et proventus nunc extantia integre ac perpetuo adsignamus et applicamus firmis tamen oneribus tam missarum quam memoratae congruae parochialis jam antea supradictis monasteriis incumbentibus ac per primum futurum et successivos dicti novi simplicis beneficii rectores fideliter adimplendis. Quocirca venerabili Philippo Archiepiscopo Lucano vigore praesentium committimus et mandamus, ut sive per se sive per aliam personam in ecclesiasastica dignitate constitutam, praevia supradictorum duorum monasteriorum suppressione atque extinctione ad novi simplicis beneficii erectionem et institutionem modo ac forma supraenunciatis et non aliter apostolica sibi ad hoc specialiter delegata auctoritate procedat. Nos enim omnes et singulas ad hunc effectum necessarias et opportunas facultates eidem executori concedimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 1. Maji 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 209. Ed. Romae.)

b) In altari certo.

Vd. Missa (in altari certo.)

Beneficia ecclesiastica erigi debent in ecclesia ad certum altare sub invocatione

*) Vd. *t. I. p. 1032.*

aliciijus Sancti, sub onere praestandi ibi aliquod officium spirituale sive ecclesiasticum, beneficium enim datur propter officium; *cap.: Quia 15. de rescript. in 6.*

c) Alteratio.

Vd. *Beneficium* (mutatio, immutatio.) *Commutat. ult. voluntatis; p. 370 n. 15.*

Vd. Beneficium (mutatio, immutatio.) Commutat. ult. voluntatis; p. 370 n. 15.

Neapolitana.

Solemnibus tabulis omnium bonorum suorum donationem contulit Agnes Frezza in Matthiam Infante Neapolitanum: bona haec existebant in due partite di arrendamenti sopra diversi Monti, una di ducati 500., l'altra di ducati 400., oltre un appartamento alla Signasecca ed una casa con botteghe; quae domus duc. 150 annua gignebat: imposuit autem donatario di erigere e fondare un semplice beneficio dopo la sua morte, previo l'assenso impetrando dall' Ordinario, sotto il titolo di M. SS. del rosario nell' altare della venerab. chiesa di santn Maria della sanità, e quello dotare di annui ducati 55 per capitale prezzo dei ducati 1100 da sodisfarseli, effetti e beni da essa donati... quale sia e debba essere de jure patronato laicorum... e il jus nominandi spetti a D. Mattia Infante suo donatario, ed i discendenti.

Beneficiato impositum est onus di celebrare, o ar celebrare tre messe la settimana... e dopo la morte di detta Agnese un' altra di più la settimana. E facendo detto beneficiato celebrare dette messe da altro sacerdote, che meglio li parerà e piacerà, debba quelle sodisfare e pagare a grana 10 per elemosina di ciascuna messa... e debba di più detto beneficiato celebrare o far celebrare ogni anno un altra messa nel giorno della festività della bb. Vergine in detto altare.« Adjunxit praeterea: »che qualora il suo donatario, o suoi eredi si decidessero di assegnare detti ducati 1100... fatto detto assegno tutti gli altri beni ed effetti restino liberi da detto obligo e sua ipoteca... Ed in caso che detti padri del detto venerabile monastero ricusassero di accettare la costruzione di detto beneficio nella detta capella del rosario costrutta entra detta venerabile chiesa... sia lecito a detto suo donatario ed eredi di potere destinare altra chiesa, altare, o capella dove si possa erigere detto beneficio, come loro piacenà; demum cavit: che se l'eredità venisse diminuita per lite, la rendita del beneficio fosse di soli ducati quarantadue, il capitale di ducati 850, e le messe una sola la settimana ed in sua morte un' altra al messe oltre le mese nella festività della beatissima Vergine. Mortua donatrice lis efferbuit donatorium inter et PP. Oratorii haeredes Hiacinthi Frezza fratris donatricis super pertinentia dell' appartamento. Ipsi vero assunsero l'obbligatione di pagare ad Infante dentro un anno ducati 250 vincolati da impiegarsi in compra de' beni stabili, o di annue entrate, e pendente tale restituzione, l'interesse al cinque per cento.« Hinc ex donatione habuit donatarius capita super montibus, alterum 500, alterum 400, praeterea vero duc. 250 ex transactione ac domum, quae quidem ab ipso aere proprio ornata ac superiori consignatione aucta ducata hodie annua 528 suppeditat.

Ast beneficium nunquam erectum est: missae ad annum usque 1792 celebratae sunt, et quidem data sunt sacerdotibus celebrantibus ducata 55 quotannis Ab hoc anno ad 1807 missae 130, ab anno 1807 missae 130 in praedicta ecclesia, cui olim PP. Dominicani, hodie PP., ut vocant, Reformati famulantur. Omissae vero omnino sunt ab hoc tempore usque ad annum 1831.

Qui nunc extant haeredes Infante tres sunt; atque haereditatem universam proavi sui pacifice diviserunt. Alter ex his Tobias, cui dimidium contigit de bonis donatis, et qui minus adversa premitur fortuna (ceteri enim sunt pauperrimi) die 12. Julii ann. 1831 EE. VV. exoravit petiitque — di aumentare secondo la tassa Innocenziana l'elemosina di grana 10 determinata per ciascuna messa delle 34 che sono la metà delle 68 a lui toccate in divisione dei beni ereditari di suo padre, e nel tempo stesso scioglierlo dal suddetto peso annuale; previo il pagamento di quella somma capitale, che corrisponde all' elemosina delle annue messe 34 di sua spettanza, che sarà per aumentarsi, come si è chiesto, e tale somma conseguare in beneficio di qualche luogo pio, il quale assuma il peso di tale celebrazione di messe 34 annuali, implorando nel tempo stesso l'assoluzione per gli obblighi non sodisfatti finora, ed esser sanato ancora di tutto ciò, cui è mancato nell' eseguire la volontà della persona donante.

Auditus eminentissimus Archiepiscopus Ruffo precibus obstitit quatuor ex rationibus:

1) Perchè sono contrarie alla volontà della donante, la quale ipotecò tutti i suoi beni per dote del Beneficio...

2) Perchè questi beni esistono a sufficienza e la sola casa, che rende ducati 528 annui, è più che sufficiente a sostenere il peso del beneficio per la rendita di ducati 421, 50...

3) Perchè l'oratore Tobia è tenuto in solidum, ed i fondi ritengono l'ipoteca...

4) Tanto più, che li coeredi poveri non hanno alcuna intenzione nè di fondare il beneficio, nè di contribuire ad alcuna rata di messe. Quello che sembra giusto poi è l'aumento della limosina e proporzionatamente la deminuzione del numero delle messe stabilito, giacchè la limosina di grana 10 assegnata dalla donante non è adattata ai tempi correnti: si potrebbe perciò la limosina aumentare a grana 22 e mezza per ciascuna messa, e circa l'attrasso accorda gli 5 anni di tempo. Scilicet apparet arbitratum fuisse Emum Archiepiscopum eam esse mentem oratoris, ut aucta missarum eleemosyna eaedem proportionaliter imminuerentur. Ast id nunquam animo sibi fuisse declaravit in suis ad praedictam relationem animadversionibus idem orator.

His habitis rescribendum censui eidem Emo Archiepiscopo ad hoc — ut non retardata inscriptione domus pro securitate causae piae oratorem ejusque fratrem et sororem moneret, ut consulerent conscientiae suae, ac cum iisdem ageret pro erectione beneficii ad formam dispositionis donantis ac de resultantibus certioraret. Quibus parens Emi Ruffo successor animadvertit: Che attualmente non si può più fondare il beneficio.

1) Perchè le parti interessate si ritrovano in una posizione molto infelice e bisognevole.

2) Perché si sono perduti alcuni capitali significati per l'incamerazione delle partite di arrendamento, che formavano la maggior rendita del medesimo non essendo stato possibile alle parti poterle rivendicare. Per altro è da osservarsi che la sorella dell' oratore ha impiegato fin dal 1832 un capitale di ducati 33 e gr. 33 alla ragione del 6 per 100 per far sodisfare le messe le quali ad essa appartengono, e che l'Ore Tobia è pronto a far lo stesso non solo per la parte sua ma anche per la parte del fratello. Dein postquam de bona fide oratoris pro praeteritis omissionibus retulerit favorabilem omnino sententiam profert.

Jam vero oratoris petitio eo nunc reducitur, ut ei liceat adsignare et tradere tot fundos, quot redditus suppeditent pares celebrationi missarum, quas praescripsit fundator computata eleemosyna ad taxam dioecesanam, quae indigitata fuisse videretur ab Eminentissimo Ruffo — in grana $22\frac{1}{2}$ per ogni messa — atque ita cetera bona ab omni erga pium opus vinculo liberentur. Quod liceat oratori bona adsignare ad dotem beneficii statuendam atque ita ceteros fundos ab omni vinculo solvere non ambigitur (quippe aperta sint instrumenti donationis verba). At quoad quantitatem praestationis quae exhibetur obstat vehementer voluntas ipsius donatricis. Etenim pro beneficio erigendo redditum illi assignavit ducat. 56 cum capite duc. 11,00, vel saltem, ubi lites interfuissent, duc. 42. 50 pro capite duc. 850. Ast orator una cum sorore sive primaevum missarum pensum servari velit numer. 65 quod sane ultro amplectuntur, sive posterius imminutum ad ducata 42 50, quatenus lites supervenissent; numquam eum ministrarent redditum ac dotem a donatrice praescriptum. Ceteroquin nulla in themate causa adesse videtur cur legatum ita debeat reduci, ceu animadvertebat c. m. reverendissimus Ruffo: dappochè (cheche no sia della divisione de' beni donati avvenuta tra li 'fratelli Infante) è certo, che tutti i donati beni furono onnossii ed ipotecati per la dote del beneficio; sicchè lo stesso obligo che avea Don Matthia Infante seniore hanno oggi i suoi eredi di fondare il beneficio... quindi ancorchè si vogliano menar buone le miglioranze fatte da Infante sulla casa donata, sarà però sempre vero, che la suddetta casa dovrà perpetuamente restare ipotecata per la rendita di annui ducati 150 secondo lo stato, in cui fù donata, e da questi si possono prelevare gli annui ducati 42 50 per dote del beneficio...(dappoichè sono avvenute delle liti, per cui l'eredità ha sofferto diminuzione a norma di quanto prescrisse la donante.) — Atqui ubi redditus satisfaciendis oneribus sint pares, onerum imminutionem non esse largiendam docuit S. C. *Ostunen. Red. miss. 4. Decb. 1784*, in *Aesina Reduct. 20. Martii 1824 ad 2. dubium*, in *Romana Unionis et reduction. 14. April. 1832* §. *Jam vero.* Ulterius donatrix jusserat, ut bene-

ficium in designato altari et ecclesia, de jurepatronatus donatarii ejusque haeredum erigeretur »praevio assenso dell' Ordinario«: hoc autem etiam in irritum cederet juxta preces oratoris; adeoque clericorum etiam pernicies derivaret, quibus ita beneficium deesset. Quod reprobat Sac. Congr. in *Aquilana Capell. 7. Junii 1837* §. *Utroque*, in *Spoletana 16. Dec. 1837* §. *Voluntatem.*

Quare etsi precibus annuendum censeant EE. VV. super praestatione summae, quae exhibetur, videant tamen num semper expediat beneficii erectionem urgere. Quoad vero erectionis locum, quoniam orator difficultatem facesserat eo quod PP. Dominicani non amplius ecclesiae B. Virginis a Sanitate inserviant, pensent EE. VV. num liceat haeredibus in alteram ecclesiam transferre, ceu existimabat emminentissimus Ruffo, eadem sane ratione, qua ipsis licuisset, ex donatricis voluntate, ubi PP. Dominicani noluissent illud beneficium in propria ecclesia recipere, seu potius ex universo instrumenti contextu judicent, num pro eo ut PP. Dominicanos, ecclesiam ipsam et aram BB. Virginis prae oculis habuisse donatrix dicenda sit.

Verumtamen non desunt quae oratori suffragentur in themate. Certum in jure est, quod qui donat rem utilem facere voluerit donatario, quem erga dilectionis suae peculiaria signa patefecit ipsa donatione. Ast ubi praeter redditus, quos amiserant donatarii (coll' incamerazione delle partite d'arrendamento) etiam capita pro beneficii dote ad formam donationis constituenda tradere coguntur, jam parva sane utilitas ac pauperculis hominibus levissima superesset in casu donatariis. Praeterea quod imminuta haereditate etiam legata omnia imminui debeant patet ex »*leg. si quis testamento* §. *apud Julianum ff. de legatis, leg. Quaerebatur ff. ad leg. Falcid. etiam pia, Amostat. de causis piis lib. 1 cap. 13 numer. 35, Olea de cess. Jur. tit. 4 quaestion. 5 num. 19., Rot. coram Molines decis. 450 num. 1*, ergo multo magis, si donata bona defecerint, onera erunt reducenda; quandoquidem donatarius universalis nedum aequiparatur haeredi, *Amat. rer. 58 numer. 11, 13, Merlin. de pignoribus lib. 4 quaest. 143 per tot.*, sed nunquam tenetur ultra vires donationis teste *Card. de Luc. de donation. disc. 44. numer. 2*, cum communi DD.; bene vero haeres, si nempe inventarii confectionem omiserit. Aequum propterea est, ut deperdita maxima donationis parte (dagli arrendamenti) beneficii quoque redditus et dos favore donatarii coërceatur.

Accedit his aequitas ss. canonum. Sciunt omnes patrono pauperi esse succurrendum ex beneficii patronati redditibus, S. C. *In Januen. Cap. 31. Aug. 1819, in Ripana Commut. volunt. 28. Julii 1822* et passim; et sufficit ad hoc paupertas etiam relativa, *Fargna de jurep. part. 1. cap. 3. can. 1. num. 8*, S. C. in *Bugellen. 16. Decemb. 1716*, in *Aretina Suspens. nominat. 14. Junii 1817*, in *Ravennat. Capell. 15. April. 1826* §. *Ad paupertatem.* Porro oratoris ejusque fratrum paupertatem aperte confitetur hodiernus Archiepiscopus: quare si quid ipse minus suppeditabit, quam ex fundatione praescribitur, veluti alimentorum loco eidem cessisse dici possit. Ceterum donatricis voluntatem quoad substantiam integram servari juxta preces nemo ambiget; nam et piaculares hostiae omnes celebrarentur; et beneficium etiam super redditu ab oratore ejus sorori praestando institui rite valeret.

Post haec quoad absolutionem super praeteritis ommissionibus et condonationem fructuum perceptorum qui beneficiato assignari debuissent videant ex universa factorum serie EE. PP., num bona illa fides adfuerit, quae maxime cum paupertate conjuncta aequissima semper causa benignitatis et indulgentiae his in rebus visa est, ut in *Spolet. Reduct. miss. 29. Nov.*, *Bonon. Reduct. miss. 29. Maji 1824.*

Recolant etiam per longum temporis spatium donatarios Sacrorum numerum praescriptum sane majorem curasse, ut litaretur: dirimantque pro ea, qua pollent, sapientia

Dubia:

I. *An et quomodo erigendum sit beneficium in casu?*

II. *An potius et quomodo annuendum sit precibus oratoris quoad onerum satisfactionem in casu?*

III. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis missarum omissionibus et condonatione fructuum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative pro erectione beneficii in annuis ducatis 42 cum dimidio ad formam fundationis Agnetis Frezza.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Affirmative celebratis missis 15 lectis.

Die 2. Junii 1838.

d) Ex capellania.

Urbinaten.

Horatius Zeppi erectionem jubendo capellaniae de simplici capellano et de legato pio locutus est et in suis codicillis missas reduxit ob onus minuendum in favorem consanguineorum. Hanc capellaniam seu legatum pium missarum Archiepiscopus erexit in ecclesiasticum beneficium perpetuum. Consulta s. Congreg. haec respondit: Hanc erectionem sustineri. Testator enim qualitatem laicalem illius haud significaverat.

Die 28. Maji 1796 dub. 1.

e) Ex capellania, legato etc. cum jurepatr.

Dotem debet fundator beneficii ad hoc, ut habeat legitimum juspatronatum, assignare de *propriis bonis liberis*, ut decidit *Rota coram Celso dec. 239. num. 6.*, *coram Cerro decis. 126. num. 6.**) Si quis enim administrator, executor vel protector loci pii ex illius redditibus aut ex aliis fidelium contributionibus, largitionibus et eleemosynis annuis erigeret, non posset Episcopus illi juspatronatum reservare; *Rota decis. 213. coram Peutinger.* Unde infertur**), quod si haeres vel successor in capellania manuali non collativa ab aliquo testatore relicta cum onere celebrationis missarum vellet illam in beneficium perpet. collativum erigere cum *reservatione jurispatronus*, non posset Episcopus neque cum consensu talis haeredis hoc facere, quia nihil haeres confert de suo, nec potest mutare legem a testatore praescriptam. *Pax Jord. lucubr. tom. 1. leg. 3. tit. 6. post num. 91, Fagn. in cap.: Conquerente num. 24. de clerico non residente*, asserens sacram Congregationem censuisse, quod hodie ex decreto Concil. Trident. *sess. 25. cap. 5. de reform.* non sit in facultate Ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam de consensu patronorum.

f) Causae.

Vd. *Beneficium* (finis p. 556. n. 51; officium;) *Canonicatus* (erectionis causae); p. *524. a*; p. *530.*

Nullius trium Fontium.

Beneficia eriguntur nedum ad onera implenda sed ad congruam etiam alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam, s. Congr. in *Neapolitana Reductionis 18. Martii 1826* §: *Si*, et in *Montis Falisci Reductionis missae pro populo 15. Martii 1828* §. *Rationum.**)

Die 14. Apr. 1832.

Thelesina.

Beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam, s. Congr. in *Senogallien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827.* §: *Jam vero*, et in *Brugnaten. Reductionis 27. Augusti 1831.* §. *Neque.*

Die 23. Junii 18‥2.

Romana.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae

*) Vd p. 554. k.

**) Non indistincte accipi potest, quod asserit Ferraris, capellaniam laicalem erigi in beneficium ecclesiasticum nec de consensu haeredis fundatoris posse. Distinguendum enim ita est: capellaniae laicales fundatae in actu inter vivos et fundatore vivo effectum sortitae nequeunt erigi in beneficia ecclesiastica, ut tradit Ferraris. At res aliter se habet quoad capellanias laicales vel fundatas in actu inter vivos sed effectum *sortituras post mortem fundatoris* vel fundatas in ultima voluntate, quia possunt id genus capellaniae erigi in beneficia ecclesiastica ad instantiam haeredis vel executoris testamentarii, ut tradunt *Garc. de benefic. eccles. par. 1. cap. 2. num. 198. et sequent.*, *Leuren. For. par. 1. cap. 3. §. 1. quaest 89. per tot.* Solumque limita si voluntas fundatoris resistat vel expresse vel etiam tacite, ut firmavit *Rota in Civitatis Castelli Capellaniae 15. Januarii 1744. §. 11 et 29. Aprilis ejusdem anni §. 12. coram bon. mem. Lana, in Praenestina Legati pii 21. Aprilis 1749. §. 9. coram eod. Lana;* in *Anagnina Capellaniae 16. Junii ejusdem anni 1749. §. 13. et 30. Januarii 1750. §. 6. coram eminentissimo Matthaejo.* Quod si resistente voluntate fundatoris capellania laicalis erecta sit in beneficium ecclesiasticum, donec in suo congruo judicio talis erectio irrita per tres sententias conformes declaretur, standum ei est in judicio possessorio; vide *Rotam in Tridentina Praemissoriae super manutentione 11. Januarii 1745. cor. bon. mem. Lana* et *17. Januarii 1746. coram clar. mem Millino.* Vd. notam p. 553.

*) Vd. *t. I. p. 1002.*

ministris suppeditandam, s. Congr. in *Asculana Reductionis 22. Januarii 1820* §: *Verum*, et in *Brugnaten. Reductionis 27. Augusti 1831* §: *Neque.* Decet nimirum Canonicos iis esse praeditos fructibus, qui pro personarum ac locorum qualitate pares sint honesto vitae gradui sustinendo, Concil. Trid. *sess. 24. cap. 15. de reform.*, s. Congr. in *Maceraten. Reductionis missarum 14. Maji 1831.* §: *Missarum*; atque hinc, ubi canonicatuum ac beneficiorum redditus oneribus non respondeant vel tuendae Canonicorum dignitati pro loci, temporum et personarum qualitate non sufficiant, illos augendos esse vel onera minuenda ex Trident. *sess. 24. cap. 15. de reform.* tradit s. Congr. in *Melevitana 12. Martii 1796.* §: *Certum* et in *Nullius s. Martini Suspensionis nominationis et reductionis onerum 27. Julii 1822.* §: *Jam vero.*

Die 21. Julii 1832.

Montis Falisci.

Beneficia eriguntur nedum ad onera implenda sed etiam ad congruam alimoniam ministris ecclesiae suppeditandam, *s. Congregatio in Neapolitana Reductionis 18. Martii 1826.* §: *Si*, et in *Senogallien. Reductionis 28. Aprilis 1827* §: *Jam vero.*

Die 15. Mart. 1828.

Nullius trium Fontium.

Animadvertere praestat beneficia et canonicatus erigi nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium, sed insuper ad decoram vitae exhibitionem ministris ecclesiae suppeditandam, *s. Cong. in Asculana Reductionis 22. Januarii 1820* §: *Verum* et in *Senogallien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827.* §: *Jam vero.*

Die 17. Maji 1828.

Brugnaten.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam, *s. Congr. in Asculana Reductionis 22. Januarii 1820.* §: *Verum* et in *Senogallien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827.* §: *Jam vero.*

Die 27. Aug. 1831.

Civitatis Castellanae.

Canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam, s. C. *in Asculana Reduct. 22. Januarii 1820.* §: *Verum* et in *Senogallien. Reduct. onerum 28. Aprilis 1827.* §: *Jam vero.*

Die 12. Mart. 1833.

g) Conditiones in erectione addendae.

Vd. *Beneficium* (conditiones p. 514. n. 30.); p. 353. etc.

h) Consensus et auctoritas Episcopi.

Vd. *p. 514. n. 30: p. 353. etc., p. 554. k.*

Burgi.

Laicale illud esse beneficium asserunt Mottii, quod Episcopi auctoritatem in ipso constituendo non adfuisse censent, uti Tridentino decreto ad ecclesiastici beneficii qualitatem inferendam requiratur, *sess. 19. cap. 12. de ref.* Hinc de haud absimili quaestione, monet *Card. de Luca lib. 9. de testam. disc. 18. n. 5*, cum hujusmodi capellania erecta non esset cum auctoritatibus Ordinarii, dici non poterat beneficium ecclesiasticum, sed res mere temporalis. *Idem lib. 3. de jurisd. disc. 40. num. 10. de benef. disc. 61. n. 6.*

Die 22. Junii 1833.

A Rota pronunciatum legitur *part. 5. recent. dec. 238*: Licet legatum fuerit factum cum onere celebrandi missas, non potest tamen dici beneficium ecclesiasticum, sed est quid laicale et temporale.., quia caret erectione Ordinarii. Nec obstat, quod in provisione facta ad favorem ultimi possessoris adsit institutio Ordinarii, quia placuit responsio, quod scilicet in judicando de qualitate beneficii erectio seu fundatio tantum debet attendi.

(Ibidem.)

Tacitam quoque erectionem ab Episcopo repeti posse explorati juris est; illiusque auctoritatem tacite ex intervallo accedere posse. *Garz. de benef. part. 1. cap. 2. num. 113, Lotter. de benef. lib. 1. cap. 15. num. 63, Rota coram Ansaldo dec. 585. num. 5 et 6, coram de Vais, Anconitana 21. Mart. 1696.*

§. *9.* Id tamen juris locum sibi vindicat, dummodo intercesserit ab Episcopo vel collatio, si liberae illud collationis sit, vel institutio, si de jurepatronatus agatur *Rot. coram Vicecom. Firmana 6. Jun. 1746.* §. *6.*

(Ibidem.)

Lauretana.

Ad constituendas ecclesiasticas capellanias, quas a beneficiis nomine tantum*) distingui monet *Amostazius de causis piis lib. 3. cap. 1. num. 6*, certa inprimis opus est ecclesiastici Antistitis auctoritate, qua probata fundatoris voluntas sit. S. C. C. *Ferent. 12. Aug. 1750*, *Urbinaten. 15. Sept. 1762*, *Piton. de patron. alleg. 35. num. 33.*

Die 3. Aug. 1833.

Montis Alti.

Legata pia et capellaniae laicales non assumunt naturam beneficii ecclesiastici, nisi ecclesiastica auctoritate erigantur, *gloss. in clement. 2. verb. si beneficiorum de decim., Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 5. num. 40* et *Rot. in Ariminen. Capellaniarum 15. Aprilis 1793.* §. *7. coram Rmo de Bayane Decano.*

Die 22. Aug. 1795.

Platien.

Ad legitimam ecclesiastici beneficii erectionem nec fundatoris voluntas nec dotis constitutio nec rectoris ecclesiae assensus satis habetur, sed Episcopi auctoritas, qui beneficium erigat, accedat necesse est, *can. Nemo 9. de consecr. dist. 1, Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 5. n. 14, Pyr. Corrad. de benef. lib. 1. cap. 2. n. 1, Barbos. lib. 3. jur. eccl. cap. 4. n. 6.*

Die 30. Maji 1829.

Beneficia ecclesiastica debent erigi cum auctoritate expressa Episcopi**); *Glossa in Clement. c. 2. de decimis* verb : *Si beneficiorum* in fine et cum communi *Barbosa juris ecclesiast. lib. 3. cap. 4. num. 15* et *Rota decis. 1. num. 24. coram Burati.* Requirunt enim canonicam erectionem, alias non sunt vera beneficia ecclesiastica, *cap.: Nemo 9. de consecrat. dist. 1, cap.: Omnes 1. dist. 22*, quia ut dictum est nullus privatus sine Ordinarii auctoritate potest locum sacrum vel rem spiritualem constituere, *arg. cap.: Ad hoc 4. de religiosis domib.* Si enim Episcopi auctoritas et assensus in erectione deficeret non dicerentur beneficia proprie dicta nec aliquod juspatronatus quaereretur fundatori; *Felin. in cap.: ex p. 12. de rescriptis. num. 2, Barbosa loc. cit. n. 16* allegans Rotam cum aliis; *Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 5. n. 55*, diceretur que simpliciter pia donatio ac pium legatum, si forte pro missis celebrandis vel pro anniversario vel etiam in perpetuum quidpiam relictum esset; *Rebuff. in praxi tit.: Quare instituta sunt beneficia num. 10, Barbosa loc. cit. n. 17, Lotter. cit . quaest. 5. num. 56*, ubi *num. 57* subdit, quod beneficium ante approbationem Episcopi potest concedi per laicum, per modum tamen simplicis deputationis sacerdotis, et *n. 56. 60*, quod capellaniae cum onere celebrationis missarum constitutae sine auctoritate Episcopi censentur laicales possuntque ad eas mere laici praesentari; *Barbosa de jur. eccles. lib. 4. cap. 4. num. 18.* Neque ad canonicam erectionem beneficii ecclesiastici sufficit auctoritas praelati inferioris, qui jura Episcopi non habet, quamvis sit exemptus et nullius; *Glossa Clement. de decimis cap. 2. in fin., Abbas cons. 59. n. 3. part., Lotter. de re beneficiar. lib. 1. quaest. 1. n. 40 et 46, Vivian. de jurepatronatus lib. 1. cap. 2. num. 25.*

i) Consensus interesse habentium.

Vd. *Beneficium* (conditiones p. 514. n. 30); p. 353. etc.

Maceraten.

Quamvis in beneficiorum erectione consensus omnium interesse habentium exquiratur, non tamen ita necessarium est, ut nonnisi quam eorundem consensu accedente

*) Vd. *p. 394. n 23.*

**) Quod dicitur beneficia ecclesiastica erigi debere auctoritate expressa Episcopi, id non est absolute verum, quum auctoritas Episcopi tacite ex intervallo accedere queat, *Garz. de benefic. part. 1. c. 1 n. 133, Lotter. de re benefic. l. 1. cap. 5. num. 63, Rota coram Ansaldo decis. 585. num. 5 et 6* et in *Anconitana Beneficii 21. Martii 1646.* §. *9. coram bo. me. de Vais.* Ut autem auctoritas Episcopi tacite ex intervallo accessisse dici queat, necessario requiritur, ut beneficium, de quo controversia est, provisum fuerit vel per collationem, si fuerit liberum, vel per institutionem, si juripatronatus obnoxium fuerit; *Rota in Firmana Capellaniae 6. Junii 1746.* §. *6. cor. bon. mem. Vicecom.* et in *Tarraconen. Capellaniae 11. Martii 1748.* §. *11. cor. Corrad.* Vd. notam *p. 551.*

erectio fieri possit, sed tantum requiratur ratione proprii interesse et praejudicii, ne erectio in aliorum vergat jacturam, *Rot. rec. decis. 7. numer. 14. part. 15*; quapropter si dissensus justae legitimaeque causae non sit innixus etiam iis invitis ad erectionem est deveniendum, *Ceccoper. lucub. can. lib. 4 num. 151* et *Piton. discept. eccl. 99. num. 7.*

Ut itaque oppositio et dissensus attendatur, opus est ut undique rationabilis sit et fundatus in aliqua justa et gravi causa, ob quam expediat et congruum sit potius omittere et perdere augumentum cultus divini, quam justitiae leges conculcare in alterius detrimentum, *Monacel. for. eccles. part. I. tit. 2. form. 4. tit. 15, Frances de eccles. cath. cap. 10. n. 2* et *Rot. in Cracovien. Canonicatus 15. Januar. 1725. §. Hinc, cor. Calcagnino.*

Quare sacra Congregatio, ubi actum est de capitulo ex justa rationabilique causa dissentiente erectioni novi canonicatus, potius voluntatem testatoris commutandam censuit, quam eo invito ac reluctante canonicatum erigere, ut in *Placentina Confirmationis concordiae 17. Dec. 1701.* Contra vero ubi capitulum injusta inanique de causa erectionem novi canonicatus impugnavit, etiam eo renuente canonicatus erectionem demandavit, ut in *Caesenaten. Erectionis archipresbyteratus 6. Maji 1723* et in *Firmana Erectionis canonicatus 12. Dec. 1734.*

Quando autem consensus cum conditionibus praestitus est, de iis etiam eodem modo inquiritur, num justae vel injustae sint. Justas siquidem sacra Congregatio semper probavit, injustas vero rejecit, ut in *Alatrina 8. Febr. 1727, in Sabinen. Erectionis canonicatus 18. Nov. 1730*, in *Lauretana Canonicatus 20. Julii 1754* et in *Eugubina Erectionis canonicatuum 26. Martii 1765.*

Die 23. Febr. 1771.

k) Dos.

Vd. p. 551. f.

Non possunt erigi beneficia sine congrua dote, *cap.: Nemo 9. de consecrat. dist. 1.* Unde ad Episcopum pertinet in limine fundationis diligenter examinare de dotis congruentia juxta qualitatem beneficii, loci ac personarum aliarumque circumstantiarum, ut cognoscat: an clericus inde honeste sustentari possit, nam ut Christus ipse dicit *Matth. c. 10. n. 10*: »Dignus est operarius cibo suo« et secundum Apostolum 2. *ad Corinth. cap. 9. non 13*: »Qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt et qui altari deserviunt, cum altari participant« et sic expresse statuitur in *cap.: Cum secundum Apostolum 16. de praebend.* his verbis: »Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari et qui ad opus eligitur repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur«; et infra: »Dignum est ut ecclesiae stipendiis sustententur, in qua et per quam diviuis obsequiis adscribuntur.« Et hanc dotem debet fundator beneficii ad hoc, ut habeat legitimum juspatronatum, assignare de propriis bonis*) liberis, ut decidit *Rota coram Celso dec. 239. num. 6. coram Cerro decis. 126. num. 6.* Si quis enim administrator, executor vel protector loci pii ex illius redditibus aut ex aliis piorum fidelium contributionibus, largitionibus et eleemosynis annuis erigeret, non posset Episcopus illi juspatronatum reservare; *Rota decis. 383.* et *decis. 413. coram Peutingero.* Unde infertur, quod, si haeres vel successor in capellania manuali non collativa ab aliquo testatore relicta cum onere celebrationis missarum vellet illam in beneficium perpetuum collativum erigere cum reservatione jurispatronatus, non posset Episcopus neque cum consensu talis haeredis hoc facere, quia nihil haeres confert de suo, nec potest mutare legem a testatore praescriptam, *Pax Jord. lucubr. tom. 1. leg. 3. tit. 6. post num. 91, Fagn. in cap.: Conquerente num. 24. de clerico non residente*, asserens sacram Congregationem censuisse, quod hodie ex decreto Concil. Trident. *sess. 25. cap. 5. de reform.* non sit in facultate Ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis, etiam consensu patronorum.**)

l) Simonia quando intercedit?

Vd. p. 443. tt.

Beneficium si quis fundaverit de suis bonis cum pacto, ut ipse tamquam beneficiatus illis fruatur, tum post obitum suum juspatronatus transeat ad haeredes, quamquam simoniacum id audiat apud multos, attamen ab ea labe immune censeri potest, neque enim satis esse discriminis apparet inter eum, qui fundat beneficium cum pacto, ut conferatur filio suo etc., et illum, qui vult sibi conferri; utrinque enim pactum adest; ita ex *Pitonio, Bened. XIV. instit. eccles. 95. §. 7.*

*) Vd. *p. 551. e.*

**) Vd. *p. 358. n. 4.*

48) De essentia quae sunt?

Vd. *Beneficium* ecclesiast. (quod est, p. 530. e) *Beneficium* (erectio — dos — p. 554.); p. 542 *notam.*

Licet perpetuitas censeatur de essentia beneficii, non tamen repugnat, ut speciali quodam jure manuale reddatur, *Rot. in Gerunden. Personatus et causae p.ae, quae est decis. 379. num. 1 et seq. part. 3. recent.* Praesertim si dispensatio apostolica intercesserit, *Corrad in prax. benefic. lib. 1. cap. 6. num. 188. et plur. seq.* Hinc sacra Congregatio in *Caputaquen. 17. Aprilis 1728*, in qua compatroni paratos se exhibuerant dotem pro medietate augere cujusdam perpetuae ecclesiasticae capellaniae, si qualitas perpetuitatis tolleretur, cum quaesitum fuisset: »*An sit locus mutationi beneficii jurispatronatus sub titulo s. Angeli et s. Bernardini in simplicem capellaniam manualem ad nutum patronorum in casu?* rescripsit: Affirmative, firma remanente qualitate beneficii ecclesiastici et praevia assignatione Molendini una cum specifica obligatione omnium bonorum tam pro evictione ejusdem Molendini, quam pro perpetua manutentione redditnum in ducatis quinquaginta.

Die 13. Febr. 1773.

49) Examen pro altero Nemo deponere debet ad obtinendum beneficium.

Vd. *Concursus pro collat. eccles. paroch.*

Contra eos, qui pro obtinendis beneficiis se ipsos pro aliis supponunt vel annuas pensiones offerunt aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab eis aliquid consequantur, vel pro se ipsis, ut aliis postea cum pensione resignent.

Paulus Papa IV.

Inter caeteras curas, quibus ex apostolatus officio assidue urgemur et premimur, ea continue animo nostro fixa fuit, ut beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia, personis conferantur idoneis,*) quae vellent et possent apud ea personaliter residere scirentque eis laudabiliter deservire. Et ad hoc dilectos filios nostros Bernardinum sancti Matthaei Tranensem et Scipionem sanctae Potentianae de Pisis ac Joannem sancti Joannis ad portam latinam titulorum Reumanum nuncupatos presbyteros Cardinales, qui una cum venerabili fratre Francisco Episcopo Gebennensi, datario nostro, distributioni et provisioni beneficiorum hujusmodi praeessent, jam dudum deputavimus. Verum, cum audiamus eosdem Cardinales et datarium, licet in his eam quam possunt majorem semper adhibuerint et in dies adhibeant diligentiam, personas, quibus beneficia ipsa conferenda sunt, super literatura examinando, de eorum vita et moribus ac beneficiis per eos obtentis aliisque ad praemissa facientibus accurate inquirendo, diversimode tamen circumveniri et falli ac diversas eis fraudes in praemissis fieri, aliquibus se alios esse simulantibus et tamquam tales se in examine supponentibus, aliis beneficia pro personis sibi cognitis et id ignorantibus, ut postmodum cum eis beneficia, etiam per simoniacam pravitatem, contractare et super eis pacisci possint, aliis personis, cum oblatione diversarum pensionum annuarum diversis personis etiam familiaribus continuis commensalibus nostris aut aliis, quos ipsi Nobis gravatos et acceptos esse existimant, annuatim persolvendarum et sic simoniacam haeresim incurrendo, aliis beneficia hujusmodi pro diversis aliis, sub spe pensionem annuam aut aliud commodum temporale ab eis consequendi, aliis beneficia ipsa pro seipsis, animo et intentione et interdum pacto expresse firmato, de eis postmodum in favorem aliorum, qui aliquando minus idonei et non benemeriti existunt, cum simili pensione aut commodo aut sine illa vel illo, resignandis et dimittendis, maxima cum instantia obtinere procurantibus,

§. 1. Nos, praemissis fraudibus et dolis ac haeresi simoniacae,*) quantum cum Deo possumus, efficaciter occurrere volentes apostolica auctoritate tenore praesentium *statuimus et ordinamus atque decernimus, quod de cetero omnes et singuli, qui post publicationem praesentium in locis infrascriptis faciendam occasione beneficiorum obtinendorum se alios esse simulaverint et tamquam tales se in examine supposuerint aut beneficia pro personis id ignorantibus seu pro se vel pro aliis, cum oblatione alicujus pensionis annuae aut pro aliis cum spe pensionem annuam* aut aliud quantumvis modicum temporale commodum ab eis consequendi vel pro se ipsis principaliter, animo et intentione ea postmodum in favorem aliorum, etiam quan-

*) Vd. p. *404. p.*

*) Vd. *p. 443. tt.*

tumvis idoneorum et benemeritorum, cum simili pensione aut commodo aut etiam sine eo, resignandi, *obtinere procuraverint, cujuscumque status, gradus, ordinis et conditionis existant*, etiam si episcopali aut alia majori dignitate ecclesiastica vel cardinalatus honore seu mundana, etiam regia, duca li aut marchionali praeeminentia praefulgeant, *excommunicationis et anathematis ac maledictionis aeternae sententiam, a qua nisi a Nobis aut romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constituti absolvi nequeant necnon privationis omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum*, cum cura et sine cura, saecularium et quorumvis ordinum regularium, per eos in titulum vel commendam*) aut alias quomodolibet obtentorum, et inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso absque alia desuper facienda declaratione incurrant, ita ut, constito solum summarie et extrajudicialiter quod ipsi contra tenorem praesentium aliquid fecerint, per curiae causarum camerae apostolicae generalem auditorem seu viceauditorem vel ejus locum tenentem pro talibus et ut tales publicari possint.

§. 2. Et nihilominus sic ut praefertur *obtentae provisiones et commendae aliaeque dispositiones nullae sint, irritae et inanes* nullumque alicui jus in ipsis beneficiis vel ad ea tribuant, nec aliquis earum vigore fructus sucs faciat, sed ad eorum restitutionem teneantur possintque beneficia, tam sic impetrata quam per eos antea obtenta, tamquam modo praemisso vacantia, a Nobis et romano Pontifice pro tempore existente dumtaxat libere impetrari.

§. 3. Volumusque statutum, ordinationem et decretum nostra hujusmodi *etiam quoad monasteria monialium et alia beneficia per moniales aut alias mulieres obtineri solita locum habere.*

§. 4. Non obstantibus constitutionibus ac quibusvis privilegiis, indultis et literis apostolicis quibusvis personis, etiam, ut praemittitur, qualificatis, etiam in forma confessionali et quod interdici, suspendi vel excommunicari nequeant, quomodolibet concessis, quae eis contra praemissa in aliquo suffragari non posse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Ceterum ne quisquam statuti et ordinationis ac decreti nostri hujusmodi ignorantiam praetendere possit, volumus praesentes, quarum solam signaturam sufficere decernimus, in aedium residentiae praefati datarii et cancellariae apostolicae valvis et acie Campi Florae per aliquem ex cursoribus nostris publicari et earum exemplum inibi affigi et dimitti publicationemque et affixionem hujusmodi omnes et singulos arctare perinde ac si eaedem praesentes illis personaliter intimatae et insinuatae fuissent contrariis non obstantibus quibuscumque.

Placet. Motu proprio.

Affixus fuit supradictus motus proprius.

Die 27. Nov. 1557.

(Bull. r. t. VI. p. 528. Ed. Ang. Taur. 1860.)

*) *Vd. p. 505. n. 26.*

50) Expensae motae litis de causis benef.

Si quis jam obtineat beneficium et injuste vexetur ab alio potest pecunia injustam vexationem redimere, ut ex canonistis omnibus firmatur; *Bened. XIV. instit. eccles. 93. §. 4.*

Si vero quis habeat jus ad beneficium et ab alio illi lis moveatur, non potest dare litiganti pecuniam, ut acquiescat, neque etiam titulo solvendi expensas in lite hucusque factas, nam tunc pararet sibi viam ad beneficinm per pecuniam; *ibid. §. 7.*

Beneficium obtinens jure certo et manifesto, ut nullus sit quaestioni locus, permittitur redimere injustam vexationem, ut ex *cap.: Dilectus 27. de simonia*; idque fieri potest nulla interposita Episcopi auctoritate. Fas est tamen Episcopo praecipere in synodo, ne id fiat absque suo assensu, ob periculum simoniae; *idem de synodo dioeces. lib. 7. c. 69. §. 8.*

51) Finis.

Vd. *Beneficium* (erectio — causae p. 551. f. — officium.)

Lunen Sarzanen.

Beneficium instituitur in substentationem sacerdotis juxta regulam *text. in can. Ultim. voluntas caus. 13. quaest. 2.*

Die 23. Jan. 1802.

Catharen.

Canonicatus et beneficia nedum ad implenda missarum onera et ad ferendum chori servitium sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam eriguntur, s. Congr. in *Senogallien. Reduct. onerum 28. Aprilis 1827. §: Jam vero.*

Die 13. Febr. 1841.

52) Fructus.

a) Anni primi haeredibus defuncti beneficiati reservandi.

Vd. infra lit. *i.* p. 568.

Consuetudo ecclesiarum reservandi haeredibus beneficiati jam defuncti fructus primi anni obtenti beneficii valet; nihil enim derogat juri illius, qui in beneficium recens invectus est, cum et ipse post mortem jure isto potiatur. Quare in favorem hujus consuetudinis saepius a sac. Congregat. decisum est, *Bened. XIV. de synodo dioeces. lib. 7. c. 70. §. 3.*

b) Applicatio fructus beneficii vacant. pro fabrica ecclesiae.

Vd. p. 370. n. 15 etc.

Praenestina.

Quod Episcopus jure gaudeat applicandi ad tempus pro fabrica ecclesiae in subsidium fructus beneficiorum vacantium videre est penes *Abbat. in cap. 1. num. 6. de eccles. aedific., Card. Tusch. verbo: Fabrica concl. 3. num. 5 et 6, Belett. disquis. cleric. tit. de cleric. debit. §. 13. num. 12, Barbos. de officio et potestate Episcopi alleg. 64. num. 4, Amostaz. de causis piis tom. 2. lib. 5. cap. 6. num. 58, Frances de eccles. cathedr. cap. 13. num. 64, Antonell. de regimine ecclesiae lib. I. cap. 2. num. 17, Panimoll. decis. 75. annot. 8. num. 14.* Ecclesiae fabricam onus etiam importare providendi sacra vasa, suppelectilia ceteraque ad divinum cultum opportuna eruitur ex *text. in cap.: Quicumque de eccl. aedific., Piringh. lib. 3. decretal., Rota in Capuana super reservatis 17. Junii 1748. §: Inter partitas, coram de Vais post tract. decis. 82. num. 3; eodem igitur* jure quo Episcopus fructus vacantis beneficii applicare potest in fabricae utilitatem, potest eodem pacto in utilitatem sacrarii, dummodo vero fructus vacantium beneficiorum non spectent ad cameram apostolicam, quia ista tunc succedit loco ecclesiae ex constitutione Pii IV. edita 30. Julii 1560 ac altera die 7. Septembris ejusdem anni, tunc enim supplicandum foret pro applicatione fructuum R. P. D. thesaurario generali, cui potestas est, hujusmodi redditus justa concurrente causa ecclesiae vel sacrario applicare.

Die 8. Aug. 1801.

c) Beneficii renunciati.

Burgen.

Beneficiati ecclesiae cathedralis distribui non valent inter se fructus praebendae seu beneficii, cui praebendatus seu beneficiatus renunciavit, et ab eodem beneficiato non perceptos tempore primi semestris suae residentiae, ad formam statuti praescribentis, quod fructus primi semestris inter caeteros beneficiatos non dividerentur sed restitui debent beneficiato renuncianti.

Die 27. Novembr. 1779.

d) Cessio vetita.

Vd. *Bona eccles.* (non alienanda); t. I. p. 429. d; *Poenitent. apost.* (facult., Constit. Benedicti XIV. *Pastor bonus* §. 20 — 22 etc.); *Fructus. Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell. — *regul. 69.* —)

Cessiones commodi exigendi fructus beneficiorum prohibentur sub poena excommunicationis et nullitatis contractus.

Benedictus XIV. Episcopus. Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis ecclesiae cura, quam inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, inter caeteras sollicitudines exigit etiam ac postulat, ut diligenter invigilemus ne clerici ecclesiasticis beneficiis, quae e liberali ecclesiae manu acceperunt, abutentes eorum redditus non sine aliorum fidelium scandalo inconsulta prodigalitate disperdant, sed tanquam boni dispensatores ita administrent, ut et vitae suae necessaria provideant et pauperum inopiae et ecclesiarum necessitatibus succurrant.

§. 1. Relatum est ad aures Nostras, quosdam clericos ecclesiasticis beneficiis cum onere vel sine onere residentiae provisos turpibus ut plurimum ex causis impulsos

annuos eorumdem beneficiorum redditus, quos donec viverent percipere possent, unico actu alienare sub nomine cedendi commodum seu utilitatem percipiendi fructus eorumdem beneficiorum, quos alteri, quoad vixerint, vendunt recepta pecunia et eam summam et quantitatem, quam ipsi habita ratione eorum aetatis et corporis valetudinis, durante vita verisimiliter consequi potuissent. Cum autem isti improvidi clerici instar illius prodigi filiifamilias, de quo in evangelio scriptum est: *Cum substantiam suam a patre recepisset, totam statim consumpsisse luxuriose vivendo et deinde facta fame valida coactum esse vivere de siliquis immundorum animalium*, pia ecclesiae subsidia et ecclesiasticos proventus in suas explendas cupiditates improbo hujusmodi contractu profundant, multa hinc et gravia mala ut experientia ipsa compertum est evenire solent. Nam primum non leve dedecus ecclesiastico ordini inuritur et grave reliquis fidelibus scandalum generatur, dum vident ecclesiasticas pecunias, quae sunt vota fidelium, bona pauperum, patrimonium Christi, in pravos usus insumi vel improvida profusione dissipari, quae ab ecclesiasticis tanquam probis dispensatoribus in solamen pauperum et ecclesiarum restaurationem impendi deberent. Praeterea saepe hujusmodi clerici ad summam rediguntur egestatem et ut se sustentare possint vel indecore non sine infamia clericalis gradus mendicant vel indignis quaestibus et negotiis operam praebent; ecclesiam autem et ecclesiasticas res quodammodo aversantur, quasi fraudati mercede vel stipendiis suis, quae nullius culpa, sed solum vitio et flagitiis suis amiserunt; ideo ecclesiastica munera vel nunquam vel negligenter obeunt, divinam psalmodiam, si ad eam in publicis ecclesiis ratione suorum beneficiorum teneantur, frequenter omittunt vel oscitanter persolvant, ecclesiasticos coetus non frequentant, animarum salutem non curant, divina fastidiunt, mundana sectantur.

§. 2. Volentes igitur hanc improbam consuetudinem et non ferendam pravitatem, qua non mediocriter clericalis ordinis fama minuitur et honor conculcatur, ecclesiae autem debito servitio, pauperes opportunis subsidiis et sacrae aedes necessariis reparationibus et ornamentis fraudantur, penitus abolere motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine omnibus clericis quacumque dignitate, praeeminentia, honore et privilegio insignitis interdicimus et prohibemus, ne inposterum audeant sub nomine alienandi utilitatem et commodum percipiendi fructus vel alio quovis titulo, praetextu et colore vendere ac distrahere suorum respective beneficiorum redditus et proventus vel ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per ejusdem temporis vel vitae spatium probabiliter consequi potuissent, sub poena excommunicationis et nullitatis actus seu contractus et omnium inde consecutorum, aliisque poenis inflictis, praescriptis et statutis contra alienantes bona ecclesiae,*) quas rursus hic contra eosdem clericos sic contrahentes renovare, decernere ac statuere intendimus et volumus. Et insuper ad uberiorem cautelam et quatenus opus sit, omnes hujusmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, motu, scientia, deliberatione et potestate simili damnamus, reprobamus, cassamus, irritamus et annullamus eosque nullos, cassos ac irritos decernimus et declaramus illosque suis auctoribus tanquam invalidos, cassos, irritos atque inanes viribusque et effectu ab initio vacuos neque in judicio neque extra ad ullum effectum suffragari debere neminemque ad eorum observantiam obligari, etiamsi pluries juramento firmati et vallati sint, sed nullum inde jus cuicumque aut actionem vel titulum etiam coloratum possidendi aut praescribendi per quodvis longissimum temporis spatium acquiri unquam posse pariter praecipimus et jubemus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore impugnari aut retractari posse, sed semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac praedictae sanctae romanae ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis apostolicae prefatae Nuntios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et

*) Vd. *t. I. p. 456. r.*

auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indultis, concessionibus et gratiis apostolicis tam generalibus quam particularibus quantumvis speciali mentione et nota dignis, quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis et aliis superioribus et inferioribus ecclesiarum praelatis, etiam sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus ac eorum et nostris familiaribus continuis commensalibus necnon literarum apostolicarum scriptoribus, abbreviatoribus caeterisque romanae curiae officialibus concessis et confirmatis caeterisque contrariis quibuscumque.

Die 29. Aug. 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 69.)

Veliternen.

Beneficiorum fructuum cessiones adversantur constitutioni: *Universalis* s. m. Benedicti XIV., quae contractus nullitate mulctandos voluit cedentes et cessionarios fructuum beneficiorum; supplex sanationem implorat orator.

Die 2. Junii 1821.

e) Collatione pendente.

Vd. infra lit. *h*. p. 568.

Fabrianen.

Fructus pendentes per successorem in beneficio perceptos dividendos esse pro rata servitii praestiti ab antecessore, statuit S. C. una tantum parte infirmante.

Die 29. Decembr. 1801.

f) Divisio pluribus beneficiis communem massam constituentibus.

Vd. *Benef.* (divisio p. 518. n. 40.)

Veliterna.

Die 7. mensis Augusti an. 1861 Franciscus Maria clericus Santucci possessionem iniit cujusdam beneficii erecti a quodam proavo suo materno in ecclesia s. Mariae de Trivio in civitate Veliterna, quod beneficium communem cum caeteris in eadem ecclesia massam constituit. At cum ad fructus dividendos deventum fuit, portio Santuccio assignata est tempori et servitio ab ipso praestito respondens; idque peractum est a beneficiatis vi cujusdam legis dioecesanae, quae Canonicorum collegia ab initio respiciebat et a cl. me. Card. Pacca Episcopo Veliterno rogatu beneficiatorum ad collegium s. Mariae de Trivio die 7. Junii 1833 occasione s. visitationis extensa est.

Huic divisioni stare noluit Santuccius atque existimans per eam sacrorum canonum dispositiones violari, quaerelas suas curiae episcopali detulit »per ottenere la consegna della quota che gli spettava a forma del dirittio canonico« et a curia die 18. Junii p. anni adversam sententiam retulit. Hanc itaque s. Congregationem adiit supplex postulans ut sententia curiae episcopalis Veliternae infirmetur.

Die 20. Julii superioris anni rem remisi Emo Veliternorum Episcopo pro informatione et voto, qui auditis beneficiatis in scriptis referret super statu causae et super bono oratoris jure. Episcopus suffraganeus loco Emi injuncto muneri satisfaciens universa totius causae acta transmisit, inter quae deductiones beneficiatorum reperiuntur et ipsius sententia, quam proprii animi votum exprimere testatus est. Quare diei 13. Novembris proxime elapsi anni Emo Episcopo enunciandum curavi, ut praefigeret partibus terminum ad deducanda ulteriora jura sua coram sacra Congregatione et de resultantibus certioraret. Quibus omnibus adamussim expletis utraque pars per proprium patrocinatorem super dubio in calce proposito disputandum consensit. Meum nunc erit quae ab utroque oratore fuse disputantur in allegationibus circumferendis per summa capita recensere

Communis massae defensor allata imprimis synodali lege, qua statuitur, fructuum divisionem pro rata temporis servitiique peragendam esse, eam ad omnia, quotquot sunt in dioecesi Veliterna, beneficiatorum collegia extensam fuisse demonstrat omnium consensione et suffragio acceptam et plurium annorum observantia suffultam.

Neque vero legem illam juri communi adversari allata *Cardinalis de Luca de judic. disc. 35. num. 40* auctoritate evincit. Hic enim auctor hanc regulam ponit, ut in iis quae capitulorum membra respiciant vel privatam cujuscumque capituli oeconomiam primo loco attendenda esse specialia statuta, deinde synodales constitutiones ac demum

jus commune: ex quo concludit hoc in casu statuta capitularia et synodales leges servandas esse, quidquid jus commune in contrarium constituat.

Nullam deinde ait extare in corpore juris legem, quae methodum a synodo Veliterna constitutam improbet, ita ut auctores juris ecclesiastici in assignanda fructuum divisione antecessorem inter et successorem non parum dissentiant, cum alii fructus pro rata temporis et servitii dividant, alii iis, qui eos collegerint, attribuant, alii denique distinguentes ea beneficia quae adnexam habent causam lucrativam tantum ab iis quae causa onerosa gravantur illorum fructus iis vindicent, qui eos collegerint, horum vero pro rata temporis et servitii dispescant, *Card. de Luca de benef. disc. 100. n. 12, Garz. de benef. par. 2. cap. 1. n. 94 et seq.* Qua posita regula, cum beneficiati s. Mariae de Trivio onerosam potius quam lucrativam causam adnexam habere videantur, utpote qui choro interesse et plerique ex ipsis curam animarum gerere teneantur, sapienter omnino ea divisionis lex constituta videtur, qua fructus pro rata servitii attribuuntur. Praesertim cum lex eadem et qualitati fructuum et Tridentinae sanctioni *sess. 21. cap. 3. de reform.* consentanea sit; qualitati quidem fructuum, quia, cum redditus pene omnes in vini perceptione Velitris consistant, si quis ante diem hujus perceptionis moriatur, toto anno servitium sine mercede perferre debuisset et successor cum aliena jactura locupletaretur, Tridentinae vero sanctioni, quae statuit, ut distributiones inter praesentes et servitium choro praestantes dividuntur, quo obtineri valeat ut laborem merces consentanea subsequatur. Itaque constitutiones synodales quae statuunt, ut fructus massae ratione temporis et praestiti servitii distribuantur, menti Patrum Tridentinorum conformes esse concludit. Neque mirum: cum aequitas postulet, ut beneficiorum fructus, qui propter officium constituti sunt, tamquam praemium laboris habeantur et alimentorum loco cedant, sicque fiat ut qui altari inservit de altari vivere possit.

Adjungit speciales in casu adesse rationes, cur divisionis methodus a synodo Veliterna praestituta et decreto 7. Juni 1833 ad collegium s. Mariae de Trivio extensa servanda sit, cum vacante beneficio a Santuccio hodie possesso communis massa omnia realia et personalia onera eidem inhaerentia perferre debuerit, annuam praestationem camerae spoliorum compositionis titulo persolvere, onera missarum adimplere et clerico, cujus opera necessaria fuit, honorarium retribuere.

Neque huic divisionis methodo vel ipsam supremi legislatoris scientiam et acquiescentiam deesse contendit, cum synodus illa Veliterna typis edita, per Emum Cardinalem Decanum summo Pontifici dicata et ab Eo accepta habita fuerit. Ea tandem methodus communi utentium voto introducta, aequitati et specialibus loci circumstantiis accommodata, si hodie servanda non esset, innumera incommoda litesque pareret, cum unicuique ex Canonicis vel eorum haeredibus a peractis per tot annos divisionibus resilire novasque postulare liceret.

Denique nullam hodie patere viam Santuccio contendit ad contrariam sententiam declinandam. Nam vel putat synodum Veliternam juri communi contrariam esse, et tunc antequam petat, ut massae fructus sibi juxta communem normam addicantur, agendum ipsi foret apud legitimam auctoritatem, ut lex illa revocetur: aut eam juri et aequitati consonam existimat, et hoc in casu ejusdem praescriptionibus acquiescendum est.

Contra haec defensor clerici Santucci demonstrare ab initio connititur fructus omnes naturales et industriales, ubi non adest collector apostolicus, a die obitus beneficiati deberi successori, idque probat allata auctoritate *Pignatelli consult. 126. n. 6. tom. 4., Rotae decis. 722. part. 4. tom. 3. et decis. 153. n. 3. part. 10., decis. 157. n. 2. part. 17., decis. 19. num. 5. et 6. part. 5. rec., Redoan in 5. q. n. 1. et seqq. de spol. eccles.* Atqui in ecclesia s. Mariae de Trivio collector apostolicus non reperitur. Igitur fructus omnes a die obitus antecessoris Santuccio obvenire debent: idque praesertim quia in themate agitur de fructibus naturalibus, quos, quamdiu a solo separata non fuerint, successor sibi vindicat. *Panimoll. decis. 20. quaest. 1. n. 11.* ex dispositione juris communis, ex constitutione Julii III.*) et Urbani VIII. et ex resolutionibus s. Congregationis, ceu videre est in *Perusina seu Romana 26. Julii 1850* et nuperrime in *Eugubina Jurium et alimentorum 27. Juni 1863. §. Quoniam.* Fructus enim civiles quia quotidie deberi incipiunt divisionem admittunt pro rata temporis possessi beneficii; naturales vero, quia dum colliguntur dumtaxat debentur, solum in certa anni parte percipiuntur ab eo qui eos colligit: *Panimol. loc. cit. dec. 20. annot. 1. n. 24. et 25.*, sac. Congr. in *Lucana Pensionis 6. Maji 1848.* et in cit. *Eugubina §. Atque.*

*) Vd. *infra p. 568.*

Nec ullatenus obstare ait, quod fructus beneficii a Santuccio possessi communem cum ceteris massam constituant; nam hi fructus massam ut ajunt grossam efformant; hujusmodi vero fructus beneficiatis ideo debentur, ut monet, quia succedunt loco praebendae et vere dicuntur fructus beneficii, ac de illis sicut de praebenda judicatur: quare non haeredibus, capitulo aut collegio, sed ei qui collectiònis tempore praebenda potitur obvenire debent: *Panimoll. loc. cit.*

Quinimo fructus omnes etiam civiles licet naturales, dummodo exacti non fuerint, Santuccio vindicat, quia fructus omnes eamdem massam grossam repraesentant, quae per beneficiatos hodie viventes non per defunctos repraesentatur; ac proinde his, non aliis debentur. *Gonzalez. in reg. 8. cancell. gloss. 37. n. 27,. Rota decis. 418. part. 9. tom. 2. n. 23. 24. Rec.*

Itaque, prosequitur, cum jus commune descriptam fructuum divisionem requirat, ad jus illud abrogandum particularem legem latam anno 1833 nihil valere retinendum est, quia juri communi non Episcopis sed solum rom. Pontifici, ut ait, derogare fas est: quam in rem affert *Ferentinam Capellaniae 1. Martii 1834* §: *de legis* et *Signinam Constitut. capitular. 24. Januar. 1829.*

Transitum deinde faciens ad objectam observantiam nullam proprie dictam consuetudinem pro collegio s. Mariae de Trivio extare contendit, cum ab edita lege nondum quadraginta anni interfluxerint et titulus etiam desit. Decretum enim Ordinarii, a quo consuetudo incepit, nullitatis vitio laborat, utpote juris tertii laesivum; illudque, si praesentes non reclamantes obligare poterat, nullatenus ad futuros successores proprio jure venientes extendendum erat: sac. Congreg. in *Tarentina 11. Aprilis 1761*; *Ariminen 18. Decembris 1834*, *Ferentina Capellaniae 1. Martii 1834*, *Murana 30. Martii 1844* §. *6.* Licet in synodo dioecesana decretum illud latum doceatur, cum neque in synodis decreta edere valeant Episcopi contra jus commune, ceu legitur in *Ariminen. 18. Dec. 1824* §: *Nec.*, *Bened. XIV. de syn. dioec. l. 12. cap. 1 et 5.* Allata tandem regula dividendorum fructuum potiorem etiam vim in themate acquirit, ut affirmat, ex eo, quod legi fundationis omnino conformis est. At legem fundationis mutàre praeter r. Pontificem licet nemini, s. Congregatio in *Mutinen. 23. Nov. 1833*, in *Sarsinaten 9. Sept. 1813*, in *Urbinaten. 26. Martii 1786* atque alibi pluries.

Quibus utrinque perpensis EE. VV. dirimere dignabuntur

Dubium:

An sententia curiae episcopalis Veliternae sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 28. Maji 1864.

Continuatio.

Ratus idem clericus se in praecedentibus comitiis ideo a judicio excidisse, quia decretum quoddam Emi Episcopi editum anno 1833 efficaciae juris communis in casu obsisteret, antequam dies iterandi certaminis statueretur, supplici libello petiit ut absque praejudicio jurium suorum super exorta quaestione vellem far esaminare il suddetto decreto alla sapienza di questo sacro consesso, perchè previa la nullità dal medesimo si ordini la prestazione all' istante de' frutti a norma della fondazione, consuetudine immemorabile, e diritto comune. Ad quas preces die 5. Julii rescribendum esse censui: habebitur ratio in die propositionis causae et uniatur. Sub duplici ergo capite hodie praesens judicium per partium defensores instauratur allegationibus hinc inde distribuendis, quarum synopsim brevi oratione heic exponam, rogans Eminentias Vestras ut folium alias distributum recolere dignentur.

Orator clerici Santucci animadvertit novam quaestionem novumque dubium super nullitate decreti an. 1833 se ad abundantiam proponere: nam enixe tuetur allatis novis documentis eamdem nullitatem petitam fuisse tum generice tum specifice ab ipso Ordinario Veliterno, quin hujusmodi petitio necessaria fuisset ac modo sit. Ex jure enim decretalium, ut observat Ordinarius, etiam ex officio clerico Santucci fructus ad normam juris communis tradere tenebatur. Quod ut pro-

bet, praemissa distinctione quoad fructuum divisionem inter antecessorem ac successorem, necnon inter tertios seu collegium, utroque in casu contendit, Ordinarium Veliternum etiam ex officio fructus clerico Santucci tribuere debuisse, etsi praeviam nullitatem rescripti clericus non petiisset. Etenim ad quaestionem quod spectat inter antecessorem et successorem, ante constitutiones Julii III. ac Urbani VIII. in potestate forsan judicum ob aliqualem veritatis speciem positum fuisse monet, ut ipsi excusationem aliquam mereri potuerint, si aliter jus commune interpretati fuissent, non ita vero post publicationem earum constitutionum. Nam unus et alter Pontifex expressis verbis jus commune declararunt et sanxerunt, ut in posterum judices omnes ac praesertim locorum Ordinarii nedum successoribus tradere deberent fructus, qui maturescunt, a die vacationis, ubi non adest subcollector apostolicus, vel a die possessionis, ubi adest, sed etiam fructus, pecunias, emolumenta ac cetera hujusmodi, quae maturarunt tempore antecessorum, solutio vero eorum tempore vacationis seu possessionis contigerit.

Siquidem omnes etiam Pontifices, qui jus successorum pro tempore vacationis limitarunt ex reservatione facta rev. camerae apostolicae, expresse sanxerunt, ut quidquid obveniret tempore possessionis successoribus tribueretur. Alias enim successoribus deberentur fructus omnes, qui obveniunt a die vacationis, tum ex jure expresso decretalium in *cap. fin. de judic. ordin., cap.: Quia saepe de elect. in 6°*, tum ex *concilio Viennensi in cap. VII. de elect. et potest.* Nullum idcirco dubium esse arguit, quod ad normam sacrorum canonum eos omnes fructus tradere Ordinarius Veliternus debeat, quin aliquod decretum anni 1833 obstare potuisset. Divisio enim pro rata temporis juri communi cum opponatur, induci non poterat ex eo etiam quod in casu lex fundationis et consuetudo immemorabilis adamussim cum jure cohaerens concurrebat. Quin decretum illud vim arripere valuerit ex synodo dioecesana anni 1817; nam nihil in praefata synodo quoad conclericos s. Mariae de Trivio statutum habetur; et extensio legis, quam ann. 1833 Ordinarius Veliternus peragere se posse putabat, nova prorsus lex erat, quae, si praesentes afficiebat, successores obligare non poterat, nisi nova sanctio superaccessisset.

Addit insuper quod, etsi in absurda hypothesi lex synodalis esset, quae hanc divisionem fructuum pro rata temporis permitteret, nil prorsus officeret, cum haec, utpote juri communi adversa, nulla censeretur; sacra Congregatio in *Ariminen die 18. Decembris 1824, Fagnan. in cap.: Quod super; Barbosa de offic. et potest. Episcop.* Nemo enim praeter romanum Pontificem derogare valet juri communi, ceu ead. s. Congreg. in *Ferentina Capellaniae die 1. Martii 1834. §: De legis, Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 2. cap. 1. num. 23.*

Qua de re nec observantia subinde inducta, si reapse adesset, judicem excusaret, cum nonnisi ex errore inducto veterem ac immemorabilem consuetudinem ac legem praeexistentem intervertere non posset; s. Congreg. in *Capuana die 17. Decembris 1853 §: Nec saniori, Gloss. in cap. ult. de consuet.* In casu praesertim ubi lex dioecesana et observantia jura successorum proprio jure venientium praepediret; tunc enim, etiamsi lex hujusmodi dioecesana roborata maneret ex observantia centenaria, immo et juramento eorundem beneficiatorum, ab ipso Ordinario abrogari deberet, ceu in durioribus terminis edixit H. S. O. in *Murana Relaxationis juramenti die 30. Martii 1844.* Idcirco, cum clericus Santucci coram Ordinario Veliterno institerit, ut sibi fructus ad normam sacrorum canonum tribueret, illico eos etiam ex officio concedere Ordinarius debebat, quin praeviam nullitatem rescripti anni 1833 praemittere debuisset. Absurdum enim esset quod Ordinarius vel non posset vel de jure et ex officio extirpare non teneretur abusus in dioecesi inductos, nisi quis extet, qui id enixe ac directe petat.

Quod nihilominus Franciscus Santucci satis expresse expostulavit; nam ideo fructus ad normam ss. canonum petiit, quia l'Ordinario diocesano non ha facoltà di stabilire cosa alcuna contro il diritto comune. Nec alias se gerere potuisse addit, quin injuriam tum juri decretalium tum concilio Viennensi, tum constitutionibus Julii III. et Urbani VIII. irrogasset.

Nam praelaudati Pontifices nedum jus commune favore successorum in beneficiis declararunt, sed etiam expressis verbis judicibus quibuscumque facultatem alias interpretandi jus ac decidendi ademerunt et clausulis amplissimis etiam privilegia apostolica, statuta per modum etiam ordinationis ac cetera hujusmodi e medio sustulerunt. Immo si quid scienter vel ignoranter inposterum attentari contigerit, nullum atque irritum renunciarunt. Quod si haec in jure expresse sancita non forent, nihilominus urget sententiam Ordinarii nullam censendam esse, quia clericus Santucci pendente judicio petitionem tacitam ac genericam nullitatis decreti apposita instantia in expressum deduxit. Ob id siquidem rapuit in judicium conclericos s. Mariae de Trivio, ut nullitas decreti declararetur quatenus opus sit, si citano . . . a comparire nell' udienca suddetta e previa quante volle faccia bisogno la dichiarazione di nullità ed inefficacia dell' allegato decreto emanato li 7 giugno 1833. Falsum propterea esse concludit, quod clericus Santucci ipsam nullitatem rescripti ab Ordinario Veliterno non petiisset, quatenus illa necessaria censeretur. Maxime cum in casu sacerdotes adversarii non sint heredes antecessoris in beneficio, sed tertii ac extranei, contra quos quocumque etiam colorato praestiti servitii titulo destitutos sacri canones se admodum severiores praebuerunt.

Et revera cum aliquis e collegio vel obitu vel renunciatione non amplius servitium praestet, ceteri ex illius deficientia nullum majorem laborem in ecclesia conferunt, quam ex officio praestare tenentur.

In casu praesertim, ubi conclerici s. Mariae de Trivio per alium clericum tempore vacationis servitium praestandum esse curarunt. Deficiente idcirco quovis specioso titulo in sacerdotibus s. Mariae de Trivio, Ordinarius Veliternus ex officio etiam restitutionem fructuum indebite perceptorum illis demandare tenebatur. Lex enim dioecesana nulla et irrita censetur, quae jura successorum praepedire intendit, ut in terminis H. S. O. in *Salernitana lib. 2 decr. pag. 259.* Quapropter concludit, etsi in absurda in facto hypothesi clericus Santucci nullitatem rescripti non petiisset, non propterea Ordinarius Veliternus petitionem rejicere potuisset, siquidem admittendum nullatenus est, ut gratiosum Ordinarii rescriptum efficacius censeatur quam dispositio juris communis sacrorumque canonum sanctiones.

Communis vero massae patrocinator animadvertens eo hodie adversae partis opera causam hanc devenisse ut videndum sit, utrum validum haberi debeat rescriptum, quo Emmus Pacca die 7. Julii 1833 sanctionem synodi dioecesanae ad capitula communem massam habentia extendit; duo demonstrare aggreditur 1: petitionem Santucci, qua nullitas supradicti decreti postulatur, recto judiciorum ordini adversari; 2: ipsum decretum justitiae consonum esse judicandum.

Quoad primam partem observat, Santucci petitionem datam fuisse, cum causa in secunda jurisdictionis sede ageretur; sed notum in jure esse, secundae sedis jurisdictionem non ultra id sese extendere quod in prima judicii sede deductum fuit, cum illius jurisdictio consistat in cognoscenda justitia vel injustitia sententiae primi gradus, *Scaccia de appellat. quaest. 11. art. 3. n. 17, Rota decis. 144. n. 1. cor. Malvasia; decis. 13. n. 3. cor. Marco;* in *Praenestina Immissionis 19. Aprilis 1858* §. *6 cor. La Tour D'Auvergne.* Cui doctrinae suffragatur lex edictalis a summo Pontifice Gregorio XVI. die 10. Nov. 1834 §. 977, qua cautum est: »tribunali d'appello si ritengono come surrogati ai giudici o tribunali di primo grado; riformando o revocando il precedente giudicato, decideranno ciò che sarà di ragione, ma non potramo oltrepassare i limiti della istanza proposta al primo giudice o tribunale.«

His accedere ait, quod ipsa dubii formula in anteactis comitiis proposita, qua quaerebatur: utrum sententia curiae Veliternae esset confirmanda vel infirmanda, et ea quae nunc disceptatur, an scilicet sit standum vel recedendum a decisis, quamlibet indaginem excludat de iis quae apud curiam Veliternam definita non fuerunt. Immo ne quaeri quidem hodie posse tuetur circa validitatem decreti Emmi Pacca, quin interesse habentes vocarentur in causa et audirentur curia episcopalis et capitula omnia, ad quae decretum ipsum extenditur.

Neque vero dicendum esse contendit decreti nullitatem coram primo judice fuisse expostulatam: cum enim mentio illius decreti reperiatur tantummodo in parte enunciativa, non vero in dispositiva seu conclusione libelli petitarii, statuendum est hujusmodi petitionem in judicium minime fuisse deductam ad tradita per *Voet. ad Tit. de edendo n. 2., Rotam in Romana Delectionis hypothecae super reservatis 12. Decemb. 1865 §. 6. cor. Sbarretti:* in *Romana Liquidat. damnor. 22. Febr. 1856. §. 5 cor. Emmo de*

Silvestris: immo nec potuisse deduci, cum causa ageretur coram Vicario generali, qui jurisdictionem delegatam habet et Episcopo in omnibus est inferior. Sed inferior nihil potest in lege superioris, delegatus delegantis decreta infirmare nequit.

Ad secundam partem gradum faciens, ad ostendendam scilicet justitiam decreti Emmi Pacca, colligit capitulatim quae in priori allegatione fuse deduxerat; juri communi illud minime adversum proclamat, quia solum, quando agitur de beneficio simplici causam lucrativam habente, fructus ad eum pertinent, qui eosdem a solo separavit. Sed quando agitur de beneficiis, quibus causa onerosa adnexa est, fructus bene dividuntur pro rata temporis et servitii. Quam in rem citat *Panimoll. decis. 134. n. 12. sq.* et praesertim *n. 18.* Repeti, modum ita dividendi fructus aequitati apprime consentaneum esse, ac denique relata auctoritate *Card. de Luca de judiciis disc. 35. n. 49* in iis, quae respiciunt internam capitulorum oeconomiam, prius constitutiones capitulares, deinde leges synodales, postremo jus commune esse attendendum confirmat. Revocat etiam ad mentem, constitutionem synodalem Veliternam quinquaginta annorum spatio viguisse; postremo non alienum esse dicit ab hac s. Congr. probari tamquam aequitati consonas eas constitutiones episcopales, quibus in capitulis communem massam habentibus fructus pro rata temporis et servitii dividi jubentur, ut probat *Signina Constit. capitul. 24. Jan. 1829.*

Quibus consideratis erit EE. VV. dirimere

Dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

S. C. resp.:

In decisis et amplius.

Die 27. Aug. 1864.

g) Illegitime possessi.

Titius suo testamento, anno 1654 confecto, erigi jussit altare in templo N. sub titulo s. Antonii Patavini ibique singulis ferialibus diebus celebrari missam voluit adsignata annua eleemosyna scut. 43. solvenda ex redditibus suae haereditatis. Hanc ultimae voluntatis exsecutionem suo fratri commisit, qui tamen anno 1656 verba dicti testamenti non omnino secutus erectionem beneficii simplicis in suo testamento fieri jussit ac haeredibus et descendentibus juspatronatus reservavit relicta Ordinario confirmatione capellani. Ex suis autem bonis capellano assignavit eundem redditum annuum scut. 43, iisdem adjectis obligationibus, quas Titius ejus frater praescripserat.

Nonnullis deinde exortis controversiis ejusmodi voluntas plenum non obtinuit effectum nisi anno 1751, quo tempore facta legali bonorum assignatione, quae statutum redditum scut. 43 singulis annis daret, decretum erectionis beneficii a curia fuit emissum.

Id quod maxime notandum est, in bonorum designatione et separatione non fuisse comprehensum quemdam fundum *Beccardino* appellatum, qui ex contractu locationis-conductionis modo redditus annuos dabat scut. 2[illegible].

Nominatus fuit ad simplex hoc beneficium anno 1774 Cajus ex ejusdem familia descendens, qui annos fere 60 beneficium possedit quique decessit anno 1831. Inter bona hujus beneficii *de facto* repertus est dictus fundus *Beccardino* appellatus.

Dein alter sacerdos ad beneficium nominatus inter beneficii bona habuit etiam eundem fundum, quod factum pariter est in tertia nominatione quae contigit anno 1854, quam quidem nominationem fecit mulier Agnes ex eadem familia superstes cum sua sorore.

Cum autem Agnes, quae, mortua deinde sorore, ex dicta familia superstes extitit, ad inopiam redacta esset, supplices preces SSmo D. N. admovit quibus inter caetera petebat, ut fundus *Beccardino* sibi restituetur, cum hic fundus anno 1751 inter beneficii bona minime fuerit adscriptus; eumque inter quaedam bona reperiri, inquiebat, fidecommissaria, quorum bonorum possessio ad se tanquam ad unicam superstitem modo pertineret.

Audita relatione et voto Ordinarii, facta petitionis notificatione beneficiato aliisque servatis quaestio in disceptatione posita est sub dubio quod infra ponitur.

Contra Agnetis petitionem inter caetera dicebatur, etiamsi constaret fundum *Beccardino* inter beneficii bona non fuisse comprehensum, tamen oratricem ostendere concludenter debuisse, eundem fundum ad familiam Titii pertinere. Quinimo etiamsi id ostenderetur, manere tamen praesumptionem, ipsum fundum vel tacite vel expresse beneficio fuisse donatum, cui accedere longaevam possessionem, qua tanquam beneficii fundus fuerat absque ulla contradictione in usque praesens existimatus.

Contra favore Agnetis dicebatur constare in facto, ante annum 1751, quo beneficii seu capellaniae dos constituta fuerat, fundum illum nullimode reperiri; si itaque eo tempore fundus ille ad beneficii dotem non pertinuit, eundem esse non potuisse nisi Caji ex ejusdem familia descendentis, qui anno 1754 beneficium habuit illudque retinuit per annos 60, nihil autem facilius quam ejusdem Caji fundum commixtum fuisse cum fundis beneficii atque dein tanquam ejusdem beneficii dotem reputatum. Quod si nemini locupletari licet cum aliena jactura, id multo minus ecclesiae licere.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

»An et quomodo annuendum sit precibus »oratricis. . . pro libera restitutione fundi »*Beccardino* . . . in casu.« ?

Resolutio. — S. Congregatio Episcoporum et regularium cognita causa respondere censuit: *affirmative pro restitutione fundi* Beccardino: *quo vero ad fructus ejusdem fundi usque ad notificationem beneficiato petitionis s. Congregationi exhibitae, negative in omnibus, attenta bona fide: quoad fructus denique posteriores esse locum restitutioni in summa scutatorum viginti de bono et aequo.*

Die 1. Febr. 1867.

Ex his colliges:

I. Quemadmodum s. Sedes bona, quae ex justissima fidelium voluntate cum adnexis piis oneribus ecclesiae fuerint relicta, sarta tectaque vult inviolabiliter servari, ita a bonis retinendis, quae legitime ecclesiae relicta esse non noverit, omnino abhorrere.

II. In restitutione alieni fundi, qui fuerit bona fide possessus, justitiam non exigere ut percepti ex eo fructus ad honesta possessoris alimenta restituantur.

III. Restitui tamen eosdem fructus debere, quoties mala fides incoeperit, a tempore scilicet quo fundus litigiosus evaserit, iisdem taxatis fructibus de bono et aequo.*)

Super Concordia.

In hac causa, quae tota in facto consistit, cum propinqua esset ejusdem resolutio, incidentalis quaestio mota fuit a collectoribus R. Camerae, quae *Spoliorum* dicitur: hanc incidentalem quaestionem referimus indicata tantum causa principali.

Capitulum N. facultate obtenta in emphyteusim tradidit quosdam fundos ad tertiam generationem statuto canone; cum autem in eosdem fundos seu terras gravaret servitus juris pascendi favore communitatis loci, conventum fuit, ut quoties contigerit ut fundi ab ejusmodi servitute liberarentur jus pascendi cederet in capituli favorem, ita ut hoc in casu locum habere deberet *aequum* canonis augmentum ab emphyteuta solvendum favore capituli.

Revera anno 1849 emphyteuta partem horum fundorum ab ea servitute legitime liberavit, quamvis inscio capitulo. Cum autem juxta pacta conventa agendum esset de aequo canonis augmento, partes non statim convenerunt ac proinde pluries quaestio proposita fuit coram S. C. Ep. et Reg.

Tandem anno 1863 tum capitulum tum emphyteuta in quoddam canonis augmentum convenerunt ac fructus perceptos ab emphytenta ab anno 1849 usque ad annum 1863 et nondum solutos capitulum ipsi emphyteutae condonavit. Propositis hujus concordiae articulis coram S. C. sub dubio: »an »et quomodo approbanda sit concordia diei 9. Julii 1863.«? s. Congregatio die 6. Maji 1864 respondit: *affirmative in omnibus ita tamen ut redemptio juris pascendi facta intelligatur nomine et favore capituli.*

Hac emissa resolutione reclamarunt collectores R. Camerae spoliorum circa condo-

*) Horum principiorum aequitas nota fuit apud antiquos sapientes; sic enim legitur in *instit. lib. 2. tit. 1. §. 35.* »Si quis a non domino, quem domi»num esse crediderit, bona fide fundum emerit vel »ex donatione aliave qualibet justa causa neque „bona fide acceperit, naturali ratione placuit fruc»tus, quos percepit, ejus esse pro cultura et cura et »ideo si postea dominus supervenerit et fundum »vindicet, de fructibus ab eo consumptis agere non »potest. Ei vero qui alienum fundum sciens posse»derit non idem concessum est, itaque cum fundo »etiam fructus, licet consumpti si nt, cogitur restituere.»

nationem a capitulo factam emphyteutae, contendentes, fructus ab emphyteuta antea perceptos et nondum solutos ab anno 1849 ad an. 1863 ad R. cameram spoliorum spectare, implorabant itaque ut datae resolutioni adderentur haec verba: *salvo jure R. C. Spoliorum erigendi ex praebendis de quibus agitur omnes fructus inexactos ab an. 1849 ad an. 1863.*

Jura quae deducebant collectores favore R. Camerae spoliorum.

Contendebant collectores, capitulum N. disposuisse de re non sua, idest de dictis fructibus inexactis, quos emphyteutae condonaverat: praemittebant principium fructus cujusvis beneficii *a die obitus* beneficiarii usque *ad diem adeptae* possessionis illius, qui beneficio sufficitur, pertinere ad s. Sedem seu ad R. Cameram spoliorum, quae eosdem fructus colligit, ut erogentur in necessitates missionum pro fidei propagatione.

Ad haec comprobanda adducebant pontificias constitutiones nominatim Bullam Pii IV. *Cupientes malitiis hominum* diei 25. Aprilis 1561, in qua hoc fuit dispositum: »*Omnes et singulos fructus omnium beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura et quorumvis ordinum regularium in partibus Italiae, in quibus collectores et subcollectores spoliorum et jurium camerae apostolicae esse consueverunt, per obitum aut alio quovis modo pro tempore vacantium ad diem vacationis ipsorum pro rata temporis usque ad diem provisionis seu commendae de iisdem beneficiis per nos faciendae de qua etc. eidem camerae auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus, applicamus. incorporamus et appropriamus illaque ei reservata, applicata, incorporata et appropriata esse et fore et ad illam spectare et pertinere.*«

Idem Sixtus V. statuit per literas apostolicas sub annulo piscatoris die 1. Januarii 1589, quas refert Carolus *Gagliardi de benef. c. 61. de spolio* §. *18* ubi legitur: *Omnes et singulos fructus, redditus, proventus quorumcumque beneficiorum .... quocumque mense pro tempore vacantium tam ante obitum illorum possessorum pendentes et maturatos ac etiam a solo minime separatos seu nondum exactos, quam etiam post eorum obitum usque ad diem captae possessionis dictorum beneficiorum per successores in eis maturandos seu decurrendos pro rata temporis ad ipsam cameram Nostram spectare illosque camerae apostolicae applicatos esse volumus atque statuimus.*«

His constitutionibus addebant auctorum doctrinam, quam scilicet docet *Ludovicus a Valle, praxis collectoriae apostolicae par. 2. cap. 1,* ibi: »Vacantibus ecclesiis et beneficiis »per obitum praelatorum ac beneficiatorum »vel alias quomodolibet pro tempore earum »vacationum omnes illorum fructus, redditus »et proventus, obventiones, jura, emolumenta »quaecumque, sicut spectabant ad ecclesiam »et successorem in ea, hodie spectant a die »obitus usque ad diem adeptae possessionis »ad cameram apostolicam, quae succedit loco »ecclesiae et successoris, prout cavetur ex»presse in constitutionibus apostolicis Pauli III. »an. 1537, Julii III. an. 1554 ac Gregorii »XIII. an. 1567.«

Item Vincentius *Filliucci de spoliis cleric. c. 6. n. 5* necnon Aloysius *Panimoll. decis. 20. adn. 2. n. 5* ubi tradit: »Fructus pen»dentes inexacti et percepti a die vacationis »beneficii jure antiquo spectabant ad eccle»siam vel ad successorem usque ad legiti»mam provisionem et actualem possessionem. »Jure vero novo in locis ubi adsunt collec»tores apostolici percipiuntur per cameram »ex const. Julii III., quae in his materiis »est cameralium fundamentum, et ex alia »constit. Gregorii XIII. et ex constit. Sixti V. »edita de anno 1589 die 1. Januarii.«

Item decisiones s. Rotae et nominatim in *Asculana Restitutionis 25. Junii 1832 coram de Silvestris* §. *4.*

Quae quidem quam congrue statuta fuerint eruebant et illustrabant ex civilibus dispositionibus, *l. si pendentes ff. de usufr. et instit. lib. 2. tit. 1.* Quibus consone Julius III. in suo *motu proprio: Cum sicut Nobis,**) quinam sint pendentes fructus, ita declaravit ac disposuit: »*Donec ipsi beneficiati pecunias hujusmodi realiter non exegerint et fructus non perceperint, neque cum aliis eorum bonis commiscuerint et sibi incorporaverint, semper ipsarum ecclesiarum, quarum ipsi beneficiati sunt, ac vere ecclesiasticos esse et censeri debere.* Et idem Pontifex subjungit nec ipsos Cardinales de iis disponere posse, quamvis per eos non steterit quominus illos fructus exegerint; ita enim prosequitur: »*Fructus, pecunias et res alias per ipsos sic defunctos beneficiatos, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alios Praelatos et Cardinales ante eorum obitum non exactos, etiamsi pro tempore ante obitum hujusmodi decurso debeantur ac eorum solutionis dies beneficiatis et Cardinalibus viventibus advenerit et per ipsos beneficiatos et Cardinales non steterit, quominus illos non exegerint: quinimmo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam etiam judicialiter agendo fecerint quoquomodo exigere etc.*«

Hisce praepositis dispositionibus collectores concludebant, cum in urbe N. habeantur collectores R. camerae, cum fructus ex redemptione juris pascendi ab an. 1819 usque ad an. 1863 non fuerint exacti, cum decem canonicatus sive per obitum sive per resignationem interea vacaverint, ejusmodi fructus haud exactos ad cameram spoliorum pertinere; ideoque frustra capitulum de iis disposuisse eos emphyteutae condonando, cum de re non sua disposuerit: *Nemo enim plus juris in alium transferre potest, quam quis habet, l. 120. ff. de reg. jur.*; item: *id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transire non potest, l. 30. ff. eod. tit.*

Non minori eruditione iidem collectores rejiciebant, quam sibi proponebant, objectionem, inquientes: neque dicatur in praesenti themate agi de fructibus ex canonicatibus communis massae provenientibus, quo casu exercitium jurium spoliorum locum non habeat, namque, respondebant, id falsum esse *in jure* et *in facto.* Falsum quidem esse *in jure:* nam tum tantum canonicatus vere et proprie *de massa communi* sunt dicendi, ne subjiciantur spolio, quando et *proprias praebendas* non habent et quando hae praebendae *non sunt vacabiles:* non enim communis praebendarum canonicalium administratio, quae pro meliori oeconomiae distributione fieri solet, ejusdem canonicatus reddit *massae communis.* Massae autem communis eos canonicatus dumtaxat collectores intelligebant, qui adsunt in ecclesiis quae *non numeratae* aut *receptitiae* appellantur, quae describuntur a *Lotter. de benef. l. 1. q. 14. n. 14* et *Berardi comment. jur. eccles. vol. 1. diss. 1. de benefic. eccles. c. 3* ubi tradit: »Generaliter autem tempore circumscripta »esse videntur beneficia, quae clericis con»feruntur in illis cathedralibus vel collegia»tis ecclesiis, in quibus non est determinatus »numerus praebendarum, quarum propterea »modo plures, modo pauciores pro arbitrio »Episcopi vel capituli arbitrio demonstran»tur, *argum. c. 25. de praeb. c. 9. de con»stit. et c. ult. de concess. praeb. in 6.* In »istis enim ecclesiis, quae *receptitiae* nuncu»pantur, propterea quod tot recipiantur in »illis clerici, quot ali possint juxta adauctas »vel imminutas conventiones ex prudenti »Episcopi vel capituli arbitrio, censentur be»neficia non universa quidem, sed singula »adeo personae clerici adhaerentia, ut cum »ipsa beneficiarii persona quodammodo in»tereant; *unde mortuo clerico beneficiario »non proprie vacare sed cessare beneficium »dicitur.*«

Porro ostendebant, in capitulo N. adesse duodecim praebendas canonicales et duas dignitates, quas quidem singulas praebendas singuli Canonici sui favore administrabant, excepto quodam proventu ex frumento (qui est praesentis causae objectum) qui diribebatur a Canonico camerario: quinimo iidem collectores contendebant neque hunc proventum *massam communem* constituere posse.

Ad quaestionem *facti* devenientes ostendere studebant cameram spoliorum sua jura exercuisse ab antiquis temporibus circa canonicatuum vacantium redditus fructusque pendentes etc., quinimo etiam circa proventum praedictum ex frumento.

Quid reponeret capitulum.

Paucis verbis respondebat capitulum his deductionibus per collectores propositis; inquiebat enim Canonicos semper gavisos fuisse *jure accrescendi*, ita ut proventus non exacti Canonicis praesentibus accrescerent; neque unquam collectores spoliorum sese ingessisse in capituli juribus in casibus vacationum, quod si aliqua vice id tentaverint repulsos jure fuisse.

Hisce disputatis in causa incidentali propositum fuit dirimendum

Dubium:

»An et quomodo recedendum sit a reso»lutione capta die 6. Maji 1864 et 28. Julii »1865 in casu?«

S. Congregatio Epis. et Reg. iterum causa discussa respondere censuit: *In decisis et amplius et ad mentem, mens est, ut exceptis fructibus decursis de quibus in concordia salva sint jura R. camerae Spoliorum prout et quatenus de jure.*

Die 27. Apr. 1866.

*) Vd. *p. 568.*

Ex iis colliges:

I. Beneficiarios in bonis ecclesiasticis, quae fideles ecclesiae relinquunt ad divinum cultum, considerari tanquam usufructuarios, quorum quidem bonorum ordinatam supremamque administrationem ad ecclesiam universam pertinet seu ad eum qui ecclesiae universae uti Christi Domini Vicarius praeest.

II. Quare, possessione beneficii legitime cessante, fructus omnes cedere posse vel in bonum peculiaris ecclesiae ad cujus cultum sunt immediate destinati vel in bonum successoris beneficio legitime suffecturi vel in bonum universalis ecclesiae prout pro ratione locorum et temporum fuerit a suprema potestate dispositum aut legitima consuetudine invectum.

III. Ex communi quidem jure ejusmodi fructus pertinere ad ecclesiam eorumdem beneficiorum vacantium vel ad successores eorundem*).

IV. Exigente utilitate et necessitate ejusmodi fructus ex variis locis praesertim ex Italia exactoribus seu collectoribus a s. Sede constitutis ordinatos fuisse in bonum ss. missionum.

V. Colliges insuper inter fructus praebendae vacantis generatim comprehendi fructus pendentes tempore mortis vel resignationis beneficiarii*), quibus aequiparantur etiam redditus inexacti.

VI. S. Congregationem omissa discussione super juribus R. camerae spoliorum ex pluribus concurrentibus adjunctis satis habuisse ut judicaret dicta jura, si quae essent in praesenti casu, idest post dictam concordiam tandem conclusam cessasse.

h) Lite pendente.

Vd. supra lit. *e*. p. 559.

Fructus beneficii perceptos pendente lite inter nominatos applicandos esse sacrario ecclesiae censuit S. C. *Praenestina 8. Aug. 1801*, confirm. *19. Decembr. 1801.*

i) Post obitum beneficiati ad quem spectant?

Vd. *Beneficium* (provisio); vd. supra lit. *a* p. 557; p. 564. g; p .559. f.

Fructus beneficiorum tempore obitus beneficiatorum etiam Cardinalium inexacti ad successores in beneficiis et non ad haeredes spectant in locis, in quibus non deputantur a reverenda camera apostolica spoliorum collectores, et ornamenta capellae Cardinalis defuncti debentur eidem camerae una cum pretio annuli.

Julius Papa III.

Cum, sicut Nobis nuper innotuit, diversi diversorum beneficiatorum, etiam Episcoporum, Patriarcharum et aliorum Praelatorum ac S. R. E. Cardinalium pro tempore decedentium haeredes non solum bona relicta, spolia nuncupata, sic decedentium beneficiatorum Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum et aliorum praelatorum, ac etiam Cardinalium, verum etiam fructus etc. ecclesiasticos et pecunias et res alias per ipsos beneficiatos, Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alios praelatos ac etiam Cardinales

*) Non abs re erit heic recolere *c. 9. de offic. Ordinar in 6*, in quo apparet in quos usus sint impendendi ex communi jure fructus beneficiorum vacantium, quod lucem etiam fortasse affert illis, si qui sint, qui bona ecclesiastica in Italia a praedonibus publicis usurpata debitis conditionibus servatis emerint: cognoscent enim quid ecclesia disposuerit circa beneficiorum fructus, quae suis destituta sunt rectoribus. Sequens est hujus dispositionis tenor: »Praesenti prohibemus edicto, ne Episcopi vel eorum Superiores aut Abbates seu quivis alii regulares vel saeculares Praelati aut ecclesiasticae quaecumque personae vacantibus dignitatibus, personatibus, prioribus vel ecclesiis, quibuscumque sibi subjectis seu ad collationem, ordinationem, praesentationem vel custodiam pertinentibus, eorumdem bona (morientibus eorum rectoribus vel ministris) in ipsis inventa sive vacationis ipsorum tempore obvenientia quae in utilitatem eorumdem expendi vel futuris debent successoribus fideliter reservari occupare aut in usus suos convertere quoquomodo praesumant, nisi aliter de speciali privilegio vel consuetudine jam praescripta legitime seu alia causa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur, alioquin Episcopi et eorum Superiores ab ingressu ecclesiae, caeteri vero officio et beneficio tamdiu eo ipso noverint se suspensos, quousque restitutionem fecerint. Porro ubi ex privilegio vel consuetudine seu alia de causa rationabili sibi aliquis praedictorum asserit bona competere supradicta, hoc de illis bonis solum debet intelligi, quae solutis debitis, si quae sint, et iis quae fuerint necessaria pro servitoribus et ministris ac incumbentibus oneribus usque ad novos redditus supportandis congrue reservatis ex ipsis reperta fuerint superesse ...« Vd. lit. *i*.

*) Hoc jus consonat cum jure caesareo ut legitur in *instit. lib. 2. tit. 1. §. 36.* »*Is ad quem ususfructus fundi pertinet non aliter fructuum dominus efficitur, quam ipse eos perceperit et ideo licet maturis fructibus nondum tamen perceptis decesserit, ad haeredes ejus non pertinent, sed domino proprietatis acquiruntur.*«

ante eorum obitum non exactos, etiam si eorum solutionis dies ante obitum ipsorum non advenerit, sub eo forsan praetextu quod pro tempore ante obitum hujusmodi decurso debebantur exigere, et quandoque solutionem debitorum per ipsos beneficiatos et Cardinales, dum viverent, contractorum et legatorum per eos in sua factorum subterfugere; ac haeredes Cardinalium hujusmodi paramenta et ornamenta capellae ipsorum Cardinalium, quae jam tanto tempore, quod ejus initii hominum memoria non habetur, capellae apostolicae, in qua missae papales celebrantur, et ex qua pauperibus praelatis ad romanam curiam pro tempore confluentibus et paramenta ecclesiastica, cum quibus in processionibus et aliis solemnitatibus per romanos Pontifices fieri solitis incedere possint, non habentibus subvenitur, devolvi consueverunt, occupare ac solutionem quingentorum ducatorum auri de camera, qui post obitum singulorum Cardinalium pro pretio annuli eis in eorum ad cardinalatum assumptione adhiberi soliti, camerae apostolicae persolvuntur, declinare contendant et satagant.

§. 1. Nos, attendentes fructus et pecunias ac res alias, occasione ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore provenientes, licet, postquam ad manus beneficiatorum pervenerunt, et cum aliis ipsorum beneficiatorum fructibus etc., pecuniis et rebus commixti ceu ipsis beneficiatis incorporati sunt, non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiatorum propriis et ab eis acquisitis bonis indicandi, et propterea quodammodo pro saecularibus et profanis haberi, et de eis testandi aut alias disponendi facultas eidem beneficiatis per sedem apostolicam concedi consueverit: nihilominus, donec in manibus eorum, qui illos tamquam ecclesiasticos, seu ex ecclesiis, monasteriis, beneficiis praedictis provenientes et pro talibus conservant aut ut tales detinent, ipsique beneficiati pecunias hujusmodi realiter non exegerint et fructus etc. non perceperint neque cum aliis eorum bonis commiscuerint et sibi incorporaverint, semper ipsarum ecclesiarum, quarum ipsi beneficiati sunt, ac vere ecclesiasticos esse et censeri debere et propterea juri non congruere, ut ipsi beneficiati de rebus certis ipsarum ecclesiarum, quae omni jure alienari prohibentur, disponere, etiam in eorum ultima voluntate, possint; nec ipsis beneficiatis, etiam Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis et aliis, ac Cardinalibus pro tempore defunctis, eorum haeredes, qui ut plurimum sunt laici, in praejudicium successorum beneficiatorum fructus etc. ac res et pecunias inexactos hujusmodi, os bovi trituranti alligando, exigant et haeredes Cardinalium mala malis addendo, bona capellae apostolicae debita occupent seu quod camerae et creditoribus ac legatariis debent pro se retineat. Volentes in praemissis opportune providere, motu simili etc. declaramus nostrae intentionis numquam fuisse nec esse, quod quivis quorumcumque beneficiatorum, etiam, ut praefertur, Episcoporum, Patriarcharum et aliorum praelatorum, etiam Cardinalium, ubilibet, etiam in romana curia aut districtu, pro tempore decedentium, sive ex testamento per ipsos beneficiatos, etiam vigore facultatum quarumcumque eis in specie vel in genere, etiam praetextu quorumcumque capitulorum ac statutorum et ordinationum etiam nostrorum sub quibusvis tenoribus et formis ac alias quomodolibet concessorum, condito, sive ab intestato haeredes, fructus etc. ac pecunias et res alias, per ipsos sic defunctos beneficiatos, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas et alios Praelatos ac Cardinales, ante eorum obitum non exactos, etiam si pro tempore ante obitum hujusmodi decurso debeantur, ac eorum solutionis dies beneficiatis et Cardinalibus viventibus advenerit, et per ipsos beneficiatos et Cardinales non steterit quominus illos exegerint, quinimmo omnem pro illorum exactione necessariam diligentiam etiam judicialiter agendo, fecerint, quomodo exigere aut etiam sponte oblatos percipere.

§. 2. Aut cruces, candelabra, imagines, patenas, calices et alia cujusvis sortis, tam aurea quam argentea, vasa et jocalia ac quaevis ornamenta, paramenta et alia utensilia capellae singulorum Cardinalium pro tempore decedentium ceteraque tam ad ipsam capellam quam ejus ministros circa altaris ministerium et celebrationem missae pertinentia pro se retinere aut solutionem quingentorum ducatorum hujusmodi evitare possint, sed quod de cetero, perpetuis futuris temporibus, fructus etc. ac pecuniae et res, ut praefetur, inexacti hujusmodi ad ipsorum sic defunctorum beneficiatorum, etiam Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum et aliorum Praelatorum et Cardinalium in ecclesiis, monasteriis et beneficiis praedictis successores, qui ex illis, quorum solutionis dies ante obitum beneficiatorum hujus-

modi advenerit, omnia ipsorum beneficiatorum etiam, ut praefertur, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum et aliorum Praelatorum, etiam Cardinalium, debita et ad pias causas facta legata, si aliunde ex aliis ipsorum beneficiorum bonis solvi non possint, solvere teneantur, libere devenire et in posterum deveniant ac per eos et non haeredes praedictos exigi possent et in posterum possint necnon cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, pocalia, ornamenta, paramenta, utensilia et alia ad capellam singulorum Cardinalium et ejus ministros, ut praefertur, pertinentia, et ad eamdem capellam apostolicam pertinerent et spectarent ac in posterum pertineant et spectent, et peragentes pro ea realiter et cum effectu capi et apprehendi possent et deberent ac in posterum possint et debeant. Ac haeredes Cardinalium, tam hactenus defunctorum quam pro tempore decedentium, quingentos ducatos hujusmodi eidem camerae persolvere tenerentur et in posterum teneantur. Et propterea successores in ecclesiis, monasteriis et beneficiis hujusmodi fructus etc. ac pecunias et res per eorum successores non exactas libere et licite percipere, exigere et levare, ac solutis, si aliunde unde solvant non erit, ut praefertur, debitis et legatis praedictis, quod residuum fuerit, in suos usus et utilitatem convertere. Necnon agentes pro capella apostolica cruces, candelabra, imagines, patenas, calices, vasa, pocalia, ornamenta, paramenta, utensilia et alia praedicta propria auctoritate libere capere et apprehendere posse. Ac haeredes Cardinalium, tam hactenus defunctorum quam aliorum pro tempore decedentium, ad cruces, candelabra et alia praedicta agentibus pro dicta capella apostolica realiter et cum effectu consignandum et eosdem quingentos ducatos agentibus pro eadem camera, ut praefertur, solvendum teneri et obligatos esse ac ad id omnibus juris et facti remediis cogi et compelli posse.

§. 3. Sicque in praemissis omnibus et singulis casibus ad praesens occurrentibus seu pendentibus per quoscumque etc., in quavis causa et instantia, sublata etc., judicari et definiri debere ac irritum etc. decernimus.

§. 4. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, statutis etc., privilegiis quoque, indultis ac testandi et alias de dictis rebus et bonis disponendi facultatibus, capitulis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et per modum statuti et ordinationis perpetuorum, motu proprio etc. aut alias quomodolibet, etiam per Nos ac dictam Sedem concessis, initis et emanatis, quibus omnibus, etiam si de illis etc., eorum tenores etc., hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus et sufficienter derogatum esse decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem haeredes ipsorum beneficiatorum, qui jam ante praesentium publicationem pecunias ac fructus per ipsos beneficiatos exactos hujusmodi exegerint, per successores in beneficiis hujusmodi amplius praesentium vigore molestari non posse.

§. 6. Necnon praesentes in cancellaria apostolica, ut moris est, publicari et in illius quinterno inter alias constitutiones perpetuas, ad perpetuam rei memoriam, describi.

Placet, motu propio I.

Lecta et publicata fuit subscripta regula, constitutio et ordinatio Romae in cancellaria apostolica.

Die 26. Junii 1550.

Prima declaratio dictae constitutionis.

Julius PP. III. Motu proprio etc.

Dudum et certis tunc expressis rationabilibus causis per quamdam constitutionem nostram perpetuo duraturam inter alia motu simili declaravimus etc. ·

§. 1. Cum autem, sicut plurimum fide dignorum relatione Nobis nuper innotuit, constitutioni nostrae praedictae per beneficiatos ac haeredes praedictos diversae fraudes fieri possint, per beneficiatos videlicet fructus etc. ac pecunias et res alias, ut praefertur, non exactos legatis per eos, in extremo eorum vitae, et dum ulterius vivere desperant, ad pias causas pro tempore factis absorbendo, per haeredes vero diversa debita jam extincta, et de quorum extinctione successores in beneficii informati esse non possunt, pro validis et veris supponendo, sicque successores praefatos fructibus etc. ac pecuniis et rebus aliis non exactis frustrando in animarum suarum periculum et successorum praedictorum detrimentum non modicum.

§. 2. Nos, fraudibus hujusmodi occurrere et ne verbis et non rebus legem imposuisse videamur, providere volentes motu simili etc. constitutionem nostram praedictam solum legata, quae per ipsos beneficiatos, etiam Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, Praelatos et Cardinales, dum in sanitate constituti extiterint, ad pias causas facta fuerint et debita, quae occasione beneficiorum, ad quae fructus etc. ac pecuniae et res inexacti hujusmodi pertinuerint, contracta extiterint, de quibus successores in beneficiis informationem verisimiliter habere possunt et debent, comprehendere et in eis tantum intelligi debere ac successores praefatos ad aliorum quam, ut praefertur, ad pias causas factorum legatorum et occasione ipsorum beneficiorum contractorum debitorum solutionem minime teneri nec ad id etiam vigore constitutionis nostrae praedictae cogi aut compelli posse.

§. 3. Sicque in omnibus et singulis, etiam ad praesens occurrentibus seu pendentibus casibus, per quoscumque etc., in quavis causa et instantia, sublata etc., judicari et definiri debere ac irritum etc. decernimus et declaramus.

§. 4. Non obstantibus omnibus, quae in dicta constitutione nostra voluimus non obstare.

§. 5. Decernentes praesentes in dicta cancellaria ut praefertur publicari et describi debere.

Placet et ita motu proprio decernimus et declaramus.

Lecta et publicata fuit suprascripta regula Romae in cancellaria apostolica.

Die 4. Augusti 1550.

Secunda declaratio dictae constitutionis.

Julius Papa III. Motu proprio etc.

§. 1. Cum autem, sicut Nobis nuper innotuit, licet Nos per constitutionem nostram praedictam solum ecclesiis, monasteriis et beneficiis in locis in quibus collectores fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum deputari seu esse non consueverant consistentibus et circa quae jus commune servari debet providere intellexerimus, nihilominus diversae personae eamdem constitutionem nostram ad ecclesias, monasteria et beneficia etiam in locis, in quibus collectores hujusmodi deputari seu esse consueverunt et in quibus diversae consuetudines diversaque particularia jura seu privilegia vigent, trahere et extendere conentur, contra mentem et intentionem nostras ac in fraudem et detrimentum quamplurium.

§. 2. Nos, fraudibus et detrimentis hujusmodi occurrere ac mentem et intentionem nostras in praemissis declarare volentes, motu simili etc. constitutionem eamdem solum ecclesias, monasteria ac beneficia ecclesiastica in locis, in quibus collectores praedicti deputari seu esse non consueverant, comprehendere et ad ea tantum extendi, nec in ecclesiis, monasteriis et beneficiis in locis, in quibus iidem collectores deputari seu esse consueverunt, consistentibus, locum habere aut effectum aliquem sortiri posse aut debere et omnino ea non obstante consuetudines et particularia jura seu privilegia cujuslibet loci, in quo collectores hujusmodi deputari seu esse consueverunt, in praemissis vigentia observari et executioni demandari.

§. 3. Sicque in praemissis omnibus et singulis, etiam ad praesens occurrentibus casibus seu pendentibus causis, per quoscumque etc., sublata etc., judicari et definiri debere ac irritum etc. decernimus et declaramus.

§. 4. Non obstantibus omnibus quae in eadem constitutione nostra voluimus non obstare.

§. 5. Praesentes in praefata cancellaria ut praemittitur publicari et describi debere decernentes.

Placet et ita declaramus.

Lecta et publicata fuit supradicta regula sive declaratio Romae in cancellaria apostolica.

Die 18. Junii 1551.

Veliternen.

Joseph Prosperi Lucarelli Veliternen. dioecesis, cum fructus capellaniae B. V. Consolationis ac beneficii ss. Salvatoris, quorum erat possessor, nondum a solo essent separati, obiit diem supremum mense Junii praeteriti anni. Canonicus Michael Celle eidem successit in beneficio, hujus nepos Sebastianus in capellania ex Josephi legitima nominatione. In universam vero defuncti haereditatem ex vitalitio contractu, dum Joseph erat in humanis, successerunt Vin-

centius Prosperi Gagliardi, Magdalena Gagliardi, Theresia Canali et Canonicus Joannes Felix Ulisse.

Quoad fructuum tam beneficii quam capellaniae pertinentiam orta est dissensio inter utrosque successores. Putarunt enim haeredes eorum divisionem ineundam esse pro tempore possessionis tum Josephi Lucarelli tum rectorum Cella. E contra novi rectores omnes fructus nondum a solo separatos sibi addicendos esse, satisfactis tamen expensis a decessore factis, contendebant, quod primis non placet.

Preces, quas haeredes dederunt, s. hujus Congregationis sapientissimum judicium praestolantes, remissae fuerunt Emo Episcopo, cujus elucubratissimum responsum referam: »Non opus est, ut in aperienda super delatis precibus sententia ea commemorem, quae vacante beneficio de fructibus pendentibus tradiderunt leges et juris ecclesiastici doctores, cum neminem lateat, in iis locis causisque, in quibus rev. cam. apost. non licet jus exercere spoliorum, fructus naturales ac industriales nondum a solo separatos ad beneficii successorem, civiles vero, quorum dies solutionis ante beneficiarii mortem venerat, ad ejus haeredes, reliquos ad eundem beneficii successorem pertinere. Haec juris ratio etiam in beneficiis jurispatronatus obtinere videtur.

Quod autem ad rem pertinet, fructus, de quibus in precibus sit mentio, inter industriales recensentur, qui in capellaniarum possessoris obitu nondum erant a solo separati. Hinc quisque assequi potest, eosdem non ad defuncti capellani haeredes, sed ad successores pertinere detractis tamen expensis, quas defunctus in agro colendo et in caeteris oneribus totum illum annum sustinere debuit.

Vetus consuetudo ecclesiae Veliternae huic juris rationi suffragabatur. Visum tamen est defuncto Episcopo in ultima synodo dioecesana, ut canonicalium praebendarum redditus inter defuncti beneficiarii haeredes et reliquos collegii Canonicos pro rata temporis dividerentur, ne, qui per aliquam anni partem in officio adlaboraverit, sui laboris mercede fraudaretur. Verumtamen haec synodalis sanctio, cum ad praebendas canonicales, quae dicuntur de massa, pertineat, non aeque beneficiis simplicibus convenire potest. Ne omnes recenseamus illius discriminis causas, quod inter praebendas canonicales de massa et beneficia simplicia intercedit, animadvertere sat erit, quod, quantum Episcopo licuisset, ea super praebendis canonicalibus de massa statuere, quae in synodalibus sanctionibus leguntur, tantum vero vetitum ei fuisset eadem praescribere super caeteris beneficiis. Etenim in praebendis canonicalibus de massa rev. cam. apostolica spoliorum jus exercere nequit, cum in cujuslibet beneficiarii obitu superstites sint alii beneficiarii, qui massam repraesentant quique vacationis casum excludunt. At secus se res habet in beneficiis simplicibus, quae in cujuslibet possessoris obitu vacare consuescunt quaeque in quolibet vacationis casu spoliorum juribus subsunt. Hinc defunctus Velitrarum Episcopus, quae super canonicalibus praebendis de massa constituit, ea sapienter ad caetera beneficia ampliare pertimuit. Quamobrem in specie, de qua res est, hac sum sententia, ut novi successores vinearum fructus pendentes, quibus constat universus capellaniarum redditus, percipiant detractis tamen expensis, quas defunctus in vineis colendis et in caeteris ferendis oneribus hunc annum sustinuit.

Juxta juris communis dispositionem patrono neptoque Cella competere viderentur fructus omnes sive naturales simpliciter sive naturales industriales tam beneficii quam capellaniae. Uterque enim recollectionis tempore jam beneficii et capellaniae adepti erant possessionem. Sancitum siquidem in jure canonico est, fructus beneficiorum sive naturales simpliciter sive naturales industriales, si sint a solo separati, haeredibus defuncti deberi et fructus hujusmodi pendentes, quantumcumque tempore mortis instaret recollectio, spectare ad successores in beneficio, gloss. in *cap.: Si propter verb. primi anni de rescrip. in 6*, *Calder. cons. 2. de pec. cleric.*, *Lotter de re benef. lib. 1. q. 44. numer. 23. 27 et 29, Rota dec. 278. n. 2. ad fin. part. 2. rec.*

Ast patrimonii Lucarelli haeredes unam tantum ex tribus partibus memoratorum fructuum ad rectores Cella spectare autumant, ex quo per octo menses Joseph Lucarelli, per quatuor Cella beneficii et capellaniae oneribus universis satisfecerint. Consonum enim aequitati non solum, sed etiam justitiae iis videtur, per quod tempus quis beneficiorum onera substinuit, per idem tempus commodum sentire debere.

Hanc vero aequitatem juvari etiam a jure scripto autumant haeredes Lucarelli ex iis, quae in dioecesana synodo habita sub cl. me. Cardinale Matthaeio sancita fuerunt *part. 4. cap. 2. num. 17*, sub titulo: »de capitulo cathedralis ecclesiae et de caeteris collegiis Canonicorum,« quae ita se habent: »Omnium consensione visum est, ut praebendarum redditus non ita in singulos distribuantur, ut iis dumtaxat sint attribuendi, qui constituta partitionis die iisdem potiuntur, adeo ut, si quis forte pridie decesserit, nihil exinde in beneficiarii, qui per annum in officio adlaboraverit, commodum vertatur. Bene vero in collegiis quibusvis Canonicorum illud imposterum juris sit, ut fructuum partitio in dies, quibus quisque a postrema partitione operam ecclesiae navavit, accurate conficiatur eamque idcirco partitionem singuli assequantur, quae pro servitii per id temporis peracti diuturnitate aestimetur.«

Et contra rectores Cella hanc peculiarem legem dioecesanae synodi nihil commune cum beneficio et capellania habere contendunt. Neque enim respicit neque respicere poterat universa beneficia, sed tantum Cathedralis et collegiatarum praebendas. Id sane colligitur ex ipso titulo, qui inscribitur »de capitulo cathedralis ecclesiae et de caeteris collegiis Canonicorum.« Praeterea illius legis verba et ratio nulli congruere potest, nisi Canonicis, quorum tantum est in dioecesi Veliternen. habere distributiones ac massam communem non subjectam legi spoliorum. Nec demum per dioecesanam peculiarem legem ab ordinaria Episcopi auctoritate confirmatam abrogari poterat jus rev. camerae sub titulo spoliorum, quod exceptis praebendis choralibus, quae in unam massam coalescunt, in caeteris beneficiis locum habere exploratum est.

Proponitur dubium:

An, quibus et quomodo debeantur fructus beneficii et capellaniae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Emi Episcopi.

Die 25. Maji 1822.

k) Percepti a patrono.

Vd. infra lit. *q*.

Aesina.

Ut suae pietatis monumentum in aevum extaret, publicis donationis tabulis, quam dicunt »inter vivos«, die 29. Julii 1695 exaratis Sebastianus Monsignorini de Rocca plura praedia urbana ac rustica cessit ven. altaribus SSmi Sacramenti, sub invocatione s. Josephi et b. Virginis ssmi Rosarii existentibus in ecclesia parochiali castri vulgo »Majolati« hisce adjectis legibus: »Cum onere altaristis vel celebrandi vel celebrari faciendi missas quatuor pro qualibet hebdomada in perpetuum statim sequuta ejus morte.« Declaravit tamen, ut ea donatio esset »pro pura et simplici capellania laicali et quod capellanus seu capellani valeant et debeant sequuta sua morte apprehendere possessionem dictorum bonorum et aliorum jurium propria auctoritate et absque aliquo decreto alicujus judicis.«

Gradum deinde faciens ad nominationem capellani voluit ut »primus altarista esse debeat D. Petrus Paulus filius Caroli Colotii de Najuleto quatenus fiat presbyter sacerdos, ut eidem seu aliis inserviat et sit pro patrimonio sacro, ad cujus titulum valeant ordinari, et interim, pro tempore quo dictus Petrus Paulus perveniat ad legitimam aetatem sive alii, per dictum Carolum suosque heredes et successores nominandi, et sacerdotium non assumat et assumant, vult pro eo missas celebrari vel celebrari facere per R. D. Petrum Antonium de Cicconiis et haberi omnem redditum suorum bonorum.« Casum vero praevidens quo dictus Petrus Paulus sacerdotium quacumque ex causa non obtineret, tunc voluit ut primus altarista esset »R. D. Hieronymus Antonius alter filius D. Caroli Colotii et deficiat ex tunc in dicto R. D. Petro Antonio ... facultas habendi redditum dictorum bonorum ... qui esse debeant penes R D. Hieronymum Antonium Colotium.«

Denique antea dicto Carolo Colocci suisque heredibus et successoribus in infinitum contulit jus »nominandi futuros altaristas pro successivis et perpetuis temporibus sive ad nutum sive ad vitam.« Quae quidem omnia ad unguem servata pacifice processerunt usque ad annum 1829, quo tempore, cum capellanus R. D. Aloysius Colocci vitam cum morte commutasset, factum est, ut Felicianus Colocci patronus, nulla praeeunte ipsius fratris Nicolai aeque patroni nominatione, proprio marte administrationem bonorum capellaniae occupaverit ac eorum redditus deglutiverit, quin missarum oneri satisfaceret.

Sed tandem expergefactus Nicolaus institit anno 1835 penes Emum Aesinum Antistitem postulans, ut et ipsi bonorum capellaniae administratio addiceretur, utpote qui pari patronatus jure polleret. Neutri sed tamen favit Episcopus, qui eos nedum a bonorum administratione sed et a nominandi jure ob lapsum fatalium caducatos autumans qua Ordinarius clericum Justinianum Colocci Feliciani filium supplicantem renuntiavit capellanum, cujus favore sub die 10. Februarii 1835 ipsius patris nominatio pro omni juris effectu insuper accessit.

Tunc Nicolaus jus suum pessumdatum reputans confugit ad S. H. O. postulans, ut Justinianus a capellaniae possessione dejiceretur, tum quia solius parentis nominatione suffultus tum pariter quia ecclesiasticae militiae jamdiu valedixerat, atque ipsius favore bonorum administratio decerneretur, cum res esset de capellania mere laicali, cujus fructus supportatis oneribus ex mente etiam testatoris jure ipsi tribui posse attenta praesertim paupertate conclamabat.

Verum excrescens dissidium patruum inter ac nepotem placuit exinde consopire ope amicae concordiae, coram loci parocho initae, cujus summa haec est: Nicolaus suum praebuit assensum, ut nepos Justinianus retineat capellaniam etiam in statu conjugali. Hic vero spopondit eidem soluturum »una corrisposta di scudi 12. annui, ripartita in tre date eguali... come altresì contribuire al medesimo un agnello di libre 15 in tempo di Pasqua« atque unanimiter hodierna die instant, ut eam s. Congregatio adprobare dignetur. Emus Episcopus per me sciscitatus documenta remisit quae factorum narrationem confirmant: Duos tantum patronos adesse scilicet Felicianum natu majorem et Nicolaum fratres Colocci tradit deque eorum atque Justiniani paupertate testatur. Circa redditus vero et onera capellaniae haec a parocho Majolati habentur: »Il reddito annuo desunto da un decennio a seconda della relazione dell' attuale colono Luigi Corsetti non contemplato però un qualche infortunio è di scudi 85. 87. 7... I pesi della capellania consistono in tante messe quante sono le feste dell' anno si precettive, che dispensate, ridotte così dall' Emo Caprara sotto il di 6. Giugno 1801 giacchè prima erano quattro alla settimana compresi i giorni festivi. L'eleemosina è di bajocchi 16. 5. per caduna fissata dal lodato Porporato. Poi vi sono le tasse prediali e communali, che ascendono complessivamente la somma di circa scudi 10. 50. all' anno. Si deve ancora aggiungere la spesa per la manutenzione delle case coloniche ed urbane, e per i bonifici nella possessione.«

Cum quaeratur: num adprobanda sit proposita compositio, illud inprimis inspiciendum venit, utrum ea justitiae ac honestati congruat. Porro si res sit de conventa annua praestatione, minime improbanda videtur, cum agatur in themate de materia, quam simoniae vitio haud subesse tradunt *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 2. num. 55*, *Barbosa de jure eccl. lib. 3. cap. 5. n. 3*, *Piton. de controv. patron. alleg. 67. n. 2*, atque de jurgiis correspectiva jurium abdicatione praefocandis, quae haud procul scandalo agitari inter patronos solent; peculiaresque egestatis circumstantiae accedant, quo in casu etiam s. haec Congregatio liberalis ad indulgendum videtur, ceu in *Recanaten. Concordiae 7. Sept. 1839.* Sed non ita planum est quoad alterum nempe num possit etiam in conjugali statu capellania retineri.

Porro quamvis laicalem esse capellaniam vix dubitare sinat patula fundatoris voluntas, eo quia is donationem perfecit »pro pura et simplici capellania laicali« atque capellanos ad bonorum possessionem nanciscendam auctoravit »et absque aliquo decreto alicujus judicis«, itaut ad instar fideicommissi vel legati a laicis, infantibus et mulieribus ea retineri possit*), *Card. de Luca de benef. discur. 80. num. 17 et 18*, s. Congreg. in *Urbevetana Capellaniae 11. Decembris 1784*, *Rot. coram Purat. dec. 1. num. 7 et seqq.*, attamen diversis sub respectibus laicalem et ecclesiasticam esse posse, ita ut obtineri nequeat nisi a clericis, minime repugnare tradit *Riganti in comment. ad reg. cancel. 58. num. 54. post Rot. cor. Caesare de Grassis dec. 114. in fin.* et in *Hydruntina Capellaniae 9. Maji 1698. cor. Pio.* Hinc regula superius tradita limitationem recipit, ubi fundatoris mens nedum expressa, sed etiam tacita refragatur, quod scilicet capellania vel legatum pium a clericis tantummodo possideatur. *Guttierez. cons. 1 et 2*, *Gonzal. ad reg. cancell. 8. gloss. 5*, *Riganti loc. cit.*

Idipsum autem in themate erui posse patet ex ipsius fundatoris nitidis verbis videlicet, quum primum capellanum nominaverit »quatenus fiat sacerdos«, quo pariter in casu voluit ut »eidem seu aliis .... sit pro patrimonio sacro.« Enixius insuper votum qualitatis sacerdotalis pandidit, dum praevidens casum quo Petrus Paulus Colocci sacerdotium quacumque causa non obtineret primum altaristam nominavit personam sacerdotali charactere insignitam, quod aeque jugiter observatum sequentibus nominationibus est. Demum etsi prae oculis habeatur alterum fundatoris praeceptum, quod scilicet capellani debeant apprehendere possessionem bonorum omnesque redditus penes se esse debeant, aptius evincent EE. VV., num fundatoris voluntas, quam sartam tectamque omnia jura volunt, e diametro refragetur Justiniano, cui administratio bonorum ac fructus ex pacto convento in statu etiam uxorali condicendi essent.

Quin officiat vel capellani ex ipsa fundationis lege amovibilitas ad nutum patroni admissa vel facta illi copia per alios etiam missarum onera adimplendi; siquidem ex integro tabularum contextu depromitur, ex iis tantum inferri posse, quod capellanus non deberet esse actu sacerdos vel quod si talis esset oneri missarum per alium posset satisfacere, minime vero quod fundator suam dispositionem ampliaverit, ut etiam laicos capaces efficeret. Ita quoad amovibilitatem sancivit s. Congr. in *Reatina Capellaniae 22. Septembris 1714* et quoad facultatem celebrandi per alium in *Auximana 16. Decembris 1702.*

Ceterum non abs re est EE. PP. memoriae recolere agi in casu de patrono alteriusque patroni filio, quorum paupertas ab Emo Episcopo ac parocho plene probatur, nulliusque adesse interesse habentium praejudicium, quae omnia semper pientissimam matrem ecclesiam ad succurrendum patronis impulere; quare s. haec Congregatio modo iis concessit fructuum perceptionem simul et bonorum administrationem, modo etiam suspensionem ad beneficiarii vel capellani nominationem et non raro tandem administrationem ecclesiastici beneficii ad certum tempus, deputato tamen administratore ecclesiastico, ceu praebent exemplum *Segorien. Capellaniae 17. Novembris 1731*, *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786*, *Aquen. Capellaniae 3. Februarii 1787.* Sed erit EE. VV. dirimere

Dubia:

I. *An capellania Monsignorini sit ita laicalis, ut eam retinere possit Justinianus in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit adprobanda concordia in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative in omnibus.

Ad II: Provisum in primo et attenta patronorum paupertate supplicandum SSmo pro condonatione fructuum perceptorum et absolutione ab inadimpletis missarum oneribus, celebratis tribus missis, et ad Emum Episcopum, qui praefigat terminum patronis pro nominatione juxta fundationem. Necnon consulendum SSmo pro gratia suspensionis nominationis ad triennium, quatenus idem Emus Episcopus pro suo prudenti judicio satius expedire censuerit eam beneficii suspensionem deputato ecclesiastico administratore, qui supportatis oneribus superextantes redditus patronis tradat. Docto etc. cum derogatione expeditioni literarum apostolicarum in forma brevis.

Die 30. Maji et 8. Aug. 1846.

l) Percipiendi non sunt relicto beneficio.

Vd. p. 392. *e.*; p. 557. c.

Fabrianen.

Amisit jus percipiendi statim ac quis beneficium reliquit, ut post *text. in cap. Relatum de testament., cap. Praesenti de offic. Ordin. in 6.* docet *Barbos de offic. et potestat. Episcop. part. 5. allegat. 117. num. 6*, *Lotter de re benefic. lib. I. quaest. 44. num. 23*, *Rota in Turritana Fructuum 5. Decembris 1755. §. 4. coram Stadion.* Id quod aperte sancitum est in *constit. 7. Julii III.* edita anno 1550, quae incipit: *Cum sicut.**)

Nam in ea jubetur, ut fructus nondum exacti ad successorem spectent non ad haeredes antecessores. Quae constitutio, licet loquatur de fructibus civilibus, extenditur ad quodcumque fructuum genus, ut tradit *Sperell. decis. fori eccles. 82. num. 11*, *Antonell. de regimine eccles. cap. 9. lib. 3. num. 27*, *Rota decis. 476. num. 1. cor. Coccino*, et *dec. 271. tom. 8. n. I. in nuperrim.* Haec

*) Vd. *p. 392. e*; *p. 529. d*

*) Vd. *Supra p. 568.*

vero juris dispositio obtinet sive beneficium vacatum sit per obitum sive per resignationem, quo in casu major immoratio concurrit. Nam per resignationem possessor beneficii a se omne jus abdicat, adeoque etiam renunciasse censetur jure percipiendi fructus, ut observat *Card. de Luca de benef. disc. 84. num. 3, Lotter de re beneficiar. lib. I. cap. 44. n. 30. et seq., Rota decis. 278. num. 3. part. 2. Recent.*

Die 20. Mart. 1802.

m) Percipiendi tempore absentiae ex legitima causa.

Reatina.

Cum nonnulli Capitulares ecclesiae cathedralis Reatinae deportati fuissent ex eo, quod repugnassent preces ab usurpativa dominatione praescriptas recitare, hi reintegrato pontificio regimine supplicarunt (atque inter hos aderat sacerdos Joseph Tarani dictae ecclesiae beneficiatus) atque exorarunt restitutionem fructuum et distributionum *pro toto tempore absentiae ex causa deportationis.* Nihilominus sacerdos Tarani restitutionem obtinere non potuit, quippe qui non deportatus fuerat, sed ipse ut se persequutioni subtraheret Romam profugus venit et inde Cammerinum Maceratamque petivit, quo operam dedit educationi nobilium puerorum. Itaque ipse preces renovavit huic Congregationi directas pro restitutione fructuum et distributionum. Rogata est sententia Episcopi *audito capitulo*, qui per secreta suffragia petitioni renuit. Episcopus tamen oratori suffragatur ex rationibus inferius recensendis.

Sane Tridentina synodus *sess. 24. cap. 12. de reform.* vetat, ne Canonicis *liceat . . . ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse . . . alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente vero contumacia contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui quavis collusione ac remissione exclusa his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit: Consuetudinem, quod sancta synodus in usum revocat.* In hoc vero decreto laudatus Pontifex sub absentibus excepit illos »*quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas et evidens ecclesiae utilitas excusaret, cap.: Consuetudinem de cleric. non residen. in 6.* Quae autem sit corporalis necessitas disputant canonistae atque *Fagnan. in lib. 3. decret. cap.: Licet de praeben. num. 131* censet: *Canonicum expulsum a civitate propter seditiones absque sua culpa integre percipere debere quotidianas distributiones.*« In quam sententiam concurrit *Jo. Andreas in cap.: Ad audien. de cler. non residen. num. 2, Calderia cons. 17. in tit. de praeben., Covarruv. in cap.: Cum pridem 13. de renunc. num. 10.*

Redit hinc controversia ad factum, num scilicet Taranus justa intercedente causa ecclesiam reliquerit, ut se a persequutione redimeret. De qua quidem re accuratissime agit Episcopus in sua *informatione*, in qua rationes hinc inde adductas ad trutinam ponit, atque proinde eam integram transcribam.

Pro sacerdote Josepho Tarani haec habet: *Exposuit enim in antedicto supplici libello fugam ab ecclesia et tecto paterno, ne anima propria coinquinaretur cum orationibus sive precibus praescriptis ad obtinendum divinum patrocinium favore de eo tempore Galliarum Imperatricis ac Italiae reginae ad hoc ut feliciter in lucem daret foetum, quo venter ejus erat praegnans. Agnovit mandata utpote data ab illegitima auctoritate exequutionem non mereri. Ideo fugam arripuit ad evitanda ea mala, quae illorum temporum perfidia Pontificis legibus adhaerentibus minabatur non solum, sed exequutioni illico demandabat; causa igitur antedictae fugae erat demonstrandi, quod hoc onus non adimpleret, prout testes omni exceptione majores probant. Crescit argumentum suae fugae. Tempore suae permanentiae in alma urbe praescriptae etiam fuere preces illae, quae in illo notissimo versiculo habentur: Domine salvum fac. etc. Inspecta igitur causa antedictae fugae, quae satis cum pluribus testibus est justificata ad concludendum, ut mihi videtur, redditus praebendae esse sacerdoti supplicanti restituendos; sententiam meam vero tota animi devotione Emis et Rmis PP. sublimitate ingenii, summa scientia functis et per universum orbem catholicum magistris submitto.*

Expendit porro rationes a capitulo adductas, ex quibus refragatur oratoris instantiae: *Quidquid vero habetur in foliis capitulo expositis contra petita nihilomnino existimandum puto.*« *In iis nil aliud continetur, quam nugae et verba. Et revera auctor folii repetit causam discessus e patria pro tuendis nonnullis judicialibus causis, quae in romano foro versabantur inter familiam paternam et Camillum Flacchi, gratis tamen asseruit, nullam probationem deduxit, ergo asserta nullam fidem merentur. Stant ergo et stare debent in pleno robore exposita a sacerdote Tarani utpote justificata. Ulterius ad refellendam veram causam discessus deductum fuit, sacerdotes recitare nolentes praedictas preces pro Imperatrice a quacumque molestia fuisse exemptos: non solum gratis verum etiam male hoc asseritur. Inficiari nequeunt minae, insidiae, persequutiones contra eos, qui preces praedictas respuebant, apertissime sic legitur in summ. n. 7. Denique ut caetera omittam, quae nullius momenti sunt, ex verbis adhibitis a sacerdote Tarani argumentum sumitur contra eundem petentem, dicit enim: Sacerdos Tarani est in conflictu substinendo exilium voluntarium deportationi aequipollere debere. In casu concreto minime adest contradictio; fuga non ab alia causa est repetenda nisi a praecitata renuentia, ergo discessus fuit in causa coactus et non voluntarius, ex quo omnes cogebantur ad precum recitationem, prout ex probatis num. 2. 3. 4, et specialiter num. 7. Sed esto parumper, quod sacerdos Tarani functionibus choralibus interfuisset et constantissime indictas preces refutasset. Quinam effectus constantissimae renuentiae erant ei obventuri? Detrusio in carceribus, denique deportatio. Testimonium amplissimum assertionis meae perhibent illustres sacerdotes, clericus beneficiatus Christophorus Perisetti, Flavius Pitoni, beneficiatus Cajetanus Rosati, inter beneficiatos Nicolaus Marchilli, alter pariter beneficiatus Petrus Ceccotti. Isti omnes officia choralia exercentes ab injunctis precibus sese abstinuere, quid eis evenit? In carcere prius detrusi, denique deportati fuere. Eadem infortunia sacerdoti Tarani erant mehercule obventura, nisi fuga tantis malis reparasset, ergo exilium respectu causae fuit coactum, quo vero ad electionem fugae, ne in tyrannidis potestatem incideret, fuit voluntarium.*

Tandem suam concludit sententiam: »*Hisce omnibus juxta meum sensum, quam sapientissimo judicio EE. et RR. PP. expono, finem perpetuumque silentium sanctissimi Domini Nostri rescriptum imponit. Sacerdos Philippus Sisti alter ex beneficiatis sub praetextu malae valetudinis e civitate Reatina aufugit et Urbem Romam se contulit; vera causa discessus fuit renuentia a precibus. Causa malae valetudinis profugo sacerdoti impar visa fuit ad se abstinendum a functionibus choralibus, quia compelli poterat ad redeundum. Consilium iniit renunciandi praebendam: Sic factum fuit: Solemniter illam abdicavit et Episcopo Reatinae ecclesiae renunciationem palam fecit, inde patriae se restituit, ubi dies duxit pacificos usque ad felicissimam usurpatoris extirpationem. Preces SS. D. N. exposuit, causam suae renunciationis indicavit, petiit et obtinuit non solum reintegrationem verum etiam mandata pro fructuum reintegratione in casu, de quo agitur, melior est conditio sacerdotis Tarani. Iste nullam renunciationem emisit, semper e patria profugus usque ad faustissimum summi Pontificis reditum vixit.*

Ex his dubium proponitur:

An sacerdos Joseph Tarani beneficiatus ecclesiae cathedralis Reatinae lucrare debeat fructus et distributiones sui beneficii pro toto tempore absentiae in casu?

S. C. resp.: Affirmative.

Die 18. Febr. et 18. Mart. 1815.

Ferentina.

Ut trium sororum sanctimonialium vi perditorum hominum e claustris expulsarum incolumitati consuleret sacerdos Leopoldus Tosi Senogaliensis et Cathedralis Ferentinae Canonicus veniam abessendi die 2. Januarii 1810 annuente capitulo collegialiter collecto obtinuit, cum iis miserrimis temporibus ad summum Pontificem porrigendi preces omnis fidelibus praecluderetur via. Prodiit interim iniqua lex e finibus romani status omnes exteros sacerdotes expellens et altera iniquissima deportationis poenae subjiciens illos, qui illegitimae dominationi praestare vetitum jusjurandum et notissimas preces pro Principis invasoris prosperitate recitare recusassent. Quare ne seipsum exponeret sacerdos Tosi periculo vel se coinquinandi vel tollerandi exilium, studiose reditum distulit ad suam residentiam.

Canonici per integrum biennium suae immediatae absentiae omnes canonicatus fructus demptis tamen quotidianis distributionibus et quidquid pro oneribus canonicatui infixis satisfaciendis interest persolverunt.

Pro reliquo vero tempore suae absentiae usque ad illius obitum, qui in diem incidit decimam sextam Januarii 1814, neque a Canonico Tosi, si adhuc ageret in humanis, nec ab ejus haeredibus beneficii fructus repeti posse contendunt Canonici, quia ad suam residentiam ab Episcopo decessore vocatus remeare detrectavit ac idcirco eodem Episcopo decernente sacrarii beneficio assignati ac exinde Canonicorum suffragio capellanis quibusdam, qui choro in Canonicorum deficientia inserviebant, distributi fuere.

Haeredes vero defuncti Canonici Tosi postreintegratum regimen pontificium Sanctissimum exorarunt pro restitutione omnium fructuum et distributionum pro toto tempore suae absentiae, quia affirmant eorum auctorem abfuisse a sua residentia, ne animam suam iniquo foedaret juramento ac preces vetitas recitare cogeretur. Delegatis precibus huic sacrae Congregationi rogata fuit sententia Episcopi Alatrini, cui vacantis Ferentinae ecclesiae delegata fuit a SSmo provisoria administratio, qui EE. VV. retulit capitulum precibus haeredum Canonici Tosi adversari, nihilominus aequum esse ut distributiones quotidianae persolvantur, ex eo quod justa de causa a residentia abfuerit. Proviso interim novo pastore Ferentinae ecclesiae ipsius votum una cum capituli resolutione sacra Congregatio exquisivit. Capitulum pluribus rationibus haeredum petitioni contradicit. Episcopus e contra postquam narrata confirmavit multis argumentis inferius recensendis haeredibus suffragatur.

S. Tridentina synodus *sess. 24. cap. 12. de reformat.* praescribit, ne Canonicis »*Liceat . . . . . ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse.. alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; crescente vero contumacia contra eos juxta ss. canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui quavis collusione ac remissione exclusa his careant juxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit:* »*Consuetudinem.*« In hoc vero decreto laudatus Pontifex ab absentibus excipit illos, »*Quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas et evidens ecclesiae utilitas excusaret*«, *cap.: Consuetudinem in 6.* Quae autem sit haec corporalis necessitas disputant canonistae et *Fagnan. in lib. 3. decret. cap. Licet de praebend. num. 131.* censet *Canonicum expulsum a civitate propter seditiones absque sua culpa integre percipere debere quotidianas distributiones.* Huic sententiae adhaeret *Jo. Andreas in cap.: Ad audientiam de clericis non resident. num. 2, Calderin. Const. 17. in tit. de praebend., Covaruv. in cap.: Cum pridem 13. de renunciation. num. 10* et *s. Congregatio in Reatina Fructuum et distributionum 18. Martii cur. anni**) rescripsit favore sacerdotis Josephi Tarani beneficiati Cathedralis Reatinae, quod lucrare debeat fructus et distributiones sui beneficii toto tempore absentiae, qui ut effugeret occasionem praestandi vetitum juramentum atque ut se subtraheret persequutioni Romam profugus venit, atque inde Camerinum Maceratamque petivit. Quod confirmatum fuit in nova causae propositione *19. Augusti proxime elapsi*, in qua favore ejusdem beneficiati rescriptum fuit: *In decisis et amplius.*

Praesens igitur controversia ad hoc unum reducitur, an scilicet dura impellente necessitate suam residentiam reliquerit Canonicus Tosi atque an ea de causa in sua perseveraverit absentia.

Descendendi necessitatem excludit capitulum ex eo quod Canonicus Tosi longe ante annum 1810 animum suum paratum ad revertendum in patriam ut suis negotiis incumberet demonstraverat et arrepta occasione expulsionis sororum a monasterio, quod prius jam meditaverat, explevit. Item lex lata die 17. Aprilis 1810 contra extraneos sacerdotes ipsum non afficiebat, quippe qui apud Ferentinos erat civitate donatus, unde Episcopus obtinuit, ut declaretur exemptus. Ipse vero usus est ejusdem legis praetextu, ne quoad juramentum et preces recitandas suam opinionem declarare cogeretur, quare ipse pacifice per biennium penes suos fructibus canonicatus gavisus est atque ita nec ecclesiae inservivit nec jusjurandum recusavit atque cum caeteris apud exteras terras commode abfuit. Cum autem chorus debito careret servitio revocatus ab Episcopo recusavit accedere ac idcirco ex decreto ipsius Episcopi juxta sacrorum canonum statuta privatus fuit fructibus canonicatus, quos sacrarii commodo applicavit. Canonici e contra, cum chori servitium penitus deficeret, quatuor capellanis, qui Canonicorum absentium vices gererent, eosdem fructus distribuerunt, nullus ergo dicunt locus eorum repetitioni nunc esse potest. Nullam tandem asserunt haeredes actionem pro distributionibus biennii, in quo Canonico Tosi reliqui canonicatus fructus persoluti fuerunt, exercere valent, nam Canonicus ipse iisdem fructibus contentus fuit, qui numquam pro distributionibus assequendis instetit.

*) Vd. p. 576.

Quibus fere omnibus accurate respondet Episcopus in sua informatione, unde eamdem integram transcribam: »*Prima capituli abjectio nullius mihi momenti videtur, statim ac nihili eam capitulum ipsum fecisse constat. Si enim Tosius ab initio nulla cogente necessitate sed tantum ex praeconcepta deliberatione a residentia revera recessisset, cur capitulum per integrum immediate biennium fructus sui canonicatus eidem uti debitos tradidit? Si absentia fuisset voluptuosa, contra justitiam peccasset capitulum in libere tradendis fructibus per id temporis spatium decursis, sed verius unicam causam fuisse illam, quam nec capitulum ignoret, consulendi videlicet tribus sororibus sanctimonialibus mundi periculis ab usurpatore gubernio expositis.*«

»*Contendunt enim Canonici* (prosequitur Episcopus) *Tosium redire debuisse ad suam residentiam, sed cui bono non video. Aut enim impio juramento sese coinquinare redeundo debuisset aut exilii incommoda tolerare, quorum utcumque gravissimum quisque facile percipit, nec ulla humana lege ad id obligari potuisse judicarem. Hoc igitur posito impedimento Canonici Tosi absentia inculpabilis perpensa merito fuit eorum, qui per vim a suis beneficiis avulsi fuerunt, proindeque sicut hisce sic et illi fructus omnes una cum distributionibus quotidianis subductis tantum oneribus missarum haeredibus Tosi esse reddendos.*«

»*Nec mihi* (addit idem Episcopus) *negotium facessit diversum mei praedecessoris, prout asseritur, tunc editum hac de re judicium sacrarii commodo fructus canonicatus Tosi ob dilatum reditum adjicientis. Erroneum siquidem aut certe unius consideratum judicium ipsum mihi videtur, tametsi ob repuerescentis aetatis debilitatem excusandum et idcirco ab EE. VV. facili negotio corrigendum. Zelus autem eorum Canonicorum, qui juramento vetito subscripserunt quique propterea chori servitio luctuosissimis illis diebus interfuerunt, supplendo per conductitios alios presbyteros eorum Canonicorum numerum exilii meritum pro tuenda Dei causa sufferentium, nullatenus mihi commendabilis apparet, quia hac in hypothesi et ecclesiae manifestissima persequutio obtegebatur et proborum ecclesiasticorum nunquam satis laudabilis ratio injustissimo onere alios suis sumptibus ecclesiae ministeriis deputando quodammodo despiciebatur.*«

Tandem concludit: »*Ego sentirem, ut haeredibus Canonici Tosi fructus omnes illius beneficii per capitulum reddendi sint, qui ad obitum usque eorum auctoris decursi sunt comprehensis distributionibus quotidianis perinde ac si numquam a choro abfuisset.*«

Nec obstare posse credunt haeredes Tosi integrae distributionum restitutioni circumstantiam, quod per biennium fructus percepit nulla facta distributionum ipsarum mentione; ignorabat enim tunc quod deportati ob recusatum illicitum juramentum ex justa summi Pontificis lege considerandi essent tamquam praesentes et congruenter a s. Congregatione ad idem beneficium admittendos esse illos, qui etsi non deportati ad evitandam certam ex praedicta causa deportationem a residentia abfuerunt, ut in praecitata *Reatina Fructuum et distributionum 18. Martii anni cur. et 19. proxime elapsi Augusti,* ideo pro distributionibus Canonicus Tosi non instetit, sed tamen non renunciavit.

Quibus positis dignabuntur EE. VV. deliberare infrascriptum dubium, nimirum:

An Canonicus Tosi ecclesiae cathedralis Ferentini lucrare debeat fructus et distributiones sui beneficii pro toto tempore absentiae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi demptis missis privatis, si quae sunt praebendae infixae.

Die 9. Septbr. et 2. Septb. 1815.

n) Percipiendi ex quo tempore?

Vd. supra lit. *a* p. 557; p. 584. §: *Ubi.*

Burgi s. Donnini.

Ad unum ex duobus residentialibus beneficiis seu legatis fundatis a Petro Stecconi

in ecclesia collegiata s. Bartholomaei Bussetti clericus Dominicus Stecconi fuit nominatus in villa s. Andreae sub parochia Bussetti natus. Hic ob defectum nativitatis et educationis in oppido Bussetti a testatore impositae adeptus est habilitatem assequendi beneficium et modo exorat, ut ei concedantur ejusdem fructus a die vacationis ad diem futurae possessionis, cum jam quinque elapsi sint anni; et obtinuit. Agebatur de paupere consanguineo testatoris.

Die 19. Aug. 1797. dub. 2.

Romana.

Sacerdoti Joseph Marianoni omnes sui beneficii fructus deberi a die legitimae captae possessionis exploratum in jure est, tum ex generali ss. canonum sanctione tum ex peculiaribus pii collegii constitutionibus. Cum enim illi fuerit per apostolicam provisionem collatum beneficium illiusque apprehenderit possessionem, jus ad *rem et in re aquisivit, cap. 2. de praeb.*, ut fructus quoscumque ex suo beneficio provenientes sibi addiceret, quique alimentorum loco succederent. Celebrem in hanc rem post ss. Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 14. de reform.* sanctissimus Pontifex Pius V. edidit constitutionem, quae incipit: *Durum nimis*, editam die 13. Julii 1570, in qua ita sancivit: »*Revocamus et abolemus omnia et quaecumque privilegia, consuetudines et statuta quarumcumque ecclesiarum etc. etiam juramento, confirmatione apostolica aut alio quovis praesidio munita ac etiam supra hominum memoria et longissimo ac quantocumque tempore etiam continuo observata sive pro solvendis ecclesiarum vel Praelatorum debitis sive pro supportandis illorum oneribus sive aliis etiam majoribus, maximis et urgentissimis causis concessa etc., quod vacantibus ipsarum ecclesiarum dignitatibus, canonicatibus, praebendis, beneficiis fructus ac etiam quotidianae distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione anno aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri mensae episcopali seu capitulari aliove loco integre vel partim remaneant seu applicentur aut in communes usus cedant seu inter alios Canonicos et personas ecclesiae seu capituli dividantur.*

Innumerae sunt s. hujus Congregationis definitiones, in quibus reprobatur quaevis consuetudo, per quam novus provisus de aliquo canonicatu vel beneficio priveretur perceptione fructuum, qui cederent in utilitatem aliorum Capitularium. Ita *in Senogalien. 11. Julii 1590 et Laodicen. 11. Octobris 1592. tom. 21. decret. pag. 822, in Andrien. Participationis 15. Decembris 1700. liber. decr. 50. pag. 519, in Hydruntina Servitii 28. Novembris 1705. lib. 55. decret. pag. 422., in Matheraten. Participationis 24. Septembris 1735* et in *Tudertina Mediae ànnatae 8. Augusti 1744.*

Die 24. Mart. 1821.

Fundus beneficii, ut ait *Lotter. de re benef. 3. q. 20. n. 117, post factam collationem spectat ad provisum, cui fingitur usque a momento vacationis facta provisio, unde inspecta juris communis dispositione ei debentur fructus usque ab initio vi retroactiva.*« Consonant *Surd. con. 333. num. 23. ad fin. et n. 24 et Rota in Romana Clericat. benefic. 21. Junii 1781. cor. de Salm. §. 18.*

o) Privatio ab Episcopo.

Placentina.

Fructibus beneficii Episcopus privare beneficiatum nequit, *nisi in casibus a jure expressis*, uti cum caeteris monet *Garzias de beneficiis part. 3. cap. 2. num. 490*; quando vero et quomodo privandus sit, statuit Tridentina synodus *sess. 21. cap. 6. sess. 23. cap. 1, sess. 25. cap. 3 et 11. de reformat.* Nullibi autem legitur, hanc poenam infligendam esse beneficiato, si sacerdotem ad sepulturam non deferat; hinc, etsi dici velit, in synodo Cardinalis Sega comprehendi praebendarii funus, non jure tamen mulctati amissione distributionum renuentes censeri poterunt. Quod clarius apparet, si beneficii fructuum indolem perscrutemur, conceduntur enim iidem fructus servitii choralis causa, ideoque ab his amittuntur, qui choro non intersunt et distributiones iis accrescunt, qui personaliter serviunt. Cadaveris delatio est charitatis officium, non chori servitium, hanc igitur ob causam poenae a jure exorbitanti locum non esse concludi poterit.

Die 24. Maji 1823.

p) Restitutio.

Vd. *Beneficiatus* (qualitas etc.; t. I p. 185; 232; sacerdotio non insignitus p. 236. n. 31 etc.); *Canonicatus* qualitas etc.); p. 154. n. 17; p. 142. n. 15.

Nullius Nonantulae.

Sacerdos Jacobus Ugolini solemnibus anno 1724 exaratis tabulis simplex ecclesiasticum

beneficium sub invocatione b. Mariae Virginis ab Angelo salutatae in pago s. Prosperi abbatiae nullius Nonantulae erexit, hasce de activo et passivo jurepatronatus leges praescribens: »*Che tal beneficio sia di juspatronato di sua casa si nei maschi, come nelle femine finchè ve ne sarà, e che il più vecchio ne' maschi abbia la facoltà di nominare il rettore di detto beneficio, e così anche nelle femine non essendovi maschi, con patto però, che sempre l'uno o l'altro sia tenuto o tenuta nominare uno della casa, finchè ve ne sarà degli abili, e non altrimenti.*« Item: »*Il rettore di esso beneficio se sarà della casa, debba, se sarà chierico minore, recitare ogni giorno l'ufficio della b. Virgine, e far celebrare una messa il mese . . . ; se sarà sacro o sacerdote farà celebrare, o celebrerà solamente la messa come sopra . . .*« Item: *Estinta la linea del costituente il juspatronato, vuole il detto signor fondatore, che cada nella persona del signor rettore, che sarà pro tempore alla chiesa parrocchiale di s. Anna Pelago, patria del costituente; quale signor rettore se nominerà altri, il nominato avrà gli oneri sopra espressi degli estranei, se poi nominerà se stesso, avrà gli oneri duplicati apposti agli estranei, perchè il medesimo essendo parroco già deve avere, donde vivere possa con le rendite della parrocchia.* Item: *zE perchè il costituente desidera, che esso beneficio serva per patrimonio, dote ed alimenti di un sacerdote di sua casa, però non vuole, che esso beneficio sia gravato per quote di seminario, spogli nè in qualsivoglia altro modo acciocchè ec.*«

Ex obitu clerici Jacobi Ugolini die 8. Novembris anni 1842 hujusmodi beneficium suo extitit rectore viduatum. Hinc Dominicus illius frater tamquam Ugoliniae familiae senior die 29. ejusdem mensis Sanctem, ex fratre nepotem annos natum viginti duos in ecclesiastico habitu jam ante incedentem, sed clericali tonsura minime auctum rite nominavit praesentavitque coram Nonantulanae curiae Vicario generali, qui praesentationem admisit, decreta tamen sueta edictorum promulgatione. Ast die 9. sequentis Decembris adfuit abbatiali cancellariae alter Dominicus Ugolini rector s. Annae Pelago et ipse de vocatorum genere, qui protestatione emissa irritam favore Sanctis editam nominationem edixit nulliusque roboris fore declaravit quidquid in posterum adversum sibi competentia jura attentatum fuerit, quae jura subinde (ubi nempe baptismalibus documentis exhibitis primo dictum Dominicum aetate praecellere manifestum fuit) ad passivam vocationem dumtaxat cohibuit, quatenus scilicet contendebat vel se ipsum vel nepotem suum Joannem Baptistam utpote sacerdotes ex fundatoris placito ad beneficium prae Sancte nominandos esse.

Porro ad propria tuenda jura hinc inde apud acta rationum momenta producta sunt ac protestationes elatae, praesertim ex parte Dominici praesentantis, ut tempus ad praesentandum sibi integrum praeservaret. Sanctes insuper, qui tum parochi de morum integritate ac commendabili ecclesiae praestito servitio tum ludimagistri de laudabili in grammatices studiis progressu testimonio muniebatur, apud Mutinensem Antistitem, qui Nonantulanae abbatiae est Abbas commendatarius, pro clericali tonsura consequenda institit. Ast hujusmodi votis annuere ille renuit obtestans: »*non poter devenire a ciò senza oltraggiare i diritti del sig. D. Domenico Ugolini, ed esser sicuro, se conferiva detta tonsura, che gli si sarebbe mossa causa appresso il Metropolitano*« quemadmodum sibi responsum referunt in id adhibiti mediatores, nempe ipsius Sanctis parochus et archipresbyter s. Prosperi, qui tamen narrat hoc sibi addidisse Episcopum: »*che lasciasse però in di lui mani i recapiti presentati, che gli avrebbe fatti esaminare, e per non mostrarsi parziale avrebbe scritto a Roma alla s. Congregazione, che decidesse, e che anzi avrebbe avuto piacere, che potesse* (Sanctes) *progredire per la via ecclesiastica, avendo bisogno di preti.*«

Veruntamen haec dum agebantur, quadrimestre dilapsum est. Quare Abbas nominandi jus ad se devolutum autumans die 27. mensis Martii anni 1842 decretum tulit, quo, postquam perpenderit, Sanctem a patrono praesentatum beneficium assequendo esse inhabilem utpote tonsura destitutum, presbyterum vero Dominicum Ugolini beneficio ecclesiastico jam esse provisum, atque insuper, si quod praelationis jus haberet, illud favore nepotis Joannis Baptistae cessisse, solemniter edixit »inerendo al capo *quoniam 3. de jurep.* eleggiamo d'autorità nostra ordinaria il predetto sacerdote Giovanni Battista Ugolini all' indicato beneficio .. e quindi prescriviamo alla nostra curia

abaziale di Nonantula di procedere servatis de jure servandis agli ulteriori atti di provista a favore del predetto sacerdote, e non altrimenti etc.« Verum hujusmodi decreto gravatum se esse putans Dominicus Ugolini, qui Sanctem praesentaverat, ad hanc s. Congregationem provocavit efflagitans: »*che si degni decidere, se vi era luogo nel caso presente ad una devoluzione del diritto di nominare per questa volta dal patrono laico all' Ordinario, poichè nel caso negativo l'oratore implora, che dalla med. s. Congregazione sia proveduto all' indennità sua non che di Sante Ugolini da esso nominato al beneficio sud. Nel caso poi affirmativo l'oratore implora che la stessa s. Congregazione si degni dichiarare, se, a senso del rogito di fondazione, sia o nò valida la nomina di un chierico abile della discendenza Ugolini, quando e sacerdoti, e chierici abili si trovino esistenti contemporaneamente in essa discendenza.*«

Hisce super precibus de more Abbati literae datae sunt, qui in sua relatione, hactenus expositis confirmatis, ita prosequitur: »Furono esposte hinc inde le respettive ragioni appoggiate in diversi documenti e atti prodotti, e dal complesso de' med. si può con fondamento ritenere e dedurre:

Che il seniore della famiglia Ugolini è veramente il sudetto Domenico, che il rettore di s. Anna Pelago non poteva sperare alcuna preferenza in consorso di altri, aventi lo stesso diritto, tanto più poichè essendo in altro modo proveduto, rendevasi dubbio ancora il preteso diritto, e che i soli della famiglia del fondatore sopra de' quali poteva validamente in oggi cadere la nomina al di sopra indicato beneficio, erano il nominato chierico Sante Ugolini, ed il nepote ex fratre del parroco di s. Anna Pelago sacerdote D. Gio Battista di detto luogo.«

»Che per parte tanto dell' uno, che dell' altro dei medesimi concorrenti non mancavano proteste in tempo abile prodotte all' oggetto di far conoscere i proprii diritti non solo, ma con lo scopo ancora di ottenere respettivamente l'esclusine dell' avversario, dichiarando entrambi nulla, e di niun effettò qualunque nomina in proposito.

Che trascorsi in tal modo i quattro mesi prescritti al patrono a nominare persona abile e capace fra i chiamati al godimento del beneficio, giacchè l'abbate Sante Ugolini non potevasi per mancanza di tonsura ritenere tale, ne venne in conseguenza, che fin dal 9. Marzo anno corrente per canonica disposizione il diritto di nomina passò al sottoscritto come Abbate di Nonantola.«

»Che in forza di una tale circostanza fu allora che richiamati gli atti, ed attentamente esaminata la posizione, e più di ogni altra cosa il contesto del rogito di fondazione, il sottoscritto, uso facendo della propria autorità, con decreto del 27. Marzo del corrente anno 1843 nominò definitivamente il sacerdote D. Gio Battista Ugolini di s. Anna Pelago al suddetto beneficio sotto il titolo della ss. Annunziata eretto nella parrocchiale di s. Prospero di Nonantula, mosso soltanto dai sequenti riflessi.«

»1. Perchè dal rogito di fondazione come apparisce certo e indubitato il diritto di nomina del seniore della famiglia Ugolini, altrettanto è certo l'onere ingiunto al med., di conferire il beneficio ad uno di detta casa da scegliersi fragli abili.«

»2. Che all' appoggio di una tale disposizione è per se stessa nulla e di niun effetto la nomina fatta dal seniore Domenico Ugolini fin dal giorno 29. Novembre 1842 nella persona del semplice chierico Sante Ugolini, come quello che mancante della tonsura non poteva giusta le canoniche prescrizioni ritenersi abile a conseguire il beneficio.«

»3. Perchè tanto dagli atti della curia abbaziale, quanto da quelli della cancellaria della Congregazione degli ordinandi in Modena non risulta, che il med. chierico Sante Ugolini abbia mai fatta una regolare domanda per ottenere l'ordine della tonsura.«

»4. Perchè nel supposto caso ancora che per parte del sullodato chierico si fosse chiesta nei debiti modi la tonsura, ciò non ostante la di lui nomina al beneficio non poteva sortire il suo effetto, per la circostanza che dal patrono non fu mai rattificata entro il termine prescritto dalle leggi canoniche.«

»5. Perchè il fondatore nell' atto d'istituzione dichiarando che il più vecchio ne' maschi (di sua casa) abbia la facoltà di nominare il rettore del beneficio, e così ancora nelle femine, non essendovi maschi, con patto però che sempre l'uno o l'altra sia tenuta nominare uno della casa, finchè ve ne sarà degli abili, e non altrimenti accordò evidentamente al seniore della sua famiglia il pieno dritto di scegliere fra gli *abili* quello che più sarebbe a lui beneviso, mentre in caso diverso avrebbe indicata la norma e l'ordine, con cui intendeva fossero chiamati discendenti Ugolini al godimento del beneficio.«

»6. Perchè in forza di un tale riflesso devoluta la nomina per disposizione di legge all' Ordinario, era in di lui facoltà, come lo era in quelle del seniore, di scegliere fragli abili della famiglia chiamata quello che riteneva il più capace, ed opportuno ad ottenere il suddetto beneficio, e perciò preferendo il sacerdote D. Gio. Battista Ugolini, usò soltanto di un dritto annesso a quello di nomina.«

»7. Finalmente perchè accordandogli una tale preferenza come il solo abile e capace fra i due concorrenti, ed essendo inoltre rivestito del sacro carattere, unico scopo, per cui fu eretto il beneficio, non fece che corrispondere pienamente al prescritto del fondatore.«

Ex his, quae fuse disputat Abbas, habent EE. PP. rationum momenta, quae pro lato faciunt decreto quaeque ideo Joanni Baptistae Ugolini etiam favent, ne a beneficii possessione exturbetur. Ast ex adverso in distribuenda allegatione multa congerit Sanctis adsertor, qui decreti infirmationem ex eo adstruit, quod Abbas editam clientis sui favore praesentationem posthabere nequibat. Cum enim haec ab eo expleta fuerit, qui unus, tamquam familiae senior, activo patronatu pollebat, ac intra tempus a lege praefinitum, nempe viginti dies a beneficii vacatione, atque insuper in eum collata, qui de genere erat vocatorum et bono circa mores ac studia testimonio commendabatur, ac demum ab ipsa abbatiali curia admissa, nil aliud sane pro ejus validitate desiderandum erat, si clericalis tonsura excipiatur, quam tamen intra quadrimestre expetitam fuisse asserit.

Hanc vero, prosequitur, Abbas denegavit ob alias prorsus causas quam petentis indignitatem, nempe ne praejudicium rectori s. Annae inferretur et ne contra se ad metropolitanam curiam recursus fieret. At neutrum in pretio habendum est. Siquidem praejudicium verificari in rectore nequibat, qui nullum jus sibi mutuare poterat nec ex activo patronatu, quia senior e familia non erat, nec ex passivo, quia, etsi de vocatorum genere, patroni tamen destituebatur praesentatione. De recursu autem vanus timor erat. Cum enim ex superius dictis Sanctes omnibus a Tridentino Concilio pro clericali obtinenda tonsura requisitis honestaretur, legitime ad eam initiari potuerat; immo cum ex passiva vocatione et patroni praesentatione ad eam suscipiendam arctaretur, ad tradita *per Garciam de benef. par. 5. cap. 7. n. 99 et seqq.*, jam res eo adducta erat, ut illam Abbas conferre debuisset ex ipsius Tridentini mente, quod *sess. 27. cap. 10.* Vicariis capitularibus etiam infra annum ab episcopalis sedis vacatione indulget, ut ordinandi veniam iis impertiantur, qui ad ordines suscipiendos beneficii ecclesiastici recepti seu recipiendi occasione arctati sunt. Quin relevet generalis regula, qua statuitur laicum non posse ad ecclesiastica beneficia praesentari;*) haec siquidem limitationem patitur ex doctrina, quam tradunt *Leuren. in for. benef. par. 2. sect. 1. cap. 2. quaest. 158. num. 1, Corrad. prax. benef. lib. 1. cap. 5.* et *s. C. in Faventina 3. Jul. 1782. §: Sed excipitur*, nempe laicum valide praesentari posse, dummodo infra tempus legitimum et ante institutionem fiat habilis jure ordinario vel per dispensationem.

Quapropter instat tonsurae collationem denegando illud potius consilium Abbati fuisse moras texere, ut ita tempus quadrimestre efflueret atque ejus favore devolutioni locus fieret. Verumtamen neque tempus utile praesentationi effluxisse propugnat; quandoquidem ex elicita a patrono intra illud tempus ad jura sua tuenda protestatione nedum litis contestatio, sed et inhibitio ne ad ulteriora procederetur orta fuit, prout docet *Piton. discep. eccl. 155. num. 56, Gonzalez. de elect. num. 7. in fin., s. Cong. in Gallien. Subsid. dot. 15. dec. 1787. §: Haec vero*; ac proinde terminum in patroni detrimentum currere nequivit, *cap. Quoniam de jurepat. Greg. decis. 94. in fin., Card. de Luca dis. 64. num. 12. de jurep.* Neque pariter devolutioni locum fieri potuisse, quia dispositio capitis: *Quoniam de jurep.*, quo innixus ad nominationem Abbas processit, vim suam erexit dumtaxat, si controversia vertatur inter patronos super jure praesentandi, minime vero si inter praesentatos vel super idoneitate praesentati; *Joan. Andr. in dict. cap. num. 7. in fine, Abbas ib. num. 2, Fagnan. ibid. num. 19 et 20, Pirhing. lib. III. tit. 38. sect. 4. num. 116.* Porro

*) Vd. *p. 529. d.*

in themate, quando decretum fuit, quaestio versabatur tantum super praelatione, quam rector s. Annae sibi asserebat, vel super Sanctis idoneitate, altera enim quaestio, quam primum idem rector super jure praesentandi excitaverat, cessavit statim ac exhibitis documentis in comperto fuit, Dominicum seniorem esse e familia, ad quem proinde patronatus activus ex fundatoris dispositione pertinebat, quod et ipse Abbas in sua relatione professus est.

Perperam tandem per Abbatem obtrudi contendit laudatus adsertor vel a Sancte pro tonsura assequenda factam non fuisse »*una regolare domanda*« vel a patrono intra legitimum tempus ratam habitam non fuisse nominationem vel ipsummet Sanctem institui nequivisse, quia sacerdotes e familia aderant ex fundatoris placito praeferendi. Siquidem quoad primum perpendit Sanctem ad tonsuram petendam duos gravissimae auctoritatis viros adhibuisse, idque formali aequipollere supplicationi, quod si apud ordinandorum acta opportuna requisita forte non detulit ex eo esse repetendum, quo ab altero ex mediatoribus audierat Abbatem, qui penes se omnia documenta relinqui jussit, maluisse rem maturius expendere atque etiam s. hunc Ordinem consulere. Quoad alterum neque a canonica jurisprudentia neque a communi praxi praesentationis ratihabilitationem requiri; in themate sat esse debuisse patrono, quod per Vicarium curiae Nonantulanae praesentatio a se expleta fuisset admissa. Quoad tertium demum, ex fundationis tabulis sacerdotum praelationem nullimode evinci. Siquidem beneficium non esse sacerdotale ex eo patet, quod ad illud etiam clericum nominari posse fundator expresse significavit; insuper cum illud erigere edixerit »*per patrimonio, dote ad alimenti*« alicujus e sua familia necnon parocho s. Annae Pelago (quando nempe ejus vocationis casus adveniet) duplicata onera imposuerit ea ratione, quod ipse ex paroeciae redditibus jam haberet, unde vivere queat, contrarium potius exurgit clericum nempe, qui ecclesiasticum curriculum suscipit, ex ipsa fundatoris mente praeferendum aliis omnibus, qui ad sacros ordines jam fuerint assumpti.

Ubi autem EE. PP. decretum infirmandum esse judicaverint, non ambigit Sanctes, quin in altero dubio decernant fructus ei esse restituendos, quippe *intrusus non intelligitur possidere sibi sed canonice proviso neque pro se sed pro eo fructus percipere, cui omnino eos tenetur restituere*, ceu post *Rotam dec. 5. de re jud. in nov.* totidem verbis ait *Lotter de re ben. lib. 3. cap. 20. n. 111. et seq.*, et quidem a tempore nominationis, non enim ex tempore adeptae possessionis, sed a die provisionis fructus debiti sunt, *Lotter loc. cit. n. 117 et 120*, *Surd. cons. 333. n. 23 et 24*, eo vel magis quod non propriae culpae sed aliorum tribuendum, quominus beneficii possessionem non sit assequutus. Ast e contra expendendum est, num Abbatis auctoritas, qua actualis possessor in beneficium immissus fuit, justam ipsi praebeat causam possidendi, *ad leg. 167. ff. de reg. jur.*, ut inde judicari valeat an ad fructuum qui consumpti sunt restitutionem ipse indigendus sit. Ubi enim possessor bonae fidei dignosceretur, ex legum censura hujusmodi restitutioni non foret obnoxius.

Hucusque enucleata ad hodiernam praesentationem spectant. Pro futuris vero praesentationibus normam ab EE. VV. patronus efflagitat atque de hac quaerit tertia dubiorum formula, utrum scilicet liceat patrono simplicem de familia clericum ad beneficium praesentare, ubi de eadem familia extent sacerdotes. Ex superius praenotatis non ambigi posse videtur beneficium sacerdotalem qualitatem necessario non requirere,*) ideoque illud etiam simplici clerico conferri posse. Tota igitur quaestio, ut innui, in eo versatur: an sacerdos clerico praeferendus sit**).

Praelationem suaderet generalis regula, quod ecclesiastica beneficia dignioribus eisque qui aetate, moribus ac doctrina caeteros antecellunt conferenda sint, s. Congreg. *in Verulana Archid. 16. Sept. 1769.* §. *8*, quales profecto prae clericis sunt sacerdotes, adeo ut ob qualitatem sacerdotalem praesentatio sacerdotis in gradu remotioris vel in aetate junioris vincat alteram clerici proximioris vel senioris, ad tradita post textum *cap. 32. de aetat. et qualit. etc.* per *Pitonium de controv. pat. alleg. 7. n. 10* et *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 9. n. 46*, etiamsi agatur ut in casu de beneficio sacerdotium non requirente, *Rota dec. 343. num. 4. cor. Peutinger*. Et pressius, quod praesentatio facienda sit de persona determinati alicujus collegii, civitatis, familiae***) etsi in tali collegio vel familia etc. duo adsint, unus idoneus, patronus debeat praesentare magis idoneum, docet *Buss. tom. 2. V. Beneficium* §. *5. num. 12* apud *Leuren. de foro benef. tom. 2. sect. 1. cap. 2. quaest. 154. num. 1*, ea ratione, quia alioquin patronus non videretur erga ecclesiam fidelis nec in officio sibi commisso utiliter agere negotium ecclesiae, quae illud ipsi concredidit. In themate vero fundatoris erga sacerdotes praedilectio non immerito argueretur, ex quo expresse ipse edixerit se beneficium erigere pro patrimonio ac alimentis »*di un sacerdote di sua casa*«; atque insuper ex quo nominari jussit »*finchè ve ne sarà degli abili*«; quippe ex ordine presbyteratus major habilitatis praesumptio quam ex simplici clericatu resultat. *Rota in dec. 968. num. 1 et 2 coram Seraphino.*

Verumtamen pro excludenda praelatione animadvertendum est patronum laicum nulla obligatione devinci digniorem ac magis idoneum praesentandi*), *Lambertin. de jurep. p. 1. lib. 2. cap. 10. art. 3. num. 17*, *Garzias de benef. par. 2. cap. 16. num. 9*, *Barbosa de offic. paroch. p. 1. cap. 2. num. 102* et alii passim, adeo ut praesentato qui tantum sit dignus institutio denegari nequeat, etsi patronus digniorem posthabuerit, *Ferrar. V. Jurisp. art. 5. num. 65 et 85*, s. Congr. *in Olomucen. Parochialis 6. Maji 1741.* §. *Haec autem.* Insuper ubi res sit de passiva mediata vocatione (qualis dicenda est ea, qua de agitur, cum fundator patroni praesentationem exigat, ex *Pitonio de cont. part. 65. n. 2*), latum patrono patere arbitrium quemlibet nominandi, dummodo intra praefinitum genus comprehendatur. *Piton. loc. cit. alleg. 7. num. 2. 3. alleg. 85. num. 18*, *Card. de Luca dis. 45. num. 2 et 3*, *Rota in Hortana Benef. 1. Jun. 1708.* §: *Hinc implicabilis, cor. Priolo.*

Hujusmodi vero arbitrium in themate a fundatore actatum fuisse sic ut nequeant nonnisi sacerdotes praesentari, nullo modo videtur ex eo, quod habiles tantum expresse designaverit »*con patto però, che sempre l'uno o l'altra sia tenuto, o tenuta, nominare una della casa finchè ne sarà degli abili, e non altrimenti.*« Siquidem habilitas haud audit injunctum absolutum, quod nempe uni tantum personarum generi conveniat, bene vero relativum, quod cuilibet personarum generi convenire possit. Et quod in themate tum clericos tum sacerdotes complectatur facile adstruitur ex ipso verborum contextu, ubi vult ipse fundator sub vocabulo habilium venire et clericos et sacerdotes, nam discernens paulo inferius inter unos et alios ait: »*se sarà chierico ec., se sarà sacerdote ec.*« Heic etiam redire posset argumentum superius per Sanctis adsertorem allatum atque ex eo desumptum, quod beneficium pro patrimonio alicujus e sua familia fundator erexerit.

Hisce omnibus perpensis EE. VV. ea qua praestant sapientia dirimant, quae proponuntur dubia:

I. *An decretum curiae abbatialis Nonantulanae sit confirmandum vel infirmandum in casu?*

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam,

II. *An et a quo tempore sint restituendi fructus in casu?*

III. *An liceat patrono praesentare ad beneficium simplicem clericum in concursu sacerdotum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad II: Affirmative a die motae litis.

Ad III: Attenta fundatione affirmative. Die 30. Aug. et 20. Sept. 1845.

Continuatio Nonantulae.

Difficile dictu quam gravate Joannes Baptista, qui Abbati partes suas credidisse videbatur, ejusmodi judicium pertulerit. Nam ubi ad aures suas illud pervenit nulla interposita mora ad acta curiae abbatialis convolans protestatus est »di non annuire alla risoluzione della sagra Congregazione« quemadmodum et protestatus est »contro qualunque atto che si forse per fare« in ipsius praejudicium. Post haec tamen acquievisse visus est et nonnisi urgente clerico Sancte compulsus ille fuit termini praefixione ad sua jura coram s. Congregatione deducenda, quae non ab Abbate remissa hodie EE. VV. judicio subjiciuntur, ut rem ad examen revocantes discernere possint, an jam editum S. O. oraculum reformandum sit necne.

Plura sane ac multorum verborum apparatu in foliis exhibitis ille congerit, ut Sanctem a beneficio repellat, quae tamen si per-

*) Vd. *p. 530. e.*
**) Vd. *p. 412. XI.*
***) Vd. *p. 401. m; p. 412. r; p. 185. 232.*

*) Vd. Const. Bened. XIV. *p. 408; p. 404. o. p*

stringas ad haec reduci posse videntur. Et primo meminit ipse quod jam Abbas Nonantulanus dixerat scilicet Sanctem inhabilem fuisse ad beneficium de tempore nominationis, utpote qui clericali tonsura carebat, unde arguit ipsius nominationis nullitatem.

Ulterius deinde progreditur atque affirmat tempore habili non fuisse Sanctem nominatum, sed id effluxo jam quadrimestre peractum a patrono fuisse libere assensus »che il nuovo cancelliere abbaziale di Nonantola o in quell' istesso giorno 14. Marzo predetto, o poco dopo stese arbitrariamente l'atto di nomina al beneficio in discorso coll' antidata del 29. Nov. 1842, che non poteva fare in mio pregiudizio« idque asserit constare »da lettere autentiche, e dai registri della cancellaria anzi detta« quin tamen aliquid exhibeat; proinde Episcopum qui eam uti legitimam agnovit malis artibus fuisse in errorem adductum concludit.

Tertio denique loco obtrudere conatur Sanctem absoluta inscitia teneri dicens nil prorsus per quadriennium profecisse, ita ut ne legere quidem valeat linguam latinam, eumque ideo examinatores in specimine pro tonsura reprobaverint. Quocirca refert: »che il medesimo Sancte Ugolini (in dicto examine) affettava di leggere i salmi dell' uffizio della b. Virgine unicamente perchè gli aveva da qualche tempo imparati a memoria.« Addit insuper ipsum esse etiam »poco istruito nella cristiana dottrina« ex quo concludit, quod si idem Sanctes »non è riuscito a leggere il latino nell' età sua di anni circa ventisete; potrà dirsi che abbia quell' abilità e capacità che si richiede per avere il controverso benefizio? Quando D. Giacomo Ugolini fondava quel benefizio a commodo della sua famiglia, si proponeva d'incoraggiare l'ignavia, e di dare un premio all' ignoranza? si proponeva d'incoraggiare l'attività, e di dare un premio alla dottrina ed al sapere.

Qual opinione si formeranno gli uomini dei titoli che si ricercano ad ottenere un ecclesiastico beneficio, se vedono che un prete è posposto al un chierico, se vedono anteposto uno senza lettere e senza studio ad uno che ha consumato gran parte della sua vita ne' studj e nel servire alla chiesa?..... Non vi è, e non vi può esser nessuno che stimi abile e capace il ricordato chierico ad avere il suddetto benefizio; pensano disersamente le popolazioni; diranno, che l'abilità e capacità sono parole vote di senso, e che sono irrisioni.«

Quid autem ad haec objiciat clericus Sanctes, accipere est ex allegatione pro eodem distribuenda, unde etiam factorum historiam ut hauriant rogamus Emos Patres. Praemonet itaque primo omnia superius exposita posse impure sperni ac praeteriri utpote nullo innixa solido fundamento seu probatione. Deinde cumulatis doctrinis ex universa fere canonistarum schola haustus refellit exceptionem petitam ex defectu clericatus, hoc veluti non controversum tradens, quod qualitas illa satis esse debeat, si superveniat intra quadrimestre, cum requiratur capacitas de tempore institutionis minime autem in actu nominationis ceu praeter doctores in superiori folio citato monet etiam *Piton. de controv. patron. alleg. 100. n. 679.* Quod sane limitat regulam, quae statuit ad beneficium neminem praesentari posse, qui clericus non sit. Quin exinde ullum aliis vocatis idoneis praejudicium inferatur, super hoc enim animadvertit Sanctis orator nullum jus alicui esse quaesitum, quando vocatio fundatoris non est directa et immediata, sed pendet a patroni praesentatione, qua deficiente jus etiam ab ipsa pendens deficiat oportet, illudque proinde ut mere incertum et eventuale impune sperni posse docet *Card. de Luca de jurep. disc. 70. n. 7* et *Piton. loc. cit. alleg. 1. n. 1. 3 et 4. alleg. 7. n. 8 et 24* et s. Congregatio passim elargitur arctatis dispensationes, despectis aliorum de eodem genere vocatorum oppositionibus et hanc esse doctrinam quae in praxi communiter servatur, tradit etiam *Rota in Leodien. Canonicatus 4. Julii 1707 cor. Scotto et in Tusculana Canonicatus 19. Maji 1706. cor. Stadion.*

Post haec despicienda omnino vult ea quae objiciebantur circa modum, quo fuit tonsura ab Ordinario implorata, cum enim plane probatum ab ipso fuerit eam tempori habili fuisse a Sancte petitam nec absolute Episcopum futiles prorsus recusationis causas adducendo eam denegasse, patere ait per se nullum ex retardata collatione inferri potuisse praejudicium juribus postulantis, quia per eum non stetit quominus clericali corona donaretur: ad rem *Piton. de controv. patron. all. 61. n. 28. alleg. 68. n. 21 et 22*, et alterius culpa ex perspectissima juris regula alteri non posset praejudicium importare.

Ad alteram modo gradum faciens objectionem, qua contenditur nullam intra quadrimestre peractam fuisse favore Sanctis nominationem, ut eam plenissime refutet observat authenticum dictae nominationis exemplar nunc per eum exhibitum fuisse ad acta s. Congregationis, ut cuique illud legenti omne dubium circa ejus veritatem evanescat; siquidem ait elicita est in curia, fuit per Vicarium generalem admissa, subscripta est per testes omni exceptione majores ac per ipsum cancellarium, qui subscriptione sua magnam solet actibus auctoritatem adjicere. Hanc praeterea nominationem tempore habili fuisse peractam ex ipsius data patenter erumpit, quum non amplius quam viginti dies a beneficii vacatione defluxisse. Omnem vero fidem ac robur sibi vindicat ex eo quod fuerit per acta cancellariae episcopalis elicita, cum hic sit legitimus praesentandi modus, uti monet *Piton. de controv. patron. alleg. 78. n. 13. alleg. 100. n. 348. et seqq.*, *Fargna de jurep. par. 1. caus. 5. cas. 2. n. 18.*

Quae autem de cancellario dicto exadverso sunt, potius despectu quam confutatione digna existimat, utpote quae criminosum factum redoleant, quod nunquam praesumitur, sed evidentissime probandum est, *Piton. loc. cit. alleg. 75. n. 75*, *Card. de Luca de dote disc. 24. n. 6 et de credit. disc. 77. n. 6*, et ad visitandum delictum quod aptissime non probetur semper pro validitate actus stare debet praesumptio et pro legalitate personae et officialis ex traditis per cit. *Piton. discept. eccl. 9. n. 32.* Proinde cum in probatione prorsus deficiat Joannes Baptista, inter calumnias assertionem suam esse amandandam concludit. Maxime quia accedit contraria Episcopi ipsius confessio quae, ut inquit, deprehenditur tum ex decreto diei 27. Martii 1843 tum ex relatione data huic S. C. et cum ejusmodi confessio proficiscatur ex persona in excelsa dignitate constituta plenissimam faciat fidem necesse est. *Fargna de jurepatr. par. 6. can. 23. cas. 1 n. 32.*

Sed neque deteriorem fieri Sanctis conditionem, etsi de non legitima nominatione plenissime constaret, instat laudatus defensor. Cum enim extra controversiam sit praefatam nominationem fuisse in curia peractam et admissam a Vicario generali, jure meritoque praesumendum est quod praesentatio facta fuerit tempore debito ceu tenet *Pax Jordan. lucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 7. n. 35.* Ac licet pateret praesentationem extra tempus admissam fuisse, nihilominus valeret, cum id ipsum tacitam secumferat termini prorogationem, uti resolvit *Piton. de controv. patron. alleg. 96. n. 6*, quia Episcopi arbitrio remissum est praesentationem etiam post lapsum temporis admittere. *Barbos. de pot. Episcopi alleg. 72. n. 170, Rot. decis. 74. n. 10. part. 16. recent.* Accedit in themate Dominicum protestatum rite fuisse cum videret suam despici nominationem, cujus sane is debet esse effectus ut omnia suspendat nec sinat ad ulteriora procedi, quia uti animadvertit *Card. de Luca de jur. patr. disc. 64. n. 12* ubi patroni suas facerent protestationes non deberet terminus currere.

Tandem quod tertiam objectionem respicit haud insudandum sibi esse fatetur, ut illam iterum penitus rejiciat. Monet itaque agi in themate de beneficio mere clericali ac proinde eam in praesentando requiri scientiam, quae ad primam suscipiendam tonsuram a s. Trid. synodo praescribitur. Et fatuas prorsus esse habendas querimonias de sacerdote clerico postposito, siquidem ipsis aperte refragari fundatoris voluntatem ostendit ex eo, quod ille beneficium pro patrimonio sacro inservire voluit. Unde cum ad clericalem tonsuram obtinendam satis sit illa scientia, quae in legendo et scribendo consistit, Conc. Trid. *sess. 23. c. 3. de ref.*, satis superque aptum Sanctem existimandum esse simul ac de ejus habilitate plenam fidem perhibet suus Ludimagister, quae quidem fides procul dubio omnes perimit gratuitas assertiones de ejus ignorantia ac stupiditate ex adverso prolatas.

Sed haec quae libavimus fusius perlegent in allegatione.

Proponimus itaque dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in I. dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in II. dubio in casu?*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in III. dubio in casu?*

S. C. resp.:

Ad I. II. et III: In decisis et amplius.

Die 28. Aug. 1847.

Sacerdos Joannes Bernardinus Morochius beneficiatus Lauretanae Basilicae absque beneplaciti apostolici reservatione vendidit jus et commodum exigendi pensiones domus choralis beneficio Morichii adnexae et cum pacto vendidit redimendi semper et quandocumque. Poenitentia postea ductus querelam detulit nullitatis contractus postulavitque restitutionem fructuum, quos sacerdos Jo. Ginamius emptor perceperat et obtinuit utrumque. *Lauretana Null. contr. 30. Aug. 1788. confirmat. 17. Januar. 1789*, ubi addita declaratio fuit: »et cui sint restituendi, ad D. secretarium cum SSmo.« Iteratis deinde precibus rescriptum est fructus restituendos esse a die initi contractus, compensata sorte fructus quippe extantes. Die tandem 11. Febr. Sanctitas Sua fructus superextantes relaxari mandavit in favorem Jo. Ginamii. Hic autem hodie contendit sibi esse restituendos fructus superextantes non usque ad diem primae solutionis, sed ad diem 11. Febr. et factus est sui voti compos, quum gratiam pontificiam ad diem 30. Aug. primae resolutionis retrahendam esse s. Congr. existimavit 18. Dec. 1790. dub. 1.

Ad quaesitum:

An teneatur ad restitutionem beneficiarius qui recitat officium sine debita attentione?

S. Alphonsus de Lig. distinguens respondit: *Qui interne voluntarie se distrahit, certe non satisfacit officio et tenetur restituere.* De se distrahente *interius* probabiliorem sententiam edicit, illum *non satisfacere, sed non esse obligandum ad restitutionem fructuum, quos semper ac bona fide perceperit*, quia oppositam sententiam non possumus negare adhuc esse probabilem. *S. Alph. de Lig. theol. mor. l. 3. n. 669. et lib. 4. n. 177.*

q) Superflui deletis oneribus patronis concessi.

Vd. supra lit. *k.* p. 57?. *Beneficium* (nominatio suspensa.)

Comitissa Catharina Uffreducci testamento et codicillis capellaniam instituit in capella s. Philippi Neri in ecclesia s. Petri in Valle. Capellano ad nutum amovibili injunxit onus celebrationis quindecim missarum in singulos menses sive per se sive per alios celebrandarum et quatenus per alium celebraret eidem onus recitandi officium B. M. V. imposuit atque pro stipendio reliquit scuta annua quadraginta octo solutis per patronos utensilibus. Juspatronatum activum reliquit Josepho Carrara et Magdalenae conjugibus *»sinchè essi, e le linee di essi, e ciascun di loro dureranno; mancando le loro linee, a favore della primogenitura Carrara.«* Ad passivum patronatum vocavit *»uno de' figli de' Signori Giuseppe e Maria Madalena Carrara, quando ve ne siano atti e abili al chiericato; e quando non vi siano di questi, debba eleggersi uno de' figli del signor Bali Antonio Marcolini e Signora Margarita Carrara Congiunti. E non v'essendo di questi, debba eleggere uno de' figli della signora Dianora, quando sara maritata; e non essendovi questi, uno de' figli del signor Cosimo Bertozzi, e non essendovi di questi, uno de' figli del signor Girolamo Speranza, e non essendovi di questi, uno de' figli del signor Nicolo Speranza, e non essendovi di questi, uno de' figli del signor Cavalier Claudio e Giovanna Gabuccini Congiunti. Intendo con le loro successioni e linee in perpetuo con l'ordine dato di sopra.»*

Anno 1798 comes Jacobus Carrara, qui tamquam ex primogenitura Carrara juspatronatus passivum possidebat, vacante capellania, cum neque idoneus ipse esset utpote conjugatus, ut capellaniam retineret, neque ex unica ejus filia Theresia innupta haberet, quem nominaret, a s. m. Pio VI. obtinuit breve datum die 28. Julii ejusdem anni 1797, quo eidem indulgebatur *»ut usque dum ex unica* (ejus) *nata existat aliquis, qui capellania hujusmodi gaudere possit, in administrationem retinere illiusque fructus, redditus et provenientias quascumque percipere, exigere et levare ac in suos usus utilitatemque convertere libere et licite posset et valeret.* Defuncto comite Jacobo die 7. Julii 1810 comitissa Antonia Carrara ejus vidua atque tutrix unicae filiae suae Theresiae administrationem capellaniae retinere perrexit, redditus percepit, onera implevit. Nunc vero preces obtulit s. Pontifici, ut indultum defuncto viro concessum prorogaretur in suam personam, quo posset tuta conscientia administrationem capellaniae retinere.

Episcopus de sua sententia rogatus a sac. Congregatione, cui preces remissae fuere, respondit annuos redditus capellaniae pertingere ad scuta quinquaginta et praeterea se rogasse interesse habentes scilicet procuratorem familiae Marcolini necnon equitem Franciscum Bertozzi, cum nemo existat alius, qui ex testamento jura patronalia habeat. Sed defuncto nuper Pragae Marcolinio defuit procuratoris super hac re omnis obloquendi facultas. Bertozzius vero prorsus prorogationi indulti adversatur ne quid damni vel praejudicii ejus filiis veniret in adipiscendo juspatronatus passivum. Favet porro precibus Episcopus ea de causa *»quod elapsis aerumnosis temporibus praeter mala communia privata etiam non pauca pertulit tum in propriis tum in aliis jacturis magni momenti, quarum causa in angustiorem fortunam reducta est. Quare si vobis videtur EE. PP. censeo petenti benigne indulgeri posse, ut capellania sicut antea fruatur, donec ex familia Theresia nepotes oriantur ad clericatum idonei aut ii, qui passive revocantur, filios habeant, qui nominari possint.«*

Cum a s. m. Pio VI. indultum sit defuncto comiti Jacobo Carrara, ut capellaniam administrare posset et fructus impletis oneribus in suum usum convertere quoad ejus filia Theresia liberos haberet, qui idonei essent ad capellaniam consequendam, profecto videtur quod gratia ad ejus vitam non cohibeatur, ita ut eo perempto cessaret indultum. Etenim si gratia concessa fuit ea de causa, ut filia adolesceret et filios haberet, profecto quoad haec filios non habeat aut saltem ea sit aetate, ut habere non possit, manere debet gratia, cum permanente causa durare debet id quod ex illa causa concessum est, *Rota decis. 34. num. 3. part. 19. recen. et coram Molines decis. 101. num. 6.* Verumtamen cum gratia directa fuerit in personam comitis Jacobi personalis, videbatur, ut ejus vidua et tutrix filiae impetrare oporteret prorogationem indulti in sui personam, id quod nunc facit.

Impedimento forsan esse posset petitae prorogationi dissensus Francisci Bertozzi, cujus filii ad juspatronatum passivum vocati sunt deficientibus filiis Jacobi Carrara, qui idonei essent ad obtinendam capellaniam. Nam hisce deficientibus illico purificata conditio est, sub qua filii Bertozzi vocati sunt, nec suspendi potest transmissio jurispatronatus quoad Theresia filia Jacobi prolem habeat. Verum haec forsan objicienda essent, si ex integro gratia esset concedenda. At cum jam suspensionem capellaniae ex breve Pii VI. concessa sit quoad Theresia filios habeat, passive vocati prorogationem gratiae impedire nequeant. Maxime cum haec suspensio non abhorreat a praesumpta voluntate fundatricis. Etenim in testamento in quo substituit Dianoram addidit: »quando Sara maritata«, ex quo satis declaravit ad passivum juspatronatus admittere filios, qui ex puellis nubendis oriri poterunt. Caeterum apposite observat Episcopus oratricem in praeterita rerum perturbatione perniciem rei familiaris fecisse. Haec saltem idonea causa est, ut suspensio nominationis capellaniae concedatur, cum ex canonica aequitate patrono pauperi ex redditibus beneficii opituletur, ex *tex. in can. decernimus 16. quaest. 7.* et in *cap.: Nobis de jure patronat.* et sac. Congregatio in *Montis regalis Capellaniarum 7. Septembris 1793.*

Cum tamen oratrix a die *7. Julii 1710* retinuerit administrationem capellaniae ejusque fructus impletis oneribus in proprios usus converterit, quin ullam prorogationem indulti a viro obtenti impetraverit, videant EE. PP. num sit necessaria saltem ad cautelam sanatio et absolutio quoad praeteritum.

Gemina proponuntur dubia:

I. *An indultum a defuncto Jacobo Carrara obtentum sit prorogandum in personam ejus viduae Antoniae Carrara in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro sanatione et absolutione quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad formam rescripti s. m. Pii VI. deputato ecclesiastico administratore, qui impletis omnibus oneribus superextantes fructus oratrici consignet.

Ad II: Affirmative ad cautelam.

Die 17. Septbr. et 17. Decbr. 1814.

r) Superflui ex unione beneficiorum in commodum Cathedralis.

Vd. p. 370. n. 15. etc.

Usselen.

Ut proventuum inopiae decorique Cathedralis Usselensis consuleret, adprobavit S. O. juxta votum Emi Cardin. Castracane adjectionem scut. 34 ad beneficium Ibba, quae supererant ex unione duorum beneficiorum nomine Garau, adjectionem scut. 21 ad beneficium Gallus, quae supererant ex unione capellaniae Pinnae cum beneficio Macones facto verbo cum SSmo.

Die 30. Maji 1835. dub. 2.

s) Venditio vetita est.

Vd. t. I. p. 420: *Alienatio;* t. II. p. 389. *b. c.* p. 557. *d.*

Vetitum est beneficiatis sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et nullitatis actus vendere ac distrahere redditus suorum beneficiorum ad vitam vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam vel per plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiati per spatium ejusdem temporis vel totius vitae probabiliter consequi potuissent. *Benedict. XIV. constit. 29. tom. 1. bullar. incip.: »Universalis ecclesiae.«*

53) Fundi quando restitui debent?

Vd. *p. 142. n. 15; Beneficium* (resignatio patrono invito, decr. *Macerat.* §: *Quoad secundum.*)

54) Immutatio.

Vd. *Beneficium* (mutatio; applicatio p. 370. n. 15, erectionis alteratio p. 548.)

Papien.

(A summo Pontifice.)

Non censetur summum Pontificem immutare voluisse beneficii statum nisi expresse declaraverit; *Card. de Luca de regul. disc. 10. num. 3, Marescott. var. resol. lib. 1. cap. 1. num. 18, Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 33. num. 58* et *Rot. coram Coccin. decis. 2210. num. 10 et 13.*

Die 19. Febr. 1791.

55) Incapaces.

Vd. *Beneficium* (amissio p. 367. n. 13; aetas etc. p. 366. n. 9; capax p. 394. n. 21; collatio p. 397. n. 25) *Beneficiatus* (sacerdotio p. 314. b.); *p. 435. mm.*

Piscien.

Sexennis puer inhabilis est ex defectu clericatus et aetatis. Utrumque enim requiratur in beneficiis assequendis tum ex dispositione juris in *Concil. Trident. sess. 23. cap. 6* tum ex fundatione, in qua dum requiruntur idonei censetur fundatorem se juris dispositioni confirmasse. Quare dispensationes hujusmodi numquam conceduntur, si absit justa causa, etsi vergunt in praejudicium alterius vocati jam praesentati, *Rota decis. 1224. num. 6. cor. Molines dec. 47. num. 3. cor. Rozzonio.* et *in Aretina Beneficii 24. Januarii 1735. §. 3. cor. Peralla* et s. Congregatio definivit in *Eugubina Dispensationis 18. Februarii 1764* et in *Senogallien. Canonicatus 4. Maji 1768* et in *Sutrina Canonicatus 24. Januarii 1801.*

Die 21. Maji 1803.

De beneficio, quod qualitatem ecclesiasticam in possessore requirit, ab illius assecutione uxorati excluduntur, *cap. 1. de cler. conjug. in 6, Abbas in cap.: Sane memer. 2, Gozalez ad reg. 8. cancellar.**) *gloss. 5. §. 5. num. 26.*

56) Incompatibilitas.

Vd. *Beneficium* (plura possid.)

a) Adest.

I. Prioratus cum canonicatu.

Comen.

Sacerdos Ludovicus Molo anno 1798 prioratum obtinuit s. Quirici erectum in Collegiata Belinzon., cui est onus choro interessendi aliquibus diebus festivis. Hujus beneficii concilium seu camera oeconomica Bellinzon. jure gaudet patronatus. Idem sacerdos, ut canonicatum, cujus redditus ad summam scut. rom. 150 pervenit, in eadem ecclesia collegiata Bellinzon. simul cum beneficio assequi ac retinere posset, anno 1820 dispensationem impetravit a R. P. D. Archiep. Nyseno Nuntio apostolico apud Helvetios. Putarunt nonnulli ex Canonicis obreptitie ac subreptitie extortam fuisse hanc dispensationem; hinc quaestio orta est inter concilium et Canonicum Molo et delata ad tribunal Vicarii capitularis, qui auditis partibus die 17. Aprilis 1821 sententia declaravit: Essere del tutto incompatibili i suddetti due benefici uniti in una sola persona, e ciò per testimonianza del fatto dello stesso signor Canonico Ludovico Molo, il quale ben conobbe, che non poteva ritenere il priorato, quando dallo stato di coadjutore passar doveva a quello di Canonico principale, per cui si rivolse al ripiego di ottenere la dispensa dalla s. nunziatura di Lucerna, prima di essere per instituto canonicamente deposto dal beneficio canonicale, onde poter ritenere entrambi i benefici; ma tal dispensa non potè suffragargli punto, comechè surrettizia, ed orrettizia, e perciò nulla, ed invalida, poichè la s. nunziatura esprimesi in questi termini: Qui habes prioratum seu beneficium vel capellaniam in ecclesia s. Quirici, cujus fructus, redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera valorem non excedunt et quae personalem residentiam non requirit. Due cause, alle quali è appoggiata la dispensa, entrambi mancanti di verità e false; la prima, che non eccedono i frutti del Priorato ventiquattro ducati d'oro di camera, o sia il di loro valore, quando provasi, che, sin dal tempo della traslazione dalla Monacaria di Daro alla Collegiata di Bellinzona, rendeva cento scudi di Milano, come negli atti del mentovato Porporato (il Card. Ciceri); quindi susseguentemente aumentata quasi al doppio. La seconda, che non importa residenza personale, mentre dagli atti di visita di monsig. Neuroni, Vescovo di Como, dell' anno 1747. 11. Maggio rilevasi tale obbligazione, come dagli atti esistenti in questo archivio vescovile, espressa in questi termini: Ma con il carico della residenza festiva in detta collegiata, in cui tiene lo stallo post Canonicos immediate. Peregualmente si esprime monsig. Pellegrini, Vescovo di Como, nella sua visita dell' anno 1761. 25. Luglio, parlando del beneficio priorale in discorso, cioè cum onere residentiae choralis in ecclesia collegiata Bellinzonae prout etc. »E' dunque chiara l'obbligazione della residenza corale personale; in vista di che non si sarebbe accordata la dispensa dalla s. nunziatura.« Consequens inde fuit, ut camera oeconomica Josephum Paganini novum priorem designarit ejusque nominationem curiae episcopali exhibuerit. Omnem movit lapidem Canonicus Molo, ut prioratum simul cum canonicatu retineret non excluso recursu ad laicalem potestatem, quae instante R. P. D. apostolico Nuntio ipsius preces rejecit. Cum vero nihilominus unum ex duobus beneficiis Molo non dimitteret, nonnulli ex capitulo laudatae ecclesiae collegiatae SSmo supplicem libellum dederunt, ut hoc malum averteret, quorum preces R. P. SSmi auditor Episcopo Camensi pro informatione et voto ablegavit. Episcopus vero, ut maturius rem ipsam cognosceret, ab Archiepiscopo Corinthi sententiam rogavit, qui auditis partibus monumentisque perpensis argumenta confirmat a Vicario allata ac inter caetera haec habet: »In opposizione a questi argomenti il signor Canonico Molo insinua due lettere di Monsig. Rovelli, ed una dichiarazione di Monsign. Vicario Generale Riva, ed il paragrafo della bolla di coadjutoria. Li Canonici poi, ed il nominato Paganini rispondono che a Monsign. Rovelli, ed a Monsig. Vicario Generale Riva non furono mai certamente opposti gli atti di visita dei vescovi Neuroni e Pellegrini, atti che furono soltanto rinvenuti dopo l'accurata ricerca di essi fatta da Monsig. Vicario Capitolare Generale Peverelli; ciò ancora si conosce incontrastabile qualora si osservino le espressioni usate da Monsignor Vescovo Rovelli nelle citate letere, e da Monsignor Vicario Generale Riva nella sua dichiarazione, dove per nulla si suppone l'esistenza dei ripetuti atti di visita, anzi se ne rileva la loro inscienza.« »Che il fatto del priore Sereni è unico, ed anteriore ai sopra espressi atti di visita, i quali furono corroborati dalla pratica di due priori, Chicherio e Paganini, rassegnanti il priorato appena si verificò in loro il possesso dell' altro beneficio. Ed in fine dalle stipolazioni in proposito della camera oeconomica nominante e dalle testificazioni degli stessi Cittadini di Bellinzona. Del resto, se il priore Sereni ha posseduto il priorato con altro beneficio, ciò avvenne in virtù di valida dispensa a lui accordata dall' auctorità competente dietro il componimento di una lite, di cui s'ignorano i motivati«

»Uniformimente ai canoni conciliari, ed agli atti di visita vescovile operò pure il magnifico consiglio, o camera oeconomica di Bellinzona, cui si compete il dritto padronale di nomina del priore. Il perchè negli atti delle nomine avvenute nel 1708, 1732, 1746 fu dal consiglio suddetto espressamente stipulato, che il possesso del beneficio priorale fosse incompatibile con quello di altri benefici. L'istesso sign. Canonico Molo fu nominato nel 1798 cum honoribus et oneribus tam de jure quam de consuetudine. Adprobat denique Vicarii Peverelli sententiam ac concludit Paganini in prioratu esse instituendum cogendumque Canonicum Molo illum dimittere nec amplius molestias inferre, praesertim apud laicalem potestatem. Episcopus etiam huic sententiae omnino subscripsit.

Tunc ex rescripto SSmi diei 22. Novembris 1821 huic s. Congregationi causae cognitio ac definitio commissa est. Hinc Episcopum rogavi, ut »auditis patronis, capitulo

*) Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

Collegiatae, Canonico Ludovico Molo et sacerdote Paganini iisdemque praefixo termino ad deducendum sua jura in sacra Congregatione transmissa bulla institutionis et decretis ss. visitationum ad rem facientibus referret de annuo redditu et oneribus tum canonicatus tum prioriae ducto calculo per decennium ad monetam rom. necnon de utriusque beneficii incompatibilitate et consuetudine quoad praeteritum et sententiam suam aperiret.«

Responsum dedit Episcopus, Canonicos arbitrari satis abunde quaestionibus satisfecisse nec ad ulteriora procedere, propriae conscientiae consuluisse arbitrantes, cum legitimae potestati malum hoc manifestaverint.

Ante omnia inutile non censeo Vos EE. PP. animadvertere, quod Comen. Episcopus apud se retineat, quin R. P. D. Auditori SSmi vel huic s. Congregationi remiserit, s. visitationis anni 1747 et 1761 acta, nominationes prioratus in concilio factas an. 1708. 1732 et 1746 et dimissionem hujus beneficii, quae facta dicitur ann. 1732, quibus incompatibilitas probari asseritur, neque epistolas Rovelii et Riva superius enunciatas remiserit, quae Ludovico Molo favent; desideratur quoque dispensatio a R. P. D. Archiepiscopo Nysseno apostolico Nuntio concessa.

Videndum igitur est, utrum sint incompatibilia hujusmodi beneficia et in pretio habenda sit dispensatio a sacerdote Molo obtenta, ut decerni possit, an utrumque beneficium valeat retinere. Dein alterius sacerdotis Josephi Paganini nominatio ad trutinam revocari debet, ut cognosci queat an sustineatur. Ecclesia Christi in unum corpus coalescit ideoque secundum Pauli sententiam in uno eodemque spiritu diversis indiget ministeriis et sicut, ut verbis utar *can. sing. distin. 89*, varietas membrorum per diversa officia et robur corporis servat et pulchritudinem repraesentat, ita varietas personarum per diversa nihilominus officia distributa et fortitudinem et venustatem sanctae Dei ecclesiae manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita nimirum novum simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem fuerint distributa.

Qua de causa ecclesia semper beneficiorum pluralitatem vetuit, nisi justa causa et legitima intercesserit dispensatio, *cap. Referente 7* et *cap.: Praeterea 14. de praeb. et dignitat.* Imo sacri canones et pontificiae constitutiones poenas statuunt contra duo beneficia praesumentes retinere. Celeberrima est illa Innocentii III. constitutio*), quae incipit: *De multa*, ubi disponitur »ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habeat, eo sit ipso jure privatus et si forte illud retinere contenderit, etiam alio privetur.« Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum . . Hoc idem in personatibus**) esse decernimus observandum addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumet, etiamsi curam non habeant animarum. Hinc orta est beneficiorum incompatibilitas, quae vel ipso jure vacans reddit beneficium prius obtentum vel obligat beneficiatum illud dimittere. Haec canonum praescripta renovata fuere a s. Concilio Tridentino *sess. 7. cap. IV. de reformatione,* ubi clare disponitur beneficiatum, qui incompatibilia beneficia retinere praesumat, utriusque ipso jure privatum existere. Hinc est quod haec sacra Congregatio et canonistae omnes semper docuerunt, per plenam assecutionem secundi beneficii quomodocumque incompatibilis primum vacare. *Fagnan. cap. 28. de praeben.*

Inspiciendum nunc est: an prioratus s. Quirici cum canonicatu de quo est sermo sit incompatibilis. Ex voto Vicarii generalis Peverelli superius relato habetur in episcopali tabulario servari quoddam decretum anni 1747 in actu s. visitationis latum, in quo prioratus s. Quirici oneratur »della residenza festiva in detta collegiata, in cui tiene lo stallo post Canonicos immediate.« In altera visitatione ab Episcopo Pellegrini habita anno 1761 idem confirmatur. Nemini dubium igitur esse videtur, quod beneficium hoc vel in collegiata ecclesia, ubi extat canonicatus a Molo assecutus, sit erectum vel saltem ibidem habeat residentiam. Canonistae vero omnes conveniunt beneficia in eodem tecto erecta esse incompatibilia,***) *Garzias de beneficiis cap. 2. p. V. n. 187. part. II.* Clarius ad rem *Pignat. consult. can. tom. 10. consul. 156. n. 39* et s. Congregatio in *Ferrarien. 19. Decembris 1570* statuit, opus esse dispensatione apostolica*) pro retinenda capellania et mansionaria sub eodem tecto. Confirmatur incompatibilitas ex ipsa sacerdotis Molo postulatione apostolico Nuntio facta, ut retinere licite possit utrumque beneficium.

*) Vd. infra *Beneficium* (plura possidentes — poenae. —)

**) Vd. *p. 522.*

***) Vd. *p. 383. n. 17.*

Ad incompatibilitatem hanc denegandam sacerdos Molo attulit Episcopo duas epistolas, alteram Episcopi Rovelli, alteram Vicarii generalis Riva, quibus declarare dicitur esse haec duo beneficia compatibilia. Alterum quoque argumentum de compatibilitate eruitur ex pacifica possessione prioratus et canonicatus, quam tenuit Prior Sereni. Demum rescriptum apostolici Nuntii Ludovico Molo favet, etiamsi haec incompatibilia sint. Saepe enim summus Pontifex hac liberalitate usus est et uni duo beneficia sub eodem tecto concessit. Nec quae ad probandam obreptionem subreptionemque deducuntur admittenda videntur, quia desumpta sunt ex bullis concessionis, non ex supplici libello, ideoque ad substantiam actus et ad factum partis supplicantis non pertinent. Imo si actus interpretandi sunt eo modo, ut potins subsistant, quam pereant, consequens est ut dicatur, cum apostolicus Nuntius Canonicum Molo ad canonicatum obtinendum dispensaverit, omne vinculum solvisse, quod gratiam posset remorari.

Quatenus autem eminentissimi Patres incompatibilia haec duo beneficia et nullius roboris obtentam dispensationem declarare putent, inquirendum erit, num valida sit sacerdotis Paganini a patronis facta praesentatio. Pro ejus validitate afferri potest generalis regula, qua primo beneficio privatus est ipso jure, qui secundum incompatibile receperit, ad tradita per cit. *Innocentii III. constit.* et Concil. Trident. *sess. 7. cap. IV. de reformat.* et *Lambertin. de jurepatron. art. 16. quae. 6. 1. part. 2,* plures doctores afferens, qui hanc tenent sententiam, concludit per adeptionem secundi beneficii incompatibilis vera vacatione primum beneficium vacare, ideoque patronos primi beneficii posse ad illud alium praesentare. Nec obstabat eorum juri dispensatio a Molo obtenta, quia utpote obreptitie et subreptitie extorta ipso jure nullius erat valoris ad *text. in cap. super lit. de rescriptis in sexto* et *Lott. de re benef. lib. I. quaest. 6. n. 47.*

At quamvis patroni semper praesentandi ad beneficium jure gaudeant, tamen hoc jus exercere nequeunt, nisi tempore verae vacationis, *cap. fin. de concess. praeb.* Videtur itaque primum beneficium minime vacasse per adjectionem secundi ob dispensationem apostolici Nuntii. Neque patronis prodesse videtur assertum obreptionis vitium, namque etiamsi per se fuisset clarum, tamen in suo robore stat dispensatio usque ad legitimam nullitatis declarationem juxta Tridentinum *sess. 7. cap. 5. de reformat.* Dicendum igitur videtur beneficium s. Quirici adhuc non vacare, quum nullam Sedes apostolica sententiam hac de re emiserit, ideoque nullam patronorum praesentationem, tamquam factam beneficio pleno. Non desunt tamen exempla, quibus confirmata fuerit praesentatio ante tempus emissa, si bona fide facta fuerit.

Dirimenda igitur erunt dubia:

I. *An constet de incompatibilitate in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit locus nominationi ad prioratum s. Quirici seu potius instituendus sit sacerdos Paganini in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam facto verbo cum SSmo.

Die 14. Decbr. 1822.

II. Propter celebrationem missae.

Neapolitana.

(Conc. Tr. c. 2. s. 22. de sacrif. missae.)

Cum domus sanctissimae annunciationis civitatis Neapolitanae multis missarum oneribus in praeteritum non celebratarum et in posterum celebrandarum esset maximopere gravata et ejusdem officiales recursum habuissent ad Sedem apostolicam pro aliquo opportuno remedio, san. mem. Clemens VIII. demandavit ut pro satisfactione praedictorum onerum quatuor erigantur capellaniae perpetuae et immovibiles cum dote ducatorum sexaginta pro qualibet, quae quatuor presbyteris essent conferendae, qui deberent personaliter residere et singuli eorum per seip-

*) Vd. *Beneficium* (plura possidentes — dispensat. apostol. —)

sos in altari privilegiato s. Joannis Baptistae quotidie celebrare, ita tamen, ut si aliqua die cujusvis hebdomadae legitime impediti fuissent facultatem haberent suum munus explendi per alios sacerdotes; secutaque post multam temporis intercapedinem anno videlicet 1707 decoctione famigerati Banci memoratae domus sanctissimae annunciationis habitoque ab administratoribus novo recursu ad san. mem. Clementem Papam XI. pro aliqua provisione capienda super oneribus missarum, quae supervenerant et non fuerunt adimpleta, summus ille Pontifex demandavit, ut aliae quatuor erigerentur capellaniae cum eodem proventu pro quolibet capellano et cum aliis legibus et conditionibus expressis in citato brevi sui Praedecessoris Clementis VIII. Cumque pro recta horum brevium apostolicorum executione et pro fideli adimplemento eorum, quae in memoratis brevibus demandata fuerunt, nonnullae fuerint exortae controversiae inter administratores et capellanos et super eis advenerit petita informatio eminentissimi Ordinarii recursus habetur ad EE. VV. super his, quae sequuntur.

Primum: *An capellani possint obtinere beneficia curata vel oeconomias ecclesiarum parochialium aut incumbentias excipiendi confessiones monialium aut alia onera incompatibilia cum celebratione missarum, eas tamen adimplendo per substitutum?*

Et super hoc puncto censent administratores esse *negative* respondendum, tum quia juxta breve Clementis VIII. debent capellani personaliter residere apud ecclesiam et quotidie missas per seipsos celebrare; in quo rerum themate non videtur, quod ab ipsis assumi possint onera, quae dictam personalem residentiam et celebrationem missarum per seipsos impediunt, tum quia si in citato brevi Clementino solummodo capellanis indulgetur, ut si aliqua die cujusvis hebdomadae fuerint legitime impediti munus hoc adimpleant per alios sacerdotes, restrictiva haec excludit quodcumque aliud voluntarium impedimentum, quod sit vel perpetuum vel ad longum tempus.

Et e contra excipitur a capellanis affirmative super praedicto primo dubio esse respondendum et praecipue, quia breve Clementinum non procedit ad privationem capellaniae in casu non residentiae, in quo rerum statu residentia non esset praecisa sed causativa et sic minus apta ad inducendam incompatibilitatem, eoque fortius, quia unaquaeque capellania non habet in redditu nisi quinque ducata quolibet mense, qua tenuitate concurrente infertur ad residentiam causativam, et etiam quia, si breve Clementinum in casu impedimenti contingentis in qualibet hebdomada permittit adimplementum missarum per alium sacerdotem, idem judicium ferendum esse videtur in hypothesi, in qua impedimentum ad perpetuum tempus vel ad aliud temporis spatium ultra hebdomadale protrahatur.

Secundum, quod disputandum proponitur, consistit in videndo:

An capellani, qui pro aliqua die cujuslibet hebdomadae sunt legitime impediti quique ad tramites brevis Clementini satisfacere possunt per alium sacerdotem, debeant huic persolvere ratam stipendii unicuique capellano assignati vel potius eleemosynam manualem?

Et super hoc puncto dicunt capellani, se non teneri nisi ad eleemosynam manualem, cum ipsorum capellaniae sint bullatae et administratores, qui bene callent dispositionem decretorum generalium Urbani VIII., in quibus statutum fuit: *satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit*, contendunt, haec sibi debere vindicare locum in hypothesi, in qua legitimum concurrat impedimentum in hebdomada, ad tramites brevis Clementis VIII., secus autem quando capellani extra dies et casus brevis Clementini celebrare vellent per alios, in hac quippe facti specie dicunt non posse eosdem dare celebranti eleemosynam manualem et reliquum pro se retinere, ne commodum videlicet percipiant ex actu illicito. — Tertium dubium est: *An ad gubernatores sive ad officiales domus vel ad capellanos impeditos spectet substituere sacerdotes pro missis celebrandis?* Et in eo quod attinet ad hoc punctum contendunt administratores substitutionem sacerdotum ad se pertinere, cum erectio capellaniarum facta fuerit pro celebrandis missis in praeteritum non celebratis et in posterum celebrandis, hinc inferendo, quod, sicuti non erectis capellaniis electio sacerdotum celebrare debentium ad se absque dubio pertinuisset, ita juxta naturam subrogatorum ad se ipsos jus spectare

debeat deputandi sacerdotes celebrare debentes casu, quo capellani sint impediti ad celebrandum per seipsos et e contra id absonum videtur capellanis, cum haec facultas in brevi Clementino non detur administratoribus, sed simpliciter demandetur capellanis, ut celebrent per seipsos et in casu impedimenti teneantur celebrare per alios.

Quartum et ultimum dubium est: *An in casu infirmitatis teneantur capellani satisfacere oneri missarum per substitutum?*

Et agendo de hoc ultimo puncto et in termino tum juris communis tum antiquarum resolutionum hujusce sacrae Congregationis distinguendum esse videretur inter infirmitatem brevem et longam*), ita ut in primo casu capellani non tenerentur celebrare per substitutum, sed tantum in secundo, sed cum habito a capellanis recursu ad san. mem. Paulum Papam V. eidemque exposito, quod unaquaeque capellania non habebat in redditu nisi annuos ducatos 60 et quod in casu infirmitatis non poterant capellani expensas medicorum et pharmacopolarum persolvere et simul et semel missas celebrari facere per alium, idem summus Pontifex eos durante infirmitate absolverit a dicto onere celebrationis per alium, uti colligitur ex brevi ejusdem Pontificis nuper repertò et expedito ut tunc moris erat per organum sacrae Poenitentiariae, quae tunc in utroque foro procedebat, examinandum tantummodo superest:

An apostolicae literae Pauli Papae V. de infirmitate ad paucos dies restricta intelligendae sint vel etiam de quacunque longa infirmitate, in qua fortior viget ratio expensarum pro medicinis parandis et solvendis medico stipendiis?

Jura circumferentur; quocirca onus erit EE. VV. decernere:

I. *An capellani, de quibus agitur, possint obtinere beneficia curata vel oeconomias ecclesiarum parochialium aut incumbentias excipiendi confessiones monialium vel alia onera cum celebratione missarum incompatibilia acceptare satisfaciendo per substitutos oneri praedictarum missarum?*

II. *An capellani pro aliqua die cujuslibet hebdomadae legitime impediti, qui missarum celebrationi per alium sacerdotem satisfaciunt, debeant huic sacerdoti persolvere stipendium pro capellanis statutum vel solam eleemosynam manualem?*

III. *An ad capellanos uti supra impeditos vel potius ad officiales vel gubernatores domus pertineat substituere sacerdotes missam celebrare debentes?*

IV. *An capellani durante infirmitate teneantur oneri missarum satisfacere per substitutum in casu?*

S. C. C. resp.

Ad I: Negative, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione missarum per se ipsos.

Ad II: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;

Ad III: Affirmative ad primam partem, negative quoad secundam;

Ad IV: Affirmative quoad capellanos institutos a Clemente VIII. et quoad institutos a Clemente XI. exhibeatur breve et amplius.

Die 14. Apr. 1725.

III. Propter residentiam et alia onera implenda.

Vd. *Beneficium* (plura possidentes — consuetudo decr. *Florentina* §: *Equidem praefata.*)

Lunen. Sarzanen.

Ususfructuariam bonorum omnium suorum testamento scripsit uxorem Nicolaus Marasius eaque defuncta haeredem instituit hospitale in aedibus suis aedificandum, *con che detto ospedale*, sunt ipsa testamenti verba, *sia obbligato tenere un sacerdote, che celebri quotidianamente ogni giorno una messa per l'anima mia nella chiesa,* quae in iisdem aedibus extrui deberet; redditus omnes haereditatis erogari voluit in aegros inopes Carrarienses et si quid reliquum esset in solos inopes, ita tamen ut quolibet vespere egeni omnes, qui in hospitali essent, cum sacerdote, quem memoravimus, in ejusdem hospitalis aede preces Virgini matri, quas litanias dicimus, canere tenerentur: electionem sacerdotis *che dovrà stare in detto ospedale* ab ordine seu concilio Carrariensi faciendam jussit praesente Priore s. Andreae, cui curam quoque hospitalis commisit, duosque probos honestosque viros elegit, qui rationes accepti et impensi ex redditibus omnibus haereditariis singulis annis exigerent a sacerdote eumque dispunctis rationibus liberarent.

Nondum hospitali temploque constructis capellanus et administrator electus fuit sa-

*) Vd. *p. 154. n. 18*

cerdos Franciscus Ubaldus Berrettarius, qui cum susceptae administrationi impar esset publico instrumento capellaniam retinuit cum annuo redditu aureorum sexaginta, administrationem vero dimisit et renunciavit non ordini concilioque, sed Priori s. Andreae, qui alio publico instrumento una cum Massae Carrariaeque Principe administratorem nominavit sacerdotem Angelum Mariam Passanum adsignato eidem stipendio aureorum triginta annuorum: haec gesta sunt anno 1707, quo primum duo haec munera capellani et administratoris distincta fuerunt.

Cum vero anno 1741 adversa valetudine graviter laboraret Berretarius et de alio nominando capellano ageretur coacto concilio, lectae fuerunt epistolae serenissimae Mariae Theresiae Massae et Carrariae Principis, quibus sacerdotem Andream Zenium commendabat, qui ob id uno omnium consensu capellanus renunciatus fuit, hac tamen adjecta conditione, ut si perspecto testamento Marasii definiretur non posse capellani officium a munere administrationis sejungi nova facienda esset electio: inde alia lecta est ejusdem serenissimae Principis epistola, qua se Zenium commendasse declarabat ratione tantum capellaniae non vero administrationis, cui nihil epistola sua derogatum voluit, atque harum literarum authoritate administrator omnium consensu nominatus fuit sacerdos Hieronymus Passanus renovata conditione adjecta electioni Zenii capellani volente concilio, ut si duo munera distingui et separari non possent nulla esset electio.

Possessionem utriusque muneris nacti fuerunt Zenius capellanus et Passanus administrator: at cum inde Zenius Fontiae parochiam obtinuisset, qui locus Carraria distat tertio lapide, iterum coacto concilio novae literae serenissimae Mariae Theresiae lectae sunt, quibus rescribebat curasse, ut a juris pontificii peritis quatuor propositae quaestiones definirentur, quibus responsum dederint: »Capellaniam laicalem esse non ecclesiasticam, separari non posse ab administratione bonorum, incompatibilem esse cum parochia Fontiae novamque capellani electionem faciendam esse primo non citato et audito nec absque piaculo hoc posse omitti.« Ideoque jubere se, ut nova continuo fieret electio capellani, commendando equitem Antonium Nicolaum Tonettum, qui majori suffragiorum numero capellanus electus paulopost capellaniae possessionem nactus fuit. Hinc orta lis inter Zenium et Tonettum, qui contendit parochiam Fontiae incompatibilem esse cum capellania hospitalis nec capellaniam posse ab administratione separari et distingui.

Rationes Tonetti sunt: testamento Nicolai Marasii onus sacerdoti datum fuisse singulis diebus Sacrum faciendi et preces cum pauperibus in aede hospitalis canendi, unde consequens sit, ut, cum eidem praeceptum fuerit, ut in hospitali resideret, verbis illis, *»che dovrà stare in detto ospedale,«* quae personalem residentiam praeseferunt, ut docent *Fagnanus in cap.: Conquerente n. 20 et 21 de cleric. non residen., Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 40. n. 80 et lib. 3. quaest. 27. a num. 1 ad 5, Garzias de benef. par. 7. cap. 1. §. 1. num. 98*, voluerit testator onera quoque Sacrum faciendi, preces canendi personalia esse et a sacerdote *per seipsum* impleri, quod incompatibile est cum officio parochi, qui ex Tridentini dispositione diebus dominicis et festis Sacrum pro populo facere, in aedibus parochiae suae iisque deficientibus intra illius ambitum habitare et residere tenetur, et si capellanus hospitalis ex voluntate testatoris expressa in aedibus illius habitare tenetur, si ex tacita ejusdem voluntate *per seipsum* Sacrum facere et preces canere die qualibet debet, facile intelligi possit eumdem capellanum non posse eodem tempore alio loco, qui tertio lapide distat, parochi munus implere, habitare et residere et per seipsum pro populo facere et consequenter fatendum sit duo isthaec munera omnino incompatibilia esse.

Ex eadem testatoris voluntate educit Tonettus capellaniam ab administratore separari non posse, quod capellanus veluti rector ab eodem constitutus fuerit, qui hospitali et pauperibus illius aegrisque praeesset, ut ex tacita testatoris voluntate et conjecturata illius mente divisio et separatio capellaniae et administrationis vetita censeatur, cum praesumendum sit electam fuisse ad administrandos redditus hospitalis industriam personae illius, quae ab ordine concilioque Carrariensi capellanus nominatus fuisset. Nec mutare quod anno 1707 sejuncta fuerit capellania quam Berratarius retinuit ab administratione, quae data est Possana; unus enim hic actus eo tempore factus, quo nondum hospitale et templum extructa fuerant, observandus non est, cum testatoris voluntati adversetur, cum factus sit non ab ordine concilioque, cui datum fuit a Marasio jus nominandi, sed a capellano et Priore s. Andreae, quibus non licebat deteriorem facere conditionem hospitalis et ordinis, qui publico actu, dum capellanum et administratorem distinctim elegit, sarta tecta ut supra retulimus jura sua esse voluit novamque electionem fieri, si capellania ab administratione separari non posset. Ex his denique colligit Zenium hac conditione capellaniam obtinuisse, ut, cum ex his quae dicta sunt constet separationem capellaniae et administrationis fieri non posse, nominatio capellani resoluta sit et rescissa et ita habenda sit ac si numquam facta fuisset.

Haec urget Tonettus Zenius contra, licet in jus vocatus nondum rationes suas libello complexus est. Quantum vero ex epistola Lunensis Episcopi colligi potest, non negat Zenius capellaniam cum administratione conjunctam incompatibilem esse cum parochi officio. Intendit tantum et parochiam retinere et capellaniam ab administratione sejunctam, quo statu res erat, cum capellanus ab ordine electus fuit, in hoc statu negat capellaniam incompatibilem esse cum parochia, quam inde obtinuit, quod in testamento Morasii onus sacerdoti datum non fuerit per seipsum Sacra faciendi. Quodsi separatio capellaniae ab administratione fieri nequeat et ad implendam testatoris voluntatem necesse sit et eumdem sacerdotem et Sacra facere et redditus hospitalis administrare, dandam sibi putat optionem, ut vel capellaniam cum administratione conjunctam seligat vel parochiam.

Ex his igitur quae proponuntur aliisque e peritiori EE. VV. jurisprudentia educendis definiri poterit dubium:

An capellania hospitalis misericordiae civitatis Carrariae sit incompatibilis cum parochiali ecclesia loci de Fontia et per parochum retineri valeat?

S. C. resp.:

Affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam et amplius.

Die 23. Novb. 1743.

Bambergen.

(Conc. Tr. c. 4. 5. sess. 7. de ref.)

Prae caeteris membris abbatiae Fuldensis, cujus visitationem instituerat de expresso mandato SS. D. N. eminentissimus Bussius, tum Nuntius ad tractum Rheni, jam de anno 1710 perlustravit praepositurам Cellensem ipsique deprehendit animarum curam incumbere, quam sacerdos saecularis obibat deputatus a Cristophoro Ernesto de Guttenberg praeposito monacho professo in praememorata abbatia Fuldensi ordinis s. Benedicti; at hujusce praepositurae ecclesiam jam fatiscentem perspexit in eaque nullum decorem; quare haec aliaque minus probanda exinde oriri pro certo habens, ex quo jamdictus praepositus residentiam ibi non faciat, cum alteram obtineat abbatiam monasterii s. Michaëlis Bambergae. Hinc praelaudatus eminentissimus visitator apostolica auctoritate eum sedulo monuit, quatenus infra sex mensium curriculum, quorum duo pro primo, duo pro secundo, reliqui vero pro tertio et peremptorio termino computarentur, abbatiam vel praepositurам dimitteret, alias d. termino elapso eandem praepositurам alteri committendam decrevit, prout latius patet ex transumpto decreti summario exhibendo. In obsequium apostolicae visitationis transactis sex mensibus praestitutis statim Abbas Fuldensis praepositum Cellensem nominavit Adolphum de Dhalberg, quo excitatus praenominatus Christophorus Ernestus supplex praesidium imploravit supremi hujus consessus, prae ceteris autumans supradicti monasterii regimen obtinuisse a s. m. Alexandro VIII. cum expressa facultate simul retinendi saepedictam praepositurам ejusque possessores nunquam in ipsa residentiam fecisse contendit ex documentis, quae pariter in summario dabantur. At promotore fiscali visitationis apostolicae insistente, quod simul incompatibilis censeri debeat retentio abbatiae et praepositurae ac apostolicum diploma subreptionis et obreptionis vitio inficietur. Superest, quod EE. VV. qua solent sapientia decernant:

An Cristophorus Ernestus de Guttenberg monachus abbatiae Fuldensis simul retinere possit praepositurам in Cella una cum abbatia monasterii s. Michaëlis Bambergen. in casu etc.?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 30. Sept. 1713.

Iterum proposito dubio S. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 14. et 28. Apr. 1714.

Tertio proposito dubio S. C. resp.: In decisis et non esse locum dispensationi.

Die 23. Jan. 1715.

Polignanen.

(Conc. Tr. c. 4. sess. 7; c. 17. sess. 24 de ref.)

Sacerdos Joannes Baptista Mastrochirico parochus cathedralis ecclesiae obtinuit a s. Sede provideri de canonicatu in eadem ecclesia cum decreto tamen vacationis parochiae; supplicante autem eodem pro dispensatione retinendi etiam parochiam attenta tenuitate redditum utriusque beneficii eminentiss. Prodatarius instantiam pro voto EE. VV. delegavit. Vicarius capitularis testatur curam animarum ad numerum mille et septingentarum non pertingentium commodo cum canonicatu exerceri posse, prout alii ejusdem ecclesiae Canonici et Dignitates licet manualiter et ad nutum exercuerunt. Redditus canonicatus summam sex ducat. auri de camera, parochiae vero similium ducat. 24 refert non excedere et demum lato calammo oratorem commendat eundemque caeteris omnibus in exercitio curae animarum magis idoneum et dignum existimat. Verum ex supplici libello nomine sacerdotum dictae civitatis exhibito exponitur EE. VV. parochiam esse annui redditus scut. 60 et comprehensis redditibus, quos percipit parochus uti sacerdos gremialis ejusdem Cathedralis ecclesiae, ad scuta 80 ascendere. Canonici ultra fructum praebendae consistentem in enunciatis ducat. sex participant de distributionibus, quae omnibus adscriptis seu ut inquiunt gremialibus sacerdotibus communes sunt, ut plene ex fide Canonici procuratoris capituli resultat. Oratoris precibus per summarium relatis die 8. Aug. rescriptum fuit: »Lectum.« Nunc denuo gratiam dispensationis humillime ab EE. VV. praevio recessu a decisis exorat:

An sit standum vel recedendum a decisis?

S. C. C. resp.: In decisis et amplius.

Die 19. Juni 1717.

Canonicatum retinere cum ecclesia paroch. et abbatiali, quum utrique propter distantiam et multitudinem incolarum sine cultus et animarum incommodo satisfieri non possit, denegandum esse. S. C. C. *die 17. Apr. 1734 Bracar., 8. Aug. 1716. Casertana et Polign.; 19. Juni 1717 Panormit. 13. Apr. 1737 etc.*

Constare de incompatibilitate coadjutoriae curatae cum canonicatu.

S. C. C. die *14. Maji 1831 Lucana.*

Aquilana.

Incompatibile esse beneficium seu capellaniam ex destinatione testatoris residentiam et habitationem in domo certa desiderans cum beneficio parochiali residentiam alibi requirente.

Die 18. Julii 1733.

Banen.

Capellaniam, cujus possessori impositum erat ex fundatione onus habitandi certam domum et docendi pueros, incompatibilem esse cum archipresbyteratu, i. e. beneficio parochiali.

Die 26. Mart. 1836.

Amalphitana.

Sacerdos Matthaeus Rispoli, cum esset parochus Casalis Pugerulae, hebdomadariatum in ecclesia cathedrali Amalphitana sibi conferri obtinuit ab Archiepiscopo die 28. Septembris 1753 commissa possessionis traditione Vicario generali. Sed agnita hujus provisionis inefficacia pro retinenda parochia incompatibili literas apostolicas impetravit die 14. Februarii 1754 Praelato in curia, ut moris est, et praedicto Vicario generali pro exequutione directas, in quibus summus Pontifex executoribus mandat, quod praedicto Matthaeo hebdomadariatum conferre curent, simulque cum eo dispensat, ut licite parochiam cum hebdomadariatu retinere possit, »*Si illum ei vigore earumdem praesentium conferre et assignari contigerit.*« Enunciatur etiam ad supplicantis narrationem fructus hebdomadariatus computatis incertis non excedere annuum valorem quindecim ducatorum auri de camera, parochialis vero ducatorum viginti quatuor similium. Et Casale

Pugerulae supponitur existere prope et extra moenia civitatis Amalphitanae duplexque exprimitur causa indultae dispensationis nimirum: »attento quod, ut dictus Matthaeus pariter asserit, fructus, redditus et proventus tam dicti hebdomadariatus quam parochialis ecclesiae praedictae simul sumpti ad congruam ipsius Matthaei substentationem minime sufficiunt; quodque utrique ecclesiae hujusmodi attenta earum vicinitate per unum et eundem absque divini cultus et curae animarum dilectorum filiorum parochianorum dictae parochialis ecclesiae detrimento commode deserviri potest, prout testatur Ordinarius.« Praecipiunt ulterius eaedem apostolicae literae, quod hebdomadariatus et parochialis ecclesia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura nullatenus negligatur, sed eorum congrue supportentur onera consueta. Atque demum muniuntur decreto irritante.

Actus nihilominus successivae possessionis hebdomadariatus non in his literis apostolicis, sed in calce bullarum primaevae Ordinarii provisionis describitur et in eo Vicarius generalis non uti exequutor literarum apostolicarum sed tamquam delegatus ab Archiepiscopo die 21. Martii 1754 *vigore retroscriptarum bullarum sibi commissarum ab illustrissimo ac reverendissimo Domino Archiepiscopo Almaphitano sub die 28. mensis Septembris anni 1753 posuit et induxit rev. D. parochum Rispolo in veram, realem et corporalem possessionem hebdomadariatus.* Pacifice postmodum utrumque beneficium idem Matthaeus possedit fructusque percepit fere per sexennium. Monitus deinde ab hodierno Archiepiscopo in visitatione, vigore sacri Concilii Tridentini *sess. 7. cap. 5. de reform.*, ut ostenderet titulum simultaneae retentionis eorundem, ipse die 23. Januarii 1760, ut legitur in actis curiae archiepiscopalis »praesentavit in manibus illustrissimi et reverendissimi Archiepiscopi bullas hebdomadariatus praed. expeditas a praedecessore Archiepiscopo Cioffi auctoritate ordinaria, cum actu possessionis ejusdem, etiam in vim et exequutionem dictarum bullarum captae, necnon praesentavit literas apostolicas originales dispensationis super retentione parochiae et hebdomadariatus praedicti, quas penes se retinebat, et apparet numquam alias dd. literas apostolicas fuisse exhibitas et productas in hac archiepiscopali curia vel coram exequutore, cum non adsit actus productionis et praesentationis earumdem, prout de stylo, nec in illis et in dorso illarum apparet actus aliquis pro illarum exequutione nec possessionis illarum vigore captae, sed taliter qualiter fuerunt Romae expeditae et ita nunc praedicta die sunt et fuerunt exhibitae a dicto rev. parocho Rispoli.

De his omnibus itaque certiorem hanc sacram Congregationem reddit Archiepiscopus die 13. Februarii superioris anni novisque literis successive nunciavit, ideo forsan exequutas non fuisse literas apostolicas, quia non potuerint verificari, quum ex transmissis undecim ecclesiasticorum virorum depositionibus falsa undique comprobentur summo Pontifici in literarum impetratione exposita, dum hebdomadariatus pro solo chori servitio reddit annuam certam summam ducatorum regni quadraginta (aequantium valorem ducatorum circiter 18. auri de camera) praeter eleemosynas missarum, parochialis vero Casalis Pugerulae annuos habet redditus similium ducatorum regni quadraginta solvendorum a loci communitate praeter alios minutos census et emolumenta stolae, ex quibus saltem percipitur summa aliorum ducatorum regni viginti (itaut valor illorum computandus sit in annuis 27 ducatis auri de camera) quibus antecessores parochi commode substentabantur.

Depromitur pariter ex eisdem testibus Cathedralem ab ecclesia parochiali Pugerulae distare mille passus asperae praeruptaeque viae, in cujus itinere regulariter absumitur tempus dimidiae horae; nec propterea per unum et eundem beneficiatum utrique ecclesiae commode deserviri posse, unique praestando obsequium alterius servitium negligi oportere. Quod et suadere videtur ipse Matthaeus Rispoli per numquam interim omissam oeconomi retentionem pro supplendis muneribus parochialibus et administrandis Sacramentis non contemptibili populo mille animarum. Nec dissimulari meretur, quod ajunt praefati testes, de residentia per integras dies a Rispoli servata in civitate post adeptam hebdomadariatus possessionem, ut praesto esset servitio ecclesiae cathedralis in suis hebdomadis, necnon in pluribus dominicis et festis diebus, quibus mane et vespere chorum frequentare tenebatur, licet ut plurimum vespere rediret ad parochiam et mane usque ad horam accessus ad cathedralem curaret missam celebrare et confessiones audire.

Quin tamen exinde ipsi datum fuerit plene hebdomadariatus obligationibus satisfacere, quia ut necessarium obsequium praestaret in festivitatibus majoris populi concursus et tempore paschali ecclesiae parochiali deserere debuit servitium ecclesiae cathedralis, in modum, ut ex libro punctaturarum juxta transmissum documentum appareat, eumdem Matthaeum a mense Aprilis 1754 ad totum mensem Junii 1760 defecisse servitio ecclesiae cathedralis ultra tertiam partem temporis, cum assecutus sit puncta interessentiae 7432, dum alii capitulares assidui obtinuerunt puncta 11521.

His praesuppositis Archiepiscopus ad suae conscientiae et divino cultui ac animarum regimini parandum praesidium sacram Congregationem consuluit, juxta monitum *text. in cap.: Ordinarii 3. §: Si vero de off. ord. in 6,* exponendo, quod hebdomadariatus tamquam beneficium ecclesiasticum*) de gremio capituli ecclesiae cathedralis Amalphitanae, ut definivit haec sacra Congregatio in *Amalphitana 30. Septembris 1724. lib. 74. decret. pag. 412*, praecisam requirit residentiam in loco ecclesiae cathedralis juxta censuram sacri *Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. vers.: Praeterea de reformat.*; quemadmodum ad praecisam quoque residentiam tenetur Matthaeus Rispoli in ecclesia parochiali Pugerulae vigore ejusdem Concilii *sess. 7. cap. 3.* et *sess. 23. cap. 1. de reform.*

Cum autem duo beneficia hujusmodi residentiam praecisam requirentia incompatibilia sint ad tradita per *Gonzal. ad regul. 8. cancellar. gloss. 15. §. 2. num. 20 et seq.*, et *Panimoll. decis. 31. annotat. 1. num. 4 et seq.*, nequivit idcirco vigore provisionis Ordinarii Mathaeus Rispoli secundum acquirere cum retentione primi, sed per assequutionem pacificam secundi vacavit primum ipso jure, ut in *Clement.: Si plures 3* et in *Clement. fin. de praebend., Fagnan. in cap.: Cum jamdudum num. 282. et seq., Gavant. manual. Episcoporum §: Beneficiorum pluralitas num. 6,***) immo utrumque vacasse ob pervicacem retentionem utriusque contendi potest, ex dispositione sacri Concilii Tridentini *sess. 7. cap. 4. de reform.*, post nempe perceptionem fructuum utriusque beneficii per duos menses, ut late tradit *Rigant. ad regulas cancellar. regul. 1. §. 8. num. 155* et *§. 9. num. 8.* Quod quidem procedere videtur, etiamsi exciperetur primum non sufficere ad congruam substentationem, quia hoc casu attenta residentia in utroque beneficio requisita debuisset Mattaeus Rispoli alterutrum dimittere infra sex menses et cum illa diutius possederit, utriusque inducta videri potest vacatio ipso jure, nec Matthaeum fructus suos amplius facere potuisse, ut expresse disponitur in dicto Concilio Tridentino *sess. 24. cap. 17. de reform.*, ubi *Barbos. num. primo* et definivit haec sacra Congregatio in *Aquilana 14. Augusti 1632* et in *Hispalen. ead. die lib. 14. decret. pag. 653. ter.*

Et licet Matthaeus Rispoli obtinuerit dispensationem apostolicam, attamen perpendendum, quod illa est conditionata, si hebdomadariatum ei conferri contingeret ab exequutoribus vigore literarum apostolicarum, propterea non purificata conditione nec literis apostolicis ab exequutore exequutioni demandatis prodesse nequit dispensatio juxta regulam, de qua *Rota decis. 335. num. 12. tom. 4. coram Ansaldo.*

Quod si literarum apostolicarum exequutio elici vellet ex praesumptione illata per triennalem pacificam beneficii possessionem *vigore regulae 36. cancellariae* ad dimetiendam hujusce praesumptionis efficaciam, praesto erit advertere, tum quod possessio triennalis non suffragatur ad praesumendum titulum pro retentione incompatibilium beneficiorum vetita a Concilio in dd. *sess. 7. cap. 4* et *sess. 24. cap. 17*, ut definivit haec sacra Congregatio in una *Aquilana 14. Augusti 1632*, in qua disputato dubio:

An praesumpta dispensatio in qua fundatur regula de triennali habeat locum contra decreta sacri Concilii Tridentini cap. 4. sess. 7 et cap. 17. sess. 24 et cap. 15. sess. 25. de reformat., itaut possidentes beneficia contra dispositiones dictorum decretorum ex tali praesumpta dispositione suam possessionem tueri valeant?

Responsum fuit: Non habere locum contra supradicta Concilii Tridentini decreta. Qua declaratione ad Sanctissimum relata Sanctitas Sua dixit bene Congregationem censuisse atque ita exequendum esse, ut in lib. 14. decret. pag. 653, ubi pariter notatur, »quod in una *Leodien.* sacra Congregatio Concilii respondit obtinentem plura beneficia incompatibilia non posse se juvare regula de triennali;« et pluribus collectis firmat *Rigant. ad dictam regul. 36. cancellar num. 154 et 155*, tum insuper, quod triennalis possessio requirit saltem titulum coloratum, quem non praestant literae apostolicae in forma *dignus* seu continentes mandatum de providendo, quia nisi sequatur provisio nec titulum tribuunt nec jus in re, ut firmant *Garz. de benefic. part. 4. cap. 2. num. 55* et *cap. 3. num. 60, Lotter. de re benefic. lib. 3. quaest. 17. num. 138* et *Gonzal. ad regul. 8. cancellar. gloss. 15. §. 2. num. 56*, tum demum, quod ut regula de triennali prodesse valeat ratione tituli colorati doceri debet, quod ejus vigore possessum fuerit, ut tradit *Card. de Luca de benefic. disc. 91. num. 15*, ideoque dubitari posse videtur, num suffragetur Matthaeo Rispoli, qui possedit vigore provisionis Ordinarii, praesertim quum literis apostolicis facilis et expedita non pateret executio tum ob suprarelatae narrativae objectam falsitatem tum ob efficaciam decreti irritantis, quod inficit titulum et possessionem retentam contra formam earumdem literarum.

His opportune etiam ex officio praenotatis, ne indefensis ecclesiarum juribus praejudicium aliquod irrogetur, dignabuntur. EE. VV. omnia mature perpendere, ut ad juris tramites definire valeant: *An liceat sacerdoti Matthaeo Rispoli retinere parochiam et hebdomadariatum in casu?*

S. C. resp.: Negative et esse indulgendam retentionem parochiae facto verbo cum SSmo.

Die 17. Jan. et 18. Julii 1761.

Montis Alti.

Beneficinm residentiale erectum sub titulo ss. Caroli Borromaei et Emerentianae in ecclesia parochiali s. Petri oppidi Castignani cum onere celebrandi per se ipsum et personaliter choro inserviendi retineri non potuit a Friderico Pignotti proviso de praebenda thesaurariae in ecclesia cathedrali almae domus Lauretanae cum onere ibidem residendi, quamvis unus ex his esset, qui tamquam passive vocatus qualitatibus a testatore requisitis polleret.

Die 14. Sept. 1782.

Alexandrina.

Canonicatum possidens in parochiali ecclesia oppidi Cerioli sub titulo ss. Luciae, Agathae et Apolloniae assumptus fuit anno 1787 sacerdos Petrus Maria Scotti in amovibilem rectorem paraeciae contermini oppidi Capsinae Grossae. Ex fundatione autem canonicatus incumbit ei onus celebrandi missas quatuor singulis hebdomadis etc. ad altare earum Sanctarum existens in d. parochiali ecclesia etc. per se et personaliter et non per alium etc. excepto casu infirmitatis et alterius legitimi et canonici impedimenti necnon interessendi parochialibus functionibus aliisque designatis festivitatibus, sub poena tradendi pro qualibet omissione libram unam cerae albae societati ss. Sacramenti in d. parochiali erectae.

Indultum igitur ab hac sacra Congregatione postulavit retinendi canonicatum cum rectoratu et adimplendi illius onera per alium. Vicarius capitularis, qui Alexandrinam administrabat ecclesiam, vix esse dixit, quod onus parochiale oratori impositum et ab ipso libere susceptum aestimari possit legitimum illud et canonicum impedimentum, quod ob oculos habuit prius beneficii fundator et cujus intuitu annuit, ut beneficii possessor a personali in loco residentia eximeretur. Praeterquam quod idem pius fundator exemptionem quidem concessit ob hujusmodi impedimentum possessori a celebratione missarum per se ipsum, non vero ab interessentia divinis officiis, festis et solemnioribus diebus. Eoque minus, quia parochus, clerus et populus Cerioli dissentiebant.

His tamen non obstantibus inter justas referebant indulgendi causas servitium parochialis ecclesiae Capsinae Grossae, adimplementum onerum canonicatus per alium, patronorum consensum et in haec concludebat verba: Quidquid sentiat praepositus cum suo clero et populo, qui videntur de se potius soliciti quam de servanda pii fundatoris voluntate, illud aliquam meretur animadversionem, quod nempe orator paraeciam obtinuit, quae manualis est et a qua potest ad Ordinarii nutum amoveri, et adhuc ignorat, an hujusmodi oneri ferendo par esse queat, adeo ut contingere possit, quod renunciato beneficio de quo agitur cogatur aliquod post tempus et paroeciam derelinquere et simul utrumque amittat. Eaque propter ego quidem non contradicerem, quin ex apostolico indulto eidem concedatur ad aliquod saltem tempus facultas retinendi saepedictum beneficium satisfactis interim per alium sacerdo-

*) Vd. *p. 521. c.*
**) Vd. *Beneficium* (plura possidentes; reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancellar.)

tem ejusdem oneribus. Satis haec oratori ad obtinendam gratiam non fuerunt. Proposita enim inter summaria precum instantia rejecta fuit die 15. Septembris 1787 per rescriptum: *Lectum*. Pontificium hinc adiit solium additaque paupertatis et frequentis ejus familiae causa temporarium postulavit indultum, quousque de altero provideretur beneficio. Precibus vero ad sacram Congregationem remissis in omnibus hodiernus Alexandrinus Episcopus informationem confirmavit Vicarii capitularis; idque unum de nova addidit causa, quod si digniorem eumdem (oratorem) facere potest, cujus petitioni et desiderio indulgeatur, minus quidem verum judicari poterit quoad numerum familiarum ab ipso alendarum, quum non habeat alios, nisi matrem, fratrem ac fratris uxorem et aliquot parvulos nepotes. Veritati tamen nititur paupertatis assertio, quia defunctis ejus pater patrimonium reliquit non gravatum modo, sed etiam integre absorptum aere alieno ac de illo propterea pendet indecisa lis inter creditores, adeo ut interim sint eidem oratori supramemorati ipsius propinqui.

Petitioni oratoris enixe resistit testatoris voluntas. Adimpleri enim jussit onera canonicatus per se et personaliter et non per alium. Ubi siquidem ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione qualitates aliquae requiruntur, eis non derogatur, ut in haec verba monet sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 5. de reform.*, nisi justa concurrat et necessaria causa, ut in *sess. 22. cap. 6.* Dissensus accedit parochi, cleri et populi Cerioli; potissimaeque sunt dissentiendi rationes, quia spem habent clerici ad canonicatum, si ab oratore dimittatur; populus vero per indultum retinendi privetur subsidio et commodo, quo gaudere posset, si beneficiatus praesens in confessionibus excipiendis et cathechizandis rudibus se exerceret, juxta relationem Vicarii capitularis. In similibus porro terminis hujusmodi indultum denegavit sacra Congregatio in *Colonien. Beneficii 6. Februarii 1734 ad secundum dubium.* Ac nulla tandem est necessitas, cur orator potius quam alius sacerdos parochiam administret Capsinae Grossae.

Eas contra eminentissimi Patres expendere dignentur causas, quas Vicarius capitularis primum deindeque Episcopus attulit, si petitum fortasse indultum mereantur. Prae ceteris vero gravem advertant oratoris paupertatem, de qua testimonium perhibet Episcopus, moderatamque petitionem retinendi parochiam et canonicatum quousque ad suam levandam inopiam de altero provideatur compatibili beneficio. Miserandae ejus circumstantiae Vestram excitare possent aequitatem; nam satis de jure non est paupertas, ut duplicis residentialis beneficii retentio concedatur, juxta Tridentinam synodum *sess. 24. cap. 17. de reform.*

Quaeritur ergo:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad duo residentialia beneficia in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 8. et 29. Aug. 1789.

Firmana.

Beneficia personalem requirentia residentiam sunt prorsus incompatibilia neque ab uno beneficiato retineri possunt, quemadmodum cavetur *in cap. Ordinarii de Offic. Ordinar. in 6. in Extravagan.: Execrabilis de praeben., Trident. sess. 7. cap. 4. de reform.* Et de incompatibilitate beneficii curati cum canonicatu firmat *Rota in Frisingen. Canonicatus 9. Januarii 1705. coram Scotto.*

Die 27. Junii 1807.

Lucana.

A sacra Congregatione pluries definitum, ea beneficia, quae residentiae legem adjunctam habent, adeo inter se incompatibilia esse, ut uno eodemque tempore retineri a clericis nullo modo possint, *Concil. Trident. sess. 7. cap. 4* et *sess. 24. cap. 17. de reformat., sac. Congregat. in Maceraten. 3. Septembr. 1825. §: Verum.*

Die 24. Apr. 1830.

IV. Canonicatus cum Vicaria perpetua in eadem ecclesia.

Casertana.

(Conc. Trid. c. 4 et 7. sess. 7. de ref.)

In ecclesia cathedrali Casertae anno 1641 Antonius Ricciullus tunc temporis Episcopus pro exercitio curae animarum, quae d. ecclesiae inerat, perpetuam vicariam erexit »pro Canonico seu presbytero saeculari providendo per concursum servata forma concilii«, eidemque vicariae sic institutae et erectae certos assignavit redditus successive auctos ex piis legatis et praecipue ex unione eidem facta anno 1654 rectoriae conventus s. Augustini suppressi ex notissima bulla »Jnstaurandae« Innocentii X., quae est annui redditus ducat. 225 ultra alios ducat. 80 difficilis exactionis, cum sola pensione ducatorum centum favore seminarii et onere celebrationis nonnullarum missarum. Quibus missarum oneribus (ut Episcopus testatur in sua relatione, quam edere de partium consensu inquit) ac pensione item deductis, quatenus habeatur ratio summae ducatorum 67, quae de facto tantum praestatur pro dicta pensione ratione difficilis exactionis dd. ducat. 80, remanerent plane solvibiles ducati 89, qui in unum coacti cum aliis ducatis 24 propriis vicariae remanerent liberi ducati 113, et quatenus respiciatur ad summam ducatorum 100 a seminario praetensam adhuc implerent summam ducatorum 80, notandumque occurrit alios ducatos 21 ultra praedictam summam reddere vicariam deductos ex praemisso calculo ratione oneris missarum biscentum et decem. Hac vicaria semper collata in titulum et per concursum anno 1702 provisus fuit Franciscus Farina, qui cum successive elapso anno provisus fuerit cum decreto, ut dimitteret vicariam, de satis pingui canonicatu annui redditus, ut testatur Episcous, ducatorum centum et oeto comprehensis distributionibus non autem aliis incertis, nihilominus exhibuit in Dataria supplicationem pro facultate retinendi et vicariam et canonicatum aut ratione praetensae compatibilitatis aut assertae tenuitatis reddituum vicariae et canonicatus, cumque preces per eminentissimum Datarium remissae sint ad hanc sac. Congregationem, illisque acriter se opponat capitulum Cathedralis, maxime attenta congrua hujusmodi vicariis perpetuis taxata a s. Pio V. in *constitut. 67. bullar. nov.* addito testimonio novem parochorum Casertae redditus earum parochialium esse ducator. 50 aut ad summum 80, hinc ab EE. VV. exquiritur:

I. *An vicaria perpetua de qua agitur sit compatibilis cum canonicatu in eadem Cathedrali?*

Et quatenus negative in casu,

II. *An sit locus indulto apostolico d. vicariam una cum canonicatu retinendi?*

S. C. C. resp. ad 1 et 2: Negative et amplius.

Die 4. Julii et 8. Aug. 1716.

V. Vicaria perpetua cum praefectura musicorum.

Asculana.

(Conc. Tr. c. 1. s. 23. de ref.)

Vicariatum perpetuum, cui animarum cura est annexa, obtinuit anno 1730 Xaverius Felci in ecclesia cathedrali civitatis Asculi, in qua ipse musicos etiam modos faciebat. In hoc munere, cum nullum ex eo detrimenti caperet alterum munus parochi, singulis annis confirmatus fuit a capitulo ad annum usque 1741, quo anno, cum inter ejusdem ecclesiae mansionarios receptus fuisset Nicolaus Vignola, qui et ipse musicam artem callebat, non defuerunt Canonici, qui summa ope curarunt, ut novus hic musicus in praefectum musicae eligeretur. Hinc studia in diversa capitulum scissum est, Canonicis aliis Nicolaum Xaverio, aliis Xaverium Nicolao praeferentibus. Ut Canonicorum dissidia componeret Episcopus transactionis author fuit, qua convenerunt, ut et Xaverius et Nicolaus munus illud tam in ecclesia cathedrali quam in aliis civitatis ecclesiis alternis vicibus exercerent. Hanc transactionem servarunt Canonici ad annum usque 1745, quo tempore placuit Nicolaum Vignolam praefectum musicae solum eligere; hinc ortae inter Nicolaum et Xaverium controversiae, quas iterum composuit Episcopus hac ratione, ut eorum quisquis ad musicos modos in aliis civitatis ecclesiis agendos vocaretur lucrum cum alio divideret.

Brevi haec societas tempore dissoluta est, nam sequenti anno 1746, cum die quadam, qua solet haberi capitulum, Archidiaconus aliique abessent, Canonici, qui praesentes erant, et proposuerunt et statuerunt, ut juxta transactionem anni 1741 Xaverius et Nicolaus in Cathedrali vicissim musicam agerent. Xaverius continuo novi muneris possessionem accepit. Id ubi rescivit Archidiaconus postulavit ab Episcopo »ut circumscriberet electionem factam absque praeconizatione contra ecclesiae constitutiones et synodalia praescripta, utque inhiberet, ne idem

Xaverius audeat se in officio praedicto ingerere. Episcopus praevia circumscriptione capituli etc. mandavit pro bono pacis et ut ecclesiae melius inserviatur, per modum provisionis, usquedum a capitulo non fiat stabilis provisio, quod R. D. Xaverius Felci admittatur in numero musicorum et juxta modum supradictae concordiae, cum exercere hoc munus in ecclesia cathedrali sit compatibile cum officio curati, quod exercet in hac eadem ecclesia. Injuncto tamen ei praecepto propter oppositam rationem, ut in posterum se abstineat agere musicam in aliis ecclesiis extra Cathedralem, displicuit Xaverio pars ultima decreti, cum praeseferet incompatibilitatem muneris parochi cum officio praefecti musicae in aliis ecclesiis extra Cathedralem, quam tamen incompatibilitatem nemo agnoverat per annos 17, quibus et parochum et musicae praefectum se gesserat, neque agnoverat ipse Episcopus author transactionis, qua conventa fuerat participatio lucrorum, ideoque postulabat ab Episcopo, ut decretum moderaretur, praesertim cum ipse tenui annuaria congrua sc. 30 non posset sine lucris musicae extra Cathedralem se suamque familiam alere.

Metuit Archidiaconus ne re melius perspecta decretum Episcopus moderaretur et preces obtulit sacratissimo Principi nostro, quibus postulabat, ut Xaxerius ad implendum parochi officium cogeretur et aliud musici munus deserendum ob incompatibilitatem utriusque. Data ab optimo Principe postulationis hujus cognitione sacro huic Tribunali auditus fuit Episcopus et causa tribus collecta capitibus nunc proponitur. Xaverius nullam inter parochi officium et munus praefecti musicae incompatibilitatem esse contendit; decretum Episcopi, qua parte transactionem servandam esse jussit, servandum disputat, non vero, qua parte vetat ne praefecturam musicae extra Cathedralem exerceat, nullum enim hac in re decretum dicit et contra tenorem rationis latum. Purgat etiam se ab impictis criminibus in precibus ab Archidiacono oblatis optimo Principi. Quid habeat Archidiaconus ignoramus. Causae capita sunt:

I. *An hodiernus vicarius perpetuus ecclesiae Cathedralis Asculi possit in eadem ecclesia cathedrali exercere musicam instrumentariam in casu?*

II. *An provisio capta ab Episcopo substineatur in casu?*

III. *An praeceptum injunctum ab Episcopo de non exercendo musicam in aliis ecclesiis extra Cathedralem sit confirmandum in casu?*

S. C. resp. ad I:

Negative et ad mentem.

Die 24. Aug. 1748.

VI. Parochiae cum Oblatura.

Asten.

Vercellensis Episcopus Jacobus Goria e civitate Villaefranchae dioeceseos Astensis jam inde ab anno 1645 omnia sua bona in ecclesiam s. Helenae ejusdem civitatis donationis titulo contulit. Quorum quidem bonorum administrationem quatuor laicis personis eodem in loco degentibus ea lege commisit, ut majori ecclesiae decori et utilitati prospicerent necnon domum communem, mensam ceteraque ad vitam pro clericalis status ratione necessaria duodecim ab ipsis eligendis suppeditarent sacerdotibus, qui sub praepositi regimine et obedientia Oblatorum s. Eusebii nomine nuncuparentur. Cumque Episcopo Goria ea potissimum insèderit mens, ut hujusmodi institutione Dei cultus et animarum salus magis magisque provideretur, hinc iisdem Oblatis, quos s. Eusebii auspiciis ipse devoverat, indixit, ut non modo in memorata s. Helenae ecclesia ad instar collegiatarum divina officia quotidie persolverent, tres missas singulis diebus juxta ipsius fundatoris mentem litarent ac vicissim inter se conscientiae casus expenderent, verum etiam pueros ad prima legendi, scribendi et grammaticae rudimenta informarent, sacramenta poenitentiae et eucharistiae in propria ecclesia ministrarent, de rebus divinis ad populum concionem interdum haberent vacantesque paroecias in dioecesibus Vercellensi, Astensi ac Taurinensi, dummodo ab earumdem dioecesum Episcopis rogarentur, regerent et administrarent.

Ast vero progressu temporis factum est, ut gravissima quaedam in eo convictu ecclesiastico incommoda irrepserint. Quamobrem Astensis Episcopus Paulus Cajotti eumdem convictum in Astensem civitatem et in seminarii sui aedes transtulit ibique Oblatis peculiarem ecclesiam pro divinorum officiorum celebratione praestituit.

Anno 1820 inter Oblatos s. Eusebii adscitus fuit sacerdos Jacobus Sticca juris utriusque doctor, qui, ut muneris a praeposito sibi commissi partes plenius expleret, Villaefrancham se contulit ibique commorans pueros juxta fundatoris mentem primis legendi, scribendi necnon grammaticae elementis instituit. Verum ratus nullam inter Oblati et parochi officium adesse ex jure incompatibilitatem anno 1828 parochialem obtinuit s. Silvestri ecclesiam, quae suo ibidem pastore viduata fuerat, ejusque paroeciae regimini tribus fere annis praefuit, quin Oblati, quo insimul fungebatur, muneri sese abdicaret. Nuper vero, cum aliqua de hujusmodi officiorum incompatibilitate oborta sit suspicio, presbyter Jacobus Sticca sacram adiit Congregationem rogans, ut ab Emis Patribus decerneretur an sine ulla sacrorum canonum offensione oblaturam simul et paroeciam retinere ipse valeat.

Rogatus Ordinarius pro informatione et voto atque, ut de onerum incompatibilitate ac de annuo tam oblaturae quam paroeciae redditu comprehensis incertis stolae referret, scribit: »unumquemque Oblatorum pro vestitu habere annuas libellas centum sexaginta quinque monetae pedemontanae aliasque libellas centum circiter titulo residentiae percipere; Oblatorum numerum ob diminutionem reddituum restrictum fuisse ad octo, quorum duo in dicto loco Villaefranchae publicae institutionis gratia degunt, alii vero vel paroecias vacantes regunt vel in dicto seminario sub oculis Ordinarii constituti illud servitium praestare satagunt, cui ex fundationis lege obstringuntur. Ex iis, quae fundationis naturam aperiunt, colligitur etiam Oblatos s. Helenae non esse beneficiatos, sed praestimonium dumtaxat habere, cujus titulus licet perpetuus sit ab eodem tamen exciderunt semper toties quoties promoti fuerunt ad aliquam ecclesiam parochialem, quia oblaturae servitium habitum semper fuit tamquam incompatibile cum provisione et munere parochiali, ut constat ex pluribus aliis exemplis praecedentibus; paroecia s. Silvestri, qua orator provisus est, inter ditiores computatur, cum centum et viginti circiter jugera terrae possideat, quorum aliqua si in praesens dispersa in pluribus territoriis inveniantur, orator obtinuit a sancta Sede facultatem alienandi bona dispersa sub conditione convertendi pretium in stabilibus utilioribus, ex quibus ampliores fructus ac redditus ab ipso perciperentur et sic redditus certi praebendae paroecialis s. Silvestri ad summam libellarum bis mille quinquentas circiter monetae pedemontanae statui possint. Idcirco censerem oratoris petitioni haud esse indulgendum.«

Ex hac Vicarii capitularis relatione ac rationum momentis patet luculenter munus Oblati omnino incompatibile esse cum titulo parochialis beneficii. Ea enim est utriusque officii ratio, ut si quis unius onera impleat alterius partes negligat oportet. Enimvero parochus (ait memoratus Vicarius) debet consistere in aedibus suae paroeciae, Oblatorum vero ordinarium domicilium nunc est seminarium Astense. Debet Oblatus in ecclesia s. Helenae divina officia statis horis persolvere et sacramenta ministrare, debet parochus alteri ecclesiae, imo plebi suae inservire cunctis diebus et singulis horis semper ac necessitas expostulet. Debet Oblatus quandoque ludimagistri officium in loco Villaefranchae explere; parochus non potest ob alia officia obeunda parochiam suam deserere. Debet Oblatus huc illuc (prout nimirum obedientia praeposito exhibenda exegerit) se conferre ad regendas parochias vacantes, at qui uni paroeciae titulo perpetuo est desponsatus non potest vacantes in alio loco paroecias regere atque administrare. Jam vero duo officia ecclesiastica quorum unum onera alterius rite obire impediat esse inter se incompatibilia nedum ipsa suadet naturalis ratio, sed evincunt responsa hujus sac. Congregationis *in Neapolitana Capellaniarum 14. Aprilis 1725, in Maceraten. 29. Januarii 1825.* Et nuperrime *in Lucana Incompatibilitatis 14. Maji hujus anni* respondit, constare de incompatibilitate canonicatus cum capellania, cui onus imminebat opitulandi parocho in gerenda animarum cura.

Frustra autem parochus Sticca, ut quamlibet paroeciae cum officio Oblati repellat incompatibilitatem, confugit ad superiorum temporum consuetudinem. Id siquidem quam levis imo nullius sit ponderis, scite perpendit Vicarius capitularis, haec edisserens: »Non inficior aliquando contigisse, quod Oblati rexerint Astae paroecias vacantes, etiam ad longum tempus, sed semper tamquam simplices oeconomi. Verum cum id muneris in-

stitutioni Episcopi Goria consonum sit, tunc Oblati a ceteris servitiis erga ecclesiam s. Helenae eximebantur, quae tamen exemptio non esset concedenda Oblato habenti paroeciam cum praebenda in titulum perpetuum; dum enim eidem paroeciae inservit fundationis leges non implet, prout implentur ab illo, qui paroeciam vacantem regit quique idcirco ab aliis fundationis oneribus eximitur.«

Nihilominus argumenta hujuscemodi parvi facienda esse arbitratur parochus Sticca. Quae enim a sacris canonibus statuuntur, ne cuiquam plura officia committantur, *can. 1. dist. 1. 89*, ea putat esse cohibenda ad beneficia ecclesiastica, quae in titulum collativum tribuuntur ac residentiam expostulant veluti eruitur ex illis Tridentini verbis *sess. 7. cap. 4. de reform.*: »*Quicumque de cetero plura curata vel alias incompatibilia beneficia ecclesiastica . . . retinere praesumpserit, beneficiis ipsis privatus existat*«, secus qui aliquo gaudet ecclesiastico beneficio, foret jam quocumque alio expoliandus officio: quidem canonistarum sententiae adversum tenere conspicitur. Et sane ecclesiasticum beneficium licet residentiae onere gravatum haud incompatibilitatem cum capellania laicali officio custodis et suffraganeatu aliisque officiis ecclesiasticis inducere docent *Rigant. ad reg. 1. cancel. §. 7. num. 84, Rot. in Augustana 15. Maji 1716. §: Neutiquam cor. Falconerio*: Et sac. Congreg. *in Biterten. 6. Decembris 1721* rogata:

An id quod procedit in retentione beneficiorum procedere etiam debeat in legatis piis et capellaniis de jurepatronatus laicorum in casu? rescribendum censuit: *Negative.* Porro ex ipsa Vicarii capitularis relatione palam colligitur oblaturam neque in titulum conferri neque ecclesiasticum beneficium vocari posse, sed tantummodo praestimonium et officium ecclesiasticum ac propterea cum paroecia minime incompatibilitatem praeseferre.

Nec munia parochialia ab oratore exercenda impedimento sunt, quominus ipse Oblati oneribus plane satisfaciat. Praeterquam enim agitur de paroecia, quae quingentos tantummodo complectitur incolas et vix annuum affert fructum 500 libellarum; illud etiam accedit, quod animarum cura per Oblatos obeunda congruit fundatoris instituti-oni atque experientia deprehenditur, nunc parochum Sticca; superioribus autem temporibus alios Oblatos parochialibus officiis esse perfunctos, qui servitium Oblatorum ecclesiae ex fundatione praestandum unquam intermittere coacti fuerint.

Hinc quaeritur:

An constet de incompatibilitate paroeciae cum oblatura in casu?

S. C. resp.

Affirmative.

Die 17. Sept. 1831.

b) Non est.

I. Residentia non obstante.

Vd *Beneficium* (plura possidentes — consuetudo decr. *Florentina* §: *Equidem praefata.*)

Cum quis per alium munus praestare possit non censetur inducta residentia *praecisa* sed *occasionalis*, quae non secumfert beneficii *incompatibilitatem, Rota coram Priolo decis. 84. num. 9 et 10.*

Marsicona.

(Conc. Tr. c. 4. 5. sess. 7; c. 17. s. 24. de ref.)

Condolens recurrit ad hanc s. C. sacerdos Sylvester de Philippis, quod, cum ipse ad praesentationem patroni laici de anno 1704 reportaverit a moderno Episcopo institutionem ad duo beneficia simplicia canonicatus nuncupata in ecclesia parochiali terrae Capistrelli hujus dioecesis necnon de anno 1705 similem institutionem obtinuerit ad aliud simplex beneficium seu capellaniam perpetuam sub invocatione s. Antonii Abbatis in eadem ecclesia existens pariter de jurepatronatus laicali subindeque ad titulum eorundem beneficiorum sacris ordinibus fuerit ab eodem Episcopo initiatus, nihilominus idemmet Antistes ipsum oratorem non citatum nec auditum per sententiam privaverit altero ex dd. beneficiis seu canonicatibus necnon dd. capellania perpetua eumque ulterius suspenderit ab exercitio sacrorum ordinum, donec de sufficienti patrimonio vel beneficio provideretur, ac insuper processerit ad collationem dictae capellaniae in personam Francisci Lusii, proindeque exoravit pro ejus reintegratione ad praedicta beneficia et ad sacrorum ordinum exercitium. Episcopus Marsicanus informare requisitus praemissa confirmando retulit sese devenisse ad praefatam sententiam privationis citato oratore per contradictas ad valvas ecclesiae cathedralis et domi solitae habitationis instante promotore fiscali curiae episcopalis contra d. Sylvestrum super indebita retentione unius ex dd. canonicatibus incompatibilibus ratione residentiae ac dictae capellaniae sub eodem tecto, uti latius ex ejus relatione et d. sententiae copia in summar. dandis una cum aliis documentis. Quapropter citato procuratore in curia praefati Lusii noviter provisi et promotore fiscali curiae episcopalis concordata fuerunt infrascripta dubia, quae hodie partibus monitis proponuntur EE. VV. ex deducendis resolvenda:

I. *An sit locus reintegrationi oratoris ad possessionem alterius simplicis beneficii et perpetuae capellaniae, ad quorum titulum ab Episcopo fuit in Sacris ordinatus, ac respective reintegrationi ad exercitium sacrorum ordinum cum restitutione omnium fructuum?* Et quatenus negative,

II. *An Episcopus teneatur providere de sufficienti patrimonio dictum ordinatum in casu etc.?*

S. C. C. resp.

Ad I: Affirmative quoad capellaniam et restitutionem ejus fructuum et exercitium ordinum.

Ad II: Audiatur Episcopus.

Die 24. Maji 1710.

Tridentina.

(Conc. Tr. c. 1. sess. 23; c. 12. sess. 24. de ref.)

Cum Carolus Ferdinandus S. R. I. Comes Lodronius praebendam canonicalem in cathedrali ecclesia Tridentina obtineret simul ac parochialem ecclesiam Villae Lagarinae de jurepatronatus ejusdem praenobilis familiae supplex adiit SS. D. N., ab ejusque benignitate assequutus fuit expetitum indultum super incompatibilium beneficiorum retentione seu nova concessione, sub ejusmodi lege, *quod interim primo et secundo dictae ecclesiae debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in d. parochiali ecclesia nullatenus negligatur, sed ejus ac canonicatus et praebendae praedictorum congrue supportentur onera consueta. Pro illis vero diebus et horis, quibus d. Carolus Ferdinandus secundo dictae ecclesiae ratione dictorum canonicatus et praebendae non inservierit, emolumenta ratione personalis residentiae lucrifieri solita amittat.* Sub his vero Caesarea intercedente praesentatione jam d. comes Carolus Ferdinandus praeposituralem quoque dignitatem extra capitulum in praelibata cathedrali Tridentina adeptus fuit. Itaque personalem residentiam inibi explens, ut nullo unquam tempore conscientiae angore exagitetur, humilem iteravit recursum ad SS. D. N. precibus ad hanc s. Congregationem pro voto remissis, quatenus benigne dispensare secum dignaretur ab onere residendi in secundo in dicta parochiali ecclesia, cui idoneo per Vicarium inservitur tempore quo ipse in Cathedrali servitutem praestat. Siquidem licet orator ipse non dubitet, quin animarum curam mediante Vicario ab Ordinario approbando obire possit, prae caeteris attenta consueta hujusmodi indultorum clausula, ex qua utriusque ecclesiae onera congrue supportari debent, cum ea, quae canonicatui incumbunt nonnisi per se ipsum explere possit in Cathedrali, ubi substitutus nequaquam admittitur, nihilominus tutius sibi consulendo idem Comes quamplures adducit familiae Lodroniae praerogativas et merita aliasque ecclesiae assertae utilitatis causas, ex quibus ejus praedecessores apostolicam quam nunc ipse implorat benignitatem promeruerunt, quatenus videlicet per Vicarium idoneum animarum curam obire possent in praelibata parochiali, ut ex documentis in summario recensendis. Ut vero EE. PP. perspectum habeant ipsius oratoris zelum, quo parochialis ecclesiae decus magnifice colit, assiduamque ejus vigilantiam, ne animarum cura utcunque minimum incommodum patiatur, prae caeteris in eodem summario exhibentur tum capituli cum Vicarii generalis attestationes cum particula postremae visitationis, ex quibus aliisque adducendis dignabuntur EE. VV. sapienter definire:

An et quomodo oratoris precibus sit indulgendum in casu etc.?

S. C. resp.: Esse concedendam gratiam abessendi a parochiali per sex menses quolibet anno, dummodo resideat in canonicatu.

Die 11. Mart. 1713.

II. Beneficium cum canonicatu.

Vd. *p. 137. n. 7.*

Senogallien.

Priusquam diem videret extremum Joseph Zoppini ex oppido s. Viti Senogallien. dioecesis condito testamento anno 1734 septem instituit laicales capellanias in ecclesia s. Joanni Evangelistae dicata ad ven. sodalitium ssmi Sacramenti spectante illarumque nominationem tribuit ipsius oppidi communitati. Singulis capellanis onus injunxit celebrandi in qualibet hebdomada tres missas, unam in die dominica, alteram in feria V., tertiam ad libitum, necnon interveniendi supplicationibus sanctissimi Sacramenti in qualibet tertia dominica mensis et infra octavam Corporis Christi, assistendi caeteris sacris functionibus in ecclesia ejusdem sodalitii peragendis.

De jure vero patronatus passivo ita disposuit: »Vuole detto sig. testatore, ordina e commanda, che concorrendo a qualcuna della suddette capellanie qualche prete sacerdote di casa Zoppini suo consanguineo ovvero figliuolo e discendente della casa Zoppini per linea mascolina solamente, il quale fosse di buona vita e costumi, quello debba detta communità nell' elezzione preferire ad ogni altro sacerdote concorrente, come adesso per allora detto sig. testatore independentemente preferisce e nomina.«

»Item detto sig. testatore intende e vuole ed assolutamente commanda, che se vi sarà qualche chierico di casa Zoppini come sopra, e questo non avrà sufficiente patrimonio, debba il detto chierico esser preferito dalla molto illustre communità nell' elezzioone ad ogni altro sacerdote concorrente per esser promosso al primo ordine sagro, come adesso per allora in detto caso et tempo detto sig. testatore independentemente preferisce e nomina; e sintantochè detto chierico suddiacono non celebrerà da se stesso la s. messa, sia tenuto, ed obbligato far soddisfare gli oblighi tanto di messe, quanto di assistenza alla chiesa e funzioni, conforme sono obbligati gli altri capellani; ma dopo eletto nominato e giunto all' ettà legitima di celebrare la s. messa, non facendosi sacerdote, vuol detto sig. testatore, che il medesimo dimetta la capellania, da essa decada, e si venga dalla communità all' elezzione e nomina di altro soggetto in luogo di esso perchè etc.«

»Item detto sig. testatore dichiara, che dette capellanie possino concorrere tutti i preti sacerdoti nativi, ed abitanti di questa terra indistintamente tanto Arteggiani, o Contadini, purchè non siano provisti di altre capellanie perpetue incompatibili o dalla communita, o da particolari, mentre quelli che sono provisti di altre capellanie perpetue, o incompatibili vuole assolutamente siano per sempre esclusi.«

Vacante una ex hisce capellaniis per obitum Nicolai Zoppini, cum nominationi per communitatem factus esset locus, eam postulavit sacerdos Andreas Zoppini qui jam in Collegiata s. Viti canonicatum obtinebat. Ortum tunc est dubium super incompatibilitate capellaniae cum canonicatu; hinc communitas priusquam ad legitimam deveniret nominationem preces huic s. Congregationi obtulit tria postulans in haec verba:

1. *Se il Canonico D. Andrea Zoppini chiamato dal testatore sia compreso nella particola, in cui vengono esclusi quelli, che hanno capellanie incompatibili.*

2. *Se mai fosse compreso, si domanda se i pesi della capellania siano compatibili con quelli del canonicato.*

3. *Se fosse compreso, e la capellania fosse giudicata incompatibile col canonicato, si domanda se debba subito dimettere tal canonicato non godendone peranco pensione o prebenda, ovvero allora solamente quando gli venisse assegnata tal prebenda.*

Ut quae a communitate proposita sunt quaesita facilius intelligantur, notandum in *facto* est onera canonicatus, cujus titulo insignitus est sacerdos Andreas Zoppini, esse quinquaginta missas infra annum, servitium chori et interventum in publicis supplicationibus ac missas conventuales per turnum vel per seipsum vel per alium celebrandas soluta eleemosyna, quaeque sunt circa septem intra anni circulum. Notandum etiam haec onera a biennio, quo Canonicus fuit renunciatus, esse suspensa, quia a generali bonorum ecclesiasticorum administratione nondum ipsi vel pensio vel praebenda fuit assignata; ac demum ob praeteritas rerum vicissitudines, cum clausa fuerit ecclesia s. Joannis Evangelistae, sodalitium suas adhuc sacras functiones exercere in collegiata ecclesia non potuit.

De hisce precibus rogavi Emum Episcopum, ut auditis publicis repraesentantibus, capitulo et praedicto Canonico referret de incompatibilitate onerum, de consuetudine quoad praeteritum, et exemptis. *Publicos repraesentantes*, ita ille refert, *ad dubitandum movet praesumpta beneficiorum incompatibilitas. Attamen re bene perpensa videtur mihi quod hujusmodi dubitationis titulus evanescat. Primo quidem eo quod capellaniae auctor nedum parentes extraneis praeferri statuit, sed illorum favore quamlibet etiam incompatibilitatem, qua nominationem extraneorum ligat, eliminare dignoscitur. Eo magis vero si spectetur, quod rigorosa incompatibilitas in praesenti casu non appareat. Non enim hic haberetur conjunctio duorum beneficiorum (quorum onera caeteroquin prorsus incompatibilia non perspiciuntur) sed conjunctio beneficii residentialis cum capellania laicali et propterea incompatibilitas praesumpta circa materiam beneficialem non versatur, eoque minus si de beneficiis residentialibus sermo sit. Hujusmodi autem genus incompatibilitatis canonistae non agnoscunt. Nulla insuper praesens fit in contrarium consuetudo. Tandem nec exempla favorabilia desunt. Nam quidam de familia Zoppini detentor capellaniae ssmi Rosarii et quidam alius de eadem gente in praedicta collegiata ecclesia mansionariatum habens fuerant utrique ad capellaniam Zoppini nominati. Quae omnia ex allatis foliis a Canonico Zoppini, quae Eminentiis VV. humiliter exhibeo, perspicue patent. Inferendum igitur ex dictis videtur, quod Canonicus Zoppini et capellaniam adire et canonicatum valeat retinere.*

Quaeritur de incompatibilitate vel ex jure vel ex voluntate, quia sunt duo beneficia, ut ajunt, sub eodem tecto,*) quatenus laicalis capellania Zoppini vere beneficium ecclesiasticum**) dici queat, cum desint tabulae erectionis, ex quibus erui possit, utrum Ordinarii intercesserit auctoritas, quae necessario requiritur, ut saepe respondit s. Congregatio ac praesertim in *Urbinaten. seu Ariminen. Capellaniae 3. Februarii 1753.* At animadvertendum est capellanias reapse fundatas ex voluntate testatoris fuisse in ecclesia sodalitii ssmi Sacramenti; quod sodalitium aliquot tantum abhinc annis sacras exequitur functiones *per modum provisionis* in ecclesia collegiata.

Ex voluntate fundatoris deducitur incompatibilitas, quia dum ad nominationem invitavit »*tutti i preti, sacerdoti ed abitanti*« conditionem expressam adjecit »*purchè non siano provisti di altre capellanie perpetue incompatibili, o dalla communità, o da particolari, mentre quelli, che sono provisti di altre capellanie perpetue o incompatibili, vuole assolutamente siano per sempre esclusi.*« Porro fundatorum voluntates non evertendas, sed servandas omnino esse statuit *text. in can. Ultima voluntas 13. quaest. 2.* et docuit s. Congregatio *in Pharaonen. Applicationis 27. Aprilis 1791, 18. Augusti 1792.* Verum enimvero ubi una alteraque vice ac in separata prorsus oratione testator vocavit »*qualche prete sacerdote di casa Zoppini*« nulla excidit mentio incompatibilitatis nec unquam illos de familia, quos caeteris omnibus praeferri voluit, a consequenda nominatione repulit, si alia potirentur capellania. Unde colligi videtur hac conditione alligare noluisse sacerdotes vel clericos ex sua familia Zoppini, erga quam major dilectio praesumi debet, ex notissima regula: quod si ubi voluit expressit non voluit.

Onera capellaniae et canonicatus superius retuli, unde facile colligi posset, an talia sint quae nullo pacto vitandam inducant incompatibilitatem.

Verum erit EE. Patres statuere, an talis sit incompatibilitas, ut nequeat Canonicus Zopponi ad capellaniam nominari vel obtenta nominatione cogatur canonicatum dimittere, quia simul consociari nequeunt. At nec praetereundum est nullum prorsus fructum redditumque percipi ex canonicatu ac proinde sacerdotem Zoppini ad illius onera adimplenda minime teneri, donec aut praebendam aut illius loco pensionem obtinuerit. Hinc EE. PP, quatenus ipsis arrideat sententia pro incompatibilitate, decernere dignentur utrum durante suspensione onerum suspensus pariter maneat incompatibilitatis effectus vel nunc pro tunc sit consulendum SSmo pro illius dispensatione.

Dubia proponuntur:

I. *An sacerdos Andreas Zoppini quamvis Canonicus in Collegiata s. Viti nominari possit ad vacantem capellaniam Zoppini in casu?*

*) Vd. *p. 383.*
**) Vd. *p. 530. e.*

II. *An onera tum canonicatus tum capellaniae sint inter se incompatibilia in casu?*

Et quatenus affirmative,

III. *An durante suspensione onerum canonicatus possit illum retinere una cum capellania in casu?*

IV. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III et IV. Provisum in praecedentibus.

Die 31. Julii et 21. Aug. 1819.

III. Parochia cum canonicatu.

Spoletana.

Bartholomaeus Fortunati clericus Spoletanus postquam a sacerdote Petro Jetti renunciationem annua statuta pensione scutorum 22. 50. assecutus erat canonicatus, quem praefato sacerdoti in ecclesia collegiata s. Petri Spoleti contulerat cl. me. Cardinalis Locatelli, tunc Spoletanus Episcopus anno 18.2 apostolicae Datariae libellum porrexit, ut eumdem canonicatum *impetraret* irritam illius collationem dicens, quia sacerdos Jetti, cum alia quinque ecclesiastica beneficia jam possideret, dispensationem ad *duo sub eodem tecto**) retinenda non obtinuerit, quia Episcopus dispensationem ad *duo incompatibilia* indulgere nequiverit, quia denique Episcopus *sextum titulum* uni eidemque beneficiato conferendi facultate caruerit. De impetratoris precibus Archiepiscopus Spoletanus a Dataria rogatus haec distincte retulit: »*Debbo prevvenire, esser falso, che il sacerdote Pietro Jetti possegga due benefizj sub eodem tecto nella Collegiata di s. Pietro. Attribuisco ad errore dell' estensore questa mancanza. Lo stesso sacerdote Jetti, contro cui mira l'impetra del Fortunati, mosso cred' io da qualche scrupolo di coscienza, ricorse tempo fa a N. S. per la via de' memoriali ad oggetto di riportare una sanatoria. Sotto li 4. Gennajo 1800 ottenne egli per concorso questa chiesa parrocchiale di s. Giuliano, posta fuori di città tassata ducati 35, e ne fu spedita la bolla da Monsig. vescovo.*

In vigore di bolle apostoliche ebbe nell' anno suddivisato un beneficio, ossia capellania, sotto il titolo della b. Vergine della Pietà, eretta in questa Collegiata di s. Gregorio, tassata ducati d'oro dieci. Nel decorso del 1800 consegni una prebenda corale in questa collegiata di s. Pietro con l'espressa dispensa di poter ritenere la succennata cura di s. Giuliano, come esercibile dalla stessa persona, attesa la vicinanza con la chiesa di s. Pietro, ed il piccolo numero delle anime, e con la dispensa di ritenere altri due beneficj semplici, uno cioé sotto il titolo della b. Vergine della Pietà, l'altro sotto il titolo di s. Caterina Seconda, tassato ducati d'oro 14, eretti in questa chiesa collegiata di s. Gregorio maggiore, e con l'espressione, che quante volte la prebenda avesse fruttato più di sei ducati all' anno, si dovesse riputar nulla la collazione.«

Si accrebbe al Ricorrente la Sovrana munificenza nel 1804, quando in vigore di lettere apostoliche, e con la dispensa espressa fu possessore di altro beneficio sotto il titolo di s. Andrea apostolo, eretto nella chiesa parrochiale di Mavale, ora diocesi di Norcia di juspatronato laicale, ma devoluto alla Dataria, tassato ducati d'oro due e paoli dieci.

A fronte di tali proviste l'anno 1811 la felice memoria dell' Emo Locatelli vescovo di questa città, gli conferi un canonicato in questa Collegiata di s. Pietro sub supposto, che il fruttato di esso non eccedesse 24 ducati d'oro conforme si trova tassato; prevalendosi il sig. Cardinale dell' indulto apostolico, che aveva, di poter conferire i beneficj, anche residenziali, di un fruttato minore di 24. ducati. Fu abilitato il Jetti in essa bolla (non sò però su qual appoggio) a ritenere insieme col canonicato anche la cura di s. Giuliano. Manca però la speciale menzione, o nuova dispensa sulla pluralità de' benefizj, oltre la necessaria avvertenza sul fruttato del canonicato, molto maggiore di quello della prebenda, motivo per cui, oltre che si rese nulla la dispensa per la variazione di beneficio, evvi l'altro ostacolo di una rendita superiore alla condizione, con cui espressamente fu prima concessa la grazia.«

Literarum collationis exemplum adjunxit Archiepiscopus, ex quibus patet anno 1811 de canonicatu provisum fuisse sacerdotem Jetti, *stante quod etiam redditus summam 24 ducatorum auri di camera non excedunt prout ex documento allegato in bullario*, collationem vero a cl. me. Cardinale Locatelli expletam fuisse *auctoritate nostra ordinaria,*

*) Vd. p. *383*.

qua in hac parte fungimur ac etiam quatenus opus sit vigore indulti apostolici Nobis benigne concessi et attributi cum plenitudine juris canonici omnique alio meliori modo; ac praeterea Emum collatorem haec addidisse: *Tecum insuper dispensantes, ut canonicatum et praebendam praedictas cum ecclesia parochiali s. Juliani, attento quod tam dictae collegiatae ecclesiae s. Petri quam dictae parochiali ecclesiae, ob exiguum illius animarum numerum parochianorum et utriusque ecclesiae vicinitatem per unum et eumdem absque divini cultus et animarum curae detrimento commode deserviri potest, libere et licite retinere possis et valeas.*

Archiepiscopi relatione accepta preces clerici Fortunati ad hanc sac. Congregationem remisit apostolica Dataria pro voto, quamobrem requisitus denuo fuit Archiepiscopus Spoletanus *pro informatione et voto, audito praesertim capitulo et Petro Jetti eique praefixo termino ad deducendum jura sua in sacra Congregatione, ut referret, quam praebendam Petrus renunciaverit favore clerici Fortunati, utrum praeter canonicatum retineat etiam praebendam choralem in Collegiata s. Petri obtentam anno 1803, et perquisitis cancellariae libris referret pariter, utrum cl. me. Cardinalis Locatelli facultates extraordinarias reportaverit dispensandi super pluralitate beneficiorum necnon de exitu recursus ad secretariam memorialium sacerdotis Jetti et quae incompatibilitas adsit inter beneficia ab eo possessa.*

Archiepiscopus autem ita sensus animi sui aperuit: »*Bartholomaei Fortunati preces minime veritati innixas esse agnosco. Praeter canonicatum enim praebendam choralem jam in Collegiata s. Petri anno 1803 obtentam non retinet Petrus sacerdos Jetti. Haec ab eo libere dimissa fuit per canonicatus assecutionem anno 1811 absente Pontifice. Quaestio potius est: an liceat ipsi retinere parocciam s. Juliani extra civitatem obtentam anno 1800 prout ex actibus concursus et collationis.*

Paroecia haec olim Congregationi Canonicorum regularium ssmi Salvatoris in divi Ansani aedibus commorantium spectabat. Munera parochialia absque onere residendi vel per presbyteros dictae Congregationis vel per alios capellanos exercebantur. Amotis Canonicis praedictis vigore literarum apostolicarum de die 29. Septembris anni 1803 vacanti aede potiti sunt clerici regulares Congregationis s. Pauli, qui Barnabitae vulgo dicuntur, relicto collegio, quod penes templum b. M. V. Lauretanae dicatum habebant, et accepta tantum eodem plane modo, quo Lateranenses, animarum cura, quae addicta manet ecclesiae s. Ansani, de qua jam provisus saecularis presbyter, cognomento Battignani, per annuam pensionem scutorum quinquaginta fuit absolutus. Dixi »accepta tantum animarum cura s. Ansani«, nam de ecclesia et paraecia s. Juliani a presbytero Jetti jam sub die 4. Januarii 1800 absque ulla declaratione ibidem residendi assecuta minime neque per literas SSmi locutus fuit: An ergo et canonicatus et paraecia, quae non fuit antea residentialis nec tanquam residentialis in collatione hac declarata et parochialibus aedibus destituta, retineri possit a presbytero Jetti anceps est.

Ipso audito declarat nullam incompatibilitatem adesse, quia ab onere residendi exemptum se putat allatis innixus rationibus et exemplo aliorum parochorum hujus civitatis, quorum ecclesiae animarum numerum habent longe majorem illo, de quo proprium efformatur parvum ovile. An autem collatio canonicatus per defunctum Eminentissimum Locatelli peracta fuisset reapse valida sui muneris non esse affirmat; neque putandum esse dicit Eminentissimum Episcopum jura non propria arrogasse. Ad memorialium secretariam adiit retroactis mensibus tantum ad hoc, ut securius viveret dubio ipsi per aliquos proposito; habuit vero rescriptum »All' Emo Signor Cardinal. Vicario, che non parli.« *Caeterum pacifice de impetratis gavisus est per annos undecim et quoad pluralitatem beneficiorum simplicium, nempe b. Virginis Pietatis, s. Catharinae secundae in hac alia Collegiata divi Gregorii et s. Andreae apostoli in ecclesia parochiali Mavalis Nursinae nunc dioecesis, regulam 36. cancellariae**) *apostolicae in proprium adduxit favorem; si autem possessus sit bona fide vel non de ejus conscientia est.*

Affirmat capitulum s. Petri nullum detrimentum usque adhuc evenisse ecclesiae et chori servitio; quinimo diligentiam Canonici Jetti, etiam in fidelium confessionibus audiendis et panegiricis recitandis commendat. Quod meae observationi aliquod praebet dubitationis indicium circa validitatem collationis canonicatus favore Jetti, versatur in bul-

*) Vd. *Benef.* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

la SSmi, expedita in forma gratiosa pridie Calendas Octobris anno IV. sui Pontificatus, cujus vigore idem Jetti provisus antea fuit de praebenda residentiali sub invocatione divi Antonii Abbatis ad s. Petri Collegiatam et, ut diximus, per receptionem praebendae canonicalis dimissae. Voluit enim Pontifex, ultra dispensationem circa pluralitatem beneficiorum, alteram addere his verbis: secumque, ut una cum primo dicto beneficio, si illud assequatur, parochialem ecclesiam s. Juliani praefatae civitatis, quam dictus orator ad praesens obtinuit et cujus fructus etiam cum incertis 34 ducatorum aureorum de camera valorem anuum non excedunt, attento quod tam dictae collegiatae ecclesiae quam parochiali ecclesiae hujusmodi ob exiguum illius animarum numerum et utriusque ecclesiae vicinitatem per unum et eundem absque divini cultus et animarum detrimento commode deserviri potest, ut prius, quoad vixerit, retinere libere et licite valeat, dispensare dignemini de gratia speciali non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis dictae ecclesiae collegiatae etiam juramento roboratis statutis ceterisque etc«; favoresque et gratias hac clausula vinculavit: et cum decreto, quod sola praesentis supplicationis signatura sufficiat regula quacumque contraria non obstante, quatenus tamen primo dicti beneficii fructus, etiam computatis distributionibus quotidianis, si quae sint, sex ducatorum aureorum de camera valorem non excedant, ut putatur, et non alias, alioquin praesens gratia dicto oratori minime suffragatur.

Videtur ergo nova dispensatione oratorem indiguisse, quando relicta praebenda ista canonicatum est assecutus.

Meae cancellariae libris perquisitis apostolicum indultum favore cl. me. Cardinalis Episcopi Locatelli inventum est conferendi tantummodo beneficia valorem ducatorum de camera 24 non excedentia. Utrum autem ob temporum vicissitudines alias reportaverit facultates, nec apparet nec scitur neque agnoscere potui summis etiam adhibitis diligentiis.

De hoc canonicatu tractata est publico intercedente instrumento renunciatio favore clerici Fortunati cum annua pensione scutorum 22 et obul. 50 quotannis solvenda. Attamen recurrente capitulo meum non praebui assensum cum gravamine personae, dummodo vitium in tanta rerum complicatione, si quod sit, etiam ad reverentiam defuncti Emi collatoris per apostolicam Sedem absolvatur et ita omnia in pace disposita sint ac definita.

Triplex impetrationis fundamentum proposuit clericus Fortunati:

Primum. quod ad *duo* beneficia *sub eodem tecto* retinenda pertinet, ex facto prorsus evanescit. Spoleatanus enim Archiepiscopus semel iterumque testatur sacerdotem Jetti minime retinere praebendam choralem simul cum canonicatu in ecclesia collegiata s. Petri; illam imo dimisisse, quando canonicatus possessionem est nactus.

Alterum vero, quod defectum respicit dispensationis ad duo incompatibilia, necnon.

Tertium ex facta ab Episcopo collatione *sexti tituli* depromptum; quaestionem secumferunt de facultate sacerdoti Jetti tributa retinendi canonicatum simul et paraeciam s. Juliani, itemque de potestate Episcopi plura beneficia ecclesiastica eidem personae conferendi.

Statuit Concilium Lateranense III., ut nemo duas paroecias aut dignitates simul deinceps habere possit; addiditque, ut accipiens secundum beneficium amitteret primum. In Concilio vero Lateranensi IV. sancivit Innocentius III., ut nemo duas simul paroecias, dignitates aut personatus obtineat ipsoque jure cedat primo beneficio qui alterum sine venia Sedis apostolicae adeptus est ac utroque privetur, si forte illud velit retinere, *cap. 8. de praebendis.* Denique Concilium Tridentinum *sess. 7. cap. 4. de reform.* disertis verbis praescripsit, quod, *quicumque de cetero plura curata aut alia beneficia ecclesiastica incompatibilia sive per viam unionis sive commendae perpetuae aut alio quocumque nomine et titulo contra formam ss. canonum et praesertim constit. Innocentii III. quae incipit:* »De multa« *recipere ac simul retinere praesumpserit beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure, etiam praesentis canonis vigore, privatus sit.* Quoad pluralitatem vero beneficiorum eadem Tridentina synodus decrevit Episcopos non posse dispensare ad retinenda tria beneficia, licet simplicia et non sufficientia ad sustentationem beneficiati, *sess. 7. cap. 2 et 4* et *sess. 24. cap. 17. de reform.*.

Profecto et canonicatus et parochia sunt beneficia residentialia, uti nemo ignorat et

monuit sac. Congr. in *Venusina 25. Junii 1763.* Parochus autem neque choro interesse nec onera Canonici implere poterit, si parochi munera obire voluerit ac praesertim confessiones parochianorum audire et morituris auxilium praebere. Confessiones quidem audiri a sacerdote Jetti in ecclesia collegiata D. Petri, in qua canonicatu gaudet, Spoletanus Archiepiscopus refert, nihil tamen addit de tot aliis parochialibus muneribus cum canonicatu prorsus incompatibilibus, de quibus late disponit Conc. Tridentinum *sess. 23. cap. 1 et sess. 24. cap. 12. de reform.* Neque praetereundum videtur a Spoletano Episcopo conferri nequivisse beneficium, cujus annui redditus valorem ducatorum 24 excedunt, ut in sua informatione perpendit etiam Spoletanus Archiepiscopus; omnia proinde concurrere videntur, ut impetrantis votis sit annuendum.

Verum odiosa est impetratio ejusque proinde fundamenta sunt luculentissime demonstranda et in quavis vel levi ambiguitate contra impetrantem inhaesitanter est pronuntiandum. *Lotter. de re benefic. lib. 2. quaest. 44. num. 2, Piton. discept. eccles. 143. num. 1, Rota cor. Ansald. decis. 38. num. 1.* Revocanda igitur ad rigidam censuram ea sunt, quae impetrator proposuit, cumque ipse ne verbum quidem suis precibus interseruerit de valore fructuum choralis praebendae jam dimissae excedente annua ducata 24 auri, de quo unus disserit Spoletanus Archiepiscopus; nullum de hoc assumendum est examen vetante impetrationis odiositate, quae ad extranea praesidia impetrantem divertere non patitur eumque propositis in sua petitione vitiis collationis inhaerere cogit, *Lott. citat. qu. 44. num. 4, Piton. discept. eccles. 73. num. 1 et discept. 147. n. 4.*

Plurima sane occurrunt, quae sacerdoti Jetti favent, illudque inprimis ecclesiam s. Juliani parochialibus aedibus esse destitutam, proindeque fieri minime posse, ut apud ipsam parochus resideat; canonicatum vero sacerdoti Jetti contulit cl. me. Cardinalis Locatelli non sua ordinaria auctoritate tantum, sed *etiam quatenus opus sit vigore indulti apostolici Nobis benigne concessi et attributi cum plenitudine juris canonici omnique alio meliori modo.* Itaque nil mirum, si expressam sacerdoti Jetti dispensationem indulsit, ut canonicatum simul et parochiam s. Juliani retinere posset. Perquisitis quidem Spoletanae cancellariae libris non aliud indultum laudato Cardinali tributum est inventum, quam conferendi beneficia valorem ducatorum 24 non excedentia; perpendendum tamen erit anno 1801 in summa omnium ac praesertim ecclesiasticarum rerum perturbatione Episcopos absente Pontifice summo peculiaribus, extraordinariis ac amplissimis facultatibus fuisse munitos, quas Cardinali Locatelli defuisse nemo dixerit, quamvis earum monumentum apud acta cancellariae non reliquerit. Caeterum jamdiu traditum est Cardinali asserenti esse credendum, etsi literas non exhibeat, idque propter excellentiam et auctoritatem Cardinalium S. R. E. atque ex aequitatis decore fieri debere inquit *Layman in cap.: Quod translationem num. 5* et *Reiffenstuell. in lib. 1. decretal. tit. 30. num. 27. de officio Legati.*

Accedit Cardinalem Locatelli nullam sacerdoti Jetti obligationem imposuisse adeundi Pontificem pro dispensatione, quem propediem rediturum ad suam Sedem veri christifideles omnes jugiter sperabant et enixe a Deo precabantur. Dispensationem vero pro retentione parochiae cum canonicatu indulgens *exiguum illius animarum numerum parochianorum et utriusque ecclesiae vicinitatem* perpendit ac memoravit; quas ob rationes hujusmodi dispensationem concedi posse respondit haec sac. Congregatio *in Anagnina Divisionis parochiae 24. Augusti 1822.* Quae profecto Cardinalem Locatelli necessariis quibuscumque facultatibus praeditum ostendunt ac de patefaciendo tantum opportuno et rationabili earum usu sollicitum.

Minime vero praetereundum est sacerdotem Jetti tum anno 1803, dum choralem praebendam est assecutus, tum anno 1809. occasione collationis beneficii s. Andreae apostoli opportunas dispensationes obtinuisse ad quinque beneficia retinenda, quarum favorem an amiserit, quando chorali praebenda dimissa canonicatus possessionem iniit, EE. PP. pro sua sapientia statuent. Animadvertendum quoque praedicti canonicatus collationem et possessionem pertinere ad annum 1811, preces vero ad canonicatum impetrandum anno 1822 a clerico Fortunati fuisse porrectas, adeo ut dubitandum non sit, quin per decennium et ultra sacerdos Jetti canonicatum pacifice possederit. Ipsi ergo opitulari videtur regula 36. cancellariae, quae non decennalem sed et *triennalem* beneficii

ex quovis titulo possessorem tuetur, adeo ut a nemine sive in possessorio sive in petitorio molestari possit, *Piton. discept. eccles. 24. num. 47.. Ferrar. biblioth.* verb: *Beneficium art. 16. num. 116 et seq., Rota in recent. part. 19. tom. 1. dec. 264. num. 3.*

Quod si nihil praesidii ex his sperare valeat sacerdos Jetti ipsique omnino vel beneficiorum qualitas vel eorum pluralitas obsit, cum novissima collatione canonicatum obtinuerit, illumque sponte dimittere sategerit favore clerici Fortunati, qui post acceptо habitam renunciationem, non sine apertae ingratitudinis nota, canonicatum impetrare nititur, cumque caetera beneficia pacifice possederit, quin eorum incompatibilitatem quisquam objecerit, consequens esse videtur, sacerdoti Jetti de retentione quidem aliorum beneficiorum, nunquam vero canonicatus, quaestionem posse moveri proindeque in irritum hoc quoque casu cedere tentatam a clerico Fortunati canonicatus impetrationem. Ob captam enim beneficii incompatibilis possessionem caetera tantum vacant, quae prius possidebantur a beneficiato, dummodo ipse omnia retinere non praesumpserit, quia tunc omnium privatione punitur, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 17., Fagnan. in lib. 3. decret. cap. 3. num. 7. et seq. de cleric. non resid. cap. 7. num. 8. et cap. 35. de praebend. et dignit., et Sac. Congr. in Comen. Incompatibilitatis beneficii et praesentationis 14. Decembris 1822.*

Proponitur itaque definiendum dubium:

An sint relaxandae literae apostolicae impetrationis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 22. Novbr. 1823.

Moderaten.

Omnem incompatibilitatem inficiari videtur Episcopus quoad Canonicum, qui in rurali ecclesia diebus festis inservit Sacrum ibi faciendo ac pueros fidei rudimentis imbuendo, eo quod curam animarum non habeat, omnia sua munia in collegiata statutis horis praestet ac utrique beneficio propter discontinuam residentiam commode possit deservire, quo in themate omnem abesse incompatibilitatem tradunt *Garz. de benefic. part. 2. cap. 5. num. 85 et 161., Piton. discept. eccles. 142. num. 6., Rota diversor. part. 1. decis. 483. num. 3. in Recent. part. 2. decis. 179. n. 5. et sac. Congreg. in Novarien. 12. Decembris 1708 ad IV. dub.*

Die 3. Sept. 1825.

IV. Capellaniarum laicalium.

Firmana.

Ad incompatibilitatem Tridentina synodus prohibuit pluralitatem *beneficiorum* dumtaxat, non capellaniarum, quae mere *laicales* sunt, uti expresse declaravit etiam *S. C. in Bitecten. 6. Dec. 1721. ad III. dubium.*

Die 29. Apr. 1837.

c) Causae.

Vd. *Beneficium* (plura possidentes — consuetudo decr; *Florentina* §: *Neminem profecto*; supra lit. *a* p. 590; lit. *b* p. 606.)

Nullius Sublacen.

Incompatibilitas vel ex jure vel ex voluntate fundatoris vel ex annexis oneribus eruitur. (Ex res. diei 31. Julii 1819. *Senegallien.)*

Vetat sacrosancta Tridentina synodus plurium beneficiorum ecclesiasticorum retentionem in *sess. 7. cap. 3 et 5 et in sess. 24. cap. 17. de reform.*, ut jam antea vetitum fuerat in *Extravagan.*: *Execrabilis* §: *Qui vero de praebend., et a Conciliis Lateranensibus III et IV.* At vero haec sancita sunt quoad beneficia vere *ecclesiastica* quaeque inter se incompatibilia sint, vel quia requirunt personalem residentiam vel quia ex uno tantum beneficio congrua substantia percipi potest vel quia beneficia sint sub eodem tecto. Neque hujusmodi incompatibilitasoriri potest ex onere missarum beneficio simplici adnexo, nisi fundator in erectione mandaverit, quod beneficiatus per seipsum celebraret, *Rota in Recent. decis. 281. num. 10. part. 11.*

Die 3. Julii 1819.

d) Consuetudo plura benef. incompatibilia possidendi..

Vd *Beneficium* (plura possidentes — consuetudo —)

e) Dispensationis causae.

Vd. *Beneficium* (plura possidentes — dispensatio —); supra lit. *a* p. 590; lit. *b* p. 606; p. 616. *g*.

Popien.

Justa profecto requiritur indulgendae dispensationis causa seu ex deductis per ministros Datariae: *necessitas* aut *utilitas ecclesiae meritumque petentis.* His namque concurrentibus concessa fuit *in Oscen. Canonicatus Poenitentiarii 15. Januarii 1724., in Leodien. Indulti 4. Julii 1739* et in *Auximana 3. Novembris 1749.*

Die 19. Febr. 1791.

Sustinet *Garzias de benefic. part. 11. cap. 5. num. 161*, quod duo beneficia habentia onus residentiae, sive illa sit praecisa sive causativa, semper incompatibilia sunt nec sine indulto possunt retineri, verum *num. 252.* advertit, quod ex apostolicae Sedis indulgentia justa urgente causa conceditur dispensatio retinendi duo beneficia incompatibilia et revera sacr. Congr. in *Oscen. Canonicatus Poenitentiarii die 15. Januarii 1724* indulsit Aemanueli Martinez Montoja, qui in concursu magis idoneus fuerat renunciatus, ut cum praebenda Poenitentiarii retinere posset archidiaconatum de Serablo. In *Leodien. Indulti* Antonius Bertrandus de Halloy postquam deputatus fuerat in perpetuum coadjutorem canonicatus collegiatae ecclesiae s. Dionysii Leodii obtinuit a capitulo ejusdem ecclesiae praesentari ad vicariam parochialis ecclesiae s. Adelgundae, cumque expostulasset facultatem retinendi utrumque beneficium disputato dubio:

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione gratiae dispensationis in casu etc.?

Die 4. Julii 1730 prodiit resolutio:

Attentis peculiaribus circumstantiis consulendum Sanctissimo pro gratia, accedente tamen consensu capituli.

Auximana.

Testator quidam capellaniam institui jusserat ad altare s. Luciae ecclesiae parochialis terrae Appigniani, cui missarum celebrationem cum aliis oneribus injunxerat et legem residendi et habitandi ejus domum in eadem terra indixerat; dubitatum fuit:

An capellaniae onera adimpleri possint per substitutum? et duobus examinatis dubiis:

I. *An hujusmodi beneficium sit sacerdotale, ita ut de illo provisus teneatur per seipsum missas celebrare et per substitutum non possit impleri?*

II. *An personaliter residere teneatur, ita ut eminentissimus Episcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri possint?*

Die 13. Novembris 1649 fuit responsum

Ad I: Beneficium, de quo agitur esse sacerdotale et posse per substitutum onera impleri.

Ad II.: Eminentissimum Episcopum posse permittere.

Et reproposita causa super dubio:

An rector beneficii s. Luciae terrae Appigniani personaliter residere ibidem teneatur seu potius per alium tale onus impleri possit in casu etc.?

Sac. Congregatio die 17. Januarii 1761 respondit: Affirmative ad primam partem ad formam testamenti; in reliquis in decisis de anno 1649.

Nihilominus in *Aquilana Capellaniae*, in qua testator nullo injuncto onere personaliter adimplendo per capellanum tantummodo demandaverat: »Che sia obligato residere in detta mia casa lasciata per questo effetto cum disputata fuissent bina dubia:

I. *An beneficium seu capellania, de qua agitur, habeant onus residentiae et quomodo?*

II. *An praedictum beneficium sit compatibile cum parochiali in casu etc.?*

Die 16. Maji 1733 fuit responsum

Ad I.: Capellanum teneri residere ad formam testamenti.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 18. Julii ejusdem anni ad examen revocata causa perstitum fuit in decisis.

Die 3. Aug. 1782.

Lucana.

Justis ac rationabilibus accedentibus causis, nimirum *ecclesiae utilitate aut meritorum praerogativa* solet aliquando apostolica Sedes dispensationem concedere, ut qui canonicali fruitur praebenda parochiam vel aliud residentiale beneficium nanciscatur. *S. Pius V. in constit.: Capientes, s. Congr. in Auximana 3. Novembris 1749**) *et in Papien. 19. Februarii 1791.*

Die 23. Apr. 1831.

---

*) Vd. *supra.*

Firmana.

Dispensatio requiritur ad possidendum beneficia incompatibilia post decretum Innocentii III. in Concilio Lateranensi III. latum, quod est in *cap.*: *De multa de praeben.*; reservata est Sedi apostolicae, ut tradit *Fagnan. ad dict. cap. De multa num. 31.* et *Pirhing. in jus canon. lib. 3. tit. 5. sect. 5. num. 18.* Dispensationes vero hujusmodi concedi non solent, nisi concurrant causae in jure probatae: scilicet, *necessitas ecclesiae, magna utilitas* et *meritorum praerogativa*, ut ad *text. in can.*: *Requisitis* et *can.*: *Talis quaest. 17.* docent *Fagnan. in cap.*: *Nimis de fil. praesbyt. num. 6., Corradin. in prax. dispensat. lib. 1. cap. 1. num. 12., de Sanctis in examen. consistorial. cap. 8. num. 2.*

Die 27. Junii 1807.

f) Petens prioris beneficii mentionem facere debet.

In petendo novo beneficio necessariam prioris beneficii mentionem putant doctores, *in cap.*: *Si motu proprio* et *cap. Non potest. de praeben.* ac praesertim *Rigant ad reg. 57.**) *cancell. tom. 4. num. 82. pag. 99.*

Die 19. Febr. 1791.

g) Possessio triennalis, decennalis beneficii incompatibilis.

Vd. *Benefic.* (incompatib. non est, decr. *Spoletana* §: *Minime* p. 513; incompat. est, decr. *Amalphitana* §: *Quodsi* p. 600; possessio.)

Solemne est in beneficialibus, ut ex possessione decem annorum praesumendus sit quilibet idoneus titulus etiam dispensationis apostolicae ad effectum retinendi duo incompatibilia beneficia, quin possessor turbari possit, ut tradit *Rigant. ad reg. cancell. 30.***) *num. 156.*

Triennalem possessionem in beneficiorum incompatibilitate locum habere non posse testis est *Rigant. ad reg. 8. n. 30, Garcias de benef. p. 11. c. 5. n. 379 et Rota coram Ansaldo decis. 799. n. 9., Card. de Luca de benef. d. 119. n. 8., Gomez in reg. de trienn. q. 10. n. 12.*

Praesumptam dispensationem, qua nititur regula cancell. de triennali possessore, contra decreta S. C. *c. 4. sess. 7, c. 17, sess. 24, c. 15. sess. 25.* locum non habere, itaque possidentes beneficia contra dispositiones dictorum decretorum ex tali praesumpta dispensatione suam possesionem tueri non posse, S. C. censuit *die 14. Aug. 1632 in Aquilana.* Qua declaratione ad SSmum delata SS. dixit, bene Cong. censuisse atque ita exequendum esse. *Relata V. p. 200., XXX. p. 19. ex l. XIV. decr. p. 653.*, ubi notatur, in una *Leodiensi* S. C. respondisse:

Obtinentem plura beneficia incompatibilia non posse se juvare regula de triennali, quae ita concepta est: Item statuit et decrevit idem D. N., quod si quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu ex apostolica vel ordinaria collatione aut electione et electionis hujusmodi confirmatione seu praesentatione et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio et provisio, electio, praesentatio seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederint, (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apost. ex aliqua reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint, se non intruserint,) super eisdem beneficiis taliter possessis nequeant molestari necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas irritas et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extingendo.

*) Vd. *Benef.* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)
**) Vd. *Ibidem.*

57) Institutio canonica.

Vd. *Institutio canonica.*

58) Interpretatio in beneficialibus causis.

In beneficiis plenissima est interpretatio facienda. Communis, textu expresso in *c.*: *Cum Dilecti 6. de donationibus*, ibi: »In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda;« et *cap.*: *Olim 16. de verbor. significat.*, ibi: »Cum beneficia Principum sint interpretanda largissime.«

59) Laicale.

Vd. *Capellania laicalis*; *Beneficium ecclesiast.* (quod est? notam ad decr. diei 26. Mart. 1870 p. 542.)

60) Locatio.

Vd. p. 385. §: *Decretum.*

61) Majus et minus.

Vd. p. 523.

62) Manuale.

a) Concursus.

Vd. *Concurs. pro benef. manual.*

b) Obligatio.

Montis Alti.

Finitore *Laymano lib. 4. Tr. 2. cap. 5. n. 7.* manualia beneficia ex omnium consensu idem juris et oneris habent ac caetera, excepta perpetuitate et hinc est, ut nullus dubitet (his non exceptis, qui in contrariam sententiam afferebantur), quin capellaniam collativam, quae manualis sit, possidentes ad canonicas horas obligentur, *Suarez. lib. 4. de Orat. c. 22. n. 1. et seq.; Garzias de benef. p. 1. cap. 2. n. 81, Schmalzgrueber lib. 3. decr. tit. 41. N. 72, Bonac. de horis canon. dist. 1. q. 2. p. 2. n. 6.*

Die 7. Aug. 1841.

c) Quod est?

Manualia beneficia sunt illa, quae ad nutum alterius possunt auferri, ideoque dicuntur manualia, quia in alterius manu et dispensatione stat illa relinquere vel auferre et haec rigorose loquendo non sunt proprie beneficia, cum de natura beneficii proprie dicti sit, ut institutus in eo perpetuo duret, *cap.*: *Sanctorum 2. dist. 70.*

Non manualia seu titularia sunt alia, quae conferuntur in perpetuum.

63) Mutatio.

Vd. *Commutat. ult. volunt.* (apost. facultat.); *Beneficium* (applicatio p. 370. n. 15; immutatio p. 590; erectionis alteratio p. 548. c.; reductio.); *p. 367. n. 14; p. 506. n. 27; Poenitentiaria apostol.* (revocatio privileg., const. Pii IV. 4. Maji 1563. §. 4. 5.); *t. I. p. 420. n. 2* etc.

a) Apostolica facultas.

Vd. *t. I. p. 438. h.*

Melevitana.

Soli Pontifici reservata facultas est commutandi pias defunctorum voluntates ex *Clem. quia contigit de Relig. dom.*, nec Episcopus potest eam concedere juxta canonistarum sententiam, de qua *Bened. XIV. de syn. dioec. l. 13. cap. ultim. n. 17.*

Die 17. Maji 1817.

Aesina.

Ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent non ad alium salva quidem Sedis apost. auctoritate converti, ut monet *Clem. quia contigit de Relig. dom.*

Die 9. Aug. 1817.

Vercellen.

Beneficium instituit Carolus Solidi in ecclesia collegiata s. Columbani cum onere missae quotidianae assignata eleemosyna aliisque additis oneribus, fructus vero superextantes in dotandas puellas erogari praecepit; capitulum vero dictae ecclesiae postulavit, ut eleemosyna a testatore praefinita, quae est manualis, augeretur in erectione dicti beneficii reliquique fructus in dotes puellarum erogarentur, et *s. Congr.* decrevit, constituto fundo pro duobus anniversariis et duodecim missis lectis faciendam esse ab Emo Ordinario erectionem beneficii annui fructus taxandi, ratam partem vero fructuum superextantium erogandam esse in dotes pariter ab eodem Ordinario taxandas.

Die 29. Apr. 1780.

Nemo ignorat, fundos piis legatis obnoxios vendi non posse nec ipsa legata in aliud pium opus converti, nisi accedat Sedis apostolicae authoritas, ex notissima *Extrav. Ambitiosae**) *de rebus eccl. non alienan.* et ex *Clementina*: *qui contigit de religiosis domibus.*

Die 30. Maji 1818.

b) In capellanias.

Vd. *Beneficium* (reductio, unio; applicatio p. 370. n. 15.)

Ripana.

Ad dub.: Utrum beneficium possit necne uniri vel seminario vel capitulo vel paroeciae tempore illius vacationis, expresse negat *Pax Jordan. elucubr. canonic. lib. 10. tit. 32. de union. benef. num. 36 et seq.*; attamen certum esse videtur, simplicia beneficia, sive sint de jurepatronatus ecclesiastico sive laicali, mutata fundatorum lege et voluntate, sine justa et urgenti causa uniri, converti ac erigi non posse in capellanias concuratas, dissentiente patrono ac etiam dissentientibus loci presbyteris et clericis passivum patronatum habentibus, ex traditis per *Lambert.*

*) Vd. *t. I. p. 456. r.*

de jurepatr. lib. 3. quaest. 6. num. 2., Barbos. ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 15. num. 21., Monet. de commut. ult. volunt. cap. 12 num. 226. et resolutum fuit a sac. Congregatione in *Sabinen. Unionis 18. Septembris 1745.*, quinimo etiamsi facta jam fuerit unio sive erectio, eam tamen non sustinere firmat, *Barbos. ad Concil. Trident. loc. cit. num. 22.* et *Card. de Luca de jurepatr. disc. 66. num. 9. et seq.*

Die 17. Junii 1775.

Firmana.

Fatiscente temporum injuria oppido Serviliani in Piceno san. mem. Clemens XIV. procul illinc quatuor millia passuum erigendum curavit novum castrum, cui ex principe conditore indictum est nomen *Castel Clementino.* Parochialem ecclesiam s. Marci, quae in veteri loco unica erat et capita bismille complectebatur, in novum pagum una cum reliquis beneficiis transtulit clar. mem. Cardinalis Parraciani Archiepiscopus Firmanus opportunis ab eodem Pontifice auctus facultatibus. At nonnulli habitatores antiquam domum deserere recusantes maluerunt potius sub ruderibus Serviliani manere quam in novum oppidum commigrare. Quorum cum non exiguus esset numerus (erant enim familiae centum quinquaginta et capita fere octingentum sexaginta) cumque omnes longe a Parochiali per asperam viam distarent, a sac. Congregatione exorarunt, ut nova ruralis paroecia erigeretur in ecclesia B. M. Virginis, quam accolae vocant *delle Piagge*, constituta novo parocho congrua scutorum sexaginta, ut patet ex folio *in Firmana Erectionis parochiae 15. Martii 1753.*

A quo quidem tempore unus semper parochus hisce rusticanis incolis adfuit. Sed nunc reclamant unicum parochum satis esse non posse et deficere spiritualia subsidia, cum remotiores habitatores per agrum dispersi interesse nequeant unico Sacro, quod diebus festis celebratur, et Sacramentis in extremo vitae discrimine destituantur. Quibus freti parochiani sanctae Mariae *delle Piagge* preces exhibuerunt huic sac. Congregationi die 26. Martii 1803, ut capellania curata erigeretur ex beneficio, quod sub invocatione s Antonii Abbatis extat in parochiali ecclesia s. Marci Castri Clementini. Exquisita est sententia defuncti Archiepiscopi et Vicarius capitularis haec retulit, quae per summa capita vobis exponam.

A fundatore Francisco Savini olim erectum fuit beneficium hujusmodi in ecclesia parochiali s. Marci Serviliani et deinde cum Parochiali translatum in oppido castri Clementini, cujus communitati pertinet juspatronatus. Vacante nuper hoc beneficio censuit communitas ex illo novum canonicatum addere aliis sex, qui Collegiatam in eadem parochiali s. Marci constituunt. Interrogatum capitulum consensum praestitit. Dummodo novus Canonicus esset supranumerarius nec voce activa ac passiva uteretur nec de massa participaret et in ultimo stallo servitium ut caeteri Canonici obiret punctaturasque solveret, si a servitio deficeret. Hinc communitas per publica edicta concurrentes accersita est. Licet vero parochiani *delle Piagge* antea jam implorassent ab hac sac. Congregatione, ut erigeretur capellania curata ex beneficio s. Antonii Abbatis, licet de porrectis precibus certiorem fecissent communitatem, ne ad praesentationem deveniret, sub protestatione nullitatis, attamen ipsa communitas habitis comitiis praesbyterum Seraphinum Marini nominavit, ea interposita conditione: *ut oltre la sodisfazione de' soliti pesi annesi al detto beneficio sia tenuto di richiedere la grazia da nostro signore della erezzione del detto beneficio in canonicato, e spedirne la bolla d'erezzione, ben inteso, che s'abbia da richiedere al s. Padre la grazia, che il detto Canonico sopranumerario non sia obligato d'intervenire al coro, che ne'giorni festivi, avvento, quaresima, ottavario del Corpus Domini, tutti i sabbati dell' anno, mentre in tal caso potrà agevolmente prestarsi all' amministrazione de'sagramenti, ed all' assistenza de' moribondi in tutto questo territorio.*

Hinc ipsa communitas supplicavit SSmo pro erectione hujus beneficii in canonicatum, cujus preces a Dataria apostolica die 4. Aprilis 1803 Archiepiscopo pro informatione remissae fuere. Cum haec omnia essent comperta ex informatione Vicarii capitularis transmissa huic sac. Congregationi cumque ipse probare videretur hanc unionem, dum de paraecia agatur *ruri posita, cui et opes sunt tenues et parochiani numero multi et egestate laborantes, itaut unus parochus spirituali omnium necessitati aegre satis sit et aliunde desideretur quomodo suppleri valeat,* hinc rescriptum ab hac sac. Congregatione prodiit sub die 21. Maji proxime praeteriti: *Doceat de exitu recursus in Dataria apostolica.* Allatum hinc fuit rescriptum Emi Prodatarii: *Instet post exitum instantiae pendentis in sac. Congregatione Concilii.* Quamobrem rursus exquisita est informatio Vicarii capitularis, ut auditis interesse habentibus referret de annuo redditu beneficii.

Quibus omnibus recentioribus datis literis ita satisfacit: »*Parochiani redditus ipsos affirmant esse scutorum sexaginta eosque ab omni onere prorsus immunes. At hoc verum fortasse esse potest si rerum pretia severiori ratione prout recentissime elapsis annis aestimentur. Caeterum si eorumdem fiet calculus ea ratione, quae hoc temporis puncto viget, non alios dixerim esse fructus, quam scutorum 40 per singulos annos. Porro detractis oneribus omnibus residua erit in rectoris utilitate summa scutorum 28 ... Sed hoc beneficium suum rectorem modo habet. Sacerdos enim Seraphinus Marini ab ipsa communitate nominatus institutionem rite obtinuit ab hac curia* (scilicet per bullas expeditas die 6. Junii nuper elapsi) *et in ejusdem beneficii possessionem se immisit. Itaque praeter dissensum communitatis hanc novam offensionem habet parochianorum postulatio ex parte rectoris, qui eorumdem precibus adversatur.*

Communitas vero castri Clementini *Nihil transeat* interposuit in nostra secretaria et a me postulavit, ut compellerem procuratorem parochianorum ad edendum mandatum procurae, aliter a limine judicii ejiceretur et consonum decretum huic instantiae apposui die 7. praeteriti Septembris. Cum numquam mandatum hujusmodi allatum sit, nunc instante communitate causa *ex officio* proponitur et inquirendum tantum erit de erectione capellaniae curatae, quam ex beneficio s. Antonii Abbatis faciendam postulabant parochiani *s. Mariae delle Piagge.* Nam quoad erectionem hujusmet beneficii in canonicatum, prout postulat communitas castri Clementini, providendum erit a Dataria apostolica, apud quam haec instantia pendet.

Ut necessitati ecclesiae parochialis succurratur permittit quidem Tridentina synodus, ut beneficia iisdem uniantur*) ut *ex sess. 91. cap. 5. de reform.* Sane cum paroecia *s. Mariae delle Piagge* frequens sit ad capita 860 per agrum dispersa, quorum pars dissita quoque est a Parochiali, satis esse non potest unus parochus, qui omnibus spiritualia subsidia ministret. Etenim unicum Sacrum diebus festis celebratur, cui omnes eodem tempore interesse nequeunt et aegrotantes aliquando carent parocho, quippe qui aliis infirmis assidere debet. Cum autem parochiani egestate laborent et parochus non habeat ex congrua, unde coadjutores sibi assumat, probanda esse videtur haec unio beneficii s. Antonii Abbatis, ut hisce incommodis per capellanum curatum provideri possit.

Sed rem amplius integram esse negat communitas castri Clementini patrona, cum praesentaverit congruo tempore sacerdotem Marini, qui expeditis bullis in curia archiepiscopali in possessionem ivit die 7. Junii proxime praeteriti. Agitur ergo de beneficio pleno, quo casu dissentiente rectore unio concedi numquam solet in ejus praejudicium *ad text. in cap. 1. de reb. eccles. non aliennan. in 6.* tradit *Lotter. de re benefic. lib. 1. quaest. 29. n. 36., Rot. decis. 239. num. 5. part. 5. Recent.* Praeterea repugnat quoque communitas castri Clementini patrona, cujus consensum in unionibus requirit Tridentinum *sess. 24. cap. 15. de reform.* Idcirco autem repugnat, quia negat necessarium esse capellanum curatum in paroecia *s. Mariae delle Piagge*, cum ab anno 1783, quo facta fuit erectio paroeciae hujusmodi, semper unus parochus satis fuit omnibus illis ruricolis et nunc ab hoc beneficiato coadjuvari etiam poterit, licet Canonicus evadet. Nam hoc onus ei impositum fuit, ut incumberet ad Sacramentorum administrationem et assistentiam aegrotantium in toto territorio. Quare cum dissensus patroni justus sit, ita semper impedit ne unio concedatur, ut tradit *Garzias de benef. part. 12. cap. 2. §. 2. num. 210; Rigant. ad reg. cancell. 22.*) num. 40. tom. 2; Turicell. de union. cap. 9. num. 4.*

Observandum tamen est quod parochiani *delle Piagge* preces pro erectione capellaniae curatae exhibuerunt huic s. Congregationi, antequam communitas castri Clementini praesentationem sacerdotis Marini expleret. Immo notificatae fuerunt ipsi communitati, ne ad praesentationem procederet, aliter protestatio nullitatis interposita est. Quare integrum videtur parochianis *delle Piagge*, ut hanc erectionem implorare possint. Ab hac autem rejiciendi non videntur ex eo, quod novo nominato injunctum sit onus ministrandi Sacramenta per universum territorium. Interest enim multum, si capellanus

*) Vd. *Benef.* (unio)

*) Vd. *Benef.* (reservatum SS. Pontifici juxta regul. cancell.)

curatus instituatur, qui prae munere parochianis adesse debeat, an vero obligationem generalem habeat ministrandi Sacramenta, a qua certe impeditus erit, si Canonicus fiat et chori servitium obire debeat. Nec communitati praejudicium infertur, cum firmum manere debeat jus nominandi, qua ipsa fruitur, in futuris vacationibus; in praesens vero incolumis stare debet nominatio presbiteri Marini. Haec ad *modum* respiciunt faciendae erectionis.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus erectioni capellaniae curatae ex beneficio s. Antonii Abbatis in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 14. Jan. 1804.

c) In commendas.

Vd. *Beneficium* (applicatio p. 370. n. 15.; suppressio;) *p. 505. n. 26.*

Beneficia ecclesiastica simplicia de jurepatronatus laicorum erigi possunt in commendas militiae ss. Mauritii et Lazari. *Bened. XIV. Const. 104. incip.* »*Fructuosa*«, in qua tradit modum et formam pro tali erectione facienda.

Suppressio beneficii sub titulo s. Clementis Papae et martyris de jurepatronatu familiae Neri Biffi Tolomei et erectio commendae s. ordinis militaris s. Stephani Papae in commodum primogeniti ipsius familiae.

Gregorius PP. XVI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum Nobis nihil potius, nihil gratius esse possit, quam omnium bono atque utilitati paterno sane animo vel maxime prospicere, tum in nobiles praesertim familias de hac apostolica Sede praeclare meritas propensam voluntatem habere solemus, quum ea a Nobis efflagitantur, quae earundem familiarum commoda, dignitatem atque splendorem augere posse videntur.

§. 2. Exponendum Nobis curavit dilectus filius eques Aloisius Tolomei Gacci Florentinus, ejus fratrem natu majorem marchionem Neri Biffi Tolomei cum dilecta in Christo filia Maria Aloisia ex principibus Corsini conjugio devinctum misere mentis compotem haud esse ac propterea ipsum oratorem illius patrimonii curatorem pro tempore fuisse constitutum.

Addit praeterea ejusmodi patrimonium ob plures commemorati marchionis filios minime satis amplum esse illudque familiae splendori et potissimum primogeniti commodo, qui uxorem ducere solet, nequaquam sufficere, cum in Etruria primogenitorum jurà et fideicommissa, uti loquuntur, de medio penitus sublata fuerint. Itaque cum in praesentia simplex beneficium jurispatronatus ejusdem marchionis a sancto Clemente papa et martyre nomen habens in aede sancti Joannis evangelistae sacra scholarum piarum Florentiae institutum rectore careat ejusque familiae primogeniti conditio, utilitas et commodum vel maxime augeretur, si ex omnibus quibuscumque illius beneficii bonis atque redditibus commenda in basilica sancti Stephani papae et martyris ejusdem familiae primogenito attribuenda efformaretur, quemadmodum omnis familia summopere exoptat, quocirca hac super re orator dilectissimi in Christo filii Nostri magni Etruriae ducis veniam implorandam curavit, qui die decima septima Octobris superiori anno millesimo octingentesimo trigesimo quarto annuendum existimavit, dummodo ab hac apostolica Sede id concedatur, ea tamen adjecta lege, ut onera ejusdem beneficii, quae in praesentia summam quinquaginta unius scutatorum, quinque libellarum, novem assium et quatuor denariorum efficiunt, in posterum summam sexaginta scutatorum attingant. Quodquidem augmentum a beneficii dote omnino sejunctum illi patrimonii parti inhaerere debeat, quae ad ejusdem marchionis Neri Biffi Tolomei primogenitum pertinebit, qui fundum statuere teneatur annui redditus sexaginta scutatorum Florentinae monetae, ut alterum novum simplex beneficium eodem sub titulo atque ad primogenti patronatum erigi queat, quo non solum omnia commemorata onera diligenter impleantur, verum etiam aliquis clericus sacri patrimonii titulo donetur atque ita sacris ordinibus initiari valeat. Supplici ergo cum prece a Nobis idem dilectus filius eques Aloisius Tolomei Gacci Florentinus petiit, ut, quo haec omnia perfici possint, Nostram opem et veniam largiri velimus.

§. 3. Nos igitur rebus omnibus maturo examine perpensis de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. C. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio hujusmodi postulatis annuendum censuimus. Quamobrem omnes

et singulos, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes auctoritate Nostra apostolica hisce literis venerabili fratri Archiepiscopo Florentino eas partes imponimus atque mandamus eique facultatem facimus atque impertimur, ut, si ita se res habeant, prout expositae, ex omnibus quibusque bonis simplicis beneficii vacantis instituti in templo sancti Joannis evangelistae scholarum piarum Florentiae, titulo sancti Clementis Papae et martyris et jurispatronatus activi et passivi familiae Neri Biffi Tolomei, commendam sacri ordinis militaris sancti Stephani Papae et martyris filio primogenito hodierni marchionis Neri Biffi Tolomei et deinde masculis ejusdem familiae de primogenito in primogenitum commendandam, exclusis tamen maribus ex familia Tolomei extra montes, servatis iis, quae servari opus est, libere et licite erigere possit et valeat.

§. 4. Ut autem onera omnia eidem beneficio sancti Clementis inhaerentia diligenter impleantur, volumus atque mandamus, ut fundus vel fundi praeleventur annui redditus omnino liberi saltem scutatorum sexaginta pro fundatione alterius simplicis beneficii sub eodem titulo sancti Clementis et in eadem ecclesia sancti Joannis evangelistae auctoritate ordinaria ejusdem venerabilis fratris Archiepiscopi Florentini erigendi. Hujus vero novi simplicis beneficii patronatum commemoratae familiae primogenitis et successoribus, qui eam commendam obtineant, concedimus pro sacro patrimonio constituendo clerici ex eadem familia vel ex ejus defectu alterius clerici ab eodem Archiepiscopo Florentino approbandi. Volumus etiam, ut commemoratae doti sexaginta scutatorum alius praeterea fundus addatur, attribuatur et uti dicunt incorporetur, cujus redditus ex arbitrio ejusdem Archiepiscopi Florentini sufficiat non modo festivitati quotannis peragendae in publico oratorio apud villam di Trafiume sancti Gregorii Papae et doctoris cum celebratione quinque missarum, verum etiam tuitioni et conservationi fabricae ejusdem oratorii. Denique mandamus, ut omnes ii fundi rite separentur et inscribantur favore ejusdem beneficii.

§. 5. Haec concedimus atque indulgemus, praecipimus et mandamus decernentes has praesentes literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 27. Februarii 1835.

(Bull. r. Contin. t. XX. p. 32. Ed. Romae.)

*Commutatio in commendam beneficii simplicis sub invocatione sancti Joseph et Antonii Patavini de jurepatronatus laicorum facta in dioecesi Casalensi ad formam constitutionis Benedictinae »Fructuosa«.**)

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Dudum recolendae memoriae Benedictus XIV. Praedecessor Noster per suam perpetuo valituram constitutionem, quae incipit »*Fructuosa militarium equestrium*« editam sub datum Romae apud s. Mariam majorem anno incarnationis Dominicae 1744 decimo Calendas Septembris pontificatus sui anno quinto precibus sibi pro parte clarae memoriae Caroli Emmanuelis, dum vixit, Sardiniae regis illustris ac Sabaudiae ducis et militiae sanctorum Mauritii et Lazari magni magistri oblatis obsecundans, inter caetera, ut ejusdem militiae incrementis et commodis consuleret, constituit, ut quoties laici ad formam constitutionis felicis recordationis s. Pii V. Praedecessoris itidem Nostri, quae incipit »*Sicut bonus agricola*« beneficia ecclesiastica simplicia de eorum jurepatronatus in praeceptorias seu commendas, capellas aut ecclesias dictae militiae per magnum illius magistrum erigi seu institui desiderassent, de eorum juribus eis ex fundatione et dotatione competentibus per publica documenta non autem per alia probationum genera coram Sedis apostolicae Nuncio apud Sabaudiae ducem et magnum dictae militiae magistrum pro tempore existentem commorante eoque absente coram pro tempore existente Archiepiscopo Taurinensi, quibus deficientibus, coram Episcopo viciniore docere et constare facere libere ac licite possint et valerent, reservata tamen praemissorum omnium ad formam memoratae constitutionis Pianae Sedis apostolicae confirma-

*) Vd. supra *p. 620. c.*

tione intra certum tempus obtinenda, prout in dictis Benedicti praedecessoris literis latius et uberius continetur.

§. 2. Cum itaque dilectus filius senator Petrus, Paulus, Aloisius Pulciano Casalensis seu alterius civitatis vel dioecesis, prout Nobis nuper exponi fecit, beneficium simplex nomine canonicatus nuncupatum sub invocatione s. Joseph et Antonii Patavini in memorata Casalensi dioecesi erectum, quod ex fundatione et erectione est de jurepatronatus laicorum ac nullum personale servitium requirit, in praeceptoriam seu commendam dictae militiae sanctorum Mauritii et Lazari per carissimum in Christo filium Nostrum Victorium Emmanuelem Sardiniae regem illustrem ac Sabaudiae ducem et magnum ejusdem militiae magistrum, adimpletis prius omnibus et singulis conditionibus in memorata constitutione Benedictina expressis, erigi obtinuerit, nunc vero, ut institutio vel erectio hujusmodi suum sortiatur effectum, illam per Nos confirmari summopere desiderat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur dictum Petrum, Paulum, Aloisium specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes etc., supplicationibus hujusmodi inclinati, dummodo adamussim per dictum exponentem adimpletae sint omnes et singulae conditiones in dicta constitutione Benedicti praedecessoris Nostri expressae et appositae, et praecipue si constare fecerit per puplica documenta non autem per alia probationum genera de suo jure ad dictum beneficium simplex ei ex fundatione et dotatione proveniente et competente coram quibus de jure et in praedicta constitutione designatis, memoratam simplicis beneficii canonicatus nuncupati sub invocatione ss. Joseph et Antonii Patavini in dicta Casalen. dioecesi erecti in praeceptoriam seu commendam militiae ss. Mauritii et Lazari institutionem factam auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Datum Romae apud s. Mariam majorem die 15. Dec. 1815.

(Bullar. rom. Contin. t. XIII. p. 436. Ed. Romae.)

d) Consensus Patroni.

Vd. infra c.

Sabinen.

Certum est, ad immutandum beneficiorum statum consensum patronorum requiri, ne iis invitis jurium suorum jacturam pati cogantur, *Gloss. in cap.: Nobis in rubr. in capell. de jurep., Lambertin. lib. 3. quaest. 6. art. 1. num. 204. fol. 1064.*

Ubi dissensus iste irrationabilis appareat et publicae utilitati impedimentum praestet ex ea ratione quod, ubi agitur de re justa et rationabili, in qua alterius consensus requiritur, tunc si iste dissentiat, dicitur irrationabiliter invitus, ejusque consensus suppletur per Superiorem, text *in cap.: Nullus 17. de jurep., Parnormit. in cap.: Cum in veteri num. 13. de elect., Card. de Luca de jurep. disc. 44. num. 3, Piton. de contr. patron. alleg. 55. num. 4.* In urgentia enim causae publicae licet recedere a regulis juris, ut ait *Paris. de resign. lib. 3. quaest. 18. num. 13. et 16.* Et eo minus dissensus attendi potest, tum quia negotium hujusmodi agitur coram ssmo Pontifice ejusque auctoritate explendum venit; Pontifex enim sive haec s. Congregatio de juris rigore non indiget patronorum consensu, cum in illo summa potestatis insideat, *Piton. loc. cit.*, tum etiam quia nullum irrogatur praejudicium juribus patronatus, quae integre reservata manere possunt penes eos qui ex fundatione eodem jure donantur, *Piton cit. loc. n. 2.*

Die 29. Jan. 1853.

e) Episcopi facultas.

Vd. *Beneficium* (adjici p. 358. n. 4; applicatio p. 370. n. 15.) Commutat. ultimae volunt.

Anagnina.

Jus non est Episcopo per novas leges qualitatem et naturam beneficiorum immutare non approbante Pontifice et illorum fundatore, *Can. inferior. dis. 20. cap. quod super his de Major. et Obed., Clementina ne Romani §. 1. de Elect., Formosin. de potest. capit. tract. 3. quaest. 4. num. 5., Rota coram Manzaned. decis. 723. num. 7., quinimmo* nullas esse praefatas ordinationes utpote contrarias juribus, quae in fundatione beneficii concessa et indulta fuerunt, *cap. Ex parte 42. de constit., Barbos. de Canon. et Dignit. cap. 41. n. 17.* et sacra Congregatio *in Juvenacen. 22. Augusti 1738.*

Die 7. Junii 1777.

Censura juris canonici interdicit tam patronis quam Episcopis beneficiorum seu capellaniarum qualitates a fundatoribus in testamento adjectas immutare multoque minus ea de perpetuis in manualia et ad nutum amovibilia variare.

Die 11. Januar. 1778.

Accidentalia mutare posse Episcopum tamquam Ordinarium in limine erectionis alicujus beneficii sentiunt *Ricci coll. 558. vers. secund. caus., Tondut. quaest. benef. resp. 68 a n. 6. ad seq., Monet. de commut. ultim. voluntat. cap. 5. n. 336.* et *Scarfant. ad Ceccoper. lucub. canon. lib. 1. tit. 14. n. 37. et 39.*

Spoletana.

Ordinario jure exploratum est, Episcopis jus non esse immutandi defunctorum voluntates ac onera imposita in fundationibus minuendi, ut habetur in constit. Innoc. XII. diei 23. Dec. 1697, quae incipit »*Nuper*«, confirmatoria decreti Urbani VIII., de quibus fuse disserit *Bened. XIX. de synodo dioeces. lib. 13. cap. ult.*; ac Tridentina Synodus tribuerat iisdem dumtaxat facultatem (*sess. 25. cap. 4.*), ut in synodo possent pro sua conscientia statuere in legatis piis tenuis redditus, quidquid magis ad Dei honorem et cultum et ecclesiarum utilitatem expedire viderint.

Die 11. Julii 1840.

Nullius Foropompilii.

Canonicis s. Basilicae Vaticanae ex ordinaria auctoritate, qua potiuntur, s. visitationem peragentibus non licuit fundationum leges immutare, *Piton. de controv. patron. alleg. 33. n. 37., Rot. decis. 224. n. 6. cor. Buratt.*, s. Congr. in *Casalen. 12. Decembris 1767. §.: Frustra.*

Die 14. Apr. 1832.

Brugnaten.

Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 26. de reform.* sancivit, ne beneficia saecularia, quae curam animarum ex primaeva eorum institutione retinent, deinde in simplex beneficium convertantur, quamvis Vicario perpetuo congrua portio assignetur.

Die 30. Jan. 1835.

f) In legatum pium missarum.

Commutatio beneficii ecclesiastici de jurepatronatus familiae Petrignani civitatis Castelli in pium legatum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilecti filii Petrignani Evangelisti civitatis vel dioecesis Castelli, quod, cum quaedam ecclesiastica capellania a bon. mem. archipresbytero Josepho Sensi fundata et sub invocatione sancti Joseph in plebania de Canoscia nuncupata memoratae dioecesis erecta cum onere celebrandi seu celebrari faciendi centum et quatuor missas juxta mentem fundatoris ad praesens pertineat ad patronatum laicalem passivum, uti asseritur, ejus familiae et ad activum seu jus nominandi presbyterorum saecularium congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Castelli praedictae, dictus exponens, qui transactis miserrimis temporibus multa mala in bonis fortunae pertulit, ut ad praesens suae numerosae familiae necessitatibus consulere valeat, praedictam capellaniam, quam in praesentiarum legitime, ut etiam asseritur, possidet ejus filius Antonius de ejusdem consensu ac presbyterorum saecularium congregationis praedictae, in perpetuum legatum pium per Nos converti et commutari vehementer desiderat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis sibi opportune providere et ut in praesentiarum indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes etc. hujusmodi supplicationibus inclinati, audito super praemissis venerabili fratre Episcopo Civitatis Castelli, ut supradicta capellania, quam actu possidet memoratus Antonius filius Petrignani Evangelisti praedicti, dummodo idem possessor pro tempore ad id expresse consentiat ac juri acquisito coram Episcopo praedicto renuntiet, necnon si superior pro tempore nomine congregationis oratorii s. Philippi Nerii praedicti servatis servandis coram Ordinario memorato patronatum activum seu jus nominandi a fundatore concessum libere ac expresse pariter dimiserit cum facultate exigendi quotannis favore congregationis praedictae

pro lata cessione libras duas cerae elaboratae titulo canonis et in agnitionem antiqui juris, deinceps tamquam legatum pium tam ab ipso Patrignano quoad vixerit quam ab aliis, qui vi patronatus, cujus jura in primaeva illius fundatione disposita relinqui volumus salva et illaesa, ad illum successerint, eorum vita clurante, haberi, retineri et administrari ejusdemque capellaniae fructus, redditus et proventus exigi, percipi atque in suos usus et utilitatem converti libere et licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ac eamdem capellaniam in pium legatum perpetuum convertimus et commutamus, ea tamen sub lege, ut ab ipso Petrignano praeter generalem hypothecam omnium bonorum ad dictam capellaniam spectantium semper in suo robore permansuram expresse designetur fundus liber cum approbatione Ordinarii praedicti, cujus annui redditus judicio peritorum sufficere plenarie possint pro omnium et singulorum onerum satisfactione juxta legem fundationis, de quorum adimplemento quotannis in curia ejusdem Ordinarii documenta exhibere teneatur dictusque fundus sub speciali hypotheca dicti pii legati perpetuis futuris temporibus duratura assignari debeat.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 23. Januarii 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIII., p. 444. Ed. Romae.)

Bina beneficia et tres capellaniae de jurepatronatu familiae Gerardini terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis ad simplicia legata pia reducuntur.

Venerabili fratri Archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Gerardini de terra sancti Elpidii Firmanae dioecesis, quod sua familia, quemadmodum asserit, juspatronatum possidet activum simul atque passivum super duobus beneficiis ecclesiasticis, quorum alterum sub invocatione s. Mariae in Platea in ecclesia s. Francisci fratrum minorum conventualium, alterum sub titulo sanctorum Joannis Baptistae et Joannis Evangelistae in collegiata ecclesia dictae terrae erectum existit, juspatronatum autem tantum passivum trium capellaniarum, quae in ecclesia s. Catharinae Funariorum de urbe extant institutae, activum enim capellaniarum hujusmodi patronatum penes ejusdem terrae communitatem residet, ita tamen, ut communitas tempore vacationis praeferre debeat aliquem semper ex enunciata familia, qui ad eas nominari ac praesentari expostulat. Porro etsi familia Gerardini una ex antiquioribus et clarioribus sit, quas dicta terra complectitur, ejus tamen subsistentia super dictorum beneficiorum et capellaniarum redditibus maxima ex parte innititur ob tenuitatem patrimonii, ex quo multo sane minus quam quod ejus exigit decus quotannis retrahitur, quapropter exponens, qui solus de memorata familia in praesentiarum mares filios habet, tum ut levius numerosae prolis onera ferre tum si liberos suos ab omni occasione clericalem statum invite forsan suscipiendi possit avertere, beneficia et capellanias praedictas ac simplicia legata pia reduci eaque per ipsum ac ipsius descendentes masculos administrari vehementer desiderat, eo vel magis, quod expeditum ad id consensum tam ab iis, qui memorata beneficia et capellanias actualiter obtinent, quam a dicta communitate est assecutus, Nobisque propterea humiliter supplicavit fecit, ut in praemissis opportune providere ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis etc., ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutam fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eidem exponenti ejusque descendentibus masculis, ut duo beneficia et tres capellanias superius recensitas tamquam pura et simplicia legata pia, quae sic in posterum illa et illas haberi debere auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium decernes, in administrationem suscipere ac retinere eorumque ac earum fructus, redditus et proventus quoscumque percipere et exigere suosque in usus et utilitatem convertere libere ac licite possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis pro tui arbitrio et conscientia concedas atque indulgeas.

§. 3. Ea tamen sub lege, quod dictae communitati jus nominandi sejunctim ad totas tres capellanias praememoratas illaesum remaneat et omnia et singula onera, quae eisdem beneficiis imposita sunt, ac illud potissimum quod dicitur cathedratici, firma subsistant; et de adimplemento onerum hujusmodi per exponentem et descendentes ipsius masculos quotannis cancellariae tuae exhiberi omnino sub poenis a te praefigendis documenta legitima debeant; quodque si et quando lineam masculinam in familia Gerardini praedicta deficere ac extingui contingat, tunc beneficia et capellania hujusmodi cessent eo ipso esse ac haberi legata pia et primaevae suae institutionis naturam absque ulla alia declaratione illico in omnibus et per omnia induant denuo atque recipiunt.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 25. Januarii 1803.

(Bull. r. Contin. t. XI. pag. 458. Ed. Romae.)

Beneficium sub titulo sancti Michaelis Archangeli erectum in ecclesia metropolitana Firmana de jurepatronatu familiae Sinigardi commutatur in pium legatum.

Venerabili fratri Archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Butta Sinigardi patritius, ut asserit, istius Firmanae civitatis, quod, cum per spontaneam ultimi possessoris dimissionem vacaverit et vacet adhuc unum simplex ecclesiasticum beneficium sub titulo sancti Michaelis Archangeli prius erectum ac successive ad istam metropolitanam ecclesiam translatum, nonnullam personalem residentiam requirens, ut pariter asserit, tot tantisque cum sua familia prematur indigentiis, ut nulla alia ratione sublevari possit, nisi ut ipsi ejusque descendentibus per Nos et hanc apostolicam Sedem concedatur dicti beneficii administratio, etiam in statu saeculari, ideoque ipsum beneficium ad simplex legatum pium reduci posse plurimum desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes etc. hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, ac diligenter perpensis circumstantiis universis, quae fuerint attendendae, super quo conscientiam tuam oneramus, ut beneficium ecclesiasticum hujusmodi sub titulo sancti Michaelis ut praefertur erectum in simplicem legatum pium durante ejusdem Vincentii lineis masculina et foeminina dumtaxat auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia convertas et immutes cum expressis hisce conditionibus.

§. 3. Prima, ut legatum hujusmodi pium Domino Vincentio ad sui vitam et successive a ab uno alio ex ejus descendentibus masculis in infinitum in administrationem pariter obtineri et retineri in quocumque statu, etiam conjugali, ac etiamsi in habitu saeculari incedant et castra sequantur, atque dicti legati pii fructus, redditus et proventus quoscumque percipi, exigi et levari ac in suos respective usus converti per administratorem pro tempore existentem libere et licite possint; soluta tamen annua praestatuta pensione dicti beneficii resignatorio aliisque pensionibus, si quae fuerunt rite impositae vel imposterum imponendae.

Secunda, deficiente masculina domini Vicentii linea hujusmodi legati administratio transeat pariter in infinitum et cum iisdem legibus.

Tertia, si inter masculos hujusmodi aliquis ecclesiasticae militiae adscriptus fuerit, hic caeteris paribus sit aliis praeferendus in administrationis ipsius assentione consequenda.

Quarta, onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa ipse pro tempore existens administrator adimpleri omnino faciat ac de hujusmodi adimplemento rationem Ordinario annuatim vel saltem tempore visitationis reddat dictique legati pii bona diligenter custodiat, quae semper inalienabilia ut bona ecclesiastica remaneant.

Quinta, utraque tandem domini Vicentii linea deficiente masculina et foeminina tunc legatum pium hujusmodi in pristinum benecium ecclesiasticum ipso facto rediisse censeatur per romanos Pontifices successores Nostros in mensibus apostolicis conferendum, in reliquis vero per Ordinarium.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem. Die 12. Septb. 1806.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 54. Ed. Romae.)

Commutatio ecclesiastici beneficii sub invocatione sancti Clementis erecti in ecclesia parochiali sancti Petri civitatis Anconae et de jurepatronatus familiae Leonori ejusdem civitatis in pium legatum missarum.

Venerabili fratri Episcopo Anconitano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Andreas et Livius fratres Fabretti ac Philippus et Joannes Baptista fratres Leonori Senogalliensis dioecesis, se alias ab hac s. Sede, prout asseritur, attentis peculiaribus necessitatibus utriusque familiae indultum retinendi in administrationem ad decennium beneficium quoddam simplex sub invocatione sancti Clementis in parochiali ecclesia sancti Petri istius Anconitanae civitatis vel dioecesis erectum et ad laicalem eorum patronatum, prout asseritur, pertinens illiusque fructus, adimpletis oneribus et persoluta annua pensione scutatorum quadraginta duorum super ejusdem beneficii fructibus reservata et vigore transactionis assignata a praedictis exponentibus et auctoritate Nostra apostolica confirmata, favore dilecti filii Aloysii Canonici Cadolini istius Anconitanae dioecesis, in eorum usus et utilitatem convertendi impetrasse, timentes praedicti exponentes, ne post elapsum decennium praedictum inter memoratas familias, quae pluribus abundaret individuis vulgo Colonnelli et unusquisque eorum alias numerat personas, quibus jura passivae nominationis spectare possent, denuo exardescant lites, quae plurimo essent eisdem detrimento: pro bono itaque pacis et pro stabili adjumento memoratarum familiarum beneficium praedictum in pium legatum per Nos converti summopere desiderant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione tua super praemissis Nobis transmissa, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut praevia assignatione et sejunctione tua bonorum dicti beneficii, quot sufficere possunt pro onerum satisfactione et manutentione capellae sub invocatione sancti Clementis erretae, quae una cum oneribus praedictis ecclesiae sancti Petri ubi capella existit perpetuo assignabis, ac firma remanente hypotheca super universis residuis bonis praedicti beneficii praestituta solutione pensionis scutatorum quadraginta duorum favore memorati Canonici Aloisii Cadolini ad formam transactionis, beneficium praedictum in pium legatum auctoritate Nostra apostolica convertas et alia bona, sejunctis arbitrio tuo sejungendis pro satisfactione praedictorum onerum aliisque conditionibus, ut supra expressis, libera declares.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 26. Maji 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 213. Ed. Romae.)

Commutatio beneficii de jurepatronatu familiae Totti dioecesis Asculanae in pium legatum missarum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Aemigdius Totti Asculanae dioecesis, beneficium quoddam simplex ad patronatum laicale ejusdem, uti asseritur, pertinens primis suae fundationis temporibus in Atriensi dioecesi erectum fuisse, dein, cum nonnullae illius regni leges publicatae fuerint, quarum vigore patroni laicorum beneficiorum vel ad saecularisationem bonorum ad illa spectantium vel ad eorum jacturam compellebantur, exponentem praedictum religionis zelo, quo fervet, impulsum, opportunis impetratis facultatibus bona praedicta in regno Neapolitano existentia vendidisse et non solum pecuniam ex illis provenientem in emptionem tot aliorum bonorum in territorio Asculano impendisse, verum etiam alia sua bona in augmentum dotis dicti beneficii, addita obligatione seu onere perpetuo unius missae in qualibet hebdomada, largiter dedisse ac proinde vi decreti curiae episcopalis Asculanae diei 20. Junii 1800 beneficium praedictum sub titulo sanctae Mariae Gratiarum in altari majori ecclesiae di Ceprano nuncupatae Asculanae civitatis vel dioecesis denuo fuisse erectum, cum reservatione perpertua sibi suisque haeredibus juris praesentandi rectorem. Cum autem diversis temporibus vigore, uti asseritur, apostolici indulti hujusmodi beneficii nominatione seu provisione suspensa usque ad mensem Augusti futuri anni 1820 illius fructus, redditus atque proventus, satisfactis oneribus, concessi fuerint dilecto filio Francisco praedicti exponentis nepoti, qui ad ecclesiasticum statum amplectendum nil prorsus incliuat, ne igitur beneficium praedictum voluntate et impendio dicti exponentis servatum non sine gravi damno suae familiae transeat ad extraneos, cum nemo ad praesens in illa idoneus, qui in titulum recipi valeat, reperiatur, dictus exponens Nobis humiliter supplicari fecit, ut aliter de eodem beneficio statuere ac uti infra indulgere dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati audito Ordinario Asculano, qui favorabilem relationem suam super praemissis Nobis transmisit, ut supradictum beneficium simplex statim ac indultum favore dicti Francisci, prout asseritur, concessum expiraverit, in posterum tamquam pium legatum, firma tamen remanente ejus inamovibilitate, tam ab ipso Aemigdio legitimo asserto patrono quam ab aliis, qui ei vi patronatus, cujus jura in sua fundatione disposita relinqui volumus salva et illaesa, ad illud successerint, eorum vita durante haberi, retineri et administrari ejusdemque beneficii fructus, redditus et proventus quicumque exigi, percipi atque in suos usus et utilitatem, supportatis omnibus et singulis oneribus eidem adnexis, converti libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus ac idem beneficium simplex in pium legatum perpetuum convertimus et commutamus, expressa tamen sub lege, ut praedictus Aemigdius titulo eleemosynae scutata centum favore conservatorii puellarum in dicta Asculana civitate nuper pietate et zelo moderni illius Episcopi erecti semel erogare teneatur utque dicti conservatorii administratores in emptionem fundi fructiferi dictam summam convertere debeant.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 20. Decembris 1819.

(*Ibidem p. 260.*)

Commutatio beneficii beatae Mariae virginis Pietatis de jurepatronatus familiae Hieronymorum Asculi in pium legatum missarum.

Venerabili fratri Episcopo Asculano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis est nomine familiae Hieronymorum ex Asculana civitate, eam jurepatronatus pollere in simplex, ut dicitur, beneficium, a beata virgine Pietatis nomen habens et in ista cathedrali ecclesia institutum. Praeterea ejusdem familiae nomine expositum est Nobis, bona ei beneficio addicta a rei agrariae peritis aestimari pretio scutorum trium ac sexaginta eosdemque putare ex illis bonis, detractis impensis, redire posse quotannis scuta tria et obulos duodeviginti, licet hoc tempore locata reperiantur contractu, cujus vi conductor scuta quatuor singulis annis solvit. Sed enim exigua spes est, expleto hujus locationis cursu eodem pretio posse locari. Ei autem beneficio onus impositum erat a fundatore Sacri faciendi vicibus per annum octodecim, quae deinde ad novem redactae sunt. Quumque videatur abjiciendum consilium nominandi rectorem beneficii, cujus adeo angusti sunt redditus, ut impensas non ferant, quae ferendae essent a rectore ad illius possessionem adipiscendam, suppliciter a Nobis petitum est, ut tam parvi redditus beneficio conditionem atque indolem perpetui pii legati, a familia Hieronymorum implendi, apostolica auctoritate donemus.

§. 2. Nos vero ex ea familia oratores peculiari prosequi beneficentia volentes acceptoque tuo testimonio, ex quo Nobis innotuit, res ita se habere, prout Nobis expositum, eas partes tibi committimus et demandamus, erectum in tua cathedrali ecclesia beneficium sub beatae virginis Pietatis titulo auctoritate Nostra apostolica suppressum esse declares illudque in perpetuum pium legatum migrare. Hinc iis, qui sunt quique erunt in posterum e Hieronymorum familia,

jus erit bonorum, quae praedictum ad beneficium spectabant, fructus, proventus, redditus quoscumque percipiendi, in suamque utilitatem ac commodum libere liciteque vertendi, ea tamen lege, ut onera suppresso beneficio inhaerentia expleri diligenter curent et expleta esse in tua curia quotannis doceant.

§. 3. Volumus autem suppressi beneficii bona nunquam propria familiae Hieronymorum fieri, sed ad pium legatum pertinentia haberi; tibique venerabilis frater curae esse, ut in actis ecclesiasticis curiae tuae describantur, utque tum ex illis tum ex actis civilibus hypothecarum constet de onere pii legati cui sunt obnoxia.

§. 4. Haec concedimus atque mandamus, non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 22. Februarii 1822.

(Ibid. p. 482.)

Conversio in pium legatum missarum bonorum spectantium ad quatuor simplicia beneficia de jurepatronatus familiae Mattei dioccesis Marsorum.

Venerabili fratri Episcopo Marsorum.

Leo PP. XII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Expositum Nobis est a dilecto filio nobili viro Aurelio Mattei istius Marsorum dioecesis, ad patronatum suae familiae pertinere beneficia quatuor simplicia variis effecta oneribus; quorum primum a divo Bartholomeo nuncupatur et in Avezzanensi ecclesia erectum est; secundum, ibidem erectum, a sancto Michaele Archangelo nomen obtinet; tertium, ibi quoque institutum, a beata Virgine a coelesti nuncio salutata nomen accipit; quartum denique institutum est in ecclesia Albensi et a Nativitate divoque Paulo nomen nanciscitur. Exposuit insuper idem orator, e sua familia clericos saepenumero eorum beneficiorum rectores esse nominatos atque idcirco trium priorum beneficiorum bona coaluisse quodammodo cum patrimonio familiae; hinc vero factum esse (perperam sane ac flagitiose) ut, minime quaesito hujus apostolicae Sedis indulto, a patronis permutata fuerint aliis cum bonis, aut etiam alienata et emphyteuticis contractibus subdita, ita ut saepe canonicas in censuras inciderint et errati veniam atque absolutionem ab hac Sede petierint. Quum igitur ob tantam ac tam diuturnam rerum perturbationem arduum sit bona nosse ac liberare, quae in Avezzanensium trium beneficiorum fundatione illis sunt attributa (nam bonorum beneficii Albensis nulla cum patrimonio familiae est facta permixtio eaque integra atque inviolata se habent), quum insuper patronorum familia, adversis attrita casibus, aliquo e fructibus eorum beneficiorum praesidio indigeat, a felicis recordationis Pio VII. Praedecessore Nostro, de consilio congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, obtinuit orator per rescriptum edictum die nona Julii anno millesimo octingentesimo decimo nono indulgeri sibi ad decennium administrationem bonorum atque redditnum, quae ad illa beneficia pertineant »satisfactis (ut habet rescriptum) omnibus et singulis oneribus iisdem infixis et omnia interdicta quacumque alienatione eorum bonorum.« Nuper autem orator suppliciter a Nobis petiit ut, non ad tempus praescripta, sed stabili ac suae familiae proficua ratione negotium hujusmodi componere non gravemur.

§. 2. Nos vero oratorem peculiari prosequi beneficio volentes, accepto testimonio istius episcopalis curiae, ex quo Nobis ea innotuerunt, quae de hujusmodi rebus Nos rescire oportebat, tibi, venerabilis frater Episcope, eas partes imponimus atque mandamus, ut, siquidem orator exhibebit fundum vel fundos omnino liberos ac tutos eosque subjicere paratus sit oneribus omnibus trium beneficiorum Avezzanensium ac siquidem exhibiti fundi vel fundus pares tibi videbuntur cunctis eorum beneficiorum oneribus sustinendis, tria illa beneficia auctoritate Nostra apostolica decernas in naturam ac conditionem migrasse pii legati perpetui, singulis annis explendi ab oratore et ejus haeredibus, qui quidem fundum vel fundos a te acceptos tibique probatos et in quos onera trium beneficiorum translata esse declarabis, perpetuo administrabunt. Caeterum, ubi haec fuerint expleta, auctoritate eadem Nostra decernes

bona trium beneficiorum Avezzanensium, quaecumque supersint, propria esse ac libera oratori et ejus haeredibus. De beneficio autem Albensi ejusque bonis cavebis, ut naturam ac conditionem perpetuo retineant, quam fundationis lege acceperunt.

§. 3. Haec concedimus atque mandamus non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam majorem die 9. Januarii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 17. Ed. Romae.)

Conversio in pium legatum missarum capellaniae sub titulo sancti Jacobi Majoris de jurepatronatu familiae comitum Pocci Tuscanensis.

Venerabili fratri Episcopo Viterbiensi et Tuscanensi.

Gregorius PP. XVI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponendum Nobis curavit dilectus filius Caesar ex comitibus Pocci Tuscanensis ad patronatum familiae suae capellaniam pertinere, quae a s. Jacobo Majore apostolo titulum adepta in templo cathedrali Tuscanensi eidem sancto apostolo sacro est instituta. Addit praeterea fundos ejusdem capellaniae minime meliores effectos fuisse, cum illa donati fuerint, qui ad familiam Pocci nequaquam pertinerent. Cum autem in praesentia eadem capellania clericus Mariottus germanus oratoris frater potiatur, aliqua ex parte capellaniae bona reficienda curavit. Verum, ut eadem bona omnino instaurentur, non mediocris pecuniae vis requiritur, atque orator magnam hujusmodi impensam agere timet, propterea, quod idem germanus frater imbecilla utitur valetudine, cum vero eadem familia Pocci temporum vicissitudine in rerum copia atque abundantia nunc minime versetur, suis esset in votis, hujusmodi capellaniam in pium legatum reduci, cum potissimum ex institutionis lege capellanum ad nutum amoveri possit, quo facilius ipsius capellaniae bona instaurentur atque reficiantur et familia Pocci impletis primum omnibus oneribus reliquos fructus, redditus atque proventus percipere valeat. Quamobrem orator supplici cum prece ad Nos confugit atque summopere exoravit, hanc ut veniam ex Nostra indulgentia tribuere velimus.

§. 2. Nos igitur oratorem aliosque omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes gravique tuae episcopalis curiae accepto testimonio, ex quo res ita se habere cognovimus, prout expositae, tibi, venerabilis frater, eas partes imponimus atque mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica capellaniam, de qua sermo est, donec tamen virile genus seu linea masculina eadem in familia Pocci extiterit, in pium legatum redigas. Id tamen ea lege concessum volumus, ut primum bona omnia et singula, quae ad capellaniam pertinent, eorumque fines vel diligentissime demonstrentur ac propterea accurata eorum linearis descriptio juramento etiam firmata penes istam episcopalem curiam exhibeatur atque ejusdem curiae actis inseratur. Quae quidem bonorum descriptio atque aestimatio juramenti robore munita unoquoque redeunte sexennio sub poena caducitatis erit omnino peragenda. Mandamus etiam onera omnia capellaniae inhaerentia diligenter impleri eaque impleta esse penes istam episcopalem curiam quotannis probari.

§. 3. Haec concedimus atque indulgemus non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 21. Maji 1833.

(Bull. r. Cont. t. XIX. p. 231. Ed. Romae.)

g) In mansionarias.

Placentina.

Ut, quae infelicissimis ecclesiae temporibus anno 1812 in castro Arquati Placentinae dioecesis immutata fuerunt quoad curam animarum et illius Collegiatae capitulum, iterum ad canonicas regulas et antiquum ordinem splendoremque revocarentur, concordia communi partium placito inita est, cujus approbatio petitur a sacra Congregatione. Quid

actum tunc fuerit, quid nunc agendum proponatur, habent EE. Patres ex elucubratissimo voto Emmi ac Rmmi Pacca, quod ad literam refero.

In oppido castri Arquati Placentinae dioecesis adest pervetusta atque insignis ecclesia Deo ac beatissimae Virgini Mariae in coelum assumptae dicata. Haec sane ante saeculum XV. in collegiatam ecclesiam jam erecta anno 1440 Archipresbytero, quatuor Canonicis totidemque beneficiatis constabat. Frater Alexius ordinis s. Francisci, uti vocant, de observantia, qui tum temporis Placentinam cathedram maxima cum laude regebat, animo cogitavit abusus omnes, qui in praefata ecclesia irrepserant cum circa missarum celebrationem tum multo magis circa paroeciae administrationem prorsus extirpare, ut divino cultui atque animarum saluti consuleretur. Convocatis itaque a vigilantissimo Episcopo *capitulariter*, uti ajunt, Archipresbytero, Canonicis ac beneficiatis plures leges pluresque conditiones unanimi omnium consensu statutae fuerunt, inter quas primas obtinet erectio quatuor, uti vocant, *mansionariarum*, quibus actualis paraeciae cura committeretur, habituali, quam dicunt, cura Archipresbytero atque Canonicis relicta.

Ut res tanti momenti, nulla interjecta mora, absolvi posset, quatuor beneficiatorum praebendae nemine prorsus discrepante, immo capitulo plenis suffragiis assentiente, in *mansionarias* illico commutatae fuerunt atque beneficiati inter mansionarios fuerunt adscripti ea lege, ut *ecclesiae* (verbis statutorum ecclesiae hac in re utor) *deservire, ecclesiastica Sacramenta ministrare et curam et regimen animarum habere tam circa confessiones, baptismum, Eucharistiam quam alias et sollicite atque attente vigilare et dicere et facere tenebantur.* Agnovit sane Episcopus hujus generis praebendas adeo tenues fructus quotannis reddere, ut mansionarii ea, qua par erat, dignitate commissa munia explere non possent. Quid tum? Annuente capitulo duabus aliis praebendis, quarum altera de Capitaneis nuncupatur, altera vero *capella di Casanna* vocabatur, mansionarios ditavit. Neque id satis. Ad praebendam vulgo *capella di Casanna* molendinum olim spectabat, quod in *Contrada* uti ajunt de *Vicolo* situm erat. Statutum itaque fuit, ut expensis *capituli et recuperari debeat si possit per dictos mansionarios sive per aliquem eorum, et si recuperabitur, sit et esse debeat eorundem mansionariorum,* uti legitur in ecclesiae statutis antea commemoratis.

Res ita se habuit quatuor ferme saeculorum spatio, ab anno nempe 1440. ad annum usque 1812. Praeteritis namque temporibus mansionarii et verbi Dei annunciatione et assidua Sacramentorum administratione et mira in proximos charitate et in componendis inter parochianos dissidiis dexteritate tantam diligentiam tantamque animi sedulitatem adhibuerunt, ut eorum nutibus ipsi pendebant illorumque monitis omnino obtemperabant. Ab hac autem agendi methodo ne latum quidem unguem discesserunt, qui mansionariorum munere extremis hisce temporibus fungebantur. Testes hac in re habemus omni exceptione majores, integrum nempe capitulum castri Arquati, sacerdotes, quos vocant praebendarios collegiatae ecclesiae servitio addictos, terrae gubernatorem, municipalis consilii praesidem, consiliarios municipales atque sodalitatum rectores, qui uno ore testantur, mansionarios parochialia munera absolvisse *colla massima soddisfazione di questo publico hanno adempito con soddisfazione del publico alle loro obligazioni con tutto lo zelo, premura ed assiduità.«*

In eamdem sententiam conveniunt cum exteri sacerdotes congregationis missionis, qui in praefato castro sese conferebant, ut sacris missionibus operam darent, tum etiam sacerdotes cleri saecularis, qui ad verbum divinum populo concionandum quadragesimali tempore terram castri Arquati petebant. Sed nondum finis: Quotquot adsunt finitimarum ecclesiarum rectores *s. Laurentii Bacedupi, Roccae pelzannae, Lasurasci, Gabbini, Plorenzelae, Lugnanoli ac Vigali Marchionis* ad sidera usque extollunt mansionariorum in parochialibus muneribus exequendis diligentiam, prudentiam ac sedulitatem *conformemente allo spirito della chiesa e con quella saviezza ed utilità spirituale di quella popolazione, che poteva desiderarsi, cosichè i vicarj, come pastori riconoscevano e dirigevano saggiamente le loro pecore, e queste conoscevano i loro pastori.*

Verum quis crederet! Reverendissimus Fallot de Beaumont, qui anno 1812 Placentinae cathedrae praeerat, leges omnes omniaque ecclesiae collegiatae castri Arquati quatuor fere saeculorum observantia reborata proprio lubitu proprioque arbitratu penitus evertit ac profligavit. Hoc itaque anno, quo summus catholicae ecclesiae pastor a sua Sede jam depulsus summo bonorum omnium luctu carceribus detinebatur atque Canonicis vetitum prorsus erat absque vitae vel saltem Collegiatae discrimine capituli jura tueri atque defendere, praefatus Episcopus duo tulit decreta, alterum die 7. Aprilis, alterum vero die 11. Junii, vi quorum mansionarios primo suppressit atque abolevit, qui tanto animarum profectu paraeciam, uti antea diximus, administrabant: deinde vero capitulum cura, quam vocant, habituali privavit, quam statuta anno 1440. exarata eidem addixerant atque res judicata a bo. me. Pisani Episcopo Placentino lata confirmaverat. *Novum quoque parochialem, ut verbis decretorum hac in re utar, titulum perpetuum ac collativum suppresso quovis alio titulo* in collegiata ecclesia erexit, cui non solum redditus omnes mansionariarum jam suppressarum addixit, verum etiam annuos fructus archipresbyteralis praebendae, quae unica est collegiatae ecclesiae dignitas, adscripsit ea tamen lege, ut quousque Dominicus Crovi, qui tum temporis archipresbyterali dignitate potiebatur, vitam in terris ageret, annuos redditus perciperet ac jura praefatae dignitati competentia exerceret: hoc autem e vivis erepto novo parochiali titulo unita illico censeretur. Haec autem omnia a reverendissimo Episcopo patrata fuerunt nullo hac super re patronorum consensu adhibito, nullo capituli assensu requisito, nulla denique venia a s. Sede impetrata.

Ne autem mansionariis suppressis populus castri Arquati Sacramentorum administratione privaretur, reverendissimus Episcopus eodem decreto diei 7. Aprilis paroeciae oeconomum atque administratorem constituit Antonium Mariam Potesta, qui in eadem collegiata ecclesia canonicalem praebendam, quam vocant de *Petra*, obtinebat, iis adjectis conditionibus, ut praefatum canonicatum libere, ut statim exequutus fuit, dimitteret, quem eodem, uti ajunt, contextu Josepho Potesta ipsius ex fratre nepoti Episcopus contulit, cui etiam pensionis nomine libras mille monetae Parmensis ex annuis mansionariarum redditibus persolvendas addidit, *intuitu*, ut decreti verbis utar, *laudabilis servitutis per eum praestitae ratione mansionariae ab eo obtentae, quam sub hodierno die in manibus nostris sponte ac libere resignavit, et intuitu etiam tenuitatis redditum ejusdem canonicalis praebendae* (*de Petra*). Deinde vero oeconomum Potesta, qui ob liberam canonicatus resignationem ex albo Canonicorum ecclesiae collegiatae castri Arquati ipso jure expunctus extiterat, praefatus Episcopus proprio marte Canonicum honorarium ejusdem collegiatae ecclesiae elegit ac nominavit *cum assignatione* (sunt verba praedicti decreti) *stalli in choro et facultate induendi insignia, prout caeteri ecclesiae Canonici, et cum aliis praerogativis Canonicis hujusmodi de jure et praxi competentibus.* Neque id satis: posteriori decreto diei 18. Junii Episcopus mandavit, ut oeconomus Potesta cum in choro tum etiam in capitulo primum locum post archipresbyteralem dignitatem occuparet atque Archipresbytero Croci absente istius vices obiret, hoc autem ad superos evolato in suppressae dignitatis stallum migraret in maximam caeterorum Canonicorum perniciem atque in evidentem sacrorum canonum contemptum.

Sed majora supersunt. Eodem decreto, quo Antonius Potesta parochialis ecclesiae oeconomus renunciatus fuit futurus quoque ejusdem ecclesiae parochus fuit nominatus atque institutus nullo convocato concursu nulloque praehabito examine. Qua de re quisque in juris prudentia canonica quoquemodo versatus intelliget, hujus generis decreta nullitatem undique praeseferre. Agnoverunt sane Archipresbyter Croci atque reliqui Canonici collegiatae ecclesiae castri Arquati decreta hujusmodi minimi habenda esse. Verum calamitosissimae temporum vicissitudines silentium capitulo indixerunt, *giacchè le circostanze di allora non permettevano di far sentire il menomo, benchè giusto reclamo senza manifesto pericolo dell' esistenza capitulare*, uti praesefert resolutio capitularis diei 3. Maji 1814. Vix autem Deo opitulante antiquus rerum ordo redintegratus fuit, Canonici *capitulariter*, uti ajunt, convocati duos e gremio elegerunt, ut Placentiam Parmamque etiam, si opus esset, peterent atque supremo Pontifici ab exilio omnium populorum plausu atque laetitia remeanti capituli nomine preces offerrent, ut decreta a reverendissimo Fallot de Beaumont lata revocaret; supremum ecclesiae caput rem examini hujusce sacrae Congregationis ablegavit, quae die 2. Julii anni 1814 (Episcopo a Placentina sede absente) a Vicario generali informationem ac votum expetivit, auditis praesertim capitulo, patronis, Archi-

presbytero et novo parocho omnibusque praefixo termino ad deducenda jura sua in sacra Congregatione.

Porro enim Vicarius generalis vir ceteroquin scientia ac virtute praeditus, vel ut morem gereret Episcopo, cujus vices in Placentina ecclesia obibat, vel potius ad rem si fieri posset amice componendam, integro anno informationis ac voti transmissionem distulit. Interea temporis salus Dominici Crovi, qui munere archipresbyteralis dignitatis in ecclesia collegiata castri Arquati fungebatur, in discrimen vocabatur, Canonici itaque hanc s. Congregationem adierunt, *che in caso di vacanza di detta dignità si venga provisoriamente all' elezione di un economo,* quousque s. Congregatio hac super re judicium ferret. Die itaque 26. Novembris praefati anni 1814. a s. Congregatione responsum fuit: *Scribatur Episcopo, ut in casu vacationis praebendae suspendatur unio.* Mense deinde Januarii anni sequentis 1815 Antonius Maria Potesta ac Josephus istius ex fratre nepos supplicem libellum s. Congregationi obtulerunt, ut *qualumque sieno le future disposizioni alle istanze fatte dal capitolo, sia proveduto alla sussistenza insieme e decoro dei supplicanti.*

Huic autem instantiae sacra Congregatio, ut par erat, rescripsit: *Habebitur ratio in adventu informationis Episcopi et uniatur.*

Tandem aliquandò concordia inter partes inita die 11. Julii anni 1816 in causa fuit, ut Vicarius generalis suam informationem ac votum s. Congregationi transmitteret.

Primo quidem curas omnes intendit in defendendo, ut par erat, Episcopo, vel quia *divisio curae inter quatuor vicarios frequentibus collisionibus subjacebat vel quia aderat occulta alia multoque gravior consideratio in decretis non exprimenda, suppressionis nempe, quae tunc proxima habebatur, totius capituli, intereratque, ut saltem redditus quatuor vicariatuum sub uno collecti titulo Parochiali atque Archipresbyterali* praeservarentur vel denique quia Canonici *plenum consensum episcopali providentiae cum gratulatione praestiterant.*

Deinde vero de concordia, quam informationi adjungit, haec habet: Verumtamen nulli jam querelae est locus, dum res in integrum restitui ac in melius etiam reformari posse visum est, placitis conditionibus, quas puto ut multum aequas, habituali parochiali capitulo non adversas, actuali penes Canonicos Vicarios admodum decoras, honoris ac dignitatis archipresbyteralis sollicitas, servitio chori bene cooptatas, omnibus oneribus faciendis maxime providas, singulis demum hodiernis actoribus convenientissimas ac ab ipsomet reverendissimo Episcopo suis literis ad me scriptis laudatas. Finem informationi imponit: *Ut apostolico beneplacito obfirmari sapientissimo voto vestro impetretis humiliter exoro.*

Decem capitibus concordia de qua agitur constat.

Primo quidem Antonius Potestà suum praestat assensum *per la rinunzia del titolo parocchiale e dei beni provenienti dalle quattro mensonarie soppresse, che ne formano a tenore del decreto dei 27. Aprile 1812. la dotazione, ea lege,* uti capite 2. additur, *che lo stesso sig. Potestà sia provveduto dell' arcipretura e del beneficio semplice della vicaria vacante per morte del fu Arciprete Domenico Croci, e ritenuta insieme la canonica unione da farsi dello stesso beneficio all' arcipretura. Tertio . . . capitulo, come fu sempre in addietro,* relicta, actualis curae exercitium, vice quatuor mansionariorum, — *che l'esercitavano avanti il decreto,* — quatuor Canonicis committatur. Sequentibus deinde capitibus 4. 5. 6. sermo habetur de dotatione canonicatuum ad Vicarios spectantium, alter namque a bonis ac redditibus mansionariae *s. Francisci,* alter vero a praebenda quam vocant de *Cantarellis* ad mansionarios etiam pertinente erigi debent. Cum autem praebenda hujusmodi juripatronatui familiae Pezzi subsit, ab actuali patrono opportunus praestatur consensus.

Ad absolvendum canonicatuum vicarialium uti ajunt numerum Canonici Petrus Rocca et Joannes Palotta, quorum alter praebendam canonicalem s. Marci obtinet, alter vero *s. Catharinae sufficientemente dotate,* suum assensum praebent ut in numero canonicatuum vicarialium recenseantur, ea lege, *che l'una e l'altra conserveranno rispettiva prebenda ed assumeranno per se e loro successori in perpetuo l'obbligo di esercitare la cura di anime.*

Capite vero septimo agitur de actuali curae exercitio absolvendo *per turno, e nello stesso modo, con cui veniva esercitata dai quattro mansionari.*

Octavum caput verba facit de eorumdem canonicatuum collatione — *secondo le regole del gius* canonico, e previo concorso — *salvi i dritti esercibili dai patroni, ed il jus quesito dai Canonici Rocca e Salotti, pei quali bastano l'esame ed approvazione alla cura delle anime.*

Reliqua duo concordiae capita circa consensum interesse habentium ac traditionem concordiae Vicario generali versantur. Cum autem Smmi Patres dignati fuerint concordiam hujusmodi meo examini subjicere, ut meum qualecumque votum hac super re ederem, censerem utique sequenti dubio rem totam absolvendam esse:

An concordia, de qua agitur, sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.?

Existimo itaque pro mea ingenii tenuitate respondendum esse *affirmative* ad primam partem et *negative* ad secundam, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

Concordia namque, quae lites abrumpit, antiquum rerum ordinem in pristinum restituit, utilitatem ecclesiae affert atque ab Episcopo maximis laudibus extollitur, est confirmanda, atqui concordia de qua agitur his omnibus dotibus refertur, ut affirmat Vicarius generalis in sua informatione ad s. Congregationem transmissa, ergo haec confirmanda erit. His accedit concordiam hujusmodi super lite incerta ac nondum absoluta versari, ac praeterea vi ejusdem hinc inde aliquid datur vel promittitur, aliquid retinetur ac remittitur; Antonius namque Potestà, qui vi decreti episcopalis, quod adhuc examini s. Congregationis subest, parochiali titulo insignitus fuerat ac mansionariarum redditibus locupletus utrasque capitulo cedit ac renunciat: econtra capitulum archipresbyteralem dignitatem parochiali titulo jam unitam eidem Potestà concedit. Jam vero transactiones atque concordiae super lite incerta exaratae, in quibus aliquid hinc inde datur vel remittitur, confirmari debent, ut post *text. in Leg. Tale pactum §. 1. ff. de pact. Leg. Si causa cognita Cod. de transact.* firmat s. Congregatio *in Ariminen. 21. Aprilis 1794. §.: Fidei commissaria.*

Sed singula concordiae capita percurramus. De primo et secundo nulla dubitatio oriri potest, quin confirmationem mereantur, uti paulo antea probavimus. In tertio vero concordiae capite, in quo antiquus rerum ordo redintegratur, nulla subest difficultas. Capitulo enim I. cura *habitualis* paraeciae adscribitur, quam statuta an. 1440. addixerant, quamque res judicata bo. me. Pisani Episcopi Placentini in contradictorio judicio confirmaverat. Jam vero neminem latet statuta re judicata roborata servanda esse. Deinde vero in pristinum Vicarii perpetui restituuntur, qui quatuor fere saeculorum spatio paraeciam maxime cum laude administrarunt. Non inficior loco mansionariorum Canonicos ad hoc munus assumi Haec autem personarum *novatio* in evidentem ecclesiae utilitatem cedit. Uti enim animadvertit Vicarius generalis in sua informatione actualis cura penes Canonicos Vicarios admodum decora dejudicari debet. *Mansionarii siquidem uti servitores capituli parvam ac nullam obtinebant, quam Vicarii parochiales, in populo reverentiam atque auctoritatem. Tenuitas quoque praebendarum in causa erat, ut saepius diuque vacarent mansionariae, cum vix novelli presbyteri eam appeterent.* Verum canonicalis dignitas maximo in honore habetur apud oppidanos Castri Arquati; qua de re Canonici Vicarii majori obsequio a populo afficiuntur, canonicales quoque vicariae, de quarum dotatione sermonem habent capita 4. 5. et 6. concordiae, sufficientibus redditibus adeo dicantur, ut Canonici ea qua par est dignitate commissa munia absolvere possent. Si ergo, uti observat Vicarius generalis, res non solum in integrum restitutae fuerunt, verum etiam in *melius* fuerunt reformatae, juris dispositio exigit, uti hujus generis concordia beneplacito apostolico roboretur.

Remanet, ut de capite septimo concordiae verba faciamus: reliqua enim 8. 9. 10. vel canonicis sanctionibus ita adhaerent vel rectae rationi adeo sese conformant, ut ad decernendam eorumdem confirmationem examine non indigeant. Capite itaque septimo statuitur: *Li quattro Canonici Vicarii eserciteranno la cura dell' anime della parochia di Castel Arquato per turno, e nello stesso modo, con cui veniva esercitata dagli antichi quattro mansionarii.* Prima quidem fronte caput hujusmodi Tridentini decretis refragari videtur. *A capite enim 4. sess. 21. de reform.* non obscure eruitur unicuique ecclesiae parochiali unum tantummodo rectorem prae-

ficiendum esse, quod si unus rector non possit sufficere Sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, tunc rectores tot sacerdotes ad hoc munus sibi adjungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum: rationem affert idem Tridentinum *cap. de ref. sess. 25,* quia animarum rectoribus oves suas praecepto divino cognoscere mandatum est; qua de re administratio curae parochialis per turnum, uti ajunt, efficit, ut Vicarii oves non agnoscant, oves vero Vicarios uti animarum pastores cognoscere nequeant, uti legitur in episcopali decreto diei 7. Aprilis 1812.

Porro enim difficultas vim suam obtineret, si longaeva quatuor saeculorum observantia non obsisteret. Ab anno 1440 ad diem usque 7. Aprilis anni 1812 mansionarii per turnum paraeciam administrarunt ea diligentia eaque animi sedulitate, ut eorum prudentiam, zelum atque in componendis parochianorum controversiis dexteritatem tam incolae quam exteri admirati fuerunt, ut in facti serie probavimus, quinimmo finitimarum ecclesiarum rectores testantur, mansionarios parochialia munia tanto animarum profecto tantaque utilitate executos fuisse, *cosicchè i Vicarii come pastori riconoscevano e diriggevano saggiamente le loro pecore, e queste conoscevano i loro pastori.* Si itaque tanto saeculorum intervallo cura actualis per turnum a mansionariis administrata nullum incommodum spirituali parochianorum saluti attulit, affirmandumne erit id evenire, cum paroecia a dignioribus Canonicis per turnum regetur? Administratio paroeciae castri Arquati per turnum, uti ajunt, initium habuit uti antea diximus anno 1440; qua de re saeculo et eo amplius publicationem Tridentini praecellit. Attamen rerum ordo anno 1440. a Fratre Alexio Episcopo Placentino firmatus nunquam immutatus fuit, sed ad haec fere usque tempora integre perseveravit, quamvis tria fere saecula a Tridentini publicatione effluxerint. Quis autem ignorat consuetudinem etiam contra leges fere trium saeculorum spatio tam maximi habendam esse, utpote quae, uti jura statuunt ac doctores affirmant, meliorem titulum de mundo praeseferunt?*)

His addamus oportet, uti Canonici in supplici libello exponunt, in finitimis dioecesibus di *Parma,* di *Bussetto* e di *s. Donino* curam actualem a Vicariis per turnum administrari. Jam vero si hic ordo immutatur in castro Arquati, et in praedictis dioecesibus novari deberet. Quot inde dissidia, lites, quaerimoniae in maximum ecclesiarum discrimen. Haec, mea sententia, tanti sunt, ut confirmationem concordiae optime conficiant. Si vero Emmi Patres in re tanti momenti existiment hodiernum Episcopum Placentinum hoc super negotio interrogare, qui cum civitate ipsa Placentinae ortum suum duxerit sinceram facti informationem praestare poterit, ultro assentior.

Dubium erit:

An concordia, de qua agitur, sit confirmanda vel infirmanda in casu?

S. C. resp.: Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem.

Die 30. Maji 1818.

*) Vd. *Consuetudo.*

h) Patroni facultas.

Vd. *Beneficium* (adjicere p. 362 n. 5); supra *b p. 617.*

Melevitana.

Nefas esse per patronos quidpiam ex beneficii statu adversus eundem immutari; *Conc. Trid. sess. 25. cap. 5. de reform., Gonzalez. ad reg. canc. 8. gloss. 9;* quamdiu enim extant, quos praedilexit fundator, non licet patronis alterum praesentare et fundationis legem infringere. *Rota coram Malvasia de Beneficiis dec. 21. num. 1.*

Die 3. Aug. 1833.

i) Simoniaca.

Vd. *Beneficium* (collatio simoniaca p. 443.)

k) Tempus.

Eugubina.

Ad immutandum statum beneficii lapsus annorum tantum 40 sufficiat, *cap.: Cum de benefic. 5. de praebend. in 6., Rot. in recens. dec. 465. num. 6. part. 4. tom. 2.*

Die 7. Aug. 1773.

Burgi.

Statum beneficii mutari aliquando per quadragenariam observantiam seu legitimam praescriptionem edixit Bonifacius VIII. (*cap. Cum de beneficio 5. de praebendis in 6, Vivian. de jurepatr. num. 2. lib. 6, Gagliard. de benef. cap. 3. num. 15, Piton. Alleg. 35. n. 16.*)

Die 22. Junii 1833.

64) Nominatio.

Vd. *Beneficium* (collatio p. 397; quibus personis p. 433. ll.) *Beneficiatus* (sacerdotio p. 236; p. 314.)

a) Confirmata favore unius ex pluribus competentibus.

(Qualitas ex fundatione requisita. Vd. p. 185.)

Maceraten.

Franciscus Biancani postremo, quo decessit, elogio, condito usque ab anno 1684, jussit »che dopo la sua morte e dopo la morte di Maddalena sua legittima consorte« latifundium in territorio Maceratensi situm bifarium a decempedatoribus divideretur et hisce duabus partibus efformarentur »*due beneficii col titolo di mansionarii nella chiesa di s. Salvatore coll' obligo di celebrare due messe la settimana per ciascheduno con applicare il sacrificio secondo la mente del testatore medesimo ec.*« Jus autem utrumque clericum beneficiatum eligendi perpetuo concessit *alla Congregazione degli artisti* »exequutoresque testamentarios elegit« *il prefetto della Congregazione degli Artisti pro tempore, ed a tutto il corpo della congregazione siano eletti altri due deputati a quest' effetto . . . acciò facciano elezione di persone atte a questo ministero ec.*« Praecepit insuper »*che l'elezione fatta dalli suddetti essecutori testamentarii sia valida, e nessuno vi possa mettere le mani, con farne la spedizione della bolla nella cancellaria episcopale;*« quibus tamen exequutoribus nonnullas adjecit regulas in electione peragenda servandas; quas inter »*che essendovi dei parenti prossimi tanto di esso testatore, quanto di Maddalena sua moglie, uomini abili a questi beneficii, debbano esser preferiti a tutti gli altri concorrenti . . . . e così anche dei discendenti de' suoi e di sua moglie, tanto di maschi, che di femine, provenienti dal primo e secondo grado di consanguinità usque in infinitum, debbano esser preferiti a tutti gli altri, etiam a quelli, che sapranno cantare.*« Expresse denique testator ipse declaravit »*in deficienza di questi (propinquorum scilicet testatoris aut uxoris suae) abbiano da eleggersi li figliuoli de' fratelli della medesima congregazione degli artisti; ma siano eletti quelli che saranno più atti per il buon servizio di Dio e della chiesa, e sempre siano anteposti quelli che sapranno cantare di canto fermo: e quando di questi vi fossero più concorrenti, debbano detti esecutori testamentarii consigliarsi con uomini eruditi e dotti nella professione della musica, e dar la voce al più meritevole ed idoneo, acciò il servizio di Dio riesca di maggior profitto ed edificazione dei fedeli christiani: ed in caso non vi fossero figliuoli dei fratelli della medesima Congregazione, possano e debbano li medesimi deputati eleggere chiunque da loro sarà giudicato idoneo.*«

Porro die 13. Aprilis 1843 vita functo Cyro Carnevalini unum ex memoratis beneficiis suo rectore vacavit; proptereaque praefectus ac duo deputati congregationis artificum in vacantis beneficii mansionarium nominarunt Cajetanum Carnevalini, defuncti rectoris nepotem e germano fratre ipsius testatoris, qui usque ab anno 1833 tonsuram susceperat assiduumque ex eo tempore ecclesiae servitium praebuerat necnon nominationis actu vigesimum aetatis suae annum attigerat.

Confestim in arenam prodiit Tarquinius Mattei quindecim annos natus ac inter clericos quindecim dies post obitum ultimi rectoris cooptatus, qui suam jactans originem a Magdalena Bianconi seu uxore testatoris adversus praefatam nominationem solemni emissa declaratione, quam dicunt »*Nihil transeat*« insurrexit. Et mox coram Vicario Maceratensi Carnevalinio vadimonium indixit »*per sentir dichiarare nulla e come non avvenuta la nomina, che il signor Gaetano Carnevalini ha riportata dalla congregazione degli artisti . . . e che il nominato beneficio spetta ed appartiene all' istante e perciò venga ordinata l'immissione al suo possesso, e l'istallamento al suo esercizio come di pratica.*« Sed reconventionali libello a Carnevalinio vadato *per sentire rigettare la contraria domanda, ed ordinare la lacerazione del Nihil transeat* in acri partium collucatione votis Carnevalini consona a Maceratensi curia lata est sententia. Provocavit Tarquinius ad hanc sacram justitiae Aram, ad quam exinde ab Antistite Maceratensi, de more rogato, controversiae acta mense Maji 1844. remissa sunt. Ex eo autem usque

tempore causa siluit quia de s. Ordinis competenti jurisdictione coram signatura gratiae a Carnevalinio excitata quaestio est. Sed tandem flagitavit ipse Carnevalinius Principem sacratissimum, quo sospite laetamur, ut hujusmodi controversiam dirimi juberet, et relatis a me precibus in audientia die 19. Julii anni superioris *SSmus, quatenus opus sit, remisit causam ad s. Congregationem, coram qua mandavit partes uti juribus suis.* Ac quieto Carnevalinio Pontificis oraculo assumptisque ab eo ejusque adversario defensoribus atque concinnata dubii formula in calcem relata, post varias compendinationes, nunc tandem EE. VV. causa definienda proponitur. Qui jura Cajetani strenue tuetur haec habet: primum ait satis superque esse, ad controversiam pro se dirimendam, testatoris verba recolere: »*Ordina e commanda che l'elezione fatta dalli suddetti esecutori testamentarii sia valida, e nessuno vi possa metter mano.*« Atque, instat ipse, exequutores testamentarii ad beneficium vacans legitimo ritu Cajetanum, singula prae se ferentem requisita, ad formam testamenti nominarunt; ergo cum jure meritoque elegisse dicendi sunt amplissimis, queis cumulantur a testatore, facultatibus utendo, ita ut nefas prorsus sit eorum factum in discrimen adducere. Eo vel magis quia oppositio sero nimis ex adverso fuit promota, quando scilicet clerici Carnevalini electio jam expleta et proclamata fuerat et quando nominationis actus episcopali cancellario traditus erat ad legitimam nominato institutionem comparandam. Est autem notissima juris regula qua docemur quovis in dubio pro validitate actus judicium esse ferendum; eamque semper amplectendam esse interpretationem, quae magis confert ad sustinendam nominationem, quando haec reapse sequuta jam fuerit absque contradictione competitoris, docet s. Rotae auditorium *in Faventina Nullitatis nominationis 31. Martii 1844 coram de Petro, et in confirmatoria diei 2. Julii 1843 coram eodem.*

Sed melior etiam fit clientis causa ubi argumenta intrinsecus expendantur. Et primo occurrit consanguinitatis ratio, etenim nullum dubium est, Cajetanum directe ex fratre ipsius testatoris descendere, plura e contra sunt, quae Tarquinii originem ex una sorore aut excludunt omnino aut saltem vitiosam reddunt, adeo ut sibi una cum affinitatis titulo jus etiam ad electionem corruere necesse sit. Et re sane vera debuisset Mattei suam descendentiam demonstrare ex eadem Anna nata Maceratae sorore Magdalenae Bianconi, dum contra ex baptismi fide colligitur patriam dictae Annae, a qua ipse prognatus, fuisse »*la Penne*«. In dubium pariter ejusdem natales revocari possunt; quique die 6. Decembris 1828 natus Tarquinius est, licet parentes nonnisi die 16. Octobris ejusdem anni sese legitimo matrimonio copulaverint. Nihil autem refert Tarquinium natalibus restitutum fuisse per subsequens matrimonium, quia in concursu ipsius cum legitimo sua natalibus restitutio haud illi utpote digniori praepedire valet beneficii praelativam assequutionem. *Rota in nullius seu Calagurit. Beneficii 29. Novembris 1751 coram Molin. in Barchinonen. Beneficii 20. Martii 1713 cor. Aldovrando.* Et quamvis etiam in themate de natalium legitimitate constaret, attamen melior haud fieret conditio Tarquinii, quippe affinis tantum is esset, non consanguineus, quemadmodum Cajetanus: et pervulgatum in jure est, eam semper accipiendam interpretationem, quae magis fovet praesumptam testatoris praedilectionem erga descendentes e proprio sanguine in concursu aliorum, qui cognationem tantum vel simplicem cum ipso affinitatem habere comperiuntur, ut post text. in leg. *Quando avus ff. de condit. et demonstr., Menoch. praesumpt. 88. lib. 4. num. 2. et s. Rota in decis. 362. num. 6. part. 5. tom. 1. aliique passim.*

Praeterea si patet testatorem naturae ordinem secutum fuisse, quando agnatos et affines in concursu extraneorum praedilexit, concludendum probe est illum ipsum naturae ordinem servari voluisse, quando agnatus et affinis de propria nominatione ad possessionem beneficii inter se disputarent.

Hinc si agnatos aut affines eo tantum casu sibi locum vindicare voluit testator, quo ipsius linea recta deficeret, jam liquet ex fratre progenitos in defectu librorum assimilari lineae propriae directae, ac proinde fratris lineam in defectu lineae rectae semper vocatam et praedilectam fuisse censendum est, ut prae ceteris habet *Piton. alleg. 100. num. 488.* maxime in themate, quo testator praedictas capellanias de propriis bonis erexit; justitiae enim et aequitati congruat, ut ipsius testatoris consanguinei ad ea perfruenda praeferantur, *ex cap. 8. distinct. 71.*

Glossa in cap.: Neminem 1 dist. 70. in verbo sive possess. et Rota *in Nullius seu Sublacen. Canonicatus 25. Aprilis 1730. cor. de Alteriis §. 16.* Sed potissima decidendi ratio ad tuendam Cajetani nominationem ponenda in comparatione meritorum et qualitatum utriusque contendentis. Nam nil antiquius testatori fuit, quam ut ad beneficium nominarentur »*uomini abili*«; atque nullo habito respectu *alli parenti e congiunti di essi deputati*«, ii eligerentur »*che saranno più atti per il buon servizio di Dio e della chiesa.*« Atqui Cajetanum longe meritis ac qualitatibus alium vincere res plana est. Siquidem ille consanguineus, aetate major, Ecclesiae servitio laudabili atque assiduo, quemadmodum clericum optimae spei decet, jamdiu per tonsuram mancipatus, scientias philosophicas atque sacras modo colit; Tarquinius autem, ut origine suspectus et aetate minor una tantum patris voluntate unaque spe lucri clericalem tonsuram, vacato vix beneficio, suscepit.

Quin referat, testatorem suos consanguineos ad effectum praelationis peraequasse affinibus ex uxore provenientibus per dictiones illas *tanto quanto, e così anche*, nam clausulas hasce non semper copulam et necessitatem facere, quae exaequationem inter eligendos inducerent, sed aliquando accipiendas esse separatim *et alternative*, ita ut liberam in eligentibus importent eligendi facultatem, dummodo electio eos inter fiat, quibus praedicta testatoris oratio respondit, docet s. *Rota decis. 83. num. 4. part. 8. et decis. 588. num. 5. 8. part. 18. tom. 2. Recent.* Et neminem praeterit, in alternativis satis superque esse alterutrum eligi, ad hoc ut imposita conditio impleta dicatur, ex text. *in leg. 10. ff. de jure dot. in leg. 110. §. 3. ff. de reg. jur. et §. 11. Justit. de hered. instit.* Vel si exaequationem inducunt, ea coarctanda esset ad casum solummodo, quo agnati et affines cum extraneo concurrant, quum testator reticuerit omnino casum, quo ii concurrerent inter se, quod sane deprehenditur ex verbis *e così anche dei discendenti suoi e di sua moglie debbano esser preferiti ad ogni altro concorrente.* Non sunt igitur ea verba protendenda ad alios juris effectus a testatore non expressos atque idcirco implicite recusatos, *Peregrin. de fidei comm. art. 13. num. 64, Belloni de jure accresc. cap. 5. quaest. 26. num. 173, Rota decis. 38. num. 9. cor. Molin.* Ex testatoris autem silentio recte praesumitur, ipsum voluisse, ut agnati vincerent affines atque ex ordine naturae praelationem haberent. Modo juris dispositio exigit, ut testatoris voluntas non expressa ex ordine scripturae depromatur; qua de re apertissimus est textus in leg. *Cum pater §. A te peto ff. de legat. 2., cui consonat Mantica de conject. lib. 6. tit. 13. num. 11, Tondut. cap. 192. num. 5, Fusar. de substitut. quaest. 476. num. 80, Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 8. num. 20. necnon s. Rota in decis. 264. num. 4. cor. Crispo, et missis ceteris in Gerunden. Beneficii 1785.*

Nec ex eo, quod testator praeferri voluerit *i parenti prossimi tanto di esso testatore, quanto di Maddalena sua moglie*« recte inferri potest, attendendam esse gradus tantum proximitatem inter consanguineos et affines, adeo ut Tarquinius videatur Cajetanum proximitate gradus antecellere electoresque proinde, proximiori postposito, in testatoris mentem peccasse. Siquidem testatorem de proximis consanguineis in genere tantum loquutum fuisse ex ipso contextu patet; ideoque, cum eorum mentio generica pluraliter facta sit, certissimum est apud jurisconsultos, verbum *proximus* neque comparativum neque superlativum nomen significare, sed pro nomine positivo haberi. Generica siquidem mentio pluraliter facta *de proximis agnatis, de proximis cognatis, de proximis affinibus*, eos omnes in jure complectitur, qui de eo genere veniunt, haud sane illum, quem nemo antecedit, quia hoc in casu alia expressione opus esset, scilicet verbo *proximior*, ut videre est *in leg. 30. Cod. ad leg. Jul. de adult.*, in qua sub nomine proximis ii omnes comprehenduntur, qui arctissimo consanguinitatis vinculo conjunguntur, apposite *Tiraquel. de retractu §. 11. gloss. v. 1*, quem alii sequuntur. Quocirca nemo non videt, Cajetani nominationem non ex majori vel minori gradus proximitate, sed ex eo uno tantum prudenti patronorum arbitrio pendere, quum et ipse in eo genere comprehendatur, quod testator generica formula designavit. Ita communis DD. sententia ac prae *caeteris Piton. de controv. patron. allegat. 7. num. 8, Cardinal. de Luca de jurepatron. dis. 45. num. 3*, quibus consonat *s. Rota in Majoricen. Beneficii 1. Febr. 1709 cor. Falconer., in Civitatis Castelli Canonicatus 12. Martii 1714. §: Minusque cor. Scotto, necnon Garc. de benefic. part. 7. cap. 15. n. 18, Amostaz. de*

causis piis lib. 3. cap. 7. num. 37. aliique plurimi.

Nec demum supervacaneum esset animadvertere, non agi in themate de vocatione immediata ad beneficium a testatore procedente, quippe nullam praefinitam personam ex aliquo genere tantum eligendam innuit, sed ejus electionem in specie patrono reliquit; proinde, cum potius agatur de vacatione mediata, in arbitrio patroni esse consequitur quem velit ex genere vocato nominare, dummodo nominatus qualitates habeat a testatore desideratas, ut docent unanimiter *Piton. de controv. patron. alleg. 1. num. 5, Rota in Civitat. Castelli 12. Martii 1718. cor. Ansaldo et in cit. Faventina Nullit. nomin. 31. Martii 1843 cor. de Petro.*

Haec aliaque fusius legenda habent EE. VV. in Cajetani allegatione. Tarquinii autem procurator, licet monitus, nihil exhibuit; et nonnisi quam in propositionis causae perviglio vadimonium contradictori coram nobis indixit, instans pro dubii reformatione ac propositionis comperendinatione. Utramque petitionem, utpote serotinam, ac reluctante Tarquinii procuratore, dimisimus rescripto »*utatur jure suo in die propositionis causae.*« Erit itaque EE. VV. videre, quid de hisce sentiendum, tum enodare non renuent,. quod proponitur

Dubium:

An et cujus favore sit locus nominationi beneficii s. Joannis, ita ut sit locus immissionis et sint expediendae bullae in casu?

S. C. resp.: Affirmative favore Carnevalini.

Die 29. Jan. 1848.

Continuatio.

Illico sategit Carnevalinius ut per celerem functionum expensarumque solutionem contumaciae suae poenam lueret Mattejus juxta nuper latam ab hac s. Congregatione legem: qua de re obtinuit a nobis decretum quo taxabantur una simul functiones et expensae propositionis contumacialis scutatis triginta quinque supra centum. Quod ut innotuit Matteio, is reconventionali libello petiit *declarari non esse locum refectioni expensarum, sin minus moderari taxationem a nobis confectam;* suamque petitionem, partibus contradicentibus, ad hodierna comitia remisimus rescripto *per memoriale una cum merito.* Quare ut hanc etiam EE. PP. de expensis controversiam dirimant, principali dubio accessorium in calce subnectimus. Et ad principale quod attinet, damus synopsim allegationis quam summo studio elaboratam circumfert Mattei procurator.

Testator, ita argumentatur, haud instituit juspatronatus *lineale vel discretivum*, prout apertissime verbis testamenti evincitur: *che essendovi dei parenti prossimi tanto di esso testatore, quanto di Maddalena sua moglie debbano esser preferiti a tutti gli altri concorrenti . . . e così anche de' discendenti de' suoi, e di sua moglie. Dictiones siquidem tanto quanto parificationem suapte natura exaequationemque praeferunt teste Peregrino de fidei comm. art. 13. num. 64., Rota dec. 110. num. 1 et dec. 166. num. 6 par. 6 recent. necnon in Asculana Jurispatr. 9. Decembris 1839 cor. Emo Bosondi, in Forolivien. Cessionis 16. Maji 1834. § 4. cor. Muzzarelli.* Si itaque testator tam suos quam uxoris descendentes collective vocavit eosque inter se aequare visus est, prono velut alveo fluit utriusque generis descendentes concursu cum extraneis praelationem vindicare sibi posse proindeque et patronis jus esse quemlibet inter passive vocatos nominandi.

Insuper proximitatem testator requisivit adhibens dictionem *parenti prossimi;* quae quidem proximitas tum tantum vires suas exerat necessarium est, quum controversia inter *parenti prossimi discendenti de' suoi, e di sua moglie* oriatur. Et stare prorsus nequit quod ex adverso contendebatur, hujusmodi videlicet dictionem id tantum secumferre ut proximitatem constituat, quoties descendentes a fundatore praeferri extraneis placuisset.

Hac enim hypothesi superfluum prorsus testatori fuisset uti verbo *prossimi*, quum finem sibi praestitutum assequi utique quivisset per verba *parenti et discendenti.* Ceteroquin regula firmissima cum sit testamenta et contractus ita accipienda ut nulla pars nullumque verbum otiosum remaneat suove careat effectu, Rota in *Ferrarien. Testamenti 6. Maji 1816. § 13. cor. Serlupi, maxime quoties res est de causa pia, ut idem s. auditorium docet in decis. 168 § 3. coram Emo Pianetti*, sequitur ex prolatione verbi *prossimi* dubio procul testatorem praetulisse

proximum nominandum descendentem eo sane casu quo descendentes tam sui quam uxoris collective vocati simul concurrerent, patronosque eum eligendum obstringi qui in gradu proximo reperitur, nec nisi in casu quo plures adessent canditati eodem proximitatis gradu pollentes, liberam eligendi facultatem posse sibi vindicare.

Atqui manifestissimum in themate est Tarquinium tantummodo inter collective vocatos proximitatis tessera gaudere; ergo illius jus ad nominationem in dubium vocari non potest.

Quinimmo, cum ille passivam vocationem haberet, utpote proximus, haud quidem patronorum indigebat nominatione; vocatio enim pro nominatione habetur, prout in jure notissimum est, quum vocatus a testatore tamquam ab eodem praesentatus censeatur, ita ut instituatur oportet, quam patroni eum nominare aut praesentare reluctentur. *Piton. controv. patron. alleg. 52. num. 36. alleg. 68. num. 10.* et *s. Rota decis. 68. num. 2. par. 12. decis. 156. num. 213. recent. in Bononien. Jurispatronatus 20. Junii 1831. § 9. cor. Emo Corsi.* Verumtamen in casu praesentatio actu quoque intervenisse dicenda est ex oppositione facta a Tarquinio patronorum praesentationi, ut docet *Piton. controv. patron. alleg. 85. num. 2, cui consonat s. Rota decis. 97. n. 3. coram Pamphylio.* Nec rem mutare videtur quod jactitabat adversarius, videlicet, si testator praestituisset eum omnino nominandum esse quem nemo foret antecessurus, usus fuisset verbo *proximior*, perinde ac si sub verbo proximus haud veniat is quem nullus alius antecedit, sed qui de eodem genere est quique remotus non sit. Absurdum siquidem id esset, quum usu juris proximus reapse ille habeatur quem nemo antecedit, ut monet *Paulus in leg. 92. ff. de verb. et rer. signif. et leg. 2 § legitima haereditatis ff. de suis et legit. haered.; idemque penitus sonet ac proximior*, veluti docet *Baldus cons. 146. in fin. lib. 2, Barbosa de appell. verb. jur. appell. 229. num. 1. et Tiraquell. de retract. § 11 glos. 1. num. 1.*

Invocat hic regulam quoad fideicommissa obtinentem, quae et jurapatronatus moderatur, in eo sane positam, ut quum collective fit vocatio remotior nunquam cum proximiore seu proximo concurrat, sed iste quoad ceteros polleat praelatione, ut docet s. *Rota dec. 183. num. 4. et 5. par. 17. recent.*, quod eo vel magis servandum ait in themate ubi versamur in re favorabili scilicet beneficiaria, quae extensiva ac latissima interpretatione est donanda.

Quare, infert, doctores tenent, quod, quoties collective vocati fuerint descendentes, nulla inter vocatos admittatur praelatio, si eodem gradu sint; secus vero proximior semper excludit remotiorem, sive ex viri sive ex uxoris latere descendat, ceu affabre tradit *Garcia de benef. lib. 7. cap. 8. num. 24. aliique passim.*

Inficiatur post haec Carnevalinium agnationis titulo posse sibi praelationem quaerere. Ipse siquidem, inquit, haud sane est ex Francisci Bianconi agnatis, cum minime ex eo directe descendat, sed ex ejus fratre Dominico, cujus familia in gentem Carnevaliniam transibat, ex qua post multos gradus Cajetanus editus est, ut ex schemate genealogico videre facile erit. Sed dato etiam quod esset agnatus, nihil tamen proficeret: quippe in casum agnatitium dictitatur juspatronatus, quod verba fundatoris tale expresse non praeferunt, veluti tradit *Piton. de controv. patron. alleg. 1. num. 19, s. Rota in Aquipendien. Jurispatronatus 16. Januarii 1846. num. 2. coram de Petro:* et hoc etiam in casu pro cumulativa agnatorum aeque et cognatorum respondendum docet laudata *dec. coram de Petro.*

Atqui ex fundationis tabulis de agnationis voto nec vola nec verbum occurrit, quinimmo agnati cognatis evidentissime aequiparantur; corruit ergo omnino ex agnatione argumentum. Corruit pariter distinctio *mediatae et immediatae* vocationis, utpote a praesenti themate prorsus extranea; allegatus enim ex adverso Pitonius perpendit casum quo testatoris consanguinei fuerint vocati. Nec aliter dicendum de decisionibus *Civitatis Castelli Canonicatus 12. Martii 1714. coram Scotto, Montis Regalis Prioratus 24. Januarii 1718. coram Ansaldo et Faventina Nullitatis nominationis 31. Martii 1843. coram de Petro*, quae singulae penitus diversam speciem praeseferunt, ut fusius videre est in distributa adversarii allegatione. Supervacanea insuper evadit exceptio inhabilitatis ad capellaniam vacationis tempore, cum notissima sit regula, qua constitutum est, ad institutionem obtinendam satis esse, ut vocatus clericalem assecutus sit tonsuram

eo sane tempore, quo institutionem postulat, ceu ex jurisprudentia s. *Rotae in decis. 249. n. 8. par. 10. recent. et in Bononien. Juris-patron. 20. Junii 1831. § 15. coram Emo Corsi;* nisi quod Tarquinius jam in clericorum album fuerat cooptatus cum primum patronorum obstitit nominationi.

Futilis pariter dicenda exceptio ex natalium *illegimitate* deprompta: quoad *legitimitatem* siquidem, non conceptionis, sed partus tempus spectandum est ex lege *Nuper 11. § ult. cod. de natural. lib., Reiffst. lib. 4. decret. tit. 17. num. 17.* Atqui reapse Tarquinius post contractum matrimonium editus est, ergo legitimus omnino renunciandus, et quidem quoad omnes juris effectus. Jam vero illud hic opportune animadvertendum erit, quod legitimati etiam per subsequens matrimonium succedunt una cum aliis filiis in haereditatibus et familiarum juribus promoverique possunt ad ordines et dignitates ecclesiasticas, ut docet *Reiffenst. lib. 4. decretal. tit. 47. § 2. num. 42, Wan-Espen jus eccles. univ. part. 3. tit. 10. de irreg. cap. 3, Girald. Decret. par. 1. lib. 4. tit. 16. sect. 727, Rota decis. 365. num. 2. cor. Olivatio et decis. 639. num. 2. cor Riminaldo.*

Demum contrarium objectum circa descendentiam Tarquinii, quod scilicet Anna, ex qua ille descendit, soror minime fuerit Magdalenae uxoris Francisci Bianconi, explodit demonstrando ex genealogico schemate ipsum Tarquinium legitimo tramite a fundatoris uxore Magdalena reapse descendere. Et re sane vera juxta baptismatis fidem Magdalena die 23. Maji 1626 nata est ex Laurentio filio Josephi et Maria conjugibus; die 27. Februarii 1629. ex iisdem nata est Anna, ut etiam ex parochi eruitur testimonio: ergo Annam et Magdalenam fuisse sorores ex iisdem progenitae parentibus extra dubitationis aleam positum est, prout probat etiam notorietatis fides usque ab anno 1737. exhibita, qua patet Annam fuisse *sorella carnale della qui Maddalena, moglie del qui Francesco Bianconi.*

Carnevalinii defensor novam haud exhibet defensionem, sed per memoriale reassumptionis EE. VV. ad anteactam allegationem remittit, qua satis superque dixisse confidit ad victoriam tutandam. Unum tantum monet circa testamenti verba, quae in primo judicii periculo ex adverso immutari videbantur, ea scilicet dumtaxat tantum a testatore Bianconi adhibita fuisse, quemadmodum in suo summario leguntur. Sollicitum potius se praebet quoad expensas, pro quibus memoriale typis impressum distribuit. In eo siquidem magnopere adlaborat, ut demonstret taxationem tum *in genere* tum in *specie* locum in themate habere. In genere, quia nedum a communi jure proficiscitur onus rependendi expensas propositionis contumacialis, uti prae ceteris apparet *ex l. 13. cod. de judic. l. 3. cod. de fruct. et tit. expens.* aeque ac *Authent. qui semel cod. quomodo et quand. jud. sed etiam ex §§ 14. et 24. statuti a s. c. nuper editi.* Nec dubitare fas est de adversarii contumacia, cum ex § 15. laudati statuti contumax habeatur etiam is qui »*abbia domandato e non ottenuto la dilazione*« veluti revera contigit Matteio. In specie vero nec de excessu argui posset peracta taxatio, tum quia, cum nullum habili tempore de ea significatum fuerit gravamen, praesumptio juris est ipsam fuisse justitiae et aequitati consonam, tum etiam quia post acurratum computum prodiit liquidationis decretum, quo petitio pro scutatis 151. 96. admissa fuit pro scutatis tantum 35.

Quid ad haec reponat, qui jura Mattei tuetur, nescimus; nullam enim ejus habuimus ad praesentem diem hac super re allegationem.

En duo, quae hodie sunt dirimenda dubia:

I. An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

II. An et in qua summa sit locus refectioni expensarum in casu?

S. C. resp. ad I.: In decisis et amplius.

Ad II.: In casu de quo agitur non esse locum refectioni expensarum.

Die 29. Julii et 26. Aug. 1848.

Ariminen.

In Congregatione habita die 26. Augusti proximi elapsi anni propositum fuit dubium: *An constet de nullitate nominationis factae a Comite Joanne Ruffo favore R. D. Joannis Baptistae Cecchetti, ita ut sit sustinenda et servanda praesentatio facta a Luca Soard. favore R. D. Petri Ricci in casu etc.?*

At quum in diversa scissa fuerint EE. Patrum suffragia prorogatum fuit judicium per rescriptum: *Iterum proponatur.* Redit igitur hodierna die causa distributis allegationibus a Luca Spardi tantum, nam sacerdos Joannes Gaudenzi, qui paroeciam impetravit, folium tantum mihi tradidit, Ruffo vero et Cecchetti vadimonium deseruerunt. Facti speciem habent EE. VV. in folio dictae Congregationis, quod reassumere precor. Cognoscent ex illo conventionem a patronis factam parochi electionem sorti committere, renunciationem licere emissam a sacerdote Trampolesi primo praesentato, hortationem Vicarii capitularis, ne sorti res amplius committeretur; praeterea immediatum a sorte recessum quoad Soardi, tum postea praesentationem a Ruffo nomine proprio factam favore Cecchetti et a Soardo favore Ricci. Hinc in facto quoque habetur, quod Vicarius capitularis inter hos praesentatos concursum indixerit quodque sacerdos Gaudenzi paraeciam impetraverit. Animadvertere quoque praestat patronos intra quadrimestre clericos praesentasse immo et intra quadrimestre super validitate praesentationis ad ssmum Dominum Nostrum recursum habuisse.

Tota in eo est quaestio juxta praeconceptam dubii formulam, utrum nulla sit Cecchetti praesentatio a Comite Joanne peracta. Hoc probare videntur tum Soardi tum Gaudenzi, quia haec praesentatio causam habet a sorte cui patroni electionem commiserant. Et revera electiones fieri per sortes prohibent *textus in cap. fin. de sortilegiis, et in leg. Sacris Nostris 45. de Episcopis et clericis.**). Non desunt vero doctores plures, qui hanc prohibitionem extendunt etiam ad praesentationem a patronis faciendam. Ita *Farg. comm. ad singulos canones de jurepatronatus part. VI. in cap. XXV. num. 7, Zab. in dict. cap. fin. de sortilegiis sub num. 4*, ibi: *Intellige etiam in quocumque modo, per quem provenitur ad titulum beneficii, ad quem obtinendum cum requiratur canonica institutio, non est locus sorti.*

Hac enim conventione patroni caeco fato viri ad ecclesiasticum beneficium praesentandi delectum remittere videntur, unde sequitur enim, cui sors arriserit, non esse electum ex judicio patronorum, qui ex propria conscientia eligere debent habilem et idoneum ad beneficium ut ait *Ansaldus in adnot. ad 95. num. 28.* Praeterea nullimode admittendam praesentationem Cecchetti asserit Lucas Soardius, quia ille extradioecesanus est, ut nullum umquam sacrum ministerium in Ariminensi dioecesi exercuit, adeo ut nullum de eo testimonium dare potuerit Vicarius capitularis in sua informatione a Roardio exhibita, quod opponitur praescripto in celebri constit. Julii II. qūam *Sipontinam* vocant. In ea siquidem cavetur *ut omnia beneficia eccl. et abbatiae, personatus et dignitates quaecumque ecclesiasticae dictae civitatis et dioecesis* (Ariminensis) *dentur et conferantur solummodo clericis ipsius civitatis et comitatus idoneis.*

Addit insuper Soardi defensor non solum nullam esse praesentationem Cecchetti, verum etiam jure nominandi pro hac vice privari compatronum Joannem Ruffo affirmat; in dicto enim *cap.: Quia propter de Elect.* Innocentius III. haec verba habet »*qui vero contra praedictas formas eligere tentaverint eligendi ea vice potestate priventur*«; et ita jure accrescendi totum in Soardio coaluisse jus nominandi. Is enim a Vicario capitulari monitus sortem hanc a jure canonico vetitam esse, statim ab ista recessit et Ricci proprio tantum nomine praesentavit, cum e contra comes Ruffo in sua persistens sententia petit »*che abbia il suo pieno effetto la sudetta elezione in parocco del sacerdote Cecchetti.*« Igitur ille qui vetitam methodum contra praescriptas formas defendit privandus esse videtur juxta sancitum in dicta constitutione, privatos enim jure nominandi pro ille vice declaravit *s. Rot. in Majoric. Beneficii 15. Junii 1695. cor. Ans.*, quae confirmata fuit *29. Martii 1700. cor. Muto* tres consules, qui per sortem praesentandum elegerunt et admissa fuit praesentatio alterius consulis qui sortem non adprobavit, sed respuit.

Sacerdos Gaudentius vero in novo exhibito supplici libello patronos privandos esse contendit, qui sorti rem commiserunt imo et Trampolesi praesentarunt. Negat patronum Soardi a sorte recessisse, quia Riccum praesentavit, cujus nomen in urna positum fuit. Si igitur (ita argumentatur) Ricci nomen in urna erat, non recessit a sorte Soardi, quia praesentavit, quemadmodum fecit Ruffo, unum ex illis quos sorti commiserant. Praeterea nullam etiam esse Soardi praesentationem probare putat ex eo, quod Vicarius capitularis institutionem canonicam Ricci non de-

*) Vd. *p. 546. n. 44. c.*

derit sed negavit, quam certe ei dedisset si legitime fuisset praesentatus. Videant vero EE. PP. num revera extet in facto, Vicarium capitularem denegasse institutionem, vel potius praesentationes patronorum adprobasse, quum concursum inter praesentatos Cecchetti et Ricci indixerit, prout patet ex superius citata informatione.

Quamvis autem comes Ruffo vadimonium deseruerit, nonnulla tamen ex officio addenda censeo. Pacta conventa inter homines sunt servanda, si de re licita pactum fuerit. In *cap. fin. de sortileg. et leg. 45. de Episcop. et clericis* agitur de electione, non de praesentatione. Porro leges prohibitoriae extensionem non recipiunt in praejudicium liberae facultatis unicuique competentis actus suos explendi modo sibi beneviso, et in specie sortis *Gloss. in d. cap. fin. de sortileg.*, ibi: *»per hoc quod dicit in electionibus videtur, quod in aliis usum sortis non reprobat«* et *Zabarell. in d. cap. fin. de sortileg.*: *et per hoc posset dici, quod cum alias regulariter non prohibeatur sors quae hic prohibetur in electionibus stricte debet intelligi, et sic in aliis spiritualibus poterit esse locus sorti*, quod confirmat quoque *s. Rota in Ariminen Capellaniae decis. 459. num. 5. part. 10. recent.* Dici igitur poterit quod Soardius, qui prius consensit sorti, recedere postea ab ea non posset ideoque Cecchetti esset instituendus.

Animadvertendum etiam est caput *Quia propter* loqui de iis, qui contra formas praescriptas elegerint, quod extendi nequid ad patronos, qui sorte commiserint praesentationem. Haec enim nullitas non cadit sub expressa canonum censura, ideoque non praesumitur laicis cognita, *cap. Firmiter de summa Trinitate et Fide catholica, Lambert. de jurepatron. part. 1. lib. 2. quaest. 10. art. 4. num. 25, Piton. de controver. patron. allegat. 2. num. 7.* Praeterea dici quoque potest, privationis poenam imponendam non esse nisi in casu a jure expresso, *Lambert. loc. cit. pag. 2. lib. 2. quaest. 2. art. 1. num. 17, Piton. loc. cit.*

Nunc inquirendum, num posita nullitate praesentationis Cecchetti sustineatur, quam favore Ricci explevit Soardi, ut decernatur utrum Gaudenzi impetratio sit admittenda, vel non. Nam si illa confirmetur, vel si adhuc praesentationis jure gaudet Comes Ruffo, impetratio nullius roboris erit judicanda. Sortis conventio obstare non videtur Soardio, quia statim ac reprobatam vel dubiam sensit ab illa recessit. Attamen difficultas oriri ex eo posset utrum ei facultas esset novam nominationem explere. At notandum, agi in casu de patronatu laicorum qui *»potestatem habent variandi offerendique alium*, ut verbis utar *clariss. Devoti Inst. can. lib. 1. §. 50.* Hac igitur facultate (si aliquid ponderis mereatur promissio a patronis facta praesentandi per sortem) usum fuisse Soardium dicendum erit, qui recedendo a sorte virum suo judicio habilem atque idoneum praesentavit.

Quod si semper posset variare Laicus, multo magis hoc permittitur, si adsit rationabilis causa, *Pignat. tom. 9. Cons. 82. num. 45, Lambert. de jurepatron. lib. 2. part. 2. quaest. 7. art. 22. num. 5. aliique.* Et tunc posterior praesentatio attenditur. *Pig. loc. cit.* Justam vero variandi causam suppeditare poterat ipse recessus a sorte.

Caetera habent EE. VV. in folio diei 26. Aug. 1820 et juribus allatis a Soardio, unde possint dirimere dubium, quod reponitur:

An constet de nullitate nominationis factae a Comite Joanne Ruffo favore R. D. Joan. Baptistae Cecchetti, ita ut sit substinenda et servanda praesentatio facta a Lucca Soardi favore R. D. Petri Ricci in casu?

S. C. resp.: Affirmative et servandam esse praesentationem favore sacerdotis Petri Ricci.

Die 17. Febr. 1821.

Camerinen.

Joannes Franciscus Ciani Camers testamentariis tabulis die 20. Jul. 1822 exaratis capellaniam perpetuam mere laicalem fundavit in perinsigni collegiata ecclesia s. Venantio sacra, quam ab Ordinarii et cujusvis magistratus jurisdictione exemptam declaravit, eique tribuit redditus praedii satis ampli positi in Villa Kaggiano. Statuit, ut capellanus, quem ad nutum officio moveri posse voluit, tot missas celebraret, quot responderent annuis fructibus dicti praedii solutis ad rationem obolorum viginti in singulas missas, utque eae celebrarentur in prafata ecclesia s. Venantii quavis die capellano libuerit, exceptis tamen aliquot

missis, quas celebrandas voluit certis diebus ab eo designatis.

Primum capellanum nominavit clericum Franciscum Ciani sui fratris filium et tunc Canonicum in eadem collegiata ecclesia s. Venantii; cui potestatem fecit missas celebrandi per alium donec sacerdotio augeretur. Etenim actu sacerdotalem dixit capellaniam statuitque: seguita poi la morte del med. (Francisci Ciani) voglio, che il jus di nominare detto capellano spetti al detto Reverendissimo Capitolo di S. Venanzio, ed essendovi altro Sacerdote attinente a me testatore, voglio, che il medesimo sia preferito in detta capellania, dichiarando che siano sempre sclusi li chierici, ma che debbano essere attualmente sacerdoti con i detti pesi ed obligazioni, e col peso di administrare detti beni, come sopra ho precisato, e renderne conto a chi sarà di ragione.«

Subdit praeterea: »che se il detto capitolo non volesse permettere la erezione della detta capellania nella detta loro chiesa, e permessa che l'avessero, detto capellano pro tempore a qualunque pretesto volesse la reduzione delle messe da me sopra stabilite, allora ed in tal caso voglios che la stessa capellania col detto emolumento e pesi sia devoluta alla vener. chiesa priorale d. s. Maria in Via di questa città, dando al Priore pro tempore della medesima la facoltà di nominare il rettore a suo talento, e con l'infrascritta proibizione; ma se mai il detto signor Priore pro tempore di detta chiesa di s. Maria in Via si conducesse in qualunque tompo come ho supposto che si possano condurre i detti signori Canonici di s. Venarzio e capellani pro tempore etc., in questo caso voglio, che la medesima capellania venga trasferita con i detti pesi perpetui ed emolumenti alla Metropolitana di Camerino.

Dein omnem prorsus bonorum capellaniae tributorum alienationem prohibuit quavis ex causa etiam necessaria et urgentissima facienda esset poenamque caducitatis alienati indixit ipso facto incurrendam sine nullo judicis decreto, addens si id fieret illico juspatronatus consequeretur Prior s. Mariae in Via et ab eo, si et ipse in legem testatoris peccasset, migraret in ven. sodalitium sanctissimi Sacramenti. Conducendosi (sunt ipsa testamenti verba) ancora questi confraternità, come ho supposto che possano condurre il capitolo di s. Venenzio e suoi etc. ed il Priore di s. Maria in Via, in tal caso sia devoluta (capellania) coi detti pesi perpetui e proibizione di alienare a miei più prossimi Congiunti per linea masculina ai quali spetti l'amministazione di detti beni, e l'esatta esecuzione del detto legato perpetuo nel modo superiormente precisato, raccomandandoglielo caldamente, e ciò in perpetuo etc.

Post obitum fundatoris capellaniam nactus est clericus Franciscus Ciani primo ab eo nominatus, sed hoc immatura morte perempto anno 1826 eadem tributa fuit sacerdoti Philippo Ciani, altero consanguineo; erat enim fratris filius, frustra in contrarium obtinente clerico Elia Binni fundatoris pronepote ex sorore. Verum quum Philippus capellaniae nuntium mittere debuerit die 38. Martii 1827, quia desertor ordinis Minorum s. Francisci reformatorum in exilium a Camerinensi dioecesi pulsus fuerat, idem Elias Binni preces obtulit sac. Congregationi, ut quamvis clericali tantum tonsura insignitus sit ad hanc capellaniam nominaretur a capitulo eique hac de causa concederetur dispensatio a sacerdotali qualitate quam fundator expresse praeceperat.*) Preces Archiepiscopo ablegatae fuerunt pro informatione et voto, audito capitulo. Dum ipse in eo erat ut demandatum munus exequeretur, Augustinus Ciani, fundatoris nepos ex fratre, exposuit re pauperem esse et militiae ecclesiasticae nomen dare velle: hinc dispensationem et ipse petiit pro hac capellania obtinenda. Super his etiam precibus auditus Archiepiscopus. Interim ab auditore Sanctissimi missae fuerunt ad s. Congregationem preces Joseph Ciani, qui frater erat fundatoris quique narravit ejus filium Franciscum a fundatore nominatum vix paucos annos capellaniae redditus percepisse, se in gravissima egestate versari, multos filios alere debere, atque hinc postulavit sibi concedi pensionem super redditus capellaniae. Huic instantiae responsum Ordinarii eam improbantis erat adnexum.

Post haec Archiepiscopus literas dedit s. Congregationi super precibus Eliae Binnii et Augustini Cianni, quoad primas dicens: Audito capitulo per secreta suffragia retulit suum non adesse consensum ut dispositioni testatoris derogetur, cum possit, ut ait, in deficientia sacerdotum ad fundatorem attinentium per se bona capellaniae administrare,

*) Vd. *p. 236. n. 31 a.*

cum sit mere laicalis, adimplendo onera missarum, quas ipse testator tot annuatim esse celebrandas statuit, quot fructus seu capellaniae redditus existerent ad rationem obolorum viginti pro qualibet.

Verum huic capituli opinioni obstare videtur ipsa testatoris voluntas quae capitulo jus tantum tribuit capellanum nominandi. His positis ego in votis essem oratori non gratiam denegandam, ut suo tempore hac capellania provisus posset ad sacros ordines ascendere: verum pro nunc capellaniae administrationem necnon onerum satisfactionem ipsi capitulo relinquendam censerem donec orator ad sacerdotium promoveatur, hac tamen lege ut missae ad rationem obolorum quindecim pro unaquaque celebrentur, et quidquid superest in oratoris cedat utilitatem . . . Ad hoc autem ut orator pontificia dispensatione pacifice frui valeat opus est ut ab EE. VV. RR. perpetuum silentium sacerdoti Philippo Ciani imponatur, ne audeat capellanum vel capitulum patronum amplius inquietare super praetensa nullitate renunciationis dictae capellaniae. Etenim Philippus Ciani arguebat nullitatis renunciationem a se in carcere obitam, quia vi coactus fuerat, dum ceteroquin Archiepiscopus id ab eo sponte factum et insuper a sua dioecesi expulsum fuisse profitetur.

Quoad preces autem Augustini Ciani ait: »ex aliis meis humillimis literis clare patet capellanos a fundatore vocatos debere esse actu sacerdotes. In oratore vero Ciani deest nedum ordo sacerdotalis, verum etiam ipsa clericalis tonsura necnon aetas et studium literarum, ad quas antea minime incubuit.« Deinde narrat capitulum instantiae opponi ob easdem rationes ob quas reprobandum censuerat postulatum Eliae Binnii, fixum enim in animo habebant Capitulares, capellaniae administrationem ad se pertinere, donec rector nominaretur, quia fundator bonorum administrationem capellano tribuerat. Demum ita concludit; »Requisita in oratore concurrentia alia non adsunt quam proximior attentia, quum sit fundatoris ex fratre nepos, reliqua vero aut in oratore desunt aut longe distant a requisitis in clerico Elia Bini concurrentibus.«

His acceptis s. Congregatio nonnulla alia ab Archiepiscopo quaerenda censuit, quibus ipse accurrate pro more suo satisfaciens respondit decretum a sua curia fuisse ut attentis instantiis apud s. Congregationem pendentibus supersederetur in causa super nullitate renunciationis a Philippo Ciani instaurata, dein Augustinum Ciani clericalem tonsuram suscepisse eumque ceteris esse praeferendum quia proximior est fundatoris. Addidit capitulum pessumdans controversiam, quae super hujus capellaniae nominatione agebatur in s. Congregatione, nominasse sacerdotem Aloisium Enei, nullo sanguinis vinculo testatori junctum, quinimo ex alia etiam dioecesi, qui haud mora possessionem iniit capellaniae.

Capitulum opponi jam curaverat apud acta s. Congregationis »*Nihil transeat*« super omnibus instantiis ad hanc capellaniam pertinentibus, rescriptumque fuit: »*Ponatur in folio citata parte.*« Interea clericus Augustinus Ciani preces iterum obtulit pro dispensatione obtinenda, sed hae dimissae fuerunt rescripto: »*Utatur jure suo, audiantur interesse habentes.*« Dein alium supplicem porrexit libellum, nulla facta mentione praecedentium instantiarum, isque ad Archiepiscopum missus, qui animi sui sensus pro oratore explicavit, quum et jam clericus factus esset ac ingenii et virtutis specimina dedisset. Contra vero sacerdos Enei instantiam hanc rejiciendam postulabat. Quae cum ita se haberent Augustinus Ciani mutato concilio declaravit se inter eremitas Augustinianos tyrocinia posuisse, atque ideo petiit ut alimenta ei assignarentur ex redditibus capellaniae toto tyrocinii tempore et aliquid etiam pro impensis professionis postea nuncupandae.

Tandem Joseph Ciani fundatoris frater una cum filio Nicolao suam causantes gravissimam egestatem petunt et ipsi aliquid sibi pro victu concedi super redditibus hujus capellaniae.

Tot inter contendentes nihil decerni poterat ob N. T. a capitulo appositum; non enim litis expensas sustinere valebant illi, et interea capitulum nedum quiescebat sed ob impedimentum causae propositioni injectum nominationem favore sacerdotis Enei, ut innui, expleverat atque hic in capellaniae administrationem immissus fuerat. Hinc e re duxit prudentissimus meus decessor rem totam sanctissimo D. N. referre, a quo die 30. Sept. elapsi anni 1833. rescriptum prodiit: Sanctissimus praevia laceratione »Nihil transeat« a capitulo appositi sub die 6. Julii 1827 scribi

mandavit Archiepiscopo, qui ab eodem capitulo exquirat, qua ratione devenire potuerit ad nominationem capellani pendentibus recursibus consanguineorum coram s. Congregatione eidem capitulo jam notis, ut constat ex resolutionibus capitularibus dierum 5. Feb. 1826 et 27. April. 1827, necnon praefigat tempus breve capitulo, sacerdoti Enei ad capellaniam nominato, clericis Eliae Bini et Augustino Ciani ac demum Josepho et Nicolao Ciani et sacerdoti Philippo Ciani, quatenus in impugnanda renunciatione perseveret, ut jura sua super respectivis instantiis jam ab anno 1827 usque ad praesens exhibitis deducant in via oeconomica et absque strepitu judicii et de resultantibus certiore.

De hac re certior factus Archiepiscopus prout erat a Sanctissimo mandatum ait omnia a se nitide executioni tradita fuisse, subdit Philippum Ciani obiisse in xenodochio s. Spiritus die 3. Oct. 1829, Augustinum suscepisse habitum inter Augustinianos ac sua jura deducere, idque praestare tum capitulum tum capellanum Enei ac demum Josephum Ciani humiliter petere iterum una cum filio Niolao ut perpensa sanguinis conjunctione ac summa qua premuntur inopia aliquid opis illis afferatur ex bonis capellaniae.

De singulis breviter nunc agendum. Ad 1. Capitulum una cum sacerdote Aloisio Enei typis impressam exhibet allegationem ab ipsis factam sacris canonibus consonam esse, quum jurepatronatus potiatur sacerdotemque dignum elegerit. Neque negotium facessere ait clericum Bini et Augustinum Ciani preces obtulisse s. Congregationi pro dispensatione consequenda neque etiam eam omnino obtinuerunt neque ulla judicialis inhibitio a s. Ordine decreta fuit, jure ergo suo uti poterat.

Addit instantias Binni et Ciani opponi voluntati testatoris et sacrorum canonum dispositioni. Testator praecepit nominari eum, qui actu sacerdos esset nullaque datur indulgentia, ubi desunt qualitates requisitae ex praescripto juris, ut communiter docent Fagnanus et alii. Sacri canones tunc voluntatis commutationem concedi posse statuunt quum praesumpta testatoris voluntas intercedit, quae omnino desideretur in themate.

Idque magis contendit obtinere ubi agitur de patronatu obliquo. Tunc enim quum necessaria sit nominatio patroni, nequit huic indici lex ut suspendat nominationem, donec aliquis ex familia a testatore praedilecta necessariis omnibus qualitatibus ditatus sit, neque ut nominet inhabilem sub spe pontificiae dispensationis obtinendae. Idque praesertim tum quia caducitatis poena inflicta fuerat a patrono, si is vel in minimo a testatoris praescripto quicquam deflecteret, tum quia omnes Bini conatus in irritum cessisse jam bene perspexerat capitulum. Ex quo concludit nominationem sacerdotis Enei a se rite factam fuisse.

Demum nullam aequitatis speciem obtendere posse Josephum Cianni, quia dum ejus filius Franciscus capellaniam tenuit ejusdem fructus omnes obliguriit, paucis tantum missis celebratis, ac insuper ex summi Pontificis benignitate ingentem pecuniae vim abrasit quae pro testatoris anima impendi debebat. Haec et alia ex allegatione plane noscent EE. PP. Contra ea Elias Bini nullitatis manifestae insimulare studet nominationem favore sacerdotis Enei factam a capitulo, quia negotium omne ad summum Pontificem fuerat delatum qui illud s. Congregationi definiendum mandaverat. Haec bene noverat capitulum, quia ab Archiepiscopo monitum et ab eo actum in comitiis dierum 5. Febr. et 21. Martii 1826 necnon 2. et 9. April., 2. Junii et 31. Oct. 1827, nominatio autem Enei contigit die 2. Jan. 1828 duos videlicet post annos circiter, a quo capitulum apprime noverat controversiam sacri hujus Ordinis judicio subesse. Ast ubi super aliquo negotio manus imposuit summus Pontifex, ut forenses loquuntur, inferioribus omnis omnino facultas ea de re quidquam agendi est prepedita, et si quid actum fuerit, nullum irritumque prorsus esse tradunt, communiter post Innocentium et alios *Abbas, Franchus* et *Pygnatell. consult. 67. n. 4. tom. 4.* his verbis: »Ex quo Pontifex ut superior se ingessit sicque manum imposuit, non licet amplius inferiori se intrudere.« Ligatur quippe appositione manus Pontificis manus Ordinarii etiam ignorantis, quum ipsa contineat in se inhibitionem ipsaque habeat vim decreti irritantis ita ut mox acta per judicem inferiorem sint omnino irrita. *Sancellot. de attentat. cap. 10. n. 7, Menoch. cons. 83. numer. 13, s. Congregatio in Firmana 13. Julii 1795.*

Nullum autem dubium ait excitari posse,

quin dum Pontifex supplicem libellum sibi oblatum alicui Congregationi comittit manus ad illud negotium apponat, quinimo ex jure caesareo precibus Principi oblatis et judici insinuatis et per eum futuro reo cognitis res litigiosa fit, ut totidem verbis praecipit *Justinianus Nov. 112. cap. 1.* Dum autem preces summo Pontifici porrectae et s. Congregationi insinuatae communicataeque fuerunt capitulo Camerinensi per Archiepiscopum, plane videtur ex laudata novella vitium litigiosi intercessisse, ut lite pendente nihil innovetur, *clamant leges omnes post rubricam decret. lib. 2. tit. 6 et Clementin. eod. tit.*

Neque timendum erat capitulo (subdit Binius) quin tempus sex mensium a sacris canonibus patrono ecclesiastico determinatum praeterflueret atque hinc omni jure nominandi privaretur. Ut enim statuit *lex cum anterioribus §. si tamen cod. de temp. appellat.* regulare est quod recursus ad Principem impediat lapsum cujuscumque temporis a lege vel homine praefiniti, s. Congregatio in *Assisien 18. Sept. 1819 ad 1. dubium, s. Rota in Hispalen. 20. Junii 1755. cor. Crispold. num. 19.* Hinc nihil magis in foro usitatum quam in his rerum adjunctis tempus et tempora non currere. Addit apertum dolum in capitulo fuisse. S. enim Congregatio a quolibet decreto abstinuit ob N. T. a capitulo appositum, et quia hoc potius nominationem explere quam curare saltem oeconomicam tot petitionum definitionem maluerat.

Dein magis urget idem Binius dicendo, quidquid sit de validitate hujus nominationis, quum capellania ad nutum amovibilis sit quumque testator consanguineum praeferendum jusserit ubi sit actu sacerdos, amoto Aloisio Enneio eam sibi conferendam contendit, quia actu jam est sacerdos. Nihilominus animadvertendum videtur qualitatem capellaniae, ut sit ad nutum amovibilis, respicere ipsius naturam tantum, ut videlicet potius legatum pium quam beneficium ecclesiasticum habeatur: *Benedict. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. 22. num. 14*, ita ut titulus sacrae ordinationis esse nequeat, veluti ponderat *Navarrus cons. 20. de tempor. Ordinat.*, *Sayr. in flor. decis. sub eod. titul. decis. 59. et* alii apud *Barbos. ad Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform. n. 17.*

Deinde haec qualitas capellaniae in gratiam nominatis tributa esse dici debet, quae idcirco non imponit patrono onus amovendi capellanum, sed tantum ei dat facultatem illud peragendi, non tamen pro arbitrio, sed ex causa etiam levi, dummodo ab odio et dedecore capellani sejuncta sit: S. Congregatio in *Montis Alti Remotionis capellani et juris parochialis 22. Maji 1762 n. 5.* Ex hoc autem non sequitur ei, qui juspatronatus passivum obtinet, potestatem datam esse removendi capellanum rite institutum, ex quo ipse consecutus sit qualitatem necessariam: si enim hac pollebat dum capellania vacabat praeferri debeat: semel autem statuto capellano jus posterius obveniens nullum sibi tribuere videtur emolumentum cum damno veri capellani. Quamvis perpendi posset Binnium non audere contendere se praeferri debuisse dum capellania primum vacavit die 28. Martii 1827 ob renunciationem Philippi Ciani, sed modo eam sibi deberi quia ob nullitatem nominationis factae a capitulo, ex rationibus superius expositis, habendam dicit uti vacantem ac ipsum jam sacerdotem factum praeferendum e lege fundatoris.

Haec ad controversiam inter capitulum et Aloisium Enei ex una parte et Eliam Binni ex altera spectant: nunc de Augustini, Josephi et Nicolai precibus agentes observandum, omnes idem postulare ut scilicet ex capellaniae redditibus aliquod ipsis tribuatur. Verum instantiae refragatur expressa testatoris voluntas quae omnem omnium missarum reductionem sub poena caducitatis patrono interdixit; nihil autem oratoribus concedi potest nisi missarum onera reducantur, quum tot missae celebrari debeant quot praediorum redditibus respondent. Defunctorum autem voluntates esse servandas jubent sacri canones, *can. 4. caus. 13. quaest. 3*, s. Congreg. in *Tolentinaten. 22. April. 1826*, *Comaclen. Reductionis et absolutionis 2. Sept. 1819 §: Deneganda.* Praesertim si testatores praeceperint suffragia pro defunctorum animabus. Eo autem (monet *Benedictus XIV. de synod. dioecesan. lib. 13. cap. ult. num. 23.*) vel magis adamussim implenda sunt testatorum elogia si agatur de missis. Atque hanc praxim constantissime tenuit s. Congregatio in *Florentina Reductionis onerum 5. Aug. 1823* et alibi passim. Si testator omnem omnino derogationem vel commutationem suae voluntatis faciendam expresse vetaverit, quod re vera factum in casu, tunc enim nullum ejus voluntati periculum fieri debere decrevit s. Congregatio in

Asculana Congruae 21. Julii 1827 §: Abrogatum, in *Camerinen. 17. Maji 1828 §: Hisce.* Demum haec testamentaria dispositio quum nuperrimi temporis sit, indecorum videtur ei derogare dum executioni primum tradi debet; hanc enim ob causam potiori jure servandam docet s. Congregatio in *Firmana Commutationis voluntatis*) 1. Febr. labentis anni § 8.* Accedit dissensus patroni, qui semper in pretio haberi consuevit per text. in *leg. sicut. cod. de act. et oblig.*, *Rigant. ad reg. cancellar. 22. numer. 49 et 59*, *Piton. de controv. patron. alleg. 47. numer. 45.*

Animadvertendum tamen videtur, ubi justa et rationabilis causa intercedat, defunctorum voluntates commutari aliquando posse, ut post *Clementin. quia contingit.* docuit s. Congregatio in *Taurinen. Absolutionis et reductionis 1. Martii 1817* et alibi. Inter justas autem causas recenseri inopiam obligati vel patroni, eadem s. Congregatio tenuit in *Messanen. Reductionis missarum 20. Aprilis 1782,***) ac praesertim quando de fundatorum consanguineis agitur, ut in *Ferrarien. Reductionis missarum 23. Febr. 1793*, *Januen. Capellaniarum 21. Aug. 1819*, *Ravennaten. Capellaniae 20. Martii 1820 §: Paupertatem*, ac praecipue quando hi consanguinei jurepatronatus in beneficio vel capellania fruantur. Patronos enim pauperes semper omni miseratione dignos aestimavit s. Congregatio in *Lucana 17. Jan. 1789, Asculana Dispensationis 20. Maji 1786*, *Forosempronien. Capellaniae 26. Martii 1831.* Nihil enim aequitati magis consonum videtur, nihil huic sacro Ordini fuit antiquius quam patronis***) eorumque filiis inopia laborantibus suppetias ferre, ut ex *can. quicunque 30. caus. 16. quaest. 7.*, ac pro consanguineis, ut in *Piscien. Suspensionis onerum 29. Martii 1806.* et *Spoletana Praeposituræ 24. Jan. 1807.*

Quae sane canonica aequitas multo magis obtinere videtur quando consanguineis favet sententia Episcopi, cujus judicium magnopere est aestimandum. Et quamvis ex superfluis tantum redditibus subsidium pauperibus patronis aut consanguineis tribui soleat, tamen etiam reductione missarum iis succurrendum esse saepius respondit s. Congregatio in *Ripana Commutationis voluntatis et reductionis missarum 27. Jul. 1822.*, praesertim ubi de reductione ad tempus agebatur, ut in *Januen. Capellaniae 21. August. 1819*, atque ita decrevit quamvis haec paupertas extrema non esset in *Aretina Suspensionis nominationis 14. Jun. 1817.*

Jam vero Josephum et Nicolaum esse fundatoris consanguineos nullo modo dubitari potest, quum alter sit frater defuncti, alter ipsius fratris filius. Gravissima autem egestate premi probari posse videtur ex monumentis quae proferunt, ex quibus constat Josephum, senio confectum, nihil aliud compendii haberi praeter annua scutata sexaginta quae lucratur agens servum antecessorum in Camerti universitate: hoc autem emolumento victum et necessaria comparare debet pro se, uxore aegro semper corpore, filia vidua cum tribus filiabus in pupillari aetate constitutis ac omnium egentibus. Nicolaus autem sarcinatoris artem exercet debetque alere uxorem cum tribus filiabus puerilis aetatis. Accedit ex fide medicorum ipsum immedicabili morbo laborare atque ideo suae arti incumbere ob adversam valetudinem non posse: ex quo facile est colligere quae sit ejus paupertas. Profecto, ipsi ajunt, si Joannes Franciscus Ciani, dum capellaniam instituit, conjicere potuisset ejus fratrem et nepotem in tam abjectam fortunam lapsuros ut necessaria ad vitam sustendendam illis deficerent, eorum indigentiis ex hujus capellaniae redditibus succurrisset, dum illam, licet actu sacerdotalem, contulit in alterum Josephi filium Franciscum quamquam vix clericum, qui tamen capellaniae compendio brevissimo tempore frui potuit.

Quo in loco Josephus, ut omnem a se moveat invidiam quam ei creare studet capitulum dicens omnes capellaniae redditus ab eo absumptos fuisse dum viveret filius Franciscus, quin missarum oneribus satisfaceret, monumentum profert rationis ab eo redditae commissario apostolico R. Fabricae, D. Petro de urbe, judiciique ab eodem commissario editi, quod praestat hic exscribere: Josephus Ciani pater et heres primi capellani exhibuit computum fructuum recollectorum a die adeptae possessionis usque ad obitum, ex quo liquido patet introitum non excedere summam scut. 231 et obol. 76. Parimodo ad trutinam revocatum computum expensarum in variis notulis obsignatarum et juramento vallatis pecunia erogata in celebratione missarum, juxta placitum testatoris, in aedificatione domus colonicae propemodum collabentis, prout ex documento nobis exhibito

*) Vd. *Commutatio ultimae voluntatis.*
**) Vd. *Missa* (reductio).
***) Vd. *Patronus* (alimenta).

fabrimurarii comprobante necessitatem fere ex integro eam reaedificandi, restaurandi vero in parte modica habitationem dominicalem ac demum in plantatione arborum ad satisfaciendam voluntatem fundatoris, cognovimus primum rectorem seu capellanum impendisse ad melioramentum fundi capellaniae assignati non voluptuose, non ad proprium commodum et inutiliter scut. 301 114 $^1/_2$. Elucet ergo ipsum et loco ipsius suum heredem esse creditorem scut. 99 354 $^1/_2$, quam summam poterit ipse repetere a quo vel a quibus de jure erit repetenda, cum constet de necessaria et utili erogatione. Interim nominatum comparentem absolvimus ab omni ulteriore rationis redditione et tamquam absolutum haberi volumus atque praecipimus. Inhibentes etc. et ita etc.»

Aliud exhibuit insuper monumentum Canonici Farfarelli a capitulo deputati, qui dum domos et fundos capellaniae perlustravit post obitum Francisci Ciani refert primas ex integro instauratas et pluribus conclavibus aliisque rebus pro cultura agrorum necessariis auctas fuisse: fundos vero novis arboribus positis aliisque pro futura ratione reservatis necnon terra ubique bene subacta meliores redditos. Ex quibus concludere satagit sibi fas esse sperare fore, ut EE. PP. benignitate qua pollent ipsius preces excipiant.

Quoad Augustinum vero sibi suffragari posse autumanda et pro una tantum vice petit partem fructuum capellaniae ut satisfacere possit expensis quas pro eo rependit patruus Josephus in alimenta toto tyrocinii tempore, vestes ceterosque sumptus pro votis nuncupandis in Eremitarum ordine quos omnes tulit idem Josephus in summa scut 57, ut probat testimonium praesidis coenobii Augustinianorum Camertis.

Postremo redditus hujus capellaniae ad annua scutata fere centum de uno in alium annum ascendere videtur detractis expensis: sunt ipsa Archiepiscopi verba. Haec porro scutata centum ex lege fundatoris erogari debent pro celebratione missarum ad rationem obolorum viginti in singulas missas. Quum autem capellanus, etiamsi quotidie Sacrum faceret, celebrare non posset nisi missas tercentum quinquaginta circiter, hinc nonnisi sc. 70 ad summam sibi sumere posset pro eleemosyna missarum. Semper enim de capellano verba fecit testator: unus ergo non plures capellani esse possunt: quod ergo superest sibi patronis consanguineis et pauperibus tribui postulant. Perpendendum tamen videtur num alicujus capellaniae rector teneatur Sacra facere per se ipsum ita ut nunquam alius opera pro adimplendis oneribus juvari possit. Etenim apud *Barbosam canon. resolut. lib. 3. tit. num. 9.* quique refert ita resolutum in *Baren. 7. Sept. 1631* habemus capellanum amovibilem, cui incumbit celebratio unius missae qualibet hebdomada cum stipendio legato, posse alteri eam celebrationem demandare soluta illi consueta eleemosyna manuali retentaque sibi parte stipendii, quod capellano legatum est a fundatore.

Post haec EE. VV. definire dignabuntur sequentia dubia:

I. *An valeat nominatio a capitulo facta favore Aloysii Enei ad capellaniam Ciani in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo annuendum sit precibus Eliae Binni in casu etc.?*

III. *An et quomodo annuendum sit precibus Augustini Ciani in casu etc.?*

IV. *An et quomodo annuendum sit precibus Josephi et Nicolai Ciani in casu etc.?*

S. C. resp.

Ad I: Negative, et ad mentem: mens est ut Aloysio Enei non inferantur molestiae docto de adimplemento.

Ad II.: Affirmative juxta modum ut in quarto.

Ad III.: Negative in omnibus.

Ad IV.: Affirmative ex redditibus superextantibus e celebratione missae quotidianae ad decennium dividendis pro aequali parte.

Die 20. Dec. 1834 et 31. Jan. 1835.

Neapolitana.

Joannes Volpicella e pago Secundiliani dioecesis Neapolitanae ultimum suae voluntatis condens testamentum anno 1523 die 9. Octobris heredes ex asse scripsit matrem suam Pentam Mango fratremque consobrinum Cosmam Volpicella; et ad pietatis, qua fervebat, exemplum posteritati relinquendum

voluit ut haeredes a se instituti aedificarent altare in ecclesia divo Cosmae dicata in eodem pago atque in eo erigerent capellaniam sub invocatione s. Mariae de Libera seu de Jerusalem, constituta eidem dote sex jugerum seu modiorum terrae, ac onere imposito capellano pro tempore bis qualibet hebdomada Sacrum litandi ad expiationem animae suae suorumque.

Quoad capellaniae erigendae juspatronatus postea legem dicens statuit capellanum fore »*constituendum in dicta capellania per dictam Pentam ejus matrem et per dictum Cosmam ejus fratrem, quae capella sit de jurepatronatus dicti Cosmae . . . et quod ejus Pentae vita durante Penta ipsa valeat praesentare capellanum in dicta capella una cum dicto Cosma, et post mortem ipsius Pentae praedictus Cosmas valeat praesentare capellanum praedictum in dicta capella, toties quoties capella ipsa vacaverit capellano.*

Pia testatoris voluntas examussim exequutioni commissa fuit.

At scripti heredes animadvertentes Antonium Volpicella eodem cum fundatore sanquinis devinciri vinculo, quo Cosmas devinciebatur, publico exarato instrumento sponte donarunt »*juspatronatus praedictum eidem Antonio et suis heredibus et successoribus per medietatem tantum.*«

Verum tamen progenies Antonii perbrevi temporis spatio jurepatronatus capellaniae s. Mariae de Libera usa est, nam ipsa penitus extincta declinante saeculo decimosexto integrum juspatronatus rediit ad progeniem Cosmae, qui ab ipso fundatore fuerat ad illud vocatus.

Postremus capellaniae possessor fuit Joseph Petrus Volpicella, qui eam assequutus anno 1793 diem suum obiit illamque vacuam reliquit die 29. Maji 1845. Statim prodiere Anna Maria Terracciano ejusque filius Joannes Miranda, Maria Josepha Mattei ejusque frater Caelestinus necnon Maria Michaela Solombrino omnesque utpote a fundatore descendentes nominationem contulerunt in sacerdotem Michaelem Viola. Sed huic nominationi sese opposuerunt Joannes, Josephus et Januarius Volpicella, qui sibi dumtaxat vindicantes juspatronatus capellaniae s. Mariae de Libera nominarunt suum germanum fratrem clericum Franciscum.

Lis proinde inter utramque nominantium ac nominatorum partem exorta est, ac ad judicii aleam deventum coram archiepiscopali curia Neapolitana, ex qua die 5. Junii 1846 victor discessit sacerdos Viola per sententiam qua edicebatur: »*Idoneum idoneitate juris esse reputandum sacerdotem Michaelem Viola meritoque fore et esse instituendum et confirmandum in capellanum beneficiatum dicti simplicis beneficii titulo s. Mariae de Libera seu Jerusalem erecti intus praedictam parochialem ecclesiam Secundiliani, de jurepatronatus cognatitio familiae Volpicella cum omnibus ejus juribus, redditibus, proventibus, honoribus et prout ipsum sacerdotem Viola praesenti nostra definitiva sententia instituimus et confirmamus debitasque bullas pro capienda possessione expediri mandamus. Et illa dicimus, declaramus, pronunciamus et definitive sententiamus.*«

Haud aquievere huic sententiae fratres germani Volpicella, sed incunctanter interposita appellatione penes Neapolitanam curiam die 9. ejusdem mensis Junii recursum habuerunt ad hanc s. Congregationem cujus hodie erit controversiam dirimere sub dubii formula de partium consensu concinnata et in calce exscribenda. Nostrum interim erit per summa capita, quemadmodum in more est positum, ea perstringere quae ab assumptis utrinque patronis in allegationibus distribuendis exponuntur.

Qui contra archiepiscopalis curiae Neapolitanae sententiam insurgit ac Francisci Volpicella ejusque germanorum fratrum jura tuetur, in primis asserit, adversarios fictitio schemate suam a fundatore descendentiam obtrudere; deinde statuit juspatronatus de quo quaestio gentilitium esse judicandum. Quod ut probet ita ratiocinatur.

Licet ex institutionis verbis qualitas jurispatronatus haud dignoscatur, haec tamen colligitur ex verbis, quibus Cosmas Volpicella primus illius possessor usus est, quum pro medietate eo donavit consobrinum suum Antonium hujusque heredes et successores. Et re quidem vera juspatronatus, heredibus et successoribus ad illud vocatis, gentilitii qualitatem prae se ferre docent *Card. de Luca de jurepatr. disc. 22. n. 10. et disc. 60. num. 30, Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 684, Rota cor. Priolo decis. 159. num. 19.*

Atqui juspatronatus gentilitium iisdem subjacet regulis, quibus fideicommissum, *Piton. loc. cit. alleg. 10. num. 9, Rota decis. 16. num. 6. et decis. 43. n. 4. cor. Falcon.* Et in fideicommissis agnati semper excludunt cognatos, nulla habita ratione ad gradum majoremque proximitatem, uti docet *laudatus Piton. loc. cit. alleg. 65. num. 8,* ubi ait: *tam de jure quam ex observantia censeo datum esse ordinem succedendi per prius et posterius inter istos de linea, scilicet, primo illos per lineam masculinam, et per posterius illos per foemininam descendentes, et quidem virtute praedilectionis agnatorum supra cognatos.«* Ex quibus juris principiis sponte sua fluit, quod quamvis admittatur adversarios qui Violam nominaverunt ipsumque nominatum jactare posse descendentiam a fundatore, quum tamen nonnisi cognatitiam qualitatem sibi vindicare valeant et supersint agnati Franciscus Volpicella germanique fratres, ad hosce tantum spectat activa ac passiva nominatio, minime ad illos.

Neque objiciatur, clientes haud probare posse per singulos gradus a fundatore descendentiam. Nam id locum sibi vindicat, quoties agatur de agnatis inter se contendentibus, minime vero in contentione agnatorum cum cognatis: quo in casu sufficit, ut primi ad secundos repellendos affere possint probationem certae pertinentiae ad gentem et agnationem testatoris. *Peregrin. de fideicommis. art. 43. num. 60, Rota decis. 143. part. 1. recent. decis. 102. num. 17. et seq. coram Ottobona*, aliisque. Certo autem pertinere ad fundatoris agnationem probatur per descendentiam ab eo qui fuerit in juris activi ac passivi possessione. Etenim praeterquam quod ipsamet naturalis ratio suadet possessoris descendentes suam originem a fundatore repetere, idipsum clare etiam apud canonum DD. traditum reperitur: *»Quasi possessio praedecessoris suffragatur successori in ordine ad probationem descendentiae, ut scilicet non teneatur illam probare a fundatore, sed sufficiat probare ab eo, qui existit in quasi possessione praesentandi.«* Ita *Card. de Luca disc. 36. n. 10*, cui accedit *Piton. alleg. 14. n. 4.* aliique non pauci.

Atque firmior evadit praefata probatio, si aliquis ex possessoribus seu favore retulit judicis sententiam ad vindicandam sibi activam ac passivam nominationem, uti, aliis missis, docet *Piton. alleg. 44. n. 11*, ubi haec leguntur: *»Octavo concurrit sententia lata super verificatione jurispatronatus . . . quae sententia sine dubio concludit ascendentes dell' avo Grosso fuisse fundatores et modernos patronos de eadem familia descendere ab illis.«*

Quod vero clientes descendant ab eo, qui in possessione activi et passivi juris fuerit, patet ex genealogico schemate undique monumentis comprobato, quod ostendit, Franciscum Volpicella ac fratres ejus germanos originem ducere a quodam Nicolao Volpicella, cujus lineae descendentia una ac altera vice jus illud pessedisse et exercuisse cognoscitur videlicet anno 1755. per Dominicum Volpicella et anno 1793. per Petrum Josephum Volpicella. Neque id accedit sine oppositione; siquidem contra Dominicum lis mota fuit a quodam Joanne Volpicella, cujus ignoratur descendentia, sed victor ille discessit a judicio per sententiam archiepiscopalis curiae Neapolitanae insequenti anno latam, quae deinde in rem judicatam transiit ob contradictoris acquiescentiam. Id ipsum evenit Petro Josepho Volpicella, contra quem cognati quidam insurrexere; sed frustra. Etenim apud s. Concilium Neapolitanum, re mature perpensa, judicatum ita fuit: *Manuteneatur in quasi possessione capellaniae Dominicus Joseph Petrus Volpicella et ei liceat fructus percipere ejusdem, pro quo effectu tolletur sequestrum ordinatum vigore novissimi decreti domini causae Commissarii.* Perperam ex adverso opponitur, pergit ipse advocatus, sententiam curiae archiepiscopalis anni 1756. haud praetergredi concordiae fines, quia favore alterius contendentis decreta fuit annualis pensio a capellaniae possessore solvenda. Animadvertendum quippe est, talem pensionem *pro bono pacis, pro dirimendis litibus et attenta paupertate* impositam capellaniae s. Mariae de Libera haud posse labefactare sententiam a judice prolatam ad quaestionem dirimendam sequentibus verbis: *»Dicimus, decernimus, pronnutiamus et definitive sententiamus.«* Futilis prorsus fuisset judiciaria haec et definitiva loquutio, si tantum ageretur de confirmanda concordia cui ut neminem latet robur accedit per brevem legitimi magistratus dictionem *placere de concordia. Futile pariter existimandum esse addit adversariorum objectum circa sententiam anni 1790*, scilicet nullius esse ponderis, utpote latam a judice jurisdictione destituto *et in mero manutentionis judicio;* nam illico evanescit hujusmodi difficultas si perpendatur s. Concilium Neapolitanum anno 1796 fuisse tribunal mixtae jurisdictionis ac sententiam tulisse non solum habito respectu ad possessionem, in qua reperiebatur capellanus Volpicella, sed etiam ad excitatam in eum litem, quam formali instructo processu rationibus discussis *ac visis actis cunctis* diremit.

Stantibus autem in suo robore praefatis sententiis, quae jam in res judicatas transierunt, concludit haud concuti posse jus suorum clientum, quorum linea, etiamsi semel admissa fuisset ad activam ac passivam nominationem in themate, tali gauderet privilegio, ut quamcumque aliam vinceret lineam ad *tradita de fideicommissis, cum quibus graditur juspatronatus apud Peregrin. de fideicom. art. 20. num. 2. vers. 5, Covar. pract. quaest. cap. 38. n. 6. vers:* Etenim, quos sequitur *Rota in decis. 681. part. 2. num. 3. recent.*

Ast advocatus, qui sacerdotis Viola eorumque, qui eum nominarunt, defensionem suscepit, acriter tuetur sententiam archiepiscopalis curiae Neapolitanae, suam disceptationem in tria dividens capita. Asserit primo nullius ponderis faciendum esse ultimum statum anni 1793 confirmatum per decretum anni 1796; idque ut evidens fiat, ita argumentatur.

In capellania de qua quaeritur intercedere debet patronorum praesentatio ac Ordinarii institutio, quoties vacaverit, uti patet perpendenti provisiones de ea sequutas ab initio fundationis usque ad annum 1755. Quae vero patronorum praesentationem ac Ordinarii institutionem exquirit capellania, ea profecto ecclesiastica censenda est ac beneficio ecclesiastico aequiparatur.*) S. Congregatio in *Nullius Farfen. 12. Augusti 1741.* Atqui beneficium ecclesiasticum sine canonica institutione nequit possideri, docent *Reiffenstuel de reg. juris cap. 2. num. 6.* ac *Piton. de controv. patron. all. 67. num. 7.* et si absque ea possideatur, beneficium nunquam dicitur plenum sed adhuc perdurare in jure praesumitur antecedens vacatio. *Leuren in foro benef. tom. 3. quaest. 17. in princ., Piton. discep. eccles. 137. num. 39. et 42.* Insuper ex simplici praesentatione patronorum, cui canonica haud accessit institutio, nec etiam iis acquiritur quasi possessio praesentandi, uti docet *Leuren. loc. cit. tom. 2. quaest. 91. num. 3, Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 18. num. 21 et 22, Piton. de controvers. patron. loc. cit. alleg. 58. num. 12 et 15.* et post *Vivianum de jurepatr. decis. 86. num. 17 et 18 et decis. 7. par. 19. recent. tom. 1. num. 1. et seqq.* Hinc haud constitui valet ultimus status legitimus in capellania s. Mariae de Libera ad quem patroni praesentarunt anno 1793 et quae possessa a praesentato fuit sine Ordinarii institutione, uti colligere fas est lite inde contra possessorem tamquam intrusum ob defectum institutionis mota penes s. regium tribunal, vulgo *s. Chiara anno 1796.* Praeterea ad ultimum statum favore praesentantis inducendum necesse est ut ipse praesentationem privative emittat, hoc est, cum exclusione aliorum se unicum patronum declarando; secus praesumitur praesentasse etiam nomine aliorum compatronorum, quorum jus cum sit a jure illius, qui praesentavit, indivisibile perseverat per unius praesentantis actum, ceu perbelle docet *Card. de Luca de jurep. disc. 63. num. 28, Piton. loc. cit. alleg. 11. num. 23. et alleg. 100. num. 377. 619 et 620, Fargna de jurep. part. 2. can. 24. cas. 4. n. 27.* aliique. Jam vero cum peracta fuit praesentatio anni 1793 per Anselmum Volpicella favore Josephi Petri Volpicella, haud ille declaravit jus nominandi sibi unice spectare, quinimo candide fassus est: *»Ad esso Anselmo e ad altri di Volpicella, come eredi e discendenti di detti antecessori, spetta ed appartiene« et ad festinam nominationem se tantum devenire edixit »dubitando che detto beneficio non patisse alcum detrimento in divinis.«* Adde quod, ubi alii compatroni sua jura laesa agnoverunt, haud factae nominationi acquievere, sed illa vindicare conati sunt nominatum ad judicis tribunal trahentes.

Quamvis autem ab hujusmodi tribunali reus conventus victor evaserit, non meliorem factam fuisse censendum est adversariorum conditionem, quum in primis decretum illud latum fuerit *summarie ac provisorie tantum*, manutenendi in possessione capellanum, uti ostendunt ejus verba: *»Per S. R. C. provisum est, quod manuteneatur in quasi possessione capellaniae Dom. Joseph Petrus Volpicella*, et nemo nescit, in provisorio ac summario judicio rei substantiam non immutari. Insuper idem decretum nihili erit existimandum, quia latum a tribunali legitima auctoritate destituto, id est a S. R. C.

*) Vd. *p. 394. n. 23.*

cujus jurisdictio limitabatur in cognoscendo de laicis negociis, minime vero de materiis ecclesiasticis. Quod si praefatum tribunal ad subjectam materiam manus apposuit, idcirco factum est, quia ex falsa causa putavit, capellaniam s. Mariae de Libera esse mere laicalem, ex quo sequitur, quod errore detecto vitiosum decretum omni destituatur firmitate. Si vero decretum illud inaniter et intrinsecus infectum vitio emissum fuit, eo res redit ut confici ex ipso nequeat ultimus status, veluti ad rem monet *Fargna de jurepat. part. 2. can. 22. cas. 3. n. 20.* In secundo suae defensionis capite studet laudatus patronus adversariorum descendentiam a legitimis patronis prorsus eliminare ac jus suorum clientum confirmare. Ait enim, illos ne probare quidem posse descendentiam ab Aniello, qui anno 1793. nominationem fecit; dato etiam, pergit ipse, quod id probarent, nihil eis suffragaretur nec aliis obesset patronis, quia ut supra dicebatur ultimus status ex ea confici nequit et quia unicus actus minime sufficeret ad alios compatronos suo jure privandos, uti observat *Piton. loc. cit. alleg. 11. num. 6.*

Frustra pariter adversarii confugiunt ad antecedentem anni 1756, nam etiamsi fingatur, ut ipsi apud curiam Neapolitanam obtrudere conati sunt, veram esse eorum descendentiam a quodam Vincentio Volpicella, qui tunc temporis nominavit, haud inficiari tamen potest, nominationem quoque suam emisisse et tamquam patronum ab Ordinario fuisse recognitum Januarium Volpicella, a quo omnes clientes ducunt originem. Ex hoc autem sequitur, Januarium eo in casu jus suum haud amisisse, sed sartum tectumque sibi suaeque prosapiae illud conservasse, licet nominatus a Vincentio capellaniae possessionem fuerit assequutus, *Piton. alleg. 100. n. 60.* Quod magis evidens fiet, si animadvertatur motam circa nominationem praefati anni litem diremptam fuisse per transactionem, qua nominato a Januario tributa fuit pensio annua super capellaniae fructibus. Talis autem est hujus transactionis effectus, ut tollatur favor ultimi status pro solo proviso ejusque descendentibus. *Leuren in foro benef. tom. 2. quaest. 91. n. 3.*

Tertio denique capite uni praesentato a clientibus sacerdoti Viola dandam esse contendit institutionem, tum ob pluralitatem suffragiorum tum ob majorem dignitatem, qua sacerdos ille fulget prae clerico Volpicella.

Etenim, ut ipse prosequitur, gentilitium lato sensu judicandum esse juspatronatus in themate constat ex qualitate descendentiae semper prae oculis habita in decretis institutionum, ex concursu foeminarum cum masculis et proximiorum cum remotioribus in expletis praesentationibus ac etiam ex non expresso unquam numero singulorum praesentantium; quibus in casibus re ipsa gentilitium lato sensu habendum esse jus praesentandi tenet *Card. de Luca de jurep. dis. 22. num. 19, Piton. loc. cit. alleg. 77. num. 18. et alleg. 100. num. 85 et 682.* Verum in jurepatronatus gentilitio nominatio fieri debet in capita, *Piton. loc. cit. alleg. 75. num. 83*; et ex praesentatis is erit praeferendus, qui majoribus gaudet suffragiis, uti in casu evenit de sacerdote Viola, qui quinque retulit suffragia, tribus tantum collatis a fratribus in clericum Volpicella. Quinimo, licet ambo eodem suffragiorum numero donarentur, rursum tamen praeferendus esset cliens tamquam dignior, prout modo innuebatur, sive ob majorem aetatem, ex traditis a *Fargna part. 2. can. 9. cas. 6. de jurep. num. 5,* sive quia sacerdotali decoratur charactere et jam laudabile ecclesiae servitium praestitit, praesertim per administrationem sacramenti poenitentiae, juxta doctrinam *s. Rotae decis. 296. num. 3 et 6. part. 12. necnon decis. 171. part. 10. num. 5 et 6. recent.* Ex quibus omnibus concludit jure ac merito sententiam favore clientis tulisse archiepiscopalem curiam Neapolitanam.

Haec interim cum aliis ex adverso perpendentes delibata EE. VV. et genealogica schemata, quae ab utraque parte thypis impressa circumferuntur, sedulo inspicientes solvere non renuent quod proponimus

Dubium:

An sit confirmanda vel infirmanda sententia curiae archiepiscopalis in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 10. Junii 1848.

Forolivien.

(C. Tr. Sess. 25. c. 4. et 9. de ref.)

Bina in ecclesia sanctissimae Trinitati sacra urbis Foroliviensis ex religione ac munificentia majorum praenobilis familiae Denti ejusdem civitatis fundata restant ecclesiastica

beneficia, unum nempe sub invocatione s. Mercurialis, alterum sub titulo s. Bartholomaei, super quibus patronatus jure eadem gens Dentia fruitur fundatoris; tabulas tempore vetustate languidas et obsoletas amplius legere datum haud est; verumtamen quoad beneficium s. Mercurialis (de altero siquidem s. Bartholomaei super quo nulla quaestio movetur pacificum eos nominandi jus aeque exerceri a Priore PP. Praedicatorum, ab Archiepiscopo ssmae Trinitatis, demum a familia Denti) ex re judicata a curia Foroliviensi edita die 31. Maji 1683. deprehendi posse videtur plenum nominandi jus ad praefatam familiam privative continuo spectasse. Legitur siquidem in ea simplex beneficium erectum in parochia ss. Trinitatis sub titulo et invocatione vel ad altare s. Mercurialis Foroliviensis fuisse, fore et esse de jurepatronatus laicorum ex fundatione et dotatione nobilis familiae DD. de Dentis Forolivien. et ad ipsos tantummodo et modo signanter jus praesentandi rectorem ad dictum simplex beneficium sive juspatronatus spectare et pertinere dumtaxat ad praefatos nobiles DD. Canonicum Anselmum Denti uti et Antonium J. W. D. pariter de Dentis germanos fratres ac filios quondam nob. Dom. Joannis Baptistae Denti uti solos supravenientes ac legitimos DD. ac patronos dicti jurispatronatus.

Sed quum quoad juris exercitium ex posterioribus actis non aeque res plana videatur, ideo factorum series longius quam opus esset initium currat oportet. Itaque vita functo anno 1828 Alexandro Denti, qui nominatus ab Antonio patre usque ab anno 1796. beneficio s. Mercurialis fruebatur, Joannes Baptista Denti expresse declarans ad se unum, uti seniorem familiae, nominationem vacantis beneficii pertinere »conforme in addietro si è sempre praticato« filium suum Andream per procuratorem ad beneficium s. Mercurialis nominavit, quem inde praevia derogatione de medietate vocum in canonicam possessionem etiam alterius beneficii s. Bartholomaei immisit Vicarius apostolicus nunc meritissimus S. R. E. Card. de Angelis tamquam a vero patrono et intra legitima tempora nominatum et praesentatum, nulla tamen de senioratus praerogativa mentione facta sed cum enunciativa tantum beneficii de jurepatronatus tunc domus etc.

Verum tamen ejusmodi nominatio contradictione non caruit: ut enim ea fratribus Antonio, Vincentio et Anselmo Denti Joannis Baptistae nepotibus ex fratre innotuit, protestati legitimo tempore sunt contra eandem quam habendam fore dixerunt veluti nullam et »sopratutto non debba, nè possa mai ritorcersi contro di loro e dei loro figli eredi e successori, nè formare stato e prova e consuetudine contraria in pregiudizio del diritto di nominare e presentare all' anzidetto benefizio e del quieto e pacifico possesso in cui sono stati i loro autori come dagli atti in questa Cancellaria ai quali etc.« Nihilominus Andreas in pacifica mansit beneficiorum possessione dum vixit, cum amplius molestiae ipsi a nemine illatae fuerint.

Eo mortuo anno 1837 cunctis suffragiis beneficium s. Bartholomaei collatum fuit puero Alexandro Anselmi filio sub spe dispensationis. Quoad beneficium autem s. Mercurialis tum Jo. Baptista tum Anselmus (alter frater Vincentius aberat) separatis actibus sub eadem tamen die 28. Dec. supradicti anni quisque aequali utens dictione »usando del diritto di nomina che mi spetta« nominarunt Denti Antonium, cui si dispensationem obtinere non potuisset (uxorem enim habeat, eamque praegnantem) prolem nascituram substituerunt. Verum cum paucis diebus uxor Antonii foeminam enixa esset, variandi jure utens Joannes Baptista die 12. Martii 1938. quasvis substitutiones antea factas delevit atque nominato Antonio clericum aetatem majorem Ignatium Masotti substituit.

Idem deinde petiit Pontificem pro dispensatione Antonio obtinenda, quae praeeunte Episcopi tunc temporis Tomba informatione elargita fuit litteris apostolicis in forma brevis expeditis sub die 23. Julii 1838 tributa ipsi Antonio facultate administrandi idem beneficium per decennium. Porro adnotatu dignum est in eisdem literis enunciari jus praesentandi veluti exclusive pertinens ad seniorem familiae Denti explicitis hisce verbis: »Beneficium . . . . quod sicut accepimus de jurepatronatus laicorum, senioris videlicet pro tempore existentis illorum de familia Denti ex fundazione vel dotatione existit.« Quod etiam totidem verbis repetitum fuit in decreto executoriali: »Cum nobis constet de jurepatronatus competenti dicto seniori Joanni Baptistae.« Gratia hinc concessa in eo stetit ut provisio beneficii ad

decennium suspensa remaneret ac interim satisfactis oneribus redditus subsidii causa tribueretur Antonio detracta etiam pensione favore Joannis Baptistae.

Post haec anno 1841 mortuo Joanne Baptista Antonius, renuncians suspensionis beneficio sibi indultum, arbitratur jus nominandi sibi unice spectare »come Seniore dell' anzidetta famiglia«, ascito procuratore quodam Regoli die 7. Martii 1847 filiolum suum Franciscum septennem sub spe dispensationis nominavit. Sed cum triduo post ad plures abiisset Antonius, Vincentius et Anselmus die 14. ejusdem mensis apud acta curiae episcopalis nullam irritamque nominationem ab Antonio expletam dixerunt, utpote ipsis inauditis, atque pendente adhuc suspensionis indulto factam, necnon inhibitionem, quam *nihil transeat* appellant aposuerant, eodemque die ambo alium puerum praesentarunt Alexandrum nomine Anselmi filium reservato a Vincentio sibi jure alimenta petendi super beneficii redditibus, attenta extrema qua detinetur paupertate. Cum itaque tum Franciscus tum Alexander aeque dispensatione aetatis egerent recursum utrinque porrexerunt ad Datariam apostolicam, quae tamen rescripto diei 1. Oct. anni superioris antequam quidquam de dispensatione decerneret maluit controversiam omnem ablegare ad s. hanc Congregationem gravissimumque Eminentissimorum PP. votum super merito seu super natura jurispatronatus exquirere.

Prout moris est rogatus fuit Episcopus, ut auditis omnibus interesse habentibus in scriptis eorundem jura una cum animi sui sententia panderet. Abuterer EE. VV. patientia si cuncta quae effusa ac accurata oratione in duplici epistolio eadem die transmisso tum in facto tum in jure Episcopus habet referre hic vellem. Nihilominus ipsum propendere in exclusionem praerogativae senioratus quoad exercitium juris nominandi satis deprehenditur ex consectario quod ex praemissis factis in ima suae relationis cera paucis hisce educit: »sembra adunque senza dubbio il buon diritto di Alessandro a titolo della maggioranza delle voci di nomina.« Utriusque etiam familiae paupertatem summam exponit; quam maxime vero defuncti Antonii familiam octo filiis constantem praeter viduam relictam Annam Bratti commendat, ut ubi causa cadat lacrimabilis ejus conditio sublevetur »col concedersi ai due maschi della supplicante famiglia, quai compatroni esse pure del mentovato beneficio quella maggior pensione alimentaria che si possa, e che l'equità de' sacri canoni, e la benigna consuetudine della s. Sede suole concedere ai compatroni poveri. Qui si verifica certamente il caso dell' estrema povertà ed altresì di tante particolari circostanze che l'aggravauo . . . . . non essendovi persone le quali possano di diritto costringersi a prestare alimento ai sudetti compatroni.«

De Vincentio altero ex compatronis pariter sollicitus est eumque dignum existimat »di qualche sussidio annuo, che pur trovasi privo di mezzi di sussistenza e povero.«

Demum quoad beneficii dotem tradit eam conflari possessione quadam »che può calcolassi dell' annuo reddito nello di circa scudi 160. Ila l'onere di messe 186. all' anno e di una libra di cera nella festa del Santo oltre al manterimento del' altare.

Quibus ita in facto praenotatis principalis quaestio quae hodierna die proponitur in ea stat, utrum scilicet nominatio ad beneficium s. Mercurialis tribuenda sit omnibus de familia Denti patronis aut potius privative spectet ad eum qui senioratus praerogativa pollet; ab hoc siquidem pendet judicium, cuinam ex contendentibus sit elargienda dispensatio super aetate. Qua de re mei muneris est referre quae utrinque in votis a jurisconsultis nostris affabre elaboratis scripto tradita mihi sunt. Atque in primis qui Franciscì partes sustinet, illud arripiens urgensque juris notissimum principium, quo sancitur ultimum statum rem omnem conficere in hujusmodi controversiis ubi lex fundationis non invenitur, *de Luca de jurepatr. disc. 60. n. 9,* sac. Congr. in *Firman. Jurispatr. 29. April. 1837.* §. *Jam vero,* postremas tres nominationes annorum videlicet 1796, 1828, 1838 in medium profert queis nominandi jus favore unius senioris constitui mordicus contendit.

Et quoad primam anni 1796. unum seniorem nominasse extra omnem controversiam esse ait, quin ex adverso valeat opponi, tum potuisse fieri ut unus tantum superfuerit ex familia Denti; nam praeterquam quod a posse ad esse ut ajunt recta fieri nequeat illatio et aliunde denegantibus onus probationis incumbat, rem praeterea omnem conficit testimonium parochi probantis extitisse

tunc temporis Joannem Baptistam Denti, et quidem hominem perfectae aetatis, triginta nimirum et unum annos natum. Ex quo etiam apparet jam inde a quinquaginta annis hanc consuetudinem familiae extitisse ut unus senior caeteris exclusis nominaret.

Quoad alterum statum quem constituit nominatio 1828 jus ex eo clarius fieri pergit ostendere; si quidem constet quod ille idem Jo. Baptista, qui anno 1796. ne cogitaverat quidem nominare, quia haud ipse erat a familia senior, postea talis evasus solus nominat dicto anno 1828 expresse declarans ad se unum uti familiae seniorem nominationis jus pertinere. Et quamvis hoc tempore tres alii ex fratre nepotes extarent, nempe Antonius, Vincentius et Anselmus, attamen praesentatus ab eo uno Joanne Baptista institutionem ab Ordinario obtinuit tamquam a vero patrono nominatus. Nec refert declaratio ab iis emissa, cum ea respiciat aliud beneficium s. Bartholomaei, cujus loco nonnisi per errorem amanuensis factum fuisse, ait, ut scriberetur beneficium s. Mercurialis in epistola, qua episcopalis curia eos tamquam jus habentes ad sua jura deducenda vocavit.

Verum nec res prorsus immutaretur ubi etiam pateret declarationem respexisse beneficium s. Mercurialis, si enim despectis eorum declarationibus Andreas, ab uno Joanne Baptista praesentatus, institutus fuit ab Episcopo, tamquam a vero patrono nominatus, idemque postea pacifice beneficium possedit, jam procul dubio obstat ipsis res judicata et ultimus status per ejusmodi inanem contradictionem subsequentemque acquiescientiam inexpugnabile robur acquirit teste s. Congr. *in Ariminen. Capellaniae 26. Febr. 1744* §: Atque, *Rota decis. 15. et 75. n. 7. cor. Lancetta et decis. 329. n. 6. par. 8. recent.*

Demum luculentissimum fieri jus senioris ex ultimo statu anni 18·8 cum beneficium rursum vacasset ostendit ex eo quod Episcopus absque ulla ambage pronunciaverit: Cum nobis constet de jurepatronatus competenti dicto seniori Joanni Baptistae »et ipse Pontifex in literis apostolicis expeditis pro dispensatione ita loquutus fuerit« beneficium quod sicut accepimus de jurepatronatus laicorum senioris videlicet pro tempore existentis etc. Et sane nil ulterius quaerendum existimat ex quo et literis apostolicis et Episcopi sententia rei judicatae in casu status vires nacta praesentibus iisdem contradictoribus jus senioris fuerit confirmatum. Nec imo opus fuisse putat ut bonum Francisci jus probaretur in hac simplici quaestione possessoria, in qua sat fuisse in quasi possessione juris nominandi, licet inde non probaretur jus eligendi ad eum re vera pertinuisse ut post cap. *consultationibus de jurepatron.* docet *Fagnan. in cap.: Quae relax. 24. de elect.* et s. Congr. *in Toletana Canonicatus 16. Dec. 1769. §: Ex capite.*

Post haec cum ultimus status per tres actus conformes editos in longo quinquaginta annorum spatio rem conficiat, parum attendendum esse ait si ante annum 1796 una alterave vice beneficiatum praesentatum fuisse a pluribus, non a seniore tantum constaret. Consensus enim aliorum aliquando accessit ex abundantia eo tempore quo quaestiones magis flagrabant, quae diu durarunt inter familiam Denti et extraneos super pertinentia hujus beneficii. Aliquando etiam pro omni juris effectu accessit, uti de Anselmo expresse dicitur in decreto executoriali 1838, quum suspensio a Pontifice obtenta fuit. Praeterea cum familia Denti universa haberet jus una cum extraneis ad aliud beneficium s. Bartholomaei, aliquando evenire potuit, ut consentientibus aliis patronis et ad hoc beneficium nominaretur idem ille clericus, cui conferebatur a seniore beneficium s. Mercurialis; hinc dici poterant plures simul et indistincte de eadem familia Denti nominasse aliquem clericum ad beneficium utrumque.

Quod si antiquitatis tenebras peragrari lubeat, pro se facere actum caeteris omnibus antiquiorem, nempe sententiam anni 1683 existimat. Ibi enim, licet de alia re ageretur, mentio tamen de seniore fit, cum dicat judex ille: »Bullas obtentas per nob. Canonicum Bernardinum Denti Seniorem.« Quod verbum senioris non ad perspicuitatem sermonis, sed ad facultatem praelativumque jus nominandi referri necessario debet, quia nullum alium Bernardinum juniorem extitisse ex eodem contextu patet, ubi tantum Anselmus et Antonius de familia Denti superesse dicuntur. Si vero in illa ipsa sententia omnium superstitum de familia Denti fit mentio sique aliquando, vel quia res erat etiam de beneficio s. Bartholomaei vel ad retundendos impetus extraneorum vel demum ad abundantiam subscriptioni senioris nomen etiam

aliorum accessit, neutiquam id in themate officit, quia non agitur de pertinentia jurispatronatus inter varios patronos sed tantum de judicio possessorio inter provisos, quo in casu sufficere docere se praesentatum fuisse ab eo qui in quasi possessione erat juris praesentandi tradit *Rota cor. Lancetta decis. 75. n. 7.*

Verum etsi in judicio petitorio modo quaereretur inter patronos de jurepatronatus etsi ultimus status vim ineluctabilem non acquisiisset per literas apostolicas et per res judicatas, etsi demum manifestissimus esset praecedens contrarius status, tamen ea vis est quadragenariae observantiae, ut in linea praescriptiva donec instrumentnm fundationis non afferatur sequi eam omnino oporteat, *Card. de Luca disc. 63. de benef. n. 2,* s. Congr. in *Severini Beneficii 26. Junii 1841. §: Hisce omnibus.* Maxime quia, deficiente fundatione, haec observantia ultimi status non tam dicitur praescriptio quam interpretatio legitima incognitae voluntatis fundatoris, uti docet cit. *Card. de Luca dis. 57. de jurepatron. n. 28.* Hinc cum ex supra dictis plene probatum maneat praesentatum a Seniore praeferendum esse, ambigi pariter non potest de validitate nominationis ab Antonio factae favore filii sui Francisci. Atque leve prorsus esset objicere ipsum pendente pontificio suspensionis decennalis indulto injuria ad nominationem processisse; siquidem suspensio haec cum obtenta fuerit ab Antonio ipso in proprii subsidii causam, re ipsa manifestum est potuisse gratiae sibi impertitae pro suo arbitrio renunciare, secus namque accederet ut quod in ipsius favorem a Pontifice concessum fuit in ejus odium retorqueretur.

Francisci jure ita probato nonnulla addit ut Alexandrum adversarium excludat quoque a subsidio quod super beneficii fructibus in alimentorum causam ob istius paupertatem adsignare posset. Verum cum potissimum ab aequitate sacrae Congregationis pendeat subsidia pro rei circumstantiis conferre ac dimetiri, supervacaneum immorari hac in re videtur; quavis enim ex parte judicium Vestrum sapientissimum super merito declinet, ex Episcopi relatione superius exscripta haurirent EE. W., quid in themate agendum expediat.

Hisce tamen nec leviter turbatur qui Alexandri jura tuetur. Haud ipse inficiatur magnam esse in re beneficiaria vim ultimi status, qui sane ex vulgatissimo *cap. Consultationibus 19. de jurepatron.* efficat, ut simplex possessorum proprietatem patronatus vincat; ast mordicus contendet ultimos status ex adverso invocatos atque proinde proprietatem patronatus ex integro seu petitorio explorandam esse, quae in themate desumpta ex actu fundationi contemporaneo, uti est res judicata anni 1683, una cum subsequuta plus quam saeculari observantia, palam facit patronatum nonnisi quam gentilitium vel saltem familiarem lato sensu esse, ita ut sola nominatio peracta a fratribus Vincentio et Anselmo valida atque legitima sit agnoscenda.

Itaque expedit triplices status ex adverso allatos omnesque ineptos demonstrat ad effectum constituendi jus nominationis favore senioris. Et primo praesentationem anni 1796. ab uno Antonio Denti factam nihil ponere existimat tam si constaret nullum alium de familia tum temporis fuisse quam secus; nam in prima hypothesi, cui ipse Foroliviensis Episcopus favet dum asserit »non risulta dagli atti che altri maschi della famiglia Denti vivessero a quel tempo; anzi per notizie precorse vi sarebbe fondatamente da congetturare che egli (nempe Antonius) fosse unico dei maschi di sua famiglia«, isthaec nominatio referenda esset ad eandem naturam praecedentis nominationis anno 1763 a Cornelio et Antonio Denti factae, quae exhibet re ipsa naturam patronatus familiaris vel agnatitii, uti supra dictum. In altera vero hypothesi, quoniam in ea praesentatione nullum verbum excidit, quod seniorem respiciat, fidem de hoc perhibente ipso Episcopo, qui praesentationis ac institutionis actum vidisse ac legisse testatur, concludendum pariter nihil immutatum quoad patronatus naturam fuisse, sed praesentationem ab uno Antonio factam servasse jus reliquis patronis cum jus patronatus sit individuum, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 63. n. 28, Fargna par. 2. can. 24. cas. 4. n. 27. et can. 26. cas. 1. n. 28, Piton. de contr. patron. alleg. 11. n. 23.*

Nec secus censendum de altera praesentatione anni 1828. a Joanne Baptista favore filii sui Andreae expleta; primo quia licet in senioratus praerogativa praesentans se fundaret tamen de ipsa nec suus procurator nec Ordinarius in eorum actibus rationem

ullam habuerunt, in quibus imo de simplici patronatus praerogativa fit mentio. Porro quum praesentatio uti a seniore facta nullo in pretio habita fuerit a dicto Ordinario, qui aliunde in vim Tridentinae legis tenetur prius pertinentiam jurispatronatus agnoscere, et nullum effectum sortita fuerit, tenendum pariter indolem agnatitiam patronatus immutatam non fuisse quippe ut praesentatio statum constituat opus est ut suum plenum sortiatur effectum. *Fargna loc. cit. par. 2. can. 26. cas 1. n. 7.* Deinde quia asserens Joannes Baptista in mandato jus praesentandi ad se pertinere »come il superstite più vecchio della famiglia Denti, conforme in addietro si è sempre praticato«, super errorem intentionem suam fundasse videtur; quandoquidem jam inde ab anno 1683 observantia suae assertioni aperte refragabatur. Jam ab anno 1726 ad 1730 constat nominasse ad beneficium Anselmum et Antonium Denti. Ab anno 1762 ad 1763 exstat alia nominatio a Cornelio et Antonio Denti facta. Sequitur demum postrema anni 1796 ab advocato Antonio expleta: in quibus omnibus frustra quaereres senioratus praerogativam; ac proinde quum Joannes Baptista falso prorsus et insubsistenti titulo innixus tum fuerit haud potuit praesentatio statum constituere, ad tradita per *Piton. discept. eccles. 104. n. 47,* eo quia, uti laudatus auctor sub n. 62, »verba praesupposita corruunt corruente praesupposito.« Demum quia praesentatio illa legitime contradicta fuit et quidem protestatione cujus sane ea est vis ut quamlibet innovationem impediat atque jus protestantis conservet: *Pignat. consult. 171. n. 102 et seq. tom. 9. et consult. 114. n. 22. et 23. tom. 10.* Et cum in ea dictum fuerit — non debba nè possa mai ritorcesi contro d' loro e dei loro figli, eredi, e successori nè formare stato o prova o consuetudine contraria in pregiudizio del diritto all'anzidetto beneficio — status ille nullo pacto tribuere valuisset quasi possessionem praesentandi, prout ex auctoritate Rotae tradit in terminis, *Piton. discept. eccl. 28. n. 15.*

Tertius superest status anni 1838, qui favere videtur juri senioris, ex eo quod, licet neque in praesentatione Antonii neque in contemporanea Anselmi exciderit verbum senioratum innuens, attamen tam in literis apostolicis quam in decreto exequutoriali Foroliviensis Vicarii de qua praerogativa ratio speciatim habita fuit. Verum quoad primas animadvertendum venit, narrativas literarum apostolicarum conceptas verbis ut asseritur sicut accepimus nihil ponere in esse, sed rem in suo statu relinquere praecipue in materia jurispatronatus, prout definivit *s. Rota decis. 570. n. 1. part. 3. recent.* relata a *Fargna de jurep. part. 5. can. 12. cas. 1. n. 18.* Quoad alterum cum appareat gratis assertum fuisse a Vicario: cum constet nobis de jurepatronatus, eo quia nullam in medium protulerit probationem seu rationem scientiae suae, nullo pariter in pretio haberi posse dictionem illam consequitur, communis enim canonistarum sententia est, in iis quae respiciunt probationes et acta non esse credendum meris assertionibus et enunciativis, quas faciunt judices in eorum sententiis, nisi illae probantur ex actis, ceu totidem verbis monet *Piton. de controv. patron. alleg. 57. n. 23,* cui consonat *Mascard. de probat. in proem. qu. 1. n. 7. tom. 1. et conclus. 949. n. 16. tom. 2.* Praeter haec alia accedunt quae vim omnem huic ultimo statui perimunt, scilicet absentia, imo latitatio Vincentii alterius ex compatronis, cujus inscii juribus nullum ex adverso praejudicium inferri poterat, *Rota in Firmana Beneficior. 29. Jan. 1711. cor. Lancetta n. 12., in Sorana Jurispatr. 22. Jan. 1712 et 24. Nov. 1713. cor. Falconer., Piton. alleg. 60. n. 47.* et proinde etiam alterius fratris Anselmi jus ob individuitatem patronatus sartum tectumque permansisse apparet.

Sed quamvis enunciati status caeteroquin subsisterent, nihilominus quum haud clari et certi, sed imo incerti ac turbidi videantur, ullam prorsus de iis rationem haberi posse negat cum *Piton. alleg. 18. n. 23. et alleg. 100. n. 124, de Rosa de exequut. liter. apost. par. 1. in addit. ad cap. 7. n. 186., Fargna de jurep. par. 1. can. 23. cas. 4. n. 19.* Addit Antonium in mala fide se fuisse versatum, quod satis patet ex eo quod una cum fratribus protestatus solemniter fuit anno 1828 contra Joannem Baptistam senioratus praerogativam tunc jactantem et quia decennio post sese sociavit Anselmo ad praesentandum eundem Joannem Baptistam. Atqui ut ultimus status prosit, a bonae fidei possessore est allegandus; etenim malae fidei possessio nunquam attenditur, *Lambertin. de jurepat. art. 5 et 12. n. 12. quaest. 3. part. 1. lib. 2., Fargna part. 2. can. 24. cas. 4. n. 16.* Accedit Antonium nunquam exercuisse jus ratione senioratus ideoque cum nequeat proprium

factum adducere, eo minus sui antecessoris Joannis Baptistae possessione juvari potest, quippe tralatitium est praesentandi possessionem in successorem non transire. *Card. de Luca de jurep. discurs. 63. n. 31. et seqq., Vivian de jurep. lib. 5. cap. 2. n. 16.*

Esto sed etiam clarissimos esse allatos status, nihilominus haud meliorem fieri Antonii illiusve qui ab ipso causam habet conditionem quoad prerogativam senioratus, pergit ostendere. Siquidem quamvis verum sit cit. *cap.: Consultationibus* favere possessori ultimi status quae proprietario patronatus ejusdem ita ut ab illo praesentatus aliis omnibus praeferendus sit, id tamen verum esse tradit quoties praeter patroni bona fide possidentis praesentationem subsequuta etiam fuerit praesentati institutio. *Lambert. loc. cit. art. 6. per tot., Piton. discept. eccle. 28. n. 1. ad 7., Card. de Luca loc. cit. disc. 62. n. 15. et disc. 85. n. 2.* Verumtamen in facto ambigi nequit praesentatum ab Antonio adhuc canonica institutione donatum non fuisse ob defectum aetatis. Quamobrem cum res adhuc sit integra, admisso etiam jure possessorio in seniore, quoties praeterea constet de indole agnatitia seu familiari patronatus et proinde de bono jure fratrum Vincentii et Anselmi in petitorio, sponte fluit favore Alexandri tantum dispensationis super aetatis defectu locum fieri; re enim integra proprietas absorbet possessorium.

Atqui quamvis fundationis tabulis inniti haud fas sit, praesto tamen sunt in themate duo haec, nempe res judicata anni 1683 et partis videlicet Antonii confessio scatens ex declaratione facta anno 1828 contra jus privativum senioris et ex nominatione cumulative cum Anselmo et Joanne Baptista facta; quarum etiam alterutram ad patronatus proprietatem tuendam satis esset adducere, perinde ac si de fundatione constaret, prout monet *Piton. discept. eccles. 28. n. 2., Card. de Luca de jurep. disc. 11. n. 7. et de benef. disc. 73. n. 38., Vivian. lib. 11. c. 7. n. 22 et 23.* Sane ex dicta re judicata cujus verba in facto relata sunt absque ullo verborum involucro enunciatur qualitas patronatus agnatitii vel familiaris, quae eo minus desceptandi rationem praebet, quo magis a plus quam saeculari observantia est confirmata cum constet de tribus praesentationibus jure familiari factis, ita ut ejusmodi probatio ita adminiculata obtineat formam probantem, ut ait *de Luca de jurep. disc. 21. n. 8.*, ideoque dicatur habere pro se claram assistentiam juris, *Piton. alleg. 90. n. 87.*: »Res enim judicata est titulus fortior centenaria, ut immemorabili,« ait supra relatus *auctor alleg. 27. n. 16 et 17.* Cum hinc ex praemissis bonum jus Vincentii et Anselmi vindicatum satis appareat nec etiam dubitandum erit ut supra dictum, quod uni Alexandro dispensatio aetatis facienda sit, utpote qui praesentatus a majore parte patronorum jus ad institutionem obtinendam acquisivit, uti late tradit *Fargna par. 2. can. 1. cas. 2. n. 25.*

Qua de re varias recenset canonicas causas ut Pontificem ad dispensandum favore dicti Alexandri compellat, easque desumit ex praerogativa patroni, ex conjunctione sanguinis cum ipso fundatore, quibus in casibus gratiam hujusmodi passim concedi pueris etiam novem vel decem annorum monet cum *Piton. discept. eccl. 13. n. 42., de Rosa de execut. lib. 1. cap. 6. n. 288., Corrad. in prax. dispensat. lib. 4. c. 6. n. 10.*, maxime quando agitur de puero aetati canonicae proximo, ut in casu oratoris, qui jam duodecimum annum transegit. Addit insuper paupertatis requisitum quod maximi semper fecit S. C. Congr. uti caeteris missis constat ex recenti *Sutrina Dispensationis 11. Jan. 1846.*

Hisce utrinqne delibatis erit EE. VV. dirimere

Dubium:

An et cujus favore constet de legitima nominatione ad beneficium s. Mercurialis ita ut et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu?

S. C. resp.: Affirmative favore Francisci.

Die 28. Aug. 1847.

Contin. Forolivien.

Ad trutinam redit hodie causa ob impetratum ab altero contendente Alexandro Denti novae audientiae beneficium; sed a defensore quem pro novo periculo sibi adscivit ad sua jura exponenda nihil adhuc accepimus.

Instat e converso Francisci defensor ut primum judicium undique confirmetur. Iterum enim commemorat satis sibi esse in hodierna judicii sede se nominatum fuisse ab eo, qui in quasi possessione juris nominandi reperiebatur, uti post *cap.: Quaerelam 10. de elect.* tradit *Fagnan. ad dict. cap. in princ. et s. Congregatio in Toletana 16. Decembris 1769*, quia hodie id tantum quaeri inquit, uter nimirum in possessione fuerit juris nominandi, seniorne an caeteri de familia Denti, non autem cujus favore constet de pertinentia juris patronatus.

Nihil igitur ad rem facit, ut ipse ratiocinatur, sententia anni 1683, quae prodiit in causa pertinentiae juris patronatus inter familiam Denti et aliam familiam Moratini, qua definitum est: *Juspatronatus spectare et pertinere dumtaxat ad praefatos nobiles D. D. Canonicum Anselmum Denti et Antonium I. M. D. pariter de Dentis.* Unde patet patronos esse omnes de familia et ad eos inde omnes jus nominandi pertinere. Sed quod decisum fuerat patronos non fuisse illos de Moratiniis dumtaxat vero illos de Dentis, nil quidem commune habebat cum modo, quo ab illis de familia Denti exercendum erat jus nominandi, utrum scilicet omnes simul concurrere deberent an potius unus post alterum statim ac quisque senior caeterorum evasisset.

Et re quidem vera sciunt omnes juspatronatus veluti genus esse, sub quo variae jurium species comprehenduntur, idest non jus nominandi modo, sed etiam jus sepulturae, loci honorifici in ecclesia, alimentorum ex redditibus beneficii, si patronus in egestatem incidat. Modus autem exercendi accessoria haec jura ex consuetudine pendet, quum lex fundationis ut in themate non inveniatur; et immutatur etiam facillime per observantiam contrariam illorum status, quia substantiam jurispatronatus non tangunt, *Card. de Luca discur. 17. de jurepatr. num. 28. Uno verbo*; cum agitur inter provisos de possessione juris praesentandi ab ultimo statu recedi non potest, etiamsi contrarius praecedens status probaretur. *Maresc. var. res. lib. 1. cap. 55. n. 22. et seqq., Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 34. num. 21. et sqq., S. C. in Firmana Jurispatr. 29. Aprilis 1837. §: Jam vero, Rota decis. 75. n. 7. cor. Lancetta.*

Ut haec autem in jure perspicua sunt, sic in facto tres ultimi status anni 1796, 1828 et 1838 limpidi reperiuntur. Nam quoad primum haud controversum est seniorem tantum nominasse et nedum constat tunc Joannem Baptistam Denti vixisse, sed praesentem etiam Forolivii fuisse, ceu colligitur ex recens accepto parochi testimonio fidem perhibentis Joannem Baptistam Forolivii in sua parochia anno 1796 habitasse. Nec interest expressum tunc non fuisse seniorem nominasse uti seniorem, sed tantum uti patronum: nam si senioritatis dumtaxat intuitu non nominasset, asserere utique debuisset compatronum, et alius etiam ex familia ille ipse Joannes Baptista, qui mox effectus senior jus suum firmissimum asseveravit.

Quamquam supervacaneae hujusmodi disquisitiones habendae sunt, quia neminem praeterit ultimum statum probari per nudum actum praesentationis ab aliquo factae et effectum sortitae, quin ulla assumi debeat alia minutior indago, *Rota decis. 329. par. 18. n. 18. recent.*

Alterum statum anni 1828 limpidum pariter reddit nominatio a Jo. Baptista peracta cum prerogativa exclusive allegata eam peragendi utpote *»il più vecchio della famiglia Denti«*, quae quidem nominatio probata etiam ab Episcopo ejus temporis plenum sortita est effectum. Nec refert Anselmum, Vincentium et Antonium Denti protestatos fuisse contra exclusivam senioris nominationem; nam praeterquam quod protestatio sexaginta octo diebus post plenam actus consumationem prodiit et *»il chierico Andrea restò sempre pacifico possessore dello stesso beneficio di S. Mercuriale, come di quello di s. Bartolomeo«* ceu narrat Episcopus, animadvertendum etiam occurrit illam referri ad aliud beneficium s. Bartholomaei, de quo testis est idem Episcopus confirmans ex errore scriptum fuisse s. Mercurialis nomen loco s. Bartholomaei in epistola a Vicario suo scripta.

Ast si perspicui sunt duo penultimi status, non secus de tertio vel ultimo dicendum; quandoquidem postrema beneficii provisio facta a seniore confirmata etiam fuit literis apostolicis et sententia exequutoriali Episcopi, ubi dicitur expresse constare de jure patronatus competente dicto seniori. Et fatuum esset ambigere, utrum literae apostolicae exequutioni mandatae possessionem probent. Nec est quod apponatur Anselmum etiam nominasse; id siquidem quin prosit, in deteriorem potius conditionem adversarii causam conjiceret, quia exinde proflueret eum frustra contradixisse juri, quod per rem judicatam constitutam quodammodo ex literis apostolicis et sententia exequutoriali Episcopi qui pronunciavit: *Cum nobis constet de*

jurepatronatus competenti dicto seniori suum plenum robur obtinuit. Quippe, nemo nescit quantam ultimo statui vim addat inutilis contradictio et subsequuta quiescentia partis adversae. Ad rem S. Congregatio *in Ariminen. Capellaniae 25. Februarii 1884.* §: *Idque.* Cui consonat *Rota decis. 75. numer. 7. cor Lancetta et decis. 329. numer. 6. par. 18. recent.*

Praeterea alia prorsus de causa factum fuisse exponit, ut Anselmus ad nominandum cum Jo. Baptista concurreret. Scilicet quod non jus senioratus impugnaret, sed ne ob depactam excessivam pensionis largitionem uni factam statui beneficii, de quo omnem uti habituales patroni curam gerere debebant, praejudicium irrogari videretur; idcirco Anselmus ipse una cum Antonio in petitam ad beneficium assequendum dispensationem consensit; quia conventio pensionis favore senioris fiebat per actum individuum, ideo omnes necessario comparuerunt.

Post haec preces ingeminat, ut causa absolvatur. Ex ea namque unice gravissimis, quibus Francisci familia premitur aerumnis, levamen aliquod afferri posse profitetur.

Queis omnibus Francisci juribus si illa etiam Alexandri, ut a suo patrocinatore nunc monemur, re ipsa adjungantur, nihil decrit E. E. V. V. ut facilius discernere valeant quanam ratione dirimendum sit dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

Praevio recessu a decisis affirmative in omnibus favore Alexandri.

Die 26. Febr. et 8. Apr. 1848.

Continuatio.

Ob novam audientiam a Francisco impetratam tertium hodie causa subit periculum definiendumque est utrum sit standum in primo seu potius in secundo loco decisis. Alexandri defensor sibi ominatur fore ut E. E. V. V. plenis suffragiis secundam resolutionem confirment: sollicitusque libellum distribuit in quo omnia potissimum recenset rationum momenta quae in praecedenti allegatione fuso calamo collegerat. Scilicet juspatronatus super beneficio s. Mercurialis ad omnes agnatos masculos familiae Denti pertinere satis superque probasse asseverat per rem judicatam anni 1683 ab ejus temporis Vicario generali Foroliviense editam, qua nedum definitum fuit: *Beneficium ecclesiasticum fuisse ac esse de jurepatronatus laicorum . . . nobilis familiae Denti*, sed patentissime declaratum quoad juris exercitium *modo signanter ad praefatos nob. D. D. Canonicum Anselmum et Antonium I. U. D. . . . germanos fratres de dictis Dentis . . . et ad cujuslibet ipsorum haeredes ac successores spectare et pertinere jus nominandi ac praesentandi rectorem,* quae verba omnem privativi juris ideam erga seniorem familiae Denti mirum in modum excludere condendit. Cui adjiciens longissimi temporis observantiam necnon iteratam et solemnem adversae partis confessionem nefas esse ambigere ait de ejusdem patronatus pertinentia ad agnatos familiae Denti. Nequicquam deinde rei judicatae superius memoratae vim adimi posse putat per alteram sententiam, quae antea lata ex adverso dicitur ab eodem judice inter Dentios et Marattinios. Siquidem, inquit, praeterquam quod ex documento Cancellarii episcopalis constat sententiam illam haud extitisse neque illius exemplar ad acta exhibitum fuisse, attamen ubi etiam ea existeret praesumptio est judicem in praefatis duabus sententiis ferendis cohaerentem esse voluisse, adeo ut quemadmodum in posteriori ita in anteriori pertinentiam jurispatronatus unicuique ex agnatis masculis tribuisse tenendum sit. Frustra etiam praesidium quaeri subjungit in quasi possessione favore senioris tribus ultimis vacationibus. Quippe dum ex testimonio Episcopi aliisque documentis necnon solemni confessione ab adversarii parente emissa assertam quasi possessionem excludit animadvertit quoque eam locum sibi dumtaxat vindicare in judicio possessorio, *ex cap.: Consultationibus 19 de jurepatr. in 6* proindeque argumentum illud extraneum a themate dicit ubi non de pertinentia jurispatronatus quaestio est. Ceterum nec illud observare haud praeterit et in possessorio judicio praestatum argumentum hanc limitationem pati, dummodo scilicet non constet de pertinentia per publicum instrumentum, per rem judicatam, per confessionem partis, *ad text. in cap.: Cum de benefic. de praebend. in 6, Menochius de recup. possess. remed. 1. num. 120., Politi de jurepatr. dissert. 8. num. 5, Postius de manutent. tom. 2. observat. 32 §. 8, Rota decis. 8. num. 3 et 4. par. 14. et decis. 463. num. 3. et seqq. par. 19. tom. 2. recent.*

Ex parte Francisci nihil habuimus. Resumentes igitur folia praecedentium propositionum EE. VV. definire non renuant dubium:

An sit standum in primo seu potius in secundo loco decisis in casu?

S. C. resp.:

In primo loco decisis.

Die 9. Septembsis 1848.

Continuatio.

Cum primum haec causa disceptata fuit in Congregatione diei 28. Augusti 1847., propositae dubii formulae: *An et cujus favore constet de legitima nominatione ad beneficium s. Mercurialis, ita ut et cujus favore sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?* rescriptum est: Affirmative in omnibus favore Francisci. Ad trutinam causa revocata in Congregatione diei 26. Februarii 1848 scissis EE. PP. suffragiis rescriptum est: Iterum proponatur. Ea itaque proposita in Congregatione diei 8. Aprilis sequentis rescriptum fuit: Recedendum a decisis. Verum paulo post maturius rebus perpensis mutata est a s. Ordine sententia; nam in Congregatione diei 9. Septembris proxime memorati anni responsum datum est: In decisis primo loco.

Audiri hinc iterum haud mora petiit Alexander inimico responso perculsus. Verumtamen, statutis post longas comperendinationes hodiernis comitiis ad causae propositionem, nihil hactenus ad sua tuenda jura ab eodem Alexandro accepimus. Pro Francisco circumfertur memoriale reassumptionis, ratus ejus defensor ex juribus in superioribus propositionibus panditis allato undique calculo postremam resolutionem confirmatam iri. Erit igitur EE VV. folia dierum 28. Augusti 1847., 26. Februarii et 9. Septembris 1848, quae seorsim damus, iterum consulere, ut ea, qua solent, sapientia dirimant dubium:

An sit standum in secundo seu potius in tertio loco decisis in casu?

S. C. resp.:

In secundo loco decisis.

Die 20. Aprilis 1850.

Continuatio.

Quocirca victoria latus Alexander reportata vix nova redeundi venia ab adversario Francisco institit ut quo citius fieri posset novae diutissimae causae propositioni locus daretur, quae reapse de partium consensu ad hodierna comitia omnino et infallanter destinata fuit. Mox vero Francisci procurator per libellum protelari petiit propositionem aliamque destinari Congregationem eam ob causam, quia, quum modo novum assumpsisse asserat defensorem, haud fas sibi esset in tanta temporis angustia novam jurium allegationem exhibere. At vero petitioni obstitit alter Alexandri procurator, eo maxime quia ulteriores induciae gravissima clienti suo damna parere asserat. In hoc partium conflictu necessarium fuit rem judicio EE. Vestrarum juxta neotericam legem per memoriale ablegare. Quare pro ea qua fulgetis justitia et aequitate dijudicabitis ex rerum adjunctis, utrum benigne excipienda petitio sit, nec ne. Pro Alexandro jura circumferuntur.

Nostrum est proponere dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in ultimo loco in casu?

S. C. resp.:

In ultimo loco decisis.

Die 27. Julii et 4. Decembris 1850.

Continuatio.

Quum enim in conventu diei 14. Decembris anni superioris dubio proposito: *An sit standum vel recedendum a decisis ultimo loco in casu?* inimicum accepisset responsum: In ultimo loco decisis, haud mora novae audientiae beneficio sibi prospicere adnisus est; illudque reapse a benignitate S. O. obtinuit. Quod cum praeter omnem expectationem innotuisset Alexandro novam per suum procuratorem ursit causae probationem, quam partibus consentientibus destinavi hodiernis, quae calantur, comitiis.

Mox dum immineret terminus propositionis comperendinationem libello petiit coram me procurator Francisci; cui tamen quum obstitisset alterius partis procurator, tum quia hujusmodi artibus ad clientem divexandum defatigandumque adversarius uteretur, tum maxime quia ulterior protelatio ingens damnum eidem clienti affert, attenta gravissima, qua premitur, rei familiaris angustia, in partium conflictu necessarium mihi fuit petitionem amandare rescripto: »Utatur jure

suo in die propositionis causae per memoriale. Quare proponitur dubium:

An sit standum in primo et tertio seu potius in secundo, quarto et quinto loco decisis in casu?

S. C. resp.:

In ultimo loco decisis et amplius.

Die 22. Febr. 1851.

Fanen.

Extant in Fanensi cathedrali ecclesia sex beneficia choralia jurispatronatus Comitis Nicolai Gherardi Senogalliensis a fundatoris nomine Uffreducci nuncupata. Volvente anno 1849. proxima erat unius ex his beneficiis vacatio ob imminentem sacerdotis Tomassoni, qui illo fruebatur, in Canonicorum collegium cooptationem. Qua de re certior factus patronus plenam pro illa vice novum beneficii rectorem nominandi Episcopo loci facultatem fecit per epistolam diei 4. Junii ejusdem anni his conceptam verbis: »Mi si scrive da Fano essere vacante uno dei beneficii Uffreducci di mia nomina. Il signor canonico Pasgualucci mi domanda tal nomina pel chierico Giacinto Ferri, così il Signor Don Carlo Piccoli pel sacerdote Don Giovanni Praeci, come pure il chierico Pietro Josephi, al quale io già aveva annuito; ma sento possa esservi difficoltà, non essendo il detto Joppi nativo di Fano; quando ciò si avverasse, e tale ostacolo impedisse al detto chierico di fruire di tal nomina, allora io prego l'E. V. Rma a nominare chi meglio crede, non avendo io per questa vacanza alcun impegno: per cui una nomina fatta dall' E. V. riuscirà per tutti i rapporti eccellente; ed io con questa mia intendo darlene tutte le facoltâ, che potessero essere in me per tal nomina dell' attualmente vacante beneficio, e che a momenti vada ad essere vacante.

Reapse cum die 31. Octobris ejusdem anni dicti beneficii vacatio contigisset, Episcopus potestate sibi a patrono facta usus sacerdotem Joannem Bracci ad illud die 3. Novembris nominavit, quippe clericus Joppi, de quo in epistola mentio fit, utpote extraneus ex fundationis lege nominari non poterat. Die vero 7. ejusdem mensis nominationis actus curiae exhibitus in actis receptus fuit. Verum nec opinato eodem die clericus Dominicus Tombari apud curiam se sistens et nominationis actum (quem praecedenti die, ut ipse refert, Provicario generali domo exhibuerat) ab ipso patrono Gherardi die 4. Novembris exaratum producens canonicam institutionem postulavit. Sed perperam: nam Provicarius generalis hujus petitionem extrajudiciali decreto rejiciens Bracci nominationem admisit. Contra Provicarii decretum clericus Tombari ad sacrum hunc Ordinem provocaverat: ast lite jam contestata mutato consilio vadimonium deseruit. Quod cum novisset patronus Gherardi, die 21. Decembris 1850. sacerdotem Aloysium Ugolini per novam nominationem renuncianti suffecit eumque hujus loco novum collitigantem, hoc in judicio, Braccio subrogavit.

Binas ab Episcopo super toto negocio hoc accepi epistolas, quarum altera die 4. Junii 1850. ad primi contradictoris Tombari preces refertur, in qua Episcopus sacerdotem Bracci a se nominatum valde commendans plura ad bonum jus suum protuendum, in hac nominatione explenda, edisserit; altera diei 7. Maji 1855. hodierni contradictoris Ugolini instantiam respicit, in qua primaevam sententiam suam undequaque confirmans, praeposteram hanc nominationem omnino censet reprobandam. »Hodie solum addo, inquit, quod sacerdos Ugolinius jam satis optime provisus est ecclesiasticis redditibus, quia simplex possidet beneficium et munus exercet capellani curati in venerabili hoc xenodochio pro menstrua retributione scutorum quinque; et ob debilem ejus valetudinem insufficiens est ad choralem praesentiam, ut exigit controversum beneficium.«

Jura quae sacerdoti Ugolino favent haec sunt. Tamquam certum ipse statuit, jus, quod Episcopus ad controversam nominationem peragendam sibi asserit, mandato, quod ipsi per epistolam diei 4. Junii 1849. patronus dederat, unice inniti. Verum multiplici ex capite mandatum istud nullitatis redarguit: primo quidem ex ipsa dispositione, quod *cap. 3. Ne captandae alienae mortis, de concess. praeben. in 6.* hujusmodi pro beneficiis vacaturis mandata fieri vetat: tum etiam ob defectum acceptationis ex parte Episcopi, qua deficiente mandatum irritum censetur, *Leg. Filius familias ss. de procurator.*, quin mandatarii taciturnitas acceptationis loco haberi possit, ut notat *glossa* ibidem: *adde Leg. 2. ff. de procurat., Bald. d. leg. filiusfamil.* et *Rotam decis. 371. part. 17. num. 8. recent.*

Id vero magis magisque patet perpensis tum causa mandati tum conditionibus eidem adjectis. Exinde enim Gherardus mandatum dedit, quod nempe continuo discessurus e patria verebatur, se absente nimium differri oportere nominationem beneficii, quod tunc temporis vacans putabat vel brevi vacaturum certo sciebat: hinc facultatem tribuit Episcopo di nominare al vacato beneficio, o a momenti vada ad essere vacante. Cum vero vacatio contigerit quinque post menses, planum est, haud voluisse Gherardum facultatem istam ad tam longum tempus protrahi praecipue, cum ipse jam in patriam reversus nominationem per se ipsum explere facile potuisset: cessante porro causa mandati mandatum tacite censeri revocatum docet *Rota in decis. 106. num. 6. part. 4. recent.* Nec praeterea, subsistenti apposita vacationis aut subsequutae aut proxime futurae conditione, ullam profecto vim mandatum ipsum exserere poterat, cum fines et conditiones mandati ad unguem sint observandi. *Leg. Diligenter. ff. mandati Leg. 10. cod. de procuratorib., Rota decis. 145. num. 16. part. 9. Recent.*

Atqui admissa etiam hujus mandati validitate nec quidquam proficere adversarium, urget Ugolinius. Tralatitium enim in jure est, re integra mandatum posse revocari, *textu claro in cap. Quamvis 2. de procuratorib. in 6. et lege si procuratorem ff. de mandato*; non obstante, quod juramentum de non revocando intercesserit, *gloss. in cap. final. de verb. signif., Rota decis. 345. num. 19. part. 5, decis. 354. num. 7. part. 4. recent., Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 386.* Et quoad mandatum nominandi ad beneficia res integra censenda est, quousque nominatio per procuratorem facta plenum sortita non fuerit effectum seu ut loquitur *Card. de Luca de subrogatione disc. 62. num. 13*, dum res est in fieri, ante scilicet admissam praesentationem per Ordinarium. Rem autem facti esse Gherardum non semel, sed bis terque mandatum, si quod dederat, revocasse. Revocavit primo die 4. Novembris 1849. nondum sequuta Bracci praesentatione, cum clericum Tombari nominavit, diserte declarans »che niuna altra nomina o provisione possa attendersi in pregiudizio del giuspatronato, e dé diritti del nuovo beneficiato, e non altrimenti.« Denuo revocavit die 9. ejusdem mensis, cum per epistolam idipsum Episcopo significabat; ac tandem subsequenti die 20. per protestationem ab ipsomet emissam, ubi validissimis etiam rationibus adjectis jurium suorum integritatem protuebatur.

Inde nil obstare, prosequitur Ugolinius, quominus patronus secuta primi nominati renunciatione ad novam nominationem deveniret: cui quidem haud impedimento esse poterat dispositio *textus in cap. 2. ut lite pendente in 6*, ubi cautum est, ne lite pendente, cum alterum collitigantium cedere vel decedere contingat, novus adversarius malitiose subrogetur in ecclesiae dispendium; subditur enim ibi: »sane si ad defensionem ipsius litis aliqui quorum intererit petierint admitti, eo in illo statu in quo ipsam invenerint decernimus admittendos.« Unde liquet hujusmodi prohibitionem casum, quo de agitur, minime attingere, quia patronus Gherardus, qui etiam in causa est, nunquam juri suo cessit; et novus nominatus, cujus maxime interest, admitti ad litem sui favore prosequendam eodem in statu quo reperitur exposcit. Accedit, haud locum hic habere verum statum litigiosum causae jam contestatae, nec malitiose, uti supponit textus, novum collitigantem suffectum fuisse, quia sponte vel suadente potius atque instigante curia Fanensi prior nominatus ex bona lite discessit.

Nec tandem ulla ratione consistere, quae gratuito prorsus ab Episcopo asseruntur, vel quod ipse satis jam amplis fruatur ecclesiasticis redditibus, vel quod mala laboret valetudine, ut beneficio isto indigeat, aut injuncta choralia onera sedulo possit implere. Ad primi enim adserti falsitatem evincendam ipsius Episcopi attestatione scriptis exarata utitur, ex qua colligitur, provisionem qua ipse potitur annuam 24 scutatorum summam non excedere; quoad alterum phisici professoris testimonium exhibet, quod de bona, imo florenti ipsius veletudine fidem indubiam facit.

Sed non minus validis rationum momentis innixus sacerdos Bracci pro suae nominationis validitate contendit. Illud autem praeprimis anim advertit, non agi hic de simplici mandato, prout adversarius sibi videri vult, sed de vera juris cessione in

manus Episcopi peracta, qua Episcopus non unum dumtaxat jus ad praesentandum, sed liberam beneficii collationem pro ea vice sibi vindicavit. Simul enim ac in Episcopo praesentandi instituendique jus coalescit absurdum esset dicere eum sibimet praesentare debere propter institutionem. In eo enim differunt collatio ac institutio, quod illa libera est, haec vero alligata praesentationi qua fruitur patronus. Ubi vero patronus hoc se jure quodammodo exuit illudque in Episcopum, qui habet instituere, confert, hoc sublato impedimento beneficium ipsum liberae fit collationis Episcopi, qui ideo unico actu expedit tam praesentationem, quam habet facere uti cessionarius patroni, quam institutionem quam habet facere uti Ordinarius, ceu punctualiter firmat *Lambertin. de jurepatronat. part. 1. lib. 2. quaest. 7. art. 24.*, quem sequuntur *Piton. discept. ecclesiast. 4. num. 102. tom. 1.* et plene, ceteris relatis, *Fargna de jurepatr. part. 2. can. 1. et 2. cas. 15. num 9.* Non poterat ergo mandatum constitui in eadem persona quacum principaliter negotium gerendum erat, sed veram cessionem sequutam exinde fuisse dicendum est. Id etiam clarius evincit ex amplissimis queis Gherardus patronus usus est verbis, cum plenam tribuit Episcopo potestatem, non quidem procuratorio titulo ad beneficium praesentandi, sed prudenti suo arbitrio nominandi quemcumque magis idoneum in Domino judicasset.

Hisce praejactis jam mole sua ruere subsumit, quod ex adverso objicitur, per mandati, re integra, revocationem in pristina jura sua patronum fuisse restitutum. Sane, cum vera in themate juris cessio seu renunciatio intercesserit, resolvi illa aut recuperari non poterat absque Episcopi cessionarii seu renunciatarii consensu; ad renunciata enim jura nullus datur regressus, *Rota decis. 235. part. 19. tom. 1. num. 13. et 14., decis. 323. part. 6. num. 7. et seqq. recent.* post textum in *Leg. quaeritur 14. ff. de aedilitio edicto.* Nec res amplius integra erat, postquam Episcopus juris sibi cessi vigore unico actu ad beneficii collationem devenerat.

Nec aliter sentiendum etsi in sensu adversarii simplex mandatum fuisset constitutum. Hic autem praemittit orator, nullatenus ad mandatum subvertendum ex censura *cap. 3. Ne captandae alienae mortis de concess. praebend. in 6* juvari posse contradictorem. Ibi enim rem esse de mandato dato ad praesentandum certam personam: secus autem, ubi nulla certa designata persona mandatum generale concedatur ad praesentandum in beneficio vacaturo; quo casu non intrat ratio captandae mortis cui innixa est dicta prohibitio, ut optime ratiociuatur *Card. de Luca de jurepatr. disc. 64. num. 34.*, quod pari ratione obtinet, si mandatum sive generale vel etiam speciale in personam conferatur illustrem uti Episcopum cum cesset in eo captandae mortis praesumptio, *Lambertini de jurepatr. part. 1. lib. 2. quaest. 7. art. 24. num. 14*, *Garcias de benefic. part. 10. cap. 1. num. 14. et seqq.* Omnem tandem captandae mortis suspicionem longe abesse in themate ex eo manifestum fieri, quod beneficii vacatio ex futura ad alia ecclesiastica munia promotione non expectata beneficiarii morte contingebat.

Nec pariter mandati nullitatem evinci ob defectum acceptationis ex parte Episcopi: praeterquam quod enim verius videatur in extrajudicialibus disertam mandati acceptationem non requiri, quandoquidem qui tacet in sui favorem pro consentienti habetur, *Leg 18. ff. mandati*, jam accedit, ex ipso proxime sequutae nominationis actu amplissimum erui hujus acceptationis argumentum.

In hypothesi itaque rem hic esse de simplici mandato; nefas tamen patrono fuisse censet Braccius mandatum revocare, postquam Episcopus per factam nominationem jam illud impleverat. Vis enim mandati in eo posita est, ut mandatarius in respectiva jura mandantis subingrediatur eiusque vicem ita gerat, ut ipsius factum proprie et vere factum mandantis censeatur, quodque uti suum cogitur mandans agnoscere omnemque inde scatentem obligationem in se suscipere nisi mandatum tempore habili revocaverit, *Rota decis. 386. part. 4. tom. 2. num. 49. recent.* Ast indubium esse, Episcopum ad beneficium vacans nominasse die 3. Novembris et clericum Tombari nonnisi die 7. ejusdem mensis curiae episcopali sese obtulisse; licet ergo revocatio mandati computetur a die praesentationis Tombari, nihilominus re non amplius integra nullum eam ad mandati jam expleti eversionem robur aut efficaciam praesetulisse, concludit auctoritate *Rotae in decis. 371. num. 3. coram Pamphilio.*

Quod si tamen non irrita omnino et in-

efficax ipsius patroni nominatio seu praesentatio dici velit, eam cumulativam tantum, haud vero prioris exclusivam habendam esse, probat cum *Fargna de jurepatr. part. 1. can. 5. cas. 2. num.* 5. *et 6.* et *Vivian. part. 2. lib. 5. cap. 7. num. 20.*, ac ideo cum integrum sit Episcopo ex pluribus praesentatis vel concurrentibus ad beneficium alterutrum eligere, jure suo usum fuisse Fanensem Episcopum, cum rejecto primum clerico Tombari ac postea sacerdote Ugolini Braccium, quem hisce censuit praeferendum, instituit.

Quibus ita se habentibus, si prior nominatio Tombari bono Episcopi ac suimet juri haud officere potuisset, eo minus attendendam in hodierno judicio contendit. Ugolini nominationem, utpote quae lite jam pendente sequuta est, contra apertam censuram, *cap. 2. ut lite pendente in 6*, quod cedente aut decedente alterutro ex collitigantibus novum susperstiti adversarium obtrudi vetat.

Bonifacius VIII. in mox citato capite haec habet: Si hi, contra quos super dignitatibus, personatibus vel aliis ecclesiasticis quae possident litigatur, lite pendente cedant vel forte decedant, ne propter novos adversarios, qui malitiose interdum petitoribus subrogantur, litigia in ecclesiarum dispendium prorogari contingat, statuimus ut dignitates, personatus vel beneficia hujusmodi, donec contra superstites lis finita fuerit, aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quispiam vel etiam praesentetur. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur. Sane si ad defensionem ipsius litis aliqui quorum intererit petierint se admitti, eos in illo statu in quo ipsam invenerint decernimus admittendos.« Quoad hujus capitis interpretationem non una omnium canonistarum sententia est. Tenent nonnulli, lite pendente inter praesentatos, si unus collitigantium cedat vel decedat, non posse patronos, nec per viam cumulationis aut variationis, alterum praesentare, donec lis non fuerit finita et exclusus collitigator superstes, uti prae ceteris mordicus defendit *Covarruv. pract. quaest. cap. 36. num. 7. vers: tertio quandoque.* Sentiunt alii tunc non posse patronos praesentare, quando lis pendet inter ipsos praesentatos principaliter.

Secus tamen, si lis vertat inter patronos vel patronum et Ordinarium super libertate collationis; nam in his casibus, etiamsi praesentati adhaereant accessorie ad litem pendentem inter patronos principaliter, adhuc si unus ex praesentatis decedat vel cedat posse patronos praesentare voluit *Lambertin. de jurepatr. lib. 1. part. 1. quaest. 6. art. 21. Lotter. de re benefic. lib. 2. quaest. 20. n. 5, et seq., Rota decis. 427. n. 5. part. 1. recen.* Et hoc sive lis vertat inter ipsos patronos in causa petitorii sive in causa possessorii; *Lotter. eod. loco num. 13., ubi num. 17 et seq.* dicit, quod si lis est inter patronos super possessione vel quasi praesentandi non potest fieri praesentatio in praejudicium collitigantis; verum si facta fuerit, substineatur, dummodo supersedeatur in confirmando usque ad finem litis. Mediam tenendam esse viam docet *Schmalzgrueber in jus ecclesiast. univers. tom. 2. part. 1. tit. 16. § 16.* scilicet, posse quidem a patrono laico praesentato a se superaddi collitigantem praesentatum ab alio compatrono, non autem posse tertium distinctum. Quae est etiam opinio *Roch. de Curte de jurepatr. quaest. 23. num. 7. vers. 3., Passerin. in cap. 1. hoc. tit. in 6. num. 6.* et aliorum, quos refert Schmalzgrueber cit. loc.

Quidquid vero hac in praejudiciali quaestione sentiendum censeant EE. PP., ad principem quod attinet disquisitionem, duo potissimum investiganda sedulo veniunt. Ac primo, an revera patronus Gherardi proprie dictam juris sui cessionem fecerit vel simplex potius constituerit mandatum. Sane non ex eo quod Episcopo competat institutio, facta ei a patrono nominandi facultate, jurispatronatus cessio inferri inde posse videtur, ac si absurdum omnino redoleret, quod in una eademque persona utraque jura sive praesentandi sive instituendi concurrant simulque distincte consistant. Nam ut optime distinguit *Fargna de jurepatr. part. 2. can. 4. 5. 6. 7. 8. cas. 4. num. 2*, licet praesentatio et institutio sint inter se correlativa et adesse non possint in una eademque persona, hoc procedit respectu unius qualitatis in eadem persona inhaerentis, ex. gr. respectu episcopatus, seu quando Episcopo est patronatus ut Episcopo et ratione episcopatus; tunc quidem non potest praesentare et postea conferre, sed debet procedere per viam solius collationis, nisi habent alios compatronos . . . Secus respectu plurium qualitatum in eadem persona concurrentium ex. gr. quando Episcopus est patro-

nus non ratione episcopatus seu ut Episcopus, sed ratione proprii patrimonii. Quia tunc respectu illarum qualitatum gerere potest vices plurium personarum et ut una persona, seu ut patronus ratione proprii patrimonii praesentare et ut alia persona, seu ut Episcopus, instituere.

Ast contra, inspectis amplissimis quibus patronus usus est verbis, cum facultatem Episcopo tribuit »a nominare chi meglio crede . . . ed io con questa mia intendo dargliene tutte le facoltà che potesero essere in me per tal nomina«; non simplex procurator, sed cessionarius aut saltem compromissarius constitutus videtur Episcopus, in quem translatum dicitur irrevocabiliter omne jus ipsius patroni, ad effectum, ne posset amplius variare, ut distinguendo inter procuratorem et compromissarium tradit *Lambertin. de jurepatr. part. 2. lib. 2. art. 15. quaest. 7. num. 5.* et in iisdem fere quaestionis terminis tenuit *Rota in Comen Parochialis 10. Febr. 1713. cor. Aldrovrando* relata apud *Piton. de contr. patr. alleg. 100. num. 386.*

Quatenus vero simplex mandatum revocabile admittatur in themate, illud ulterius inquirendem est, an Episcopus potuerit unico actu expedire tam praesentationem quam institutionem per viam simplicis collationis, vel potius per duos separatos actus, prius scilicet in curia praesentando, dein instituendo, ad dictam collationem procedere debuisset. Quandoquidem si praesentatio praemittenda fuisset institutioni, cum eadem die septima Novembris utriusque nominati a patrono et ab Episcopo praesentatio in curia contigerit, praesentatus a patrono exclusive admittendus videretur, tum quia regulariter praesentatus a principali debet praeferri praesentato a procuratore, uti monet *Rota in cit. Comen. Parochialis 10. Febr. 1713. cor. Aldrovrando* ad tradita per *Cravett. cons. 76. num. 4, Spad. cons. 27. lib. 2. num. 71, Card. de Luca de jurepatr. disc. 62. num. 13.*, tum quia, etiamsi praecesserit nominatio non sequuta tamen praesentatione, res adhuc integra erat ac ideo mandatum revocabile. Ita *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 2. art. 16. quaest. 7. num. 3. et quaest. 7. art. 16. num. 2*, ubi diserte monet, nonnisi sequuta nominatione ac praesentatione per procuratorem facta a privativa cumulatione et variatione patrono abstinendum esse.

Jam vero plures canonistae generaliter docent, quod si Episcopus non ratione officii sui, proprio ac nativo jure, sed titulo aliunde acquisito patronatu fruatur, tunc ratione diversarum qualitatum quae in ipso concurrunt non possit procedere per viam collationis, sed ad instar patroni, antequam instituat, praetermittere debeat praesentationem, quia hoc casu, ut animadvertit *Lambertin. cit. loc. part. 1. lib. art. 14.* Episcopus non habet patronatum jure proprio reconvalidato sed habet causam ab ipso patrono et non jure ordinario, sed velut habens causam a patrono efficitur patronus, unde in omnibus illius personam repraesentat. Quoties vero Episcopus ratione episcopatus, ex. gr. jure devolutionis, patronatu potiatur, tunc iterum distinguunt doctores; nam aut ipse solus est patronus, et hoc casu procedit per viam simplicis collationis, aut si alii extent compatroni et tunc praesentare debet ut patronus simul cum aliis compatronis et postea computatis vocibus praesentantium instituere tamquam Episcopus praesentatum a majori parte, ita duplicem repraesentando personam, instituentis scilicet et praesentantis. *Fargna de jurepatr. part. 2. can. 1. et 2. cas. 15. num. 2.* post *Abb. in cap.: Significasti de jurepatr. num. 3.* et communiter DD. in d. cap.

Alii vero nulla habita ratione diversarum qualitatum, quae confluere possint in Episcopo, generatim docent quod nullis extantibus compatronis possit Episcopus, etiamsi habeat juspatronatus non ratione episcopatus, sed ratione sui patrimonii aut ex titulo donationis vel cessionis, absque praevia praesentatione beneficium conferre. Ita plene ceteris relatis *Rota in cit. Comen. Parochialis.*

Ubi igitur primae opinioni esset adsentiendum, Fanensis Episcopus non unico actu beneficii controversi collationem expedire potuisset, quia vices patroni Gherardi gerebat, qui ut beneficium libere posset conferri auctor fuerat; quamquam jure esset ambigendum an Episcopus uti privata persona vel potius ratione sui officii demandatum sibi hoc munus habuerit, quod quidem probabilius videtur, inspecta ipsius demandantis voluntate, qui nemine inter idoneos praesignato quem nominari cuperet liberum reliquit Episcopo nominandi quem vellet, ratus quod una nomina fatta dall' E. V. riuscirà per tutti i rapporti eccelente; quod sane, nonnisi ratione officii sui, Episcopus, qui tamquam in specula constitutus subditorum mores perspectos habet, praestare potuisset. Qua admissa interpretatione, aliis non extantibus in themate compatronis, etiam in sensu primae opinionis integrum videtur Episcopo unico actu beneficii collationem expedire.

Ceterum sapientissimum EE. VV. hac super re judicium sequens excipiet

Dubium:

An et cujus favore constet de legitima nominatione in casu?

S. C. resp.:

Affirmative favore sacerdotis Joannis Bracci.

Die 24. Apr. 1852.

Balneoregien.

(Statuta non servata.)

Per idem ferme tempus, quo ecclesia d. Antonio Abbati sacra in territorio Viturclani Balneoregiensis dioecesis a fundamentis erecta est, simplex ibi sub ejusdem Sancti titulo institutum est beneficium quod in controversiam venit hodierna die. Bina enim prostant instrumenta annis 1400. et 1406. exarata, quorum alterum tradit quandam mulierem Cinella e Thoma Vanni prognatam statuisse, ut ejus aedes in ecclesiam d. Antonio Abbati dicandam verterentur; alterum agit de hujus beneficii institutione, cujus activum juspatronatus Viturclani municipio, passivum omnibus ejusdem loci clericis defertur. Electionis vero actum publicis convocatis comitiis ac nominibus eligendorum secretis suffragiis singillatim committendis explendum esse indicitur, ut qui majora numero retulerit electus habeatur. Lateranensi autem capitulo jus inest canonicae institutionis, cum dicta ecclesia in solo Lateranensi fundata sit.

Cum die 2. Septembris 1849 vita cessisset sacerdos Aloysius Figliaccius ultimus beneficii possessor, municipalis Viturclani commissio, quae interea publici concilii munere fungebatur, comitiis indictis die 18. Decembris ejusdem anni novam electionem per secreta suffragia favore parochi Petri Pauli Fanti absolvit. Qui statim exhibitis praesentationis literis legitime signatis canonicam petiit institutionem. Ast cum varie huic electioni obviam itum esset, tum quia in comitiis haud servata essent solemnia a lege statuta, tum quia tres ex quinque viris municipibus, cum essent clerici, pro seipsis ad invicem suffragia tulere, Lateranense capitulum differendam bullarum expeditionem censuit. Inter quae caeterorum aemulationem erumpere atque in electum certamen intendi dum eidem capitulo a duobus praesertim Viturclani sacerdotibus Bartholomaeo Battaghia ac Thoma Corradini ut beneficium assequerentur preces oblatae sunt, quod jam elapso quadrimestri liberae collationis jure devolutionis dicerent. Quod ubi Petrus Paulus Fanti novit nempe 14. Februarii 1850. hanc sacram Congregationem supplex adivit, ut si quae vitia aut nullitates in comitiis pro sua electione habitis irrepsissent, per sanatorium ad cautelam tantum indultum delerentur »protestando però formalmente e dichiarando che in caso di litigio, non intende di pregiudicare colla presente supplica in niun modo, nè al suo incontrastabile diritto, nè a quanto ha fatto la ridetta commissione nel suo atto di nomina e votazione, diversamente intende di aversi la presente come non fatta, ma ad cautelam soltanto per allontanare uua maggiore ritardanza dannosa all' oratrice.«

Requisitus pro informatione ac voto Emmus Archipresbyter Lateranensis. Hic primo de electionis actu edisserens nullitatis vitio eam incusat ob rationes inferius recensendas et suam inde precibus Petri Pauli Fanti contrariam mentem aperit. Haec quidem sanatio, inquiens, si ab oratore impetraretur, damnum inferret clericis Viturclanensibus, qui omnes sunt cumulative vocati, et quibus spes adimeretur hujus beneficii obtinendi: sicuti pariter praejudicium inde meum Lateranense capitulum persentiret, quod non posset libere beneficium conferre clerico, quem maxime idoneum in Domino judicaverit. Gradum denique faciens ad eos qui beneficium controversum expostulant haec habet. Ex quibus omnibus non diffiteor, unum Petrum Paulum Fanti amplissimo Episcopi sui testimonio commendari.

Ex facti serie patet tria esse pertractanda quaestionis capita, scilicet de validitate electionis, de jure devolutionis ac de indulto sanatoriae agendum.

Sacerdos Buttaglia, qui unus ex contra-

dictoribus suas allegationes transmisit, ex duplici fonte peractae nominationis nullitatem derivat, cum nempe ex civilis tum ex juris canonici sanctionibus. Et primo ex jure civili. Certum namque est, ex lege fundationis electionem hanc ad exactam municipalem comitiorum normam habendam fuisse, ut valida censeretur. Porro hoc inter cetera in hisce comitiis servandum praecipit lex edictalis sulla organizzazione delle comunità diei 5. Julii 1831. *tit. 2. art. 10.*, ibi: »Niuna proposizione potrà esser messa in deliberazione, se nell' atto di convocazione non è stato espresso l'oggetto da deliberarsi, e se il medesimo non è stato manifestato all' immediata autorità governativa.« Item literae ab internis status negociis die 21. Julii ejusdem anni ad provinciarum delegatos missae decernunt art. 5, ibi: »Governatori locali debbono essere invitati ad intervenire a ciascuna adunanza dei consigli comunitativi indicando loro preventivamente gli oggetti tutti, che si discuteranno. Essi presiederanno all' adunanza con voto et in loro mancanza ne farà le veci il capo della magistratura. Praeterea licet edictalis haec lex haud literaliter vetet fratrem in comitiis suffragium ferre, cum res agitanda proponitur quae fratris germani interesse respiciat, id tamen disserte cavetur per Congregationis boni regiminis ac s. Consultae decreta quae numquam abrogata fuere, imo ad ea recurrendum in iis omnibus, in quibus aliter per novas leges decretum non fuerit, uti finalis articulus vigentis edicti statuit. Quae omnia a municipalibus commissionibus sarta tecta habenda esse commissio Emorum Cardinalium a publicis negotiis diei 2. Augusti 1848. declaravit. Verum commissio Viturclanensis haec legum praescripta prorsus negligens atque pessundans comitia habuit inscio penitus gubernatore, ac in ipsis frater pro fratre suffragium tulit, Carolus nempe Padovani, qui de commissione erat pro parocho Dominico Padovani qui sanguinis germanitate illi conjungitur.

Perperam autem primam legis sanctionem eludere conniti Petrum Paulum Fantium ex pontificii commissarii literis diei 10. Septembris 1849, in quibus declaratur: Che allora soltanto dovrà intervenire alle sessioni delle commissioni municipali il Governatore, quando in esse si discuterano i preventivi ed i consuntivi, e si dovrà procedere alla nomina de' nuovi salariati, ed alla conferma dei già esistenti. Ex quo falso induci ad praedictos dumtaxat casus gubernatoris vocationem cohiberi. Ex citatis enim commissarii literis duo habentur; responsum commissionis Cardinalium, quod commissiones municipales iis omnibus regulis subdit, quae a lege edictali diei 5. Julii 1831. statuuntur, ac praedicta declaratoria quae respicit tertium quaesitum: se alle sessioni che si tengono dalle commissioni municipali, debba presiedere il governatore, come pei consigli comunali prescrive la circolare dei 21. Agosto 1831; cui affirmative responditur. Haec autem duo nemo dicet ita inter se pugnare, ut quod in primo universaliter enunciatur, in altero limitationem accipiat, ut ad quatuor tantum casus referatur; cum absurdum sit inferiorem superioris auctoritatis sanctionibus derogare. Id ergo unum spectasse commissarii declaratorium dicendum est, quod, licet gubernator ad omnes municipales conventus vocandus sit, in iis tamen in quibus de memoratis negotiis agitur ipsum omnino interesse debere: prudenti sane consilio, ne quid ex subsequutis deliberationibus summi regiminis ordo detrimenti capiat. Quae quidem explicatio jam per se plana ac facilis in omnium has circulares literas legentium oculos insilit et quod magis est, ipsius praesidis provinciae facto ineluctabiliter solidatur; quippe ob id potissimum factum esse ut praeses comitia ista rata habere noluerit.

Alterum nullitatis caput ex juris canonici dispositione evincere studet sacerdos Buttaglia. Compertissima siquidem est censura textus *in cap. 1. de institut.* et in *cap. 26. de jurepatr.* nemini licere seipsum ad beneficium praesentare ac praesertim si facienda sit electio per secreta suffragia non poterit quis seipsum eligere nec suum votum computare in numero, profecto ut omnis ambitus suspicio adimatur. *Pignatelli Cons. canon. 23. num. 9. tom. 1.* juxta distinctionem *Hostien. in cap. Per vestras num. 5. de jurepatr.*, quem ibidem sequuntur *Joann. And. num. 4., Anchar. num. 3.* aliique. Atqui tres qui erant ex commissione clerici, Carolus Menicucci, Dominicus Olivieri et Vincentius Orlandi, uti ex authentica comitiorum relatione constat, pro se ipsis ad invicem suffragia tulere, horum enim quisque tria semper faventia, duo repugnantia suffragia reportavit, licet quinum numerum suffragantium voces non excederent Nec difficultatem submovet horum electum aut praesentatum ex-

titisse neminem; electionis enim sequutae actus utpote unico vitioso contextu elicitus nullus ac irritus est omnino renunciandus eadem ratione, qua posita nullitate primae electionis illa pernecesse influit in actum sequentem, tamquam dependentem, connexum et omnino inseparabilem a primo, *Piton. disc. ecclesiast. 100. num. 71.* et *disc. 14. num. 27.* post *Gratian. disc. 234. num. 3.* et *Menoch. lib. praesumpt. 134. num. 10.*

Nequidquam inde ex adverso vel consuetudinis rationem vel testatricis voluntatem vel juris dispositionem àd illicitum factum protuendum invocari. Nullum enim hujus jactatae consuetudinis in aliis electionibus exemplum profertur unde comprobetur aliquando clericos sibimetipsis suffragium dedisse: qui sane mos si invaluisset, uti potius abusus atque corruptela eliminari debuisset. Praesertim ubi agitur de canone vel apostolica constitutione continente decretum irritativum, quod ita inficit contrariam consuetudinem, imo impedit ne illa nascatur, ut in his specialibus terminis electionis, *Card. de Luca de benef. disc. 14. n. 13.* Quod si voluit testatrix omnium Viturclanensium clericorum nomîna suffragiorum periculo subjici debere, non inde sequitur, quempiam pro se ipso suffragium ferre posse. Juris tandem dispositionem quae prohibet quominus patroni seipsos praesentent, haud inficiandum locum habere cum de patronatu activo, non autem cum de passivo res est; verum isti electores utroque jure pollebant, passivo quia inter clericos Viturclanenses adnumerabantur, activo quia Viturclani communitatem repraesentabant.

Modo ad alteram quaestionis partem descendens orator tamquam indubium statuit, elapso quadrimestri spatio, quod ad praesentationem faciendam laicis indulgetur a jure, *cap. 3. et 27.* de jurepatr. et praesentatione valide non sequuta, locum fieri devolutioni ad proxime immediatum superiorem, uti gravissimi ab eo auctores relati docent. Ita prae ceteris *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 1. art. 4. quaest. 10. num. 9.* ac praesertim *lib. 2. art. 2. num. 18, Reiffenst. de jurepatr. § 3. num. 56. et 58. et § 4. num. 90, Piton. disc. ecclesiast. in Florentina Hospitalis num. 21, de Luca de jurepatr. disc. 64. num. 15, Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 72. num. 168, Vivian. in praxi jurispatr. part. 2. cap. 2. num. 27. part. 3. lib. 14. cap. 6. de devolution.* aliique quos plena manu refert. Ea sane de ratione, quia paria sunt non facere actum et facere sed minus solemniter, *L. Quoties ff. qui satis coge: L. 4. ff. de re judicat.* Quin privilegium purgationis morae prodesse possit, quod solum admittitur ubi tempus ab homine conceditur, *L. 26. cod. de fidejuss.* vel ubi actoris parum vel nihil intersit, *L. 8. ff. si quis caution. L. 137. § 2. ff. de verb. oblig.*, minime vero ubi ab ipso jure exequutio praefinito tempore demandatur, *arg. cap. 3. de suppl. neglig. praelat.* et ibi *Gloss. verb. Imponatis* et alibi, et morae purgatio actoris interesse graviter laederet, uti in hac specie contingit. Porro etsi Petrus Paulus Fanti intra legitimum tempus fuerit electus et praesentatus, cum tamen electionis et praesentationis actus intrinseco nullitatis vitio laboraverint, veluti non sequuti habentur elapso proinde termino a jure statuto quin Viturclani municipium novam edidisset praesentationem, prono alveo fluit liberae collationis jus ad Lateranense capitulum esse devolutum.

Et futiliter ad devolutionis cursum intercipiendum bonae fidei titulo uti Fantium contendit, qua tot nullitatis defectibus remedium ac velamenta fraudibus in comitiis adhibitis quaerere studet. Profecto numquam fidem istam bonam vindicare sibi poterunt Viturclanenses electores ut a devolutione excusantur, cum in legem fundationis manifesto peccaverint quae ignorari nec potest nec debet. *Murant. respons. 28. num. 8. 9. part. 3, Card. de Luca de jurepatr. disc. 47. num. 5, Rot. cor. Cavaler. dec. 213. num. 3, Vivian. de jurepatr. disc. 155. num. 5, Piton. alleg. 22. num. 18. 19.* Disertissime enim lex fundationis praecipit, electionem istam ad instar publici concilii, juris regulis ad unquem servatis, explendam esse. Nec plane municipali commissioni ignorare fas erat, quae in comitiis solemnia essent servanda; eo vel magis quia id paulo ante a praeside provinciae fuerat edocta et non bis aut semel, sed pluries de hujusmodi negocio, contingentibus scilicet interdum vacationibus, actum fuerat, atque saepe habita numquam tamen immutata hujus rei forma, uti ex publicis monumentis certior fieri potuisset Quamquam bonam, si quae daretur, fidem procul dubio amovere debuisset commissionis ejusdem praesidis animadversio ac protestatio, in ipsis comitiis emissa ne, legis dispositionibus ita ne-

glectis, ad electionem deveniretur, nullitatis instante periculo: ex cujus etiam testimonio cui sex alii testes adstipulantur deprehendere est, omnia turpiter ac praeviis illicitis pactionibus gesta fuisse et electores amicitiae aut sanguini gratificari quam legum imperio obtemperare maluisse.

Paucis postremam quaestionis partem absolvit orator et petitum sanatoriae indultum ex iis quae hucusque disseruit denegandum esse propugnat. Non enim confirmanda aut sananda est electio quae plena est substantialium nullitatum ex multiplici capite scatentium, per quas actus electionis irritus ipso jure remansit, *Piton. Disc. ecclesiast. 100. num. 40. ad text. in cap.: Quamquam de elect. in 6.* Nec proinde ex praesentatione nulliter facta ullum inest jus Fantio ad controversum beneficium, quo gratia inniti quodammodo videatur. Quae si concederetur, multorum jura violarentur, tum nempe capituli Lateranensis cui devolutionis jure potestas facta est beneficium libere conferendi, tum omnium qui sunt clericorum Viturclanensium qui ad hoc beneficium fundationis lege vocantur. Gratias autem in praejudicium tertii haud concedi debere monet *text. in cap.: Super eo. 15 de officio deleg., cap. Licet. 12. de offic. ordin. cap. 16. de privileg. necnon leg. Meminerint cod. in fin.*, unde: ubi ratio datur ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur. Quin obsit axioma illud »odia sunt restringenda, favores ampliandi.« Quae regula praeterquam quod in plurimis haud obtinet, in beneficiis vero omnino excludenda est, ne ambitus suspicio exoriatur, textu claro in *cap. Quamvis 4. de praebend. in 6.*

Sed contra est quod ex parte Petri Pauli Fanti edisseri potest. Ac primo monendum cum *Piton. cit. ecclesiast. 155. num. 3.* in electionis examine ante oculos judicis observari oportere regulam juris praesumptione innixam quae regulariter assistit pro validitate cujuscumque actus humani per *text. in leg. quoties ff. de reb. dub.* et *Leg. quoties ff. de verb. oblig.* Cum enim quaestio nullitatis odii plena sit, ideo prorsus rejicienda si dubia tantisper appareat. Ita sacrum Rotae auditorium in *Firmana Capellaniae 18. Febr. 1755. coram Amadeo* et electio facta ut sustineatur omnis capienda est interpretatio, ceu idem auditorium tradit in *decis. 461. num. 34. part. 13. recen.* A vestigio autem futilitas objectorum ad controversam electionem labefactandam apparet, quippe quae vim omnem suam ex civilium legum sanctionibus mutuantur. Ast cum de jurepatronatus agatur quod spirituales inter res recensetur, *de Luca de jurepatr. disc. 5. num. 10.*, proinde non civilium legum dispositione ejusdem exercitium moderari debet, sed ad canonicas dumtaxat leges attendendum est, ut probat idem *Card. de Luca de benef. disc. 16. num. 13. et de jurepatr. disc. 60. num. 20.*

Ceteris praefata electio ad comitiorum municipalium normam composita non eam praesefert a civili jure difformitatem quam contradictores sibi videri volunt. Primo enim, si municipalis Viturclani commissio gubernatorem ad comitia non accersivit, non exinde consequitur comitia eadem tamquam nulla renuncianda esse. Id enim nullibi lex cavet; nec profecto, quod lex ad actus honestatem servandum injungit, ad ipsius actus necessitatem ita referre licet ut nullitatis incusetur quaelibet consiliaris deliberatio quae contra hujusmodi legis praescriptum conclusa fuerit.

Ac re quidem vera non eamdem legis rationem omnibus municipalibus comitiis congruere dicendum est. Quoties enim res est de negocio aliquo pertractando quod ad publicam municipii utilitatem referatur, nemo est qui ambigat, in antecessum de objecto discussionis gubernatorem certiorem fieri et ad comitia vocari debere, quo summi Imperantis sarta tactaque jura serventur ac jussa custodiantur. Aliter vero se res habet, cum agitur de jure aliquo spirituali seu jurepatronatus exercendo, quod non a legum dispositione, sed ab hominis voluntate omnino pendet, ac ideo non potestatis imperio, sed fundationis praescripto subjicitur.

Quibus nulla ratione exempla in contrarium adducta adversantur. Nam praeterquam quod probandum adhuc esset, non ex arbitrio, sed ex legis necessitate aliquando municipes gubernatorem accivisse, illud accedit, quod qui ex adverso afferuntur municipalium deliberationum actus, non unam beneficii controversi provisionem sed alia etiam publicae utilitatis objecta respiciunt, in quibus idcirco gubernatoris interventu omnino opus erat. Nec tandem hujusmodi exemplis moveri jam poterant Viturclanenses municipes, postquam scilicet provinciae praeses declara-

toriam ediderat, ex qua habetur, necessarium non esse, ut hisce conciliariis deliberationibus gubernator intersit. In quo licet falsa interpretatione ducti fuissent eorum credulitati et bonae fidei parcendum esset praesertim cum de nova institutione ageretur, quam novis fortasse legibus moderandam putarent.

Eadem prorsus ratione despiciendum videtur alterum nullitatis caput ex eo desumptum, quod municipalis iste actus praesidis provinciae sanctione destituatur. Repugnat enim juri canonico ecclesiasticum negocium (uti est nominatio ad beneficium) sanctioni laicae potestatis subjici ac ab ea omne suum robur ac validitatem adipisci debere; ac praeterea absurdum est, duas potestates ad ejusdem nominationis et praesentationis admissionem concurrere, delegatum scilicet ac Ordinarium, quandoquidem ipsa rei indoles ac natura Ordinarii dumtaxat auctoritatem exposcit, prout etiam univoca et constans observantia apprime confirmat. Liquet enim ex testimonio a secretis communitatis apud acta exhibito, numquam post organicam legem an. 1816. praefatas nominationes praesidis provinciae sanctioni fuisse subjectas.

Multoque minus a lege descivisse municipalem commissionem putandum est, si fratrem fratri suffragium ferre passa est. Id enim jure civili impermissum non est, ut cum agitur de beneficio alioque id genus munere conferendo prosit filio patris suffragium item eorum qui in ejusdem patris potestate sunt, *Leg. Illud.* et *Leg. Item eorum ff. quod cujusque universit.*, et jure canonico locum habet quoad jurispatronatus exercitium non solum, si privatis, *Piton. disc. ecclesiast. 131. num. 15. et 16.*, verum etiam si collegio, universitati aut communitati fuerit relictum, s. Congr. in *Hydruntina 27. Martii 1655* et in *Faesulana 18. Maji 1639, Rota in Firmana Capellaniae 1. Junii 1627. coram Bourlemont*, ubi haec ratio adjicitur, quia hujusmodi electio non tangit respectu ipsius personae eligendae interesse communitatis. Neque id a vigenti edictali lege diei 5. Julii 1831 revocatum est, quae solum vetat *tit. 2. art. 6.*, ne ejusdem constitutionis partem habeant pater et filius et qui in ejusdem patris potestate sunt; ast de ferendo suffragio ne verbum quidem. Quod cum nullo jure prohibitum sit, censetur admissum, quia in materia prohibitiva illud censetur permissum quod non reperitur expresse prohibitum ex *text. in Leg. Necnon §. Quod eis ff. ex quib. caus. major. gloss. in cap.: Ex liter. de jurepatr.* et in *cap.: Inter corporalia de transl. Episcop.*

Jure etiam canonico inspecto nil reprehendendum in hac electione videtur. Atque hic obiter notandum non agi de electione ad dignitates et praelaturas majores quarum vacatione ecclesiae viduantur, in quibus servanda est forma *cap. Quia propter de elect.*, sed ad simplex beneficium, qua in electione sat est servari solum jus naturale sine ulla forma juris positivi. *Piton. disc. ecclesiast. loc. cit. num. 4.*, cujus formae omissio non vitiat electionem, dummodo non absit eligentium consensus de jure naturali requisitus. *Passerin. de elect. cap. 10. num. 36.* Itaque cum de naturali omnium electorum consensu in sequuta Petri Pauli Fanti electione constet, vel minimum officere potest nonnullorum electorum factum qui pro seipsis suffragium tulere. Quod in hujusmodi electionibus jure prohibitum non esse docet *Card. de Luca de Canonic. et cap. lib. 12. disc. 26. num. 9.*, immo ipsius electi votum computandum esse ad constituendam majorem partem per quam electio conclusa est plurimis ibi adductis auctoritatibus luculenter evincit.

Ast omnis evanescit in themate difficultas, cum suffragantium nemo electus extiterit: hinc subsequuta electio uti prorsus distincta, nec cum praecedentibus actibus ulla ratione connexa, haud praecedentium vitio infici potuisset. Unicus siquidem contextus, non unus idemque fuit actus; nec cumulative aut simultanee, sed distincte successive eligendorum sortitio peracta est et cum quinquaginta sex clerici Viturclanenses adnumerarentur, supra quinquagies ad suffragia itum est.

Sed posita etiam nullitate electionis non exinde infertur, locum devolutioni factum esse. Nam in poenam negligentiae dari devolutionem tradit Innoc. III. Pontifex *cap.: Quia de concess. praebend.*, cujus ideo ratio cessat, quoties electio et praesentatio facta sit; nihil obstante regula, quod paria sint non eligere in tempore et nulliter eligere. *Piton. disc. eccles. 156. num. 22.* Cui consonat *Passerin. de elect. cap. 10. num. 41.*, ubi statuit devolutionem electionis esse poenam latam contra negligentes eligendi, non contra eligentes defectuose. Ex quo causam quamlibet vel levem, imo improbabilem pa-

tronos excusare et a poena devolutionis liberare palam est, s. Congr. in *s. Severini Capellaniae 2. Septembr. 1833*, *Rota Compostellana 14. Aprilis 1652. num. 2. cor. Bussio.* Hinc distinguunt doctores, utrum facta sit electio vel nominatio etsi invalida vel nullo modo facta sit et in primo casu subdistinguunt, utrum nominatio facta sit a majore parte electorum ultra medietatem; in quo casu cum haec sit satis canonica ad nominandum, etsi postea reprobetur propter defectum electionis, locus non est devolutioni; si vero quis nominatus fuerit a minori parte, cum haec non sit electio, jus devolvitur ad superiorem. *Passerin. de elect. cap. 13. num. 40. et seq., Pignatell. consult. 34. num. 13. et seq. tom. 8.*, quod de patronis speciatim tradunt *Piton. disc. ecclesiast. 156. num. 24*, *Rot. in decis. 16. num. 1. cor. Falconer.*, quae definit: »subsistente etiam nullitate praesentationis a patronis factae . . . illis competere novum terminum ad denuo praesentandum qui illis vertere incipit a die dumtaxat declaratae et acceptae nullitatis primae praesentationis.« Quae juris dispositio locum potissimum sibi vindicat ubi erorre decepti et non fraudulenter electores nulliter nominarunt. Nam si bona fides et credulitas non sufficit ad substinendam electionem semper sufficit ad excusandum a devolutione, ut in punctualibus terminis judicavit *Rota in Barchinonen. Beneficii 20. Junii 1701. coram Priolo*, apud *Monacell. in formulario part. 2. dec. 41. num. 2. et seqq.* ac tenuit s. Congreg. in *Aesina Beneficii super collatione 12. Maji 1804* §. *Praeterea.* Quod omnino conforme est expresso textui in *cap.: Si electio de elect. in 6*, ubi a die cognitae nullitatis primae electionis integrum tempus ad electionem aliam celebrandam electoribus datur, dummodo nil fraudulenter egerint in praemissis. Et in hoc sensu intelligendi veniunt contra allati doctores qui vel negligentiam et culpam inexcusabilem aut dolum in electoribus supponunt ut hi praeterlapso juris termino noviter eligendi potestate destituantur.

Quod vero Viturclani electores omnis fraudis expertes fuerint vel unum suadet negativum argumentum, cum scilicet nullus hujus pravi consilii finis appareat, quod potius electionis ipsius exitus omnino dispellit, quippe in virum numeris omnibus commendatum cadens perspicuum facti, nil nisi ecclesiae decus ac bonum electores in animo habuisse. Nec doli ingerere valet suspicionem aut commissionis praesidis protestatio in comitiis emissa aut delegati factum quod electionis actum sua auctoritate roborare detrectaverit: horum siquidem judicium in re canonica haud magni pensi habendum erat, eo vel maxime quia ista electorum agendi ratio improbari jure non poterat atque hodie etiam res in ambiguo est. Lapsus itaque termini nil ipsis officit, quia tam nominatio quam praesentatio sunt coloratae et ideo durante isto colore non currit eis tempus atque excusantur donec veritatem intellexerint, ut ratiocinatur *Lambertin. de jurepatr. lib. 2. part. 2. quaest. 1. art. 24. num. 3.*

Finem tandem hasce habituras quaestiones confidit Petrus Paulus Fanti si sacra haec Congregatio, precibus a se datis benigne annuens, ad confirmationem electionis jam factae cum sanatione male praetensi defectus deveniendum esse censeat. Ubi enim persona electa sit digna et concurrat unanimis consensus electorum, Sedes apostolica et s. Congregatio solet, uti testatur *Piton. disc. ecclesiastic. 156. num. 30.*, confirmare cum clausula *supplentes* vel deputare ex integro eumdem electum, ut est textus dissertus in *cap.: Bonae 4. de postul. praelat.*, ubi allegat rationem consensus naturalis omnium Capitularium qui conspirarunt in electum. Idem fert praxis etiam aliarum ss. Congregationum quae approbare passim consueverunt electiones, sanando defectus respicientes solemnitates et formam, si non adsit vitium personae electae, sed solus defectus in stricta censura juris ut judicavit s. Congregatio consistorialis in *Monasterien. Coadjutoriae 20. Febr. 1668.* apud eumdem *Piton. loc. cit.* et *Card. de Luca de Regular. disc. 1. num. 94.*, ubi dicit hunc esse antiqnum stylum Sedis apostolicae. Ibi: Cum haec s. Congregatio more Principis potius quam judicis rigorosis legum cancellis adstricta non sit: hinc proinde saepius contingit, ut electio quamvis de stricta juris censura invalida censenda sit adhuc tamen quandoque revalidari soleat, ubi non ex vitio personae minusque ex vitio culposo seu peccaminoso actus, sed ex sola juris subtilitate nullitas proveniat, quoties dignoscatur, quod electio de persona digna sequuta sit. Idem confirmat in *disc. 2. num. 2. eod.*

Accedit omne in casu aliorum jura violandi abesse periculum. Omisso enim, summum Pontificem jure suo uti, cum veniam passive

vocatis impertitur, nec alteri inferre injuriam, s. Congr. in *Fabrianen. Canonicatus 3. Decembr. 1831*, hic de facto nullius jus laeditur; non quidem Lateranensis capituli, cum devolutioni locus factus non sit; non ceterorum Viturclanensium clericorum, qui licet ad hoc beneficium sint vocati tamen a legitimis electoribus posthabiti nullum quaesitum jus jactare possunt.

Quibus ita se habentibus petitum sanatoriae ad cauthelam indultum concedendum videretur, ne diutius orator, qui parochus cum sit et summa laboret inopia, cum gravi suo detrimento a beneficii possessione distineatur.

Ceterum re mature perpensa id definient EE. PP., queis dirimenda proponuntur dubia:

I. *An constet de nullitate electionis et praesentationis in casu?*

II. *An sit locus devolutioni in casu?*

III. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative in omnibus et amplius.

Ad II. et III.: Provisum in primo.

Die 3. Julii 1852.

Viterbien.

Postremis, queis decessit, tabulis anno 1697. conscriptis Margarita Roberti institutis haeredibus Jacobo Degli Atti et Jacobo Silvestrilli commisit, ut »*col rimanente (sunt verba testamenti) della sua robba . . . se ne erigga un beneficio . . . con il peso di celebrare una messa quotidiana perpetua, e non bastando li suoi beni, tante messe, quante ne comporterà il frutto di essi beni secondo la tassa sinodale . . . e la nomina di detta capellania ha lasciato ed ordinato che spetti all' Illmo e Rmo Signor Abbate Giacomo Degli Atti e detto Signor Giacomo Silvestrelli ed alli loro credi successori in perpetuo, colla facoltà di dichiarare il detto beneficio sia o non sia di residenza, e di potere ammetere il cappellano con detto peso, con tutto che non sia sacerdote, e di poterlo amuovere e privare di detto beneficio a loro arbitrio etc.*«

Defuncta pia testatrice ad canonicam beneficii erectionem in ecclesia s. Aegidii Viterbii, sub invocatione ssmi Crucifixi, Ordinarii auctoritate deventum est simulque pro bono pacis decretum, ut alternis vicibus a compatronis nominationes fierent. Porro evenit, ut juspatronatus quod pro parte familiae Degli Atti competebat ex testamento ultimi haeredis ejusdem familiae in collegium de Propaganda Fide translatum fuerit, quod proinde altera quoque vice illud exercet, pro parte vero quae spectabat ad familiam Silvestrelli ex successione pariter haereditaria migraverit in familiam Fulgensi et ab ea in familias Dolci, Papini et Ronca quae nunc pro medietate jure nominandi fruuntur.

Modo vero ex familia Dolci extant sacerdos Dolci ejusque soror Angela Dolci cuidam Ottoni nupta; ex familia Papini extant tres mares et una foemina, videlicet Joseph, Angelus et Aloysius sacerdos eorumque soror Julia, tandem ex familia Ronca extant duo mares et una foemina, nempe Fabritius, Mutius et Maria. Julius enim, de quo in aliqua nominatione mentio fit, ceu asseritur, e vivis excesserat, antequam beneficii vacatio obveniret. Contingit itaque haec vacatio die 11. Maji anni 1850 per obitum ultimi possessoris sacerdotis Augustini Pieri et cum compatroni praedictas familias componentes (ad quos pro hac vice jus nominandi spectabat) singillatim ad actum nominationis devenissent, haud consentientes in persona eligenda fuere. Nam Fabricius Ronca ejusque soror Maria, quae non solum pro se nominationem tulit, sed etiam pro suis filiis ac filiabus necnon pro fratribus Fabritio, Mutio et Julio, quamvis hic ultimus dicatur praemortuus, suffragati sunt favore sacerdotis Caesaris Dolci, qui quidem ad augendum eligentium numerum et ipse suam vocem addidit. Verum iidem fratres Fabritius et Mutius Ronca necnon Angela Dolci nupta Ottoni et Julia Papini suffragium tulere pro clerico Aloysio Ottoni. Tandem Josephus, Angelus et praefata Julia Papini nominarunt. In tanta suffragiorum scissura sacerdos Dolci primo apud apostolicam Datariam deinde apud hanc sacram Congregationem supplici libello instituit, ad hoc ut ejus favore canonica institutio decerneretur. Sed dimissa ab Apostolica Dataria ejus instantia rescripto: »Utatur jure suo coram Ordinario« hinc Viterbiensis curia re mature discussa die 5. Decembris ejusdem anni 1850. institutionem clerico Aloysio Ottoni dandam esse decrevit qui reapse in vim episcopalis decreti die 23. ejusdem mensis beneficii possessionem nactus est.

Quamobrem sacerdos Dolci iterum ad sacram Congregationem detulit et sibi uni jus ad beneficium asserens nominationem atque institutionem competitoris sui infirmari postulavit. Hujusmodi preces annuente apostolica Dataria jam praeventa excipiens eas ablegavi ad Emmum Episcopum pro informatione ac voto. Hic porro factum nominationis, prout supra relatum est, confirmat ac refert redditus beneficii conscendere ad annua scuta 52. 53. $^1/_2$, onera vero quibus est obnoxium conficere summam scut. 31. 45. Quamvis autem in suis literis diei 6. Septembris 1850 datis ad primam instantiam sacerdotis Dolci votum huic propitium tulisset, contrariam prorsus sententiam pandit in epistolio diei 2. Martii superioris anni, in quo facta suffragiorum computatione bonum clerici Ottonis jus protuetur, cui ideo institutionem dandam esse censuit. Tota igitur quaestio, silente omnino tertio nominato sacerdote Aloysio Papino, sacerdotem Caesarem Dolci inter atque clericum Aloysium Ottoni agitur.

Qui a primo assumptus est defensor in sua allegatione distribuenda totus in eo est, ut probet piam testatricem voluisse, ut extante ex suis descendentibus qui actu sacerdos esset, iste prae caeteris ad beneficium nominaretur. Colligit id ex testamenti verbis ubi testatrix beneficii erectionem suis haeredibus mandans statim subjungit »*con il peso di celebrare una messa quotidiana perpetua*« quae quidem verba tacite ac virtualiter sibi videntur includere requisitum sacerdotalis praerogativae in eo qui beneficio praeficiendus esset, cum non alius quam sacerdos Sacrum celebrare valeat, praesertim quia particula *con* simultaneitatem unius rei cum altera cui adnexa fuerit et contemporaneam earum originem indicat: quapropter cum onus celebrandi quotidie ac perpetuo Sacrum necessario ac immediate referatur ad actum erectionis beneficii, inde refert, testatricem capellanum voluisse qui actu de tempore scilicet erectionis beneficii capax esset celebrandi.

Clarius id eruit ex facultate quae in posteriori testamenti parte haeredibus data est »*di ammettere il capellano con detto peso con tutto, che non sia sacerdote.*« Cum enim exceptio firmet regulam in contrarium et cum referens semper relatum in se habeat, ex hisce verbis manifestum fieri censet, non alia ratione subsidiariam istam potestatem admittendi etiam actu non sacerdotem datam fuisse quam quia in institutione qui actu sacerdos esset vocatus fuerat. Prout enim responsio praesupponit interrogationem, ita facultas seu licentia praesupponit prohibitionem ad monitum *Rotae dec. 116. num. 20. part. 18. et decis. 136. num. 11. part. 6. rec.*, nec caeteroquin, cum agatur de simplici ecclesiastico beneficio, facultate ista indiguissent patroni, nisi prohibitio praecessisset. Ex repetita igitur impositione oneris Sacrum celebrandi atque ex usurpatione vacabuli *sacerdote* in eodem testamento beneficii sacerdotalis naturam argui probat cum *Rocca in disput. 120. num. 1. et 2.* et *Rota in decis. 550. n. 1. part. 18. recen.* *)

Quin officiat additum non fuisse in testamento, quod sacerdos nominandus per se ipsum Sacra celebrare debeat, vel nulla alia adjecta fuerit determinatio, unde omnis excludatur licentia interpretandi vocabulum illud *sacerdote* atque onera fundationis; quandoquidem tot putat in themate concurrere declaratae voluntatis adjuncta ut luculenter appareat, testatricem de sacerdote qui actu talis esset loquutam fuisse, quod sat profecto est, ut juxta doctrinam *Rotae in cit. dec. 550. num. 10.* quaelibet contraria interpretatio excludatur.

Dubium demum omne si quod superesset eliminare inconcussam ac perpetuam observantiam, qua factum est, ut a die fundationis usque in praesens semper fuerint praesentati sacerdotes ceu ex documentis liquet apud acta productis. Atqui ex hujusmodi observantia fundatoris declarari dispositionem tradit *Rota in decis. 17. num. 10. cor. de Veri* et in *cit. dec. 550. n. 15.*

Nec pariter difficultatem facesere decretum erectionis ab Ordinario latum, in quo edicitur capellano onus incumbere celebrandi vel celebrare faciendi, quatenus cum volventibus annis fieri potuisset ut aliquando obtingente vacatione sacerdos de familia vocatorum deficeret, quo in casu clericus etiam nominari potest, ideo necesse fuit una oratione utrumque casum complecti, ut onera tum sacerdotis tum laici vel simplicis clerici exprimerentur. Ex quibus arguit defensor, nominari non potuisse in sequuta postrema vacatione clericum competitorem, extante ex familia vocatorum sacerdote; praesertim quia plures illi desunt anni ut sacerdotio initiari

*) Vd. *p. 236. n. 31. a; p. 314. b.*

possit, cum vix decimum octavum aetatis annum hodie attigerit. Quin cum eo dispensari queat; quandoquidem monet cum *Rota in decis. 6. num. 17. cor. Malvasia* dispensationem super qualitate sacerdotali tribui solere, cum qualitas ista exigitur ex dispositione juris et dummodo clericus cui beneficium confertur eam habeat aetatem, ut intra annum ad requisitum ordinem promoveri queat; secus vero obtinere, ubi ex praecepto hominis institutionis vel nominationis tempore certa exigitur qualitas ac praerogativa. Unde etiam in hypothesi quod sacerdos Dolci minorem prae Ottonio vocum numerum retulisset, huic tamen praeferi debuisse in institutione uti qualificatum probat cum *Rocca in disp. 190. num. 20.* et cum *Rota in dec. 21. num. 2. cor. Malvasia,* quia nempe qualificatus et a fundatore praedilectus vocationem habet ab ipso fundatore nec alterius cujusquam indiget. Ast urget, sacerdotem Dolci majores retulisse numero voces. Et posito quod hic agatur de jurepatronatus mere haereditario, ceu evincit tum ex verbis testamenti tum ex decreto erectionis beneficii, ubi testatricis haeredes tantum ad nominandum vocantur, duo exinde infert, primum, voces colligendas esse non in capita, sed in stirpes; alterum, foeminarum suffragia computanda non esse. Cum primum assumptum in dubium revocari nequeat, alterum ex eo conficit, quod testatrix voluit, non alios uti posse jure nominandi quam qui actu haeredes essent, his exclusis qui ob vinculum sanquinis haeredes habitu esse possent sive potentiam succedendi haberent. Atqui tempore conditi testamenti foeminae a qualibet successione excludebantur in vim statuti Viterbiensis cap. 178. et statuti Urbis; soli igitur masculi, qui soli haeredes esse poterant, jure nominandi donati sunt, seu in casu tenet *Vivian. de jurepatr. lib. 4. cap. 2. n. 5.* Dispunctis itaque foeminarum vocibus, nempe Angelae matris Aloysii Ottoni, Juliae Papini ac Mariae Ronca, unam vocem stirpis Ronca ob nominationem Fabritii ac Mutii Dulci duas ex tribus retulit voces, unam scilicet a stirpe Ronca, alteram a stirpe Dolci, cujus ipse est solus patronus, ob suffragium a se ipso in sui favorem latum.

Nec eum movet, quod fratres Ronca post nominationem editam clientis sui nominarint clericum Ottonium, propterea quod est in patroni laici potestate plures cumulative praesentare, ut Episcopus quem magis idoneum judicaverit eligat. Nec pariter nominationi Mutii Ronca obstare autumat, quod ejus soror Maria Ronca illam procuratorio nomine emiserit, tum quia cum duo in eodem actu principaliter aliquid egerint vel promiserint, si actus quoad unum corruat, perstat tamen quoad alterum ad tradita per *Rotam in dec. 22. cor. Malvasia* post text. *in leg. 19. ff. de duob. reis*, tum quia certum in jure est in privatis posse mulieres aliena negocia procurare. *Gloss. legis foemina de reg. juris. Omnem demum praecidit difficultatem quoad nominationem ab ipso Dolci sui favore factam quia ad electionem seu praesentationem non fuit processum per viam scrutinii, quo casu cum electus ignoret, an alii in eum consenserint, ille non potest in seipsum consentire, quia sic oriretur a seipso et uti ambitiosus repelleretur, sed fuit facta palam et per vota aperta, unde cum ipse tunc non potuerit se eligere, quin prius sciret se ab aliis vocatus, et consentiendo praesentationi, sed de facto auxit numerum tamquam unus de habentibus jus praesentandi* ceu simili objectioni reponit *Rota in decis. 316. cor. Burrato.*

Demum dato etiam, quod voces in capita numerari atque mulierum quidem voces adjungi debeant, attamen cum hoc in casu paria habuissent suffragia ambo contradictores (computata scilicet in numero voce ipsius Dolci prolata), praelationem pariter suo clienti dandam esse contendit, non solum quia hic sacerdotali charactere insignitus est, sed etiam quia ipse fundatrici proximior prae Ottonio est uno gradu atque extrema paupertate laborat, in qua quidem patienter perferenda talem ab ineunte aetate sese exhibuit, ut omnium sibi elogia promeritus fuerit, ceu allata probant documenta. Econtra Aloysius Ottoni statuit primum quod hujusmodi juspatronatus sit laicale, quatenus ex bonis laicorum constitutum est et laicali titulo exercetur, atque haereditarium, unde ad tres familias Dolci, Papini et Ronca hodiernas compatronas jure repraesentationis pertinet, non in capita, sed in stirpes exercendum, attenta scilicet majori parte praesentantium non comparatione totius, sed comparatione minoris juxta doctrinam *Card. de Luca de jurepatr. disc. 61. n. 2. et 8.* Paucis inde se expedit ab his quae ex adverso afferuntur, ut probetur beneficium controversum esse sacerdotale: siquidem haud inficiendum id esset, quoties re vera in fundatione cautum esset, ut si adsit sacerdos de

agnatione praesentetur ceterisque praeferatur; secus vero cum fundatrix facultatem dederit patronis eligendi capellanum, cum expressa clausula, etiamsi non sit sacerdos, quae verba si aliquam relationem habere censeantur cum prima testamenti parte in qua erectio beneficii demandata fuerat cum onere celebrationis missarum, relatio isthaec, quin noceat, intentionem fundatricis potius declarare videtur, quatenus ipsa de onerum adimplemento tantum sollicita, indifferens prorsus fuerit, utrum capellanus vel per se vel per alium ea adimpleret. Hinc adjectio illa *»con il peso di celebrare una messa quotidiana perpetua«* in actu erectionis apposita haud sufficiens dignoscitur ad naturam beneficii sacerdotalis denotandam, cum expresse cautum non sit, quod sacerdos per se ipsum celebret, sed demonstrativa tantum est onerum beneficii, non autem taxativa personae eligendae juxta celebrem allegationem *Lapi 35. relatam a Rocca disp. juris elect. cap. 190. num. 11*, qui in eodem *cap. num. 2.* quod ex adverso usurpatur qualitatem sacerdotalem arguit non ex una tantum adjectione oneris celebrandi, sed etiam ex requisita qualitate sacerdotali simul juncta cum actu erectionis vel praesentationis.

Hisce praejactis accuratam instituens analysim vocum quas uterque nominatus retulit prioritatem, ex qua quaestio haec definienda est, sibi vindicat; nam exclusis vocibus filiorum Mariae Ronca, qui utpote expertes hactenus haereditatis juspatronatus exercere nequeunt, ostendit, se retulisse vocem familiae Ronca et familiae Dolci; siquidem ex familia Ronca, quae constat Fabritio, Mutio et Maria, duorum masculorum suffragia assequutus est; ex familia vero Dolci, quae componitur a sacerdote Caesare adversario et ab ejus sorore Angela, quamvis hujus tantum habuerit vocem, attamen cum Caesar illegitime sese nominaverit (uti inferius demonstrat) profecto ex ss. canonum praescripto a proprio excidisse jure contendit, quod proinde accrescendi sive non decrescendi jure in una ejus sorore Angela consolidatum est, quae quidem hoc in casu integram familiam Dolci repraesentat. Ad trutinam inde revocans suffragia adversarii sacerdotis Dolci primo e computo proprium ejus suffragium dispungendum esse contendit, sive inspiciatur modus sive tempus quo latum est. Quoad modum autem praemittit, posse patronum se ipsum aliquando nominare, sed tantum per viam precum aut per viam adhaesionis, neutro autem ex hisce modis Caesarem se nominasse, non quidem per viam precum, quia ejus nominatio his verbis concepta *»D. Cesare Dolci eompatrono nomino per me medesimo come è di giusto, avendo maggior diritto, come sacerdote antico della famiglia«* praeceptiva est atque ideo nulla ratione attendenda juxta praescriptum *cap.: Per nostras de jurepatr.* et docet *Card. de Luca disc. 31. num. 5. de jurepatr.*, nec secundo per viam adhaesionis, putat enim votum Caesaris haud computandum esse relatione facta ad vota aliarum stirpium, sed tantum ad vota familiae suae, atqui Angela, quae una ejus familiam simul cum eo constituit, ipsi suffragata non est; deerant igitur in sua stirpe suffragia queis ipse suffragio suo accederet. Sed ex alio etiam capite, ob lapsum scilicet temporis a lege praefiniti, Caesaris nominationem corruere subsumit; nam in jurepatronatus laicali quadrimestre temporis spatium datur ad nominandum, Caesaris autem nominatio, elapso jam quadrimestri, die scilicet 10. Octobris anni 1850. prodiit, cum vacatio contigisset die 11. Maji ejusdem anni. Expendens inde vocem familiae Ronca in dubium revocat mandatum Mariae Ronca quae nominationem explevit nomine suorum fratrum Fabritii ac Mutii; eo magis, quia suffragium tulit etiam pro altero fratre Julio, licet hic praemortuus esset, pro filiis ac filiabus suis quae nullo nominandi jure potiuntur, necnon pro Mutio, qui ex se nominationem explevit non favore Dolci, sed ipsius Ottoni. Quoad nominationem vero Fabritii contendit, attendi eam amplius non posse postquam ipse ad novam devenit nominationem favore ejus oratoris. Quamvis enim potestas quam laicus habet variandi offerendique alium cumulativa sit, non vero privativa, ut scilicet alium adjungat illi quem pridem nominaverat, non eum rejiciat, juxta *cap. 5. et 24. de jurepatr.*, attamen arbitratur exceptionem pati hanc juris dispositionem quoties sive ex factorum adjunctis sive ex patroni declaratione ejus contraria voluntas dignoscatur. Porro in themate nedum successivus ac posterior nominationis actus favore Ottoni expletus, sed verba eadem queis nominatio exarata est mutatae voluntatis argumentum praebent sane gravissimum, in ea siquidem preces adjiciuntur, ad hoc ut Ordinarius clericum Ottonium velit instituere. Cui accedit declaratio Fabritii coram tabellione emissa, ex qua apparet postremam nominationem a se emissam non cumulativam, sed exclusivam prioris fuisse. Duo itaque vota e familia Ronca, attenta minoritate, in calculo haberi nequit.

Quae cum ita sint, quamvis valida admittatur nominatio sacerdotis Dolci in sui favorem facta, nihilominus ambos pares in suffragiis reperiri censet orator; qua in hypothesi, cum sit in Episcopi facultate quem maluerit eligere, juxta canonum dispositionem, *Reiffenstuel lib. 3. decretal. tit. 38. §. 4. n. 94, Fagnan. in cap.: Cum autem 24. n. 1*, ideo sive in potioritate sive in paritate vocum satis constare de suo bono jure ad controversum beneficium, in cujus ideo possessione in vim canonicae institutionis jam rite suscepta manutenendus est.

Hisce pro utraque parte perpensis EE. PP. definient

Dubia:

I. *An sustineatur nominatio et institutio Aloysii Ottoni in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An sit danda institutio sacerdoti Caesari Dolci in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative.

Ad II.: Provisum in primo.

Die 12. Mart. 1853.

Imolen.

Vd. p. 185. n. 27.

Codicillari dispositione diei 3. Octobris 1446 sacerdos Nicolaus Ferri simplex beneficium seu capellaniam fundavit jurispatronatus laicalis in ecclesia cathedrali Imolensi ad altare s. Chrysologi sub invocatione visitationis B. M. V. et quoad vocationem hanc legem dixit: »Patronum autem dictae capellae sive altaris dictus codicillans reliquit, disposuit, ordinavit et esse voluit Joannem de Ferris ejus fratrem donec vixerit, post vero ejus mortem omnes filios ejus masculos et successive omnes descendentes masculos ex ipsis linea suorum descendentium quousque aliquis masculus ex ipsis descendentibus reperiatur, ad quos Joannem et filios suos et descendentes ut supra juspatronatum dictae capellae seu altaris spectare et pertinere voluit et mandavit; ubi vero masculi non reperirentnr, voluit et disposuit ad feminas descendentium suorum dictum juspatronatum pervenire ac spectare et pertinere.« Penitus extinctis lineis tam masculina quam feminina omnes vocavit de cognomine Ferri ubicumque reperirentur et in horum defectum Antianos communitatis Imolensis et Canonicos ecclesiae cathedralis pro tempore. Addidit: »Intelligendo tamen et declarando ac jubendo quod de linea dicti fratris sui aut sororis vel eorum qui de Ferris vocarentur semper antecedant qui ex latere masculino descendent et pervenerint et in casu, quo de linea fratris ipsius codicillantis vel aliorum ut supra essent duo qui concurrerent ad rectoratum dictae capellae voluit et disposuit dictus codicillans, quod ille qui sit magis aptus ad literas discendas antecedat et praeferatur, nisi ille, qui non esset ita aptus ad studium et literas discendas esset bonae indolis et pauper, quo casu voluit et disposuit, electionem fieri posse et valere de illo, qui esset pauperior. Si vero ambo essent pauperes et oriretur ac esset discordia inter patronos suos quis eorum eligendus esset, voluit et disposuit ipse codicillans eo casu et pro illa vice electionem dicti rectoris faciendam tamen de altero illorum duorum, qui fuerit magis aptus, spectare et pertinere ad dominos Antianos communitatis Imolensis cum Canonicis dictae ecclesiae s. Cassiani qui pro tempore erunt et eo casu esse reperientur, et hoc toties quoties essent discordes; postea hoc habet: »Insuper disposuit et ordinavit ac voluit dictus codicillans, quod si fuerit aliquis sacerdos de ejus parentela, ut electio fiat de eo volente, si vero noluerit acceptare, quod fiat de alio suae parentelae clerico: si vero nullus reperiretur esse clericus, quod fiat et fieri debeat de alio non clerico qui teneatur accipere ordines minores infra quatuor menses proxime secuturos electionem ipsam si potuerit commode ordinari et si talis electus fuerit minor octo annis, voluit et mandavit ipse codicillans electionem ipsam valere et fieri posse et debere, quo tamen casu dictus minor sic electus non percipiat fructus et introitum dictae capellae et bonorum ejus, quinimo sint et esse debeant sacristiae dictae ecclesiae s. Cassiani convertendi in emptionem librorum vel paramentorum pro ipsa sacristia quousque dictus electus compleverit octavum annum, nisi ille electus esset pauper, quo casu ei detur dimidia introitus et fructuum dictae capellae et bonorum ejus deductis expensis usquequo octavum annum compleverit. Si autem de parentela

ipsius codicillantis non reperiretur aliquis qui vellet accipere ordines vel nullus masculus esset et reperirentur aliquae mulieres praegnantes de linea seu parentela masculina vel feminina, tunc et eo casu voluit et mandavit dictus codicillans nullam per patronos ipsius capellae fieri posse et debere electionem de rectore donec peperint, tunc voluit ipse condicillans imponi ei nomen suum et electionem de eo pro dicta capella fieri debere.« Vacato hoc beneficio per obitum Nicolai Ferri ultimi masculi ex masculis Joannis Ferri primo vocati sex personae intra legitimum terminum praesentatae fuerunt; nimirum, Franciscus Fabbri annorum 14 a matre sua Victoria Tozzoni, Julius Tozzoni annorum 5 a patre Cyro et Marianna Codrenchi, Alexander Biffi annorum 12 a matre Clotilde Tozzoni, Hermogenes Gommi annorum 19 a patre Nicolao, Joannes Baptista Calzolari annorum 10 a matre Hermete Gommi filia praedicti Nicolai, Petrus Antonius Loli octodecim menses natus a Magdalena Ferri filia Thomae moniali in ordine Capuzzinarum et a Joanne Baptista Loli patre suo. Ex hisce tamen expungendus Julius Tozzoni qui quum obtinuerit a summo Pontifice super beneficii fructibus pensionem 40 scut. usquedum 24 annorum aetatem attigerit, juri suo nuncium misit. Demum addendus est Gustavus Gommi novennis, cujus nomine supplex ad s. Congregationem datus est libellus quo ejus mater Rosalia dell' Oolio exponens, solum mense Augusto ineunte vacationis notitiam habuisse (Romae enim degit), sacratissimum Principem rogabat: »a degnarsi di prorogare il termine di quattro mesi assegnato dal testatore a prendere gli ordini nuovi sino a che suo figlio compia l'età di quattordici anni, o altro necessario a poter conseguire i detti ordini, onde non gli osti nel concorso questa involontaria mancanza, e possa mettersi intanto in possesso dei fondi del beneficio, onde erogare le rendite a favore del medesimo, affinchè possa entrare in seminario per avere l'analoga istruzione, riservandosi essa di fare l'istanza competente all' Ordinario, e qualunque altro atto opportuno in caso di diritto, e di nomina attiva entro il quadrimestre a die habitae scientiae, cioè dai primi del cadente Agosto.« Ad senarium igitur numerum reducuntur qui ad institutionem in praedictum beneficium contendunt, quos omnes qua ratione ad communem stipitem se habeant ex schemate genealogico distribuendo EE. VV. deprehendent. In hoc praesentatorum conflictu magistralis communalis Imolensis et Canonici ecclesiae cathedralis actum protestationis emiserunt in episcopali cancellaria sub die 11. Octobris 1852, in quo jus electionis sibi vindicant. Emus Imolensis Episcopus, quem de more rogavi pro sua informatione et voto, haec ad rem habet; »Esternando il mio sommesso parere, io credo, che il beneficio abbia a conferirsi al Loli, qualunque sia l'interpretazione, che voglia darsi alla testamentaria disposizione, perchè oltre il requisito della povertà nel fanciullo, la monaca, la quale lo nominò, è per me la sola patrona del beneficio, essendo la sola agnata, e la più prossima a Giovanni Ferri fratello del testatore; per cui se io non m'inganno la scelta fra i nominati al benefizio non si devolve menomamente ai Canonici ed agli Anziani, i quali soltanto a norma del codicillo hanno diritto di scegliere nel caso, che siavi discordia inter patronos quis eligendus.«

Relate ad duos praesentatos Hermogenem Gommi et Franciscum Fabbri haec peculiariter animadvertit laudatus Emus Episcopus: »Questi due sugli ultimi giorni del quadrimestre chiesero la tonsura, ma non volli loro conferirla perchè ho ragione per non crederli degni di entrare nella carriera ecclesiastica. L'uno e l'altro si tranquillizzarono a questa mia negativa quando potessero ottenere una pensione sul beneficio che basterebbe fosse di sc. 30 per ciascuno. Credo che ambedue possano meritare sifatta pensione perchè hanno la voce passiva, perchè avendo chiesto in tempo utile il chiericato, debbono nel nostro caso considerarsi come chierici e perciò aventi la prelazione al beneficio, e perchè il Fabbri è povero assolutamente, ed il Gommi è tale anch' egli per danni di famiglia, oltrechè questi è in grado più prossimo di tutti a Giovanni Ferri.« Praedictam pensionem commode a beneficiato supportari posse existimat, siquidem activum beneficii ad scut. 445 ascendit, passivum, computatis pensionibus scut. 60, quae viduae Ferri, et scut. 40, quae Julio Tozzoni persolvuntur, summam scut. 308 attingit, cui ubi addantur duae pensiones ut supra libera superessent beneficiato scut. 77, animadvertens insuper »che forse non tarderà molto a cessare la pensione, che si gode della vedova Ferri, e che quando il Loli avrà 24 anni sarà cessata ancora l'altra, che deve pagarsi a Giulio Tozzoni. Altronde quello,

che nel tempo intermedio gli resta, salva la parte, che fino al compimento d'anni otto si deve al capitolo, è più che sufficiente ora per lui bambino, e poscia per la sua educazione in seminario.«

Pro Hermogene et Gustavo Gommi dumtaxat allegationes in scriptis accepi ex quibus summatim pro more quae magis notatu digna sunt exponam. Constituit inprimis defensor, Hermogenis juspatronatus de quo agitur de numero eorum esse, quae linearia graduata a doctoribus vocantur; quod ex eo depromit, quod fundator primo vocavit fratrem suum Joannem, deinde ejus filios, postremo descendentes; in hisce autem regulam esse ait quod gradu proximior in juris-patronatus exercitio remotiorem excludat, ceu probat auctoritate *Piton. de controv. patr. alleg. 10. n. 9*, ibi: »Ubi agitur de jurepatronatus gentilitio restricto ad unam certam lineam seu etiam plures, quod alias appellatur lineale, ubi reservatum fuit certis personis de familia earumque descendentibus vel uni tantum ejusque filiis et descendentibus, in isto casu verior est sententia quod juspatronatus deferatur gradatim et ordine successivo et proximiores excludant remotiores.« Cui consonant *Lotter. de re benef. lib. 2. 9. 11. num. 124, Tusch. Conclus. 608. num. 1., de Luca de linea legat. art. 23. num. 15, Tondut. quaest. benefic. p. 1. cap. 32. num. 5.* et firmavit *Rota in Pisana Jurispatronatus 26. Junii 1709. cor. Priolo et decis. 661. num. 25. cor. Molines, decis. 44. num. 5. cor. Falconerio.*

Neque valeret opponere, inquit, quod haec graduatio in prima tantummodo vocationis sede lineae masculinae, non autem in secunda femininae, in qua modo versamur, admittenda sit, ubi indistincte feminae a fundatore vocantur, quum explorati juris sit substitutionem ab institutione regulam ac normam desumere, ceu tradit Palma nepos *allegat. 100. n. 10*, ibi: »In substitutionibus arguitur ordo succedendi ab institutione« et *alleg. 99. n. 45*, ibi: »Etsi admitteretur hujusmodi substitutionem lineae femininae esse diversam ac in separata oratione contentam, adeo tamen omnimode masculina negari non potest et ideo una ab altera recipere debet interpretationem.« Servato propterea graduationis ordine sequeretur tres tantum in praesenti vacatione jus nominandi habere utpote gradu proximiores communi stipiti, nempe monialem Magdalenam Ferri, Nicolaum Gommi et Mariannam Codronchi.

Neque juri Nicolai Gommi et Mariannae Codronchi praevalere putat et obesse illud monialis Magdalenae, immediate a masculo procreatae. Ut enim praelatio dari possit Magdalenae supra praedictos aequali gradu ac ipsa a communi stipite distantes, unum ex his necessario esset admittendum, vel quod in prima vocatione masculorum comprehenditur vel quod jura omnia cognationis in se una complectitur et absorbet vel demum distinctam sedem in qua agnatae contineantur pro ipsa effingere oporteret: sed nullam ex hisce hypothesibus admitti posse affirmat. Non prima, quum enim femina sit, nequit in masculorum vocatione venire, ceu tradit *Piton. allegat. 93.*, ibi: Quando vocati fuerunt masculi ex masculis seu quod idem est masculi per lineam masculinam, tali casu nunquam feminae censentur inclusae.« Cui consonant *de Luca disc. 18. n. 8. de jurepat. et discur. 40. num. 8. ib., Peregrin. de fideic. art. 12. num. 4. aliaq.* In defectu masculorum inquit proles feminina ex agnatione saepe quidem admittitur, sed hoc locum habet tantum in concursu extraneorum, hoc modo supplendo praesumptae fundatoris voluntati, numquam tamen quando per se fundator providit vocando masculos et hisce deficientibus alium vocavit ordinem, feminarum scilicet et descendentium ab ipsis, prout in themate. Non secunda admitti potest hypothesis, quod Magdalena quatenus agnata integrum cognationis ordinem absorbeat. Hoc enim, ait, aperte repugnare tum verbis tum menti testatoris. Verbis quidem, dum enim inquit fundator *finita vero linea masculina et feminina*, per hoc verbum *feminina* clare ostendit velle in hac secunda vocatione cognatos comprehendi, quum ex istis lineam femininam constitui compertum sit. Menti autem fundatoris repugnaret; dum enim fundator adeo perpetuitatem institutionis suae praedilexit, ut ne interiret duo moralia corpora demum substituerit, praesumi non potest excludere voluisse cognatos, quos aut in hac sede collocare oporteret aut a vocatione prorsus deberent exulare. Quum enim duos tantummodo ordines vocationis praestituerit testator pro descendentibus fratris sui Joannis, masculorum unum, feminarum alterum, si hic secundus de femininis agnatis exclusive intelligatur, locus deesset cognatis et ad juspatronatus succe-

derent fundatoris nomen gestantes, nullo forsitan cum ipso ne remoto quidem sanguinis vinculo conjuncti, et capitulum cum magistratu communali, dum adhuc existerent ipsius cognati, quod nimis absurdum inquit supponere. Reliquum igitur esset pro Magdalena sedem distinctam effingere, quae feminas ex masculis immediate contineat et praelationis praerogativam supra cognatos eis tribuat; sed de hoc ordine nullum in fundatione vestigium reperitur, quinimo eidem aperte contradicit, masculis enim immediate substitutae sunt a fundatore feminae et earum descendentes, nulla in hac secunda sede habita est a fundatore agnationis ratio; sola propterea praerogativa gradus servata, cumulative cum Magdalena agnata etiam cognati admittendi sine sexus distinctione; appellatione enim feminarum descendentes masculi necessario comprehenduntur, ceu tradit *Piton. alleg. 100. num. 656*, ibi: »sub nomine feminarum ex verosimili mente disponentis censentur quoque invitati eorum filii masculi et descendentes« et firmavit *Rota decis. 15. num. 14. cor. Rusconi.* Quum igitur in gradu proximiori communi stipiti et aequali cum Magdalena Ferri sint tantummodo Nicolaus Gommi et Marianna Codronchi, hos tantum retinendos esse concludit veros beneficii, de quo in themate, patronos.

Neque difficultatem facere putat regulam, de qua loquitur *Piton. alleg. 95.*, quod quando fit transitus de masculis ad feminas veniant feminae seu descendentes ex eis proximiores gravato non autem gravanti. Hanc enim regulam non obtinere affirmat quum non est distinctio linearum praedilectarum, quum unius est stipes et omnes descendentes ad juspatronatus eodem tempore vocantur solaque exercitio jurispatronatus norma est gradus proximitas. In hoc enim casu, quem in themate locum habere affirmat, proximitas gradus non ab ultimo possessore seu gravato, bene vero a fundatore desumitur, prout tradit *Amat. in res. for. res. 40. p. 1. num. 40*, ibi: »Spectatur proximitas testatoris et non gravati si descendentes servata gradus praerogativa seu ordine successivo vocati sint;« idem tradit *Fusar. de fideicom. subst. 9. 484. n. 45.* hoc praecipue obtinere docens quum fit transitus de masculis ad feminas prout in casu: »si fiat transitus post mortem gravati ad diversam conditionem personarum ut a masculis ad feminas vel a descendentibus ad transversales, tunc attenditur proximitas testatoris.« Hisce consonant *Lotter. lib. 2. q. 11. n. 88*, *Peregr. decis. 132. per tot.*, *de Luca de fideic. disc. 15. n. 9*, *Amat. resol. for. res. 10. p. 1. n. 3, Bonfin. de jure fidec. tit. 1. disput. 1. num. 29*, *Rota decis. 569. n. 4. p. 13. decis. 303. n. 35. p. 19. Recent.* et passim.

Ad vocationem passivam deinde gradum faciens defensor animadvertit quod testator praelationem tribuit inprimis illi, qui aptior esset ad literas discendas, hinc praeferens etiam minus aptum dummodo esset bonae indolis et altero pauperior; hanc autem testatoris praescriptionem, addit, potius quam veram et directam vocationem passivam habendam esse veluti peculiarem quamdam dispositionem, quae casum tantummodo respicit, quo duo concurrerent in jure pares tum ratione praesentationis tum proximitatis; hanc proinde subordinatam esse illi universali et plenae vocationis legi quam inferius praestituit fundator per ea verba: »insuper disposuit et ordinavit ac voluit dictus codicillans quod si fuerit aliquis sacerdos etc.«, quaeque fundamentum habet primo in sacerdotio, deinde in clericatu, postmodum in aptitudine ad clericatum et demum descendit usque ad ventrem praegnantem. In ista igitur diversorum statuum serie a fundatore praestabilita inquirere oportere inquit, quinam inter varios concurrentes sit in institutione praeferendus.

A Petro Antonio Loli initium ducit et animadvertit, hunc, quum infans sit, debere fasces submittere iis, qui apti sunt ad clericatum et intra legitimum terminum ut admitterentur formaliter expostularunt. Julium Tozzoni in eadem conditione versari ait, quum quinque tantummodo annos natus sit; de hoc aliunde nulla potest esse quaestio, quum per acceptationem pensionis juri suo jam renunciaverit. Eumdem defectum aetatis in Gustavo Gommi et Joanne Baptista Calzolari adnotat. Soli propterea Franciscus Fabbri et Hermogenes Gommi, quorum primus aetatis est annorum 16, alter 19, ceteros vincerent intuitu habilitatis ad beneficium, quam in vocatione passiva stricte servandam praestituit fundator; quumque intra legitimum terminum in clerum cooptari petierint, ceteris viderentur debere praeferri. Quod si pares in jure ambo sunt relate ad habilitatem ad beneficium, non idem affirmari posse ait in ordine ad praesentationem in qua Hermogenes Gommi, juxta ipsum, vinceret Franciscum Fabbri. Nicolaus enim Gommi qui Hermogenem praesentavit proximior est communi stipiti Joanni Paolo Ferri quam Victoria Fabbri a qua praesentatus fuit Franciscus, haec sane tribus gradibus distat, dum Nicolaus Gommi duobus tantum. Inter duos autem etiam aequale jus passivum habentes eum qui praesentationem pro se habet praeferendum illi, qui praesentatione caret; caret autem praesentatione, qui a non habente jus nominatus fuit, quod in Francisco Fabbri locum habet. Addit etiam explorati juris esse, quod in paritate quoque vocationis passivae et praesentationis ille est in institutione praeferendus qui proximior est testatori. *Piton. alleg. 52. num. 40,* ibi: »Inter plures vocatos passive per fundatorem praeferendus proximior de linea fundatoris.« Perspicuum autem in facto est, quod Hermogenes Gommi tum Francisco Fabbri tum ceteris praesentatis proximior est, ipse enim tribus, alii quatuor gradibus distant a communi stipite. Quum Hermogenes Gommi ceteros vincat in ordine ad vocationem passivam, hinc ceteris praeferendum concludit in institutione, absque eo quod locum habere possit electio ex parte Canonicorum et Antianorum Imolensium, quae tunc tantum admittenda est, quum concurrentes in omnibus a fundatore praescriptis conditionibus sive ratione praesentationis sive ratione vocationis passivae pares in jure sunt, quod in themate non obtinere in propatulo esse affirmat.

Qui Gustavi partes agit animadvertit, ex pluribus ad beneficium contendentibus eum esse praeferendum, in quo major conditionum a fundatore praescriptarum copia concurrat, explorati juris esse. Hanc autem majorem requisitorum vim in Gustavo reperiri affirmat. In primis enim a masculo est procreatus, Aloysio nempe Gommi; testatorem autem sexui masculino praelationem dedisse patet ex iis fundationis verbis: »semper antecedent qui ex latere masculino descendent et pervenerint.« Attenta ejus aetate aptus est ad literas discendas et ecclesiasticae militiae mancipari, prout voluit fundator. Patre demum orbatur, qui nulla fortunae bona reliquit, extrema premitur egestate, ceu probat attestatione parochi s. Augustini in Urbe »geme quotidianamente sotto il peso della più grave miseria«, cujus intuitu praelationem haberet a fundatore per ea verba: »voluit et disponit electionem fieri posse et valere de eo qui esset pauperior.« Singulas deinde praesentationes ad trutinam revocans, nominatos omnes comparate ad Gustavum in ordine ad vocationem in deteriori conditione versari affirmat. Praetermisso Julio Tozzoni, de quo nulla haberi potest ratio, quum per assequutionem pensionis juri, quod ipsi forsitan super beneficio competebat, renunciavit, excludendos ait Hermogenem Gommi et Franciscum Fabbri, quod ad tonsuram admittere Emus Episcopus recusavit, eos scilicet non habens degni di entrare nella cariera ecclesiastica. In concursu cum Gustavo, a masculo procreato, vim omnem amittere asserit praesentationes Joannis Baptistae Calzolari et Alexandri Biffi, qui ambo a foeminis descendunt. Omni demum destitui robore inquit nominationem infantis Petri Antonii Loli octodecim menses nati in concursu cum Gustavo Gommi, qui jam dimidium supra octavum annum attigerat, quum de prorogatione termini ad ordines suscipiendos SSmum est deprecatus. Omnia haec perspecta habens capitulum Imolense ceteris Gustavum praetulisse inquit, nullo pensionis onere adjecto, quam indebitam censet. De hac tamen asserta praelatione Gustavo a capitulo tributa, nullum nec in protestationis actu de quo in themate nec alibi apud acta vestigium habetur.

Post haec perperam, inquit, opponi lapsum termini, tum quia supplicem libellum porrectum fuisse praetendit die 17. Augusti antequam scilicet quadrimestre tempus impleretur, licet in eo notata appareat dies 4. Septembris, tum quia terminus computandus est a die habitae scientiae, quam Rosaliam Dall' Olio sub initium tantummodo praedicti mensis Augusti accepisse affirmat.

Praesentationi nihilominus Petri Antonii Loli favere viderentur ea fundationis verba: »intelligendo tamen et declarando et jubendo, quod de linea dicti fratris sui vel eorum qui de Ferris vocarentur semper antecedant qui de latere masculino descendent ac pervenerint«; quum enim sub hac generali appellatione de latere masculino feminam agnatam venire exploratum sit, *de Luca de jurep. disc. 30. num. 5. de fideic. disc. 38. per tot. disc. 42. num. 7. et seqq. disc. 46. num. 4. et 5.*, monialis Magdalena, quae sola hac praerogativa pollet, utpote quae immediate a Thoma Ferri descendit, ceteris in jurepatronatus activo praeire videretur, nominationem propterea, quam in Petrum Loli

ipsa contulit, esse aliis praeferendam. Quod si graduationis ordinem in themate locum non habere EE. VV. existimarent et absque gradus distinctione cognatos omnes ad nominationem admittendos, quemadmodum insinuare videntur generalia fundationis verba: post extinctam lineam masculinam voluit et disposuit ad foeminas descendentium suorum dictum juspatronatus pervenire etc., magis in hoc casu urgeret ratio favore Petri Loli, duas enim ipse voces retulit, monialis nempe Magdalenae et patris sui Joannis, dum ceteri qui nunc contendunt unam tantum habuerunt.

Neque ipsi defectus aetatis obstaret, nam praeterquamquod praxis est hujus s. C. in passive vocatis ab aetate dispensare, in themate neque hac indigeret dispensatione, quum jam fuerit a fundatore provisum, cui licet, prout constet, juri communi in fundationis limine derogare.

Neque pariter ipsi obesse posset aptitudo ad clericatum, quae in Hermogene Gommi et Francisco Fabbri ratione aetatis deprehenditur. Haec enim aptitudo nedum ex aetate, sed ex concursu aliarum qualitatum praesertim moralium depromenda est juxta praescriptum Tridentini Conc. *sess. 23. cap. 5. 6 de reform.*, et in themate a fundatore inculcatur per ea verba: qui sit bonae indolis; sub hoc autem respectu habiles non viderentur contendentes juxta superius relatum Emmi Episcopi judicium. Ceterum quum ipsi parati sint renuntiare juri quod eis forsitan in beneficium competeret mediante pensione, ut ex Emmi Episcopi relatione constat, magis forte congruum esset, sub hac conditione Loli nominationem admittere; ut enim ad rem animadvertit Emmus Episcopus »dovendosi allevare per la chiesa uno di assai tenera età v'ha speranza di buona riuscita.« In tenellis sane cordibus si religionis pietatisque semina tempestive inserantur, non est ambigendum, quin ea solidum praestent fundamentum, super quo vita mere christiana aedificetur et crescat usque ad perfectum diem.

Hisce perpensis EE. PP. definient dubia:

I. *An et cujus favore constet de legitima nominatione in casu?*

II. *An et quomodo sit consulendum SSmo pro impositione pensionum in casu?*

III. *An et quomodo annuendum sit precibus Gustavi Gommi in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative favore Petri Loli.

Ad II.: Negative in omnibus.

Ad III.: Quoad suspensionem provisum in primo, sed consulendum SSmo pro impositione pensionis scut. 40 favore Gustavi in ejus educationem erogandorum usquedum ad aetatem 24 annorum pervenerit.

Die 28. Jan. 1854.

Continuatio.

Ad instantiam Hermogenis Gommi Nicolai filii causa iterum proponitur.

Qui ejus partes agit ad ea in primis se refert, quae in praecedenti folio exposita sunt pro excludendo a moniali Magdalena Ferri quatenus agnata jure privativo nominandi in praesenti vacatione, quaeque EE. PP. repetere dignabuntur; dein in eodem argumento acriter insistens animadvertit, testatorem eatenus in agnationem jus praelationis in patronatu activo, de quo in themate, contulisse quatenus cum masculinitate conjunctam esse contingeret, uti perspicue ostendunt ea verba: quousque aliquis masculus ex ipsis masculis descendentibus reperiatur. Deficiente vero in agnatione masculinitatis qualitate et omne cum ea cessare voluit praelationis jus ipsius favore inductum et feminas agnatas pari jure cum cognatis ad exercitium jurispatronatus activi vocavit, quod successiva testatoris verba declarant: ubi vero masculi non reperirentur voluit et disposuit ad feminas etc. Nec mirum, agnatio enim juris positivi est, cognatio autem juris naturalis: dum igitur haec a nemine auferri potest, illam, utpote a lege vel ab homine institutam, legislatoris vel testatoris arbitrio eripi aut coerceri fas est. *Leg. non facile 4* §. *Cognationis et leg. Jurisconsultus 10.* §. *Inter agnatos ff. de gradibus et affinit.* §. *ult. Inst. tit. de legit. agnat. tutela.* Ad hoc igitur ut quis in agnatorum censu veniat et in successione cognatis praeferatur, non ejus a masculo procreatio, sed praelatio super cognatis ei in vocatione adsignata est omnino attendenda. Ne autem novitatis redarguatur hujusmodi assertio, ad legem decemviralem provocat, quae cum solos heredes suos ad paternam hereditatem admitteret filios sui juris factos

non pro agnatis, sed pro cognatis relate ad patrem habet. *Leg. scripto 6 ff. unde liberi*; et ad legem Voconiam, quae dum ab haereditaria successione feminas excludebat eas non in agnatarum, sed in cognatarum censu collocabat. *Leg. 2.* §. *Agnati ff. de suis et legit. haered. Ulpian. in fragment. tit. de tutelis.* Quemadmodum tunc ex dispositione legis, in themate ex testatoris voluntate a juribus agnationis feminae excluduntur: propterea Magdalena Ferri ut ex masculo a testatore descendente procreata agnatitia praerogativa est destituta et in pari conditione, relate ad effectum de quo in themate, versatur ac ceteri sanguinis cum testatore juncti, qui aequali a communi stipite gradu distant.

Quod autem de Magdalena Ferri asserit inspecto dumtaxat ejusdem sexu, eo magis retinendum contendit si ratio habeatur ejusdem religiosae qualitatis. Quum enim per solemnem professionem in Cappuccinarum ordine ab ipsa emissam omnibus civilibus juribus valedixerit ad agnatitia jura quae institutionis mere civilis sunt perquam modo contendit. Ubi enim, ut cum ipsa benignius agatur, retentum ab eadem haberi velit juspatronatus, quatenus jura sanguinis vi professionis religiosae non extinguantur, licet hoc a pluribus gravibusque doctoribus contradicatur, non eo tamen usque favor urgendus, ut jura civilia prout est agnatio adscribantur illi, quae ex communi doctorum effato pro mortua habenda est et personam civilem non habet. Si igitur jus nominandi in praesenti vacatione moniali Magdalenae adscribi placeat non ad illud exclusive exercendum sed cumulative cum Nicolao Gommi qui in eodem proximitatis gradu cum fundatore Joanne Ferri versatur admittenda est.

Perperam inquit in favorem Magdalenae Ferri ea fundationis verba afferuntur: »Intelligendo tamen et declarando ac jubendo, quod de linea dicti fratris sui aut sororis vel eorum qui de Ferris vocarentur semper antecedant qui ex latere masculino descendent et pervenerint.« Si enim integer dispositionis contextus rite perpendatur, manifestum fiet, ea non ad activam sed ad passivam vocationem referri. Hoc autem arguit primo ex diverso vocationis tenore a testatore servato in duabus distinctis codicilli particulis. In priori enim in qua testator de patronatu activo disposuit descendentia Joannis in duas vocationis sedes divisa et una alteri praeposita fuit. In posteriori absque distinctione una simul vocavit extantes de linea dicti fratris sui et haec forsitan ratio est adjectae clausulae: semper antecedant etc. In hac praeterea novum vocatorum genus habetur, de quibus nulla in priori vocatione injicitur mentio, extantium scilicet de linea sororis fundatoris. Rem demum plene confirmant verba immediate succedentia: quod si essent duo qui concurrerent ad rectoratum dictae capellae etc.; quum enim haec nonnisi de vocatione passiva intelligi possint, ergo et praecedentia »semper antecedent etc.«; cum quibus unicum efficiunt contextum de eadem passiva vocatione interpretari necesse est.

Neque aptari posset casui regula, quod una vocatio interpretanda sit ab altera; haec enim locum habet vel in testatoris silentio vel in dubio de ejusdem voluntate, non autem cum manifeste testator eam declaravit, prout in themate; in quo propterea altera regula: quod voluit expressit, quod non expressit noluisse censetur.

Ut autem a jure nominandi in praesenti vacatione eos excludat qui in remotiori gradu versantur ea revocat quae in praecedenti folio dicta sunt ad evincendum juspatronatus de quo in themate de numero eorum esse, quae linearia graduata a doctoribus vocantur; quin obsint absoluta verba a testatore adhibita in vocatione feminarum: »voluit ad feminas descendentium suorum juspatronatus pervenire;« haec enim, prout adnotatum fuit, interpretanda sunt juxta modum institutionis, a qua exploratum est substitutionis normam desumi; quum autem institutio graduata sit, idem pariter de substitutione tenendum est. Ceterum excepto casu expressae voluntatis testatoris vocati semper intelliguntur ex ordine juxta proximitatis gradum cum defuncto; talis enim est praesumpta mens, quod proximiores prae remotioribus praedilexerit. *Lotter. de re benefic. lib. 2. q. 11. num. 124, Rota in Pisana Jurispatronat. 25. Junii 1709 num. 6. coram Priolo.*

Ad vocationem passivam gradum deinde faciens defensor ad trutinam revocat inprimis qualitates, quae ex testatoris dispositione praelationem tribuunt in casu quo duo essent qui concurrerent ad rectoratum; et instituta comparatione inter Hermogenem Gommi et Petrum Loli hunc illi cedere contendit. Ob majorem aptitudinem ad literas, quae prima inter qualitates praela-

tionem tribuentes a testatore enunciatur, ambigi nequit, quin Hermogenes Gommi Petrum Loli vincat, quia aetate attenta hujusce infantuli nedum ineptus, sed incapax prorsus est ad literas perdiscendas.

Perperam autem, inquit, opponeretur hanc aptitudinem etiamsi non existat actu in Petro Loli existere tamen in potentia: exploratum enim est, quod cum testator aliquam in vocato qualitatem exigit, qua deficiente succedit alter, requisita qualitatis existentia verificari debet actu electionis. Quod eo magis obtinet in themate in quo voluit testator aptiorem minus apto praeferri; gradus enim aptitudinis computari nequeunt nisi haec ponatur in esse. At inter Hermogenem Gommi qui jam decimum novum aetatis suae annum complevit et Petrum Loli octodecim menses natum, quisnam magis aptus ad literas discendas renunciandus sit, anceps haerere nequit judicium. Ad abundantiam autem affert Imolensis institutoris cujusdam Petri Galvani diei 26. Februarii hujus anni attestationem, in qua haec habentur: Certifico io sottoscritto maestro approvato, che il sig. Conte Ermogene Gommi figlio del Signor Conte Nicola ha diligentemente e con lode fatto sotto la mia direzione il corso di umanità e rettorica, e ha dato prove non dubie d'ingegno.

Ad alteram deinde qualitatem gradum faciens bonae indolis, cui praelationem etiam dedit testator supra majorem aptitudinem ad literas, dummodo in eodem subjecto sit cum majori paupertate conjuncta, eamdem objicit in infante Loli exceptionem aetatis. Illius enim est qui ad praelationem contendit existentiam in se requisitorum quae ad illam jus tradunt ostendere; at quum morales facultates infantis qui infra bimatum est ob infirmitatem naturae adhuc otiosae quiescant, omnino deest nedum probationis sed et inquisitionis subjectum.

Hoc autem moralitatis requisito Hermogenem Gommi positive praeditum evincit ex attestationibus parochi, confessarii, auctoritatis municipalis, praeceptoris, qui omnes concordi testimonio deponunt, che il sig. Ermogene Gommi ha tenuto sempre una condotta per ogni parte lodevole, essendo fornito di tutte quelle buone qualità, che provano in lui una distinta educazione, ed ha pure frequentato sempre li ssmi Sacramenti ed altri atti di nostra sanctissima religione. Ex hisce arguit attendendam non esse Emmi Episcopi sententiam, qui Hermogenem indignum existimat ut ecclesiasticae militiae nomen det, ad effectum praesertim eum impediendi ab assecutione beneficii, ad quem simplex opinio errori obnoxia insufficiens est, sed incapacitas juxta sacrorum canonum praescriptum ineluctabilibus argumentis est evincenda.

De paupertate demum disserens, quae aliud requisitum constituit, quod ubi cumulative cum bona indole conjunctum sit ex voluntate testatoris dat locum praelationi supra majorem aptitudinem ad literas, etiam in hac parte affirmat, Petrum Loli ab Hermogene longe superari.

Etiamsi Lolius absolute dives dici nequeat, talem nihilominus habendum esse asserit relate ad Hermogenem. Ejus pater enim domum possidet, dotem ab uxore habuit, pharmacopolae artem in officina sibi propria exercet, ex quibus omnibus se familiamque suam honestissime sustentat.

Pater Hermogenis ex adverso fortunae bonis destitutus, senio et morbo, quo a quatuor annis laborat, confectus rei familiari exiguo officii sui stipendio consulere cogitur, prout constat ex attestationibus parochi et Imolensi civitati praefecti, qui postremus, »certifica che il signor Nicola del fu Giovanni Gommi appartiene ad una delle famiglie Patrizie di questa città ove ha domicilio: che nulla possiede, e che il mezzo di sostentamento lo ritrae dal soldo mensile che percepisce dal Governo per essere impiegato nel dazio-consumo in qualità di Ricevittore. Che il suddetto signor Gommi è nella assoluta impossibilità di disimpegnare per ora gl'incombenti di suo officio per essere affetto da Scuria, come ha documentato mediante produzione di certificato medico. Che convive colla moglie e due figli, uno maschio e l'altra femina, il cui mantenimento è a totale di lui carico. Che nel disgraziato evento in cui accadesse la mancanza ai vivi del riferito signor Gommi, il di lui figlio Ermogene non avendo diritto al beneficio di pensione sul soldo del padre per essere maggiore di anni 21. rimarrebbe affatto privo di mezzi di sussistenza ed esposto alla mendicità, che non si addice in causa del suo civile nascimento.«

Si ad hoc tantummodo circumscripta

esset passiva vocatio ad beneficium de quo in themate, jam supra disserta sufficerent ut concludi possit Xermogeni esse adjudicandum, utpote qui Petro Loli in omnibus a fundatore adjectis conditionibus praestat. Sed aliquid amplius urget defensor in codicillari dispositione habetur quod Hermogenis jus omni meliori modo confirmat. Relata sane codicillaris particula casum peculiarem respicit, quo duo ad beneficium concurrerent qui essent in jure pares, sive relate ad praesentationem sive relate ad generalem legem passivae vocationis; quod ita non est de duobus actu contendentibus.

Generalem passivae vocationis legem dixisse testatorem ait in ea codicillaris dispositionis particula in supracitato folio relata quae incipit: »insuper disposuit et ordinavit ac voluit dictus codicillans etc.« In hac sequentem ordinem servari jussit fundator, scilicet, quod si extaret de sua parentela sacerdos, de eo volente fieret electio, in hujus defectu eligeretur clericus; ubi deesset clericus, electio fieret de laico qui minores ordines infra quatuor menses proxime secuturos electionem suscipere teneretur, hoc deficiente eligeretur infans etiam octo annis minor et ubi nec iste reperiretur, foetum adhuc in sinu matris latentem vocavit. Quum autem exploratum sit, ordinem a testatore praescriptum inverti non posse et in posteriori vocationis sede collocatos non admitti nisi prior sit penitus exhausta, hinc sequitur nullum jus in praesenti vacatione ad Petrum Loli spectare, quia adest Hermogenes, qui et habilis est et intra legitimum tempus pro quatuor minorum ordinum susceptione rogavit. Sive igitur inspiciatur generalis vocationis lex sive specialis casus de duobus concurrentibus, nullatenus inquit de bono Hermogenis jure dubitari potest.

Hisce supremum veluti calculum adjicit proximiorem consanguinitatis gradum cum fundatore, quem in Hermogene genealogica arbor manifestat, cui prout in superiori folio adnotatum est tum ex praesumptione legis tum ex inductione voluntatis fundatoris, a jurepatronatus activo ad passivum argumentando, danda esset praelatio.

Qūod si hisce non obstantibus ad beneficii assecutionem admittendus non esse Hermogenes videatur, exclusionem a pensione lamentatur, quam EE. PP. concedere duxerunt Gustavo Gommi juxta superiorem resolutionem, etiamsi iste, prout ipse asserit, in deteriori conditione versetur comparate ad Hermogenem, sive ratione praesentationis sive ratione passivae vocationis; eo vel magis quod ex tenore transactionis a Cyro Tozzoni propositae aliisque collitigantibus non excluso Loli acceptatae constat pensionem ipsi fuisse promissam.

Ceteri contradictores nihil novi exhibuerunt. Hisce itaque aliisque rationum momentis, quae in folio primae propositionis benigne recolendo exposita sunt, perpensis rogantur EE. PP. respondere ad dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II et III. In decisis et amplius.

Die 20. Maji 1854.

Caesenaten.

(Renunciatio beneficii dubia.)

Matthaeus Tosoni Longianensis per actum inter vivos duas capellanias seu beneficia erigenda curavit in oratorio s. Antonio Abbati dicato quod ipsemet aere suo a fundamentis extruxerat. Juspatronatus beneficiorum contulit post mortem suam in filios ac descendentes masculos ex lineis masculinis Antonii Cionini et Raphaelis Ruffelli cumulative exercendum, ita ut una deficiente linea in altera consolidaretur et utraque extincta voluit ut juspatronatus ad communitatem Longiani pertineret.

Quoad capellanos nominandos haec in fundationis tabulis leguntur: »Il signor donatore volse e comandò che siano sempre eletti due capellani preti (injuncta eorum cuilibet celebratione aut per se aut per alios quatuor missarum in qualibet hebdomada, quae nunc ad quatuor tantum pro utraque capellania reductae sunt.) E quando restasse ad una o a tutte due delle suddette famiglie delli suddetti signori Cionini e Ruffelli un sol figlio maschio vivo quale non si volesse far prete, si contentò detto signor donatore e diede autorità al detto figliuolo restato di ciascheduna delle sudette famiglie che potesse

nominare al detto juspatronato quel prete che parerà a lui figliuolo cosi solo restato; e quando tutti li figliuoli maschi e discendenti d'una delle suddette famiglie e case fossero morti, e che dall' altra famiglia e casa ne fosse restato uno o più vivi, diede autorità a quelli cosi vivi restati di deputare e nominare tutti due capellani, e quando detti capellani, nominati, e rispetivamente da nominarsi dalle suddette case e famiglie, e ciascheduno di essi non fossero di età di celebrar messa, detto signor donatore si contentò che potessero far celebrare dette messe da altri sacerdoti, si in detto caso che non fossero di età, come anche di assenza dalla patria di Longiano, e per qualsivoglia altro impedimento.«

Cum pluribus abhinc annis exaruisset masculina linea familiae Cionini juspatronatus integre devenit ad familiam Ruffelli. Canonicus Franciscus Ruffelli unicus ex hac familia superstes ex sui avi nominatione usque ab anno 1817 utriusque capellaniae possessionem adeptus per modum unius usque ad annum 1854. eas retinuit. Quo quidem anno die 14. mensis Martii ingravescentem causatus aetatem ambas capellanias sponte ac jurisjurandi religione interposita renunciavit per acta Boltoni tabellionis Ariminensis, ac simul jurepatronatus, quo uti unicus familiae Ruffelli superstes potiebatur, utens ad easdem clericum Josephum Borghesi Longianensem iisdem tabulis nominavit.

Duobus vix elapsis mensibus die nempe 14. Maji Canonicus Ruffelli vita functus est ac nonnisi insequenti die 21. Maji Borghesius apud acta curiae praedictum instrumentum renunciationis ac nominationis exhibuit. Cum vero aliquae excitatae fuissent difficultates quoad validitatem renunciationis et consequenter nominationis, quae sine Ordinarii consensu emissa fuerat, hinc qualibet hac desuper re quaestione posthabita satius duxit Borghesius ad hanc sacram Congregationem sese vertere, penes quam supplici oblato libello petiit, ut quoad actorum irregularitatem, si quae esset, eidem benigne sanatio indulgeretur.

Pro sueta informatione et voto oblatae preces fuere ad Episcopum, qui continuo Longianense municipium, cujus interesse poterat, de sententia rogandum comitiis habitis die 14. Julii ejusdem anni 1854. sibi devolutum, ex morte Canonici Ruffelli, juspatronatus existimans, petitioni nonnullorum ex clero Longianensi assensus fuerat ad hoc ut praedicta duo simplicia beneficia in canonicatus erigerentur »*saloo e riservato soltanto il diritto di nomina, e la facoltà di esercitarlo anche in pendenza del beneplacito apostolico sulla erezione de' beneficii predetti in canonicati, e dal clero non si fosse riportato quest' ultimo prima che spirasse al comune il termine della presentazione.*« Ac reapse nonnulli Canonici Collegiatae Longianensis penes apostolicam Datariam interim instabant ut exoptata canonicatuum erectio decerneretur; sed eorum instantiam excepit rescriptum: »*Utantur jure suo in foro contentioso, prout et quatenus.*« De hoc autem nihil apud s. Congregationem ex parte cleri deductum est.

Municipales itaque veriti ne lapsus quadrimestris praetensis eorum juribus officeret, quamvis ab Episcopo pluries moniti essent, ne pendente Borghesii recursu ad s. Sedem aliquid deliberationis susciperent, in comitiis diei 9. Septembris ejusdem anni ad praedicta beneficia nominarunt ac praesentarunt sacerdotes Josephum Brigidi et Eduardum Gori Canonicos coadjutores in ecclesia collegiali Longianni, ac datis ad Episcopum literis haec quae gesta fuerant eidem renunciarunt ac una simul rationibus inferius recensendis Borghesii petitioni adversati sunt.

Episcopus postquam in sua relatione exposita enarravit, graviter municipii agendi rationem conqueritur, quod suis monitis spretis nominationes peragere non dubitavit. Haec deinde de oratore ejusque petitione habet: Clericus Josephus Borghesi est circiter sexdecim annos natus, bonis moribus ac ingenio praeditus, prudens studio, sedulus: qua de re praeclaram de se spem excitat, praesertim cum ecclesiastico statui vocationis signa praeseferat.

Sanctio autem et ratihabitio actorum renunciationis et collationis ipsi facta non obest municipali curiae Longiani, cum ipsa non sit electa ad possessionem beneficiorum sed dumtaxat ad collationis honorem, ad quam collationem cum nunc venerit nulla habita ratione monitorum meorum, personae ab eadem municipali curia delectae nullum ad easdem capellanias jus habere videntur.

Quod autem affirmavit municipii Praepositus de clerico Borghesio et quod municipalis

senatus confirmat, non caret quadam animi iniquitate, qua immerito Praepositus ipse ejusque asseclae feruntur in Fridericum Borghesi illius clerici parentem, qui semper religiosa pietate et pontificio regimini fideli devotione enituit. Asseritur non extare indigentiam Borghesi, quod falsum est; haec enim indigentia neminem latet, cum Borghesius sex ab uxore liberos susceperit nihilque possideat praeter parvulam exigui pretii domum, quam emit aere dotali conjugis honesti generis et in qua ipse cum familia vitam agit.

Potest etiam probari falsum quod a praeposito adstruitur non esse Borghesium conditionis honestae; namque in oppido ut et Longianum, ubi civium ordines non secernuntur, Borghesius qui publicae elementaris scholae magistri quindecim annos artem exercuit quique musicae peritus organa in templis pulsare solet, potest utique vir honestae conditionis haberi.

Post haec ita sententiam suam pandit: »Defunctus Canonicus Franciscus Ruffelli ultimus juris ad duo beneficia possessor et ultimus ad usum jurispatronatus Tosoni accitus, dum viveret, poterat procul dubio renuntiare et eligere juxta institutionem quem magis vellet et optaret. Hac facultate usus die 14. Maji 1854. renunciavit per acta Octavii Bottoni tabellionis Ariminensis et simul per acta ejusdem elegit ad praedictas capellanias clericum Josephum Borghesi.

Pater hujus Fridericus Borghesi optimis sane artibus homo bona fide in fraudem inductus non rectum consilium secutus arbitratus est non oportere acta, de queis sermo est, huic episcopali curiae exhibere. Si ipse exhibuisset nullum poterat oriri dubium de integra earum rerum executione, quae a Canonico Ruffelli fuere dispositae, qui jus eligendi habeat, et clericus Borghesi nulla inficiebatur nota, qua vetaretur possidere canonice illas duas capellanias.

Quapropter etsi institutor Tosoni praescribat electionem duorum capellanorum sacerdotum, non videtur tamen posse obstare si electus tantum ecclesiastica via sit initiatus; et hoc patet ex eo quod cum institutor adlegit ad capellanias descendentes suos et familiarum Cionini et Ruffelli facultatem cuilibet ipsorum fecit et cum celebrando missas facultatem non haberent possent curare per alios sacerdotes celebrationem; et quod institutor ipse capellanis onus imposuit celebrandi ex se aut per alios quemdam missarum numerum in templo divi Antonii Abbatis Longiani, quin eos obligaverit ad firmam in eo oppido sedem; ex quibus omnibus facile est colligere clerici electionem haud gravis momenti obstaculum ferre.

Potest hic addi Longianum, quum ecclesiam collegiatam cum octo Canonicis et aliis septem sacerdotibus et subdiacono ibi omnibus degentibus et regularem conventualium familiam, quae ordinarie tribus aut quatuor sodalibus constat, intra se contineat, non indigere quidem numero majorum sacerdotum, cum oppidum mille circiter animarum solummodo sit capax.

Cum itaque se res habeat, cum clare aperteque pateant bona fides Borghesi in consequuta electione, clerici electi bonae dotes, nullumque damnum ex ratihabitione dispositionum Canonici Ruffelli defuncti, cujus acta ob materialem tantum regularitatis defectum non fuerunt admissa, humiliter sentirem renunciationem et electionem, de quibus agitur in tabulis a tabellione Bottoni conscriptis, sanctione esse muniendas pro praedicto clerico Josepho Borghesio eique esse beneficia concedenda, prout fuerunt concessa Ruffellio per modum unius; hocque denique modo irritas prorsus habendas esse collationes a Longianensi municipio factas.

Hujusmodi decretum ob hoc vel maxime expedire existimarem, quod non recte prorsus se gesserit illius oppidi consiliarius conventus et praesertim praepositus, quo auctore omnia evenere: quique ut opinor acri objurgatione dignus est, cum debitae in ecclesiasticam auctoritatem venerationi defuerit.

Plura sunt quae nullitatem peractae a beneficiato ac una simul patrono Ruffelli renunciationis ac simultaneae favore clerici Borghesii nominationis suadere juxta municipales contradictores videntur. Primum est, quod renunciatio propria auctoritate absque simultaneo Superioris beneplacito et consensu facta fuerit. Renunciationem siquidem necessario fieri debere coram superiore seu, ut ajunt, in manibus superioris praebentis ad hoc consensum suum seu licentiam, ac ita nonnisi auctoritate illius interveniente deponi posse beneficium communiter tradunt doc-

tores, quos plena manu allegat *Paris. de resign. benef. lib. 7. quaest. 1. num. 1.*

Quod quidem optima ratione statutum esse perpendit *Leuren. in foro benef. part. 3. sect. 1. cap. 1. quaest. 372. num. 2.* Nam, inquit, beneficiatus per adeptionem beneficii devincit sive initus censetur quidam contractus inter beneficiatum et ecclesiam, vi cujus obligatur ille servire ecclesiae et haec ipsum pro servitio praestito alere. Ideoque ab hac inserviendi ecclesiae obligatione et onere se eximere dictumque contractum rescindere nequit propria auctoritate sine admissione Superioris, quae non est aliud quam absolutio quaedam a dicto vinculo. Ac praeterea cum beneficia sint bona ecclesiae et in utilitatem ecclesiae instituta, merito jura cavent ne clericus injussu Superioris beneficium dimittat. ac beneficia haberi videantur in patrimonio et in bonis suis, de quibus libere disponere potest beneficiatus et ne ecclesia debito destituatur ministerio. Hinc deficiente auctoritate Superioris nullius roboris esse renunciationem concludit; renunciantem retinere proprietatem ac titulum beneficii, quod non ante vacat quam Superior renunciationem accepto habuerit. Cum itaque, urgent municipales, Ruffellius non renunciaverit coram Superiore et nominationem eodem contextu peregerit, cum nondum renunciatio ipsa a legitimo Superiore probata et admissa fuisset, profecto uti renunciationem ita nec nominationem, quia de beneficio *pleno* factam, suis non consistere viribus planum esse juxta text. *in cap. fin. de concess. praeben., Lambert. de jurepatr. lib. 2. part. 1. quaest. 4. art. 2. num. 1. et seqq., Vivian eod. tract. lib. 10. cap. 2. num. 2.*

Altera difficultas urgetur ob defectum sacerdotalis qualitatis in Borghesio. Voluit enim fundator capellanos esse debere sacerdotes actuales de tempore nominationis: »*Che siano sempre eletti e deputati due capellani preti*« ceu eruitur tum ex verbo *prete* significanti presbyterum actu celebrantem juxta ea quae in terminis tradit *Rocca disp. jur. cap. 120. num. 4. in fin., Piton. de contr. patr. alleg. 28. num. 7, Rota cor. Seraph. decis. 871. num. 1.*, tum ex qualitate sacerdotii requisita de tempore electionis, ut tradunt *Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 3. num. 17, Rota coram Emerix. Jun. decis. 278. num. 4. et 5, Piton. loc. cit.*

Quibus demum addunt, quod etsi hisce posthabitis nominatio nulli obnoxia esset exceptioni ea tamen pro una tantum capellania consisteret, nec enim fas erat patrono ad utrasque Borghesium nominare cum duas instituerit capellanias Matthaeus Tosoni ac duos capellanos nominandos esse praeceperit. Idque eo vel magis, quia non in unaquaque capellania sufficiens annuus octoginta circiter scut. redditus sit constitutus, unde honestae in parvo oppido duorum sacerdotum sustentationi prospici posset. Quoad Canonicum Ruffelli autem asserunt municipales, eum ex speciali tantum gratia, scilicet in vim apostolici privilegii utriusque capellaniae nactum fuisse possessionem, cum id legi fundationis manifesto repugnet, quae etiamsi contraria adesset observantia religiose servanda et custodienda foret.

Quandoquidem tot titulis nulla censenda est nominatio clerici Borghesii; profecto petitam sanationem denegandam esse contendunt, primo quia communitatis seu legitimae patronae ac ab ea nominatorum jura violarentur; gratiae autem in praejudicium juris tertio quaesiti non conceduntur. Extinctis enim cum ultimo beneficii possessore lineis patronorum qui primo ad juspatronatus activum vocati fuerant plane ad communitatem quae illis substituta fuit hujusmodi jus devolutum est, cui integrum igitur erat jure sibi devoluto uti ac nominationes ad vacantes capellanias peragere. Quin impedimento foret nominatio antea a Canonico Ruffellio facta, cujus quidem, illegitima cum sit ceu superius probatum est, ratio haberi nequit; vel interpositus ab illegitime nominato Borghesio recursus pro sanatione obtinenda ac successiva Ordinarii inhibitio ne municipium ad nominationes procederet; nam extrajudicialis recursus gratiam solum respiciens haud praepedire potest, quominus patronus interea jure suo utatur, s. Congregatio *in Ariminen. Capellaniae 26. Februarii 1774 §: Despiciendum, in Bononien. Electionis seu praesentationis 29. Novembris 1851. §: Fatue*, ut adeo inhibitio Ordinarii quae unice exhibitione recursus nitebatur haud attendi poterat, praesertim quia ex retardata ultra quadrimestre tempus nominatione in caducitatis poenam incidisset municipium ac devolutioni locus erat favore Ordinarii.

Ceterum perpendunt nulla eos exinde dignos esse animadversione, ac si a debita erga apostolicam Sedem et Episcopum veneratione defecerint» a *perchè*, inquiunt, *la presentatione essendo subordinata sempre alle disposizioni dell' ecclesiastica autorità, non potea menomare l'ossequio all Ordinario, nè la venerazione alle rettissime e suppreme disposizioni del sommo Pontifice, e per l'esposte ragioni il municipio patrono dovea venire alla stessa presentazione; protestando sempre la costante sua devozione al primo, come la somma ed inalterabile devozione al secondo, ed alle cui disposizioni rettissime egli intendere dovea di subordinare la presentazione ne' termini di pura giustizia.*«

Deinde quia id non leve cultui etiam divino detrimentum inferret. Cum enim in votis habeat municipium praefatas capellanias in canonicatus erigendi et hanc nominatis conditionem imposuerit (quod quidem cum ad majorem Dei gloriam tendat facile obtinere posse sibi pollicetur), profecto tam laudabili frustraretur desiderio, ubi nominatio Borghesii probaretur, qui praeterea utramque capellaniam retineret.

Demum nec consistere inquiunt quae Borghesius de civili suae familiae conditione ac paupertate asserit. Ejus autem ecclesiasticae educationi satis ab eodem municipio provisum esse, quod illum inter alumnos seminarii Caesenatensis gratuito alendos cooptari curaverit, nominatione qua fruitur in eum collata consiliari deliberatione diei 17. Octobris 1854.

Aliter edisserit qui Borghesii partes agit. Ac primo non ex causae necessitate, sed ut faciliorem sibi ad petitam sanationem sternat viam, etiam juris inspecto rigore nominationem ab eodem obtentam sustineri evincit. Res enim est, inquit, de capellaniis quae nullum annexum habent personale servitium, hinc videretur valide eas potuisse a Canonico Ruffelli resignari, quin opus fuerit acceptatione aut consensu Ordinarii, cum hujusmodi beneficia invito etiam Superiore renunciari possint juxta ea quae tradit *Fagnan. ad cap.: Admonet de renunc. a num. 33. ad 36.* In hoc enim casu, inquit Fagnanus, horum beneficiorum collatio fit principaliter ad utilitatem illorum quibus conferuntur, hinc provisi de illis videntur posse eadem invito superiore resignare per regulam, quod quisque potest ei renunciare, quod pro se principaliter est introductum, *cap.: Ad apostolicam de regul. leg. Si quis in conscribendo cod. de pacto.* Nec obstare urget, aequalitatem debere semper servari, et adeo ut sicut conferens non potest repetere ab invito, ita nec provisus possit Superiore invito restituere; reponit enim, hoc procedere in actu ultro citroque ligatorio, non autem in hoc, in quo provisus ad nullum certum obligatur servitium; ex cujus insuper resignatione nullum obvenit Superiori praejudicium, quae potissima ratio est, cum beneficiati invito Superiore resignare prohibentur.

Quatenus vero aliter se res haberet ac deficiente Superioris auctoritate vacationem beneficii sequutam ex resignatione non fuisse censendum sit, nihilominus oppositam ex adverso conclusionem, quod scilicet nominatio ac praesentatio facta beneficio pleno sit nulla, themati aptari non posse contenditur duplici ex causa, primo quia nominatio facta fuisset saltem cum supposito quod beneficium vacaret; quo in casu jus obtinet, ut supraveniente vacatione convalidetur nominatio nulla, nisi probetur mutata voluntas patroni, ceu tradit s. *Rota decis. 281. num. 16. part. 17. tom. 1.* et *decis. 332. num. 6. part. 19. tom. 2. recen.* ac pluribus allegatis auctoritatibus firmat *Piton. de contr. patr. alleg. 22. num. 6. 7.* Porro de credulitate patroni quod beneficium vacaret dubitari non posse, quippe qui ex facto proprio sive ex renunciatione a se emissa beneficia vacare putaret; uti pariter ex ejusdem obitu nominationis propositum confirmatum fuisse censendum est. Altera ratio est, quia votum captandae mortis, ex quo praecipue vetitum est ne beneficio pleno nominetur, longe aberat in casu, cum vacatio ex libera renunciatione non expectata beneficiati morte contingeret.

Alterum pariter concidere objectum quoad qualitatem sacerdotalem, quam actu in nominatis requiri ex adverso volunt. Falso enim id argui ex quo presbyteros ad capellanias nominari praescripserit institutor. Verbum enim *prete* non stat taxative seu qualificative ad personam eligendam, sed demonstrative ad designandum onus missarum, quae debent per sacerdotem celebrari ceu docet *Rota decis. 184. num. 11. et 12. part. 12. Recen. et coram Buratt. dec. 92. num. 3. coram Merlin. dec. 825. num. 12.* Eo vel magis, quia facultas data est capellanis vel per se vel per alios adimplendi missarum onera, ceu firmat *Piton. de contr. patr. alleg. 17. num. 2;* imo diserte statuitur, non solum quoad patronos sed quoad extraneos etiam, ceu ex

dispositionis contextu colligi videtur, ut si electi ad capellanias *non fossero di età da celebrar messa . . . . potessero far celebrare dette messe da altri sacerdoti.* Denique nomine sacerdotis non semper intelligi de eo qui sit habilis ad celebrationem missae, sed ejus appellatione comprehendi etiam clericum inferioris ordinis docet s. *Rota coram Merlin. decis. 685. num. 23. coram Priolo, decis. 41. num. 13., Piton. loc. cit. num. 3.*

Post haec nominationem ad ambas capellanias sustineri contendit innixus nedum ultimo statu sive ultimi possessoris exemplo, sed saeculari etiam observantia, qua constat ab uno semper capellaniam utramque fuisse retentam. Cujus quidem observantiae in linea saltem interpretativa eo magis habendam esse rationem, quo id repugnare non videtur omnino fundationis legi, ceu colligitur ex verbis queis facultas datur nominandi *al detto jus patronato quel prete che parerà etc.* Idipsum arguit ex earumdem capellaniarum conditione ac natura; quae quidem cum nullum personale servitium requirant, sed adjecta tantum habeant missarum onera, compatibiles sunt nihilque vetat, quominus ab una eademque persona quae injuncta onera adimpleat retineri valeant.

Verum ubi suis non consisteret viribus Borghesii nominatio, attamen ex iis quae disputata sunt ambigi non posse, quin aliquod ei licet imperfectum jus ipsa tribuat super iisdem capellaniis, ut saltem ex aequitatis ratione consanari debeant materiales defectus qui in eam irrepsisse videantur. Vix enim esse, quod de asserto praejudicio communitati patronae obveniente ratio haberi debeat, perpenso quod Borghesii nominatio praecesserat, cum devolutioni jurispatronatus favore communitatis ex patroni nominantis obitu locus factus est. Eoque minus attendi posse praejudicium, quod irrogari asseritur nominatis ab eadem communitate, cum horum electio peracta fuerit pendente Borghesii recursu ad s. Sedem, ac non obstante Ordinarii inhibitione, ut adeo electio ipsa ab attentati vitio excusari vix possit.

Prorsus vero posthabenda, quae de diminutione divini cultus ob praepeditam canonicatuum erectionem ex adverso obtrudunt. In quo quidem sat erit ea referre quae Episcopus hac super re votum suum rogatus apostolicae Datariae respondit: »La Collegiata di Longiano (scribebat) ha un numero di Canonici più che bastante per eseguire con decoro le sacre funzioni. Il male per essa consiste nella qualità de' suoi Collegiali i quali per la maggior parte sono sacerdoti senza spirito ecclesiastico, insubordinati, litigiosi, e ripugnanti all' esecuzione de' propri doveri che nel loro ufficio di Canonici sono tenuti a soddisfare a fronte anche delle più severe minaccie, e serie mie ammonizioni, ed aumentando il numero de' medesimi, prevedo che non si aumenterebbe che il disordine e lo scandalo.«

Addit: »che qualora venisse accordata la grazia che si richiede, questa riuscirebbe per ora favorevole soltanto ai disturbatori del detto collegio, i quali co' loro scaltri maneggi saprebbero riuscire ad ottenere dal patrio consiglio composto in gran parte di persone loro congiunte, la nomina ai nuovi canonicati o pei loro figli, o per li loro aderenti, e così si accrescerebbe il disordine e la discordia tra i medesimi. Quindi è che non esito punto in dichiarare che essi non sono meritevoli della grazia che implorano . . . . e sarei d'avviso di tener ferma la istituzione fatta dal fu Matteo Tosoni etc.«

Postremo loco, disjectis adversarii municipii difficultatibus, justas imploratae gratiae concedendae non deesse causas, nimirum paupertatem oratoris, quamvis ad civilis conditionis familiam pertineat, ejus honestatem morum, egregiam in studiis colendis voluntatem ceterasque qualitates, quibus Episcopi aliorumque probatissimorum virorum testimonio magnopere commendatur.

Quatenus vero Borghesii preces in omnibus rejiciendas existimaverint EE. PP. ex iis, quae in primi dubii disputatione utrimque adnotata sunt, videant quo responso alterum dubium dimittendum sit. Quod si pro una tantum capellania Borghesii nominationem admiserint, decernent etiam uter nominatorum a municipio (quatenus nominationes ab eo peractae sustineantur) praeferendus sit quoad immissionem ad alteram capellaniam, an scilicet Canonicus Eduardus Gori qui majorem suffragiorum numerum retulit vel is potius cui ob meritorum praestantiam gratificari censeat Episcopus.

Dubia:

I. *An et quomodo annuendum sit precibus clerici Borghesii pro sanatione in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo servandae sint nominationes factae a municipio Longianensi in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: In casu de quo agitur affirmative pro una tantum capellania facto verbo cum SSmo.

Ad II.: Affirmative pro altera capellania favore Eduardi Gori.

Die 11. Aug. 1855.

b) Non confirmata.

Parmen.

Volvente anno 1561 sub die quinta Decembris Facius de Zambernardis supremo quo decessit elogio simplex beneficium ecclesiasticum sacerdotale consortialatum nuncupatum instituit sub titulo s. Petri ad altare s. Bartholomaei in Basilica Cathedrali civitatis Parmae. Jus ad illud nominandi ac praesentandi sibi ipsi fundator primum reservavit: eoque e vivis erepto cuidam Gilberto de Zambernardis tribui voluit: quo mortuo expressit, ut deinde per antiquiorem et discretiorem ex ipso ac ejus filiis descendentibus per lineam tantummodo masculinam pro una voce nominatio ac praesentatio procederet, et per antiquiorem ex Massariis ven. consortii vivorum et mortuorum ejusdem civitatis pro altera: institutio autem per Dominum Archipresbyterum pro tempore dictae ecclesiae Basilicae Cathedralis fieret.

Processu temporis jus nominandi primae voci competens, donatione intercedente, a Dominico Bartholomaeo de Zambernardis, qui fuit postremus gentis illius, concessit in familiam illorum de Piazza, ex quibus pariter ad familias illorum de Bertoncellis, de Bertolottis et de Mellis transiit. Vacante igitur anno 1836 hoc beneficio pergraves exortae sunt lites ac contentiones inter varios descendentes ex praefatis familiis et M. Massarios ven. consortii, variaeque idcirco factae fuerunt praesentationes, inter quas erat et illa clerici Joannis de Bertolottis. Sed lite adhuc sub judice pendente, caeteris omnibus qui se asserebant compatronos vel per sententiam tribunalis a compatronatu exclusis vel sponte a causa desistentibus, per amicabilem concordiam receptam sub die 20. Martii anni 1838. ab jureconsulto et notario publico praedictae civitatis Nicòlao Pellegrini conventum fuit inter M. Massarios ven. consortii et fratres de Bertolottis, ut ex variis praesentationibus ad dictum beneficium a diversis jam factis tamquam valida, legitima ac canonica unice agnosceretur ab omnibus, prout de facto agnita fuit, praesentatio clerici Joannis Bertolotti, ipseque unus institueretur pro illa vice in rectorem legitimum anteadicti beneficii. Eveniente vero ejusdem beneficii vacatione jus ad illud praesentandi rectorem esset absolute M. Massarii antiquioris ven. consortii; et sic per alternas vices modo ad unum, modo ad alios libere et independenter a quocumque alio compatrono spectaret.

Quibus omnibus inter partes conventis ac pro ratis et validis habitis clericus Bertolottius fuit, prout erat de jure, de dicto beneficio provisus peracta institutione per Archipresbyterum tunc temporis praefatae Basilicae Cathedralis sub die 11. Aprilis anni 1858. ac proinde in collegium centumvirale cooptatus et ad percipiendas chorales distributiones admissus, quas semper, nemine declarante, percepit. Volvente vero anno 1844. sub mense Decembris cognovere Massarii ven. consortii beneficium antedictum esse sacerdotale, quia a fundatore volitum, ut electus et confirmatus (sunt testamenti verba) infra annum a die praesentationis et confirmationis ipsius se faciat ordinatum temporibus ad sacerdotium promoveri; ac per consequens praefatum clericum Bertolottium haud posse illud amplius legitime possidere authumantes, nulla praemissa monitione, sub die 19. dicti mensis Decembris anni ejusdem coram Archipresbytero instituendum praesentarunt in novum beneficii illius rectorem Ramirum Casapinium sacerdotem Parmensem et in praefata cathedrali ecclesia centumvirum. Hanc adversus praesentationem fuit extemplo sollicitus clericus Bertollottius solemnem protestationem emittere ac una simul supplicem porrigere libellum ssmmo Principi, ut temporis prorogationem ad suscipiendam sacerdotalem ordinem sibi ipsi concedere dignaretur cum facultate retinendi beneficii. Quam vero oppositionem minime attendente Casapinio, immo frustraneam eam reclamante ac omnino intempestivam edicente prorogationis petitionem a Bertolottio porrectam in quaestionem res pertransiit, quae ad amplissimum

judicium Vestrum EE. PP. hodie ipso Casapinio instante dirimenda proponitur.

Nullitatem nominationis ac praesentationis clerici Bertolotti pluribus sane demonstrare nititur Casapinius. Primo quia ea adversatur omnino legibus a fundatore praescriptis. Lex enim, quam in institutionis limine fundator edixit, aperte praecipiebat, ut electus et confirmatus infra annum ad sacerdotium promoveretur. Ea igitur fundatori mens fuit, ut infra annum posset sacerdotio augeri. Quam mentis intelligentiam haud impleri potuisse in clerico Bertolottio, qui cum fuit electus ac praesentatus in decimo octavo suae aetatis reperiebatur anno (qua in aetate juxta canonum sanctiones impossibilis omnino erat in eo ad sacerdotium infra annum promotio) quin saltem dispensationem a sancta Sede obtinere sollicitus sese praeberet. Quare si fundatorum leges ac voluntates sunt plenius observandae, ut jura omnia clamant, *Piton. de controv. patron. alleg. 50. num. 2.*, atque ad hoc prae caeteris adiguntur patroni, ad quos jus nominandi pertinet, uti ait *Gonzal. ad reg. 8. cancell. gloss. 9.*, sequitur nullitatis vitio laborare praesentationem prout de inhabili factam. Scitissimum enim in jure est ad nominationis validitatem duo requiri, quod nempe nominantes jurepatronatus gaudeant et quod in nominato confluant conditiones in fundatione appositae; quorum alterutro deficiente in aperto est ipsam nominationem deficere, quia inhabilem praesentare idem est ac nullum praesentare, ex *cap.: Qui autem 5* et *cap.: Pastoralis 29. de jurepatron.*

Et quamvis nominatio ac praesentatio quodammodo subsisterent, attamen, subsumit idem Casapinius, rem inde ad eum casum fuisse adductam, ut necessario caducitatis effectum inducere debeat. Recolit siquidem fundationis legem conditionem praeseferre, ut nimirum infra annum legati tempore adveniente sacerdotium a beneficiato suscipiatur. Verumtamen Bertolottius vigesimum jamdiu quartum suae aetatis annum explevit, quin conditioni pareret: ab omni hinc jure retinendi adhuc beneficii excidisse consequitur. Quin opus esset ipsum in mora per temporis praefixionem constituere: etenim neminem latet nonnullos dari casus, in quibus, quavis seposita monitione, caducitatis poena ipso facto incurritur, quos inter adnumeratur casus quando quis negligit ordinem vel a jure vel ab homine ad beneficium assequendum requisitum suscipere, ad monita per *Gagliard. de benef. eccles. cap. 3. de necessar. vacation. num. 14.*, ubi ait: Neglecta ordinum susceptio vacationem ipso jure non semel infert. Repugnat enim beneficia cum cura animarum, dignitates, canonicatus et caetera sacris ordinibus adnexa eos possidere, qui ad presbyteratum vel sacros ordines intra annum promoveri non curant. Cui aperte consonat quod statuit Martinus V. in concilio Constantiensi *sess. 43. tit. de dispensat.* Quibus expositis argumentis luce clarius apparere dicit, adversarium ob tamdiu neglectam ordinis susceptionem ministerio juris beneficium amisisse illudque absque ulla juris offensione potuisse venerabile Massariorum consortium, cui pro ea vice jus nominandi ac praesentandi competebat, novo rectore providere, cui proinde nonnisi per summam injuriam denegari posset institutio, eo ipso quod cunctis ad fundationis tramites pollet requisitis; vel frustraneum reddere jus per dispensationem adversario concedendam contra receptam s. Congregationis praxim, quae nunquam gratiam uni cum praejudicio juris alteri quaesiti elargiri solet.

Quanti autem sint facienda hujusmodi argumenta, deprehendere licet ex una alteraque Episcopi informatione, qua dum multis arguit verbis Massariorum agendi rationem vindicias pro Bertolottio assumere non dubitat. Sic enim argumentatur Episcopus: »Vero è che la mancanza nel Bertolotti della qualità sacerdotale dava motivo ai R. Massari del consorzio di procedere alla nomina, e di presentare un nuovo rettore più idoneo; ma perchè non prevenirne il chierico già in possesso da più anni del benefizio? Perchè non denunciargli la caducità da qualunque diritto; non prescrivergli un termine perentorio, entro il quale dimittere il benefizio stesso? Perchè ritenerlo come licitamente e validamente investito del consorzialato, lasciarlo quieto e pacifico possessore per tanti anni, retribuirlo delle onoranze tutte, dei diritti, e degli emolumenti, che a consorziale appartengono, sebbene mancanti della indispensabile qualità sacerdotale? E non potrà in questo scusarsi il venerando Consorzio, come di cosa non conosciuta; imperocchè all' accettazione, ch'Essa fa di un qualunque confratello, vuole dallo stesso una copia autentica degli atti di sua canonica investitura.«

»Vano poi sarebbe incolpare di siffata mancanza il beneficiato Bertolotti, il quale unitamente allo Zio suo paterno, cui per seniorato appartiene la nomina, asseriscono in ogni più amplo modo, d'essere stati in buona fede fino al cadere del 1844., ignorando la voluta qualità sacerdotale: asserzione che vienne confermata dal silenzio del venerando consorzio sempre osservato; dalla non espressa condizione nell' Atto Pellegrini di transazione amichevole; dal non farsi parola della condizione medesima nell' atto di canonica istituzione, che ricevevasi dall' ora fu Don Sante Luca Arciprete della Cattedrale senza richiedere il chierico Bertolotti della necessaria dispensa apostolica sulla qualità sacerdotale. Le dette cose tutte come sono contro quelli, che volessero accusare colpevoli di tanta mancanza il beneficiato insieme ed il patrono, cosi rimangono a carico dell' anzidetto Arciprete collatore, e della stessa curia vescovile di quei dì, che non doveva dare permesso di prendere possesso del benefizio al chierico Bertolotti, mancante d'una qualità voluta assolutamente in fondazione.«

»Di più fà d'uopo osservare, che l'istromento precitato di transazione del dottor Pellegrini non venne in guisa alcuna approvato e santionato dalla santa Sede con apostolico beneplacito, come in espresso modo si proposero le parti, non tanto per se quanto pei successori aventi diritto ec. Comunque in dipendenza delle presenti sia senza più per essere conferita dall' Ordinario la collazione e canonica istituzione al chierico tonsurato Giovanni Bertolotti, entrambe le parti si conferiscono a vicenda facoltà a che la più diligente fra esse possa provvedersi alla santa Sede per riportare, ove abbisogni, anche il beneplacito apostolico, ed il successivo Exequatur, sicchè in qualunque tempo avvenire il presente Convegno non possa mai essere sotto qualsiasi titolo o pretesto, comunque impugnato da chicchessia. Per la qual cosa rimane ancora alla famiglia Bertolotti motivo sufficiente d'impugnare quel concordato, di pretendere per se exclusivo diritto di nomina, di volere nel Massaro anziano del Consorzio una voce di sola adesione o d'approvazione, e tanto più render valida l'opposizione precitata in danno del consorziale Casapini. In tal modo ecco risorta una gravissima questione, che si presenterebbe ai tribunali civili, e che verrebbe convalidata dalla circostanza, che fu difettosa in radice la nomina, e successiva istituzione del chierico Bertolotti, come mancante di qualità sacerdotale voluta in fondazione. E di conseguenza si vorrebbe la nomina stessa considerare come non eseguita secundum jus, come non valida ex defectu formae etc. richiamandosi cosi i Bertolotti al primiero diritto (excluso che sia il beneficiato attuale) di nominare cioé anche in oggi un nuovo rettore in conformità del proprio incontrastabile diritto come da fondazione.«

»Poste le quali cose necessarie a sapersi la mia prima informazione del 22. Marzo 1845. venne estesa dopo avere per iscrittura interpellati i reverendi Massari del venerabile consorzio, come compatrono l'un d'essi, di detto benefizio, (le quali prime dignità si rinnovano ad ogni anno con elezione di nuovi individui); ed alla mia lettera rispondevano nella sequente maniera (nimirum ultro libenterque assentiebantur dispensationi a Bertollotio implorandae): da cui presi motivo d'esprimere quella quinta proposizione.« Quod pro his omnibus rerum adjunctis et argumentis essem in voto indulgendum esse praefato clerico oratori, donec jurisprudentiae studia expleverit, quod idem est ac dicere ad quinquennium, videlicet usque ad annum 1850. inclusive dando termine per tal modo ad parere che mi fu chiesto dall' Eminenza Vostra Reverendissima.

Sane quae hactenus disseruit Episcopus undique consonant juris canonici sanctionibus quibus edocemur neminem inauditum beneficii possessione esse privandum, sed ad id praemittendam necessario esse judicialem formam, quam ideo constituit Alexander III. in *cap. Conquerente 7. de restit. spoliator.* Proinde necessariam esse citationem, ut quis in mora constituatur, quam in summario etiam judicio praemittendam de jure tum divino, tum naturali, tum ecclesiastico, tum civili patet ex *cap.: Quoniam de probationibus, cap.: Inter quatuor de major. et obed., Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 8. num. 13, Rigant. in reg. XVIII. cancell. num. 83. et seq.* Quod si id servandum etiam in casu, quo aperte caducitatis poena comminata fuerit ipso jure, ipso facto, nimirum citra ministerium vel declarationem hominis, uti communiter tenent doctores, quos inter *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis. de elect. §. inferiora num. 39. et de restit. spoliator.*,

in cap.: Conquerente num. 1, Van Espen. par. 2. tit. 19. de act. et qual. cap. 3. num. 16, Giraldi de poenis eccles. par. 1. cap. 5. et seq., s. Congreg. in Narnien. Caducit. 9. Maji 1840. §: Haec et in *Caesenaten. Mansionariae 15. Septembr. 1792,* fortius in themate obtinere debuisset, ubi fundator nullam in socordes comminatus est caducitatis poenam; adeo ut evidens fiat, Massariorum factum veluti attentatum ac spoliativum esse retinendum.

Nec minoris profecto momenti est alterum argumentum, quod Episcopus ipse ex diutina clerici Bertolotti possessione ejusque bona fide educit. Cum enim in casu concurrat utique titulus coloratus, quia praesentatio atque institutio peracta fuit a personis id juris habentibus, non immerito forsan tueri se posset clericus regula notissima 36. cancellariae apostolicae, quae seclusis tantum casibus intrusionis et simoniae securos a quibusvis molestiis triennales pacificos beneficiorum possessores reddit omnino. Super quo, caeteris missis, videnda late tradita penes s. C. *in Savonen. Caducitatis 26. Januarii labentis anni.**)

Utcumque autem haec sint, videant EE. PP. utrum, perpensis cunctis rerum adjunctis, magis expediat, ut prorogationis indultum ad suscipiendum ordinem sacerdotalem Bertolottio concedatur, illudque ad tempus, juxta Episcopi votum, coerceatur.

Quocirca definire dignentur dubium:

I. *An sustineatur nominatio sacerdotis Ramiri Casapini in casu?*

seu potius

II. *An et quomodo sit annuendum precibus clerici Joannis Bertolotti in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Negative.

Ad II.: Ad annum, facto verbo cum SSmmo.

Die 24. Aug. et 23. Novb. 1850.

c) Non confirmata propter deficientem aetatem.

Vd. *Beneficiatus* sacerdotio nondum insignitus, dispensatio non concessa p. 314; *t. I. p. 278. etc.*

d) Cumulativa non vetita.

Nullo jure nullaque testatoris lege vetitam fuisse cumulativam plurium nominationem: imo hanc a sacris canonibus tamquam ecclesiae utilem laudari et approbari, *cap. cum advocatus de jurep., Fagnan. ibid. n. 5 et 23, Barbos. de offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 72, num. 158, Vivian. de jurep. lib. 10. cap. 3. num. 7. et Rota in Comen. Beneficii s. Pauli 4. Julii 1760. § 10. cor. Olivatio.*

Die 26. Aug. 1769.

*) Vd. *Caducitas.*

e) Dubia.

Vd. *Beneficium* (nominatio confirmata p. 635.)

f) Habitu clericali jam dimisso.

Vd. *p. 362. b.*

g) Illegitima.

Vd. *Beneficium* (collatio quibus personis non danda p. 433; nominatio irrita.)

Aesina.

Nominationem Ferri tamquam personae inhabilis fuisse plane illegitimam ac proinde habendam esse ac si facta non fuerit, *Rot. in recent. decis. 26. num. 5. part. 1. decis. 483. num. 3. part. 12. cor. Emerix. Jun., decis. 263. num. 4. et cor. Buratt. decis. 680. num. 1. et seq.*

Die 23. Junii 1832.

h) Irrita.

Vd. *Beneficiatus* (qualitas p. 181, 185; sacerdotio non insignitus p. 236.); *Beneficium* (collatio beneficii non vacantis p. 398.)

Nominatio nulla et irrita evasit utpote malis artibus, dolo ac per improbam simoniam extorta *test. in cap.: Cum clerici de pactis cap.: Nobis de Simon.* Cap.: *Quia propter de elect.* Innocentius III. haec verba habet: »*Qui vero contra praedictas formas eligere tentaverint, eligendi ea vice potestate priventur.*«

i) Jus.

Vd. *Beneficium* (collatio a capitulo p. 400. etc.) p. 413. III; p. 414. IV.

I. Dubium.

Firmana.

Supremis quibus decessit voluntatis suae tabulis anno 1701 Joseph Nazzei sorores

suas Margaritam et Theodoram Nazzei haeredes instituit ea lege, ut ex haereditariis bonis post ipsarum mortem superextantibus binas laicales capellanias in oppido Murri Vallium erigendas curarent. De jure autem nominandi ita constituit: »con nominarsi due sacerdoti, preti di questa Terra di Morrovalle, essendovi, e non essendovi due preti sacerdoti forastieri, con dichiarazione però espressa che siano sacerdoti di buona condizione, fama, timorati di Dio, e buoni casisti, e questa nominazione si debba fare dal più anziano cittadino della molto illustre communità di questa Terra di Morrovale, e dal sig. Preposto pro tempore dell' insigne Collegiata di questa Terra medesima.« Fratris dispositionem sorores exequutioni mandarunt ac binis erectis capellaniis cetera a testatore imperata hactenus servata sunt. Nunc vero cum altera ex capellaniis sacerdote vacaverit, quaestio inter conciliarios facta est: utrum ex eis antiquior aetate an senior exercitio muneris jure nominandi potiretur. Qui secunda praerogativa ceteris se praeire arbitrabatur, quia primus in novissimo consiliariorum albo fuit recensitus, presbyterum Vincentium Perugini, alter qui revera antiquior erat exercitio muneris consiliarii Cajetanum Guidi viceparochum nominavit, atque huic assentitus est etiam is consiliarius, qui reliquis aetate praestabat. Praepositus vero, qui testatoris voluntate nominandi jure etiam gaudet, in sacerdotem Vincentium Prosperi nominationem suam contulit. Hic igitur, ut legitime capellaniae possessionem adire valeat, derogationem medietatis vocum ab hoc s. Ordine postulat.

Preces Emmo Archiepiscopo remisi, qui auditis singulis, quorum interest, se abstinet a ferendo judicio de sacerdote Perugini, quia hic jus suum, si quo praeditus erat, spernere visus est obtentamque nominationem offerre neglexit. De reliquis autem ita votum suum aperit: »Viderint Emi Patres quanta facienda sit altera nominatio, quam Guidius a duobus consiliariis de jure uni tantum attributo inter se decertantibus est assequutus, comparatione illius quam praepositus certe jure suo utens et institutoris voluntati adamussim adhaerens in oratorem Vincentium Prosperi contulit. Bona enim hujus nominati conditio seu honestas familiae prae Cajetano Guidi et vitae ratio constanter actae ad exemplum et optima in oppido fama et exantlati bono proximorum labores tum in excipiendis ex charitate fidelium confessionibus, tum demum in officio Vicarii foranei, quo functus et difficilioribus sacerdotii et imperii temporibus et adhuc diligentissime fungitur, ita dilucide exurgunt, sicuti omnino vere, quod dubio procul s. Congregationi testatum volumus. Quare dum de presbytero agatur meritis, gravitate et doctrina inter clericos Murri Vallium facile primo, qui sexagenario jam major nullum unquam adeptus est beneficium aut etiam quamcumque ecclesiasticam pensionem, merito eidem capellaniam de qua agitur pontificia auctoritate adjudicari posse censerem, praevia derogatione alterius vocis quae incerta, ut opinor, ratione Cajetano Guidio fuerat collata.«

Sacerdos Guidi, ut suam tueatur nominationem, dicit testatorem primo loco exquisivisse votum antiquioris consiliarii adeoque parum interesse, si huic non accedat vox Praepositi ecclesiae collegiatae. Hujusmodi votum sibi omnino favere arbitratur: sive enim in consiliario, ut nominandi jure gaudeat, necessaria sit antiquitas aetatis sive exercitii, votum semper obtinere suam vim debet, cum ab utroque una vel altera praerogativa praedito illud sit assequutus; proindeque sibi capellaniam jure meritoque adjudicandam existimat.

Praeterea idem sacerdos probatis est moribus, exiguis gaudet bonis, non caret scientia et Canonico curato in obeunda animarum cura impense opitulatur. Hinc dignum se putat, ut ipse in capessenda capellaniae possessione ab EE. VV. potior habeatur.

E contrario presbyter Prosperi nominationem sacerdotis Guidi parvi faciendam esse contendit. Inprimis enim a testatore cumulative exquiritur votum tum Praepositi tum consiliarii. Dein haud perspectum et exploratum est: an sacerdos Guidi a legitimo patrono ad capellaniam fuerit praesentatus: at sacerdos Prosperi medietate vocum patronalium est procul dubio praeditus ac insuper cunctis ornatur dotibus a fundatore statutis adeoque cum res adhuc imperfecta sit, postulat, ut sibi capellaniae possessio tribuatur.

Enimvero testator eos voluit ad capellanias nominari qui essent »sacerdoti di buona condizione, fama, timorati di Dio, e buoni casisti.« Hujusmodi autem dotium supellectili prae sacerdote Guidi exornatum

esse presbyterum Prosperi nedum testantur Praepositus Collegiatae et qui est a Secretis in rebus publicis oppidi Murri Vallium, sed etiam Emmus Archiepiscopus, ceu patet ex relata ipsius informatione.

Imo pergit idem Emmus, Cajetanus Guidi tamquam vicecuratus a capellaniae possessione abjiciendus foret, nam »Testator Nazzei binas indicens capellanias omnino laicales patrimonio suo dotandas erigendasque binos ad easdem eligendos presbyteros designavit, qui praeter caetera requisita *boni etiam essent casistae*, illosque voluit ex clero oppidi eligi *quatenus adessent*, sin minus exteros quoque nominare permisit. Certo autem sciebat *Nazejus* numquam fieri posse, ut duo illi casistae in clero oppidano deessent, si Canonicos curatum et vicecuratum jam antiquitus in ecclesia collegiata institutos eligi posse voluisset. Exteros ergo defectu oppidanorum considerans implicite saltem parochum et viceparochum exclusit, quos potius duobus adjutoribus in ministratione Sacramenti poenitentiae voluit instruere.«

Minus autem veritati consonum est, quod ait consiliarius, qui nominationem explevit favore sacerdotis Guidi, exiguis inquiens hunc auctum esse ecclesiae bonis, siquidem gaudet canonicali praebenda reliquis canonicalibus praebendis (verba sunt Emmi Archiepiscopi) ampliori et culturae forsitan aptiori, quae tamen fructus proportionabiles minime reddit desidia ejusdem rectoris, qui neque arboribus frugiferis eamdem instruit neque diligentiori incumbit rationi culturae. Ceterum exploratum mihi est, Cajetanum Guidi redditibus amplioribus prae ceteris Canonicis illius collegii frui, uno tantum excepto Canonico, cui principaliter imminet cura animarum.

Porro quum ex sacrorum canonum dispositione ac praecipue *ex cap. 3. et 27. de jurepatron.* et ex *Clement. 2. eod. tit.* constitutum sit, quod si plures patroni laici, quibus jus est nominandi ad beneficium, intra quatuor mensium spatium inter se non conveniant, nominatio devolvatur ad Episcopum, qui digniorem ex nominatis vel etiam extraneum eligere potest eique conferre beneficium, *Fagnan. in cap.: Cum autit. 28. n. 23. de jurep.* et *Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 38. n. 94. et seq.*; cumque ex praefata rerum serie et ex propitio Emmi Archiepiscopi voto liquescere putet sacerdos Prosperi, se digniorem inter nominatos esse renuntiandum, non dubitat quin Emmi Patres sententiam sibi apprime secundam sint laturi.

Proponitur dubium:

An sit annuendum precibus sacerdotis Vincentii Prosperi in casu?

S. C. resp.

Affirmative facto verbo cum SSmo.

Die 24. Jan. 1829.

Bononien.

In rurali ecclesia *de Bagnarola* Bononiensis dioecesis simplex beneficium extat sub titulo ss. Petri et Zenonis, cujus patronatus Gasparo, Lucae et Laurentio fratribus Muzzoli *pro eis eorumque haeredibus et successoribus in perpetuum* anno 1442. a Vicario generali concessus est et die 2. Maji 1474. apostolicis literis s. m. Sixti IV. confirmatus fuit favore *dictorum fratrum de Muzzolis eorumque posterorum.* Quum autem Alexander Muzzoli Gaspari filius uxorem suam Eugeniam de capite Bovis haeredem reliquisset, persaepe accidit, ut successivae rectorum nominationes ab extranea etiam familia haereditario jure elicitae fuerint. Temporis quoque lapsu factum est, ut non modo a Mutio Muzzoli patronatus medietas anno 1582. Ludovico ejusdem familiae donata sit, sed integrum patronatus jus a Gandulpho et Paulo unicis superstitibus ex gente Muzzoli per donationem auctoritate Archiepiscopi peractam ad Saulum Guidotti stipulantem *pro se suisque heredibus et successoribus* anno 1645. transierit.

Ad hanc vero donationem penitus evertendam quamplurimae quidem quaestiones anno 1650. post mortem scilicet patrui Gandulphi excitatae sunt a Paulo Muzzoli: nam contendere caepit eamdem donationem irritam esse tum quia dein filios susceperat, tum quia ratus gentilitia qualitate pollere beneficii juspatronatus in extraneum transferri non posse inquiebat, antequam familia Muzzoli exaresceret. A causa tamen cecidit Paulus proindeque anno 1651. iniit transactionem, qua donationem anni 1645. se ratum habere professus est declaravitque, se donationis tempore de filiis nascituris cogitasse. Cautum vero fuit, ut Saulus Guidotti tribueret Paulo dominium quorumdam praediorum ad beneficium pertinentium, ac insuper eidem ejusque lineae concederet jurispatronatus exercitium, sibi tamen ipsius proprietate ita reservata, ut post praefatae lineae Muzzoli extinctionem praesentandi iterum jure potiretur. Hinc nova rursum lite sub anno 1670. acriter suborta amicabili demum transactione anno 1676. inter filios Pauli Muzzoli et familiam Guidotti conventum est, ut *in futurum quotiescumque evenerit casus vacationis beneficii prima vice si extiterit aliquis de linea et descendentia masculina . . . Joannis Pauli de Muzzolis . . . qui sit capax et idoneus ad dictum beneficium praesentetur, dictique de Muzzolis habeant jus et facultatem illum praesentandi, et non extante aliquo ex dicta descendentia idoneo, si extiterit aliquis de descendentia legitima Pauli Guidotti capax et idoneus dicti de Muzzolis teneantur illum praesentare ad dictum beneficium*; et sic vicissim eisdemque legibus Familia Guidotti jus haberet nominandi clericum Guidotti vel clericum ex domo Muzzoli, quoties secunda qualibet vice obtigisset beneficii vacatio. Declararunt item partes, *quod deficientibus utraque linea masculina tunc et eo casu descendentes foeminae utriusque ex dictis lineis sint capaces dicti jurispatronatus et praesentationum.*

Neque tot interea controversiarum finis. Etenim de originaria potissimum jurispatronatus natura cum iterum Bononiae decertatum fuisset inter partes, eam esse gentilitiam, anno 1726. in favorem familiae Muzzoli decrevit Vicarius generalis. Quapropter res in judicium revocata est; nec nisi die 8. Augusti 1743. fuisse quaestio dirempta videtur, quo die Cardinalis Alberoni Bononiae legatus revocandam et irritandam censuit sententiam Vicarii generalis pronunciavitque *prenarratum juspatronatus competisse et competere tam senatori Hannibali de Guidottis ejusque successoribus quam Dominis Joanni Paulo et Ludovico de Muzzolis eorumque successoribus: jus vero et facultatem praesentandi ad idem beneficium pro prima vice adveniente casu illius vacationis competere dicto Hannibali de Guidottis ejusque successoribus; et pro secunda vice inposterum dictis Joanni Paulo et Ludovico fratribus de Muzzolis eorumque successoribus infrascriptis et sic deinceps de vice in vicem alternative et in perpetuum juxta turnum, ordinem ac pro respectivis successoribus de quibus in transactione inita de anno 1676. die 9. Decembris.*

Huic decreto partes sibi quiescendum putarunt atque ex ejus praescripto nominationes postea expleverunt quin ulla subinde exarserit judicialis controversia. Imo quum Ludovicus ex familia Muzzoli postremus vita excessisset anno 1791 suorumque omnium et bonorum et jurium haeredem reliquisset Vitalem Bini, hic memoratum juspatronatus ad se jure haereditario pertinere existimans anno 1806 rectorem beneficii Jacobum Redi reapse elegit, nemine prorsus ex familia Guidotti reclamante: eamque electionem ita legitimam censuit Vicarius generalis, ut de admissa inter partes turni lege luculentissime rursum constiterit. Ubi autem altera contigit anno 1809 ejusdem beneficii vacatio, Hannibal Guidotti suo adamussim jure functus est ac monachum nominavit Olivetanum Jacobum Guidotti, cui a s. me. Pio VII. Pont. Max. concessum fuerat, ut id beneficium *titulo administrationis pro congrua suae vitae sustentatione* retineret.

Interim accedit anno 1810, ut Vitalis Bini suum compatronatus jus ex publico instrumento donaverit cognato suo Antonio Diolaiti ejusque haeredibus et successoribus: hic nemine etiam reclamante ex Guidotti, ejusdem donationis sanctionem ab hodierno Emo Archiepiscopo decerni impetravit. Non ita igitur multo post, vix monachus Olivetanus beneficiarius diem obiit supremum, facile quidem sensit Antonius Diolaiti ad se pro ea vice nominandi ac praesentandi jus spectare; atque eo simul animum intendit suum, ut pro aliqua sibi pensione reservanda apostolicam auctoritatem nancisceretur. Verum hisce consiliis obstitit Franciscus Marchio Guidotti ex dicto Hannibale filius: caepit enim contendere in archiepiscopali Bononiensi curia, omne patronatus jus vel usque ab anno 1791, quo sine successione interiit Ludovicus Muzzoli, ad suam unice familiam recidisse nec ullo dein legitimo titulo aut ad Vitalem Binni aut ad Antonium Diolaiti potuisse transferri.

Haec cum ita se habuerint, Emmus Opizzoni Archiepiscopus Bononiensis tum de omni penitus sedanda controversia tum de majore divini cultus honore promovendo solicitus duo potissimum proposuit: ut nimirum ex satis ampla beneficii dote unius canonicatus erectio fieret in Bononiensi Basilica, cujus nominatio in familia Guidotti perpetuo consisteret; ac ceteri deinde redditus

ipsi beneficio simplici applicarentur, cujus integrum jus familiae Diolaiti constantissime adhaereret. Haec tamen rei conciliandae ratio perperam hucusque excogitata est. Inopinato enim adfuit Vincentius Antonii Diolaiti filius, minor dux *dei Carabinieri* in Anagnina civitate, qui se ex seculari militia ecclesiasticam vocari asserens suppliciter petiit ab Emmo Archiepiscopo, ut nil quidquam de ejus beneficii statu immutandum decerneret, cujus ipse sibi nominationem et institutionem ex familiae suae compatronatu efflagitabat. Quum vero ab Emmo Archiepiscopo sui voti compos fieri nequiverit, easdem ipse preces pro obtinenda beneficii institutione porrexit Emmo Prodatario eodemque demum consilio ad hunc sac. Ordinem confugit, ut supremo EE. VV. judicio omnis aliquando quaestio dirimatur.

Rogatus Emmus Archiepiscopus de informatione et voto, quae superius narravi, ipsemet confirmat ac refert insuper: »che l'annuo reddito di detto benefizio procedente da due fondi nel commune di Bagnarola si ritiene di scudi duecento novanta, e che gli oneri ammontano a scudi 69. 33.« Se audivisse subdit Antonium Diolaiti, qui respondit: »di esser pronto ad annuire alla fondazione di un canonicato in s. Petronio colla dotazione dell' annua rendita di scudi centocinquanta col giuspatronato del medesimo alla famiglia Guidotti senza altra alternativa, purchè sia conservato l'attuale beneficio semplice colla residuale rendita dei Beni, e capitali dello stesso benefizio col giuspatronato perpetuo alla mia famiglia senza altra alternativa colla memorata famiglia Guidotti«. Marchio autem Franciscus Guidotti cuperet quidem ut orta controversia amice componeretur, sed hisce sub legibus, nempe »di ricevere in enfitensi a stima li fondi del benefizio, di convenire nella erezione di un canonicato con l'assegno di scudi 150. annui nella Basilica di s. Petronio a carico del benefizio stesso, e di prestare l'annuenza per la secolarizzazione temporanea di una parte del medesimo a favore del sig. Antonio Diolaiti, cioè vita sua naturale durante, da chiedersi però, ed ottendersi da lui diretamente.«

Jam vero omnis de qua agitur controversia in eo potissimum vertitur, ut ipsa in primis jurispatronatus natura ad sacrorum canonum tramites perpendatur. Si enim haereditarium esse constiterit patronatum, nemini inficiandum erit, rectoris nominationem pro hac vice ad Antonium Diolaiti spectare: contra vero ad Marchionem Guidotti, si de agnatitia ejusdem patronatus qualitate decernatur. Porro explorata cuique res est, juspatronatus non modo praesumi in dubio haereditarium *ad text. in cap. 1. et 3. de jurepatr. Clement. Plures eodem tit., Lotter. de re benef. lib. 2. q. 11. num. 20.*, idque praesertim ubi nulla facta fuerit agnationis mentio, *Fargn. de jurepatr. part. 2. can. 1. et 2. cas. 6. num. 14., Rot. cor. Emerix jun. decis. 367. num. 4. et in Romana Capellaniae 28. Junii 1709.* §: *Caeterum, coram Ansaldo:* sed tale etiam omnimode existimari, si haeredes nominatim vocatos fuisse pateat, *Rot. part. 7. decis. 275. num. 5.*, imo plures reapse nominationes haereditatis titulo contigerint, *Rot. part. 12. decis. 204. num. 11.*

Hisce omnibus facile evincitur juspatronatus beneficii ss. Petri et Zenonis haereditarium esse non agnatitium. Tot enim, quae superius expositae sunt, temporum litiumque vicibus perspicuum certe est, ejusmodi patronatum vel ab initio tribus fratribus *Muzzoli pro eis eorumque haeredibus et successoribus* concessum fuisse, adeo ut ab Alexandri Muzzoli uxore et haerede Eugenia de capite Bovis jam tum rectoris nominatio prodierit. Hinc ubi a Gandulpho et Paulo Muzzoli juspatronatus Saulo Guidotti donatum fuit frustra omnino pro agnatitia illius qualitate praefatum Paulum in judicio contendisse liquet: qui scilicet non modo litem sponte abdicavit, sed per ipsam judicis sententiam causa cecidit, unde haereditaria jurispatronatus natura firmissime agnita et adserta est. Quod si deinceps initis transactionibus factum est, ut Paulus Muzzoli mediam jurispatronatus partem sibi vindicaverit, id ob eam solum causam accidisse putandum est, quia cum ipse filios suscepisset post donationem anno 1645 haec claudicare et ex parte resoluta videbatur; siquidem donatio jurispatronatus ob supervenientiam filiorum ipso jure ac sine ullo hominis ministerio rescinditur ad tradita *per Vivian. de jurepat. lib. 4. cap. 4. num. 31., Piton. de controv. patron. in suppl. ad alleg. 100. num. 68.* et *s. Congregatio in Montis Alti Capellaniae 12. Julii 1823* §. *Longe et* in eadem *26. Februarii 1825* §: *Irritam.*

Nec haereditaria hujusmodi patronatus

qualitas ullam subiit vicissitudinem ex transactione anni 1676, quoniam de perpetua potius turni lege quam de innovanda jurispatronatus natura in ea actum fuisse facile intelligitur. Enimvero quum anno 1726 judicio contenderent fratres Muzzoli irritam esse donationem anni 1645 nulliusque etiam roboris transactiones annorum 1651 et 1676 ob non servatas juris solemnitates injectasque pactiones simoniaca labe infectas, Saulus ejusque filius Guidotti medietatem jurispatronatus ad se pertinere coram Vicario generali urgebant. »Domini de Guidottis (ita votum a Rota Bononiensi anno 1743 exaratum, cui in sua ferenda sententia sibi inhaerendum arbitratus est Cardinalis Alberoni) serio instabant, declarari et pronunciari per R. P. D. Vicarium, ipsis tamquam compossessoribus et condominis *saltem pro dimidia* competisse et competere jus nominandi et praesentandi rectores pro tempore in casu vacationum juxta turnum et ordinem volitum et observatum per partes«.

Postera quoque observantia haereditariam demonstrat jurispatronatus naturam, siquidem anno 1791. pacifice tulit familia Guidotti, ut Vitalis Binni ex Ludovico Muzzoli defuncto haeres testamentarius juris illico patronatus particeps evaderet idemque haereditario titulo legitimum beneficii rectorem anno 1806 ad turni vicem institueret. Ceterum quum Antonius Diolaiti, nemine ex Guidottis reclamante, illud ipsum patronatus jus per donationem a Vitale Bini acceperit, etsi nondum ulla adhuc obtigerit rectoris nominatio, eamdem tamen sibi donationem hodierni Emmi Archiepiscopi auctoritate firmatam fuisse probavit. In themate igitur non tam agi videtur (ita ait Diolaiti) de jurepatronatus, quod haereditarium esse in dubio praesumi debeat, quam de eo potius, quod esse haereditarium pluribus rationum momentis certum exploratumque sit.

Aliter tamen rem definiendam arbitratur Marchio Guidotti. Qualis enim cumque initio fuerit jurispatronatus natura et essentia, in dubium revocari non potest, dein fuisse immutatam et nunc servandam esse transactionem anni 1676 eamque tum partium consensu tum sententia Cardinalis Alberoni pro lege omnino habendam. Porro eadem transactione patulis verbis cautum legitur, ut gens Guidotti et familia Muzzoli alternis vicibus nominationes rectorum explerent, addita insuper conditione, ut si masculina alterutrius familiae deficeret linea jus nominandi haud faeminis ex linea extincta descendentibus attributum censeretur, sed integrum in masculina linea superstitis familiae coalesceret, ac tum solum foeminae in patronatum succederent, cum agnati utriusque lineae penitus defuissent. Ita quidem suadere videntur verba illa transactionis »declarantes partes praedictae, quod *deficientibus utraque linea masculina* tunc et eo casu descendentes faeminae utriusque ex dictis lineis sint capaces dicti jurispatronatus et praesentationum.«

Defecit revera agnatitia linea familiae Muzzoli anno 1791, cum postremus masculus illius gentis vitam commutavit, ac propterea ex transactionis censura jus omne nominandi ad beneficium ss. Petri et Zenonis in nobilem familiam Guidotti adhuc virescentem coaluisse existimandum est. Nec posteram observantiam unico nominationis actu praeditam sibi officere posse putat Marchio Guidotti; nam ipse jure proprio seu jure sanguinis ad patronatum vocatur, et patris ignorantia vel negligentia nullum filio praejudicium inferre potuit, *Card. de Luca de jurep. disc. 35. n. 7., s. Congreg. in Casalen. Concordia 22. Januarii 1775* §: *Praeterea.*

Haec animadvertenda censuit, ut Emi Patres perpendant, utrum alterutrius litigatoris sit jus vel potius implexum et ambiguum, adeo ut magis expedire judicent concordiam inter partes conciliandam, ea enim est transactionis indoles et ratio, ut super re dubia versetur, *L. 1. ff. de transact., Rot. cor. Riminaldo decis. 309., n. 8.* Ubi autem controversia sit transactione finienda, videant EE. VV., utrum votis Emi Archiepiscopi, cui adhaeret Antonius Diolaiti, vel potius pactionibus a Marchione Francisco Guidotti propositis oporteat indulgere.

Videndum nunc est, utrum Vincentius Diolaiti Antonii filius dignus sit, qui memoratum ss. Petri et Zenonis beneficium nanciscatur. Pluribus sane de causis propitium ipse sibi fore confidit hujus s. Ordinis suffragium. Etenim Patrem suum bonorum suorum administratione interdictum affirmat, eique idcirco ne jure patronatus quidem perfuugi integrum esse existimat. Cum autem ex ipsa transactione anni 1676. passivum patronatus jus patronorum filiis omnino adjudicatum fuerit, hinc sibi uni prae ceteris

contendit beneficii institutionem deberi et nihil unquam sine suo consensu super eo beneficio aliter decerni posse. Ad se demum quod spectat, fatetur ex animo se ipsum nonnisi domesticarum rerum angustia pressum militari vitae indulsisse: at vel teneris usque ab annis ecclesiastica potius vocatione fuisse afflatum atque ita reapse opportunum studiorum curriculum pro suae conditionis honestate perfecisse, ut, si ejusmodi beneficii titulo instructus sit, ad sacros ordines promoveri vehementissime cupiat.

Anagninus Administrator Episcopus, cujus ditioni Vincentius Diolaiti in praesentiarum subjicitur, rogatus pro informatione ita literis suis se habet: »Ad scientiam quod attinet, hoc mihi Diolaitius ipse confessus est, se vix prima latinae linguae rudimenta attigisse tum matheseos ac praesertim arithmeticae, necnon philosophiae moralis studia excoluisse anno autem aetatis decimo tertio eductum e seminario Bononiensi, nono autem supra decimum militiae nomen dare coactum fuisse. Quocirca id potius expectandum videretur, ut militari officio expeditus ad ea studia convertere animum possit, quae ad ecclesiasticum vitae genus accommodata sint quaeque tum ad ecclesiae ordines tum ad beneficia idoneum eumdem reddant.

Haesitandum porro mihi in eo potius intelligo, utrum nempe Diolaitius ecclesiasticum vivendi genus divino impulsu amplecti velle putandus sit.

Ejus quidem ingenium atque indoles ad quietem pacemque potius quam ad militaris artis strepitum propendere videtur. Hinc naturali, ut ita dicam, indicio adjungi possunt alia, quae ex documentis a Diolaitio exhibitis eruuntur. Quando tamen ex eo documentorum genere honestas quidem ac probitas christiano homine digna comprobatur, sed alia multa supersunt ex quibus constare de vocatione ad statum ecclesiasticum oporteret, ipse hoc potius suaderem, ut Diolaitius juberetur in aliquam religiosam domum per decem aut quindecim dies se recipere colligendi animi gratia deliberandique adhibito prudentis piique moderatoris consilio, num quod injectum sibi sentit amplectendi status ecclesiastici consilium ex Dei ad perfectiora vocantis impulsu, an potius a pecuniae ex beneficio acquirendae cupiditate aliisve humanis ac naturalibus causis profectum existimari conveniat.

Quocirca dirimere dignentur dubia

I. *An et ad quem spectet jus nominandi in casu?*

II. *An et quomodo locus sit propositae erectioni canonicatus et capellaniae in casu?*

III. *An et quomodo sit annuendum precibus Vincentii Diolaiti in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative favore Antonii Diolaiti, firma remanente alternativa.

Ad II.: Negative.

Ad III.: U. J. S.*) coram Emmo Archiepiscopo.

Die 27. Junii et 8. Aug. 1829.

II. Non est.

Forolivien.

E patritia gente Morattinia Fratres Antonius. Fabritius ac Valerianus bona juraque omnia, quae a patrimonio familiae Monsignani sibi obvenerant, in Josephum natu majorem universali donatione contulerunt: primi duo quidem publicis ad id exaratis tabulis die 3. Julii 1802, tertius die 14. Aprilis anni 1814. In ejus donationis correspectivitatem nonnulla omnibus communia pacta conventa fuere et peculiare sibi de patronatus juribus firmatum voluit Antonius, quod hisce verbis legitur concinnatum: »*Che in quanto alli beneficii e capellanie di giuspatronato di casa Monsignani, se, e nel caso, che succeda la loro vacanza, e di ciascun di loro, vivente ancora il detto Cittadino Antonio, e non altrimenti etc. il donatario stesso permetta, e permetter debba, conforme sin d'adesso promette al detto Cittadino Antonio presente, ed accettante per se solo, e non altrimenti etc. il libero, e pieno diritto della nomina e presentazione del respettivo nuovo rettore de' beneficii suddetti e capellanie per la prima però, ed unica volta soltanto di loro respettiva vacanza, e non più, perchè così d'accordo etc. ac omni etc.*«

Triennio a donatione emenso, scilicet sub die 14. Decembris 1805 factum est, ut per obitum Archipresbyteri Alexandri Morattini beneficium vacaverit, quod sub titulo apparitionis s. Michaelis Archangeli in paraeciali aede s. Blasii a priscis temporibus excitatum prostat ex pia dispositione Bartholomaei Lombardini pandita testamento diei 14. Octobris anni 1511.

Porro potiusquam in alterius favorem nominationem expleret, maluit tunc Antonius sibi ipsi beneficii possessionem nancisci ejusque votis Fabritius et Valerianus facile obsecundarunt. Siquidem ille professus est: »*relativamente a quanto fu convenuto nell' istromento di donatione . . . a favore di mio Fratello Giuseppe Monsignani, e rapporto segnatamente alli due beneficii di giuspadronato laicale della nostra famiglia, cioè uno sotto il titolo di s. Michele, e l'altro etc. . . . presto il mio pieno, e libero consenso perchè restino liberamente conferiti al mio fratello Antonio.*« Iste vero: »*presto il mio pieno, e libero consenso perchè venghino conferiti liberamente li due benefizii per i quali han prestato il medesimo consenso li miei fratelli all' altro mio fratello Antonio, a forma dell' istromento indicato da Fabrizio.*« Quapropter hujus fratrum consensus necnon juris nominandi cessionis documentis episcopali curiae exhibitis efflagitavit Antonius, se clericali tonsura jam ab anno 1782. auctum canonica institutione donari.

Cum de more evulgatis edictis nemo, qui se opponeret, apparuerit, a Foroliviensi Antistite bullares literae expeditae sunt, in quibus haec adamussim leguntur: »*Cumque tu infra legitima tempora in novum ipsius beneficii rectorem a Fabritio et Valeriano Monsignani tuis germanis fratribus nominatus et coram nobis praesentatus fueris . . . et quoad Dominum Josephum Monsignani alterum tuum germanum fratrem constet de cessione juris nominandi facta in tui favorem pro prima et unica vacatione tantum et non alias, veluti in instrumento donationis inter te et ipsos tuos DD. fratres rogato . . . et affixis de more edictis nemo comparuerit ad quidquid deducendum neque opponendum: Nos ideo auctoritate nostra ordinaria idem beneficium, ut supra vacans, cum omnibus et singulis ejus juribus, pertinentiis, honoribus atque oneribus tibi conferimus et assignamus.*«

Jam vero cum per hujusmodi provisionem persuasum habeat Antonius, qui adhuc beneficium retinet in statu laicali cum apostolica venia, minime tunc exhaustum fuisse jus nominandi sibi cessum, ut ad senectam jam proximus tandem eo uteretur, anno 1839 episcopali curiae adfuit clerico Dominico Minardi beneficium resignare se velle significans. Verum, cum ejusmodi in alterius favorem resignationem ratam habere non posse Foroliviensis Antistes existimaverit, hinc P. O. M. idemmet Antonius preces dare curavit expostulans: »*che si degni di amettere la rinuncia dell' oratore al mentovato beneficio e quindi la nomina successiva al medesimo dell' Abbate Domenico Minardi e tuttociò in esecuzione della prerogativa concessa all' Oratore nel mentovato istromento di donazione.*«

Quibus precibus ad s. hunc Ordinem delatis visum mihi est eas ad Datariam apostolicam remittere: eaque postquam illas suscepisset, anceps haerens an revera orator jure nominandi adhuc perfruatur ne patronis per resignationis acceptilationem injuria fieret, EE. VV. judicium expetendum censuit super *bono jure oratoris.*

Episcopus in sua relatione universam factorum seriem diligenter enarrat ea ratione ut satis appareat eum oratoris voto haud obsecundare ac partibus accedere potius illius ex defuncto donatario fratre nepotum, qui rogati vehementer pugnant reservationem donationi appositam favore Antonii pro prima vice nominandi jam executioni datam fuisse in priori beneficii vacatione, nec ullum eidem jus integrum amplius superesse.

Profecto cum ex donatione jura omnia super familiae Monsignani patrimonio sibi spectantia orator Antonius Morattinius a se abdicaverit, dubitari profecto nequit, quin assertum nominandi jus ad beneficium s. Michaelis ex uno pacto in ipsius donationis actu firmato possit mutuari. Tota igitur hodierna controversia in eo instauranda est, ut definiatur, num pactum illud plenum effectum sortitum fuerit, ex quo orator post primam vacationem beneficium consequutus est.

Vehementer id ipse inficiatur sequentibus innixus momentis. Firmat primum in eo sibi reservando jure, quod pacto continetur, id animo habuisse, ut illud reservaret non pro prima vice taxative, sed pro una tantum vice generatim et quidem, ut jus reservaret omnino activum nominandi et praesentandi, ut alicui clerico sibi beneviso gratificaret. Etenim vero locutio illa »*per la prima, ed unica volta*« sic accipienda est, ut sonet »*per una volta sola.*« Ita enim in familiari sermone usuvenit, ut si quid faciendum per-

*) Idest: *Utatur jure suo.*

mittatur hisce verbis »*sia questa la prima, ed unica volta*« vel »*sia questa la prima, ed ultima volta*« quisque datum intelligat *per una volta sola*. At exploratum est, in verborum acceptione a communi loquendi usu recedendum non esse, *Rota in Civitatis Castellanae Immissionis 24. Jan. 1777* §. *3. cor. Herzan.*, qui sane potentior est proprietate et significatione verborum, *Rota in Romana Immissionis 8. Junii 1784* §. *7. cor. Resta*. Id autem magis perspicuum fieri putat, si mens et voluntas perscrutetur, quae in apponendo pacto oratori fuerit quaeque potissimum spectanda est ac materiali verborum cortici praevalere debet, cum non sermoni res sed rei sit sermo subjectus, ad tradita per *Rotam in Lauretana Spolii 13. Martii 1758* §. *10. cor. Ratto*, *Civitatis Castelli Capellaniae 10. Martii 1758* §. *16. cor. Canilliac*, *Terracinen seu Setina Primogeniturae 1. Junii 1770* §. *11. cor. Origo*. Scilicet perperam fingi posse clamat jus illud, quod tam sollicite sibi reservabat, commissum voluisse aleae primae vacationis, quae si vix ipso donationis actu expleto contigisset, jam maturum defuisset consilium de clerico eligendo satis idoneo, quem ad beneficium praesentaret.

Quod vero jus activum dumtaxat sibi reservare voluerit, ostendit ex ipsis instrumenti verbis: »*il pieno diritto di nomina, e presentazione.*« Ast *facultas praesentandi, quae continet positivam actionem, impossibilis est, quod verificari queat de jurepatronatus passivo, quod contrarium et oppositum praesefert effectum passionis*, ceu totidem verbis ait *Rota in Majoricen. Beneficii 30. Jan. 1758* §. *2. cor. Bussio*, ibique allegantur *Moneta de commut. ultim. volunt. cap. 10. n. 100.*, *Vivian. de jurep. lib. 1. cap. 3. n. 30.*, *Piton. de cont. patr. alleg. 1. n. 1.* Insuper laicalis vitae ratio, quam tunc agebat, excludit prorsus, de passiva nominatione sibi paciscenda cogitasse.

His praejactis vacationem ipsam, quae accidit sub anno 1805, et secutam nominationem penitus inspiciens animadvertit orator in ea, nec ipsum Antonium nominationem explevisse, nam nullus exhibetur nominationis solemnis actus; nec facere equidem potuisset, quippe canones Patrono vetent, quominus nominet semetipsum; nec etiam fuisse donatarium, qui nequidem comparuisse docetur, assensum tantummodo praebentibus duobus fratribus, quorum alter hoc jurepatronatus sese jam spoliaverat per donationem, (Valerianus) et, si nondum donasset, ad ipsam tamen donationem a fratre factam, in qua nihil ipse commune habuerat, se retulit. Quare eam nominationem *extra mundum* omnino (ut ejus utar phrasi) positam esse asserit, id est a contrahentibus tum donatoribus tum donatario ita depactam fuisse, veluti extra contractus leges, tacite hoc facto innuentibus earum esse voluntatem, ut contractus donationis quoad jus praesentandi reservationem non tunc initium haberet, sed in successivis vacationibus executioni mandandus esset: atqui beneficii, de quo agitur, prior vacatio ea esset de qua quaeritur.

Tandem quocumque in dubio sui favore pronunciandum esse clamat orator, tum quia verba demonstrative potius quam taxative stare censentur ait *Rota in Forolivien. Primogeniturae super Bussolo 13. Febr. 1761* §. *9. cor. Frangipane*, tum quia ipse juribus suis perpetuo valedixit, ut fratri acceptum quid faceret, ac proinde non de lucro captando, ut ille, sed de damno vitando agit.

Verum haec omnia sophisma magis sapere quam veritatem pugnant contra donatarii descendentes, ubi enim in verbis nulla est ambiguitas admitti non debet voluntatis quaestio ad monitum *Ulpiani leg. 25. ff. de Leg. et Fidecom.*; et contractus verba ut sonant accipienda sunt, *Rota Romana Patrimonii sacri 5. Nov. 1783* §. *5. cor. Riminaldo*; nec a naturali sensu abducere ea licet, nisi validissima appareant argumenta, *Rota in Romana Primogeniturae quoad bona libera etc. 31. Maji 1805* §. *5*, *cor. Isoard*, maxime in donatione, *Romana super restitutione in integrum 4. Martii 1805* §. *7. cor. Resta*. Multo minus decet sinistra interpretatione detorqueri, *Rota in Romana seu Viterbien. Dotis et Lucri 11. Jan. 1760* §. *4. cor. Canilliac.*

Atqui dictionem illam »*per la prima però, ed unica volta soltanto*«, ita apertam esse subsummunt, ad demonstrandum donatorem Antonium *prima* tantum vice uti potuisse jure nominandi, ut ludere videatur, qui contrarium asseruerit. Enimvero verbum illud *però* verum conditionem importare docet *Rota in Romana Nullitatis contractus 10. Dec. 1756* §. *15. cor. Parracciano*: et dictiones »*solum, tantum*« rem cohibere nominatim ad casus expressos, *in Romana Exequutionis 5. Maji 1809* §. *6. cor. Cesarei*. Cum itaque primum vacavit beneficium vel orator nominandi facultate usus non est, et tunc potioris lucri intuitu juri suo renunciasse censendus est, quod taxative *pro prima* vacatione eidem reservatum erat, vel seipsum nominavit et tunc jure suo activo pariter functus est, quin aliquid amplius ei competat.

Et sane nominationem revera explesse Antonium sub anno 1805 sustinent ejusdem contradictores: quippe actum verae nominationis praeseferat exhibitio illa ab eodem Antonio facta in episcopali curia de donationis instrumento, ut ejus vi beneficium assequeretur; neque certe patrono prohibitum est Episcopo supplicare, ut patronatum beneficium ei conferat *ad Lambertin. de jurep. lib. 2. part. 1. qu. 8. artic. 3.*, *Piring. lib. 3. tit. 38. n. 90.*, *Rota in Regien. Jurispatr. 19. Januar. 1624 cor. Pirovano*. Episcopus autem eo sub obtutu revera ad beneficium instituisse testatur. Si qui porro accesserunt nominationi Antonii fratres, eos ideo non nominasse quidem, observat idem Episcopus, sed accessisse tantum consensu suo, sese ad instrumentum donationis referentes, quod examussim aestimaverint, priorem illam nominationem tunc expleri, quae Antonio per instrumenti tabulas reservata fuerat, de Valeriano, qui tunc adhuc patronatu potiebatur (nam eidem valedixit sub anno 1814) nihil repugnare adnotant, quominus et ipse per suam accessionem veram nominationem perficere potuerit.

Ceterum ubi aliqua supersit ambiguitas super contrahentium voluntate, non plenius interpretanda esse instrumenti verba disputant, sed stricte potius, cum de pacto agatur doceatque *Rota in Balneoreg. Fideicom. 3. Aprilis 1797* §. *7. cor. Soderino* verba in donationibus strictius accipienda esse quam in testamentis. Id porro tenendum maxime in themate, ubi non de simplici et pura donatione actum est sed cum oneribus aliquibus correspectivis, quae sibi donatarius assumebat: estque jam in familia nepotum oratoris idoneus adolescens qui beneficium assequi valeat.

Sed haec EE. VV. sapientia derivabit dirimetque dubium:

An et quomodo constet de jure nominandi ad beneficium s. Michaelis Archangeli favore oratoris Antonii Morattini in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 3. Apr. 1841.

III. Patroni.

Vd. *Praesentatio. Beneficium* (collatio quib. confer. p. 433; nominatio — tempus —)

Horatius Eques Hierosolymitanus oriundus ex civitate ac dioecesi A. in Italia superiori a prima adolescentia domicilium ac sedem suam statuerat in civitate B. inferioris Italiae ibique magnas divitias et opimum patrimonium sibi comparaverat. Antequam vita decederet, e suis bonis Canonicorum collegium in ecclesia civitatis B. juxta sacrorum canonum praescriptum fundavit sibique ac descendentibus fratrum suorum sive e masculis sive e foeminis eorumdem canonicatuum juspatronatus tam activum quam passivum reservavit; hisce vero lineis omni ex parte plane exarescentibus juspatronatus activum transtulit in Syndacum municipalem civitatis A., ex qua ortum sicuti diximus idem duxerat; quod vero pertinet ad jus passivum, sacerdotibus hujus ejusdem civitatis addixerat.

Quoniam vero Horatius sub fide et clientela cujusdam nobilissimae familiae e civitate domiciliaria B. vitam agebat, hanc peculiarem edixit legem: 1° ut Syndacus patronus nominationem sacerdotis sui concivis eliceret intra spatium haud quidem quatuor mensium, prout communiter sacri canones constituunt, bene vero intra mensium trium terminum; 2° ut nobilissimae familiae praelaudatae primogenitus pro tempore honorem haberet canonice praesentandi sacerdotem a Syndaco nominatum Cardinali, qui amplissimum quoddam in romana curia munus obtinet; qui proinde Cardinalis sacerdoti nominato canonicales praebendas per canonicam institutionem conferret. Quod si trium mensium spatium Syndaco praestitutum inutiliter forte elaberetur, Dynastae primogenito dictae familiae liberam potestatem relinquebat, ut sacerdotem quemlibet, dummodo necessariis et opportunis qualitatibus ad sacrorum canonum normam exornatum, Cardinali collatori praesentare valeret.

Die prima Octobris anni 1863 unus ex hisce canonicatibus vacaverat; cumque fratrum fundatoris descendentia tam masculina quam foeminina penitus exaruisset, Syndacus patronus competitores mense Novembri publice invitavit, ut literas testimoniales, quibus qualitates a jure canonico et lege fundationis praescriptae, vulgo requisiti, ostenderentur, intra octo dierum spatium in aede municipali exhiberent. Itaque duo competitores

utili tempore sese sistiterunt, videlicet primo clericus debitis quidem aliis qualitatibus haud destitutus, sed e quodam oppido prope civitatem A., minime vero ex ipsa civitate punctim oriundus, subinde sacerdos, qui vere in ipsa civitate A. ortum habuerat. At vero Syndacus, antequam trimestre spatium emensum fuisset, clericum praedictum, posthabito sacerdote, atque adeo ne mentione quidem ejus facta, ad vacantem canonicatum nominavit.

Sacerdos itaque repulsam passus post aliquot menses supplex adiit s. C. Ep. et Reg., ut clerici nominationem per Syndacum emissam nullam et irritam declararet simulque Dynastae, praesentandi jus obtinenti, auctoritatem faceret, ut sese Cardinali canonicalis praebendae collatori praesentare posset. Itaque S. C. ex instituto suo nedum partes ad canonicatum adspirantes, sed et Syndacum (qui perpetuum usque ad causae exitum servavit silentium) et Dynastam et Cardinalem collatorem et Episcopum dioecesis A. in scriptis audiri mandavit. Dynasta simpliciter respondit non posse se ad praesentationem sacerdotis illius devenire, eo quod ex praescripto sacrorum canonum dignus minime sibi videbatur: non pauca enim contra ipsum objiciebantur. In hujus sententiam descendebat Cardinalis institutor. Episcopus vero dioecesanus licet quosdam in memorato sacerdote defectus minime dissimularet, nihilominus non ita indignum sibi videri ajebat, ut a canonicatu assequendo repelli deberet. *)

Pro tuendis sacerdotis oratoris juribus distinctio praestituebatur, quae intercedit inter vocationem passivam mediatam et alteram quae immediata vocatur. Vocatio passiva mediata tum locum habere dicitur, cum plures adsunt personae de genere vocatorum quae aequali modo cunctas a fundatore et jure canonico qualitates praeseferunt: quo quidem in casu patrono activo liberum est eam ex iis personam prae aliis nominare, quae magis sibi visa fuerit; adeoque ad beneficium assequendum hujusmodi patroni nominatio ac praesentatio omnino requiritur. Vocatio passiva immediata tum scilicet adesse dicitur, cum una tantum persona adest, in qua omnes a jure canonico et fundatore praescriptae qualitates concurrunt. Hoc porro in casu patronus activus personam hanc absolute nominare cogitur, quinimo persona illa ab ipso fundatore, nullo quodammodo interposito medio, nominata intelligitur et beneficium assequendi jus habet. Haec porro doctrina, quae communissima est inter canonici juris interpretes, auctoritate fulciebatur *Fargnac de jur. patr. p. 2. can. 1. et 2. cas. 9. n. 20. et seq., Pitonii de contr. patr. alleg. 7. n. 2. et 3., de Luca disc. 45, n. 2. de jurepatr., Rota in Hortana Ben. 1. Junii 1708. §. Hinc, coram Priolo.*

Cum itaque inter sacerdotes civitatis A. in qua fundator natus erat unus tantummodo orator sese obtulisset, hinc pronum erat inferre, quod in eodem vocatio passiva immediata verificari dicenda foret: et caeteroquin clericus a Syndaco nominatus uti nulliter nominatus declarandus erat, tum quod sacerdotio carebat, tum quod ex civitate A. haud erat oriundus. Sed et interim alia circumstantia supervenerat, quae eumdem clericum a canonicatu prorsus arcebat. Dum enim haec agerentur, in patria clerici adolescentium delectus expletus fuerat, qui ad militiam capessendam conscribebantur. Jam vero inter adolescentes, qui eum in finem conscripti fuerant, clericus numerabatur: hinc factum fuerat, ut ecclesiasticam militiam plane desereret, insigni militari indutus inter milites stipendia mereretur, prouti ex irrefragabili testimoniali fide elucebat. Jamvero si simplex ingressus in militiam illud efficit, ut beneficia a milite jam possessa ipso jure vacare censeantur, id eo fortius accidere dicendum est, cum quis beneficium non possidet adhuc sed jus tantum ad illud assequendum obtineret.

Cum itaque circumstantia ista accessisset, contra quam nulla ratio pollens erat, inutile existimatum est ex officio jura in medium afferre, quae clerico suffragari posse viderentur.

His perpensis propositum est resolvendum dubium:

An et quomodo auctoritas tribuenda sit Dynastae (N. N.) ut praesentare possit sacerdotem (N. N.) Emo Cardinali collatori, ut ad vacantem canonicatum canonice instituatur in casu?

Emi Patres causa cognita responderunt: Attenta deficientia nominationis factae in personam clerici N. N. notificetur syndaco civitatis et pro nova nominatione intra trimestre.

Die 24. Mart. 1865.

*) Vd. *p. 404. o. p.; p. 411. q.*

Continuatio.

Dynasta praesentandi jus habens, qui in praeterita causae propositione remissius jura sua tueri visus fuerat, (neque enim, quantum oportuisset, momenta rationum sibi faventia exposuerat et propugnaverat) ex s. Congregationis resolutione gravatum sese fuisse arbitratus est adeoque utili tempore causam ut recognosceretur seu revideretur postulavit obtinuitque. Idem praestitit sacerdos: hinc quaestio ad plenarium S. C. auditorium iterum conscendit. Sed, ut moris est, ante omnia hac de re partes omnes, quarum intererat, rursus admonitae sunt unaque invitatae, ut si quas haberent novas deductiones s. Congregationi exhiberent. Id reapse singulae partes sunt executae, si clericum et Syndacum excipias, qui intra congruum praefinitum tempus, nec unquam postea, responsum ullum reddiderunt.

Novae porro deductiones plus vel minus illae erant, quas superius indicavimus; Dynasta vero defensionem sui juris suscipiens contendebat primo loco, sacerdotem memoratum nullo gaudere jure ad vacantem canonicatum, quia praesentatus a Syndaco non fuerat; neque juvari potuisse jure immediatae vocationis. Namque solus non erat qui passive vocaretur, cum singuli sacerdotes civitatis A. erant a fundatore vocati: indigebat proinde praesentatione Syndaci patroni juxta ea quae tradit s. *Rota in Burgen. Capellaniae diei 14. Januarii 1732 coram Crescentio.* Omissa deinde quaestione de clerico praesentato a Syndaco ob expositas rationes, condentebat insuper Dynasta hac vice Syndacum cecidisse a jure praesentandi. Adnotabat enim adeo fuisse a fundatore facultatem Syndaci circumscriptam, ut vix patronus dici posse videretur, cum contra Dynasta verus patronus erat censendus, qui inquirere debet super idoneitate personae a Syndaco sibi praesentatae eamque Ordinario Cardinali pro institutione praesentare. Hisce autem praestitutis animadvertebat inter caetera idem Dynasta Syndacum praesentando sibi inidoneum in persona memorati clerici, elapsoque interim utili trimestri, subintrare sui favore jus libere nominandi quem vellet juxta sibi traditam a fundatore facultatem. Maxime cum Syndacus nihil amplius responderit, quo inurbano silentio cuilibet suo juri, si quod haberet, renunciasse dicendus erat.

Alia insuper ex officio adjiciebantur, indicata scilicet est juris quaestio maxime inter auctores agitata, an et quando patronus laicus vel ecclesiasticus elapso utili tempore post praesentationem personae non idoneae possit aliam personam nominare, de qua legi possunt quae scribit *Fagnanus in cap.: Cum nos, de officio Ordinarii a num. 27. ad finem* et *Pitonius discept. eccles. 4. n. 47. et seqq.*

His aliisque adductis causa iterum proposita est sub dubii formula:

An recedendum sit a resolutione capta die 31. Martii 1865 in casu?

Emmi Patres denuo causa discussa rescripserunt: Jus esse (Dynastae N. N.) procedendi in casu ad nominationem et praesentationem ad beneplacitum juxta legem fundationis et amplius.

Die 1. Junii 1866.

Ex iis colliges:

I. Quamvis tempus ad nominandum patrono laico ex jure communi praestitutum sit quadrimestre, hoc tamen ex speciali lege fundationis posse etiam decurtari.

II. Vocationem ad beneficium, quae passiva dicitur, dividi in mediatam et immediatam.

III. Mediatam dici tum cum plures inveniuntur de genere vocatorum praescriptis qualitatibus pariter ornati: eoque casu ad assequendum beneficium necessariam esse nominationem patroni activi.

IV. Immediatam adesse, quando unus tantum accurrit debitis qualitatibus praeditus; qui proinde tamquam ab ipso fundatore vocatus habetur, ita ut sine patroni activi nominatione consequendi beneficii jus habeat.

V. Patrono intra utile tempus personam ad beneficium nominanti, si ea deinde deficiat, facultatem inesse aliam nominandi quamvis utile tempus interea sit praeterlapsum.

VI. Quinimo in iisdem adjunctis eamdem facultatem patrono laico fieri, quamvis personam non idoneam nominavit, si scienter ejusmodi nominationem patronus fecisse non appareat. *)

*) Quaestio valde agitata est inter doctores: an laicus patronus, qui personam non idoneam intra utile quadrimestre nominat, possit, nomi-

VII. In praesenti casu Syndacum quolibet jure, si quod haberet, in nova causae propositione cecidisse, qui ob suam contumaciam vel tamquam negligens vel tamquam suo juri tacite valedicens locum devolutioni dedit.

k) Lite pendente.

Vd. *p. 568. h.*

Patronus ob litis contestationem a facienda praesentatione arcetur; *Garz.* de Benef. par. 5. cap. 9. num. 18.; *Lotter.* de re Benef. lib. 2. quaest. 2. num. 15., *Rota* cor. Bich. decis. 284. num. 9.

l) Modus et species.

Vd. *Beneficium* (collatio — modus p. 423); supra: Nominatio — jus patroni p. 703.

m) Omissa devolvitur ad Episcopum.

Vd. *Devolutio*; *Beneficium* (collatio ab Episcopis p. 413. II.)

Maceraten.

Patronis non nominantibus ad ipsum Episcopum tamquam piarum voluntatum executorem devolvitur jus nominandi. *Piton. de contr. patron. alleg. 32. num. 4.*

Die 18. Julii 1795.

n) Origo.

Vd. supra *p. 133. n. 4.*

o) Pater filium nominat.

Vd. *p. 253. Montis Alti.*

---

natione a judice rescissa, aliam nominare incipiente novo termino a die rescissionis. Rationes quae pro diversis contrariisque sententiis solent afferi apud citatos auctores reperiuntur. Humaniorem tamen favore patronorum sententiam sacrae Congregationes videntur sequutae, cujusmodi ea est quam exposui. Ad rem praeter praesentem causam altera facere videtur quae recens ventilata est penes s. C. Concilii die 10. Maji 1862, in qua agebatur de laico patrono Josepho, qui legem fundationis non recte sequutus nominavit ad tenue beneficium Achillem filium suum genere de quidem vocatorum, qui tamen duos et viginti annos natus nondum clericus et arti lignariae addictus, neque cathechismo satis erat imbutus. Praetera quidem Thomas ab alio praesumpto patrono fuit nominatus, de familia pariter vocatorum, qui qualitates sufficientes habere videbatur, quas fundator praescripserat, quamvis adhuc clericus non esset.

Postulante autem Achille ut beneficii fructus impendere posset suae literariae institutioni donec idoneus fieret ad beneficium assequendum Thoma e converso contradicente, proposita fuerunt duo dubia s. Congregationi.

I. An et quomodo annuendum sit precibus Achillis . . . in casu?

Et quatenus negative.

II. An et quomodo sustineatur praesentatio facta favore Thomae . . . in casu?

S. C. Congregatio respondit

Ad I.: Negative

Ad II.: Negative et praefigatur terminus Josepho pro explenda nova praesentatione ad formam fundationis, quo inutiliter elapso Thomas instet coram Ordinario servatis servandis.

p) Patroni omnes vocandi sunt.

Vd. *Beneficium* (collatio patronis inauditis p. 417).

Albinganen.

Praeterquamquod nulla intercessit magistratus venia et tabellionis praesentia, illud certe oportuisset, ut omnes plane adessent patroni vel saltem omnes rite evocarentur et nominationem collegialiter emitterent, veluti edicitur *ex cap. 42. de election.* ac tradit s. C. *in Tiburtina Beneficii 26. Januarii 1828 §. Neque.*

Die 20. Mart. 1830.

Aesina.

Patronis omnibus rite vocatis unus Ferrius pro valide electo haberi debeat, qui majora tulit electorum suffragia, ad tradita *per Lambertin. de jurepatr. lib. 1. part. 2. qu. 1. art. 25. et seqq., Passerin. de confirm. elect. cap. 83. n. 129, Rota in Anconitana Capellaniae 23. Martii 1828 §. 3. coram Spada.*

Majorem ipse retulit suffragiorum partem pro validitate nominationis necessariam, ex *cap. 30. de elect.*, ex *cap. 3. de jurep.*, ibique *Barbos. n. 3.* et *s. Congr. in Albinganen. Capellaniae 20. Martii 1830 §. At.*

Die 23. Junii 1832.

q) Plures nominare potest patronus laicus.

Vd. *Beneficium* (collatio a laicis p. 421); supra: nominatio — jus patroni p. 703.

Aretina.

Licet patronis laicis plures intra quadrimestris limites nominare et praesentare, *cap.: Quod autem 5., cap.: Cum autem 24.* et *cap.: Pastoralis 29. de jurepatr., Fargna eodem tit. part. 2. can. 9. et seq. cas. 1. num. 1., s. Congr. in Asculana Parochialis 30. Julii 1763 §.:* Verum.

Docent canonistae patronum laicum, si primo aliquem valide praesentaverit, non posse dehinc alium privative praesentare sed tantum cumulative, ceu videre est apud *Lambertin. de jurepatr. part. 2. lib. 2. art. 6. num. 3., Vivian. eod. tract. lib. 10. cap. 1. num. 4. part. 2., s. Congr. in Nepesina Capellaniae 23. Martii 1665 §*: Quod; etenim quod semel placuit, displicere amplius non potest, ad *text. in L. 5. cod. de oblig. et act., Reg. 21. J. in 6.* et per praesentationem acquiritur praesentato jus ad rem ad tradita per *Paris. de resign. lib. 2. quaest. 23. num. 12., Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 10. num. 293., Garc. de benef. part. 4. cap. 3. num. 20.*

Die 19. Maji 1832.

S. Severini.

Cum plures etiam cumulative nominare liberum esset patrono (*cap. 5. et 24. de jurepatronat.*) poterat ipse patronus pendente etiam recursu a suscepto consilio resilire et beneficiarium idoneum nominare, *Pyrr. Corrad. prax. disp. lib. 4. cap. 2. n. 15. 16.*

Die 7. Sept. 1833.

r) Privatio juris nominandi.

Vd. *Beneficium* (collatio a Laicis p. 421).

Cap.: *Quia propter de Elect. Innocentius III.* haec verba habet: »*Qui contra praedictas formas eligere tentaverint eligendi ea vice potestate priventur.*«

Civitatis Plebis.

A jure nominandi haud decidere videtur per praesentationem indigni, cum non pateat id *scienter* fuisse peractum ad tradita per *Fagnan. in cap.: Cum vos 4. de offic. ord. n. 32., Reiffenst. Jus can. lib. 3. tit. 38. n. 84.*

Die 23. Dec. 1826.

s) A Regularibus suppressis.

De facultate nominandi parochum a regularibus illegitime suppressis.

Procurator generalis congregationis clericorum regularium N. N., quae adnexam quibusdam domibus habet animarum curam hactenus per unum ex regularibus exercitam per praesentationem a superiore factam juxta morem et per acceptationem Ordinarii, humiliter exponit, post generale suppressionis decretum ab Italico Gubernio editum quasdam episcopales curias dubia excitasse circa jura quae pertinere possint ad religiosos dictae Congregationis super paroeciis quas ipsi possident in territorio eidem Gubernio subjecto; petitur itaque:

I. An parochi regulares possint ac debeant permanere in propriis paroecialibus locis absque ullo alio novo actu nominationis et destinationis.

II. Si aliquis ex his parochis regularibus deficiat, manetne jus superioribus instituti praesentandi Ordinario loci unum ex propriis religiosis eadem ratione ac eadem forma antea servata, suppositione facta posse servari in eodem loco pro ecclesiae paroecialis servitio parvam religiosam familiam, siu minus tanquam ens morale per civilem administrationem recognitum, saltem tamquam associationem vi communis juris quod libertatem associationis admittit?

S. Congregatio Emmorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum juxta exposita respondit

Ad I. et II.: Affirmative, ita tamen ut in casibus particularibus, praesertim de novis edendis nominationibus seu praesentationibus parochorum superiores regulares, collatis consiliis, conveniant prius cum respectivis locorum Ordinariis.

Die 8. Jan. 1867.

Ex his colligi potest:

I. Quamvis per violentiam dissoluta regulari familia eaque cessante cesset consequenter jurium exercitium quae eidem competebant familiae uti tali: nihilominus aliquo modo eadem familia manente ea jura non cessare quae cohaerere possunt cum statu quo eadem familia violentiae causa reperitur.

II. Suppressio enim ab illegitima potestate peracta ex se nullum producit juridicum effectum, quamvis per accidens jurium exercitium cesset, identitem necesse sit ex violenta dissolutione subjecti cui jura inhaerebant.

III. *Non enim praestat impedimentum quod de jure non sortitur effectum*, Reg. juris 52. in 6°.

t) Simoniaca.

Vd. *Simonia*; *Beneficium* (collatio simoniaca p. 443).

Non licet absque simoniae labe nominationem concedere et acceptare sub conditione

quod onus nominantis proprium in nominatum transferatur, ut observat *Fagnan. in cap.: Nisi essent num 10. de praeben., Sanchez. Consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 25. num. 5., Piton. de controvers. patron. alleg. 100. num. 152.*

u) Suspensio.

Vd. *Beneficium* (suspensio, applicatio p. 370. n. 15; collationis suspensio p. 498. vv.). *Beneficiatus* (sacerdotio non insignitus p. 236). *Missa* (suspensio).

I. Causa non concedendi.

Suspensio nominationis in praejudicium tertii concedi non solet, *Card. de Luca de jurepatronat. disc. 71., Monacell. in Formul. 7. in supplem. ad tom. 3. tit. 2. num. 109. pag. 144.*

II. Non concessa.

Vd. *t. II. p. 362. n. 7. b.*

III. Juri adversatur.

Anagnina.

Suspensio nominationis proptereaque diuturna vacatio beneficii nedum voluntati fundatoris sed dispositioni etiam juris adversatur teste *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. n. 2.* et *s. Congr. in Collen. 30. Aug. 1788* et in *Camerinen. Suspensionis nominat. 12. Feb. 1813.*

Die 25. Jan. 1823.

IV. Non prorogata.

S. Severini.

Ultimum voluntatis arbitrium anno 1609 pandens Julius Mignani sacerdos Septempedanus ecclesiasticum beneficium cum onere Sacra quatuor in quolibet mense litandi ad martyris Laurentii templum sub invocatione s. Philomenae virginis excitari mandavit. De jurepatronatus vero tum activo tum passivo hanc legem edixit: »*Che sempre il maggiore di casa Pellico di linea mascolina assieme con l'altri di casa Pellico maschi abbino da eleggere, nominare, e presentare il rettore di detto altare, nella quale elezione, e nominazione vi abbia anco una voce Caterina mia cognata, mentre sarà viva; essendovi persona di casa Pellico non possino eleggere di altra famiglia, ma mancando la linea mascolina di casa Pellico, dia la voce la linea femminina; mancando poi anco la femminina, e per il primo io nomino, eleggo, e presento avanti monsig. Abbate di s. Lorenzo, avanti il quale io voglio si presentino tutti, Pierandrea Pellico mio nepote.*«

Pia hac voluntate exequutioni comissa brevi exaruit utraque familiae Pellico descendentia necnon masculina domus Mignani. Siquidem constat ob nuptias, quas anno 1699 iniit Maria Nicola Mignani cum Dominico Patrignani, in hujus familiam transiisse juspatronatus, ex eoque tempore ejusdem per masculinam lineam descendentes singulis evenientibus vacationibus novos beneficii rectores pacifice nominasse ac praesentasse usque ad annum 1804, quo postrema nominatio peracta est favore clerici Joannis Baptistae Patrignani, qui tamen anno 1809. ecclesiasticam deserens militiam beneficium abdicavit.

Porro tunc factum est, ut ejus pater Dominicus multa prole ac paupertate pressus a sacro hoc Ordine petierit obtinueritque nominationem per sexennium differendi indultum; prorogatum deinceps sexto quoque anno, quin ullas quisquam unquam querelas admoverit. Accidit hoc primum anno 1830, quo Mathilicensis clericus Aloisius Carletti supplex adfuit imploraturus, ut Dominico pluries concessa venia abrogata sibi beneficium adjudicaretur: quandoquidem genealogico exhibito schemate conficiebat se per Matrem suam Mariam neptem Mariae Nicolae Patrignani junctae Philippo Lippi in feminea Mignani linea comprehendi proindeque se quoque passiva vocatione pollere. At quoniam ultimi indulti anno 1827 obsignati terminus nondum effluxerat, rescripto oratorem amandare placuit: »*Utatur jure suo, cum expiraverit indultum.*«

Verumtamen hujusmodi termino praeterlapso, dum anno 1835 sollicitus pro altera suspensione preces Dominicus instauravit, clericus Cerletti siluit omnino; nihilominus hunc etiam audiendum commisi decessori Septempedano Antistiti, quem de informatione et voto super Dominici preces requisivi; ast cum ab eo nunquam literae ullae redditae fuerint, negotium omne desertum jacuit. Interim superiore ineunte anno a praefata Maria Lippi libellus porrectus est, quo exponens activum et sibi jus inesse ad beneficium, quo de agitur, una cum Dominico Patrignani imo et familiam suam passiva

vocatione potiri, praeterea filium suscepisse Raynerium Petinelli ex secundis votis cum Elia Petinelli quatuordecim jam annos natum ac tonsura decorum, enixe postulavit: »*chè conformemente alla volonta del testatore . . . sia ad esso suo figlio devoluto il nominato beneficio.*«

Alias hinc literas hodierno Episcopo dedi, quibus rogavi, ut tam super Mariae Lippi nuper oblatis precibus quam super illis a Dominico Patrignani et clerico Carletti jampridem porrectis referret suamque sententiam panderet. Superius enarrata in sua relatione ipse firmavit et postquam edixerit missas in praesens beneficio adnexas a Patrignano fideliter singulis annis adimpletas fuisse illiusque redditus praecipuos scutorum quinque cum dimidio summam conflare, hisce verbis sui animi sensum aperuit: »Rebus stantibus patet lineam tantum masculinam domus et familiae Patrignani rectorem praesentasse ad beneficium Mignani usque ab anno 1736, pacifice ultra annos centum suo in jure lineam supradictam extitisse atque extare, neque idcirco ullam praesentandi ac nominandi potestatem habuisse atque habere lineam faemininam descendentem a Maria Nicola Mignani, masculina perdurante. Hoc in casu reperitur Maria Lippi oratrix, quae ab una ex sororibus Joannis Baptistae Patrignani senioris et patris viventis Dominici indultarii descendit. Hinc ni fallor nulla est ei nominandi facultas ac in futurum rectorem Raynerium Pettinelli ejus filium praesentandi. An vero iste clericus sit passive vocatus necne, EE. VV. RR. cognoscant ex particula testamenti, quam remitto.«

»Caeterum Aloisium Carlotti clericum Mathilicensem in ipsius sacrae Congregationis literis dierum 22. Decembris 1835 et 5. Februarii 1840 nominatum minime audiendum censui, eo quia in supplici oratricis libello sermo est tantum de Raynero supradicto.«

»Ut tandem referam de iisdem perseverantibus necessitatis causis in Dominico Patrignani patrono aperte dicam ei prorogationis indultum expirasse, eoque, uti exoptat, illud confirmandum, rationibus quidem in prima gratia adductis persistentibus, puto.« Scilicet enarraverat illum reapse existere patronum gravique premi indigentia vitam sibi sutoria arte comparare coactum.

Ut primum de Mariae Lippi petitione sermo instituatur, haud controvertitur, eam in feminina Minianiae domus linea censeri; quippe ejus avia e Patrinianorum familia ortum habuit, in cujus favorem Sacra ultimam praefatae Minianiae gentis superstitem concessisse notatum est. Duo hinc oratrix ipsa derivat et sibi nempe jus ad nominandum una cum Dominico Patriniano et filio suo Raynerio passivam ad beneficium vocationem: quae sane, ubi constarent, satis esse possent, ut voti compos fieret ac beneficium filii sui favore assignaretur, qui canonicam quatuordecim annorum aetatem numerat et sacra est tonsura initiatus, quemque ex parochi et praeceptoris testimonio boni mores atque in studiis profectus commendant. Explorati namque juris est, beneficia iis tribuenda esse, qui a fundatore designati patronorum praesentatione non indigent: nec aequitas prorogari pateretur favore Dominici Patrignani indultum, cui compatroni dissensus obsisteret, quodque in passive vocati detrimentum cederet ac in diuturnam nimis testatoris placiti immutationem.

Verumtamen de asserto tum activo tum passivo patronatu non levis difficultas oriri potest. De activo scilicet, an cum ad femineam Minianiae gentis lineam devenerit ejus exercitium ita cohibendum sit, ut ad masculos dumtaxat pertineat, vel potius ad feminas quoque sit protrahendum. Porro ita se habet progenies ultimae superstitis domus Minianiae Dominico Patrignani nuptae, ut ex ea ortus sit Benedictus, cui filii fuerunt Joannes Baptista et Maria Nicola; ex illo vero progenitus Dominicus, ex altera Philippo Lippi matrimonio copulata Sanctes Mariae pater.

Et sane pro feminarum exclusione primum animadvertendum occurrit, quod in utriusque familiae vocatione masculinam lineam femineae testator praetulerit. Hinc cum erga virilem sexum praedilectionem ostendisse ipse videatur, conjici recte potest, illum in quolibet casu femineo praelatum voluisse; ex affectione siquidem testantium voluntatem colligi insinuat *Mantica de conject. ultim. volunt. lib. 8. tit. 18. num. 3. et seqq.* Quinimo in prima vocationis sede testator ad masculos dumtaxat praesentationem pertinere jussit, expresse praecipiens: »*che sempre il maggiore di casa Pellico di linea mascolina assieme cogli altri di casa Pellico maschi abbino da eleggere.*« *At*

generale est in quibuscumque dispositionibus, quod casus emissus, quando est similis expresso et militat eadem ratio et voluntas disponentis, habetur pro expresso, ceu totidem verbis ait *Rota in Romana Jurispat. 3. Jul. 1705 cor. Molines* §. *pen.* apud *Piton. de cont. pat. alleg. 100. n. 341.*

Quod magis confirmatur ex iis, quae tradunt DD. de fideicommissis, a quibus licet arguere ad juspatronatus propter identitatem rationis, *Card. de Luca de jurepatr. disc. 50. num. 5, Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 11. num. 87.* Docent scilicet, quod ubi testator ordinavit successivum fideicommissum, quin constituerit ordinem succedendi ab eo diversum, quem lex civilis vel municipalis praecipit, idipsum succedendi ordinem in fideicommisso demandasse praesumatur, *glos. in leg. cum ita, Socc. jun. cons. 26. n. 25, Pereg. cons. 45. num. 23. cons. 47. num. 16. lib. 2, Fusar. de subs. quaest. 379. num. 62;* censetur enim vigentibus legibus voluntatem suam accommodasse et praesertim patriis statutis, ceu firmat *Bart. in leg. jusjurandi* §. *si liberi col. 1. ff. de opere liberet,* et alii apud *Fusar. cons. 73. num. 8.* Hinc est, quod licet ad fideicommissum filiis relictum veniant tam masculi quam feminae, ut probat *Fusar. de subs. quaest. 311.*, attamen affirmant DD. quod in loco, ubi statutum viget ab intestatis successionibus feminas excludens, si masculi extent, ad fideicommissum filii mares dumtaxat exclusis sororibus admittuntur, *Bald. in l. tres fratres et ib. Anchar., Gravet. cons. 80. col. 2, Pereg. cons. 56. n. 8. lib. 3, Mantica de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 7, Fusar. de subs. quaest. 379. n. 64.* Et pressius ad rem nostram, quando testator in longa substitutionum serie masculos vocavit, iisque deficientibus, lineam femininam substituit, et defecta reapse masculina progenie successio delata est ad feminas vel ad aliquem ex illis descendentibus, qui postea decessit relictis masculis et feminis, tenet idem *Fusar. loc. cit.*, ob praefatum statum feminas a fideicommisso arcendas esse atque hanc esse sententiam *Pereg. in cons. 44.* et ita a tri bunalibus decisum refert.

Atqui apud Septempedanos municipali jure sancitum fuisse ne feminae dotatae una cum masculis ad intestatas haereditates admitterentur videre est inter statutorum particulas *a Card. de Luca in fine tom. XV. congestas verbo s. Severini.* Cum igitur in themate nulla fuerit a testatore inter descendentes ejusdem lineae succedendi ratio definita, quemadmodum ex praemissis ejus voluntas statuto consona dicenda est ita recte concludendum minime voluisse in masculorum concursu etiam in linea foeminina mulieres ad patronatum invitare.

Hisce omnibus robur addit centum annorum observantia, quia constat rectores a maribus dumtaxat familiae Patrinianiae nominatos fuisse. Si enim haec uti interpretativa spectetur, scitum est per eam declarari nedum quae personae in jurepatronatu comprehendantur, *Vivian. de jurep. lib. 4. cap. 9. n. 28., Gratian. dis. 521. num. 7. 19., Piton. de cont. pat. alt. leg. 100. n. 205., Rota dec. 563. num. 9. cor. Molines*, sed etiam quae excludantur, *Piton. loc. cit. numer. 558.* Sic autem uti praescriptiva tralatitium est, quadraginta annorum lapsum dumtaxat sufficere ad praescribendum patronatum adversus compatronos praesentes et patientes, ceu tradunt *de Luca de jurep. disc. 56. n. 22, Lambert. de jurep. lib. 1. p. 2. quaest. 11. art. 5. n. 2., Rota dec. 293. n. 10. part. 16. rec.*

At ex adverso adnotare est testatorem ad jurepatronatus lineam foemininam vocasse; in linea vero totam successionem indigitari dixit *Castil. lib. 5. cont. cap. 93.* §. *1. num. 41., Card. Ant. de Luca de linea leg. art. 1. tom. 1., Mans. cons. 468. num. 18. tom. V.*, et praecisim sub linea foeminina comprehendi tam masculos descendentes ex foeminis, quam ipsas foeminas docet *Torres de Prim. Ital. lib. 1. cap. 15. n. 34. et lib. 2. quaest. 16. numer. 107.* et *Rota dec. 1136. num. 3. cor. Emerix.* Idque magis tenendum in materia jurispatronatus, quo profecto muliebris sexus frui posse arguitur *ex cap.: Perlatum* et *cap.: Ex literis de jurepat.* et docet *Fagnan. in cap.: Perlatum lib. 3. titul. 38. n. 13., Lotter de re benefic. lib. 2. quaest 11. numer. 67. et 69.*, ubi ait, quod si testator usus fuerit aliquo juris termino, qui intelligi tam de masculis quam de foeminis possit, ea perpetuo facienda sit interpretatio, ut voluerit etiam foeminas et eorum descendentes complecti. Atque in jurepatronatus favori alicujus domus vel familiae reservato, hoc est in gentilitio, succedere nedum masculos, sed et foeminas tradit *Piton. discept. eccl. 24. num. 1.* post *Rotam in Mantuana Beneficii*

3. Jun. 1689. cor. Ursino impressa post disc. eccl. 14. ejusdem auctoris.

Quin obstet absolute exemplum a fideicommissis depromptum. Primo enim ipse *Fusarius* e contrario allegatus in *d. quaest. 379. n. 62.* tradit de jure communi etiam in fideicommissis masculos cum feminis concurrere, nisi istae expresse excludantur; et *Rota in Ravennaten. Immissionis 5. Maji 1777. cor Sentmanat* ad fideicommissum pro feminina linea statutum in defectu masculinae in illius ingressu feminas etiam cum maribus admisit. Deinde etsi liceat ordinario a fideicommisso ad patronatum arguere, grave tamen in multis et praecisim in re de qua agitur permanet discrimen, de quo prestat audire *Card. de Luca in dec. 22. de jur. n. 13. et 14.*, ubi ait: *Nullibi in jure cautum esse, ut in jurepatronatus dare debeamus eumdem ordinem per prius et posterius, qui datur in fideicommissi substitutionibus in dubio regulandis juxta ordinem intestatae successionis et ex ea ratione, quod dum feminae non prorogant familiam admittendae non sint stantibus masculis. Istae siquidem considerationes non cadunt in patronatu, qui tamquam individuus dicitur extare penes omnes de familia in solidum considerato in singulis solo exercitio, unde non incongruit omnes de familia eodem tempore admitti sive masculos sive feminas, qui de tempore singularum vacationum reperiuntur absque gradus vel sexus discretione.«*

Neque pariter, cum de patronatu gentilitio agitur, ulla ratio municipalibus legibus vel observantiae habenda videtur. Illae siquidem cum haereditarias respiciant successiones iis utique aptari possunt, quae haereditario jure deferuntur, proindeque illi patronatui, qui haereditaria pollet qualitate; at non item iis, quibus jure sanguinis et ex puta institutoris praeordinatione succeditur, veluti in gentilitio patronatu accidit, *Surd. cons. 572. n. 71., et seq., Brun. de statut. fem. excl. art. 8. n. 104., Gratian. disc. 813. n 32, Torr. de success. in primog. ital. part. 1. cap. 25. num. 74., Rota in cit. Mantuana Beneficii* §. *pen.* Hinc est, quod in emphyteusi ecclesiastica concessa pro generatione masculina et foeminina masculis deficientibus mares et foeminas ex generatione foeminea ortas ex eadem ratione succedere firmat *Constant. Vot. 499. tom. 4. n. 10. et seq.* post *Galvan. con. 11. n. 22. 33. 35. 36., Rota dec. 295. num. 4. et seq. cor. Duran. dec. 32. n. 4. cor. Coccino:* additque, quod cum per lineam foemininam agnatio non conservetur ob ejus vocationem ratio statuti deficit.

Praeterea exulare praescriptionem in gentilitio patronatu firmant DD., ex quo in eo succeditur jure proprio et absque ulla dependentia ab antecessoribus ideoque istorum negligentia praejudicium nullum successoribus inferre potest et maxime nondum natis, contra quos non currit praescriptio etiam centenaria, *Piton. controv. patron. alleg. 76. num. 29., Rota dec. 220. num. 26. part. 11. rec. in Bononien. Jurispatronatus Ghisleriis 31. Jun. 1691.* §: *Reliquum cor. Pio.* Et generatim cum praesentandi actus sit mere facultativus, per ejus omissionem non amitti jus praesentandi, nisi concurrat contradictio cum acquiescentia subsecuta, adeoque nec praescriptionem oriri tradunt *Ruin. cons. 50. n. 10. lib. 5, Frid. de Sen. cons. 147. sub. n. 3., Piton. loc. cit. n. 30., Rota dec. 115. n. 8. et 9. cor. Priolo* et in *Mediolanen. Prioratus 11. Decembr. 1699.* §: *Absque eo, cor. Molines.*

Ad passivum patronatum quod attinet nec de eodem aperta competentia est. Obstat oratrici animadversio, quod testator de passivo patronatu mentionem fecerit dumtaxat, ubi vocavit masculos de familia Pellico descendentes. Porro si in voluntatibus interpretandis validissimum est argumentum, quod ex discretiva oratione dimanat, *Rota in Terulens. Beneficii 25. Junii 1696. cor. Muto* et in *Asten. 20. Martii cor. Aldovrando*, merito in casu illius notissimae regulae censura aptari posset »*Ubi testator voluit expressit et noluit ubi non expressit.*« Et sane cum juspatronatus passivum gravamen patrono sit ejusque coarctet libertatem, haud facile praesumendum neque fas est de persona ad personam in fundatione non literaliter expressam extendere, ait *Piton. cont. patron. alleg. 83. num. 2. et 6., Rota in Romana Capellaniae 25. Novembris 1705.* §: *Adeo, coram Ansaldo* et *Aquilana Jurispatronatus 2. April. 1757.* §. *4. coram Canilliac.* Atque ex patronatu activo tunc recte ad passivum arguitur, si verba adsint hoc praeseferentia, sed ambigua sint et obscura; minime vero si talia non legantur; hoc enim in casu activa personarum vocatio passivam non inducit earumdem vocationem, ut firmat *Card. de*

Luca de jurep. dec. 29. n. 5., Pilon. in Parergon. disc. eccl. n. 35. et *S. C. in Fanen. Capellaniae 29. Jan. 179. ad 3. dubium.*

Iuvat autem oratricem idem quoad activum patronatum testatoris favor erga quaslibet lineas, quas ideo si pares in eo elargiendo fecit non immerito conjici potest et in passivo aequiparatas voluisse. Et reapse quod in una linea dispositum censetur, *Mansi dec. 67. num. 9. tom. 9.*, et passivi jurispatronatus, quod est majus, praesumptionem ex ipsa jurispatronatus activi, quod minus est, concessione emergere ponderat *Rota dec. 52. n. 7. cor. Falconerio* et in *Aesina Canonicatus 9. Jun. 1826. cor. Ruspoi* et S. C. *in Albiganen. Capellaniae 20. Martii 1830.* §: *Idem.*

Hactenus de precibus Mariae Lippi; pauca addenda sunt quoad alteras Dominici Patrignani, quibus ab EE. VV. indulti prorogationem exoptat rectoris nominationis differendae, ut beneficii redditus in sui alimoniam convertere queat. Easdem perdurare causas, quae alias hujus s. Ordinis benignitatem provocarunt, perhibet Episcopus scilicet filiorum copia, rei familiaris inopia peractaque in beneficii praediis melioramenta. Sunt hae prorsus rationes illae, quibus semper mota fuit s. haec Congregatio ad hujusmodi indulta impertienda, ut inde juxta ss. canonum aequitatem ex patronatus beneficii redditibus patronorum paupertati consultum foret. Beneficium autem Principis decet esse mansurum *ad cap. 16. de regulis in 6.*

De Aloysio Carletti ne verbum addam, siquidem is a judicii alea discessit; EE. VV. rogabo, ut dirimere dignentur:

I. *An constet de jurepatronatus activo et passivo favore familiae Mariae Lipri Pettinelli in casu?*

II. *An et quomodo danda sit institutio clerico Raynerio Pettinelli in casu?*

Seu potius:

III. *An et quomodo sit annuendum precibus Dominici Patrignani quoad prorogationem indulti in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II. et III. Negative et esse locum nominationi per patronos explendae.

Die 26. Junii 1841.

V. Raro facienda.

Arimineu.

A suspensione collationis beneficiorum cavendum, maxime cum clericorum detrimento, tradidit S. C. in una *Aquilana Capellan. 7. Junii 1834.* §: *Utroque* et in *Spolet. Susp. capellan. 16. Dec. 1837.* §: *Voluntatem.*

Die 13. Mart. 1831.

VI. Temporanea.

a) *In favorem clerici.*

Mantuana.

Joseph Mauritius Vannini in executionem piae mentis Juliae Savelli simplex beneficium instituit sub titulo ss. Antonii Abbatis et Gregorii ad altare eorumdem Sanctorum in ecclesia parochiali s. Stephani nuncupata »*la Madonna del popolo*«, cujus tam activum quam passivum juspatronatus reservavit familiae Vannini et in defectum hujus lineae orphanotrophio puellarum Luzzariae.

Onus autem imposuit unius missae omnibus diebus festis et geminarum missarum in singulas hebdomadas.

Unica familiae Vannini superstes est Marianna vidua Maji, ad quam spectat hujusmodi beneficii nominatio, quaeque postulavit suspensionem nominationis beneficii, donec et quousque Petrus ejus filius ad conciliarem aetatem perveniret. Postulavit insuper condonationem missarum non celebratarum a die vacationis ejusdem beneficii ob mortem ejus ultimi rectoris sequutam die 13. Aprilis anni 1813 usque ad annum 1817 necnon reductionem missarum inposterum celebrandarum.

Cum patrona supradicti beneficii vivat in dioecesi Mantuana et fundus et locus pius Luzzariae in illa Guastallae fuerunt hinc remissae preces Ordinariis utriusque dioecesis.

Ex informatione Vicarii capitularis Mantuae consensus eruitur Archipresbyteri s. Apolloniae, ad cujus ecclesiam parochialem una cum titulo alterius ecclesiae parochialis s. Stephani simplex beneficium, de quo agitur, translatum fuit.

Ex beneficii institutione clare evincitur oratricis filium passiva vocatione donari. Ex fundis vero, quibus beneficium constat, deductis oneribus et missarum eleemosyna, supersunt annua circiter scutata 42; confirmatur denique non solum testatoris propinquitas sed etiam oratricis extrema paupertas.

Vicarius Guastallae ita se habet: »*Et primo quidem attente lecto atque expenso testamento fundationis beneficii opportuneque conquisitis notionibus ex parte administratorum archonotrophii puellarum in terra Luzzariae degentium nihil obstare comperii, quominus oratrix voti compos fieri ex pontificia concessione valeat. Jus enim nominandi dicto beneficio ad memoratum pium institutum, quemadmodum ex allato testamento colligitur, non devolvitur, nisi extincta linea de Vanninis, cujus unica superstes est praefata Marianna.*

Quod vero attinct ad praesentem oratricis statum, veritati innititur, prout certis auctoribus hausimus; non modo suae conditionis status, quem SSmo exposuit, verum etiam longe deterior facta est ipsius calamitas, qua pendentibus adhuc precibus solatio destituta est viri, quem eo tempore amisit, cujus auxilio vel juvandae vel alendae prolis maximopere indigebat.

Quae cum ita sint non parum subsidii infelicis viduae indigentiis obventurum iri ducerem, si suprema accedente summi Pontificis auctoritate ad fructus percipiendos admitteretur, quoadusque alter filius nomine Petrus aetatem a s. Concilio Tridentino praescriptam attigerit, ut ipsa expostulat.«

Cum nequeat in dubium revocari tum oratricis tum filii cum fundatrice propinquitas eorumque extrema paupertas videtur hoc in casu canonicam aequitatem locum habere, qua patrono indigenti succurritur etiam cum nominationis ac onerum ipsorum suspensione; ex *concilio namque Toletano IV. can. 35.* habetur: »*Ut patroni eorumque filii redacti ad inopiam ab eadem ecclesia suffragium vitae pro tempore percipiant.*« Cum igitur vidua Vannini ex unius alteriusque Ordinarii informatione maxima laboret egestate nec habeat unde quinque filiis alimenta suppeditet, haud injuria postulat, ut per capellaniae temporaneam suspensionem succurratur, ad tradita per *Lambert. de jurepatronatus lib. 3. quaest. 2. art. 3. num. 8, Piring. lib. 3. decret. tit. 38. num. 37, Reiffenstuel, ibidem n. 115,* quam doctrinam expressit s. *Congregatio in Camerinen. 21. Aug. 1784*, in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786* et in *Aquen Capellaniae 20. Januarii et 3. Februarii 1787.*

Quod si haec vobis EE. PP. suadeant suspensionem nominationis, tunc de illius tempore et modo statuendum erit et utrum in casu, de quo agitur, deputandus sit ecclesiasticus administrator, qui impleta missarum celebratione caeterisque satis factis oneribus beneficii residuales redditus oratrici consignet in suae familiae substentationem, donec Petrus ejus filius ad legitimam 14 annorum aetatem pervenerit, *ut in Asculana Dispensationis 20. Maji 1786.* Hinc juris dispositioni consona esse posset praesumpta testatricis voluntas. Nam si voluit, ut in nominatione capellani praelationem consequerentur »*I suoi parenti provenienti tanto dalla linea mascolina, che feminina,*« non absonum ab ejus voluntate videtur, ut non extantibus pro nunc in familia iis, qui idonei sint ad capellaniam consequendam, suspendatur nominatio, ut potius, quam extraneis capellanis gratificetur, paupertati consulatur consanguineorum, quos verosimile est cariores habuisse.

Quod vero spectat ad condonationem missarum, quae ab obitu ultimi capellani scilicet ab anno 1813 celebratae minime fuerunt, licet id sine oratricis culpa contigerit, quia beneficii bona ab Italiae invasoribus occupata fuere, attamen cum nunc una cum praediis fructus etiam perceperit in summa scutorum 263 aliaque scuta 132 ad totum praeteritum annum 1817 percipienda supersint, ex juris rigore celebrationem missarum quae summam exquirunt scutorum 190 declinare non posse videtur. At urgens necessitas alendae familiae summam jam perceptam in scutis 263 certo certius jam consumpsit, itaut aut oratrici condonanda sit aut tamquam a silice aqua ac inopi et consanguinea patrona expungenda. Pluries sacra haec Congregatio patronorum necessitatibus opem tulit, ac praesertim *in Lucana 17. Januarii 1789* et in *Bononien. Commutationis voluntat. 17. Septembris 1791.* Videant ergo EE. patres an ex perceptis ac percipiendis fructibus quae intermissa fuerunt celebrentur sacrificia, vel potius facta condonatione summae jam perceptae cogenda sit oratrix ad satisfactionem missarum ad mensuram summae adhuc exigendae.

Restat demum ut FE. Patres postremae

oratricis petitioni respondeant quoad reductionem missarum in futurum. Sane temporaneae reductioni favet jam repetita necessitas alimentorum, quae suppeditari nequeunt quinque filiis ex annuo superextante fructu scutor. 42. At haec reductio opponitur expressae fundatricis voluntati, quae missam singulis diebus festis et duas in qualibet hebdomada celebrandas praescripsit. Non temere nec sine justa causa evertendae sunt testatorum voluntates *ex can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2.*

His praemissis tria proponuntur dubia:

I. *An et quoad tempus sit locus suspensioni nominationis in casu?*

II. *An et pro qua summa concedenda sit reductio missarum non celebrat. ab anno 1713 usque ad exitum praeteriti anni?*

III. *An et quomodo concedenda sit reductio missarum in posterum celebrandarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative donec Petrus ad conciliarem aetatem perveniat, deputato ecclesiastico administratore, qui adimpletis omnibus oneribus superextantes fructus oratrici consignet.

Ad II.: Affirmative celebrata medietate missarum omissarum ex scutis 132 exigendis, et Ordinarius curet executionem facto verbo cum Sanctissimo in utroque.

Ad III.: Negative.

Die 2. et 30. Maji 1818.

Faventina.

Canonicus Fabius Naldius domo Faventia supremo quo anno 1832 decessit elogio suam favore piae causae legavit abbatiam quandam quam possidebat; jussitque ut s. Annae beneficium simplex in parochiali ecclesia s. Rupuilli Faventinae dioeceseos institueretur. Ad utrumque juspatronatus quod attinet »Lascio, inquit, lo stesso giuspatronato . . . . al Rmo capitolo di Faenza, con obbligo però di nominare uno dei discendenti per retta linea mascolina di mio nipote Conte Venerio Mengolini, che sia però chierico all' atto della vacanza, e dia speranza non equivoca di voler proseguire nella carriera ecclesiastica e di attendere agli studi nominando, io per la prima volta il mio nipote Cesare Mengolini. In mancanza di detti discendenti con dette qualità, od estinta la linea mascolina di mio nipote, voglio che sia chierico all' atto della vacanza, attenda agli studi, e dia speranze come sopra. Mancando anche quest' alunno, la scelta si farà del Rmo capitolo, da cadere però sopra un chierico almeno subdiacono, di civili natali, Faventino, che attenda con profitto agli studi e dia speranze come sopra.«

Prior itaque juxta memoratas Naldii dispositiones rector fuit institutus Caesar Mengolinius, quo, die nimirum 20. Aug. 1844, e vivis sublato, beneficium vacavit. Ex linea vocata aderant tunc temporis Venerius defuncti Caesaris filius annos natus circiter septem, Fabius Vincentii Mengolini filius aetatis decem annorum circiter, qui habitu clericali ante Caesaris obitum incedebat et post ejus obitum die videlicet 31. Augusti praedicti anni, inter clericos per primam tonsuram fuit cooptatus et Vincentius Baccarinius, qui in minoribus jamdiu constitutus vigesimum aetatis suae annum excesserat ac in faventino orphanotrophio ex alumno praefectus alumnis evaserat atque talis extabat. Venerius et Fabius dictum beneficium inhiantes ad Datariam apostolicam preces admoverunt, quibus prior postulabat »a volersi degnar di accordare all' oratore la venia della qualità clericale e della età all' epoca della vacanza«, alter vero Fabius videlicet per interpositam patris personam adprecabatur »che al suddetto beneficio sia presentato il di lui figlio e non privato di legitimo diritto.«

Uterque libellus a Dataria apostolica ad Faventinum Episcopum pro informatione ablegatus fuit, qui duplices hoc super negotio ad eandem Datariam dedit literas; quarum priores in Fabii favorem cedebant, vinculo tamen pensionis scut. 50 Venerio adsignandae, autumans Episcopus beneficii redditus, deductis oneribus ad annua scut. 160. pertingere. Sed in altera, quum probaret beneficii redditus deductis pariter oneribus ad annua scutata 93. 80. tantummodo ascendere atque in ejusdem beneficii praediorum restauratione jam scut. 64. 66. impensa fuisse proponebat lapsu triennii nominatione dilata administratorem posse deputari, ut beneficii redditibus Fabii et Venerii clericorum indigentiae succurreretur.

Haec dum pendebant factum est, ut Fabius, Venerius ac Vincentius Baccarini nominationem a reverendissimo Faventino capitulo enixe deprecarentur. Quod hac de re anceps haerens ab ea emittenda abstinendum dijudicavit. Quare Vincentinus ut Mengoliniorum nominationem praepediret ad hanc s. Congregationem recursum habuit adserens nominationem in se cadere omnino debere. Interea vero temporis Dataria apostolica huic amplissimo Ordini Mengoliniorum preces ablegaverat votum vestrum consultissimum super oratorum passivo jure exquirens.

Super omnibus itaque percontandum Faventinum Episcopum censui. Is in suo quod dedit responso die 7. Nov. 1846. confirmat, quae jam Datariae apostolicae narraverat, superius a me relata. Addit insuper atque adprecatur, ut meliori quo fieri possit modo beneficii redditus ad Fabii et Venerii indigentiae succurrendum impendantur asserens praedia quae beneficii dotem constituunt restauratione plane indigere.

In altera vero quam dedit nuperrima epistola memorata rursus absoluta Fabii ac Venerii teterrima conditione judicio vestro proponit »essere cossa espediente che sospesa per un decennio la nomina del rettore, si deputasse non probo amministratore, il quale se erogasse la rendite nell' adempimento dei pesi inerenti ab beneficio stesso, nel pagamento delle tasse e nei ristauri più urgenti, ed il rimanente lo dividesse in due parti egnali ac due supplicanti clerici Mengolini.«

Haec equidem quaestionis ratio. Praestat jam momenta perpendere, queis Venerius, Fabius et Vincentius jus suum adstruere conantur. Et primo sane Venerius suis precibus Emos Patres suasuros confidit, ipse enim passiva fruitur vocatione, cum ex masculina Caesaris linea descendat, quippe qui ejus filius. Haud sane inficiatur se prima tonsura carere atque aetatis laborare defectu; verum cum ipse sit de patronorum summus Pontifex veniam aetatis ac clericatus impertire ei, utpote ex linea passive vocata, jure optimo potest; neque enim alteri infert jacturam, qui in subsidium tantummodo ad beneficii possessionem a fundatore nominatur, veluti sentit *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 54. n. 23., Piton. de controv. patron. alleg. 100. n. 338.* aliique.

Plurimae inde in thesauro resolutionum s. C. occurrunt dispensationum exempla eo consilio ab eadem s. Congregatione tributa, ut patronorum filii licet in puerili versarentur aetate ad beneficia tamen ecclesiastica nominari possent dispensationis ope,*) quemadmodum videre licet in *Vercellen. 19. Junii 1756.*, in *Sutrina Canonicatus die 3. Dec. 1831.* Nostro insuper themati causa accedit praesentissima, qua Venerio potest venia indulgeri, videlicet quod is in miserabili prorsus conditione versatur.

Fabius ex adverso jus sibi vindicare conatur, obtrudens vi testamentariae Naldii dispositionis exclusive nominationem in se cadere procul dubio oportere utpote is qui durante vacationis tempore cunctis praeditus extabat qualitatibus a testatore in nominando requisitis. Et re sane vera, Fabius tunc temporis integritate morum existens, haud mediocrem sibi laudem in studiis adsciscebat; habitu incedebat clericali; pietate ac religione pro tenera in qua erat aetate constitutus satis proficiebat necnon ecclesiae assidue inserviens spem adhuc progrediendi faciebat indubiam.

Praeterea, cum in eadem vacationis tempestate Fabius percontatus sit ut in clericorum coetum adsciseeretur et cum die 31. Aug., post decem videlicet dies a rectoris obitu, prima fuerit tonsura initiatus idoneus omnino evasit, ut ad s. Annae beneficium valeret a capitulo nominari. Hinc non dubitat quin tum Venerius tum etiam alter contendens Baccarinius plane sunt rejiciendi. Venerius quidem, cum ex jure communi haud capax omnino sit beneficii ecclesiastici, quia nec aetate praeditus nec prima tonsura initiatus, etiamsi agatur de beneficio patronatus laici, ut docet H. S. C. in *Melevitana Beneficii 21. Nov. 1829*, admitti non potest. Sed neque eidem gratificari licet; gratiae enim ac privilegia juri alteri quaesito detrimentum inferre non debent ad *text. si quando de rescript.*, A. S. C. in *Ariminen. Funerum 16. Junii 1827.* §: *Porro.* Baccarinius itidem est rejiciendus, quippe qui in subsidium solummodo revocatur et vacationis actu non sane alumnus, cum in orphanotrophio praefecti alumnis munere defungeretur, deque eo victum atque tenue acciperet stipendium. Animadvertit insuper Baccarinium hodie sacerdotali charactere insignitum esse congruoque provisum beneficio et per consequens minime esse in ea constitutum conditione, ut

*) Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum insignitus p. 236. n. 31.)

titulo indigeat, quo ad sacros valeat ordines promoveri, quemadmodum fundatori mens fuit.

Et quamvis concederetur Vincentium vacationis actu jure ad beneficium assequendum pollere nihilo tamen secius illud tacite abdicasse censendum est, cum aliud congruum ut ad sacros ordines promoveri posset beneficium fuerit assecutus. Mens siquidem praesumptiva fundatori erat, ut exceptis consanguineis clerici tantum, qui nullo ecclesiastico fruerentur beneficio, valerent ejus beneficii titulo ad sacros ordines ascendere.

Nec impedimento sibi esse putat, quod vacationis actu idoneus ipse minime existeret. Nam cum re adhuc integra nullus vacationis actu existet idoneus ad aliquod assequendum beneficium, is ad beneficium jus incunctanter acquirere videtur, qui idoneus primus omnium inter vocatos evadit. Sed ita est, quod praesentiarum ipse tantum idoneus prior sit dicendus ad beneficium: ne igitur fundatoris voluntas in auras abire omnino videatur, concludere procul dubio refert nominationem in se unum cadere posse.

Aşt Baccarinius studia viresque omnes exercet, contendens nil tam explorati juris esse, quam ultimas defunctorum voluntates sartas tectas prorsus habendas, ut videre est in *Romana Commutationis voluntatis die 14. Junii 1806.*, in *Casalen. Commutationis onerum ac voluntatis die 30. Martii 1822.* aliisque passim. Quibus in jure praemissis, en quomodo argumentatur. Ex fundationis tabulis luculenter constat nominandum ad beneficium in casu clericum esse vacationis actu omnino oportere »che sia però chierico all' atto della vacanza.« Ergo prono veluti alveo sequitur Mengoliniorum nominationem nullam concipi posse; siquidem Venerius aetate et clericatu omnino carebat vacationis tempore; Fabius dies circiter post decem a beneficii ipsius vacatione clericali tonsura fuit insignitus et tralatitii juris est, quod quando legatum vel alia facta fuit dispositio ad favorem clericorum pro tempore vacationis existentium in genere debeatur illi ex vocatis, qui de vacationis tempore clericus requiritur, haud sane attenta majori vel minori praerogativa lineae, si tunc in linea praedilecta idoneus non adest clericus vel capax, ut docet *de Luca de benef. disc. 97. de fideicom. disc. 8. n. 8. disc. 9. n. 8.*, cui consonat. s. Rotae auditorium in *Licien. Bonorum decis. 270. coram. Ottobon.* et *in eadem coram Celso decis. 183. et 189.* Nec qualitas in aliquo actu requisita suffragatur, si postea superveniat: *Leg. interdicit ff. de Legat. 2, Garzias de benef. part. 7. cap. 1. n. 75., Rot. decis. 7. n. 10. par. 17. decis. 206. n. 6. par. 3. decis. 228. n. 51. par. 8. recent.*

Hisce accedit, quod fundator requirit clericum nominandum de se praebere necesse esse »speranza non equivoca di voler proseguire nella carriera ecclesiastica, e di attendere agli studi.« Et merito dubitandum Baccarinius existimat in themate utrum si, qui in aetate septem annorum versatur aut is qui eadem vacationis die ab Episcopo clericorum censui inscribi petiit, ut beneficium vacans assequi posset, ejusmodi aliquam exhibeat spem, quae tantummodo ex non interrupta factorum serie ac testimonio de vita ac moribus argui certo potest.

Quodsi petita Venerio indulgeretur aetatis et clericatus dispensatio vel nominatio in Fabii persona admittenda esset, jus jam sibi quaesitum laederetur omnino. Enim vero quamquam indubium sit summum Pontificem veniam aetatis indulgendo ei qui ex praedilecta familia descendit nullius laedere jus, ubi testator ad idoneitatem respexerit tempore praesentationis a patrono faciendae: quia quadrimestri aut semestri tempore ad praesentandum nondum elapso, is qui in subsidium vocatur nullum certum jus, sed tantum spem et jus eventuale habere dicitur, *Card. de Luca de jurepatron. disc. 60. n. 17, Piton. de controv. patron. alleg. 1. n. 23. et in Pārergon. ad discept. eccles. n. 18. et seqq.*, nihilo tamen secius aliter in themate sentiendum quo testator ad vacationis beneficii tempus respexit: hoc siquidem in casu, si nemo ex primo loco vocatis reperiatur idoneus, illico substituto jus quaeritur, nec ei dispensatio concedi potest quin huic jus certum adimatur, veluti expendit *Piton. discept. eccles. 13. n. 39, Card. de Luca loc. cit. n. 16. et disc. 45. n. 8*, s. Congr. in *Salernitana Dispensationis 19. Dec. 1730* §.: *Quod* nec non in *Platien. Canonicatus die 30. Maji 1829* §.: *Tandem.* Dispensatio siquidem nunquam in tertii perniciem vergere debet ex *text. in Leg. rescripta cod. de precib. Imper., Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 57. n. 2, Amostaz. de caus. piis lib. 1. cap. 17. n. 8.* et S. C. in *Firmana Capellan. die 18. Jan. 1832* §: *Denique.*

Nec sibi obesse putat quod vacationis

beneficii tempore non alumnus sed praefectus alumnis in orphanotrophio reperiretur, proindeque qualitate a testatore requisita minime praeditus. Alumnus enim is est dicendus, qui ab alio alitur, argum. *ex leg. 27. Cod. de nupt.* Atqui ipse vacationis tempore caeteris cum alumnis in orphanotrophio vitam degebat ibique alimenta, institutionem necnon habitationem recipiebat; et iniquum praeterea esset si officia, quae is in orphanotrophii defungebatur favorem, in ipsiusmet perniciem cedere deberent. Caeterum ubi fundatoris mens accuratius investigetur, haud obscure liquere putat, de alumni conditione vacationis actu clericalem statum tantummodo, non aeque alumni conditionem requisivit. Idque eo magis in comperto erit quoties animadvertatur, nemini ex orphanotrophii Faventini alumnis permitti umquam ut clericali tonsura donetur, quin aetatis suae 18. excesserit annum aetatem scilicet illam, in qua orphanotrophio egredi alumni tenentur: quod procul dubio testatorem non latuit, quippe qui Faventinus fuit et orphanotrophii ipsius plures annos extitit moderator.

Hisce modo trifariam disceptatis superest ut EE. VV. PP. perpendant quid de Episcopi Faventini consilio sentiendum sit, qui hoc super negotio autumat, rectoris nominationem per decennium esse differendam, distributis interim Fabio et Venerio pro virili fructibus ex beneficii redditibus, qui supportatis oneribus superessent. Nec id sane absonum omnino sacris canonibus videtur, qui consultissime saepe saepius decrevere patronos ad inopiam vergentes ab ecclesia alendos esse. Porro utrosque illos ex familia a fundatore vocata descendere vidimus in facto, utriusque familiae aerumnas Episcopus narrat; quibus confluentibus circumstantiis alias S. C. indulsit, ut beneficii collatio suspenderetur et fructus impletis oneribus ab ecclesiastico viro administratore inter patronos dispertirentur ad certum tempus, donec nempe aliquis ex familia illud in titulum assequi posset, quemadmodum videre est in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786, in Aquen. Capellaniae 3. Febr. 1787, in Nucerina Capellaniae 26. April. 1828, in Derthonen. 15. Aug. 1730* necnon in *Senogallien. Capellaniae 9. Maji 1750.*

Sed utrum in themate idipsum fieri expediat, viderint EE. VV. quibus proinde subjicimus dirimenda dubia:

I. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione favore Venerii in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et cujus favore sit locus nominationi in casu?*

Seu potius

III. *An et quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Providebitur in tertio.

Ad III.: Affirmative ad decennium juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Die 18. Dec. 1847.

β) In favorem patroni et familiae.

Vd. **Beneficium** (suppressio in commodum paup. patronor.; suspensio in commod. paup. patron.)

Nolana.

Fruitur praenobilis vir Aloysius Maria Caracciolo del Sole Venusiae Dux jurepatronatus super binis beneficiis, quorum alterum audit s. Padenae in Aversana, alterum s. Mariae Jacobi in Nolana dioecesi, quibus missam quolibet die festo celebrandi onus adest, redditus autem priori in ducatis annuis 128 52, alteri in ducatis 535; hoc jurepatronatus ejusdem auctores donati fuerant a s. m. Benedicto XIV. cum obligatione tamen augendae eorumdem dotis in certa quantitate ac solvendi pensionem annuam triginta aureorum de camera cumulative s. Sedi reservatam.

Plurium annorum spatio Dux Cajetanus relativa paupertate pressus obtinuerat, ut suspensa beneficiorum institutione satisfactisque oneribus ceteros fructus in suam utilitatem converteret: at expirato ad annum 1834 per ejus obitum indulto prorogari petiit suspensionem ejusdem filius Aloysius, qui eisdem tenebatur angustiis attentaque etiam cujusdam ecclesiae ad beneficia pertinentis reaedificatione, quam haud exiguo sumptu procurabat; qua de re nonnulos pinguium beneficiorum proventus erogaturum se proponebat in totidem sacra patrimonia pauperibus clericis assignanda. Flagitavit praeterea, ut a reintegratione beneficialis fundi, quem ejus auctores alienaverant, dispensaretur. Denique super prae teritis omissionibus absolutionem postulav-

Uterque Episcopus Aversanus scilicet et Nolanus preces suffragio suo commendabant. Propositis hac de re binis dubiis in comitiis diei 14. Decembris 1839:

I. *An et quomodo annuendum sit precibus oratoris Aloysii Caracciolo in casu?*

II. *An et quomodo consulendum sit SSmo pro absolutione super praeteritis omissionibus et condonatione in casu?*

Respondit s. Congregatio

Ad I.: Affirmative et esse consulendum SSmo pro suspensione beneficiorum ad quinquennium ad effectum, deputato ecclesiastico administratore a respectivo Episcopo, impletis prius omnibus oneribus ad formam bullarum s. m. Bened. XIV. superextantes redditus erogandi in complementum fabricae ecclesiae et fundi redintegrationem docto.

Ad II.: Affirmative celebratis etc. SSmus resolutionem approbavit et confirmavit.

De collato in ipsum favore gratias modo agit ordini vir pientissimus; at cum de eo tempore, quo s. Congregationis prodiit resolutio super precibus usque ab anno 1834 porrectis, jam ille pro sua religione ecclesiae fabricam suis sumptibus fere absolverit haud exigua erogata summa ducatorum praeter 1300: modo vero et fundum alienatum diligenter redintegraverit, ut suae insimul rei familiaris angustiae consulat omnemque conscientiae scrupulum abigat haec EE. VV. adprecatur »*Trovasi compiuta la fabrica della chiesa, ed il fondo di cui si parla è stato redintegrato: ora l'oratore torna nuovamente a supplicare l'EE. VV. Rme, affinchè vogliano degnarsi concedergli la grazia, che durante il quinquennio suddetto possa liberamente percepire le rendite dei benefizi suddetti, essendo anche bastantemente critiche le circostanze sue economiche, che fu il solo motivo, che lo indussero a domandare la suddetta grazia, e che qualora queste migliorassero intende fare la nomina regolare de' suddetti benefizi.*«

Auditus de more super oratoris precibus Episcopus Aversanus expositi veritatem confirmat dignumque oratorem existimat, qui a s. Ordine in omnibus audiatur praesertim ob miseram, ac minus nobilis familiae decori respondentem, qua vexatur, fortunam eumque pro singulari, qua pollet, pietate oneribus impositis religiose satisfecisse demonstrat.

Jam vero si s. Congregationis intentio ea fuit in concedenda nominationis suspensione, ut ex beneficii fructibus et fundus alienatus redintegraretur et ecclesiae restitueretur, condonato sic aequipollenti valore patrono, cui obligatio inerat ea praestandi, ut ita scilicet eidem saltem relative pauperi opitularetur, jure meritoque confidere videtur orator, elargitam gratiam integram prostare ad quinquennium etsi praefatae obligationes jam praestitae fuerint. Et si quid ad finem quinquennii superfuturum erit post recuperatam a se impensam in ecclesiae aedificium pecuniam, id sane eadem de causa sibi facile condonatum iri sperat orator ab EE. VV. clementia, cui in animo fuisse videtur, ut integri quinquennii proventus in patroni egeni praesidium, satisfactis oneribus, impenderetur. Aversani Episcopi commendationes idipsum expostulant.

Item cum in suo nominandi jure ullo absque vitio versetur integre ipse patronus, nihil obstare apparet, ut cessato quomodolibet indulto jus illud exerceat: nominationis suspensio jus nominandi non minuit. Sed EE. VV. definient dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

S. C. resp.:

Affirmative durante quinquennio juxta resolutionem diei 14. Decembris anni 1839 facto verbo cum SSmo.

Die 9. Julii 1842.

Continuatio.

Exposuerat jam ab anno 1839 s. huic Ordini Venusinus Dux Aloysius Maria Caracciolo del Sole, patrem suum mox vita functum Cajetanum facile attenta praenobilis familiae relativa paupertate obtinuisse, quousque vitae usura usus est, administrationem bini beneficii de jurepatronatus familiae suae ut impletis oneribus de ejusdem fructibus frueretur; horum scilicet primum sub titulo s. Padenae in Aversana, alterum sub titulo s. Mariae Jacobi erectum est in Nolana dioecesi: suntque huic proventus in ducatis annuis 128, alteri in duc. 364 cum onere cuique celebrationis unius missae in singulos dies festos ac persolvendi pensionem annuam s. Sedi reservatam apostolicis literis Benedicti XIV., quibus familiam ipsam jurepatronatus honestabat, videlicet aureorum de camera viginti super beneficio s. Padenae, ac decem super beneficio s. Mariae Jacobi. Quum porro iisdem ac patris premeretur angustiis idem orator, vix enim annua duc. 1200 ex suo percipiebat censu, qui ex pervetustae gentis splendore longissime abest, hinc ejusdem gratiae prorogationem postulavit, attenta etiam cujusdam ecclesiae ad beneficia pertinentis reaedificatione, quam proprio curabat sumptu; flagitavitque insimul ut a redintegratione beneficialis fundi, quem ejus auctores alienaverant, dispensaretur: et revera favente precibus utriusque dioecesis Episcopo propositis dubiis die 14. Dec. 1839:

An et quomodo annuendum sit precibus Aloysii Caracciolo in casu?

propitium retulit responsum: Affirmative et esse consulendum SSmo pro suspensione beneficiorum ad quinquennium ad effectum, deputato ecclesiastico administratore a respectivo Episcopo impletis prius omnibus oneribus ad formam bullarum s. m. Benedicti XIV. superextantes redditus erogandi in complementum fabricae ecclesiae et fundi redintegrationem docto.

At vero quoniam vir religiosissimus, quo tempore s. Ordinis edebatur resolutio, ecclesiae fabricam suis sumptibus jam absolverat, erogata ingenti summa ducat. 300. ac fundum alienatum redintegraverat ceterisque impositis oneribus diligentissime satisfecerat, petiit sac. Ordinem »la grazia che, durante il quinquennio sudetto possa libermente percepire la rendite dei benefici sudetti, essendo anche bastantemente critiche le circostanze sue economiche.« Ac roganti mihi in comitiis diei 9. Julii 1842:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

EE. PP. rescripserunt: Affirmative durante quinquennio juxta resolutionem diei 14. Dec. 1839 facto verbo cum SSmo. Et SSmus resolutionem probavit et confirmavit.

Expirato nuper indulti tempore at non immutatis in melius familiae fortunis, quamvis ingenue fateatur familiae redditum excrevisse in ducatis 182, »Attesso che ciò quasi niente aggiunge per lo mantenimento secondo il suo stato, si fà coraggio di ricorrere alla S. Vostra implorando per un decennio la proroga della sud. grazia.«

Precibus undequaque favet uterque Ordinarius Nolanus et Aversanus, qui oratoris pietatem religionemque ac singularem in onerum adimplemento diligentiam summopere commendant dignumque existimant etiam intuitu nobilitatis familiae, qui petita gratia honestetur. Quamvis porro Episcopus Nolanus propitium, ut innui, se praebeat erga oratorem, ne diutius tamen suo viduetur rectore beneficium in Nolana dioecesi positum hanc potius eidem opitulandi methodum proponit: »Sarei di parere, se altrimenti non opina V. Ema Rma nell' alta sua saggezza, obbligarsi in Duca a provvedere il benefizio, ed accordarglisi a titolo di sovvenzione una pensione annuale sulle rendite dello stesso, che potrebbe portarsi anche al terzo della detta rendita, la quale essendo di annui ducati 138. 52., il terzo ricadrebbe a ducati 46. 18. In tal modo il Duca non perderebbe sul profitto del benefizio percependo ducati 46. 17., invece di 49. 52., che dice di aver finora percepiti netti di tutto e gl' interi oblighi del benefizio rimarrebbero a carica del rettore, restando così non defraudata la volontà dei testatori.«

Circa hanc a Nolano Episcopo propositam methodum, ubi eam placeat EE. VV. amplecti, perpendit orator, fructuum quotam sui favore reservandam adaugendam fore (aequitate suadente) ad ducat. 67. 87. ubi pensio super beneficio jam imposita favore personae a sacratissimo Principe designatae ab ipso foret persolvenda. Quibus positis proponitur dubium:

An et quomodo sit proroganda suspensio beneficiorum favore oratoris in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad aliud decennium ad formam praecedentis facto verbo cum SSmo.

Die 7. Junii 1845.

Urbinaten.

Capellaniam seu potius beneficium in ecclesia a quinque Jesu Crucifixi vulneribus nuncupata erectum in oppido vulgo Mondolfo dioecesis Urbinatensis retinuerat ab anno 1792. usque ad diem 2. Martii anni superioris Josephus Fabri primum clericus subinde uxoratus cum venia summi Pontificis s. m. Pii VI. Patronatus jure cum unice perfrueretur Antonius Valentini nominationem contulit in

Franciscum Cecchini in ipsius Urbis cathedrali ecclesia Canonicum eique mox adjunxit tempore legitimo alterum pariter Canonicum Josephum Guglielmi; sed utrumque vix episcopali curiae praesentaverat, quum animo subiit apostolicam Sedem adeundi, ut ex beneficii fructibus gravissimae qua premitur egestati succurreret: revera autem supplicem s. huic Ordini dedit libellum petiitque, ut suspensa beneficii institutione redditus universos satisfactis oneribus erogare tribueretur in sui subsidium, cui pro infortunii culmine uxor est mente capta nubilisque filia annorum quindecim necnon in subsidium bini infantis, quos cum vidua matre in indigentia reliquit decessor capellanus Josephus Fabri oratoris Valentini consobrinus.

Auditi sunt, ut par erat, nedum Archiepiscopus sed et omnes interesse habentes super oblatis precibus constiteruntque ex eorum responsis ea quae subjicio. Scilicet missarum pensum ex fundationis lege ad quatuor pro singulis hebdomadis arctari; his autem ad eleemosynam obulorum 15 ac aliis quibusque oneribus satisfactis beneficii redditus assurgere ad scutatos nummos 4385: Antonium Valentini oratorem unicum superesse beneficii patronum; novissimum beneficii rectorem inadimpletas reliquisse missas centum triginta quinque nec satisfecisse taxae pro utensilibus constitutae: Binos denique nominatos presbyteros non esse passive vocatos ad beneficium nec alios esse, quibus excepta oratoris prece praejudicium inferatur: nihilominus Cecchinium acriter obstare votis oratoris, ne jus sibi ex nominatione et praesentatione quaesitum pesumdetur, oppido constat ex ejusdem responsis: Guillielmium autem ultro libenterque suum praebere assensum, ut Valentiniano gratificetur, jus sibi quaesitum reservando dumtaxat quatenus illius vota ab EE. PP. rejiciantur. Porro circa modum concessionis haec animadvertit: »Sembrerebbe che una qualche limitazione potesse aver luogo alla domanda dei petenti. Potrebbe accordarsi loro la grazia vita durante del patrono, e della mentecatta sua moglie perchè ravvolti nella più deplorabile miseria, e perciò poi che riguarda la figlia di detti conjugi Valentini, e la pupilla Fabbri, limitare tale beneficienza, finchè siano nubili, proseguendola a loro favore anche nel caso, o che andassero a marito, o eleggessero lo stato monastico ad aliud quinquennium a die initi matrimonii vel professionis monasticae, onde cosi provvedere caritatevolmente ad una certa dote occorrente in entrambi i casi, e che loro assolutamente mancarebbe per soverchia loro indigenza: relativamente poi all' altro pubillo Fabbri, limitargli la concessione sino a che sia in età capace a procurarsi un onorata sostentamento, o mediante onorata professione, o percorrendo la carriera ecclesiastica, mentre con tali mezzi, e limitazioni riterrebbe l'Oratore più sollecito il tempo, e termine dell' amministrazione.« Quibus praejactis sic animi sui sensum aperuit Archiepiscopus. Licet Franciscus M. Cecchini Canonicus unus ex praesentatis oratoris precibus haud faveat sanctae charitatis tamen necnon grati animi esse videtur preces easdem excipere et infelicem oratoris statum perpendere. Habetis hic beneficii patronum ingravescenti aetate virum rerum inopia vere maxima laborantem, cum conjuge demente, cum filia quae vix ab adolescentia egressa est, ut luculentissime patet parochi testimonio. Adsunt illic superstites ex ultimo beneficii rectore uxor et filii, quibus ad vitam necessaria desunt, prout affirmat Petrus Olivieri Archipresbyter parochialis ecclesiae s. Spiritus in hac civitate.

Hisce perpensis supplicem oratorum preces Pontificis Optimi Maximi clementia dignas arbitrarer in omnibus: crederem siquidem memoratum beneficium retineri posse sub administratione probi viri (pro cujus electione in casu, de quo agitur, si eam mihi committere dignabimini, utriusque praesentati exclusionem a vobis exposcerem) ita ut, oneribus quibuscumque satisfactis, quod superest inter patronum Valentini pro medietate et filios Josephi Fabri pro alia aequabiliter distribuatur modo, tempore et conditionibus arbitrio Sanctitatis Suae statuendis, pro quibus tamen, quae a Canonico Josepho Guglielmi, altero ex praesentatis, in suo folio proponuntur, penitus contemnenda non esse putarem. Illud insuper addendum esse crederem, ut salva oratoris Valentini parte, ex illa quae filiis defuncti Josephi Fabri continget praelevari debeant, quae pro inadimpletis oneribus satisfaciendis erunt necessaria.

Remitto quoque ad Vos, Patres eminentissimi, preces quasdam a Thoma Lupi mihi oblatas unacum documento ab originali fideliter desumpto veritatem expositorum comprobante, ut pro justitia vestra perpendatis, num ex parte quae in profectum cedet filiorum Josephi Fabri praelevandi quoque sint quotannis fructus illius census, de quo in precibus Thomae Lupi sermo est et num aliquid modicum praelevandum sit pro ejusdem census extinctione sensim facienda.

Preces Thomae Lupi, de quibus agit Antistes, continent, ipsum gravari censu scut. 100 cum fructu scut. octo in singulos annos erga Paulum Raffaelli prout ex solemni instrumento diei 27. Octobris 1832. Ast censum hujusmodi quamvis ipsius nomine et super ipsius fundo impositum, revera tamen onerare debere praedefunctum Josephum Fabri, qui pecuniam recepit et recepisse declaravit privata syngrapha sub eadem die obsignata ad fructuum solutionem se obstringens ac census extinctionem adpromittens infra sexennium. Hinc Antistitis benignitatem exorabat Lupus »a chiamare a se il signor Canonico Guglielmi quale amministratore, e cognato de defonto Fabri, e coi capitali lasciati dal medesimo constringerlo a liberare il Lupi dalla sua obligatione e così evitare quell' enormi spese, che si anderebbero ad incontrare in un giudizio.«

Quod patronis paupertate pressis succurrendum sit ex beneficii patronati fructibus res est omnibus compertissima text. in *can. Contra 26.* et *canon Quicumque 31. qu. 7.* et *cap.: Nobis de jurep., Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 38. de jurep. §. 5. n. 115.* Hanc insuper benignitatem portrahi ad consanguineos patronorum tradit s. Congregatio in *Ariminen. Capellaniae 22. Julii 1815. §: Haec omnia*, quorum nomine in ejusmodi subsidiis venire omnes, qui testatori sanguinis vinculo conjuncti sunt sive per masculos sive per foeminas docet *Rota in recen. dec. 616. n. 3. decis. 39. num. 19. part. 1. tom. 1.* et s. Congr. in *Anconitana Subsid. dotal. 28. Jan. 1837. §: Cum prima.* Inter modos patrono et consanguineis egenis opitulandi et illum saepius adhibitum fuisse largiendi eisdem beneficii administrationem impletis oneribus et deputato ecclesiastico administratore innumera probant exempla, quae inter in una *Segnovien. Capell. 17. Nov. 1731. in 3. dubio* et in una *Asculana Dispensat. 20. Maji 1786.* et in una *Ariminen. Capell. 22. Julii 1815 ad 2. dub.* Denique etsi aequitas, qua de agitur, cohibenda videatur ad patroni liberos, uxorem aliosque domesticos de familia, ad *Lambertin. de jurep. art. 6. qu. 3. lib. 3. n. 3.* et *Piton. de controv. patron. alleg. 44. num. 13,* tamen non desunt concessiones hujusmodi etiam consanguineis extra familiam elargitae, ut videre est in nupera *Lauretana Suspensionis nominat. 28. Julii 1838.*

Haec omnia votis obsecundarent oratoris ad honestam pro se et egenis propinquis exhibitionem obtinendam accedente praesertim exemplo capellani superioris. Gravis at vero obex sistere videtur in dispensu alterius ex praesentatis; etenim per praesentationem exploratum est acquiri jus ad rem, *Lambertin. art. 5. qu. 5. part. 2. lib. 2. num. 1. et seq.* nec a praesentatione posse patronum resilire, *Ferraris* verb. *Juspatron. in addit. artic. 4. §. 5;* etenim nefas eidem est jus praesentato quaesitum auferre, per text. in *cap.: Cum omnes de constit, dec.* in *cap.: Cum accessissent n. 3. eodem tit.*

Difficultatem ut avertat Canonicus Guglielmi, qui veluti vindex accessit juribus oratoris, praesentationem favore Cecchini expletam traducere conatur uti fere coactam et simonia quoad Cecchinios infectam.

Utitur scilicet declaratione ipsius patroni, quam vir illiteratus coram parocho et binis testibus emisit enarrans sese dum Urbinum peteret obitus Josephi Fabri adhuc inscium fuisse a Bernardino quodam Berardi et Aloisio Cecchini, quorum et ipse tunc nomina ignorabat, domum adductum Canonici Francisci M. Cecchini; ibique patefactam sibi fuisse mortem Josephi Fabri petitamque absolute ab iisdem viris praesente Canonico beneficii nominationem per verba »Vogliamo il beneficio.« Mane autem insequenti fuisse »rivestito di vesti più decenti et pulite cominciando dalla camicia a tutto il resto ed invitato ad andare alla cancellaria . . . ed ivi feci la nomina, e poi ritornai a casa, dove feci una buona colazione . . . Dopo fatta colazione quello ch' era stato con me in cancellaria mi dette quattro paoli e mezzo«; addit sese deceptum tunc animadvertisse, quando facta praedicta praesentatione domum adiit Canonici Guglielmi, qui de alimentis, quae flagitare super beneficii vacantis fructibus potuisset, eum admonuit.

Jam vero duo exinde deducit Guglielmius, alterum, praesentationem, qua de agitur, et veluti violentam reputari, nam dolus et fraus aequivalent violentiae, et praeterea simoniacam; etenim certum est, in simoniae labem ascendere, qui pro beneficio obtinendo quid

temporale patrono praestat ad *cap.: Sicut tuis 34.* et *argum. cap.: Veniens 19. de simonia,* s. Congreg. in *Hurien. 9. Aprilis 1785.* §: *In simoniae,* etiamsi praesentatus ignoret, *cap.: si alicujus 59. de elect., cap.: Nobis 27. de simon., Ferraris* verbo: *Simonia, artic. 2. n. 9.* Simoniam porro probari etiam per confessionem unius vel alterius simoniaci eruitur ex *canon: Presbyter 15. qu. 5., Rodoan. part. 4. cap. 6. n. 1.,* s. Congreg. in *Sutrina Capell. 18. Aprilis 1795.* §: *A petitionibus;* etenim nulla datur major probatio, quam confessio oris proprii: accedunt graves praesumptiones; nam sciendum est, patrem Bernardini Berardi conjugio juncti cum nepte Canonici Cecchini debitorem existere erga beneficium pro duobus censibus, altero in forte scut. 136. 32. altero scut. 200., ac ita morosum semper extitisse in fructuum solutione, ut dum postremus beneficiatus mortem oppetiit scutata 64 spoliorum camerae solvere debuerit: quare praesumi merito potest, ideo ipsum Bernardinum Berardi tantas adhibuisse tricas pro nominatione Cecchinio quaerenda, ut ita patrem a gravi fructuum solutione liberaret negocio composito cum ipso Canonico Cecchini homine praedivite, et cum quo communem degit vitam. Alterum, nominationem, qua de agitur, nullitate ita laborare, ut Cecchinius jus amiserit ad beneficium simoniace quaesitum; *Garcias de benef. part. 8. cap. 1. fere per totum;* patronus vero rudis homo et ignarus a poenis sit excusandus ad *Pignat. consult. 44. n. 44. tom. 7., Giraldi de poenis eccles. part. 2. cap. 4. n. 7.**)

Utrum quae disputat Guiglielmius robore suo sistant viderit EE. VV. sapientia; vis enim et simonia utraque difficillimae est probationis, ac unius interesse habentis confessio plenam sane non inducit simoniae probationem, nisi alia concurrant validissima argumenta, *Rota in nuper. decis. 106. n. 6. t. 2. text. cap. 5. de simon., Abbas in cap.: Veniens lib. 1. n. 4. de testibus.* Quatenus vero praesentati Cecchini jura firma esse EE. VV. existimaverint et locum esse oportere institutioni alterius ex praesentatis videant tunc, num saltem ex parte oratoris preces excipi benigne possint, aliquam scilicet fructuum quotam capellaniae praelevando, uti factum est in *Neapolitana Eleemosynae missae 26. Nov. 1803.* et in *Aretina Suspensionis nominat. 12. Julii 1817.* Sane licet tuta doctrina sit, alimenta patronis super beneficio pleno non deberi, nisi ex superfluis post substentationem capellani, *Rota in Salernitana Aliment. super taxat. 16. Decembr. 1712. n. 1. cor. Falconer.,* sac. Cong. *in Aretina Susp. nominat. 14. Junii 1817.* §: *Videant* etc., attamen hanc regulam pati posse exceptionem, quando capellanus obtineat aliunde alia ecclesiastica bona, unde honeste vivat, auctor est *Lambertin. de jurep. art. 4. qu. 3. lib. 3. n. 1. et seq.*

Circa tempus vero et modum concessionis recolant, quae in sua relatione disserit Archiepiscopus, ubi de precibus Thomae Lupi perpendere erit, num quae in alimonium patroni consanguineis assignanda essent expediat in aeris alieni solutionem erogari. Proponitur dubium:

An et quomodo sit annuendum precibus oratoris in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad decennium deputato ecclesiastico administratore, qui adimpletis oneribus et celebratis missis decem pro praeteritis omissionibus tradat quod superest Oratori, docto, facto verbo cum SSmo et notificetur ministris datariae apostolicae.

Die 18. Dec. 1841 et 22. Jan. 1842.

v) Tempus intra quod debet fieri.

Vd. *Beneficium* (nominatio — juspatroni – p. 703; collationis tempus p. 502.) *Devolutio.*

Albinganen.

Nullitati nominationis accedit nunquam datam fuisse institutionem favore presbyteri Pevelli, quae intra quatuor praefinitos menses danda erat, qua deficiente quaevis nominatio etsi valida ruit ad tradita per *Lotter. de re beneficiar. lib. 2. quaest. 6. num. 35. 36., Vivian. prax. jurispatronat. part. 2. lib. 7. c. 4. num. 31, Piton. cont. patron. alleg. 75. num. 3. 4., Ventriglia de jurepatr. annot. 1. §. 3. num. 19. tom. 2., Rota in recent. decis. 352. num. 15. part. 16. decis. 665. num. 8. part. 18. tom. 2.* et in *Nolana Beneficii 30. Januarii 1590 coram Caprara.*

Die 19. Septbr. 1818.

Albinganen.

Lege cautum est, ut elapso quadrimestri, ubi per patronorum culpam et negligentiam nemo ad beneficium praesentatus fuerit, nominandi jus ad Ordinarium illico devolvatur, *cap. unic.* §: *Verum de jurepatr. in 6., Card. de Luca disc. 64. num. 3. de jurepatr.*

Die 20. Mart. 1830.

*) Vd. *p. 443. tt.*

Albinganen.

Ad legitimam nominationem et ad impediendam devolutionem haud sufficere simplicem nominationem, sed insuper requiri ejusdem praesentationem Episcopo faciendam antequam quadrimestris terminus elabatur, monet *Piton. de controv. patron. alleg. 78. num. 2.* et *Lotter. de re beneficiaria lib. 7. quaest. 6. num. 33.*

Die 20. Mart. 1830.

Die 20. Martii 1816 vacationis capellaniae notitiam acceperunt, ex qua tempus quadrimestre labi inciperet, *Rota in decis. 3. n. 6. et 7. coram Crispo.*

(*Ibidem.)*

Melevitana.

Quadrimestre patronis laicis atque passive vocatis ad praesentationem edendam vel ad sistendum coram Antistite jure sacrorum canonum praefinitum est. *Piton. de controv. patron. alleg. 1. n. 9. alleg. 65. n. 4. alleg. 100. n. 30.*

Die 1. Febr. 1834.

Nepesina.

Tempus quatuor mensium patronis laicis et passive vocatis praefinitum esse ad nominationem ferendam et ad Antistitis confirmationem postulandam, quo elapso, quin aliquo modo adversus editam praesentationem actum coram judice sit, censetur patronus collationem vel institutionem absque se factam approbasse et sic ejus nullitas in favorem ipsius patroni inducta sanaretur. (*Schmalzgrueber Jus eccl. tom. 9. part. 4. tit. 38. num. 120.)*

Die 1. Mart. 1834.

Florentina.

Quatuor menses patronis laicis ad praesentandum praefiniti sunt, quibus elapsis, quin idoneum praesentaverint, vel si praesentatis sub conditione obtinendae dispensationis haec non fuerit intra quadrimestre impertita, irrita esset praesentatio et locus fieret devolutioni vel juri accrescendi seu non descrescendi favore illius compatroni, qui quadrimestri spatio rite praesentavit. *Vivian. de jurepatron. par. 2. lib. 5. cap. 2. num. 9, Pyrrhus Corradus Prax. benef. lib. 4. cap. 6, Piton. de controv. patron. alleg. 7. num. 9. 81. num. 3, de Luca de jurepatron. disc. 45. num. 2.*

Die 1. Martii 1834.

w) Ad vacatura beneficia non licet.

Vd. *Beneficium* (collatio beneficii non vacantis p. 398).

Caesenaten.

Nominatio de beneficio in posterum vacaturo improbatur a ss. ecclesiae canonibus, quia iniquum captandae mortis votum inducit, *text. in cap. 2. de concess. praeb.*

Die 23. Junii 1821.

x) Valida.

Vd. *Beneficium* (electio p. 546 d; collatio valida p. 503 etc.).

Camerinen.

Nominatum se dicit a majori parte patronorum: ergo valide nominatum esse concludit ex *Clement. 2. de jurepatronat.* et ex *cap. 3. et 27 eodem* cum *Devot. instit. can.* et aliis passim.

Nihil movet, a Petro absente probatam non fuisse nominationem. Advertit enim *Mascat. de elect. n. 10*: »Non sunt vocandi absentes, qui in tali loco existunt, unde commode vocari et venire non possunt.« Etiamsi vero alii fratres absentes votum neglexissent, adhuc tamen valida esset nominatio, ut idem *Mascat.* docet *loco citato* his verbis: »Si vero unus et alter sive minor pars quam tertia contempta fuit, electio jure subsistit, dummodo major pars absolute seu omnium jus suffragandi habentium in electum concurrat.

Die 31. Jan. 1835.

65) Officium praestandum.

Vd. *Beneficium* (erectionis causae p. 551 f.; finis p. 556. n. 51.).

Pisana.

Ex jure beneficia ecclesiastica erigenda esse in ecclesia ad aliquod altare sub invocatione alicujus Sancti cum onere praestandi ibi aliquod officium spirituale sive ecclesiasticum, ut post *text. in cap. 15. de rescript.*

in 6. ait *Ferrar.* in bliblioth. verb.: *Beneficium art. 2. num. 6.*

Die 14. Decbr. 1822.

66) Onera adjicienda.

Vd. *Beneficium* (adjici p. 353); 514. n. 30; 353.

67) Onera implenda.

Vd. *Commutat. ultimae voluntatis; p. 370. n. 15; p. 506. n. 27; 617. n. 63.*

Anagnina.

Conditiones et onera beneficiis injuncta religiose servari debent juxta Tridentinum *Sess. 25. de reform. cap. 5.* ibi: »*Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus qualitates aliquae requiruntur seu certa illis onera sint injuncta in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur.*

Die 10. Febr. 1702.

Asculana.

Regula juris est ultimas morientium voluntates esse stricte servandas, custodiendas et exequendas, nunquam vero commutandas prout frequentissimae sunt resolutiones sacrae Congregationis et in specie in *Taurinen. Commutationis voluntatis 20. Decembris 1732*, in *Florentina Commutationis voluntatis 15. Februarii 1747.* Nimia quippe facilitas in derogando ultimis testatorum voluntatibus efficere potest, ut viventes, qui id fieri vident de testamentis mortuorum, minus proni sint ad similes pias dispositiones ineundas, ut sapientissime advertit *Card. Petra in comment. tom. 3. ad constit. 7. Innocentii IV. num. 50.*, ubi etiam addit, idcirco expedire ne etiam in melius fiat commutatio, quando hujusmodi commutationi aperta, prout in hypothesi, resistit voluntas testatoris; et tradit *Piton. controvers. patron. allegat. 50. sub num. 2. et num. 9.* et *Rot. coram Rezzonico decis. 158. num. 3. et 4.*

Die 20. Jan. 1776.

Romana.

Voluntatem testatoris esse religiosissime observandam, *can. ult. 13. quaest. 2.*, *Clement.*: *Quia contingit 2. de relig. dom.* et respondit sacra Congregatio *in Romana seu Portuen. Commutationis voluntatis 20. Decembris 1732.*

Die 15. Mart. 1777.

Romana.

Defuncti voluntatem esse religiosissime servandam et exequendam juxta terminos *Auth. de Haered. et Falcid. in fin.* et *Auth. de nupt. §. Disponat.*, quos sequitur *Rota in Romana Haereditatis 6. Maji 1750. §. 2. coram. bon. mem. Canilliac.*

Die 30. Aug. 1777.

Fanen.

Voluntas fundatoris stricte custodienda est et religiose exequenda, ut saepius definivit haec sacra Congregatio et in specie in *Florentina Commutationis voluntatis 15. Februarii 1747*, idque ne viventes qui commutatas vident ultimas mortuorum voluntates retrahantur a piis ineundis dispositionibus, ut advertit *Card. Petra in comment. tom. 3. ad constit. 7. Innocentii IV. num. 50.*, ubi etiam addit expedire, ut neque in melius commutatio fiat, quando hujusmodi commutationi enixa et firma resistit voluntas testatoris, veluti firmant *Piton. controv. patron. alleg. 50. sub num. 2. et 9.* et *Rot. cor. Rezzonico decis. 158. n. 3. et seq.*

Die 18. Mart. 1780.

Nullius Quastalae.

Clemens V. in *Clementina: Quia contingit* de religiosis domibus statuit, quod »*Ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium salva quidem Sedis apostolicae auctoritate converti.*«

Die 10. Maji 1783.

Lunen. Sarzanen.

Statuit sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 4. de reform.* adimpleri debere pia missarum relicta, ut testatores voluerunt.

Die 15. Septbr. 1787.

Hiporegien.

Ex jure ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent non ad alium salva quidem Sedis apostolicae auctoritate converti, ut in *Clement: Quia contingit 2. de relig. domib.*, *Vital. in cit. Clement. num. 3.*, *Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 6. num. 86. et 110.*, *Perez. de Lar. de anniversar. lib. 1. num. 11.*, *Pignatell. consult. canon. 81. num. 78. tom. 9.*

Die 17. Septembr. 1791.

Novarien.

Beneficiorum voluntates, quantum fieri potest exequi debent, ut praecipit Tridentina synodus *sess. 22. cap. 6. de reform.*

Die 19. Jan. 1793.

Senogallien.

. . . Hortativa illa verba: *esortandolo a voler compiacersi di confessare*, veluti prolata in ultima voluntate, resolvuntur in praeceptum et obligationem inducunt, juxta *Ulpianum in Leg. si sic legatum 78. in princ. ff. de legat. 1.*, ne morientis scilicet desiderium, consilium vel preces inutiliter stare videantur, ut explicat *Voet. in pandect. lib. 36. tit. 1. §. 1.*

Die 20. Apr. 1798.

Firmana.

Juris naturalis et divini est servare, quod semel in fundatione beneficii statuere placuit, per *text. in leg. juris gentium §: Praetor ait, pacta servabo ff. de pact.*, *Piton. de contr. patronor. allegat. 50. num. 2.*

Die 21. Jun. 1794.

Civitatis Castellanae.

Stricte custodienda et religiose servanda est pia testatorum voluntas ne viventes, qui piis voluntatibus derogatum iri vident, a piis dispositionibus faciendis retrahantur ut *ad constit. 7. Innocen. IV.* monet *Card. Petra comment. tom. 3. num. 50.* Immo expedit neque in melius commutationem fieri, quando hujusmodi commutationi enixa et firma resistit testatoris voluntas, veluti firmant *Piton. controvers. patron. alleg. 50. n. 2.*, *Rota cor. Rezzonico dec. 158. n. 3.* et s. Congregatio *in Florentina Commutationis voluntatis 15. Februarii 1747.* et in *Fanen. Unionis 15. Aprilis 1780.*

Die 23. Jan. 1816.

Lucana.

Translatio voluntatis commutationem sapit cum repugnet voluntati fundatoris, qui tam graviter inculcavit celebrationem in oratorio sancti Bartholomaei, ex jure est, ut modis omnibus custodiatur suprema testatoris voluntas.

Sancte custodienda est testatorum voluntas.

Die 18. Jan. 1816.

Ravenaten.

Ea, quae largitione fidelium ad certum usum sint destinata, in alium converti nequeunt, ut *ex Clementina: Quia contingit de relig. domib.*, *Tondut. quaest. Benefic. par. 3. cap. 22. num. 23.*

Die 1. Mart. 1817.

Balneoregien.

Sancte custodienda est defunctorum voluntas. *Canon*: *Ultima voluntas quaest. 15*; idcirco commutationes voluntatum nonnisi *ex justa et necessaria causa fieri debent*, quemadmodum monet Trident. *s. 22. c. 6. de reform.*

Die 1. Mart. 1817.

Tiburtina.

Supremas defunctorum voluntates religiose esse servandas tum civile tum canonicum jus praescribunt nec illarum commutationem fieri posse nisi ex justa et necessaria causa statuit Trident. *s. 22. c. 6. de ref.*

Die 29. Mart. 1817.

Senogallien.

Defunctorum voluntates modis omnibus servandas esse decernit *Can. Ultima voluntas quaest. I.*

Die 12. Julii 1817.

Spoletana.

Sancte custodiendas esse defunctorum voluntates monet s. Gregorius P. in *Can. Ultima volunt. causa 13. quaest. 2.* et in *Clem. Quae contigit de Relig. dom.*

Die 29. Novemb. 1817.

Senogallien.

Supremas testatorum voluntates religiose servandas esse statuit *can. Ultima voluntas caus. 13. quaest. 2. Leg. 1. Cod. de ss. ecclesiis.*

Die 28. Jan. 1832.

Viterbien.

Supremae defunctorum voluntates sanctissime serventur, ex *can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2., L. 1. cod. de sacros. ecclesiis*; secus namque fideles sentientes mortuorum voluntatibus vulnus infligi a piis scribendis legatis facile abducerentur, s. Congr. in *Faventina Commutationis voluntatis 22. Februarii 1823 §: Et concinit*, et in *Senogallien. Reductionis missarum 30. Maji 1829. §: Verum.*

Die 24. Mart. 1832.

Januen.

Etsi supremas testatorum voluntates religiosissime servandas esse doceat *text. in can. ult. volunt. caus. 13. quaest. 12., L. 1. cod. de sacros. eccles.*, nihilominus ubi evidens occurrat ecclesiae necessitas aut utilitas animadvertendum est ex Tridentina synodo *sess. 22. cap. 6. de reform.* non modo voluntatum commutationi locum esse posse, sed missarum etiam reductionem ab hoc s. Ordine impertiri solere, ut probant exempla in *Taurinen. Absolutionis et reductionis 1. Martii 1817.* et in *Faventina Commutationis voluntatis, applicationis et sanationis 22. Februarii 1823.*

Die 19. Maji 1832.

Mutinen.

Suprema piorum fundatorum voluntas sanctissime servanda, ex *can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2., L. 1. cod. de sacros. ecclesiis*; secus namque fideles praesertim ubi res sit de piis missarum legatis sentientes mortuorum voluntatibus vulnus infligi ab ejusmodi legatis scribendis facile abducerentur, quemadmodum perpendit sac. Congr. in *Senogallien. Reductionis missarum 30. Maji 1829. §: Verum* et in *Viterbien. Reductionis 24. Martii hujus anni §: Nihil.*

Die 23. Junii 1832.

Aesina.

Missarum reductiones haud facile concedendas passim docet s. Congregatio; exinde enim non modo supremis fundatorum voluntatibus grave infligitur vulnus a quo tum pontificiae tum caesareae leges vehementer abhorrent, *Can. ult. volunt. 13. quaest. 2., Clement. de relig. domib., L. 1. cod. de sacros. eccles.*, *L. 120. ff. de verb. sign.*, sed manifestum quoque detrimentum ipsis fundatorum animabus infertur, quibus ex missae sacrificio uberius obvenit suffragium quam ex piis aliis quibuscumque oneribus, ceu tradit *Benedict. XIV. in syn. dioec. lib. 13. cap. ult. num. 23*, s. Congr. *in Jannuen. Commutationis voluntatis 25. Maji 1822. §: Ex adverso.*

Die 1. Sept. 1832.

Caven.

Supremas defunctorum voluntates, ubi respiciant animarum expiationem, religiose implendas esse cautum jure est, *Can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2. et Leg. 1. cod. de sacros. eccles.*

Die 24. Novbr. 1832.

Eugubina.

Ab iis recedere non licet, quae per apostolicas literas et per fundationis legem constituta sunt, ut aperte patet ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 7. de reformatione* et *Fagnano in cap. conquerente n. 24. de cleric. non resident.*, quumque nemo invitus possit suo jure privari, text. in *Leg. Qui Romae §: Flavius de V. O. L. Quoties cod. de donat. quae sub modo*, et gratiae ac privilegia juri alterius detrimentum inferre non debeant; *cap. super de potest. et off. Judic. deleg.* et *cap.: Si quando de rescript.*

Die 21. Febr. 1835.

68) Ab oneribus implendis dispensatio.

Vd. *Missa* (reductio, suspensio); *Anniversarium* (reductio t. I. p. 536.); *Beneficiatus infirm.* (t. I. p. 154.); *p. 164. n. 21. etc.*

69) Onus novum adjici potestne?

Vd. *p. 353. etc.*

70) Origo.

Vd. *supra p. 135. §. Haec quidem etc.*

Cum primo ecclesiae tempore clerici ex collatis fidelium eleemosynis communi mensa omnes alerentur, hinc est, quod beneficia ex solis distributionibus constare visa sunt, *Thomass. de vet. et nova eccles. disciplina part. 3. lib. 2. cap. 35.* Verum secuta ex post bonorum divisione et unicuique beneficio suis peculiaribus fundis assignatis secerni ceperunt fructus praebendarum et distributionum, ut ecclesiastici hoc praemio adlecti frequentius ad ecclesiae servitium convenirent. Primus omnium, qui hujusmodi distributiones excogitavit fuit Ivo Carnotensis, prout habetur in ejus epistola 219, in qua legitur: *Cum in quampluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinae regularis observantia ut de negligentibus facerem diligentes, de tardis assiduos ad frequentandas horas canonicas, deliberavi apud me, ut darem eis dimidiam praepositaram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi.*

71) Patrimonii familiaris loco esse potestne?

Nullitatis substitutionis patrimonii sacri.

Petrus N. ad majores ss. ordines fuerat promotus titulo patrimonii ab ejus patre et avunculo constituti; sacerdotio initiatus ab Episcopo beneficium quoddam obtinuit quod olim parochiale, postea paroeciis in ea regione suppressis vicariale evasit et amovibile ad nutum Episcopi.

Justis de causis deinde ab Episcopo petiit, ut dictum beneficium loco familiaris patrimonii substitueretur; atque decretum a curia fuit emissum die 11. Augusti 1858, quo substitutio facta est, adjecta quoque clausula, qua curia sibi reservabat prospicere juxta ss. canones ob amovibilitatem ejusdem beneficii.

Petrus, eo beneficio in titulum habito, suis curis et impensis extraordinariis ejus redditus auxit.

Vertente anno 1863, quum ad aures Episcopi nonnulla pervenerint, quae Petri mores nominisque aestimationem laederent, Episcopus eidem suasit, ut vicariali illi muneri renunciaret, ne si processus fieret ejus fama periculo exponeretur.

Petrus Episcopi suasionibus obedit et beneficium resignavit; ne vero absque ordinationis titulo remaneret, petiit, ut de eodem beneficio pensio annua assignaretur flor. 130: Beneficium enim illud ex extraordinariis instaurationibus factis reddit modo flor. 489 quotannis.

Sui voti compos aliqua ratione factus est Petrus: namque, emisso decreto, concessa ei est de dicto beneficio interim annua pensio flor. 105: tamen fuit adjectum, ut pensio haec tamquam aerarialis, uti vocant, eidem conferretur, hisce verbis: *ut jus percipiendi dictos annuos florenos 105 ejusdem indolis sit habendum ac haberi practice solet jus ex titulo patrimonii aerarialis: quamobrem Petrus exigere non poterit dictam pensionem, sive in toto sive in parte, nisi per declarationem ab hac curia emittendam de trimestri in trimestre tempus.*

Res ita processerunt usque ad annum 1867. Hoc enim tempore Josephus, qui illi beneficio suffectus fuerat, aegre ferens dictae pensionis annuae gravamen, Episcopo supplicavit, ut ab ea liberaretur: idque petiit ea praesertim de causa, quod Petrus, in alia urbe commorans et cuidam collegio ad docendum addictus, redditus perciperet quotannis libell. 777 praeter victum et habitationem.

Ejus precibus haud indulsit Episcopus: attamen sequenti anno quum Josephus id instantius efflagitaret, ut saltem ab illa pensione solvenda interim liberaretur, usque dum scilicet magistri munere in dicto collegio Petrus fungeretur, die 8. Martii 1868 decretum obtinuit, quo interim ab ea solvenda pensione liberatus est.

At vero id aegre tulit Petrus; atque ideo s. Sedi preces porrexit, quibus petiit, tum ut subrogatio facta patrimonii sacri die 11. Augusti 1858 irregularis declararetur, tum ut infirmaretur decretum, quo privabatur consueta perceptione pensionis.

Servatis servandis duo dubia S. C. C. fuerunt proposita, quae in calce prostant.

Defensio Curiae.

Ad primum quod spectat dubium, allegata est *Notificat. 6. n. 2.* Prosperi Lambertini seu Benedicti XIV., cujus notificationis verba sic latine sonant: »in dictis terminis (*necessitatis et utilitatis ecclesiae*) admittent ordinationis titulo etiam officiaturam seu capellaniam amovibilem, dummodo sufficiens sit juxta synodalem taxam atque dummodo ille, qui jus habet nominandi, nostra auctoritate (*episcopali*) obligetur ad non amovendum, qui nominatus fuerit usque dum hic vivat, vel usque dum vivere alia ratione potuerit, idest sive ratione beneficii sive patrimonii, et dummodo detur idoneus fideijussor, qui

sese obliget ad alendum ordinatum, si hic impediatur aut non possit missam celebrare:« contendit curia, praebendam etsi vicarialem atque amovibilem constitui optime posse in ordinationis titulum, si necessitas atque ecclesiae utilitas id suadeant: eo vel magis id locum habere, si accedat Ordinarii cautio de suo supplendi: dubium autem non esse, in ea dioecesi dictam necessitatem et utilitatem dari, quippe quum omnes fere, qui sacerdotio initiarentur, pauperes essent et presbyterorum penuria eadem dioecesis maximopere laboraret.

Quod si Petro adsignata fuerit pensio quantitate minor, quam postulasset, id non sine ratione factum esse: eum enim ita vicariae illi renunciasse, ut dicendus sit potius ab ea remotus, quum vitam nimis liberam traduceret: instaurationes beneficio a se sponte factas eidem beneficio cedere, non autem beneficiario: contra vero, quum de pensione in ecclesiastico beneficio imponenda agitur, de gravamine agitur, quod minimum, quantum fieri possit, esse debet, existente lege, *ut beneficia sine diminutione conferantur;* eam ideoque impositam fuisse pensionem, quae adamussim responderet synodali taxae.

Ceterum Petrum fuisse, qui substitutionem patrimonii familiaris in illud beneficium postulaverit, eundemque postulasse deinde pensionem, qua adsignata per longum temporis spatium siluit; nemini autem licere contra factum proprium insurgere.

Quoad secundum dubium ex parte curiae animadversum est, eam pensionem adsignatam fuisse Petro tamquam *aerarialem*, id est quae ejus indolem praeseferret, quam practice praesefert jus inhaerens titulo patrimonii aerarialis: eam autem esse indolem aerarialis patrimonii, ut si quando presbyter aliunde habet quomodo sustentari congrue possit gubernium pensionem subtrahat: neque reprobatum exsistere ejusmodi titulum; immo eodem titulo uti solere omnes Episcopos illius provinciae, ad quam curia, de qua agimus, pertineret.

Hisce autem positis duo esse distinguenda, id est *factum perceptionis* pensionis et *jus* seu *titulum* percipiendi: per decretum suspensam fuisse quidem perceptionem pensionis at titulum mansisse immotum, ita ut, si Petrus tandem non haberet aliunde unde vivere congrue posset eadem pensio rependenda eidem esset. Quum autem Petrus aliunde nunc congrue viveret, deesse rationem, cur eidem ea adsignata reddituum quantitas pensitanda foret.

Jura Petri.

Hic e converso initio condendit irregularem fuisse substitutionem patrimonii familiaris in beneficium ad nutum amovibile. Ad normam enim ss. canonum titulum sacrae ordinationis esse debere natura sua perpetuum ceu communiter tradunt sacrorum canonum expositores; atqui vicariam patrimonio substitutam talem non fuisse.

Praeterea admissa uti legitima ea dicta substitutione contendit Petrus, sine ulla causa petitam de beneficio dimisso pensionem fuisse imminutam: in comperto enim esse, beneficium illud curis impensisque extraordinariis ex proprio censu factis conditionem immutasse adeo, ut ex florenis 359 quos antea tantum redderet nunc florenos 489 tribueret, quod si exploratum sit in jure meliorationes in fundo alieno factas fundo ipsi cedere non minus exploratum esse principium neminem locupletari debere cum aliena jactura: unde merito canonistas cum Rodoano *de reb. eccles. non alien. q. 17.* tradere impensas et meliorationes, quae fiant in rebus ecclesiae quaeque faciant res majoris valoris, quem non habuerint tempore concessionis, non debere esse sine aliqua consideratione, quum factae sint ut plurimum cum impensa industria, labore et temporis jactura beneficiarii: se autem impendisse inquiebat in illud vicariale beneficium florenos 2450.

Quoad secundum dubium contendit curiae decretum quod perceptionem adsignatae pensionis suspendit esse infirmandum, certum namque esse, neminem privari posse ecclesiastico beneficio etsi amovibili sine rationabili causa: ergo, nulla praehabita rationabili causa, neminem privari posse pensione de beneficio aliquo rependenda; quippe quum certum sit pensionem adsignatam supra beneficium loco beneficii cedere ejusdemque beneficii regulas sequi: Garzias *de benef. cap. 5. n. 121.*

Neque suffragari posse curiae distinctionem inter *jus* percipiendi pensionem et *factum* perceptionis; quum haec subtilis distinctio ss. canonibus non sit conformis. Namque quum pensio non sit aliud nisi beneficii pars quumque beneficium non sit aliud nisi *jus*

percipiendi fructus etc. eum destitutum jure pensionis esse dicendum, qui actu pensionem percipere legitime prohibeatur: intime scilicet cohaerere juxta ss. canonum doctrinam jus percipiendi cum facto perceptionis.

Praeter haec et alia utrimque adducta nonnulla adjiciebantur ex officio circa doctrinam de titulo s. ordinationis. Animadversum scilicet est ignotum fuisse in veteri ecclesiae disciplina titulum familiaris patrimonii, quo nunc ecclesia utitur: namque juxta veterem disciplinam neminem sacris ordinibus initiari potuisse, nisi alicui ecclesiae esset adscriptus, ex cujus proventibus congrua alimenta perciperet. Patrimonii familiaris titulum tum invalescere incepisse, quum in Lateranensi Concilio sub Alexandro III. statutum sit: »*Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tandiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ecclesia convenientia ei stipendia militiae clericalis assignet, nisi forte talis qui ordinetur exstiterit, qui de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere*:« prout legitur in cap. *Episcopus de Praebend.*

Hoc ipsum confirmasse Trid. Concilium, ut videre est in *cap. 2. sess. 23. de Refor.* Hisce autem legibus positis ss. canonum expositores solere inferre, titulum patrimonii vel pensionis subsidiarium dumtaxat esse; maxime post allegatam Tridentinam dispositionem, quum ob eam sublata censeatur ea indifferens facultas in cap.: *Tuis, de praebend.* concessa, qua quisque ordinari antea aeque potuisset, sive ad titulum patrimonii sive beneficii.

De titulo autem patrimonii in canonica disciplina statutum probatumque esse, ut illud in bonis stabilibus et frugiferis constitueretur, non autem tamquam legitimum patrimonium haberetur illud, quod consistat in proventibus ex ingenio ac industria Ordinandorum; de qua re, proposito dubio coram S. C. C. *in Seguntina ss. Ordinum*, anno 1589 mense Octobri, his verbis: »Si quis tantum habeat quod ex industria vel honesto labore lucratur, puta, quod sit musicus, magister grammaticae, pictor, scriptor aut alterius licitae professionis, idque sit sufficiens ad sustentationem vitae, poteritne promoveri?« S. C. respondit: *Negative* (l. 11 Decret. pag. 53.).

Nec in bonis mobilibus et se moventibus patrimonium consistere regulariter posse, ut traditur in *Monopolitana* 18. Novemb. 1769 §. *Patrimonium*, ut explicatur apud Riganti *ad reg. 24. cancellariae* §. *5. n. 119. et seqq.* Tum autem in bonis mobilibus constitui posse patrimonium, quum haec bona mobilia immobilibus merito aequiparentur.

Reperiri quidem inter ordinationis titulos demandatum capellani munus, census perpetuos; sed quando id exigat necessitas vel ecclesiae utilitas, atque ita, ut, si agatur de amovibili capellani munere, cujus redditus synodalem taxam exaequet, ille, qui jus nominandi habeat, fidem suam, interveniente Episcopi auctoritate, praestet eum, qui nominatus fuerit, mansurum donec vita hic fungatur, juxta ea quae scripta quoque leguntur in allegata *Institutione* 26. Prosperi Lambertini seu Benedicti XIV.

Hisce itaque animadversis proposita sunt resolvenda dubia:

I. An et quomodo subrogatio patrimonii sacri ab Episcopo facta die 11. Augusti 1858 adprobanda sit in casu?

Et quatenus affirmative,

II. An Decretum ab Episcopo latum die 8. Martii 1868 sustineatur in casu?

Resolutio. S. Congregatio Concilii die 4. Septembris 1869 respondere censuit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Non esse dubium, Episcopi auctoritate subrogari posse beneficium ecclesiasticum loco patrimonii familiaris.

II. Neque dubium pariter esse, beneficium ad nutum Episcopi amovibile auctoritate ejusdem posse constitui in titulum s. ordinationis.

III. Collatio enim beneficii amovibilis, ab auctoritate episcopali libere absoluteque facta alicui in titulum s. ordinationis, eo ipso naturam induere videtur illius perpetuitatis, quae cohaerere debet cum dicto titulo.

IV. Nec dubium esse, congruam pensionem de beneficio ecclesiastico collatam esse posse titulum s. ordinationis.

V. Immo tum beneficium amovibile tum pensionem sub conditione sive implicita sive explicita posse conferri in titulum s. ordinationis, ut utrumque tale esse cesset, si

alium legitimum substituendum titulum Ordinatus consequatur.

VI. Non posse tamen legitimum s. ordinationis titulum sub conditione conferri, ut cesset aut suspensus maneat, quin alius titulus legitimus rite substituatur.

VII. Eamque conditionem, si adjecta aliquo modo fuerit, tamquam non adjectam censeri.

VIII. Neque constituere legitimum s. ordinationis titulum proventus industriales.

IX. In praesenti themate triplicem factam fuisse tituli substitutionem: primam patrimonii in beneficium; secundam beneficii in pensionem; tertiam pensionis in proventus industriales, quamquam haec tertia ad tempus facta fuerit.

X. S. Congregationem admisisse primam et secundam; reprobasse vero tertiam.

72) Pensio est beneficium.

Vd. *p. 729. n. IV.*

Vocatur interdum pensio, quae est jus percipiendi partem fructuum ex alieno beneficio, et si confertur alicui in titulum perpetuum est verum beneficium ecclesiasticum: *cap.: Conquerente 6. de clerico non residente*, ubi talis pensio viginti scilicet solidorum saepius appellatur beneficium et ut tale ibidem censetur. Et appellatione beneficii venire pensionem maxime in materia favorabili gaudendi privilegio fori ecclesiastici declaravit *Gregorius XIII. ad consultationem sac. Congreg. 18. Decembr. 1576.* et *8. Augusti 1577.*

73) Permutatio simoniaca.

Vd. *Benef.* (collatio simoniaca p. 443.); p. 617. n. 63.

74) Perpetuum esse debet.

Vd. *t. I. p. 525. n. 4.*; supra *p. 394. n. 2.*; *p. 729. n. 3.*; *730. n. 6. 8.*

Anagnina.

Vicaria *perpetua* vere est beneficium ad text. in *cap.: Postulari de rescript.*, beneficia autem debere esse perpetua patet ex *cap.: Sanctorum 2. dist. 70. Glossa et DD. in cap. fin. de tempore Ordinat. in 6.*, *Rebuff. tit. de Vicar. perpet. n. 15.*

Die 21. Julii 1832.

Legatum natura sua perpetuum est nisi a testatoris cognita voluntate argumenta deutur temporaneitatis, *Rota in Romana Legati super capitalibus Venetiarum 20. Januarii 1758. §. 9. cor. bon. mem. Canilliac.*

Adeo verum argumenta hujusmodi quae temporaneitatem praeseferant deesse, quod imo causae piae favor duo praesertim efficiat: nimirum, ut in benigniorem latioremque sensum accipienda verba sint atque sub haeredis nomine nedum primus sed haeredes quoque veniant ulteriores, nisi clara in oppositum testatoris voluntas eluscescat. *Card. Petra ad constit. 10. Innocentii 3. sect. 3. num. 44. tom. 2. pag. mihi 323.*, *Amostat. de caus. piis lib. 1. cap. 13. num. 10. et 17.*, *Rota in Romana Legatorum et eleemosynarum 5. Maji 1755. §. 11. cor. clar. mem. Card. Caprara.*

De perpetuitatis sive temporaneitatis quaestione actum saepe fuit in sacra Congregatione.

In Urbanien. Legati 14. Junii 1704. testator scripserat: »*Voluit, quod infrascripti haeredes teneantur celebrare facere missam unam qualibet hebdomada. Amplius voluit, quod teneantur VV. haeredes quolibet anno in perpetuum celebrare facere in dicta ecclesia festum s. Antonii cum duodecim missis ad minus: quod si non fecerint, rector plebis facere teneatur et postea gravare VV. haeredes et successores*; proposito idcirco dubio: *An onus missae pro qualibet hebdomada injunctum in primo ex praedictis legatis sit perpetuum, vel potius expiraverit per obitum haeredum institutorum?* rescriptum fuit: *Affirmative quoad primam partem et negative quoad secundam,* ut in lib. 54. decret. p. 237.

In *Camerinen. Legatorum 21. Junii 1721.* Petrus Gentilis Berardi Eufrasiam uxorem instituens sic legaverat: »*Ordina e commanda, che l' infràscritta sua erede sia tenuta e obligata fare ogni anno l' officio nella festa di s. Pietro nella detta chiesa e capella con quel numero di messe, che potra avere in detto giorno di s. Pietro.*« Deinde Eufrasia instituto secundo viro Carolo Piccinini ita mandavit: »*Item lascia un officio l' anno di dieci messe per l' anima sua durante la vita del sig. Carlo nella detta chiesa di s. Francesco de Minori conventuali. Item lascia un' officio l' anno di dieci messe per l' anima de signor Pier Gentile Barardi da farsi nella sopradetta chiesa di s. Francesco.*«

Duobus ideo propositis dubiis, scilicet:

I. *An legatum Petri Gentilis sit perpetuum?*

II. *An legatum Eufrasiae sit perpetuum?*

Sacra Congregatio respondit

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Legatum pro anima Eufrasiae esse temporale et perpetuum pro anima Petri Gentilis.*

In *Civitatis Castellanae 28. Augusti 1723.* Martha haeredibus legatum imposuit: »*Item jure legati etc. mandavit per infrascriptos ejus haeredes celebrari fieri quolibet anno in perpetuum missas duodecim, nempe unam qualibet mense in altari ssmi Salvatoris pro salute animae suae et suorum praedecessorum*«; quaesitum fuit de legati temporaneitate ad vitam haeredum seu perpetuitate et sacra Congregatio judicavit: fuisse perpetuum.

In Montis Falisci 18. Novembris 1724. Dominicus Gentilis institutis filio et nepote mandavit his verbis: *Quod infrascripti ejus haeredes statim post obitum ipsius teneantur dispensare et dare omnia ejus vestimenta pauperibus etc. et similiter teneantur annuatim celebrari facere unum anniversarium et missas annuales in dicta ecclesia s. Petri etc.* Cumque proposita fuissent quinque dubia, quaerebatur: *An onus anniversarii et missarum annualium sit perpetuum vel temporale ad vitam haeredum testamentariorum?* eidem rescriptum est: *Negative ad primam partem et affirmative ad secundam et in reliquis satis provisum in primo.*

Pro similium legatorum perpetuitate respondit in *Romana Legati 10. Januarii 1733*, *in Ravenaten. 14. Novembris dicti anni* et in *Caesenaten. Onerum missarum 10. Martii 1738.*

Die 9. Julii 1785.

75) Personale.

Vd. p. 522. III.

76) Plura possidentes.

Vd. *t. II. p. 137.*; *Beneficium incompatibile pag. 590. etc.*

a) Consuetudo circa possessionem plur. beneficiorum.

Non valet pro excusatione adducere pene universalem consuetudinem, quia ut passim fatentur doctores consuetudo in contrarium etiam immemorabilis non excusat coram Deo retinentes plura beneficia, quorum unum ad honestam eorum sustentationem sufficit. Talis enim consuetudo esset irrationabilis, utpote contraria juri naturae, essetque nutritiva peccati, cum inducat vagationis, ambitionis et avaritiae materiam et nimis diminuat divinum cultum per exclusionem plurium personarum, quae pluries legerent missas, pluries horas canonicas recitarent et pluries choro seu ecclesiae assisterent, ubi unus solus pluribus cumulatus beneficiis nonnisi semel horas canonicas recitaret, missam legeret etc. Insuper esset talis consuetudo eversiva intentionis fundatorum, qui quia voluerunt esse plures in ecclesia ministros plura fundarunt beneficia et plurima alia absurda et inconvenientia induceret unacum tantis incommodis et damnis ecclesiarum ad longum enumeratis in *Extravagant. Joann. XXII. incip. Execrabilis de praebend. relat. etiam inter communes eodem titul.* Unde de simili consuetudine sic merito statuitur in *cap.: 1. de consuetudine in 6.: Consuetudinem, quam in vestra ecclesia asservatam asseritis tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit . . . corruptelam (cum sacris sit inimica canonibus et de ambitionis radice processerit) merito reputantes eam auctoritate apostolica reprobamus*, et sic cum potius sit corruptela et sit causa tantorum malorum, nullo unquam tempore induci poterit; *cap.: Cum venerabilis 7.*, *cap.: Cum ex parte 10.* et *cap.: Cum tanto 11. de consuetudine.* Ita expresse tenet *Abbas in cap.: Quia in tantum 5. de praebend. n. 2.* et fusius *in cap.: Extirpandae consuetudinis 30. §: Qui vero de praebend. num. 36.*, ubi optimis rationibus concludit consuetudinem obtinendi plura beneficia simplicia etiam personalem residentiam non requirentia, si unum sit sufficiens ad honestam beneficiati sustentationem, esse corruptelam et irrationabilem et ideo impraescriptibilem. Et videtur ex mente *s. Thomae quodlibet 9. art. 15.*, dum dicit jura antiqua prohibentia pluralitatem praebendarum continere jus naturale et ideo non posse per contrariam consuetudinem abrogari. Idemque tenet *Fagnan. in c.: Quia in tantum 5. de praebend. num. 17. et 19.*, *Alphonsus Hojeda tractatuum tom. 15. part. 1. tract. de incompatibilitate benefic. cap. 19. num. 9.*, *Parisius lib. 5. de resignat. benefic. quaest. 6. num. 115. et seq.*, *Piasecius in praxi episcopali part. 2. cap. 5. art. 3. num. 83.*,

Barbosa part. 3. de offic. et potest. Episcop. allegat. 62. num. 9. asserens cum multis, quod opposita consuetudo sit contraria juri naturali neque excuset a peccato mortali poenisque aeternis licet excusari possit a poenis temporalibus. Divus *Antoninus 2. part. tit. 3. cap. 1., Tiraquel. de poenis temp. cap. 42. num. 4. et sequent., Pirhing. lib. 3. titul. 5. de praebend. m. 127., Reiffenstuel. eodem lib. et titulo num. 215., Sannig. eodem lib. et titulo cap. 2. num. 1., Garzias de beneficiis part. 11. cap. 5. num. 270., Bertach. verb. Beneficiorum sufficientia; Bossius in suis moralibus tom. 1. de beneficiis titul. 7. §. 1. num. 31.*, ubi dicit quod retinere plura beneficia cum unum est sufficiens ad commodam sustentationem repugnat rationi naturali et rationi naturali simpliciter non potest derogari per consuetudinem. Et sic plurimi alii cum *annotat. ad dec. 254. num. 240. et sequent. part. 9. tom. 1. Rotae romanae.*

Maceraten.

In jure ecclesiastico tum generatim pluralitas beneficiorum improbatur tum speciatim, praecipue si beneficia sint residentialia, *cap. Reverente 7.* et *cap.: Praeterea de praeb. et dignit., Concilium Trid. sess. 24. c. 7. de reformat.*, et de beneficiis ob residentiam incompatibilibus *Rigant. in reg. 7. cancell. §. 8. num. 28.* opportune monet, quod »*Adeo fortis est incompatibilitas, quae oritur ob residentiam requisitam in utroque beneficio, ut nullo modo admittatur contraria consuetudo retinendi duo beneficia si incompatibilia absque apostolica dispensatione. Cum enim aliquando praetensum fuerit talem vigere consuetudinem in Germania Rota semper improbavit.*

Die 20. Novbr. 1824.

Florentina.

Post primam de qua in praecedentibus comitiis alteram etiam quaestionem Archiepiscopus Florentinus literis 7. Martii 1860 H. S. O. resolvendam proposuit, quam licet ex peculiari casu exortam ad nonnulla generaliora dubia idem Antistes ampliavit, quae Emmis Patribus dirimenda subjecit.

Speciem afferam de qua in dicto casu. Sacerdos quidam Antonius Forrigiani rector cujusdam choralis capellaniae in metropolitana ecclesia Florentina canonicatum obtinuit in insigni collegiata ecclesia s. Laurentii ejusdem Florentinae civitatis et licet mense Martio 1860 praeterlapsi jam fuissent duo menses a pacifica canonicatus possessione capellaniam nihilominus non dimisit nec se eamdem dimissurum indigitabat. Hujusmodi exempli occasionem nactus Archiepiscopus sequentia retulit: Quantunque ai capellani della Metropolitana, come anche di alcune Collegiate della dioecesi sia concesso servire mercè di un sostituto, pur non ostante anche in questo caso secondo una decisione di codesta s. Congregazione dei 9. Novembre 1619 riportata dal *Ferraris v.: Capellania n. 48.*, non pare che sia consentito di ritenere allo stesso tempo anche un canonicato o una parrocchia a cagione della incompatibilità. Gli è bensi vero che sebbene non ci sia esempio, per quanto io sappia di un caso perfettamente eguale a quello del Forrigiani, pur mondimeno ve ne sono in questa dioecesi non pochi de' simili, essendo passato in consuetudine, che capellani corali di Collegiate, o eziandio della Metropolitana sieno anche parochi, e tal volta e avvenuto che alcuno è stato a un tempo e capellano di una Collegiata e Canonico o capellano della Metropolitana. Dubis:

1) Se questa consuetudine s'abbia a stimar legitima od abusiva.

2) Postochè sia abusiva, se possa tollerarsi almeno in quelli che ormai ne profittarono fiu qui in buona fede.

3) Se questa tolleranza debba estendersi al caso recentissimo e in parte nuovo del sacerdote Forrigiani.

Seposito paulisper casu sacerdotis Forrigiani, de quo inferius agam, generaliorem quaestionem pertractandam assumam super allata consuetudine, quam ad tres in specie differentes casus Archiepiscopus coarctat. Occurrit enim, ut ipse Praesul ait, morem invaluisse in dioecesi Florentina, ut aliquando unus idemque clericus eodem tempore reperiatur

1) Capellanus choralis in ecclesia collegiata vel metropolitana et parochus in alia ecclesia;

2) Capellanus choralis in ecclesia collegiata et Canonicus in metropolitana;

3) Capellanus choralis in ecclesia collegiata et item capellanus in metropolitana.

Nullum profecto dubium in propositis exemplis nullatenus agi de capellaniis laicalibus vel a nutum amovibilibus, quae proinde legibus beneficialibus non subjacent, ceu tradunt *Fagnan. in cap.: Ad Audientiam n. 120. de rescriptis;* sacr. Congr. in *Montis Alti 26. Febr. 1826;* sed potius rem esse de capellaniis ecclesiasticis choralibus, ut habet Archiepiscopus, quae beneficio aequiparantur,*) *Lotter. de re benef. lib. 1. q. 3*, quippe quae proprie beneficia dici valent et nonnisi nomine a beneficiis differunt, *Lotter. loc. cit. n. 9, Reiffenstuel l. 3. decr. t. 5. n. 71, Amostaz. de caus. piis lib. 3. c. 1. n. 7;* sacr. Congregatio passim, sed prae aliis inter recentiores in *Camerinen. 15. Martii 1828* et in *Firmana 18. Febr. 1832.* Et ex his merito statui posse videtur, quaestionem ab Archiepiscopo promotam versari circa capellanias, in quibus locum obtinere debeat quidquid in jure statutum est quoad beneficia ecclesiastica; laudatus *Amostazo loc. cit. c. 3. n. 1;* minime idcirco his sanctionibus exclusis, quibus utimur in pluralitate compatibilium vel incompatibilium beneficiorum examinanda.

Neminem profecto latet praeter alias distinctiones in beneficiis fieri solitas eam pariter obtinere, qua nonnulla beneficia compatibilia dicuntur et alia incompatibilia, ex quo vetita beneficiorum pluralitas. Prima quidem seu compatibilia ea sunt quae in una eademque persona non contrariantur, sed ab eodem clerico administrari possunt. Alia e contra incompatibilia perhibentur, quae ita contrariantur in una eademque persona, ut simul haberi nequeant. Porro ista incompatibilitas duplici ex capite ortum habet:

1. Ex *residentia continua*, dum utrumque beneficium continuae residentiae lege obstringitur, sive jure divino sive jure ecclesiastico sive ex jure speciali fundatoris.

2. Ex *honesta seu congrua sustentatione*, quae ex uno tantum beneficio obveniat clerico, licet alioquin clericus utrique beneficio satisfacere posset. Concil. Trid. *sess. 24. cap. 17. de refor., Maschat. Instit. canon. lib. 3. tit. 5. numer. 27.* At in casu de veris beneficiis seu capellaniis ecclesiasticis agitur, ut ex superius adnotatis palam colligitur, imo ambigendum non esse videtur de hujusmodi beneficiis seu capellaniis quaestionem esse quae et residentiae legem secumferant et officium habeant non commune vel quovis in loco libere adimplendum, sed proprium et peculiare in determinata ecclesia locoque exolvendum. Spectata siquidem earumdem capellaniarum natura et officio, quae ex Archiepiscopi literis chorales renunciantur, minime dubitari posse videretur, easdem nullatenus inter simplicia beneficia esse recensendas sed inter residentialia, ideoque incompatibiles esse cum canonicatu vel alio quovis beneficio residentiali, *Garzias de benef. p. 2. c. 3. n. 243, Barbosa in summ. apostolic. decis.* v.: *Capellaniae num. 2; Antonelli de reg. eccles. lib. 3. c. 3. num. 6, Pitonius de contr. patr. alleg. 27. n. 5. et seq. et n. 15*, qui ex praefatis auctoribus et Fagnano praesertim in *cap.: Ut Abbates de aet., qualit. et ordin. praefic. num. 93.* quamplurimas affert in hunc sensum hujus sacrae Congregationis resolutiones inter antiquas. Et revera, ut *loc. cit.* habet *Fagnanus*, cum dubitatum aliquando fuerit:

An capellaniae, quibus incumbit onus in choro inserviendi, sint compatibiles cum canonicatibus et parochialibus?

Sacra Congregatio censuit: Non esse compatibiles, etsi earumdem capellanis liceret inservire per substitutum. Quod etiam traditum a *Riganti Comment. in reg. cancell. reg. 1. §. 8. n. 25. et 26.* et constanter ab hoc sacro Ordine decretum apparet in recentioribus resolutionibus quae in thesauro reperiuntur; quas inter nuperrimam hic recolam, quam Emtiae Vestrae ediderunt in una *Montisfalisci Capellaniae 29. Nov. prox. praet. anni*, in qua, cum super jure consequendae capellaniae, cui onus inerat inserviendi choro, disputaretur inter Innocentium Damiani nondum clericum et Alexandrum Corradi Canonicum collegiatae ecclesiae Valentani, rescriptum equidem est: Favore Canonici Corradi, addita tamen clausula: vacante canonicatu per assumptionem capellaniae ad formam juris.

Equidem praefata incompatibilitas etiam in beneficiis residentialibus limitari solet in casibus, in quibus docetur beneficia residentialia in diversis ecclesiis existere, et non incompatibilem exigere residentiam, cui possit satisfieri residendo in singulis ecclesiis praescriptis mensibus; *Reiffenstuel: Jus canon. lib. 3. t. 5. num. 229; Schmalzgruber lib. 3. t. 5. n. 84; Mascat. loc. cit. n. 18.* Attamen ad effectum compatibilitatis in hujusmod casibus admittendae animadvertendum ul

*) Vd. *p. 524. n. 43.*

terius est ad qualitatem et conditiones residentiae, quae in peculiaribus tum juris tum hominis dispositionibus injungitur. Enimvero ex recepta canonistarum doctrina *Gonsalez ad reg. 8. canc.**) *Glos. 15. num. 21, Riganti loc. cit. n. 12. et seq.* tres solent residentiae species distingui: **) Prima nempe audit *continua,* simplex et praecisa, sub poena privationis beneficii, si beneficiatus non resideat.

Secunda *discontinua* quae residentiae legem importat in certis diebus et horis. Tertia tandem *continua at non praecisa* sed tantum *causativa* sub poena privationis fructuum.

Jam vero ex diversis hujusmodi residentiae speciebus nemo ibit inficias, residentiam illam, quae continua, simplex et praecisa in aliquo beneficio requiritur, incompatibilitatem inducere cum alio residentiali beneficio. Contrarium docetur de residentia continua quae tamen causativa tantum sit respectu ad fructuum privationem, qua super re apprime conferunt resolutiones huj. sac. Ordinis in *Ferrarien. Capellaniae 27. Januarii et 3. Martii 1703*, in qua cum ageretur de capellania exigente residentiam non praecisam sed tantum causativam proposito dubio:

An capellania de qua agitur sit praecise residentialis, ita ut sit imcompatibilis cum alio beneficio residentiali seu parochia?

Emmi Patres responderunt: Negative. Et in alia *Ferrarien. Capellaniae 26. Martii 1707*, in qua cum dubitaretur: *An capellaniae Ferrarini residentia foret praecisa vel causativa tantum ad effectum inducendae non incompatibilitatis cum mansionaria?*

Responsum prodiit: Esse residentialem causative tantum. Nec aliter judicandum videtur de residentia discontinua ea nempe quae dumtaxat temporibus coarctatur, quaeque propterea incompatibilitatem non induceret quoties onus residentiae, ut jam innui, distinctis mensibus adimpleri valeret. Quod tamen omnino limitandum foret ad casus, in quibus eadem discontinua residentia utrique beneficio inhaereret, secus enim ambo beneficia forent iterum incompatibilia, si unum beneficium expostularet residentiam praecisam et alterum discontinuam; *Riganti loc. cit. num. 14. et 15*, sac. Congregatio in *Rossanen. Participationis 22. Febr. 1845*, in qua proposito dubio:

Utrum quidem parochi redintegrandi forent at participationem cujusdam portionis in Cathedrali interessentibus concedi solitae, a qua ob incompatibilitatem parochialis cum eadem participatione dejecti fuerant?

Responsum prodiit: Negative in omnibus. Quibus positis cum nullatenus in facto demonstretur capellanias de quibus in themate residentiam solummodo causativam, vel etiam discontinuam praeseferre et certum aliunde sit tum canonicatus tum Parochiales continuam simplicem et praecisam residentiam importare, non immerito colligendum videretur easdem capellanias tum cum canonicatibus tum cum Parochialibus esse incompatibiles. Quam etiam incompatibilitatem iterum statuendam fore arbitrandum esset inter binas capellanias, cum eaedem renunciatae sint ab Archiepiscopo tamquam capellaniae simpliciter chorales, absque ullo indicio de residentia tantum causativa vel discontinua de qua superius.

Porro animadvertit Archiepiscopus capellanis nonnullarum Collegiatarum in sua dioecesi permissum esse, ut choro inserviant per substitutos et ideo argui posse per earumdem capellaniarum pluralitatem in uno eodemque clerico non verificari divini cultus imminutionem, nec defectum in adimplendis oneribus iisdem capellaniis adnexis. Ast quidquid in facto observandum esset super hujusmodi permissione, utrum eadem nempe robur habeat ex speciali aliquo beneplacito apostolico vel ex constitutionibus singularum ecclesiarum, quae ab apostolica Sede probatae fuerint, (de quibus tamen nulla probatio allata est), illico animadvertendum occurreret capellaniam, cui chori servitium adnexum sit, sive in Cathedrali sive in Collegiata, residentialem esse, adeoque capellanis per se non vero per alium hujusmodi praestandi servitii onus incumbere, *cap. 3. de cler. non resid.*, Concil. Trid. *sess. 24. c. 12. de reform.:* »Omnes vero Divina per se et non per substitutum compellantur obire officia,« *Fagnanus loc. cit. n. 100., Pitonius de contr. patr. alleg. 27. n. 6.; Ferraris* v.: *Capellania n. 43.* Personale siquidem servitium requiritur, quod adimpleri non per substitutum. Sed dato etiam in casu quod idem servitium chori praestari legitime valeret per substitutum non inde sequi videretur licere clerico una cum capellania cumulare canonicatum, ut *Fagnanus habet loc. cit.*

*) Vd. *Beneficium reservat. SS. Pontifici* (juxta regul. cancell.)
**) Vd. *Residentia.*

n. 92. et *Ferraris* v.: *Capellania n. 48.* decisionem afferentes hujus sac. Congregationis diei 9. Nov. 1619., qua decretum est: Non esse compatibiles capellanias cum canonicatibus et Parochialibus etsi capellani choro inservire per substitutum liceret.

Haec porro animadvertenda mihi visa sunt ex ipsa natura choralium capellaniarum, ut earumdem compatibilitas vel incompatibilitas dignosci valeat tum relate ad canonicatus et parochialia beneficia tum relate ad ipsarum capellaniarum in eadem persona pluralitatem. Quoniam vero laudatus Archiepiscopus eamdem quaestionem in suis literis proposuit in vim consuetudinis quam obtinere retulit in sua dioecesi et inde quaesivit quanti facienda sit hujusmodi consuetudo, necesse mihi visum est ut hac etiam ex parte ea juris principia et regulae heic afferantur, quae memoratam consuetudinem respiciunt.

Etiamsi nonnulli reperiantur auctores, qui pluralitatem beneficiorum, praesertim si eadem parochialia non sint, in eodemque clerico prohibitam non esse arbitrentur eamdemque pluralitatem sustineri posse autument in vim longaevae consuetudinis quae jam obtinuerit, quaevis tamen controversia, ut habet *Fagnanus lib. 3. decr. in cap.: Cum jamdudum num. 31.*, ex hac parte sublata prorsus esse videtur ex Concilii Tridentini decretis praesertim ex *cap. 17. sess. 24.*, cujus sequentia sedulo perpendenda veniunt. Cum ecclesiasticus ordo perverteretur, quando unus plurium officia occupat clericorum, sancte sacris canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos non Deum decipientes ea quae bene constituta sunt variis artibus eludere et plura simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituens cupiens praesenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocumque titulo etiamsi Cardinalatus honore fulgeant mandat observari, statuit, ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Ex quo capite satis manifeste colligendum est, rationem prohibitionis hujusmodi tum ex sufficienti sustentatione derivari, quam clericus habeat ex uno vel altero beneficio, tum ex onere residentiae, quae incompatibilitatem importet.

Jam vero hujusmodi rationes vetitae pluralitatis beneficiorum adeo graves apparent, ut spectata natura rei de qua agitur quamcumque consuetudinem in contrarium irrationabilem omnino reddere videantur, adeoque veluti corruptelam prorsus rejiciendam. Consuetudo enim qua facultas fieret assequendi et retinendi plura beneficia incompatibilia magnam inordinationem multasque turbationes induceret in christianam societatem sive eadem consuetudo spectetur in ordine ad eos, qui recipiunt et retinentet quorum fovet avaritiam, sive in ordine ad alios clericos pauperes, quos impedit quominus assequantur honestam sustentationem, sive tandem in ordine ad officia quae beneficiis adnexa plerumque sunt, quaeque negligantur et pessumdentur necesse est ab eo qui plures in sua persona cumulat obligationes. Quare semper ecclesia hujusmodi abusum detestata, ut patet *cap. 3. de cleric. non resid., cap. 28. de praeb. et dignit., Extrav. Execrabilis, Conc. Trid. sess. 1. cc. 2. 3. 4. 5., sess. 24. c. 17.*

Nec nisi quando haec mala et detrimenta abesse doceatur, dispensari solet cum aliquo ad plura retinenda beneficia ex Sedis apostolicae gratia.

Haec ex natura ipsius consuetudinis; sed et alia non deesse videntur argumenta ad eamdem rejiciendam ex jure quo utimur in consuetudinibus, quae praescriptionibus Tridentinis adversantur. Enim vero etsi nullum dubium adsit, quod consistere merito valeant consuetudines, quae sive praeter sive juxta Concilii Tridentini decreta sint,*) manifesta tamen est dispositio seu potius censura constitutionis f. r. Pii IV. *In Principiis Apostolorum*, qua irritae et nullius valoris declarantur eae omnes consuetudines quae contrariae Tridentini decretis reperiuntur. Et haec censura constitutionis non modo contra jam inductas consuetudines militat, ut ex contextu ejusdem apparet, sed et eo magis contra inducendas obsistit, juxta ea, quae tradit *Benedictus XIV. inst. eccl. 60. n. 7.*, ubi monet: Pii IV. decretum »singula ejusdem concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.« Quare

*) Vd. *Consuetudo.*

adeo infecta illico remanet quaecumque contraria possessio vel observantia, ut nulla propterea justa vel rationabilis consuetudo incipere valeat. Nec aliter sentiunt *Pignatelli consult. canon. tom. 1. consult. 134. num. 16.*, *Piton. discept. eccles. 112. num. 29. et controv. patr. alleg. 5.*, *Card. de Luca de Canon. et capit. disc. 33. num. 3.* Idem *Adnot. ad Concil. Trid. disc. 1. num. 16.*, *Devoti Proleg. ad jus canon. c. 13. §. 6.* Quam canonistarum doctrinam s. haec Congregatio constanter secuta est, ut in thesauro resolutionum prostat, praesertim in *Ferentina Procurationis 25. Febr. 1826.*, *S. Miniatis 19. Maji 1832.*, *Ariminen. 23. Febr. 1826.* et nuperrime in altera *Ariminen. die 13. Septemb. superioris anni*, in qua vel ipsa centenaria consuetudo, quam in casu immemorabilem apellabant, ab Emtiis Vestris prorsus rejecta est.

Et haec in genere de qualibet consuetudine, quae contra canones Tridentini concilii in medium afferri vellet. In themate vero de consuetudine super retentione plurium beneficiorum apertum est etiam, eamdem constanter fuisse reprobatam. Etenim *Rigantius l. c. n. 28.* monet adeo fortem esse incompatibilitatem plurium beneficiorum quae residentiam requirant, ut nullo modo admittat contrariam quamcumque consuetudinem praeter apostolicam dispensationem. Quare, ut ipse ait, cum aliquando praetensum fuerit talem viguisse consuetudinem in Germania, *Amayd. de stylo Datariae lib. 1. c. 17. n. 26. et seqq.*, eamdem semper improbatam fuisse refert a s. Rotae Auditorio nedum, quia ipsa in facto non evincebatur, ex quo passim Germani recurrunt ad sanctam Sedem pro obtinenda dispensatione super retentione plurium incompatibilium beneficiorum, verum etiam quia probata non relevaret, quippe quae contraria esset dispositioni juris et sac. Concil. Trid. Quoties proinde se praebuit occasio hac de re disputandi, semper responsum fuisse docet pro vacatione beneficiorum incompatibilium juxta censuram textus in *Extrav. Execrabilis de praeb.* prout habetur in *decis. 266. coram Cerro* etc. et quamplurimis aliis. His ergo praehabitis Eminentiarum Vestrarum sapientiae judicandum relinquitur, quid de adducta consuetudine sentiendum videtur.

Attamen dato etiam quod allata consuetudo tamquam abusus eliminari debeat in posterum, quaerit etiam Archiepiscopus, an eadem tolerari possit saltem in iis capellanis, qui hactenus eadem usi sunt ex bona fide. Profecto jura non distinguant inter eos qui bona vel mala fide plura detinent beneficia. Notum equidem est diversam olim in usu fuisse disciplinam ad hoc ut ii, qui plura accepissent sive ex bona sive ex mala fide beneficia ad normam sacr. canonum reducerentur. Porro juxta *cap. 3. de cler. resid.* ex Concil. Lateranensi privari olim beneficiatus debuit eo beneficio, quod contra canones accepit, nempe secundo. Attamen cum hujusmodi sanctio visa non fuisset satis congrua principio in jure disciplinari ab ecclesia recepto, ut probatus in minoribus ascenderet ad majora, data fuit optio, uti habetur in *cap. 4. de aetate, qual. et ord. praef.* et *cap. 7. et 14. de praeb.* Tandem vero ab Innocentio III. *cap. 28. de praebendis* decretum fuit, ut primum ipso jure vacaret, quo facilius fraudibus et avaritiae clericorum omnis via praecluderetur. Cui decreto adhaerens Concilium Trid. *sess. 7. l. c.* et deinde in *sess. 24. cap. 17.* falsis interpretationibus aditum occludens causas incompatibilitatis pressius strictiusque explicavit et ampliavit.

Numquam tamquam permissum a jure legitur tolerari, ut incompatibilia beneficia retineant, qui plura receperunt, quin imo coacti sunt ad exhibendam, si quam haberent, dispensationem, secus ad normam juris contra eos procedi mandatum est a Greg. X. in constitutione relata in *cap. 3. de off. ordin. in 6.* Quam constitutionem innovavit Conc. Trid. *sess. 7. c. 5. de reform.* Quare non videtur, aliquod in jure remedium tradi posse, quo in possessione talium beneficiorum incompatibilium beneficiati Florentini perseverent licet bona fide (si eadem admitti valeat) beneficia consecuti fuerint. Ipso enim jure primum vacasse beneficium vix ac secundum obtentum est decrevit Innocentius III. *cap. 28. de Praeb.* et post Innocentium Concil. Trid., a quo in *sess. 7. cap. 4.* laudati Pontificis decretum renovatum apparet »quicumque de cetero, ita Tridentini Patres, plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica . . . contra formam sacrorum canonum et praesertim constitutionis Innoc. III., quae incip.: *De multa* *), recipere ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis juxta

*) Vd. *Beneficium* (plura possidentes — poenae —.)

ipsius constitutionis dispositionem ipso jure etiam praesentis canonis vigore privatus existat.«

Ex qua censura decreti cum possessio primi beneficii non solum de jure, sed etiam de facto post duos menses a retentione secundi *(Card. de Luca, de benef. disc. 54. n. 5. disc. 56. n. 6.)* evacuata dicatur, merito deducendum videtur, quare in casu nec regula triennalis suffragari valeat beneficiato; *Riganti ad reg. 36. n. 154.*; *Garzias de benef. par. 2. c. 5. num. 379.* et sacra haec Congregatio, quae, uti compertum habemus in *lib. decr. 14. p. 653.*, anno 1632 censuit neque triennalem possessionem locum habere contra decreta Concilii Trid. *cap. 4. sess. 7.* et *cap. 17. sess. 24.* Quae decisio cum relata fuisset SSmo Sanctitas Sua respondit: »Bene s. Congregationem censuisse et ita esse exequendum.« Idemque responsum editum legitur in una *Leodien. ejusdem anni 1632. cit. lib. 14. pag. 653. decretorum.* Nulla igitur ratione allata consuetudo juvare non posse videtur beneficiatos ad plura incompatibilia beneficia retinenda, licet ii ex bona fide hucusque in eadem consuetudine perseveraverint.

Unicum profecto quod in casu remedium superesset dispensatio Sedis apostolicae foret quatenus eae rationes adessent, ex quibus a s. Sede solet quandoque cum aliquo hac super re dispensari. Secus qui plura beneficia retinent avaritiae stimulo inservire praesumuntur; sac. Congregatio in una *s. Severini 15. Nov. 1736.* Imo si cessante bona fide vellet aliquis duo incompatibilia beneficia retinere, in censuram caderet tum antiqui juris tum decreti Tridentini in *cap. 4. sess. 7.*, quo utroque privatus existat., sac. Congr. in *Amalphitana 18. Junii 1761.* Quod tamen obtinet post duos menses a pacifica possessione secundi incompatibilis, qui menses ideo ex recepta disciplina conceduntur, ne si forte secundum litigiosum sit, utroque beneficiatus careat. *Card. de Luca l. superius cit.*, *Riganti ad reg. canc. reg. 1. §. 8. n. 155. et §. 9. n. 8.*

Ex hucusque habitis jam prono alveo sequi videtur quid de Antonio Forrigiani sentiendum erit qui, ut habet Archiepiscopus, cum in ecclesia metropolitana capellanus choralis existeret canonicatum assecutus est in insigni collegiata ecclesia s. Laurentii Florentiis nec tamen capellaniam dimisit. Nil opus ergo videtur esse, ut amplius immorer, quin Emtiis Vestris resolvenda proponam dubia:

I. *An et quomodo servanda sit adducta consuetudo in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo eadem consuetudo tolerari valeat quoad actuales beneficiatos in casu?*

III. *An et quomodo eadem consuetudo suffragari valeat sacerdoti Forrigiani in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. et III. Dilata et reproponatur, auditis per Archiepiscopum interesse habentibus.

Die 6. Junii 1863.

b) Dispensatio.

I. Causae concedendi.

Vd. *Beneficium incompatibile* p. 614. e; p. 742. II

Nepesina.

Constantinus ad beneficium in collegiata ecclesia s. Joannis terrae Campaneani, quum esset de familia vocata, a compatronis fuit nominatus, etsi in eadem ecclesia possideat canonicatum; ideo dispensationem postulavit. Expertus est ille capituli oppositionem, quod beneficia duo haberet cum oneribus Canonicorum uniformibus, unum celebrationis missarum trium hebdomadalium, alterum chori diebus festis mobilibus. S. C. autem Episcopi arbitrio gratiam, dummodo chori servitium non patiatur, remisit.

Die 8. Julii 1786.

Bracharen.

(Conc. Tr. c. 4. s. 7. de ref.)

Vd. *supra p. 137. n. 7.*

Beneficiorum pluralitas quae per canones bene multos improbata reperitur a variis veteribus conciliis per diversas aetates habitis, quorum seriem late recenset *Thomasin. de veter. et nov. eccles. discipl. p. 2. cap. 1. ad 10.*, sequiori pariter aevo prohibita fuit ab Innocentio III. in celebri ejus constitutione relata inter decretal. cap.: *De multa* *) *de praebend.*, et recentius a *sac. Tridentina synodo sess. 7. cap. 4. de reform.*, ubi innovata fuere jampridem sancita per sacros

*) Vd. infra *p. 752.*

canones et praesertim a laudata constitutione Innocentii III. Quia vero praefatus Pontifex sapienter animadvertit, nullam paene legem esse probe adeo constitutam, cujus aliquando dispensationem impartiri non deceat, ideo in postrema ejusdem constitutionis parte ita se declaravit: »Circa sublimes tamen et literatas personas, quae majoribus sunt beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit per Sedem apostolicam poterit dispensari.«

Hac igitur sanctissimae alioquin legis limitatione fretus Rodericus a Moura Telles, qui post assecutum canonicatum in metropolitana Bracharensi ecclesia novissime obtinuit approbari ab examinatoribus synodalibus pro ecclesia parochiali et abbatiali s. Petri de Maximinos sita in suburbiis ejusdem civitatis Bracharensis supplicationem Sanctitati Suae porrexit, qua petiit secum dispensari, ut canonicatum una simul cum parochia retinere possit.

Ejus itaque precibus ad hanc sacram Congregationem pro voto remissis contendit Rodericus, recensendum se fore inter sublimes et literatas personas, circa quas laudatus Pontifex Innocentius tertius super retentione beneficiorum etiam incompatibilium per Sedem apostolicam dispensari posse declaravit. Siquidem ad comprobandum sublimem natalium suorum conditionem docet se genitum ex Comite de Santiago in aula Regis Lusitani munus maximi hospitatoris exercente, atque in supremo intimoque regio consilio judice, consanguineo vinculo adstrictum clar. me. Cardinali de Sousa necnon Archiepiscopo Bracharensi ecclesiasticae jurisdictionis acerrimo vindici nuper defuncto. Gloriaturque patruum habere D. Marchionem de Fronteјera, qui maritimae expeditioni a serenissimo Lusitaniae Rege in Turcas Corcyrae insultantes transmissae feliciter praefuit.

Ad suadendum vero, quod inter literatas personas mereatur accenseri, exponit per undecim totos annos incubuisse studiis juris canonici in Conimbricensi universitate, lauream doctoralem in ea fuisse consecutum et tandem doctrinae suae non vulgare specimen praebuisse in rigido synodali examine ad parochialem ecclesiam de qua agitur indicto.

Binas praeterea exprimit circumstantias, ob quas confidit gratiam petitae dispensationis facilius sibi fore indulgendam. Prima nimirum est *tenuitas fructuum canonicatus* ab ipso possessi: altera *commoditas deserviendi utrique ecclesiae* absque divini cultus et animarum detrimento.

Contra vero, ne gratia petitae dispensationis indulgeatur, obsistunt clerici dioecesis Bracharensis residentes in curia; et primo quidem tum ob distantiam per mille ferme passus ecclesiae parochialis a metropolitana, tum ob ingentem numerum bis mille circiter animarum sub illa paroecia degentium contendunt ab uno eodemque viro utrique ecclesiae deserviri non posse.

Negant deinde concurrere in Roderico eam doctrinae excellentiam cujus ratio pro ejusmodi dispensationibus habenda sit praecipue attenta ipsius aetate vigesimum quartum annum non excedente et si qua in illo literatura considerari posset, eam inquiunt numquam tanti faciendam esse, ut gratia dispensationis pro duobus beneficiis residentialibus, quorum alterum est cum cura animarum, indulgeri mereatur.

Et demum asserunt, Rodericum jam satis superque aliis redditibus ecclesiasticis provisum esse, quin retentione hujusmodi praebendarum inter se incompatibilium sit amplius ditandus.

Pluries sacra haec Congregatio rescripsit pro gratia consimilium dispensationum, quarum exempla referuntur in summario Roderici. In iis vero advertendum est, habitam potissime rationem fuisse, quod dispensatus posset utrique beneficio absque divini cultus et curae animarum detrimento commode inservire. Aliquando sac. Congregatio gratiam hujusmodi denegandam esse censuit, uti contigit in quadam *Visen. ejusdem regni Lusitaniae die 10. Maji 1732 data in summ. clericorum Bracharensium n. 8.*

Ad aestimandum rei de qua agitur momentum expendi possunt ea quae de praebendarum pluralitate tradit *s. Thomas quodlib. 9. art. 152:* »Sunt, inquit, quaedam actiones, quae absolute consideratae deformitatem vel inordinationem quandam important, quae tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonae efficiuntur. In numero harum actionum videtur esse, habere plures praebendas; cum hoc, quod est habere plures praebendas, plurimas in se inordinationes contineat, utpote quod non est possibile, aliquem in pluribus ecclesiis deservire, in quibus est praebendatus cum praebendae videantur

esse ordinatae quasi quaedam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona ecclesiae contulerunt, ut certus numerus Deo servientium ibi esset. Sequitur etiam inaequalitas, dum unus pluribus beneficiis abundat et alius nec unum habere potest. Et multa alia hujusmodi, quae de facili patent. Unde non potest contineri inter indifferentes actiones, multo minus inter eas, quae sunt secundum se bonae, ut dare eleemosynam et ejusmodi. Quamvis vero has inordinationes pluralitas praebendarum contineat, tamen prosequitur angelicus doctor aliae circumstantiae possunt supervenire ita honestantes actum, quod praedictae inordinationes totaliter evacuentur: ut puta, si sit necessitas in pluribus ecclesiis ejus obsequii, ut posset plus servire ecclesiae vel tantundem absens, quam alias praesens et si alia sunt hujusmodi.« Jo. Andreas et cum illo pluries alii canonistae scribentes in citatum cap.: *De multa de praeb.* inquiunt, triplicem esse posse rationem concedendi hujusmodi dispensationes nimirum necessitatem, utilitatem et evidentem meritorum praerogativam.

Perpensis itaque circumstantiis utrinque deductis onus erit EE. VV. decernere:

An dispensatio pro retentione canonicatus ecclesiae Bracharensis cum parochiali ecclesia de qua agitur sit concedenda in casu?

S. C. resp.:

Negative et amplius.

Die 17. Apr. 1734.

Sabinen.

Apostolica oratorem non indigere dispensatione, ut utrumque beneficium retineat, quando satis non sunt singula ad congruam beneficiati juxta *sac. Concil. Tridentinum sess. 24. cap. 17. de reform.*, tum quando non sunt sub eodem tecto,*) *cap.: De multa, de praeben.* et *cap.: Quia nonnulli de cleric. non residen.*, eorumque alterum dumtaxat est residentiale, *cit. cap. de multa.*

Die 26. Novbr. 1791.

Fesulana.

Dispensationem ad effectum retinendi tertium simplex beneficium concessit S. C. sacerdoti Prospero Dotti, ut ejus *paupertati* succurreret.

Die 8. Martii 1806.

Firmana.

Dispensationem ad effectum retinendi insimul duo beneficia, quae personalem residentiam requirunt et ideo incompatibilia, dandam esse per triennium Canonico Moschetti decernit S. C. attenta oratoris *paupertate* et unius beneficii forma immutata.

Die 27. Junii et 18. Julii 1807.

Lucana.

Singula tantum beneficia singulis personis esse conferenda, cum s. Gregorius *can. 1. dist. 89.* sanciverit: *ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim committi jubemus*; imo *ex Trid. syn. sess. 24. cap. 17. de reform.* nemini fas esse alterum assequi beneficium, nisi primum ad vitam ejus honeste sustentandam haud sufficere ac utrumque personalem residentiam non requirere pateat. Illud nihilominus sedulo perpendendum hujuscemodi juris censuram vim suam exercere, ubi res est de duobus ecclesiasticis beneficiis titulum collativum habentibus aut residentiam exposcentibus, ut innuunt illa Tridentini Concilii verba *sess. 7. cap. 4. de reform: Quicumque de cetero plura curata vel alias incompatibilia beneficia ecclesiastica . . . retinere praesumpserit, beneficiis ipsis . . . privatus existat*, secus autem quando agitur de officiis tantum ecclesiasticis aut de simplici ac temporaria capellania nullum canonicum titulum praeseferente, *Rigant. ad reg. 1. cancel. §. 7. n. 84. et §. 8. n. 80., Lauren. For. benef. par. 3. sect. 1. cap. 2. quaest. 106., s. Congr. in Bitecten. 6. Decembris 1721 ad III. dub., in Firmana Capellaniae 15. Septembris 1770 §. Verum.*

Bugellen.

Proposito dubio: *An Canonicus Marocchetti, qui in cathedrali ecclesia Bugellensi officium Poenitentiarii recens constitutum perpetuum in modum sibi suaeque praebendae, quam antea liberam tenebat, imponi passus fuerat, posset ecclesiae Oropensi praefici ex jure Canonicis caeteris communi constituendi rectorem dictae ecclesiae b. Virginis custo-*

*) Vd. *p. 383. n. 17.*

diendae eumque suo collegio adsciscendi, quin stata in absentes punctatura durante munere mulctetur? Emi Patres responderunt: ex sacri juris censura rectoriam sanctuarii Oropensis incompatibilem quidem esse cum canonicatu Poenitentiario cathedralis ecclesiae et ad Secretarium cum SSmo juxta mentem; mens est, ut ex speciali gratia in exemplum non deducenda dignetur SSmus annuere precibus oratoris primi Poenitentiarii juxta votum Episcopi proviso per ipsum Episcopum, ne desit alter ex gremio capituli, qui suppleat loco Poenitentiarii absentis, quatenus eligatur rector Oropensis.

Die 26. Januar. 1833.

Montis Alti.

Per canonicas sanctiones in cap.: *Cum de actat. et qualit. Ordinand.* cavetur, ut beneficiarius ab onere residentiae dispensari possit et alia etiam insimul beneficia retinere, si unum ad vitae cultum non sufficiat. *Flosada de incompat. benef. par. 2. cap. 5. num. 4.*

Die 22. Junii 1833.

S. Severini.

Conferri quidem singulis unum tantum beneficium ecclesiasticum decreverunt Tridentini Patres *(sess. 24. cap. 12. de reform., Barbosa in idem cap. §. 8.)*; quod si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, licebit nihilominus aliud simplex beneficium dummodo utrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri.

Die 7. Sept. 1833.

Montis Falisci.

Justa dispensandi pro retentione plurium beneficiorum causa est eorumdem *tenuitas*, ne cum gravissimo ordinis dedecore vir sacerdos mendicare cogatur, s. Congreg. in *Caven. Union. 25. Apr. 1831. §. Parochialium.*

Die 7. Aug. 1841.

Praeter beneficium, quod possidet Augustinus M. in ecclesia praepositurali A. C. dioecesis, cujus redditus ad annua scutata centum assurgit, onera autem in quatuor missis qualibet hebdomada diebus designatis ac praesertim dominico celebrandis computantur et in omnibus praeterea festis solemnibus infra annum adjecta etiam obligatione inserviendi choro et ecclesiasticis functionibus si beneficiatus in patria resideat, parochialem quoque administrat ecclesiam M. in plebe L. non tamquam titularis sed uti mere delegatus et parochi vices gerens: unde non solum pro populo Sacrum facere diebus festis sed omnibus. quae sunt muneris parochialis adimplere tenetur, exindeque alia scutata centum comprehensis incertis stolae eidem quotannis obveniunt. Alterius ecclesiastici beneficii in oratorio s. Michaëlis A. fundati nominationem obtinuit M. Illius redditus annua scutata circiter septuaginta conficiunt, onera vero haec habentur; bis in hebdomada Sacrum applicandi in praefato oratorio die dominico non excepto et alio die festo si recurrat in eadem hebdomada nisi capellani legitime fuerint impediti vel causa alicujus solemnitatis alio vocati, ac insuper assistendi choro diebus festis ac ceteris functionibus in ecclesia praepositurali praefata, nisi legitime fuerint impediti, licet super hac obligatione facile possit praepositus ecclesiae ex lege fundationis aliqua interveniente causa dispensare. Specialem tamen habet hujusmodi fundatio adnexam conditionem ut si capellanus aliud obtinuerit ecclesiasticum beneficium vel titulum perpetuum, ipso facto caducitatem incurrat ipsaque vacet capellania.

Hisce tamen sepositis supplex adest Augustinus M. ad obtinendam super incompatibilitate et pluralitate beneficiorum dispensationem, cujus ope ecclesiasticam capellaniam ad quam recens nominatus fuit consequi possit, quin aliud beneficium dimittat et curam animarum M. valeat insimul retinere, egestatem praetexens familiae numerosae quam alere et educare tenetur.

Episcopus autem desuper rogatus, postquam hactenus narrata confirmasset, ita sententiam suam aperuit: »Ergo cum orator M. vi beneficii, quod possidet s. Mariae titulo Carmeli, teneatur ad missas dominicales et ad tres alias feriales in hebdomada, ad altare et in ecclesia praepositurali A. . . ., necnon ad chorum et ad functiones sacras, si resideat in patria, jam celebrare non posset missas festivas in oratorio s. Michaëlis, de quibus gravaretur, quando et beneficium de s. M. obtineret. Capellanus insuper s. Michaëlis ex voluntate constituentis renunciare debet

hoc beneficium quotiescumque alio beneficio ecclesiastico aut titulo perpetuo provideatur, prout exposui superius et esto quidem quod praepositus A. facile dispensare possit supra residentia hunc beneficiatum, non semper praepositus gaudet hac licentia, sed interveniente aliqua causa dispensare debet. Salvo propterea meliori judicio supplicem libellum domini M. inexauditum remittendum censeo; nulla enim est causa et nulla ratio concedendi dispensationem ab eo petitam. Triplex est impedimentum, quo detinetur orator quominus beneficium cujus nominationem nuper obtinuit consequatur, pluralitas nimirum beneficiorum a ss. canonibus in uno eodemque subjecto regulariter vetita, ubi unum beneficium redditus habeat ad sustentationem provisi necessarios, incompatibilitas eorumdem tam quoad onerum implementum quam ratione residentiae, ac demum a fundatoribus prohibitio; proindeque triplici indiget dispensatione.

Quoad beneficiorum pluralitatem, licet sit sacris canonibus adversa, prout notatur in *Signina 3. Augusti 1771.* §: *Quoniam*, non raro tamen dispensatio legitur concessa per s. hunc Ordinem, ubi tamen rationabiles accederent causae, ac praesertim alterutrius tenuitas beneficii, ecclesiae utilitas aut necessitas vel evidens meritorum provisi praerogativa, ut in eadem *Signina* §: *Circumspecta.* Causae autem hujusmodi vel cumulative vel disjunctive concurrentes dispensationem suaserunt, nec solum super pluralitate, sed etiam ratione incompatibilitatis, ceu plures testantur resolutiones, ac praesertim *in Leodien. 4. Julii 1730.*, *in praefata Signina* et *in Papien. 19. Februarii 1791.*, maxime si Episcopi votum et interesse habentium accederet consensus et onera etiam per alium possent adimpleri.

At vero frequentiora occurrunt denegatae dispensationis exempla, licet Episcopi ipsius haberetur favorabile votum ac de duobus tantum ageretur beneficiis retinendis, ut in *Comen. 8. Julii 1724.*, et in *Alexandrina 29. Augusti 1789.*, eoque magis si fundatoris ut in casu superadderetur prohibitio, ut in *Comen. Indulti 26. Febr. 1707.*, quamvis res esset de beneficio patronali et in *Maceraten. 19. Maji 1787. confirmata 12. Julii 1788.*, potissima enim incompatibilitatis ratio, ceu animadvertitur in *Firmana Capellaniae 23. Febr. 1782.*, est fundatoris voluntas.

In casu autem praeter expressam testatoris prohibitionem animadvertendum est unumquodque per se beneficium ab oratore jam possessum ad honestam sufficere sustentationem, certe autem utrumque conjunctum. Nulla praeterea accedit ex justis ac legitimis causis ad dispensationem requisitis, non ecclesiae scilicet utilitas vel necessitas, cum orator honestam tantummodo familiae suae alimoniam praeseferat, non praeclara ipsius petentis merita, quia de his omnino silet Episcopns, quia ea potius excludere videtur, dum votum suum concessioni pandit adversum.

Quare ete.

(Correspond. de Rome 24. Junii 1851. n. 68. p. 296.)

Causa justa et legitima dispensandi in pluralitate beneficiorum triplex a doctoribus recenseri solet, scilicet: *Necessitas ecclesiae, utilitas ecclesiae* et *evidens praerogativa meritorum.* Ita Abbas *in cap. de multa 27. de praebend. n. 7.* et *cap.*: *Extirpanda 30. §.: Qui vero num. 34. eodem titulo, Pirhing. l. 3. tit. 5. sect. 5. de praebend. num. 191.. Azorius, Layman* et alii passim et colligitur *ex c.: Tali 47. caus. 1. quaest. 1.*, ibi: *Nisi forte eos aut maxima ecclesiae utilitas vel necessitas postulet vel evidens meritorum praerogativa commendet.*

Et quidem ob *necessitatem ecclesiae* possunt quandoque alicui plura beneficia supra necessariam et congruam vitae sustentationem conferri si desint idonei ministri, verb. grat. in locis haereticorum, in quibus est defectus clericorum.

Ob *utilitatem vero ecclesiae* id accidere potest, quando unus solus magis putatur rei publicae christianae bono atque ecclesiarum commodis profuturus sua auctoritate, potentia, doctrina et prudentia, quam alius praesens vel plures alii, qua de causa filiis Principum conferuntur interdum plures episcopatus, ut ecclesiae contra haereticos potentius defendantur.

Tandem etiam *ob meritorum praerogativam* conferuntur uni plura beneficia textu claro in *cap.*: *De multa 27. de praebend.*, ibi: *Nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen et literatas personas, quae majoribus sunt beneficiis ho-*

norandae, cum ratio postulaverit per Sedem apostolicam poterit dispensari. Item *Extravagan.* Joann. XXII. incipiente: *Execrabilis*, ubi, cum sanxisset, ne quis posset accipere plures dignitates, personatus, officia, prioratus et beneficia, quibus inest cura animarum, excipit Cardinales et filios Regum, ibi: *Cardinalibus tamen sanctae romanae ecclesiae, qui circa Nos universali ecclesiae serviendo singularum ecclesiarum commoditatibus se impendunt ac Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum ac generis claritatem sunt potioris praerogativa gratiae attolendi, dumtaxat exceptis.*

Incompatibilitas in beneficiis triplici ex capite oriri potest:

I. E cura et residentia uniuscujusque beneficii.

II. E pluralitate beneficiorum, quorum unumquodque sufficiat ad congruam sustentationem beneficiarii et quidem seclusa cura et residentia.

III. Demum ab existentia beneficiorum sub eodem tecto. Longum autem esset de singulis hisce incompatibilitatis speciebus agere et supplere, quae a Ferrari sunt omissa. Consule, ubi res postulat, qui materiam hanc egregie pro more tractavit, *Rigant. in commentar. ad regul. 1. cancellariae* §. *8. per tot.*, ubi et de dispensatione super retentione incompatibilium beneficiorum cujusvis generis late disserit. Aliqua vero de praesumpta dispensatione super retentione plurium beneficiorum incompatibilium ratione curae et residentiae non incongrue hic adduntur eo vel maxime, quod Ferraris nec verbum de ea facit.

Triennalis possessio minime sufficit ad hanc dispensationem praesumendam. Sufficit vero possessio decennalis; *Rigant. in comment. ad regul. 36. cancell. num. 156, Piton. discept. eccles. 120. num. 11. et sequent., Rota cor. Falconer. decis. 9. num. 14. in Hipporegien. Beneficii 11. Febr. 1704* §: *Concilio, Mut. in Aurien. Parochialis 21. Junii 1751* §. *12.* et in *Confirmatoria 24. Januarii 1752* §. *11. cor. illustrissimo Pigneroa.*

Quaestio vero est: an haec, quae ex decennali possessione praesumitur dispensatio, suffragetur, si Officiales Datariae testimonium dicant, eam non reperiri in regestis ipsius Datariae. Negativam sententiam videtur tenuisse Rota *in Cracovien. Canonicatus 11. Maji 1705* §: *Quod autem cor. bon. mem. Omann., in Leodien. Canonicatus 10. Maji 1743* §. *10. cor. bon. mem. Peralt. et in Gnesnen. Canonicatus 26. Junii ejusdem anni 1744.* §. *6. cor. bon. mem. Nunez.* Affirmativae autem sententiae recentius idem sacrum Tribunal adhaesit in *d. Aurien. Parochialis 24. Jan. 1752 d.* §. *11. cor. illustrissimo Pigneroa* et in *Uladislavien. Archidiaconatus super coadjutoria 14. Jan. 1757 coram R. P. D. Parracciano.* Hic tamen non omittendum, quod in decisionibus, in quibus negativa sententia a Rota fuit amplexa, articulus ille praeter causae necessitatem fuit examinatus, cum in earum casibus non decennalis, sed triennalis possessio concurreret.

II. Ab apostolica Sede.

Vd. infra n. IV. VII.; p. 739: *Sabinen. Ferrar.*

Non valet, quod se excusent illi, qui insatiabili siti deglutiunt plura beneficia ecclesiastica sub fragili praetextu, quod illa impetraverint a Papa, ideoque a tali pluralitate a jure et Tridentino prohibita dicantur dispensari et quaecumque in contrarium facientia sublata, maxime stante in literis apostolicis clausula: *non obstantibus etc. vel motu proprio.* Non valet, inquam, quia, ut solide cavetur *in annot. ad dec. 90. n. 69. et seq. par. 9. tom. 1. Rotae romanae recentior.*, respondetur ad praedictum effectum imaginarium tale clypeum hoc pro nihilo deservire, quia jura et Concilium Tridentinum nullatenus prohibent *collationem* plurium beneficiorum sed *retentionem*, ut advertit Rota *coram Cardin. Scrafin. dec. 774. sub num. 3. vers: Non facere etc.*, ubi etiam testatur id jam fuisse resolutum per Eminentiss. D. D. Cardinales sac. Congregat. Concil. et sic a Rota in aliis causis receptum et deinde ita etiam fuit dictum coram *Baratto dec. 248. num. 2. vers.: Quod vero ad beneficium simplex.* Addo etiam decisionem in causa *Assisiensi Beneficiorum 9. Martii 1587 coram Orano* §. *1. vers.*, Conc. Trid. *sess. 14. cap. 17. de reformat. prohibet retentionem, non autem assecutionem plurium beneficiorum.* Quod enim clericus dispensatus ad plura beneficia *recipienda* non censeatur dispensatus ad illa *retinenda*, respondit Rota *coram Clement. VIII. dec. 223. num. 26. vers.: »dispensatus ad obtinendum non est dispensatus ad retinendum etc.«, p. 1. divers.* et melius fuit resolutum coram Innoc. X. *decis. 528. a num. 1*, ibi: »Licet illius vigore potuisset successive recipere plura beneficia illa tamen simul retinere non poterat.« Idem quoque fuit ponderatum *cor. Ubaldo dec. 369. n. 2. vers.: Quia erat dispensatus ad obtinendum non autem ad retinendum etc.*, quas decisiones deinde *Rota* secuta est *coram Coccino decis. 302. n. 26. part. 4. recent. tom. 2*, ibi: »Fuit dispensatus, ut plura reciperet beneficia, quo casu datur quidem acquisitio, sed non retentio etc.,« quia vere aliud est retinere et aliud acquirere; idque fortius est dicendum in materia strictae interpretationis, prout est derogatio, unde non discedendum a propria significatione verborum. Eo vel maxime quod ex *cap.: Quamvis 5. de praeb. in 6.: Quamvis plenissima sit alia de beneficiis interpretatio facienda, literae tamen super obtinendis beneficiis impetratae debent (cum sint ambitiosae) restringi.«*

Non juvat dicere Papam super dicta retentione tacite dispensasse, dum in ultima seu in ultimis provisionibus apostolicis fuerint narrata omnia beneficia prius obtenta; nam contra hanc opinionem est textus rotundus *in cap.: Non potest. 21.* §. *final. de praebend. in 6*, ibi: »Cum vero tibi (non obstante quod aliud beneficium obtinere noscaris) a Sede praedicta de aliquo beneficio provideri contigit per hoc tecum ut primum beneficium cum secundo retinere valeas non intelligitur dispensatum; hoc enim solum operatur praefata expressio, quod facta tibi gratia nequeat subreptitia judicari.« Per quem textum adeo clarum et alias rationes, quas adducit, ita firmiter tenet *Navarr. in suo tract. de oratione cap. 12. miscell. 16. num. 64. et 65*, ubi subdit in hoc decipi plures credentes ex tali narrativa dispensatos remanere et quod, si Sua Sanctitas plura obtinenti beneficia alia de novo concedit, non ideo intentionem habet dispensandi contra dictum decretum sed quia credit, quod omnia beneficia ad congruam supplicantis sustentationem necessaria sint et quod aliter confessarii non absolvent eos, nisi prius talia beneficia non necessaria ad sui congruam sustentationem dimiserint vel firmo animo dimittere proposuerint; videatur *Jacob. de Graff. in suis aureis decisionibus cas. consc. lib. 2. decis. 97. num. 34*, ibi: *Non debet confessarius absolvere habentem plura beneficia, quorum unum sufficiat etc.*, et insuper sequitur *Navarr. in praedicto loco.* Et eamdem opinionem sequitur *Ignat. de Salc. in addit. ad prax. Bernard. cap. 42. in gloss.*, ibi: *Quamvis simplicia*; *Emanuel. Rodriq. in summa cap. 31. num. 2, Alfons. Hojed. in tract. de incompatibilitate benef. part. 2. cap. ultim. num. 72. vers.: Expressio facta de beneficio obtento censetur facta ad evitandam subreptionem etc.*, ubi etiam inquit id probare *textum in cap. Gratia de rescriptis in 6.* et alios DD. per eum allegatos et *Rebuff. in praxi titul. de dispensat. ad plura beneficia qu. 9. n. 18, Paris. de resignat. lib. 4. q. 9. n. 36.*

Cum justa, rationabili et legitima Papae dispensatione possunt licite retineri simul plura beneficia etiam sub eodem tecto et de se incompatibilia; *cap. de multa 28.* §. *final. de praebend.*, ibi: *Circa sublimes tamen et literatas personas, quae majoribus sunt beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit per Sedem apostolicam poterit dispensari.* Papa enim in quibuscumque beneficiis plenissimam habet potestatem plenariamque dispositionem; *cap.: Licet 2. de Praebend.*, ibi: »Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad romanum noscatur Pontificem pertinere etc.« Et *Clementina Unic. Ut lite pendente cap. 1.* final., ibi: »Salva tamen in praemissis omnibus romani Pontificis potestate, ad quem ecclesiarum, personatuum, dignitatum aliorumque beneficiorum plena et libera dispositio ex suae potestatis plenitudine noscitur pertinere.« Et hoc quia beneficia de jure positivo ecclesiastico sunt introducta et singulae ecclesiae singulis presbyteris divisae, *cap.: Ecclesias unic. q. 1. caus. 13*, ibi: *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus etc.* Unde cum Papa secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare, *cap.: Proposuit 4. de concessione praebend.*, ibi: *Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare,* stat clarum quod Papa ex rationabili et justa causa possit super pluralitate quorumcumque beneficiorum dispensare; *Rota par. 4. tom. 1. decis. 337. num. 1. et p. 14. decis. 298. num. 5.* Ipsa enim pontificia dispensatione attenta beneficia inter se incompatibilia censentur compatibilia et eorum incompatibilitati derogatum; *Rota part. 5. tom. 1. decis. 6. num. 1.*

Dicitur notanter: *cum justa, rationabili et legitima Papae dispensatione*, quia licet Papa

in iis quae sunt juris positivi humani possit valide dispensare, etiam sine causa cum ipse sit supra tale jus, ex *cap.: Proposuit 4. de concessione praebend.* et proinde sola ejus voluntas stet pro ratione, cum de factis ejus judicare non liceat, *cap.: Nemini 30. caus. 17. quaest. 4*; quia tamen dispensatio facta sine causa non meretur dici dispensatio, sed potius dissipatio, ut inquit s. Bernard. *lib. 3. de consider. ad Eugenium Papam* praecisis his verbis: »Non prohibeo dispensare, sed dissipare et non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores, sed in aedificationem non in destructionem, ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est, ubi utilitas provocat, laudabilis dispensatio, utilitas dico communis non propria, nam cum nihil horum est, non fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est,« hinc non possunt licite retineri plura beneficia simul incompatibilia cum dispensatione Papae sine rationabili causa concessa praesertim ad instantiam partis, ut colligitur *ex cap.: De multa 28. de praeb.* ubi dicitur posse Pontificem dispensare super pluralitate beneficiorum incompatibilium non sine justa ratione, sed cum rationabili causa, ibi: *Cum ratio postulaverit, per Sedem apostolicam poterit dispensari.* Unde quatenus Papa dispenset sine justa causa dicendum est aut fuisse precum importuna instantia victum juxta *cap.: Detestanda 2. de concessione praebend. in 6*, ibi: »*Quae per importunitatem nimiam, per quam non concedenda multoties conceduntur, et per ambitionem improbam ut plurimum extorquentur,*« aut per falsas narrationes fuisse deceptum, ac proinde non subsistente causa rationabili per supplicantem allegata nec subsisteret dispensatio pontificia veluti subreptitie vel obreptitiae obtenta, *cap.: Sede 15.* et *cap.: Super literis 20. de rescriptis.* Et quod plura retinens beneficia incompatibilia non sit tutus in conscientia et apud Deum, si retineat ex dispensatione a Papa concessa sine causa et ad favorem tantum beneficiati, late et solide confirmatur pluribus sanctorum Patrum oraculis, theologorum et canonistarum auctoritatibus plena manu congestis in *annot. ad decis. 254. a num. 145. usque ad num. 191. par. 9. tom. 1. Rotae* romanae, ubi omnes una voce conclamant, quod cum sit contra jus divinum et naturale, ut unus habeat plura beneficia, nisi justa causa id excuset, et Pontifex non possit saltem licite dispensare in iis, quae sunt juris divini naturalis, nisi ex justa causa, quae deformitatem seu inordinationem tollat, ut patet in votis et juramentis. Per hoc teneatur retinens plura beneficia resignare ea, quae secundum statum suum ei non sunt necessaria vel in quibus justa causa dispensandi non intervenit. Quando autem Papa non ad instantiam partis sed motu proprio cum aliquo dispensat, ut possit simul retinere plura beneficia incompatibilia, tunc praesumendum est ex justa causa se moveri ad dispensandum et quod juste ex legitima causa dispensaverit, etiamsi de ipsa non constet, cum semper sit verosimile summum Pontificem jus observare, nam ipse est justitia loquens et lex animata; ideoque praesumendum est regulariter pro facto Papae, quod ex justa causa moveatur in suis actionibus, *cap.: In praesentia 6. de renunciatione, cap. si Papa 6. dist. 40., Glossa in cap. 2. Ad aures, de tempore ordinandi et in cap. 2. de majorit. et obedient., Gemínian. in Canon. Lege Imperatorum, dist. 10. col. 5. in princip. vers. Dicit tamen, Abbas in cap.: In causis n. 2. de sententia et re judicata, Felinus* aliique plurimi *citati in annotat. decis. 254. n. 272. et sequent. part. 9. tom. 1. Rotae romanae;* et sic pluries Rota romana et praesertim in *causa Gerunden. Scribaniae 61. Maji 1638. coram Merlino, inter impressas decis. 278. num. 24,* ibi: *Et causa semper praesumitur in gestis per summum Pontificem.* Hinc ratiocinata est *Rota in causa Forosemproniensi et Eugubina seu Nullius Emphyteusis 16. Junii 1636. coram Coccino,* §: *Hinc inferendo,* ut quod fit a Papa ab ore Dei videatur procedere. Tum quia regulariter praesumendum etiam venit pro sententia vel decreto cujuscumque judicis, quod sit interpositum ex justis et rationabilibus causis, ut probatur *in leg. Herennius 63. §. 1. ff. de evict. et in leg. Ab ea, part. 5. §. 1. ff. de probat. et in l. Manumissio 34. ff. de manumissis vindicta; Baldus in l. Juris gentium, quod fere col. 1. in fin. in vers. sed numquid in judiciis ff. de pactis, Gratian. discept. forens. cap. 648. num. 19. vers. pro decreti validitate praesumitur tom. 4.* cum plurimis aliis passim et ita saepissime arbitrata est Rota et potissimum *part. 5. recentior. decis. 75. n. 3. vers. pro decreto praesumitur, p. 6. dec. 76. num. 14. vers.: semper enim praesumitur pro decreto judicis et part. 7. dec. 245. num. 6. vers.: super hoc praesumitur judex se informasse cum praesumatur pro decreto judicis.* Unde

si pro decreto a quovis judice interposito stat praesumptio a fortiori debet praesumi pro romano Pontifice, ut ex justa et ex rationabili causa moveatur, cum ipse sit omnium judicum totius orbis supremus judex et arbiter et cujus attestationi plena fides est adhibenda, si ipse dixerit ex justis causis praefatam dispensationem processisse; per textum *in Clement. Literis unic. de probationibus,* adeoque hoc casu contrarium probari non possit, ut inquit textus in dicta *Clement. Literis* et *Glossa ibi: in verb. Fecisse narramus.* Et *ibid.* passim doctores.*)

Honorius PP. III. Archiep. et Episcopis Hiberniae.

Praecaventes sollicite ne beneficia conferatis indignis nec quemquam permittatis habere plures personatus seu parochiales ecclesias habitas post concilium generale, quibus cura sit animarum annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam Sedis apostolicae specialem.

Die 19. Novbr. 1219.

(Bull. r. t. III. p. 366. Ed. Aug. Taur. 1858.)

Fesulana.

Tridentinum in *sess. 24. c. 17. de ref.* jussit: In posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad ejus vitam cui confertur honeste substentandam non sufficiat liceat nihilominus aliud simplex sufficiens dummodo utrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri. Hinc sequitur, ut absque dispensatione apostolica tertium beneficium retineri non possit, ut definivit s. Congregatio in *Bovinen. 13. Novembris 1629.* et in *Bitecten. 6. Decembris 1721. ad II. dub.* Ut vero dispensatio apostolica concedatur, subeat oportet aliqua idonea causà, unde a dispositione juris recedendum sit.

Die 25. Jan. 1806.

Cornetana.

Postremis tabulis anni 1657. sacerdos Claudius Menichini geminas instituit capellanias alteram in terra Fabricae, alteram in ecclesia parochiali s. Martini civitatis Corneti, de qua posteriori, cum modo controversia sit, praestat in primis quoad hanc capellaniam s. Martini voluntatem testatoris enucleare.

Legavit itaque huic capellaniae bona, ex quibus nunc quotannis redeunt annua scuta *quadraginta »cum onere et obligatione missarum quatuor celebran. in singulis hebdomadis ad altaria praedicta* (s. Martini et s. Michaelis Archangeli) *in dicta ecclesia s. Martini existentia in perpetuum personaliter per ipsum capellanum nominandum . . . necnon cum onere et obligatione exercendi officium pietatis in adjuvandis agonizantibus in dicta parochia s. Martini alternatim unacum ejusdem parochiae rev. curato pro tempore in perpetuum.«*

Jussit, ut in occurrentibus praesentationibus haberent praerogativam nominationis descendentes ex nepte sua Lavinia »*si ad annum vigesimum pervenerint, si intelligent saltem literaliter quod legent et si vitae probitatis et morum honestatis digno testimonio nitantur.* His deficientibus voluit »*quod capellanus praesentandus*« *esset quoad fieri possit aliquis sacerdos vel in sacris ordinibus constitutus terrae Fabricae et si ibi non adsit idoneus sit de terra Corcani etc.*

Capellanis porro vetuit ne possent capellanias permutare vel alteri cedere. *Si vero uni vel altero capellano opus esset abesse pro suis negociis quomodolibet anno per duos menses tantum sibi liceat et non ultra, modo per id tempus satisfieri curet dictis suis oneribus, alioquin ultra id tempus curatus unius vel alterius ecclesiae praedictarum capellaniarum possit substituere alium ad dicta onera cum eleemosyna duorum juliorum pro quolibet sumptibus capellani absentis usque ad tres menses tantum et non ultro et in eventum contumaciae alterius patroni . . . habeant facultatem praesentandi alium sacerdotem ad hujusmodi capellaniam sic non officiatam per proprium capellanum tantum absentem et negligentem.*

Ad titulum hujus capellaniae ordines suscepit ab anno 1794. sacerdos Dominicus Lastrai, qui postea anno 1802. factus est coadjutor Archipresbyteri Cathedralis, qui habet onus servitii chori et annexam curam animarum parochialis ecclesiae s. Leonardi civitatis Corneti. Ab eoque tempore sacerdos Lastrai onera capellaniae Menichini per

*) Vide *Nat. ab Alex. Theol. dogm. et mor. de* benef. eccles. regul. XXX. ubi contrarium firmissimis statuitur argumentis.

alium praestitit scilicet missas per alios celebravit et cum parocho s. Martini pactus est, ut ipse susciperet onus adsistendi agonizantibus accepto annuo emolumento scutorum *octo*. At in sacra visitatione praeterito mense Septembris peracta vigilantissimus Episcopus Cerviensis administrator apostolicus Montis Falisci et Cornetanae dioecesis ratus non posse sacerdotem Lastrai utrumque archipresbyteratus et capellaniae beneficium retinere, quippe quod in onerum adimplemento incompatibile; decretum edidit hujusmodi:

I. Che il paroco di s. Martino rinunzi al signor Arciprete Domenico Lastrai l'assunto impiego di adempire egli per lui il peso di assistere agli agonizzanti della stessa sua parochia di s. Martino, e provegga alla sua coscienza.

II. Che il signor Arciprete Lastrai paroco coadjutore della parochia di s. Leonardo stante l'obbligo dell' intervento personale del coro, e la cura delle sua parrochia e l'impossibilita di potere egli per li personali suoi doveri su indicati coadjuvare alternativamente col detto signor paroco di s. Martino gli agonizzanti di questa sua parochia, rinunci il beneficio, o capellania Menchini, o arcipretura della Cattedrale portante il peso della parrochia di s. Leonardo, accordandogli un mese di tempo dalla data di questo giorno primo Settembre a risolvere, ed a rinunziare o alluno, o all' altro personale dovere incompatibili ominamente nella stessa persona del signor Arciprete Lastrai. Cio non eseguendosi da lui Sua Sig. Illma, e Rma prendera quelle risoluzioni contro di lui, che gli vengono prescritte dalle leggi canoniche e consiliari.«

Ab hoc decreto reclamavit Archipresbyter Lastrai ad Sanctissimum delegatisque precibus ad s. Congregationem rogata est sententia Episcopi administratoris apostolici *auditis interesse habentibus*. In sua informatione Episcopus multa deducit inferius referenda inde evincat ex testatoris Menichini voluntate onus adjuvandi agonizantes in paroecia s. Martini *personaliter* a capellano esse exequendum, propterea que non posse oratorem utrumque beneficium retinere. Quoad missas quatuor heddomadales celebrandas, geminas ad altare sancti Martini, geminas ad altare s. Michaelis Archangeli, licet postea ex decreto anni 1801. ab Episcopo ad medietatem redactae sint, refert Episcopus eas quidem celebratas fuisse quoad numerum, sed non in altari designato. Nam, quae per se Archipresbyter applicavit, celebratae fuere extra ecclesiam s. Martini, quae vero per alium celebratae fuerunt, extra civitatem Corneti in oppido s. Martini. Affirmat tamen capellanus Lastrai, se facultatem ad hanc rem oretenus ab Episcopo habuisse. Praesens capellaniae redditus est quotannis scutorum quadraginta, onera vero imputatis vectigalibus, cathedratico et eleemosina missarum attingunt 50. 29. 52. et pro capellano supersunt libera (praeter scut. 20. 40. ex dictis eleemosinis) scuta 11. 48. Ex his concludit posse tantum tolli incompatibilitatem utriusque beneficii, *si Sanctitas Sua apostolica auctoritate ejusdemque plenitudine menti voluntatique fundatoris praefataeque capellaniae derogare eamdemque prorsus annullare dignetur. Tunc enim orator per alium sacerdotem, qui curam animarum minime habeat, enarrata ea onera, quae a suo capellano personaliter vult adimpleri, tuta conscientia adimplevisse poterit adfirmare.*

Archipresbyter Lastrai impressum distribuet *Memoriale*. In hoc ait decretum s. visitationis duas habere partes. In *prima* Episcopus jussit, ut rescinderetur conventio inita inter Archipresbyterum Lastrai et parochum sancti Martini, ex qua hic in se recepit onus adessendi infirmis pacto stipendio scutorum octo, atque in hac re Archipresbyter Lastrai paratum esse ait decreto s. visitationis obtemperare. In *altera* vero decreti parte optio datur Archipresbytero, ut vel coadjutoriam vel capellaniam infra mensem dimittat. Negat porro Archipresbyter se ad id compelli jure posse. Non enim retinet duo beneficia sub eodem tecto*) contra praescriptum *tex. in cap.: Ad haec* et in *cap.: De multa de praeben.* et in *cap. 1. De consuetud.*, nec plura retinet beneficia, quam congrua requirat substentatio, id quod defendit *s. Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 17. de reform.*, nec tandem retinet duo beneficia *residentialia*, quae incompatibilia sint. Nam archipresbyteratus ipse non possidet titulum, sed coadjutoriam, neque illius redditus percipit; capellania vero Menihini naturam habet simplicis beneficii.

Refutat porro argumenta, quae ex lege fundationis deducuntur, ut demonstretur capellaniam Menihini esse *residentiale* beneficium, vel quia fundator injunxit onus celebrationis quatuor missarum, vel qua jussit, ut capellanus una cum parocho s. Martini alternatim adesset infirmis, vel quia vetuit capellano, ne ultra tres menses a loco beneficii abesset.

*) Vd. *p. 383. n. 17.*

Nam ad primum quod attinet impositum celebrationis onus non inducit qualitatem residentialis beneficii, *Card. de Luc. disc. 38. num. 2.*, licet injunctum sit, ut capellanus per se deservire debeat, cum agatur de residentia impropria et discontinua, ut tradit *Rota coram Ansaldo decis. 82. num. 33.*

Ad onus, quod attinet coadjuvandi agonizantes, sane non jussit fundator, ut capellanus illud per se et non per alium obiret; immo qui in nominationibus capellani praetulit descendentes ex nepte sua Lavinia, *si intelligent saltem literaliter, quod legent*, qui admisit extraneos etiam in s. ordinibus constitutos, hoc ipso declaravit, nolle se imponere capellanis hanc conditionem, ut onera per se impleant; qua deficiente conditione, cum per alium hoc munus praestare possit, non censetur inducta residentia *praecisa*, sed *occasionalis*,*) quae non secumfert beneficii *imcompatibilitatem*, ut docet *Rota coram Priolo decis. 84. num. 9. et 10.* Maxime cum hoc onus capellano imposuerit, ut auxilium ferret parocho s. Martini, a cujus arbitrio idcirco pendet, quando infirmis capellanus adesse debet. Ubi autem residentia pendet a voluntate alterius incerta *et causativa* censetur. *Rota in rec. par. 2. dec. 89. n. 2.*

Tandem si testator prohibuit capellanis, ne a loco abessent, non idcirco onus residentiae imposuit; non bene enim ab uno ad aliud onus infertur, ut tradit *Rota dec. 2. num. 8. impres. post Scarfanton. ad Ceccoper.* et s. Congregatio *in Asten. 14. Februarii 1679* quam refert *Fagnan. in cap.: Ut Abbates num. 68. de aetat. et qualitat.* definivit capellanum non teneri ad personalem residentiam, licet ex fundatione deberet in oppido domicilium retinere.

Quae omnia concludit Archipresbyter ex observantia illustrantur, cum hanc capellaniam anno 1665 et 1768 duo clerici tenuerint, qui per se onera implere non poterant et in postremo statu ipsos parochos s. Martini hanc capellaniam retinuisse constat. Ex quibus cum pateat, capellanos onera per se non exercuisse et beneficium incompatibile quale est parochiale una cum capellania possedisse, quin ullam impetraverint dispensationem apostolicam, jam ex ipsa observantia declaratur natura simplicis beneficii, quod cum residentiale incompatibile non est ad tradita *per Rotam in Nullius seu Piscien. Beneficii 13. Martii 1720 cor. de Gamaches impres. post Scarfant. ad Ceccoper. decis. 1. num. 6.*

Contra haec Episcopus administrator, cui suffragantur omnes ii, qui ex fundatione habent jus nominandi, putat onera per ipsum capellanum esse implenda. Etenim, ubi injunxit testator onera, aperte jussit, ut per capellanum *personaliter* implerentur. Neque hoc cavit de onere tantum missarum, verum etiam de alio onere opem praebendi agonizantibus. Nam utrumque onus conjunxit per particulam *necnon*, quae copulativa est, et utramque orationis partem conjungit, ad tradita per *Rot. decis. 17. num. 6. part. 18. recent. et decis. 211. num. 2. cor. Lancetta.* Id quod apertius apparet ex eo, quod si capellani ultra tres menses abessent, testator eosdem a capellania removeri mandavit. Satis enim ex hoc patet noluisse testatorem, ut per alium onera implerentur. Quod si clerici et ii qui in s. ordinibus constituti sunt ex fundatione nominari possunt, non ex hoc sequitur, ut si presbyteri capellaniam teneant eximantur ab oneribus *personaliter* exequendis. Nihil porro referre putat Episcopus, si clerici ad capellaniam nominati fuere. Id enim evenit in consanguineis fundatoris, quos ipse nominari permisit, etiamsi essent clerici nec per se onera implere possent. Tandem nil refragatur, si parochi s. Martini capellaniam exercuerunt sine ulla dispensatione. Nam cum aperta sit testatoris voluntas ab exemplis non est judicandum.

Si ex his censeant EE. PP. non posse Archipresbyterum Lastrai capellaniam una cum archipresbyteratu retinere et juxta, ac praescripsit, decretum s. visitationis si compellendus erit ad alterutrius beneficii renunciationem, de quibus in *primo dubio* quaeritur, tum dirimere dignentur *alterum dubium*, num sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ad effectum retinendi utrumque beneficium et deputandi idoneum sacerdotem, qui onera beneficii Menihini adimpleat.

*) Vd. ***Residentia.***

Sane Archipresbyter Lastrai ordinatus fuit ad titulum hujus capellaniae, ita ut si eam dimitteret sine patrimonio esset et irregularis evaderet. Nec subrogare posset beneficium archipresbyteratus, cum in hoc sit coadjutor, nec quidquam percipiat.

Duo proponuntur dubia:

I. *An decretum s. visitationis sit servandum in casu?*

Et quatenus *affirmative*,

II. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione ad effectum retinendi utrumque beneficium in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative durante coadjutoria dummodo per alium idoneum sacerdotem onus adsistendi agonizantibus adimplere faciat.

Die 22. Julii 1815.

III. Dispens. apostolica in quibus beneficiis requiritur?

Vd. *Benefic.* (sub eodem tecto quae sunt? p. 383. n. 17.); *Ferraris*; p. 739: *Sabinen*; vd. n. I. II.

Dispensatio apostolica, ut cum justa causa possint simul ab uno plura beneficia licite retineri, requiritur

I. In omnibus beneficiis de se incompatibilibus, ut sunt illa, quae vel ex jure naturali divino aut ecclesiastico vel saltem ex consuetudine, statuto seu fundatione continuam et incompatibilem residentiam personalem requirunt; v. g. duo episcopatus, duo beneficia curata, duae dignitates, duo personatus, duo canonicatus et alia hujusmodi, quae, ex quo requirant perpetuam personalem residentiam, sunt incompatibilia; *c.: Ad haec 13., c.: Praeterea 14., c.: Cum non ignores 15.* et *cap.: De multa 28. de praebend.* et Conc. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reformat.*

II. Dispensatio apostolica requiritur in beneficiis etiam de se compatibilibus, quando unum est sufficiens ad congruam beneficiati sustentationem; *cap.: Conquerente, de clerico non residente* et *c.: Cum teneamur 6. de praebend.*, ubi habetur etiam ad mandatum Papae non esse providendum illi de beneficio, *qui aliud beneficium habet, de quo valeat commode sustentari*, nisi hoc ipsum fuerit expressum, et Concil. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reformat.*, ubi statuitur, *ut imposterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur*, permittit secundum in eo solum casu, in quo primum est insufficiens et hanc esse mentem sacri Concilii Tridentini pluries declaravit sac. Congreg. ejusdem Concil. ut refert *Fagnan. in cap.: Cum jam dudum 19. de praebend. n. 71.* et *Garzias part. 11. de beneficiis cap. 5. num. 310. et sequent.*

III. Requiritur dispensatio apostolica, ut quis possit retinere tertium beneficium simplex etiamsi duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia, sac. Congreg. Conc. *in Anagn. 15. Aprilis 1628.* Immo beneficium tertium simplex etiamsi sit de jurepatronatus non potest retineri cum duobus aliis absque Sedis apostolicae dispensatione. sacr. Congreg. Conc. *in Bovinen. 13. Novembris 1627.*

VI. Requiritur dispensatio apostolica, ut quis obtineat et retineat duo beneficia uniformia etiam simplicia sub eodem tecto seu in eadem ecclesia; *cap.: De multa 28. §.: Hoc idem, de praebend.*, ibi: *Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat etiamsi curam non habeant animarum.* Concordat *cap.: Literas 9. de concessione praebend.*, ubi rejicitur allegata consuetudo generalis,*) quod unus in eadem ecclesia plures habeat praebendas, atque per assecutionem secundae praebendae prior ipso jure vacare dignoscitur, prout amplius declarant Glossa et doctores communiter *ibidem* et clare patet *in Clement. Si juxta, cap. 6. de praebend.*, ubi statuitur, quod praebenda prima vacet statim ac quis in eadem ecclesia fuerit pacifice aliam praebendam consecutus, ibi: *Primaque praebenda hoc ipso vacabit, cum secundam cum archidiaconatu praedicto pacifice fuerit assecutus.*

Unde, licet sine dispensatione apostolica non possint ab eodem obtineri et retineri simul duo beneficia uniformia sub eodem tecto seu in eadem ecclesia, possunt tamen sine tali apostolica dispensatione obtineri et retineri simul ab eodem duo beneficia difformia**) sub eodem tecto, quando unum non est sufficiens ad honestam clerici sustentationem, ut colligitur *ex c.: Eam te 7. de rescriptis*, ubi absolute dicitur, quod aliquis fuerit *Archidiaconus et Canonicus ejusdem ecclesiae* nulla facta mentione dispensationis apostolicae et hoc fortius probatur *ex c.: Consuetudinem 1. de consuetudine in 6.*, ubi circa finem decernitur, quod nulli liceat de caetero nisi unum personatum vel dignitatem aut praeposituram sive administrationem vel officium perpetuum, quocumque nomine censeantur, cum praebenda insimul absque dispensatione Sedis apostolicae in eadem ecclesia obtineri vel jam obtenta retinere; ponderando enim ly *Nisi unum*, quia exceptio firmat regulam in oppositum, *l. Quaesitum, §.: Denique, ff. de fundo instructo*, inferre licet, quod una cum praebenda sive canonicatu possit in eadem ecclesia etiam absque alia dispensatione apostolica simul obtineri unus personatus, dignitas aut praepositura etc. maxime si accedat Episcopi dispensatio; *Glossa in cit. c.: Consuetudinem* verb.: *Nisi unicum*, ibi: *Ergo videtur quod de dispensatione inferioris a Papa unicum personatum vel officium cum canonicatu et praebenda possit habere. Barbosa ibid. num. 4.* et *Francus num. 7., Pirhing. tit. de consuetudine num. 97.* Immo plures volunt nulla hodie opus esse dispensatione etiam episcopali ad talia beneficia difformia sub eodem tecto simul obtinenda et retinenda, quum jus ipsum istud concedat dummodo beneficiarius spectato statu suo eisdem vere indigeat pro sua honesta sustentatione; *Rebuffus tit. de dispensatione ad plura beneficia num. 29., Layman l. 4. theolog. moral. tract. 2. cap. 2. num. 9.; Garcias pag. 11. de beneficiis cap. 5. num. 139.* ubi post *Abbatem consil. 96. par. 2., Navarum consil. 28. de praebend.* pluresque alios cum *Rota in Caesenaten. Canonicatus 19. Februarii 1590. coram Gypsio* concludit beneficia hujusmodi de jure communi esse compatibilia, nisi alias sint sibi repugnantia ratione residentiae seu servitii et *num. 246. et 247.* asserit quod sac. Congreg. *in una Valentina 1593.* censuerit consuetudini permittenti, quod in eadem ecclesia dignitates cum praebendis canonicalibus teneantur, non esse derogatum a Conc. Trid. *sess. 25. c. 17. de reform.*

*) Vd. *p. 731. n. 76. a.*
**) Vd. *p. 383. n. 17.*

IV. Episcopus quando dispensare potest?

Vd. *infra n. VII. p. 750.; Ferraris.*

Episcopus potest dispensare

I. Ut quis retinere possit duo beneficia simplicia difformia sub eodem tecto, dummodo quodlibet non sit per se sufficiens ad sustentationem provisi. Colligitur ex Conc. Trident. *sess. 25. cap. 17. de reformat.*, ibi: *Quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens dummodo utrumque personalem residentiam non requirat eidem conferri;* et sic expresse declaravit sac. Congreg. ejusdem Conc., ut referunt *Garcias. part. 11. de beneficiis cap. 5. n. 377., Armend. tit. 9. de benefic. incompatibilitate n. 7., Franc. Leo in thesauro fori ecclesiastici p. 2. c. 8. n. 55.*

II. Potest Episcopus seu Ordinarius conferre secundum beneficium obtinenti primum sufficiens juxta suum verum valorem, sed insufficiens ob id, quod pensione est gravatum, dummodo provisus post collationem sibi factam non consenserit pensioni. Sic decisum fuisse a sac. Congreg. Conc. referunt *Garcias cit. part. 11. de beneficiis cap. 5. n. 310. dub. 4., Armend. cit. titul. 7. de beneficior. incompatib. n. 47. in 4. respons., Barbosa de offic. et potest. Episcop. p. 3. allegat. 62. num. 7.* et in Trid. *sess. 24. c. 17. de reform. n. 5.*

III. Potest Episcopus dispensare, ut habens beneficium insufficiens sive curatum sive simplex possit etiam aliud simplex per se sufficiens obtinere, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, ut colligitur ex Tridentino *sess. 24. cap. 17. de reformat.*, ibi: *Liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri*, per quae verba non disposuit Concilium simpliciter, ut habenti unum beneficium insufficiens ad honestam sustentationem possit conferri aliud, sed ut possit aliud sufficiens. Nec addidit: *sufficiens unacum primo*, sed solum dixit *sufficiens* et sic videtur intellixisse de alio, quod per se sufficiat, ut optime explicat et solide probat *Fagnan. in c.: Cum jam dubium 18. de praebend. n. 57. et 59.* Nec valet dicere quod sicuti habens unum beneficium sufficiens non potest ex ipso Concilio *loc. cit.* sine dispensatione apostolica obtinere et retinere aliud etiam insufficiens, sic nec etiam habens beneficium insufficiens poterit ipsum retinere cum alio per se sufficiente. Non valet, in-

quam, quia inter utrumque casum magna intervenit ratio disparitatis; nam qui habet primum sufficiens, cum jam habeat congruam sustentationem, videtur moveri ad impetrandum secundum beneficium ex avaritia et ambitione, quae sunt praecipuae causae, ob quas prohibetur pluralitas beneficiorum; *cap.*: *Cum jam dudum 18. de praebend.*, ibi: *Multitudo videlicet tam dignitatum quam etiam praebendarum ambitionis et avaritiae vitium*, et notat ibi *Innoc. n. 3.* et *Fagnan. num. 58.* et *Pirhing. lib. 3. tit. 5. sect. 5. de praebend. num. 186.* At qui habet primum non sufficiens juste petit secundum ad sui honestam sustentationem et quamvis ex accidenti contingat, ut secundum per se sufficiat, tamen petendo illud non peccat, cum non faciat Concilii auctoritate; *cap.*: *Qui peccat. 40. caus. 23. qu. 4.*, ibi: *Qui peccat, non peccat legis auctoritate sed contra legis auctoritatem*, nec recipiendo secundum sufficiens debet incidere in poenam privationis primi non sufficientis, quia cum lex hoc permittat *quod legitime factum est, nullam poenam meretur*, ut dicit *text. in leg. Gracchus c. ad L. Jul. de adult.*, Glossa 1. *in cap. 2. de constit.* et Glossà *in cap.*: *Nihil in, verb.*: *Aetatis de elect.* et sic expresse tenent *Fagnan. in cit. c.*: *Cum jam dudum n. 57. et 58.*, *Pirhing l. c.* et *Reiffenstuel. lib. 3. tit. 5. n. 266.* et alii.

V. Episcopus quando dispensare non potest?

Non potest Episcopus dispensare, ut habens duo beneficia, etiam simplicia et ad honestam clerici sustentationem non sufficientia, possit obtinere et retinere tertium beneficium, etiamsi omnia simūl ad beneficiati sustentationem non sufficiant. Sic fuit pluries declaratum a sac. Congr. Conc. et signanter *die 10. Maji 1607* et die *15. Aprilis 1628 in una Anagn. Sic beneficium tertium simplex retineri non potest absque provisione Sedis apostolicae, quamvis duo priora sint ad obtinentis sustentationem insufficientia.* Et hanc esse veram mentem sacri Conc. Tridentini, quod non possit Episcopus dispensare, ut ultra duo beneficia etiam insufficientia ad honestam sustentationem alia obtineantur et retineantur, testatur *Fagnan. in cap.*: *Cum jam dudum 19. de praebend. num. 71.* de mente ipsius sacrae Congregationis Conc. quae, ut dicit ipse, saepius in casibus contingentibus respondit: *Episcopum habenti unum simplex beneficium, quod non sufficiat ad ejus sustentationem, posse aliud simile conferre, sed non posse ultra duo absque dispensatione Sedis apostolicae, etiamsi omnia simul ad illius sustentationem non sufficiant.* Immo neque potest Episcopus dispensare, ut quis retineat tertium beneficium simplex, etiamsi esset de jurepatronatus, ut decrevit sac. Congreg. Conc. *in una Bovinen. 13. Novembr. 1629*, in qua cum dubitatum fuisset:

An habens duo beneficia simplicia tertium de jurepatronatus ad praesentationem patronorum auctoritate ordinaria assequi et retinere possit absque dispensatione apostolica?

Sac. Congr. censuit: *tertium beneficium simplex etiamsi de jurepatronatus non posse retineri cum duobus aliis absque Sedis apostolicae dispensatione*; et sic etiam censuit in *Bitecten. 6. Decemb. 1721.*

Traditis omnino consonant, quae habet *Card. Lambert. postea Bened. XIV. in epistola ad Canon. Jo. Bapt. Scarselli*, quae est in *instit. eccles. 91. edit. lat.* merito consulenda et observanda.

VI. Excusationes.

Vd. *Beneficium* (plura poss. — dispensatio p. 737; consuetudo p. 731).

VII. Necessaria est.

Vd. *Benef.* (plura poss. — poenae, const. Innoc. III. p. 752.) *Eccles. paroch.* (Unio non concessa, decr. *Sulmon.* 13. Junii 1711.)

Constit. Greg. X. in Conc. gen. Lugd. c. 3. de off. ord. in VI. 1. 16.

»Ordinarii locorum subditos suos plures dignitates vel ecclesias, *quibus animarum cura imminet*, obtinentes seu personatum aut dignitatem cum alio beneficio, *cui cura similis est annexa*, districte compellant dispensationes, auctoritate quarum hujusmodi ecclesias, personatus seu dignitates canonice tenere se asserunt, intra tempus pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio exhibere. Quod si forte justo impedimento cessante nullam dispensationem intra idem tempus contigerit exhiberi, ecclesiae, beneficia, personatus seu dignitates, quae sine dispensatione aliqua eos ipsos illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Ceterum si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat, exhibens nequaquam in

beneficiis hujusmodi quae canonice obtinet molestetur. Provideat tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus seu dignitatibus negligatur nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitae sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem apostolicam recurrendum, cujus est aestimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus et dignitatibus et aliis beneficiis, curam habentibus animarum annexam, iidem Ordinarii diligentiam illam observent, ut personatum, dignitatem vel aliud beneficium similem curam habens animarum alicui plura similia obtinenti non ante conferre praesumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur; qua etiam ostensa ita demum ad collationem procedi volumus, si appareat per eandem, quod is, cui est collatio facienda, hujusmodi personatum, dignitatem vel beneficium retinere libere valeat cum obtentis, vel si ea, quae sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de personatibus, dignitatibus et beneficiis talibus facta collatio nullius penitus sit momenti.«

Constit. Alexd. III. in conc. Later. c. 3. X. de cler. non resid. III. 4.

Quia nonnulli modum avaritiae non ponentes dignitates, diversas eccles. et plures eccles. parochiales contra ss. canonum instituta nituntur accipere, ut quum unum officium vix implere sufficiant stipendia sibi vindicent plurimorum, ne id de caetero fiat districtius inhibemus. Quum igitur ecclesia vel eccles. ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quaeratur, quae residere in loco et curam ejus per se ipsam valeat exercere. Quodsi aliter actum fuerit et qui receperit, quod contra s. canones accepit amittat et qui dederit largiendi potestate privetur.

Bitecten.

Ad dub. I. An obtinens primum beneficium sed liberae collationis sive de jurepatronatus laicorum ad sui substentationem sufficiens possit absque dispensatione apostolica retinere secundum de jurepatronatus laicorum in casu?

II. An obtinens duo beneficia sive liberae collationis sive de jurepatronatus laicorum minime sufficientia ad congruam sustentationem possit retinere tertium et quartum de jurepatronatus laicorum absque dispensatione apostolica?

S. C. C. resp.

Ad 1: Negative.

Ad II.: Negative et ad mentem et mens est, quod Episcopus non molestet ullum nisi certiorata s. Congregatione.

Die 22. Novb. et 6. Dec. 1821 ad 1 et 2.

Tridentina.

Beneficiorum pluralitatem permittit Tridentina synodus *sess. 24. cap. 17. de reform.*, si ad vitam ejus, cui (unum beneficium) confertur, honeste sustentandam non sufficiat. Secundum in hoc casu conferre potest Episcopus, quoties simplex sit, personalem non requirat residentiam, uniforme non sit primo et sub eodem tecto. His enim concurrentibus apostolica opus est dispensatione, ut pluribus collectis, probat *Ferrar. in biblioth. legal.* verb.: *Beneficium cap. 6. num. 54.* Uniformia autem et similia dicuntur beneficia, quae in una ad eumdem finem instituta sint ecclesia idemque habeant onus et officium eodem tempore peragendum, *Piasec. in prax. Episc. part. 2. cap. 5. art. 3. num. 73.* Libere quidem dispensare valet summus Pontifex ad duo hujus generis beneficia. Non solet tamen nisi justa et rationabili causa accedente, *Ferrar. loc. cit. num. 49*, tresque sunt ejus species: *necessitas*, *ecclesiae utilitas*, *merita*; *Abbas in cap. 27. de praeben. num. 7*, *Pirching. lib. 3. tit. 5. sect. 5. de praebend. num. 191.*

Die 20. Septbr. 1788.

c) Quando licet plura beneficia possidere?

Vd. supra *p. 170* §§.: *Quoniam*; *Benef.* (*Incompatibilit.* p. 606. b.) *Beneficiatus* (qui simul canonicus est p. 137). *Beneficium* (plura possid. — causae p. 737).

d) Peccatum committit, qui sine dispensatione plura benef. possidet.

Retinens sine justa dispensatione plura beneficia, quorum unum sufficiat ad sui honestam sustentationem, peccat mortaliter et est in statu damnationis aeternae. Sic expresse *glossa* communiter recepta *in cap.*: *Dudum 34. de electione verb. retinere*, ibi: »Nota quod qui habet plura beneficia, quorum

alterum per se sufficeret, non potest sine mortali peccato retinere aliud« et colligitur *ex cap.: Quia in tantum 5. de praebendis*, ubi Alexander tertius dicit quod *multitudo praebendarum canonibus inimica . . . certum continet periculum animarum*, et ex Conc. Trident. *sess. 2. c. 17*, ubi praemissa plurium beneficiorum retentionis prohibitione dicit quod quì improbae cupiditatis affectu plura beneficia simul obtinere non erubescunt non Deum, sed se ipsos decipiunt, ibi: *Se ipsos non Deum decipientes.* Cujus dispositioni, dicit *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 5. allegat. 62. num. 2, si quis contrafacere intenderit, mortifere peccubit et vivet in statu damnationis* et sic tenet s. *Bernardus epistol. 271. ad Comitem Theobaldum et lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papam cap. 6, Abbas in cit. cap.: Dudum de elect. num. 36, Navarrus cap. 25. manual. 125, Azorius p. 1. t. 6. cap. 10. qu. 1. et 7.* asserens pluralitatem beneficiorum, quorum unum honestae clerici sustentationi sufficiat, jure etiam naturali damnatam esse; *Sylvester verb.: Beneficium cap. 4. quaest. 1. in fin., Piasecius in praxi episcopal. par. 2. cap. 5. art. 3. num. 83, Layman, Parisius, Sannig.* aliique fere communiter cum *Reiffenstuel. lib. 3. tit. 5. de praebend. n. 214.* et *Fagnan. in cap.: Quia in tantum 5. de praebend. num. 16.* Unde concludendum est cum divo Bernardo relato a divo *Thoma quodlib. 9. art. 15*: Qui non unus, sed plures est in beneficiis, *non unus sed plures erit in suppliciis.* Et de facto multa habentur horribilia exempla eorum, qui propter pluralitatem beneficiorum aeternaliter damnati sunt, ut referunt *Joannes Geylerus in navi fatuorum turb. 27, Villadiego* et alii *cit. in annot. ad decis. 90. n. 29. et in annot. ad decis. 90. n. 29. et in annot. ad dec. 254. n. 68. part. 9. tom. 1. Rotae romanae.*

e) Poenae.

Alexdr. PP. II. Lucensis Ecclesiae Canonicis.

Illud non minima correctione indigere prospeximus, quod quidam clericorum plus suae avaritiae quam ecclesiae consulentes in duabus vel etiam in tribus ecclesiis ministrare noscuntur; et cum uni vix congrue et opportune sufficiant ambitu pecuniarum illecti duabus vel tribus, sicut diximus, suum officium pollicentur; sicque fit, ut cum plures vicissim percurrunt nullam canonice et juste regere valeant. Quapropter hanc quoque causam in melius reformantes constituimus et praesenti decreto firmamus, nullum qui in majori et matrici ecclesia deinceps fuerit ordinatus, aliam praeter ipsam posse tenere ecclesiam, sed sicut sacri praecipiunt canones ipsa et sola contentus, ut competens in ea possit exercere servitium. Nec vaget et instabilis huc illucque discurrat sed singulari ecclesiae quasi fixus et immobilis perseveret. Quod si quis temerario ausu haec omnia, quae salubriter ad utilitatem sanctae ecclesiae constituta sunt, violare vel infringere tentaverit, noverit, se apostolica auctoritate, nisi resipuerit, gradus sui periculo subjacere et ecclesiastici beneficii fieri expertem; et insuper pro sua temeritate a clero repulsus laicorum tantum communioni deputetur. Si vero adhuc quoque obstinato animo in eadem pertinacia manere praesumpserit et admonitus ad hoc, quod salubriter decrevimus, reverti noluerit, a liminibus sanctae matris ecclesiae, quam impugnare non desinit, alienus existat. Conservator autem hujus nostrae canonicae dispositionis apostolica sit munitus intercessione et gaudeat coelesti repletus benedictione.

Anno 1073. (Bull. r. t. II. p. 55. Ed. Aug. Taur. 1859.)

Constit. Innoc. III. c. 28. X. de praeb. III. 5.

De multa providentia fuit in Lateranensi concilio prohibitum, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas vel plures ecclesias parochiales reciperet contra sacrorum canonum instituta; alioquin recipiens sic acceptam amitteret et largiendi potestate conferens privaretur. Quia vero propter praesumptiones et quorumdam cupiditates nullus hactenus aut rarus de praedicto statuto fructus provenit Nos evidentius et expressius occurrere cupientes praesenti decreto statuimus, ut quicunque receperit aliquod beneficium *curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit ipso jure privatus, et si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur.* Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius libere conferat, cui merito viderit conferendum et si ultra sex menses conferre distulerit non solum ad alios secundum Lateranensis concilii statutum ejus collatio devolvatur verum etiam tantum de

suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiae cujus est illud beneficium assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum, addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen et literatas personas, quae majoribus beneficiis sunt honorandae, quum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.

Comen.

Ecclesia semper beneficiorum pluralitatem vetuit nisi justa causa et legitima intercesserit dispensatio, *cap.: Referente 7.*, et *cap.: Praeterea 14. de praeb. et dignitat.* Imo sacri canones et pontificiae constitutiones poenas statuunt contra duo beneficia praesumentes retinere. Celeberrima est illa Innocentii III. constitutio, quae incipit: *De multa*, ubi disponitur: »ut quicumque receperit aliquod beneficium curam habens animarum annexam, si prius tale beneficium habeat, eo sit ipso jure privatus et si forte illud retinere contenderit etiam alio privetur. Is quoque, ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem alterius conferat, cui merito viderit conferendum . . . Hoc idem in personatibus esse decernimus observandum addentes, ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates aut personatus habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum.« Hinc orta est beneficiorum incompatibilitas, quae vel ipso jure vacans reddit beneficium prius obtentum vel obligat beneficiatum illud dimittere. Haec canonum praescripta renovata fuere a s. Concilio Tridentino *sess. 7. cap. IV. de reformatione*, ubi clare disponitur beneficiatum, qui incompatibilia beneficia retinere praesumat, utriusque ipso jure privatum existere. Hinc est quod haec sacra Congregatio et canonistae omnes semper docuerunt, per plenam assecutionem secundi beneficii quomodocumque incompatibilis primum vacare. *Fagnan. 28. de praebend.*

Die 14. Decbr. 1822.

f) Terminus praefigendus, ut alterutrum beneficium quis dimittat.

Vd. *Beneficium* (possessio decennalis p. 757.)

Narnien.

Praefiniendus est terminus ad deliberandum: utrum quis capellaniam vel canonicatum dimittere velit, ut statuit s. Congregatio *in Neapolitana Capellaniarum 15. Septembris 1770.*

Die 30. Aug 1817.

g) Vetitum est plura benef. possidere.

Vd. *Ferraris; p. 731. n. 76. a. etc.*

Firmana.

Sacrosancta Tridentina synodus antiquioribus ecclesiasticae disciplinae institutis pluralitatem beneficiorum improbantibus, de quibus in *can. Sanctorum dist. 70. cap. 13. num. 15. 18. 28. et 30. de praebend.*, *in cap.: De multa eodem tit.* et in *cap.: Nonnulli de cler. non resid.*, cum aliis copiose relatis per *Thomasin. de vet. et nov. eccles. discipl. tom. 2. lib. 3. cap. 5. ad 10.*, hanc saluberrimam constituit sanctionem *sess. 7. cap. 4. de reform.*, ibi: Quicumque de caetero plura curata aut alia incompatibilia beneficia ecclesiastica sive per viam unionis ad vitam seu commendae perpetuae aut alio quocumque nomine et titulo contra formam sacrorum canonum et praesertim constitutionis Innocentii III., quae incipit: *De multa* recipere ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, etiam praesentis canonis vigore privatus existat; consonatque pariter *cap. 17. sess. 24. de reform.* Verumtamen memorati sacri canones atque Tridentini Patres et canonistae mox enunciati loquuntur de beneficiis *ecclesiasticis* eorumque dumtaxat pluralitatem prohibent, non autem de laicali capellania, quae tamquam non comprehensa sub decreto sacri Concilii Tridentini posse licitè valideque retineri tradit *Lambertin. de jurepatr. part. 1. lib. 2. quaest. 7. artic. 15. num. 15.*, *Massobr. in prax. haben. concurs. requisit. 7. dub. 17. et seqq.*, *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 24. cap. 17. sub numer. 8.*, declaravit sacra Congregatio, ut habetur apud *Garz. de benefic. part. 11. cap. 5. num. 318.*, et *in Bitecten.**) *6. Decembris 1821.*, in qua proposito dubio: *An id, quod procedit in retentione beneficiorum, procedere etiam debeat in legatis piis et capellaniis de jurepatronatus laicorum in casu?* responsum fuit: *Negativè.*

*) Vd. *supra* p. 751.

Hanc tamen sententiam limitant iidem doctores dummodo scilicet capellania nullam requirat personalem residentiam et non sit incompatibilis cum obtenta dignitate, parochia vel alio residentiali beneficio, quo casu capellania ab Episcopo Bacher retineri non possit. Porro ex duplici circumstantia conjici putat patronus capellaniam residentialem esse et incompatibilem cum quocumque beneficio vel dignitate residentiali, nimirum primo, quia capellaniae fundatores expressam imposuerunt capellano legem per se ipsum celebrandi Sacra ad altare s. Venerandae collegiatae ecclesiae oppidi s. Elpidii ad mare, quod praecisam residentiam importare definivit sacra Congregatio in *Tudentina Capellaniarum 25. Januarii 1738.*, cujus proposito dubio: *An capellaniae, de quibus agitur, sint residentiales, ita ut capellani teneantur adimplere per se ipsos onera a fundatore praescripta in casu?* responsum fuit: Affirmative.

Die 23. Febr. 1782.

Pluralitas beneficiorum est prohibita eidem personae cujusvis dignitatis, etiamsi Cardinalatus honore fulgeat; Concil. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reformat.* ibi: »Cum ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat clericorum sancte sacris canonibus cautum fuit neminem oportere in duabus ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improbae cupiditatis affectu se ipsos non Deum decipientes ea quae bene constituta sunt variis artibus eludere et simul beneficia obtinere non erubescunt, sancta synodus debitam regendis ecclesiis disciplinam restituere cupiens praesenti decreto, quod in quibuscumque personis quocumque titulo etiamsi Cardinalatus honore fulgeant mandat observari, statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur.« Et colligitur ex Concil. Lateranensi III. in appendice *tit. Uni plura cap. 2.* et *cap.: Sanctorum 2. dist. 70.* et *cap.: Singula 1. dist. 89, cap.: Presbyteros 38. caus. 16. q. 1., cap.: Clericus 1., cap.: Clericum 2. caus. 21. quaest. 1.* et *cap.: Quia in tantum 5. de Praebend.*, ubi Alexander tertius dicit, quod multitudo praebendarum canonibus inimica dissolutionis materiam et evagationis inducit certumque continet periculum animarum. Et *extravagant: Execrabilis de praebendis*, ubi Joannes XXII. sic declamat contra pluralitatem beneficiorum obtinentes, ibi: »Unde inter caetera inconvenientia subscripta sequuntur, quod videlicet interdum unus, qui unum quamvis modicum vix officium implere sufficeret plurimorum sibi vindicet stipendia quae multis literatis viris vitae puritate ac testimonio bonae famae pollentibus, qui mendicant, possent abunde sufficere aequa distributione collata. Habentibus ipsa paratur vagandi materia, divinus cultus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur. Et dum non sunt sui in unaquaque regione rectores, ecclesiarum detrahitur commodis et honori, quae carentes defensorum auxilio in juribus suis et libertatibus multipliciter collabuntur et ruinis patent aedificia nobilia, quae magnificentia extruxerat decessorum. Et (quod amarius est dolendum) animarum cura negligitur et vitiorum sentibus fomentum periculose praebetur.«

Pluralitas beneficiorum ab eodem simul retentorum redditur incompatibilis generatim loquendo ex duplici capite, scilicet vel quia ipsa beneficiorum institutio non permittit, ut plura ab eodem administrentur, vel quia unum eorum ad honestam beneficiati sustentationem sufficit, nam tunc plura beneficia, licet caeteroquin compatibilia, simul retineri nequeunt. Quod incompatibilitas plurium beneficiorum ab eodem simul retentorum oriatur primo ex ipsa beneficiorum institutione talem pluralitatem in eodem non permittente, patet aperte in beneficiis, quae vel jure communi vel ex consuetudine, statuto seu fundatione continuam residentiam personalem postulant, ut sunt duo episcopatus, duae parochiae, duae dignitates, duo canonicatus aut duo hujusmodi officia ecclesiarum cathedralium et collegiatarum personalem residentiam requirentia, juxta Conc. Trident. *sess. 24. de reform. juncto cap.: Quia nonnulli 3.* et *cap.: Inter quatuor 10. de cleric. non residentib.* Quia enim nullus in duobus locis simul existere atque personaliter residere potest, sequitur evidenter, quod sint incompatibilia ac proinde simul ab eodem retineri non possint beneficia illa, quorum quodlibet requirit continuam residentiam personalem; *arg. cap.: Ad haec 13, cap.: Praeterea 14, cap.: Cum non ignores 15. etc., De multa 27. de praebend.* et expresse *Rota p. 1. dec. 124. part. 6. dec. 703. num. 3.* Et quod incompatibilitas beneficiorum oriatur etiam ex secundo capite, scilicet ex eo quod

unum ipsorum ad honestam beneficiati sustentationem sufficiat, licet caeteroquin de se sint compatibilia in eodem, habetur clare ex Trid. *sess. 24. cap. 17. de reformatione*, ubi praemissa illa generali ratione, quod »ecclesiasticus ordo pervertatur, quando unus plurimorum officia occupat clericorum, statuit ut in posterum unum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus cui confertur honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri«, et colligitur *ex cap.: Conquerente 6. de clericis non residentib. et cap. cum teneamur 6. de praebend.*, in quorum ultimo habetur etiam ad mandatum Papae non esse providendum illi de beneficio, *qui aliud beneficium habet, de quo valeat commode sustentari, nisi forte in literis ipsis de hoc mentio habeatur;* et expresse *Rota part. 9. tom. 1. dec. 281. num. 18.* et *Annotat. ad dec. 254. num. 66. 67. 68. part. 9. tom. 1.*

Lucius III. Episcopus. Servus Servorum Dei.

Venerabili Fratri Petro Episcopo et dilectis filiis G. Decano et capitulo Carnotensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ab eo, cui plus committitur, amplius exigatur, dignum est et consonum rationi, ut qui in ecclesia vestra prae aliis honorantur studiosius illi deserviant et utilitati ipsius intendant.

Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus apostolica statuendum, ut honores Carnotensis ecclesiae aliis de caetero minimè concedantur, nisi qui secundum antiquam et rationabilem consuetudinem residentiam se promiserunt habituros. Si autem post promissionem suam hoc nequaquam impleverint, ab ipsis reddantur honoribus alieni.

Ad haec auctoritate apostolica inhibemus ne quis in alia ecclesia beneficium habens in Canonicum ecclesiae vestrae aut plebanum presbyterum admittatur, nisi priori cesserit beneficio et a proprio fuerit Episcopo absolutus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Velletr. XVI. Calendas Februarii 1184. (Bull. r. t. IX. p. 30. Ed. Luxbrg.)

Lucius PP. III. Episcopo Pictaviensi.

Sane cum quidam viri religiosi, qui ad unum prioratum regendum vix sufficiunt, plerumque duos ambitione damnabili appetant et detinere praesumant, discretioni tuae praecipimus, ut hanc praesumptionem compescas et tam Abbates quam Archipresbyteros et decanos per tuam dioecesim constitutos ad suscipiendum ordinem sacerdotii, si idonei fuerint, appellatione remota compellas.

Die 13. Mart. 1184. (Bull r. t. III. p. 20.)

Nepesina.

Jure canonico, ne quis sub eodem tecto, idest sub eadem ecclesia plura beneficia obtineret, pro ipsius ecclesiae dignitate sanctissime cautum fuit, *cap. de Multa §: hoc id., Clem. ultim. tit. de praebend. et cap. literas de concess. praeb.*

Die 17. Junii 1786.

Narnien.

Pluralitas beneficiorum a jure reprobata est *in cap.: De multa 28. de praebend., Extravagan.: Execrabilis §: Qui tamen de praeben., Concil. Trid. sess. 7. cap. 4. sess. 24. cap. 17. de reform.* Multo sane magis privandus erit capellanus Ricci, qui nedum plura sed etiam incompatibilia beneficia retinet ad tradita per s. Congregationem *in Senogallien. Capellaniae 6. Junii 1739* et in *Firmana Capellaniae 15. Septembris 1770.*

Die 30. Aug. 1817.

77) Possessio.

Vd. *Institutio canonica.*

a) Capienda.

Declaratio super executione brevium seu literarum apostolicarum de capienda possessione beneficiorum ecclesiasticorum, cum interpretatione concilii Tridentini, sessione XXIV. capitulo XX.

Gregorius XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad romani Pontificis providentiam circumspectam pertinere dignoscitur dubia super

sacrorum conciliorum decretis pro tempore insurgentia, sic suae declarationis oraculo dilucidari et interpretari, ut exinde litium dispendia inter fideles quoslibet valeant submoveri.

§. 1. Accepimus sane nuper quod, licet multoties romanus Pontifex, ut provisiones et gratiae per eum de beneficiis pro tempore vacantibus ac suae et Sedis apostolicae dispositioni et ordinationi reservatis, in favorem diversarum personarum sibi gratarum et acceptarum factae executioni debitae demandentur et ne (dum literae apostolicae sub plumbo desuper expediuntur) beneficia ipsa ab aliquibus indebite occupentur aut aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta sustineant nonnumquam corporalem possessionem ipsorum beneficiorum et illis annexorum juriumque et pertinentiarum quomodocumque Sedis et camerae apostolicarum nominibus apprehendi, ac omnes et quoscumque fructus, redditus et proventus beneficiorum et annexorum eorumdem percipi, exigi eosque integros personis praedictis, postquam ipsae literas sub plumbo expeditas haberent, una cum dicta possessione consignari, quandoque vero, dum literae sub plumbo hujusmodi expeditae existunt, ut jus suum unicuique illorum conservetur et temerariorum audacia debita castigatione compescatur ac ipsae literae apostolicae facilius debitae executioni, ut par est, demandentur, provisus de beneficiis in corporalem, realem et actualem possessionem beneficiorum et annexorum juriumque et pertinentiarum praedictorum induci et inductos in ea manuteneri. amotis quibuslibet intrusis detentoribus ab eisdem, aliasque fieri et exequi, per diversas suas in forma brevis et sub annulo piscatoris confectas literas, mandet et praecipiat certis inibi modo et forma tunc praescriptis dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori seu aliis executoribus desuper deputatis quibus omnino parendum esset,

§. 2. Nihilominus nonnulli beneficiis praedictis inhiantes ac gratias praedictas eludere eorumque intrusiones et detentiones improbe tueri satagentes executionem literarum in forma brevis hujusmodi et facultatem per eas ipsis executoribus attributam diversis dubiis et cavillationibus remorentur et processus per eosdem executores desuper habitos et formatos ac inde secuta quaecumque nulla et invalida nulliusque roboris vel momenti esse neque attendi debere contendunt, sub praetextu quod in decreto sacri concilii Tridentini, sessione vigesimaquarta capitulo vigesimo, dispositum fuerit quod causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, exceptis his, quae juxta canonicas sanctiones apud Sedem praedictam sunt tractandae, vel quas ex urgenti rationabilique causa judicaverit summus Pontifex romanus, per speciale rescriptum signaturae suae, ejus manu propria subscribendum committere aut avocare. Verum, cum decretum hujusmodi concilii concessionem praedictarum literarum in forma brevis et illarum executionem nihil officiat neque per illas causa seu instantia introducantur, sed mere executive procedi mandetur, literae quoque in forma brevis, annulo piscatoris munitae, non minoris sint efficaciae et auctoritatis, quam rescripta signaturae romani Pontificis, ejus manu propria subscripta

§. 3. Nos in his nostrae debitae declarationis cautelam adhibentes ac provisorum praedictorum jus adversus dubia et cavillationes hujusmodi, aequitate et justitia suadentibus, praeservare volentes necnon praedictarum et quarumcumque literarum in forma brevis super capienda possessione nomine camerae hujusmodi, aut in favorem literarum sub plumbo expeditarum, tam a Praedecessoribus nostris quam a Nobis et dicta Sede hactenus concessarum, tenores ac litis et causae, si quae desuper executae sint, statum et merita nominaque et cognomina judicum, executorum et collitigantium, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, motu proprio, non ad ipsorum provisorum aut aliorum nobis pro eis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia ac de mera nostra deliberatione decernimus et declaramus per concessionem literarum in forma brevis et sub annulo piscatoris super capienda possessione quorumcumque beneficiorum dispositioni apostolicae reservatorum seu affectorum, Sedis et camerae apostolicarum nominibus apprehendenda et ejusdem possessionis in favorem provisorum ab ipsa Sede de eisdem beneficiis, postquam literas sub plumbo super provisionibus hujusmodi habuerunt expeditas, relaxatione necnon assistentia ipsis provisis, literas desuper sub plumbo expeditas habentibus, praestanda

et aliorum inibi expressorum executione facienda quae mandata executiva sunt et summariam dumtaxat causarum, propter quas illae emanarunt, cognitionem requirunt, decretis concilii hujusmodi non contraveniri nihilque praejudicii illis inferri vel eorum formam in aliquo violari, neque id dici aut censeri vel executionem literarum earumdem propterea in aliquo suspendi sive remorari aut facultatem literarum executoribus concessam impediri, sed executores ipsos et ab eis deputatos subexecutores facultates sibi per easdem literas, ut praefertur concessas, uti, frui, gaudere et contra illis non parentes ad declarationem incursus poenarum et censurarum in eisdem literis in forma brevis contentarum, ac invocationem brachii saecularis procedere ac alia omnia et singula in eisdem literis contenta, illarum tamen forma servata, facere et exequi libere et licite potuisse et posse; necnon processus desuper habitos et formatos habendosque et formandos ac inde secuta et sequenda quaecumque firma, valida et efficacia fuisse et esse et fore suosque integros et plenarios effectus sortiri debere in omnibus et per omnia.

§. 4. Praesentes quoque literas de subreptionis vel obreptionis vitio aut intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel invalidari nullatenus posse.

§. 5. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque judices et commissarios, quacumque auctoritate fulgentes etiam palatii apostolici auditores et sanctae romanae ecclesiae Cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere necnon irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Districtius inhibentes in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et praeeminentiae existentibus et quavis etiam episcopali, archiepiscopali vel alia majori dignitate et ecclesiastica etiam cardinalatus honore fulgentibus, et quavis saeculari potestate fungentibus ne decreto et declarationi nostris praedictis, quovis quaesito colore directe vel indirecte contravenire audeant vel praesumant.

§. 7. Et nihilominus universis et singulis nostris et dictae Sedis Nunciis ac locorum Ordinariis eorumque officialibus, quatenus ipsi et eorum singuli, per se vel alium seu alios, praesentes literas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit et quoties pro parte provisorum et executorum et subexecutorum praedictorum seu quarumcumque aliarum personarum in praemissis potestatem habentium vel alicujus ex eis fuerint requisiti, solemniter publicantes eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate nostra, praedictos provisos et executores et subexecutores seu alios in praemissis interesse habentes eorumque singulos decreto, declaratione, inhibitione et aliis praemissis pacifice frui et gaudere ac praesentes literas et in eis contenta hujusmodi ab omnibus, quos illa concernunt et concernent quomodolibet in futurum inviolabiliter observari. Non permittentes aliquem desuper contra illarum tenorem quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo ac legitimis, super his habendis servatis processibus sententias censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri, de una et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis, auctoritate praesentium, ad judicium non trahatur, aliisque apostolicis necnon in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum.

Die 10. Julii 1574.

(Bull. r. t. VIII. p. 82. Ed. Aug. Taur. 1863.)

b) Decennalis, triennalis.

Vd. *Beneficium* (incompatibil. — possessio — p. 616. g); privatio — causae n. III. 759. decr. *Savonen.* §.: *Caeterum* etc. §.: *Quibus certe* etc.; reservatum SS. Pontifici juxta regul. concellar. — regul. XXXVI.)

Narnien.

Solemne est in beneficialibus, ut ex possessione decem annorum praesumendus sit quilibet idoneus titulus etiam dispensationis apostolicae ad effectum retinendi duo incompatibilia beneficia, quin possessor turbari

possit, ut tradit *Rigant. ad reg. cancell. 30. num. 156.*

Die 30. Aug. 1817.

Regula 36. cancellariae apostolicae ita se habet: »*Si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione, per triennium pacifice possederit, super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat.*« Iis tantum exclusis, quos ibi expressis verbis regula excipit, nempe qui per simoniam intraverint aut semetipsos intruserint in beneficia non quaecumque sed reservata solum et ea tantum reservatione quae in corpore clauditur juris. Quorum duorum exclusio tam expressa aequivalet expresse ceterorum casuum inclusioni, quibus semper regula favet, juxta ea, quae tradunt *Fagnanus in cap.: Multa de praeb. n. 54., Wan. Espen. Juris eccl. univ. par. 2. tit. 26. n. 6., Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 13. num. 7., Gonzal. in lib. 1. decret. tit. 43. cap. 2. num. 2., Reiffenst. lib. 3. tit. 5. de praeben. et dignit., Card. Petra Comment. in const. apost. tom. 5. ad constit. Callisti III., s. Alfonsus de Lig. Theol. mor. lib. 3. tract. 5. de VII. decal. praec. et in append. de just. et jure num. 507., Rota in Tuden. Canonic. 5. Junii 1763. num. 17. cor. Mattheio*, s. C. Concilii *in Spolet. Impetration. 22. Nov. 1823., Forolivien. Jurispatr. 23. Junii 1838. et 27. Aprilis 1839. ad IV. dub.* ac *Rigant. in hanc regulam per totum.*

Savonen.

Quibus certe auctoritatibus liquet, triennales pacificos beneficiorum possessores (intrusis tantum et simoniacis exclusis) pro veris habendos et canonicis possessoribus in vim hujus regulae, quae tribuit robur juri invalido, dat meliorem titulum de mundo atque impedit omnes molestias de invaliditate ejusdem tituli, quadragenariae comparata praescriptioni, adeo ut opposita et justificata, aliae non sint partes judicis, quam num in pronunciando regulam obstare et si quid decernat contra possessorem id nullum sit. Addit porro ex eadem Riganti »*possessorem decennalem juvari exceptione hujus regulae etiam sine titulo.*«

Die 16. Julii 1853.

78) Praesentatio.

Vd. *Praesentatio*; *Provisio ad benef. eccles.*; *Vicar. perpet.* (in eccles. cum monast. unitis); *Beneficium* (collatio p. 397.; collatio simoniaca p. 443.) *De praesentatione regularis ad beneficium saeculare vel ecclesiam paroch.* vd. *Beneficium saeculare*; *t. I. p. 1021.* decr. *Constantien.* etc.

79) Praestimonium quando est beneficium?

Praestimonium est stipendium, quod ab ecclesiasticis redditibus abstractum dari solet Canonicis vel aliis clericis in vitae subsidium; quod si sit *perpetuum* est beneficium proprie dictum; *cap.: Quoniam 8. de concessione praebend. in 6.*, ubi praestimonia aperte connumerantur inter beneficia, ibi: »Concesione super canonicatibus, dignitatibus, praestimoniis et aliis quibuscumque beneficiis ecclesiasticis.«

80) Privatio.

a) Causae.

Vd. *Suspensio*; *Parochia* (privatio); *Parochus* (remotio); *Beneficium* (provisio).

I. Propter alienationem bonorum.

Vd. *t. I. pag. 456. r.*

Advertendum est in *cap.: Nulli liceat 5. tit. de rebus ecclesiae alienandis vel non* vetitam esse ecclesiis locisque piis quamcumque bonorum et rerum immobilium alienationem; et in *Extravagante: Ambitiosae cap. unic. de rebus eccles. non alienandis Paulus II.*, postquam ad coercendam ecclesiasticorum libertatem super alienatione bonorum ecclesiae plura statuerat, sic ait: »*Inferiores vero Praelati, commendatarii et aliarum ecclesiarum rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes prioratibus, praepositulis, dignitatibus, canonicatibus . . . aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura, saecularibus et regularibus, beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant: illaque absque declaratione àliqua vacare censeantur possintque per locorum Ordinarios vel alios, àd quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quae propterea privatae fuerunt) libere de jure conferri.* Id ipsum confirmavit Trid. Concilium *sess. 22. cap. 11. de reform.*

Propter solam *suspicionem* dilapidationis privari potest possessor commodo possessionis ad text. *in cap. ult. in fin. de accusat., gloss. in cap. 1. in fine, verbo: Deferre crucem ut lit. pend., Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 33. n. 46., Lancellot. de attent. lit. pend. in declarat. ex n. 20.*

II. Propter depositum habitum clericalem.

Vd. *p. 144. n. 16. etc.*

III. Propter non impletas conditiones impositas.

(Privatio non confirmata.)

Vd. *Beneficium* (reindegratio)

Savonen.

Archipresbyteralem dignitatem cum animarum cura in insigni collegiali ecclesia s. Joannis Baptistae loci Finarii praevio concursu obtinuit ab apostolica Sede die 24. Septembris 1836. sacerdos Joseph Sicardi, qui quum doctoris laurea nondum esset insignitus suetam accipere debuit in literis apostolicis conditionem, nimirum ut intra annum proximum gradum magisterii in theologia vel doctoratus aut licentiaturae in decretis in aliqua adprobata universitate studii generalis . . . suscipere omnino teneretur alioquin archipresbyteratus praedictus vacet eo ipso. Huic legi paruit Sicardius sere nimis nimirum anno 1848., quo in almae hujus Urbis archiathenaeo facto periculo universa aula suffragante doctorali laurea in theologica facultate decoratus est. Constat nihilominus ex actis s. Congregationis ipsum jam a mense Septembris 1837 antequam fatalia laberentur capitulo collegiatae ac Episcopo ejus temporis plene annuentibus dispensationem a laurea suscipienda supplici libello postulasse, quod tamen dimissum fuit rescripto: »Quoad dispensationem: relatum; sed tantum pro gratia prorogationis ad annum arb. et consc. Episcopi.«

Interim ne vel momento temporis paroeciam deseret Sicardius ad lauream Januae aliove sibi comparandam ipse suadebat Episcopus ut pro dispensatione iterum apud eamdem S. Sedem instaret, eumdem in spe gratiae assequendae crebris literis ac sponsionibus confirmando. Re quidem vera quamplura presto sunt documenta queis arguere licet preces geminatas pro dispensatione fuisse intra utile prorogationis terminum, nimirum labente anno 1838; etsi datum haud sit ullum dein vel precum vel gratiae vestigium penes acta reperire.

Mansit nihilominus Sicardius in pacifica archipresbyteratus possessione, quin demum sollicitus ulterius videretur de adimplenda sibi imposita conditione.

Res ita procedebant quando elato Antistite De-Mari in ejus locum suffectus est hodiernus Rmus Praesul Riccardius. Porro hic, quum jam in Sicardium, veluti suis mandatis inobsequentem episcopalis auctoritatis contemptorem, nimis protervum atque jurgiorum fautorem animadvertisset, modo iterata in eum a Divinis suspensione, modo etiam reclusione in Cappuccinorum coenobio, in id tandem concilii stetit ut, quoniam eumdem in dies pervicaciorem experiebatur arrepta occasione quod nimirum doctorali gradu adhuc expers maneret archipresbyteratu ipsum dejiceret vigore clausulae »eo ipso« bullae inhaerentis decreto in id evulgato die 1. Decembris 1845. Decreti acerbitate perculsus Sicardius, qui caeteroquin nec monitus nec citatus et adhuc in praefato coenobio detentus dignitate spoliatum se vidit, appellavit*) ad metropolitanam curiam Januensem simulque supplicem dedit libellum s. Congregationi, quo enarrata factorum historia iterum vel dispensationem vel congruum saltem terminum ad lauream assequendam postulabat.

Utrumque tamen male cessit ipsi experimentum: siquidem Vicarius tunc temporis Gualco sententiam tulit, qua episcopale decretum undique confirmavit et s. Ordo instantiam repulit responso »Lectum, notificetur Episcopo.« Reliquum erat Sicardo nil aliud quam a Januensi sententia ad S. Sedem appellationem deferre; quod reapse explevit die 23. Martii 1837 supplici eapropter oblato libello Sacratissimo Principi. Quid interim pendente recursu evenerit, quidve actum post Sicardi depositionem fuerit, non est opus singillatim recensere. De omnibus hisce effusam rationem habet ipsius patrocinator in allegatione, quam ad pleniorem rei notionem manu versare EE. VV. dignabuntur. Ad causam id unum sufficiat referre, quod, licet curia Januen. appellationem a Sicardio ut supra interpositam veluti desertam ac peremptam decreto jam diei 18. Martii 1847. edixisset, Pontifex nihilominus

*) Vd. *t. I. 643. n. 59*; *Appellatio.*

rerum statu undique comperto motus etiam precibus cleri ac municipum Finariensium, qui veluti agmine facto instabant ut plebi restitueretur parochus Sicardius recursum admisit controversiamque in devolutivo tantum dirimendam gravissimo S. H. C. judicio ablegare dignatus est rescripto diei 29. Maji 1848, haud interim praepedita Episcopo facultate in possessionem ita vacantis archipresbyteratus sacerdotem Mathiam Richerium immittendi, cujus favore literae apostolicae jam fuerant expeditae.

Ex more hinc institutoque s. Ordinis rogatus idem Episcopus, ut audito in scriptis procuratore fiscali, eidem praefigeret terminum ad deducendum jura sua in S. C., suo ipse officio rite satis fecit acta transmittens unde superius enarrata ex parte decerpsimus: Fiscales insuper deductiones suis literis undequaque consonas attexuit, quaeis praeter gestorum omnium enarrationem pluribus etiam suadere satagit ut albo undique calculo confirmetur decretum quod tum ad juris tramites tum ex informata conscientia edidisse asseverat, ceu fusius videre est in ipso summario a Sicardio circumferendo. Nil aliud in praesentiarum restat, nisi ut potissima hujus causae momenta EE. VV. oculis snbjiciamus. Et ut primum ratio habeatur de iis quae pro episcopalis decreti firmitate ad rem facere videntur, illud potissimum ad memoriam revocare praestat, quod nimirum provisio archipresbyteratus facta fuerit Sicardio, non pure ac absolute, sed sub conditione et quidem resolutiva. Siquidem tenebatur ille intra annum doctorali laurea se praeditum reddere alioquin dignitatis vacatio eo ipso declarabatur. Verumtamen haud in facto controversatur ipsum post annum adeptae a S. O prorogationis gratiae nullam aliam vel dispensationem vel prorogationem exhibuisse adeo ut ad annum usque 1848. conditioni parere postulerit. Itaque cum per ipsum steterit quominus res infecta permanserit, jam illud prono velut alveo sequitur ut, resoluta conditione ipsius effectui scilicet beneficii caducitati, quae ministerio juris speratur, subjacere necessario debeat. *Reclus. de ammission. et vacat. paroec. num. 162., de Nigris de vacat. benef. lib. 1. cap. 7. et cap. 70., Rota in Januen. 5. Martii et 16. Junii 1756. cor. Vicecomite.* Ea est enim vis conditionis resolutivae ut hac non adimpleta videatur nihil a principio actum fuisse. *Paris. cons. 19. num. 63. lib. 2., Card. de Luca de benef. disc. 76. n. 23., Rota decis. 107. n. 8. par. 12. recent.*

Hisce positis perperam canonicae monitionis vel citationis defectus ad decreti validitatem inficiandam in medium proferretur quippe haec media impune omitti in themate potuisse haud ambigitur. Siquidem urget animadversio, agi in themate de poena latae sententiae et conditione resolutiva gratiae, ceu fert dictio: »eo ipso«, *Suar. de legib. lib. 5. cap. 7., Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 41. num. 12., Reiffenst. lib. 1. decret. tit. 2. num. 218., Ferrar.* biblioth. v.: *Lex art. 2. num. 33., Rota in Veronen. Pensionis 1. Julii 1592. cor. Millino*, quae proinde poena vacationem inducit beneficii per simplex inadimplementum legis et idem importat ac si dictum fuisset sine aliquo hominis ac judicis ministerio vel potius ipso jure. *Abbas in cap.: Si diligenti. de foro compet., Barbosa de diction. usufraeq. dict. 106.* Et quamvis ipse *Lotterius loc. cit. seq. num. 1.* valde controversum fateatur hunc articulum, ex quo haud desint doctorum ac tribunalium sententiae, quae citationem seu declarationem hoc in casu requirunt, attamen praesto etiam sunt aeque magni nominis DD., qui contrarium prorsus tenentes Episcopi factum satis tuentur; quos inter venit recensendus *Rebuff. in prax. dispens. tit. de non promot. intra annum num. 1. pag. 221, Amyden, de stylo datar. lib. 1. cap. 16. §. 7. num. 1. et 70., Corrud. prax. dispens. lib. 4. cap. 2. num. 30. et 32., Clericat. de benefic. par. 1. discord. 80. num. 6. 9. et 14., Rota in Ostunen. Canonicatus 15. Januarii 1750. §. 8. cor. Molino et in ejus confirmatoria 14. Maji 1751. §. 5. et seqq. cor. Elephantutio*, quos etiam refert. s. Congr. in *Juvenacen. 11. Aug. 1756.* et in *Caesenaten. Mansionariae 15. Septembris 1752.*

Praeterea licet et citari utique potuisset Sicardius ad efferendas causas ob quas archipresbyteratus vacans declarandus non esset, tamen citatio inutilis prorsus ac supervacanea fuisset ob tam culposam ejus moram in adimplenda lege; adeo ut nulla certe superesse posset eidem exceptio aut defensio ad impediendam caducitatem et ceteroquin Episcopo penitus perspectum planeque cognitum erat, eumdem nec doctoris gradu fuisse insignitum et prorogationem aut dispensationem a S. Sede frustra petiisse. Atque si jure citatio rei decernitur ac committitur ut

venire possit ad se defendendum, eodem pariter jure statuitur citandum haud esse eum, cujus non jus notorium omnino est nullamque constat habere defensionem, *text. in cap.: Cum olim. 12. de sent. et re jud., Schmalzgrueber jur. eccl. univ. lib. 2. tit. 3. num. 15., Reiffenst. in decret. eod. lib. ac tit. num. 72., Card. de Luca de Judic. disc. 34. n. 30., Rota decis. 343. n. 20. par. 10. et decis. 395. n. 5. par. 15. recent.*

Inane itidem esset confugere ad possessionem triennalem, quae vigore regulae 36. cancellariae plerumque titulum validum solet beneficii possessoribus suppetere ad possessionem defendendam; siquidem casus de quo res est sub ejusdem regulae potius exceptione venire in dubium videtur: »Provisus auctoritate apostolica de beneficio (ita *Rigantius comment. in reg. 36. cancell. num. 186. tom. 3.*) cum decreto, quod intra certum tempus ad sacros ordines promoveri seu quod licentiaturae aut theologiae vel utriusque gradum obtinere debeat, sub poena nullitatis gratiae ipso jure, si decreto hujusmodi non paruerit, exceptione regulae juvari non potest.« Insuper ut regula haec suffragari possit, praeter triennalem possessionem requiritur etiam titulus. Haec enim duo copulative concurrere debent, titulus nempe et possessio, ita ut titulus sine possessione et possessio sine titulo haud sufficiat, *Rigant. loc. cit. num. 50*, qui titulus saltem debet esse coloratus. *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 20. num. 89, Card. de Luca de benef. disc. 91. n. 13, Rigant. loc. cit. n. 98, Rota decis. 230. cor. Rezzonico* et in *Januen. Benef. 4. Martii 1754. cor. Pignerroa.* Atqui titulum coloratum frustra quaereres in Sicardio: siquidem »hic manifeste deficit (prosequitur *Rigant. eod. loc. prim. cit. num. 186.*) eo ipso, quod forma seu conditio in literis apostolicis praescripta adimpleta non fuit: tunc enim titulus ille, qui allegari posset vigore collationis habitae ab habente originariam facultatem conferendi, reducitur ipso jure ad non titulum.« Consonat *Piton. discept. 120. num. 1. et seqq.* Si hoc triennalis remedio juvari haud sibi valet Sicardius, nulla profecto ulterius superesse videtur eidem defensio ad archipresbyteratus possessionem vindicandam.

Nec abs re cum Episcopo argumentari videtur curia fiscalis, dum perpendit, Sicardianum recursum, quod ex supra relatis per viam gratiae tantum non juris foret cognoscendum, eo firmius rejiciendum esse quia non agitur de re amplius integra, sed de actu plene expleto ac consummato per sententiam appellationis curiae Januen: cujus fuit effectus ut agnita post rigorosam discussionem Sicardii caducitate alter archipresbyter Richerius dignitatis possessionem, hac ipsamet s. Congregatione annuente, adeptus fuerit, ipsique proinde jus plane quaesitum sit ad eamdem possessionem defendendam. Non esse autem locum gratiae eamque neque a summo Pontifice concedi, ubi jus alteri quaesitum laederetur, adeo firmissima regula juris est, ut nulla profecto indigeat demonstratione.

Ceterum eo minus de decreti justitia dubitasse videtur Episcopus, cui ex informata conscientia talia fortasse de Sicardio innotescere potuerunt, quae ubi formali processui subjici quivissent satis per se forent ad eum perpetuo arcendum ab administratione paroeciae. Verumtamen quoad processus confectionem ita sese pandit Episcopus in sua relatione.« Non ignorava io quanto sia lunga espinosa una tale forma di procedimento, e quanto terribile fonte possa diventare facilmente di dicerie, e di scandali.« Haec tamen habet, postquam in eadem relatione diu fuerit immoratus in recensendis singulis imputationum titulis quaeis Sicardium obnoxium facit, ita ut hae prae oculis habens promotor fiscalis haud asserere dubitaverit, quod »il solo inadempimento della imposta perentoria condizione non fù causa della pronunziata decadenza del Sicardi. Fù pinttosto un mezzo nel concorso dei motivi gravissimi contro di lui, onde soddisfare al desiderio ed al debito di meglio provvedere a quest' arcipretura, e cura d'anime colla sostituzione di più adatto pastore.« Porro quod Episcopo liceat parochum ex informata conscientia*) nedum temporariae sed et perpetuae suspensionis poena plectere scatet ex *cap. 1. sess. 14.* Concil. Trid. prout etiam decisum fuisse a s. Cong. die 14. Julii 1583 refert *Giraldius in adnotat. ad idem cap. §. 9.* Contra scribens pro sacerdote Sicardi quatuor concludit articulis suam defensionem. In quorum 1. evincit nullitatem decreti episcopalis ex regula 36. cancellariae apostolicae, quae ita se habet: »Si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque

*) Vd. *t. I. p. 643. n. 59.*

sint, ex quovis titulo apostolica vel ordinaria collatione, per triennium pacifice possederit,*) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat.« Jis tantum exclusis, quos ibi expressis verbis regula excipit, nempe qui per simoniam intraverint aut semetipsos intruserint in beneficia non quaecumque, sed reservata solum et ea tantum reservatione, quae in corpore clauditur juris. Quorum duorum casuum exclusio tam expressa aequivalet expressae caeterorum casuum inclusioni quibus semper regula favet ad tradit. a *Fagnano in cap.: Multa***) *de praeb. num. 54, Vanespen Jur. eccles. univ. par. 2. titul. 26. num. 6, Lotterio de re benefic. lib. 2. quaest. 13. n. 7. et seqq., Frances. de intrus. quaest. 71. num. 50, Ricci Prax. variar. resol. 110, Gonzalez. in lib. 1. decretal. tit. 43. cap. 2. num. 2. et ad reg. VIII. cancell. ap. gl. 31. num. 25, Reiffenstuel lib. III. tit. 5. de praeb. et dignit.* §. *17. num. 522. et seqq., Card. Petra Comment. in const. apost. tom. 5. p. 86. ad const. Callixti III., s. Alphonso de Ligorio theol. mor. lib. 3. tr. 5. de VII. decal. pr. et in append. de just. et jur. n. 507, Rota in Tuden. Canonic. 5. Junii 1763. num. 17. et seqq. cor. Matthejo*, in *Segobien. Benefic. 25. Jun. 1655. num. 4. et seqq. par. 12. et dec. 264. n. 1. et seqq. par. 9. t. 1. recentior.*, sacra C. Concil. in *Spoletana Impetrationis 22. Novembr. 1825.* §*: Minime vero, Forolivien. Jurispatron. 28. Jun. 1838* §*: Denique et 27. April. 1839. ad IV. dub., Amalph. 17. Januar. 1761.* §. *9, Romana Capellaniae 11. Januar. 1780.* §. *8*, denique *Rigantio* in hanc regulam per totum citante plures DD. et decisiones alias s. Rotae.

Quibus certe authoritatibus liquet, triennales pacificos beneficiorum possessores (intrusis tantum et simoniacis exclusis) pro veris habendos et canonicis possessoribus in vim hujus regulae, quae tribuit robur juri invalido et dat jus melius de mundo, quae impedit omnes molestias de invaliditate tituli, quadragenariae comparata praescriptioni, adeo ut opposita et justificata aliae non sint partes judiciis quam in pronunciando regulam obstare et si quid decernant contra possessorem totum sit nullum. Addit porro ex eodem Riganti possessorem decennalem juvari exceptione hujus regulae etiam sine titulo.

In facto autem extrema regulae Sicardio applicans, nemo inficiatus est, inquit, eumdem in pacifica possessione dignitatis suae perdurasse nedum triennium, sed et decennium, a die nempe 24. Sept. 1836 ad diem 2. Decembr. 1845, a collatione scilicet apostolica et mandato immissionis ad intimationem decreti privatorii. Titulum quoque solemnem produxisse numerisque omnibus absolutum in bullis sub plumbo ab apostolica sibi datis cancellaria. Intrusionis aut simoniae vitium neque oratenus subjectum vel ab Ordinario vel a judice Metropolita; ergo (infert) Episcopi decretum resolvitur in attentatum contra regulam. Hinc vero argumento ducto a majori ad minus etiam illum qui a principio et in radice inhabilis fuerit, puta si vel suscipiendi beneficii incapax vel excommunicatus, beneficio hujus regulae juvari probat ex *Pirhingio lib. 5. tit. 27. num. 22, Garcia de benef. cap. 3. in princ., Barbosa collect. DD. in V. lib. Decretal. tit. 27. num. 20, Navarro in cap.: Si quando except. 10. num. 9. de rescript., Anton. Ricciul. lib. 4. cap. 13. n. 2.* Fortius ergo regula juvatur ille, qui poena tantum privationis ex omissione posteriori plectendus veniat, qui titulum habet validum in radice. Ad effectum namque hujus regulae titulum beneficii tantummodo colorem perdere ostendit, si vel simonia vel intrusione foedetur, idque nedum clarissimis verbis in regula docetur, sed confirmat *Van-Espenius in laud. opere cit. loc. num. 20. et 21.* et ibi *Chocierius ad hanc reg. num. 85, Card. de Luca de benef. p. 1. disc. 195. a num. 1. ad 25. et disc. 135. num. 5, Rigantius loc. cit. num. 128, Pignatellius tom. 9. cons. 188. num. 35. et seqq., Lotterius lib. 2. quaest. 53. num. 10. et seqq.* Quod ratione pariter firmat inquiens: si adjecta poena caducitatis in titulo titulum ipsum invalidaret, jam sequeretur contradictio, quae dicitur de simul esse et non esse.

Esset enim titulus validus qui validam gigneret poenalem clausulam, non esset autem vi ejusdem clausulae ex suo valore validatae. Et e controverso poenalis conditio valida esset ex valore tituli: non esset simul ex invaliditate tituli ejusdem ex quo resultat.

Quod etiam confirmare pergit ex qualitate conditionis impositae Sicardio, quam titulo ipsi extrinsecam, extraneam et acci-

*) Vd. *Beneficium* (possessio p. 757 b.; incompatibil. — possessio — p. 616. g.).

**) Vd. *Beneficium* (plura possid. poenae p. 752.).

dentalem appellat appositamque de stilo potius quam de necessitate, non de praecepto rigoroso sed de consilio, non tamquam de substantia, sed pro mera forma; ecclesia enim diploma doctoratus ceu simplex medium exigit experiundae verae et solidae in dignitatibus doctrinae, ut probat *Burbosa Collect. doct. in Conc. Trid. sess. 25. cap. 13. de ref. num. 28. et de Episcopis par. 3. alleg. 60. num. 88.* et *de Canon. et Dignit. cap. 26. num. 9.* et ibi citat. Lambert., Rebuff., Flamin., Ugolin. Less., Gened., Garz., Van-Espen op. *cit. p. 2. tit. 19. de act. et qual. praeficiendor. cap. 4., Card. Petra in constit. VII. Benedicti XII. num. 6. 7. et 13., Gonzalez ad reg. VIII. cancell. gl. 4., Belletti Disquis. cleric. p. 1.* §. *4. de discipl. cleric. num. 40., Grassi de off. cler. in praelud. num. 128., Nicolius in flosc. V. doctor. num. 32., Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 13. num. 110.* et ibi decis. sacrae hujus Congregationis in *Elboren. Poenitentiariae 12. Martii 1823.*

Hisce in jure deductis in facto probat, ita ex documentis constare de doctrina Sicardii ut nedum antecessores Episcopi et finitimarum dioecesium Ordinarii scientiam ejusdem probarint, sed id ipsum testari uno ore clericos examinatores prosynodales, ipsumque Savonensem Antistitem. Unde mirum esse non debet si facultas theologiae hujus archiathenaei romani plenis suffragiis et multa cum laude theologalis doctoratus diplomate die 12. Decembris 1848. Sicardium donaverit.

Quo quidem projacto prosequitur orator Sicardium de facto etiam conditioni quantumvis extrinsecae obtemperare voluisse et institisse apud Episcopum de Mari, ut sibi veniam adeundae alteri ex illis universitatibus pro laurea consequenda tribueretur; et morem gerere debuisse Ordinario, qui consilium potius illi dedit, ut ab hac s. Sede reposceret dispensationem. Quare cum per Sicardium non steterit, quominus conditioni satis faceret et cum recursus ad s. hanc Sedem pro dispensatione penderet, concludit nulla culpa seu mora incusari Sicardium ex *L. Si quis 63. ff. de re jud.* et resolutionibus s. hujus Ordinis maxime in *s. Severini Capellaniae 7. Septembris 1833.* §*: Sed*, in *Camerinen. 2. Decembr. 1834.* §*: Neque, Auximana Canonicat. 17. Julii 1839.* §. *10., Firmana Fructuum et distrib. 24. Nov. 1827*, maxime et quia in dubio an culpa sit admissa necne nemo potest condemnari et quia quaecumque causa etiam levissima valida est ad culpam eliminandam ut decrevit *Bald. in Leg. Si creditor de pignorib., Rota in Ravennaten. Refectionis damnorum 6. April. 1753.* §. *30. coram Elephant.*, s. Congr. Concilii in *Recanaten. Refectionis damnorum 29. Julii 1837.* §.*: Quidquid;* in *Romana Fideicomm. quoad caducit. 16. Martii 1789.* §.*: 2*, in *Reatina Vectig. et Caducit. 7. Aug. 1846.* §.*: Res etc.*

In art. 2. ex neglecta ab Episcopo judiciali forma deducit nullitatem decreti; quod continuo in jure demonstrat adducta decretali Alexandri III. in *cap.: Conquerenti 7. de restit. Spoliator*, ubi expressis verbis judicialem adhibendam formam Pontifex adstruit cum possessor beneficii possessione sua privandus est. Quod quidem jus evolvens, a necessitate exorsus citationis, hanc vel in summario judicio praemittendam pro validitate seu sententiae seu decreti de jure tum divino tum naturali tum ecclesiastico tum civili pluribus ostendit, ex *cap.: Quoniam de probationibus, cap.: Inter quatuor. de major. et obed., cap.: Cum s. Mariae de const., cap.: Licet Episcopus de praeb. in 6, Locino vol. 1. cap. 12. num. 4. et seqq., Lotterio de re benef. lib. 3. quaest. 8. num. 13. et quaest. 18. numer. 6., Scaccia de sent. et re jud. gl. 13., Rebuffo Prax. benef. in conclus. Later. Conc. pag. 782.* Idque etiamsi poena fuerit a jure comminata extra ministerium vel declaratoriam judicis et sub certis conditionibus ab eodem ipso jure statuta, cum semper necessaria sit citatio ut judex constituat reum in mora adsignando terminum ad purgationem ejusdem morae ex aequitate canonica introductam. Quod probat ex *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis de electione* §. *Inferiora. num. 39. et de restit. spoliat. in cap.: Conquerente num. 1., Rosa de exeq. liter. ap. p. 1. c. 5. num. 234., Gonzalez in reg. VIII. cancell. gl. 56. num. 126. et seqq., Reiffenstuel lib. 1. tit. 2. de const.* §. *9. n. 232., Van-Espenio p. 2. tit. 19. de act. et qual. etc. cap. 7. num. 16., Giraldo de poenis eccles. p. 1. c. 5. et seqq.*, S. C. Conc. in *Narnien. Caducit. 9. Maji 1840.* §.*: Haec, Montis Alti 9. Maji 1829.* §.*: Jure, Spolet. 3. Dec. 1842.* §.*: Haec* et in resp. ad II. dub. *Januen. 26. Januar. 1839., Rota dec. 269. num. 27. par. 4. t. 2. dec. 640. num. 6., ib. t. 1. dec. 585. num. 6.*

p. 1. dec. 276. num. 2. par. 5. dec. 227. num. 5. p. 10. dec. 208. num. 2. p. 15. recent. et ex praxi omnium tribunalium teste *Ridolphino praxis judic., Pellegrino. Pr. Vicar.* Neque privata ex sui ipsius scientia neque ex publica voce seu fama, sed ex actis et probatis judex decernere debet ad tramites juris maxime cum de actus ommissione sit sermo, sicuti res erat in Sicardio, quae nesciis omnibus utcumque implere potuerat conditionem vel ipsis exercitiorum diebus qui decreti praecesserant editionem; et quia etiam in notorietate facti requiritur citatio ex *Rigantio in reg. XVIII. canc. num. 83. et seqq., Lotterio de re benef. lib. 3. quaest. 18. num. 33. et seqq. etc.*

Prosequitur, neque Pitonium neque Rigantium neque s. hanc Congr. in *Juvenacen. 11. Aug. 1756.* contrarium ab hac lege citationis etìam in notorio vel in vacatione ipso jure et facto docere, quemadmodum praesumit sententia curiae Januensis in juribus ibi allegatis. Quandoquidem authoritates allatas in objicientem rectorqueri contendit, ut planum est legenti totam *Pittonii discept. eccl. 120.* et *Rigantii* explanationem ejus *regulae 36.*, maxime vero *num. 128.* et allatam superius ejus doctrinam in reg. XVIII. canc. Tum concludit casum Iuvenacen. non modo adversari, sed pleno calculo confirmare allegata jura, maxime quae adstruunt circa requisitum ordinis judiciarii. Quod attinet veram atque hodie receptam interpretationem clausularum: »Ipso jure, ipso facto, eo ipso, ex tunc« adeo explicare concludit ea S. H. O. decisione *Caesenaten. Mansionariae 15. Sept. 1792. §. 3. et 4.* ad dubium, ut nulla magis clara vel casui opportunior posset excogitari. In facto autem praetermisisse Episcopum docet omnem judicii vel summarii telam, neque citasse neque monuisse, neque ullatenus audisse aut posuisse in moera Sicardium antequam decretum promeret; quod ex ipsius decreti verbis et forma necnon ex confessionibus probat Episcopi in suis ad s. hanc Congr. literis, vel ad relationem faciendam vel ad officia comparanda; quodque et ex Gualchi sententia clare deducit et ex informatione promotoris fiscalis curiae Savonen.

In art. 3. ex ipsa forma decreti dolum et malitiam eruere satagit.

Etenim decreti causam non fuisse defectum laureae sed potius crimina Episcopus ejusque promotor insinuare videntur. Hinc orator ex jure praemittit tres ab ecclesia Ordinariis concessas refrenandis subditorum criminibus poenales formas: medicinalium scilicet pro levioribus ad tempus: remotionis seu suspensionis perpetuae, stante titulo ex Triden. Conc. *sess. 14. cap. 1. de ref.*, privationis tandem seu depositionis cum ablatione tituli ex const. Benedictina.

Addit vero s. hanc Congr. quoad suspensiones perpetuas tenere, in praxi formis ligatos esse Episcopos ad privationem seu depositionem decernendam ut omnino judicialibus regulis uti debeant, veluti docet in *s. Severini 19. Septbr. 1778., in Placentina Restitut. in paroec. 26. Febr. 1848.* et in *Lucionen Suspens. et appell. 8. Apr. 1848. §. penult. non juxta cap. 1. de ref. sess. 74. sed juxta cap. 6. de ref. sess. 21.*

De medicinalibus porro statutum *cap. 1. de cust. eccl. c. 7. de electione c. 2. et 4. de temp. ord. in 6. c. 1. de sent. et re jud. in 6., Concil. Trid., ubi supra et sess. 23. c. 8. et 10. de ref.*, quod firmat ex *Monacello formular. p. 3. tit. 2. §. 4.* et *Berardi de susp. cens. cap. 7.* Quas praxis regulas de facto contempsisse probat Episcopum: et quia decretum non est de suspensione ;vel temporanea vel perpetua, quia nulla ibi dispositio de retentione tituli, quia cancellarius jussus edictales literas conficere concursus, quia formae judiciales ad privationem et suspensionem perpetuam necessariae nullimode adhibitae sunt, quia causae vel graves ad medicinam vel graviores ad privationem in decreto principaliter de jure, non incidenter ac veluti pro appendice, ut de facto, praemittendae fuissent.

Et quod ad causas spectat eas omnino de jure explicare tenebatur Antistes vel in judicio formali, si de privatione ageretur, vel s. huic Congr. si de suspensione foret, et probat decis. hujus S. O. in *Vercellen. 21. Mart. 1843.* De facto autem constat, dum ingeminaret poenas Antistes, nunquam super causis confecisse vel conficere voluisse processum, quamvis institerit Sicardius, neque has explicare huic S. C., quae pro informatione ad eum scripserat, neque ipse promotor ejus curiae fiscalis, qui in scriptis jussus erat jussa sua deducere. Quae autem objecerat extra decretum vel informationem ea non modo non probasse demonstrat, sed in facto testimoniis etiam ab ipsomet Episcopo productis omnino reprobantur, cum et Sicardii mores amplissime ab omnibus et ab ipso Episcopo commendentur. Ex quo resultare certissime infert nullas prorsus Episcopo dedisse Sicardium causas, quare in eum dure animadvertet.

Unde infert absque vera, justa et rationabili causa Episcopum decretum illud edidisse contra dispositiones juris, *canon. 27. 28. et 30. caus. 23. quaest. 4.* allata quoque authoritate *Amostazii de causis piis lib. 3. cap. 1. n. 26.*

Dolum vero et malitiam in decernente derivat orator ex multis capitibus haustis a documentorum testimoniis, ceu fusius deprehendere est in *art. III. allegationis*, cui EE. VV. remittimus.

Denique in art. 4. restituendum ex jure docet Sicardio beneficium quo fuit spoliatus cum fructuum inde perceptorum redintegratione sumptuumque litium.

Spolium vero de facto probat ex hujusce deductis facta juri comparatione praesertim vero *cap.: Conquerenti 7. de restit. spoliator.*

Hinc etiam de damnis resarciendis agit, quae gravissima passum fuisse probat ex multis gravibus diutinisque malis toleratis. Et quoniam retindegrari Sicardius nequit, nisi amoto Richerio, qui die 29. Octobris 1848. in ejusdem beneficii possessionem immissus fuit, ipsum dolet primum de rescripto in devolutivo tantum concesso, quae limitatio ex Benedicto XIV. in solis appellationibus a concursu daretur*) deque datis ab apost. Dataria provisionis literis Richerio, non obstante litis pendentia et recursu Sicardii. Nihil tamen id facessere difficultatis demonstrat, quum, qualiscumque demum Richerius iste sit, literae apostolicae collationis, possessio et acta quaelibet vitio nullitatis in radice subjaceant. Quam intrusi remotionem exemplis roborat hujus Ord. S. praesertim in *Romana 7. Augusti 1847.* et in *Tranen. Poenitentiariae 15. Julii 1848.*

Hisce mature libratis erit sapientiae et justitiae Emor. Patrum quod proponimus resolvere dubium:

An substineatur decretum diei 1. Decembris 1845. seu potius constet de spolio ita ut sit locus restitutioni ac redintegrationi in casu etc.?

*) Vd. *t. I. p. 607. n. 20.*

S. C. resp.:

Esse redintegrandum et ad mentem.

Die 26. Jan. 1850.

Continuatio.

Iterum in quaestionem venit causa caducitatis ab archipresbyterali dignitate ac paroeciali beneficio, quae Episcopum Savonensem inter et sacerdotem Josephum Sicardi usque ab anno 1845 exorta apud metropolitanam Januensem curiam primum acta deinde ab s. Ordine in comitiis diei 26. Januarii 1850 absoluta integro triennio nemine provocante siluit. Sed priusquam rationum momenta expedio operae pretium erit hujuscemodi rei accuratam relexere historiam nonnullaque supra repetere, quod ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint.

Die 14. Augusti 1836 per obitum sacerdotis Davico vacavit in insigni collegiali ecclesia s. Joannis Baptistae loci Finarii ad mare archipresbyteralis dignitas, cui animarum cura adnexa est. Hinc habito concursu dignior qui huic praeficeretur muneri inventus est sacerdos Josephus Sicardi ejusdem Collegiatae jam ab anno 1824 Canonicus: qui cum doctorali laurea ab approbata universitate donatus non esset, literas collationis a dataria apostolica die 24. Septembris accepit sub sueta conditione »ut intra annum proximum gradum magisterii in theologia vel doctoratus aut licentiaturae ab aliqua approbata universitate studii generalis suscipere omnino (teneretur) alioquin archipresbyteratus praedictus vacet eo ipso.« Ac die 4. Decembris ejusdem anni per manus Episcopi De Mari qui tunc temporis Savonensem regebat ecclesiam rite possessionem nactus est.

Sollicitum initio se praebuit Sicardius ne ante Fatalia laberentur, quam ipse appositae literis conditioni satisfaceret vel dispensationis veniam impetrasset. Hinc sive quod Episcopus haud expedire ratus quod Sicardius paroeciam desereret, ejus discessui ad lauream consequendam obsisteret, sive quod ipsemet Sicardius necessarios ad id sumptus perferendi aequam non haberet conditionem exploratum in facto est, eum tum ab Episcopo cum a capitulo optime commendatum s. hanc Congregationem intra utile tempus rogatum adiisse, ut laureae suscipiendae dispensationem assequeretur. Cujus rei causa testabatur Episcopus: »Ecclesiam Finari as-

setua indigere praesentia parochi ac proinde non posse Sicardi Genuam petere ibique manere sicuti opus esset pro assequenda laurea in regio illo atheneo. Quare s. orabat Congregationem ut attentis circumstantiis necnon doctrina et moribus ejusdem oratoris laureae dispensationem ipsi concederet.

Die 5. Februarii 1838 oblatis hisce precibus s. Ordo rescripsit: Quoad dispensationem: relatum, sed tantum pro gratia prorogationis ad annum arbitrio et conscientia Episcopi. Attamen nec sequiori tempore destitit ipse s. urgere Congregationem pro peroptata dispensatione obtinenda: quod quidem de ipsius Episcopi De Mari consilio perfecit, qui supplicantis spem usque confovit ejusque iteratas preces tum scripto commendavit cum viva voce in suo ad Urbem adventu sese commendaturum spopondit, veluti ex ejus epistolis evincitur ac aperte testatur vel ipsa curiae metropolitanae sententia, quamvis in s. Congregationis tabulario novarum hujusmodi precum nec vola nec vestigium appareat neque Sicardius unquam voti compos evaserit.

Jam vero qui usque adeo suo praelato acceptus videbatur, non ita perpetuo se gessit ut ejus animadversiones ac censuras effugeret. Plures enim extant Episcopi De Mari ad Sicardium literae, in quibus uti ambitiosa nonnullorum titulorum usurpatio damnatur quos ipse sibi, suae paroeciae ac regioni competere autumabat. Nec novae identidem defuere querelarum occasiones, vel (ut pauca attingam eorum quae Episcopus documentis prolatis nunc primum pandit), cum anno 1839. synodus dioecesana celebrata fuit, ipse cum suo capitulo (ex quo praeeminentiam super altero Canonicorum collegio Finalis Burgi praetendebant), adesse noluit, quin aut Episcopi monitis aut censurarum comminatione a proposito dimoveri potuerint, vel cum novo Vicario foraneo in sui locum suffecto vicariae positiones tradere renuit; vel cum sonitum campanae die Veneris dari solitum in aliam ab ea quae universali ecclesiae disciplina recepta est horam transferre non dubitavit: seu cum suae praebendae onera in fabricae operam transfundere adnisus est; seu cum matrimonium finariensium juvenum Caviglia et Donati Episcopi auctoritate in templo B. V. della Misericordia coram illius rectore celebratum in libris parochialibus describere detrectavit; sive demum cum monitum quodam circa usum calendarii Vicarii foranei auctoritate ac de Episcopi mandato sacrarii postibus affixum removit. Ex quo quidem factum, si nonnullis testibus adhibenda sit fides, ut immaturae quam Episcopus De Mari die 14. Decembris 1840 subiit mortis praecipuus vulgo traduceretur auctor Sicardius. Qui etiam, nefasto hujusmodi accepto nuncio, lugubrem campanae praepedisse sonitum et laetitiae significationes dedisse fertur. Haec pariter, vacante episcopali sede, adeo legitimae auctoritatis tum factis tum verbis contemptorem eum effingunt, ut Vicarius capitularis in laureae defectum inquisierit gravissimisque eum verbis non semel objurgarit.

Mense Majo anni 1842. ad Savonensem cathedram avectus est hodiernus Praesul Alexander e comitibus Riccardi. Principio hic monitus de anteacta Sicardii agendi ratione statim se cognovisse testatur talem eum futurum, qualem postea cognitum judicavit: quamvis non desint testes qui per aliquod tempus eum Episcopo in amicis fuisse retulerunt. Sed si qua eos animorum concordia devinxerat, haec minus diuturna fuit. Non enim probata primum fuit Episcopo ejus agendi ratio in Vicarium foraneum Tessada, quocum ipse perpetua dissensit vita, et in Canonicum Boccalandro quem Capitulares, auctore ceu fertur atque instigatore Sicardio, ob ommissionem in expediendis literis titulorum Collegiatae competentium, sospitem a possessione canonicatus prohibuere, defunctum vero Canonicum sepultura privarunt. Gravius postea in Ordinarium offendit ob quamdam caeremonialis questionem inter ipsum et fratres Capuccinos excitatam.

Vetustissimo in more habet Finarii capitulum obveniente feria III. rogationum ac festo ss. Nazzarii et Celsi Capuccinorum ecclesiam priscam Collegiatae sedem et paroeciam processione ducta quotannis adeundi. Assolent fratres obviam ire capitulo et ad ecclesiae postes aspersorii oblationem coenobii Praefectus tradit. Cum vero Sicardius non se tantum aspersorio signaret sed et populo benediceret morem hunc tamquam abusum fratres improbantes interdici curarunt. Aegre id tulere Canonici et Sicardius maxime, qui ideo coacto capitulo sua se jura vindicare velle protestati sunt ac interim a processione ducenda abstinendum decrevere, quousque fratres a propria non discessissent sententia. At ubi rescivit Episcopus primo Sicardium severis verbis exprobrat ac postea in eum frustra sese excusantem suspensione a Divinis animadvertit; qua triduo irretitus permansit.

Interea vero temporis multae movebantur querelae ab his qui de Sicardio male sentiebant. Aderant etiam qui ejus culpa corruptos, perversarum doctrinarum ope, regionis mores tribuerent. Res tandem eo devenerat, ut nullum amplius paroeciae bonum nisi remoto Sicardio sperandum duceret Episcopus. Hujus autem exequendi consilii ratio haec fuit: oratorio confraternitatis quam nuncupant dei disciplinanti addictus est capellanus de jurepatronatus laicorum, qui ab archipresbytero, priore et subpriore confraternitatis uti patronis eligitur, ad eorum tamen nutum amovibilis; eique jus est sacras omnes functiones, parochialibus exceptis, in sodalium ecclesia peragendi. Capellaniam tunc temporis habebat Vicarius foraneus Canonicus Testata: patroni itaque causam interserentes ab eo non adimpleri missarum onera et capellaniae bona obliguriri saepe frustra monitum tandem ab officio dimoverunt. Ast Episcopus re vix cognita patronis adversum tenet, spoliato favet eumque in capellaniae possessione manutenendum jubet. Nihilominus Sicardius, sive quod Episcopi jussa pro nihilo pendenda duxerit, sive quod muneris parochialis id esse censuerit, a solemni Sacro pro defunctis die 3. Novembris 1845. in ecclesia sodalium litando capellanum frustra renitentem prohibere illudque peragere vel ipse non est veritus. Quae res in vulgi prolata notitiam non levis scandali atque admirationis causa fuit.

Igitur facti relatione indignatus Episcopus illico Sicardium a Divinis suspendi eumque Sovonam accitum ad Capuccinorum coenobium mittit spiritualibus exercitiis vagandi gratia. Paruit Sicardius, eique pluribus jam diebus in coenobio commoranti die scilicet 20. Novembris Episcopi epistola a coenobii praefecto legenda traditur, in qua »oltre la ricognizione de suoi torti e promessa di emendarli« exigebatur ab eo quod »ritratti le due ultime lettere da lui indirizzatemi.« Eodem die praefectus ad Episcopum reponebat Sicardium postulata facere noluisse, quod sentiebat »chè non avea di chè dolersi per la sua passata condotta riguardo a mons. Vescovo, ne di che ritrattare per le sue ultime letere invialegli.« Ipse demum responsione elucubrata ad Episcopum mittenda quae sibi imputabantur expendens retundare sategit.

Ubi utique vidit Episcopus nec per metum deflecti posse hominem propositi tenacem sui, non amplius cunctandum duxit, ut eum a paroecia removeret. Hinc causam remotionis nactus ex laureae defectu, quam sibi nondum Sicardius comparaverat, unde in vim clausulae literarum apostolicarum paroecia vacatio inducebatur eo ipso, confecit quod studebat omni praeclusa via ne novae Sicardii preces pro laureae dispensatione reciperentur et die 20. Novembris 1845. decretum edidit, in quo (sunt ejus verba): Pro rei veritate sumptis opportunis informationibus sublata omni suspicione dubii etiam et constito praefatum sacerdotem Josephum Sicardium praedictam clausulam seu conditionem non adimplevisse paroeciam vacantem et Sicardium omni in paroecia jurisdictione carere declaravit. Simulque »attenta rei publicitate, urgente necessitate adjunctisque aliis ex gravioribus causis nobis cognitis munus et onus ministerii nostri quantum in Domino possumus fideliter observantes, conscientiae nostrae consulentes, religioni atque ecclesiasticae disciplinae obtemperantes« sacerdotalem oeconomum pro ecclesiae vacantis administratione eligendum constituit atque ipsum decretum de more evulgari et Sicardio notificari mandavit. Ac postero demum die eum a poena suspensionis absolvit.

Hic rei novitate perculsus quippe nec monitus nec citatus fuerat et in Capuccinorum coenobio degebat adhuc, primo quidem die 3. Decembris epistolium ad Episcopum mittit, in quo protestabatur »di non aver avuto mai la minima intenzione di recare offesa compechessia a S. E. Rma, ma persuaso attesa la propria fragilita d'aver potuto farlo senza conoscerlo ove contro sua volonta avesse offeso mons. Vescovo, si crea a gloria di domandargliene scusa, e di ritirare le due letere dei 5. e 6. Novembre, rinnovando le sue promesse di sommessione e perfetta ubbidienza.« Deinde ad curiam metropolitanam Januensem ab edicto decreto appellationem interponit; ac novis eodem tempore ad s. Congregationem datis precibus iterum vel dispensationem vel congruum saltem tempus ad lauream consequendam postulabat.

Haec ubi Finarii comperta sunt, ut syn-

dacus Episcopo renunciasset »alla notizia del cambiamento avvenuto (post sequutam scilicet oeconomi deputationem) le piu vive ed universali acciamazioni di ogni ceto di persone lo hanno accolto e festeggiato oltre ogni dire«; adeo tamen magna popularium concitatio facta est, queis acerba nimis et gravis obtigerat parochi remotio, ut ad turbas ac tumultus sedandos suam civilis potestas interponere debuerit vim et auctoritatem. Multi hinc supplices hortatoresque ad eum restituendum penes Episcopum adfuerunt.

Primi ejus reditum deprecati sunt ecclesiae aeditui qui testantes »il vivo dispiacere di perdere nel parroco un soggetto che si diolinse costantemente nei doveri parrochiali.« Episcopum obtestabantur »a furargine ai danni che ancora sovrastano sospendendo i' ordine degli affissi.« Accessere municipalium preces, qui eadem confirmantes praeterea addebant: »La civica aministrazione ha veduto con dispiacere che dalla parte meno istrutta del popolo questo dolore si manifestasse in piu dichiarate maniere che il buon ordine non permettesse, dalla parte piu colla ha ricevute istanze perche le piu calde supplicazioni fossero umiliate all E. V. Rma onde riottenere una persona che per nove anni dirigendo spiritualmente questa popolazione contrasse necessariamente con essa dei vincoli alla sua persona.« Haud tamen facti poenitens Episcopus ad syndacum scribens reponebat: »Le cause gravissime, e 'lincredibili circostanze che diedero occasione ed impulso all' emanata mia provvidenza, le cose occore ed il divulgamento che presero, mi obbligano a mantenerla.«

Quod vero ab interposita appellatione prosequenda Sicardium revocaret amica ei conciliationis verba facere non praetermisit, sua ad apostolicam Sedem spondens officia, ut congrua ei super primo vacaturis beneficiis reservaretur pensio: quibus tamen assensus non est Sicardius. Qui e Capuccinorum coenobio literas ad Episcopum mittebat, in quibus studiosissimum se edicens facultatem sibi fieri expostulabat vel ad paroeciam redeundi vel dioecesi emigrandi nondum spe abjecta fore, ut res circa laureae susceptionem componeretur. Id unum tamen assequutus, ut a Capuccinorum coenobio, ubi ad septuaginta quatuor dies detentus fuerat, die 19. Januarii 1846. discederet. Quo quidem beneficio non admodum usus est. Eodem enim die politica auctoritas exilium a Finario eidem indixit. Maluit autem ipse Savonae vitam agere, ubi sex mensium statutam exilii poenam pertulit.

Agebatur interim in gradu appellationis apud Januensem curiam quaestio caducitatis, in qua inimicam Sicardius fortunam expertus est. Die enim 16. Martii 1846 Vicarii generalis sententia prodibat, qua ob non impletam praescriptam in literis apostolicis formam seu conditionem episcopale decretum confirmatum est. Paucis autem post diebus ex literis s. Congregationis comperit Episcopus, Sicardii preces circa laureae dispensationem fuisse rejectas. Hujusmodi tamen rescriptum eumdem celatum usque fuit. At vero causa cecidit Sicardius, sed non spe paroeciae recuperandae: nec mora, die 27. ejusdem mensis ab inimica sententia ad s. Sedem appellat et appellationis schedulam in actis deponit; hinc preces ad s. hunc Ordinem dat, efflagitans causae revisionem vel judicum in partibus delegationem. Haec dum magna animi contentione gereret nova calamitate perculsus est. Die enim 15. proximi mensis Julii politicae auctoritatis jussu a territorio dioecesano discedere et Montem regalem accedere cogitur. Diu ibi relegatus vitam transegit ac nonnisi unum supra viginti menses quam erat expulsus restitutus est.

Sed lapsus jam erat annus a quo a Metropolitani judicis sententia interposita fuerat appellatio. Iteratae Sicardi ad s. Ordinem petitiones rescriptis 30. Martii 1836. et 10. Maji 1847. ad Emum signaturae praefectum prout et quatenus de jure remissae fuerant. Longe autem hoc desuper negocio servatum silentium effecit, ut judex ille alteram die 18. Maji 1847 proferet sententiam in qua »considerans annum ab interposita appellatione elapsum esse quin exhibitum fuerit rescriptum pontificium, quo Josepho Sicardi concederetur judex appellationis, pronunciavit et declaravit appellationem interpositam die 23. Martii 1846. esse desertam.« Ab hac pariter sententia Sicardio absente ejus procurator appellavit. Ea tamen fretus Episcopus interposita appellatione posthabita illico ad vacantem paroeciam concursum indicit; quo celebrato die 22. Julii novus eligitur ac renunciatur parochus Aloysius Ma-

thias Richeri. Transmissis actis ad apostolicam Datariam obstitit Sicardius per suum in Urbe procuratorem ac solemniter apud idem tribunal protestatus est, ne pendente adhuc appellatione literae collationis expedirentur. Sed perperam. Nam Dataria rei exequutione retardata quousque omnia sibi comperta fierent, die 28. Januarii 1848. literis sub plumbo expeditis in quibus paroecae edicebatur vacatio ex eo quod quidam Josephus Sicardi presbyter per definitivam sententiam ab episcopali curia Savonen. servatis de jure servandis prolatam et a Metropolitana confirmatam de archipresbyteratu perpetuo privatus fuit; praefatum archipresbyterale beneficium Richero contulit addita clausula »etiamsi .... super eo inter aliquos lis in illius petitorio vel possessorio cujus litis statum praesentibus volumus pro expresso pendeat indecisa«.

Rei notitia brevi per Finarium divulgata magis magisque plebem exacerbavit, quae capta fortasse illius temporis opportunitate, quo novarum rerum studium divina ac humana cuncta permiscuit, minis ac clamoribus Sicardii reditum expostulans novi provisi possessionem impedire adnisa est. In tanta rerum perturbatione tum Clerus tum municipium omnia primum ut Episcopi animum emollirent incassum experti nil relinqui sibi esse duxerunt quam regiam Majestatem supplicatum adire, ut eorum votis tandem aliquando fieret satis. Easdem mense Majo 1848 sacratissimo Principi Nostro ingeminarunt preces, in quibus pro sua parte civica administratio »lontana dall' entrare nelle ragloni che diel o l'appello sulla sentenza Metropolitana possono tuttavia competere al Sicardi, d'essa si ristringe ad implorare il sospirato ritorno alla parochia del Rev. Sicardi a mero titolo gracioso.« Clerus autem abstinens a judicio »se debba la buona sede giovargli in via di diritto,« ejusdem deprecabatur reditum pariter »a nome di grazia, se questo titolo solo rimane« quibus alio dato supplici libello ferventissimas suas addebat supplicationes cleri Decanus. Hujusmodi preces benigne excipiens eas per Secretarium memorialium die 12. Maji ejusdem anni ad s. hanc Congregationem ablegavit »pel corso e l'esito che devono avere.« Quae antequam evenirent, Sicardius poena relegationis solutus omnibus (ephemeride illius temporis testante) ovantibus ac plaudentibus Finarium reversus fuerat.

Quaestione itaque ad s. Ordinis jurisdictionem delata illico Episcopo commissum est, ut audito in scripto Promotore fiscale eique praefixo competenti termino sua jura deduceret ac super oblatis precibus referet. Die 30. Junii una cum fiscalis promotoris deductionibus suas ad s. Congregationem literas mittebat Episcopus, in quibus totius rei praenarrata historia Sicardii ad paroeciam restitutionem uti inopportunam, exitiosam ac juris tertii laesivam improbabat ac decreti a se lati justitiam undique vindicare studebat. Post haec novae sub die 4. Augusti dicti anni ad Episcopum datae sunt literae ut partibus significaret, causam proponendam esse in devolutivo tantum, firma interim remanente Richerii provisione. Grave nimis erat Episcopo injusto munere fungi, gravius etiam literas discessus juxta s. Ordinis decretum diei 17. Julii 1848. Sicardio relaxare. Quamobrem cum multoties instaret, ut hujusmodi solveretur onere, opus fuit eidem committere, ut tamquam merus exequutor praefatum s. Ordinis rescriptum diei 17. Julii exequutioni demandaret. Novis hisce jussis obsequens, protestatus tamen se discessus veniam obsignaturum »prescindendo dalle solite formole« die tandem 4. Octobris dimissoriales subscripsit literas easque Sicardio tradi curavit.

Haec inter nondum Richerius paroeciae possessionem obtinuerat, quamvis usque a mense Junii mandatum de immittendo tulisset Episcopus ac Gubernii opem auxiliumque ad rem perficiendam implorasset. Ac reapse novos seditionis motus praevertere ratus supremus magistratus in Sicardium, qui praecipuus eorum insimul putabatur auctor, inquiri ejusque germanum fratrem ceterosque fautores in vincula conjici jusserat. Relatio autem gubernatoris fuit: »che victor li riscontri pervenutigli dall' Avvocato fiscale, cui avea chiesto un sunto delle risultanze del processo allo scopo principale di conoscere quale sia stato il contegno tenuto dal prete Sicardi, e se vi erano prove od indizi che il medesimo abbia preso parte sia direttamente sia indirettamente ai replicati disordini succeduti in Finale Marina, non costa dagli atti che il predetto prete Sicardi vi abbia preso parte, e se ne sia reso complice nel senso delle leggi penali.« Jam vero ubi Episcopi consilium ex Gubernatoris literis novere municipes, illico die 3. Julii 1848. frequentissimo coacto coetu unanimi suffragio statuere »di

porgere a Sua Eccelenza, calta preghiera a degnarsi far sospendere per ora il possesso Richeri, fino a che non ottenga il real governo una risposta officiale da Roma sulla verita dell' allegata vertenza.« Eademque petitio per idem ferme tempus s. Sedi porrigebatur. Postquam vero s. Congregationis decretum diei 5. Septembris 1848. propalavit Episcopus, quo edicebatur causam in devolutivo tantum proponendam fore nihilque impedimento esse quominus ad canonicam Richerii institutionem deveniretur, s. Sedis jussa Finarii incolae verentes novis parandis obstaculis sese abstinuere ac paroeciae possessionem die 29. Octobris 1848. sine querela Richerius adeptus est.

Eodem mense Octobris, venia discessus obtenta, Romam contendit Sicardius liti operam daturus. Quo vix perventus nil potius habuit, quam ut lauream assequeretur quam reapse scientiae suae summa cum laude facto periculo apud romanum archigymnasium in theologica facultate sibi promeruit. Interim vero notissimae quae supervenere rerum calamitates impedimento fuerunt, quominus causa continuo proponi posset, quae tamen pristino vix ordine restituto die 26. Januarii 1850. sacrum conscendit Ordinem. Sua non defuit Episcopo defensio ex officio ut moris est exarata. Acri per adlectum sibi defensorem contentione egit Sicardius ac secunda votis sui fortuna judicii. Nam consulti EE. PP.:

An sustineatur decretum diei 1. Decembris 1845. seu potius constet de spolio ita ut sit locus restitutioni ac redintegrationi in casu etc.?

Responderunt: Esse redintegrandum et ad mentem. Mens autem haec fuit: Scribatur Nuntio apostolico eique notificetur resolutio s. C. eum in finem, ut Episcopo Savon. significet, S. C. ad justitiae tramites decrevisse sacerd. Sicardium esse redintegrandum ad paroeciam s. Joannis Baptistae, utpote non jure ab ea depositum: proinde nomine ejusdem S. C. instet ac conveniat cum Episcopo super aptiori modo, quo sollicite exequutioni mandari valeat enunciata resolutio providendo etiam sacerd. Richeri de alio beneficio: ut ita finis controversiae imponatur et graviora scandala ac molestiae arceantur. Et de resultantibus certioret S. C.

Huic resolutioni, a qua nullo unquam tempore provocationem interjecit, fasces submittere Episcopus visus est. Quamobrem, cum ad iteratas cum Sicardii tum cleri ac municipum Finarii instantias ejus exequutionem (cui multa parabantur obstacula) interea temporis urgerem, ab incepto desistere opus fuit, postquam Episcopus summi Pontificis benignitate, quem supplex rogaverat »a permettere che il Vescovo supplicante sia ascoltato a difesa presso la sacra Congregazione, posta novellamente a discussione la causa giudicata con una sola decisione dagli Emmi Padri, assente in volontariamente dal giudizio Poratore«, novae audientiae beneficio recreatus est rescripto diei 2. Augusti anni superioris. Quo vix edito eumdem Episcopum de nova causae propositione monui eique commisi, ut suspenso interim exequutionis decreto Richerium ad causam vocaret, cui etiam terminum congruum praefigeret ad deducendum, quatenus vellet, jura sua coram s. Congregatione.

Una itaque cum Episcopo adstat in judicio Richerius qui tamen protestatus est »di comparire per mero ossequio al fallo invito senza che con questo possa arrecarsi il menomo pregiudizio ai suoi diritti che egli intende di voler serbare integri e salvi essendo i medesimi fondati sopra titoli ineccezionabili, contro i quali non altre via potrebbe essere aperta ad un contrario pretendente, che quella di un giudizio ordinario con tutti i modi e forme dalle leggi stabilite, e dai sacri canoni e concordati;« Episcopi autem defensor instabat, ut antequam causa super merito proponeretur ei fas esset de causis restitutionis in integrum in separata judicii sede quaerere, de quo dumtaxat attenta re judicata orta ex sententia curiae metropolitanae agendum esse contendebat. Hujusmodi petitionem negativo censui dimittendam responso quapropter sub dubio in anteacta propositione exarato tota haec agitur quaestio cui innuit sueta rogationis formula ad folii calcem exscripta. Qualibet itaque quae ad illud non referatur disquisitione posthabita, ea tantum quae circa verum causae meritum utrinque disseruntur persequar. A nova defensione edenda abstinens Sicardius una cum memoriali reassumptionis veterem circumfert, cujus synopsim jam alias in folio mensis Januarii 1850. elucubratam heic repetam.

Qui itaque Sicardii partes agit quatuor concludit articulis defensionem suam. In

quorum primo evincit nullitatem decreti episcopalis ex regula 36. cancellariae apostolicae, quae ita se habet: »Si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, ex quovis titulo apostolica vel ordinaria collatione per triennium pacifice possederit, super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat.« Iis tantum exclusis, quos ibi expressis verbis regula excipit, nempe qui per simoniam intraverint aut semetipsos intruserint in beneficia non quaecumque sed reservata solum et ea tantum reservatione quae in corpore clauditur juris. Quorum duorum casuum exclusio tam expressa aequivalet expressae ceterorum casuum inclusioni, quibus semper regula favet, juxta ea quae tradunt *Fagnanus in cap.: Multa de praeb. n. 54, Wan-Espen. Juris eccl. univ. par. 2. tit. 26. n. 6., Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 13. num. 7., Conzal. in lib. 1. decret. tit. 43. cap. 2. num. 2., Reiffenst. lib. 3. tit. 5. de praeben. et dignit., Card. Petra Comment. in const. apost. tom. 5. ad constit. Callisti III., s. Alfonsus de Lig. Theol. mor. lib. 3. tract. 5. de VII. decal. praec.* et in *append. de just. et jure num. 507., Rota in Tuden. Canonic. 5. Junii 1763. num. 17. cor. Matthejo,* S. C. Concilii in *Soplet. Impetration. 22. Nov. 1823., Forolivien. Jurispatr. 23. Jun. 1838. et 27. Aprilis 1839. ad IV. dub.* ac *Rigant. in hanc regulam per totum.*

Quibus certe auctoritatibus liquet, triennales pacificos beneficiorum possessores (intrusis tantum et simoniacis exclusis) pro veris habendos et canonicis possessoribus in vim hujus regulae, quae tribuit robur juri invalido, dat meliorem titulum de mundo atque impedit omnes molestias de invaliditate ejusdem tituli, quadragenariae comparata praescriptioni; adeo ut opposita et justificata aliae non sint partes judicis quam in pronunciando, regulam obstare et si quid decernat contra possessorem, id nullum sit. Addit porro ex eodem Rigante »possessorem decennalem juvari exceptione hujus regulae etiam sine titulo.« *)

Nunc autem extrema regulae casui applicans, nemo inficiatus est, inquit, Sicardium in pacifica possessione dignitatis suae perdurasse nedum triennium sed et decennium a die nempe 24. Septembris 1836. ad diem 2. Decemb. 1845.: quod temporis spatium intercessit a collatione apostolica et mandato immissionis ad intimationem privatorii decreti; titulum quoque solemnem ac numeris omnibus absolutum protulisse in bullis sub plumbo ab apostolica cancellaria sibi datis. Intrusionis aut simoniae vitium neque oratenus objectum vel ab Ordinario vel a judice Metropolita, ergo (infert) Episcopi decretum resolvitur in attentatum contra regulam. Quod si etiam qui ante provisionem vel excommunicatus vel recipiendi beneficia incapax omnino fuerit attamen hac regula juvatur, *Pirhing. lib. 5. tit. 27. num. 22., Garcias de benef. cap. 3. in princ., Barbosa collect. DD. in V. lib. decret. tit. 27. n. 20., Navarr. in cap.: Si quando except. 10. num. 9. de rescript.*, potiori, urget, ratione eadem regula juvari eum debere qui titulum validum in radice habens poena privationis ex omissione posteriori plectendus veniat. Ad effectum enim hujus regulae titulum beneficii tantummodo colorem perdere ostendit, si vel simonia vel intrusione foedetur, ceu clarissimis verbis in regula docetur et confirmant *Wan-Espenius in laud. opere cit. loco num. 20. et 21.* et ibi, *Chokierius ad hanc regul. num. 80., Card. de Luca de benef. p. 1. disc. 195. et 135. num. 5., Rigant. loco cit. num. 128., Pignat. tom. 9. cons. 188. num. 35. et seq., Lotter. lib. 2. quaest. 53. num. 10. et seq.* Aliter enim, uti argumento ab ipsa naturali ratione ducto edisserit, daretur absurdum de esse simul et non esse, cum ad conditionem poenamque parendam vis esset in titulo, non esset autem titulus vi conditionis et poenae.

Quae quidem confirmare pergit a qualitate conditionis imposita Sicardio, quam titulo ipsi extraneam et accidentalem appellat appositamque de stylo potius quam de necessitate, non de praecepto rigoroso, sed de consilio, non tamquam de substantia, sed pro mera forma. Ecclesia enim diploma doctoratus ceu simplex medium exigit experiundae verae solidaeque doctrinae, ut probat *Barbosa Collect. DD. in Conc. Trid. sess. 23. cap. 13. de reform. num. 28.* et *de Episcopis par. 3. alleg. 60. num. 85.* et de *Canon. et Dignit. cap. 26. num. 9.* et ibi pluribus citatis *Wan-Espen. op. cit. p. 2. tit. 19. de act. et qualit. praefic. cap. 4., Card. Petra in Const. VII. Bened. XII. num. 6. 7. et 13., Gonzalez. ad reg. VIII. cancell., Nicol. in Flosc. V. Doct. num. 32., Lotter. de re benef. lib. 1. quaest. 13. num. 110.*, s. Congreg. in *Aboren. Poenitentiariae*

*) Vd. *p. 757. b.*

12. Martii 1623. Atque ita in facto ex allatis documentis constare probat de doctrina Sicardii, ut nedum antecessores Episcopi et finitimarum dioecesum Ordinarii scientiam ejusdem probarint, sed amplissium de ea testimonium reddiderint universus Finariensis clerus, examinatores prosynodales ac Savonensis Antistes vel ipse.

Ceterum exploratum est, prosequitur orator, Sicardium de facto etiam conditioni quantumvis extrinsecae obtemperare voluisse et institisse apud Episcopum De Mari, ut sibi venia adeundae universitatis pro laurea consequenda tribueretur; et morem eidem gerere debuisse, a quo consilium accepit ut a s. Sede reposceret dispensationem: quare cum per Sicardium non steterit, quominus ipse conditioni satisfaceret et cum recursus ad s. Sedem pro dispensatione penderet, concludit nulla culpa seu mora eum incusari posse ex *L. Si quis 63. ff. de re jud.* et resolut. s. hujus Ordinis maxime in *S. Severini Capellaniae 7. Septembris 1833.*, in *Camerinen. 20. Decemb. 1834.*, *Auximana Canonicat. 17. Julii 1839.*, *Firmana Fructuum et distribut. 24. Nor. 1827.*, eo vel magis quia in dubio an culpa sit admissa necne, nemo potest condemnari et quia quaecunque causa etiam levissima potis est ad culpam eliminandam, uti communi edocent calculo *Bald. in L. Creditor de pignor.*„ *Rota in Ravenn. Refect. damn. 6. April. 1753. cor. Elephant.*, s. Congregatio Concilii in *Recanaten. Refection. damn. 29. Julii 1837.*, in *Reatina Vectig. et caducit. 7. Aug. 1841.*

In articulo secundo ex neglecta ab Episcopo judiciali forma deducit nullitatem decreti: quod continuo in jure demonstrat adducta decretali Alexandri III. in *cap.: Conquerenti 7. de restit. spoliator.*, ubi expressis verbis judicialem adhibendam formam Pontifex statuit, cum possessor beneficii possessione sua privandus est. Quod quidem jus evolvens a necessitate exorsus citationis hanc vel in summario judicio praemittendam pro validitate seu sententiae seu decreti, de jure tum divino et naturali, tum ecclesiastico et civili, pluribus ostendit ex *cap.: Quoniam de probation.*, *cap.: Inter quatuor de major. et obedien.*, *cap.: Cum s. Mariae de constit.*, *cap.: Licet Episcopus de praeben. in Socin. vol. 1. cap. 12. num. 4.*, *Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 8. num. 13. et quaest. 18. num. 6.*, *Scaccia de sent. et re jud. gl. 13.*, *Rebuff. Prax. benef. in conclus. Later. Con.* Etiamsi poena fuerit a jure comminata citra ministerium vel declaratoriam judicis et sub certis conditionibus ab eodem ipso jure statuta, cum semper necessaria sit citatio ut judex constituat reum in mora adsignando terminum ad purgationem ejusdem morae ex aequitate canonica introductam. Quod probat ex *Fagnano in cap.: Cum in cunctis de elect. et de restit. spoliat.*, in *cap.: Conquerente num. 1.*, *Rosa de exeq. lit. apost. par. 1. cap. 5. num. 234.*, *Gonzal. in reg. VIII. cancell. gl. 56. num. 126.*, *Reiffenst. lib. 1. tit. 2. de constit.*, *Wan-Espen. p. 2. tit. 19. de act. et qualit. etc. cap. 3. num. 16.*, *Girald. de poenis eccl. p. 1. cap. 5. et seq.* cum aliis DD., S. C. Concilii in *Narnien. Caducit. 9. Maji 1840.*, *Montis Alti 9. Maji 1829.*, *Spolet. 3. Decemb. 1842.*, *Januen. 26. Januar. 1839.*, *Rota decis. 269. num. 37. par. 4. tit. 2. dec. 640. n. 6. ib. tom. 1. dec. 585. num. 6. par. 1. decis. 208. num. 2. part. 15. recent.* et ex praxi omnium tribunalium, teste *Ridulphino Prax. judic.*, *Belleg. Pr. Vicar.* Neque ex privata scientia neque ex publica voce seu fama, sed ex actis et probatis judex decernere debet ad tramites juris, maxime cum de actus omissione sit sermo, uti res erat in Sicardio, qui nesciis omnibus utcumque implere potuerat conditionem vel ipsis exercitiorum diebus qui decreti praecesserant editionem; et quia etiam in notorietate facti requiritur citatio ex *Rigant. in reg. XVIII. num. 83.*, *Lotter. de re benef. tit. 3. quaest. 18. num. 33. et seq.*

Prosequitur neque Pitonium neque Rigantium neque s. hanc Congregationem in *Juvenacen. 11. Aug. 1756.* contrarium ab hac lege citationis etiam in notorio vel in vacatione ipso jure et facto docere, quemadmodum praesumit sententia curiae Januensis in juribus ibi allegatis. Quandoquidem auctoritates allatas in objicientem retorqueri contendit, ut planum est legenti totam *Pitonii discept. eccl. 120.* et *Rigantii* explanationem *regulae 36.*, maxime vero *num. 128.* et allatam superius ejus doctrinam in *reg. XVIII. cancell.* Casum autem in Juvenacen. nullatenus adductis hucusque juribus adversari. Etenim res erat de quodam theologali praebendae proviso adjecta conditione ut intra annum susciperet magisterium alioquin canonicatus vacaret eo ipso. Huic legi spatio septem et ultra annorum non paruit, imo monitus licet pluries atque etiam multatus ab Episcopo nec solemnes quidem habuit

explicationes ss. librorum. Promotor igitur curiae episcopalis rupta patientia eum in jus vocavit et ab episcopali audientia lata fuit sententia, qua vacare canonicatum pronunciatum fuit. Certus de vacatione factus Card. Prodatarius injunxit Episcopo, ut concursum indiceret illique qui magis idoneus fuit renunciatus a sacratissimo Principe Nostro praebenda collata fuit. E contra vero nec monitus nec in jus vocatus fuit Sicardius nec per congruum judicium ac sententiam paroeciali beneficio privatus fuit. Ast quae hodie vigeat jurisprudentia circa interpretationem clausularum »ipso jure, ipso facto, illico, eo ipso, ex tunc« manifesto colligi ex s. Congregationis resolutione in *Caesenaten. Mansionariae proposita die 15. Sept. 1792.* de mandato SSmi super praetensa caducitate instantis Philippi Achilli ob non susceptos sacros ordines intra tempus praefinitum et prorogatum »clerico isti de mansionaria (coadjutoria) proviso lex indicta fuerat suscipiendi sacros ordines infra annum sub poena caducitatis ipso jure. Cum igitur eam ex capite ignorantiae adimplere non posset et pluries ab examine, nemine discrepante, discessisset, prorogationem impetravit si aliquid in studiis proficeret. Thomas ejus patronus alterum sibi elegit coadjutorem, sed electionem revocavit, dum post signatam gratiam secundus coadjutor cum primo contendebat; et in hoc rerum statu decessit. Delere statim fecit Episcopus a mansionariorum albo Philippi nomen, quem adversus nonnulla apponuntur crimina illudque praesertim falsi: auctaeque fuerunt in Dataria contestationes, s. huic Ord. ut diximus ad definiendum delegatae. Hinc proposito dubio:

An constet de caducitate? S. C. respondit: Negative. Ubi ad rem in §. 3. et 4. legitur, ibi: »Nulla major sane controversia quam de vacatione beneficii ob non adimpletam legem suscipiendi sacros ordines intra praefinitum tempus, ubi adjecta sit poena caducitatis ipso jure, eo ipso, ipso facto. Affirmant plures eam non induci ante monitiones et declaratoriam facti, juxta *Clementin. Ut ii de aetat. et qualit. Ordinan.* confirmatam a S. C. Trid. *sess. 22. cap. 4. de reform.* Aequum porro non est quemquam indicta causa beneficio privare, licet imposita sit caducitatis poena cum clausula: ipso jure, ipso facto; vel ampliori etiam altera: sine ulla monitione et declaratione judicis; et ratio est quia in notorio etiam non assumpti sacerdotii facto aliqua potest esse excusatio, quae ad odiosam excludendam caducitatis poenam admittitur. Plures contra magni nominis DD. sustinent, caducitatis poenam sub clausula: eo ipso, ipso jure, ipso facto, canonem esse latae sententiae et conditionem resolutivam gratiae, ideoque vacationem inducere beneficii per simplex inadimplementum legis.

In hoc autem DD. conflictu ea est utriusque sententiae conciliatio, ut praemittenda non sit sententia declaratoria collationi beneficii, sed privationi possessionis.

In themate autem praetermisit Episcopus omnem judicii vel summarii telam, neque citavit neque monuit neque ullatenus audivit aut in mora Sicardium constituit antequam decretum caducitatis ederet, quod ex ipsius decreti verbis et forma satis liquet atque vel ipse fatetur Episcopus in suis ad s. hanc Congregationem literis, vel ad relationem faciendam vel ad officia comparanda; quod etiam ex judicis metropolitani sententia clare deducitur et ex informatione promotoris fiscalis curiae Savonen.

In articulo tertio ex ipsa forma decreti dolum et malitiam eruere satagit. Etenim decreti causam non fuisse defectum laureae, sed potius crimina Episcopus ejusque promotor insinuare videntur. Hinc orator ex jure praemittit, tres ab ecclesia datas Ordinariis fuisse refraenandis subditorum criminibus poenales formas, medicinalium scilicet pro levioribus ad tempus, remotionis seu suspensionis perpetuae stante titulo ex Trid. Conc. *sess. 14. cap. 1. de reform.*, privationis tandem seu depositionis cum ablatione tituli ex constit. Benedictina.

Addit etiam, eam modo esse S. H. C. receptam sententiam, ne prius scilicet privationis seu depositionis poena decernatur, quam monitiones praecesserint ac solemnia a legibus praescripta adamussim impleta fuerint, ceu videre est in *Lucionen. Suspensionis et appellat. 8. Apr. 1848. §. penult.*, ibi: »S. autem Congregatio etsi olim censuerit, ut supra dictum est, caput Conc. Trid. *sess. 14. de reform.* habere locum in prohibitionibus tam temporaneis quam perpetuis: recentiori tamen aevo ab illa sententia recedere consuevit aliamque constanter secuta est; qua id velle videtur, ut hujusmodi suspensiones, praesertim perpetuae seu inde-

finitae quae idem valent ac perpetuae et sunt merae privationes haud unquam in posterum ferendae sint, nisi praemissis monitionibus aliisque solemnitatibus ad praescriptum ejusdem synodi Trid. *sess. 21. cap. 6.* latas fuisse repererit. Enim vero in quadam *s. Severini 19. Sept. 1778* dubium:

An parochus Laetti esset necne redintegrandus ad regimen suae ecclesiae parochialis, a quo praeter normam cit. cap. 6. sess. 21. fuerat suspensus?

hoc ipsa responso persolvit: Affirmative reservato jure promotori fiscali agendi contra parochum Laetti ad form. Conc. Trid. et amplius.

Et novissime in *Placentina Restitut. in paroch. 26. pr. lapsi Februarii* idipsum rogata, quoad parochum Franchi consimili munere dejectum, respondit: Affirmative peractis per decem dies exercitiis spiritualibus in domo religiosa.

De medicinalibus autem poenis statutum *in cap. 1. de cust. eccles. cap. 7. de elect. cap. 2. et 4. de temp. ordin. in 6. cap. 1. de sent. et re jud. in 6.*, Conc. Trid., ubi supra *et sess. 23. cap. 8. et 10. de reform.*, quod firmat *Monacell. Formul. part. 3. tit. 2. §. 4.* et *Bernardi de susp. cens. cap. 7.* Quas praxeos regulas de facto contempsisse probat Episcopum: et quia decretum non est de suspensione vel temporanea vel perpetua; quia nulla ibi dispositio de retentione tituli; quia cancellarius jussus edictales literas conficere concursus; quia formae judiciales ad privationem et suspensionem perpetuam necessariae nullimode adhibitae sunt; quia causae vel graves ad medicinalem poenam, vel graviores ad privationem in decreto principaliter, non incidenter ac veluti pro appendice praemittendae fuissent.

Et quod ad causas spectat, eas omnino pandere atque indubiis documentis probare tenebatur Antistes vel in judicio formali, si de privatione ageretur, vel s. huic Congregationi, si de suspensione res esset, ceu evincit ex praescripto S. H. O. in *Vercellen. 21. Martii 1843.* De facto autem constat, nunquam Episcopum super causis confecisse vel conficere voluisse processum, quamvis id instanter postulasset Sicardius; neque eas huic S. C., quae pro informatione ad eum scripserat, revelasse. Quae autem objecerat extra decretum vel informationem, ea non modo non probasse demonstrat, sed in facto testimoniis etiam ab ipsomet Episcopo productis omnino reprobari, cum et Sicardii mores amplissime ab omnibus et ipsius Episcopi testimonio commendentur. Ex quibus infert, nullas prorsus Episcopo dedisse Sicardium causas, quare in eum tam dure animadverteret; atque ideo absque vera, justa et rationabili causa Episcopum decretum illud edidisse contra dispositionem *juris can. 27. 28. et 30. caus. 23. quaest. 4.* allata quoque autoritate *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 1. n. 26.*

Dolum vero et malitiam in decernente multifariam derivat orator ex documentis in summario relatis, ceu fuse in hoc tertio articulo deprehendere est.

Denique in articulo quarto restituendum ex jure contendit Sicardio beneficium quo fuit spoliatus, una cum fructuum inde amissorum redintegratione, damnorum sumptuumque litis refectione. Spolium vero probat ex hucusque deductis facta juris comparatione, praesertim vero *cap.: Conquerenti 7. de restit. spoliator.* Hinc de damnis resarciendis agens gravissima ea fuisse probat ex multis diutinisque malis a Sicardio toleratis. Ad redintegrationem autem quod attinet, valde primo conqueritur de rescripto in devolutivo tantum concesso, quae limitatio ex Benedicto XIV. in solis appellationibus a concursu datur, necnon de provisionis literis ab apostolica Dataria favore Richerii expeditis, non obstante litis pendentia et recursu Sicardii: nihil tamen id facessere difficultatis demonstrat, cum literae apostolicae collationis, possessio et acta quaelibet vitio nullitatis in radice subjaceant. Nec novum aliunde est ut qui beneficium ab altero juste, valide et pacifice possessum usurpaverit tanquam intrusus ac spoliator ab injusta hujusmodi possessione arceatur, ceu multa exstant exempla s. hujus Ordinis, praesertim in *Romana 7. Aug. 1847* et in *Tranen. Poenitentiariae 15. Julii 1848.*

Episcopi defensio tria complectitur capita. Caducitatis decretum juri summo et aequitati consentaneum fuisse probatur in primo. Quod ut conficiat vulgatissimum, juris axioma praemittit defensor, quo statuitur, quemlibet actum sub conditione celebratum nullam exserere vim ac plane resolvi inadimpleta conditione. *Rota cor. Falconerio decis. 34. n. 5. de jurepr. et decis 1. n. 3. de usufr.*, praesertim si terminus ad eam implendam fuerit praefixus, quo inutiliter elapso habetur pro purificata ad effectum agendi, juxta ea quae in terminis docet *Constant. tom. 2. vol. 337. num. 19.*, cui consonat *Gratian. tom. 1. disc. for. cap. 137. num. 3.*, qui addit etiam in conditionibus adimplendis nullam admitti purgationem morae etiam in continenti, maxime si res sit de mora diuturni temporis, pro qua nulla suppetit excusatio, *cit. loc. tom. 2. cap. 307. num. 30. et seqq.* Id porro in causa esse, animadvertit defensor, cur beneficium paroeciale vacet eo ipso, si beneficiatus intra annum a beneficii possessione sacerdotio non initietur, (quae quidem conditio aut diserte apponi solet aut de jure subintelligenda venit in beneficii paroecialis collatione) quin purgatio morae ei opituletur, ad monitum *Cabassut. Theor. et prax. jur. canon. lib. 2. cap. 2. num. 17.* et *Murga de benef. quaest. 9. n. 13.*, quod generatim obtinet ob alias quascumque conditiones intra terminum praestitutum non adimpletas, *de Nigris de vacat. benef. lib. 1. cap. 79. num. 22.*, *Garcias de benef. part. 11. cap. 10. num. 29.*, eadem sane ratione, ac si de poena latae sententiae ageretur, quae conditioni resolutivae aequiparatur in jure, *Giraldius de poen. part. 1. cap. 3.*

Hisce praehabitis propius ad rem accedens contendit ex communi juris interpretum doctrina clausulam *eo ipso* ab apostolica Dataria in literis collationis appositam vim habere latae sententiae quae privationem secumfert ipso jure absque hominis ministerio seu absque ulla judicis sententia vel declaratione, ceu huic ceterae similes dictiones: ipso jure, ipso facto, illico etc. *Moneta de distrib. quotid. part. 3. quaest. 7. num. 35.*, *Barbosa de dict. usufreq. dict. 106.*, *Lauren. in foro benef. tom. 2. part. 3. quaest. 171.*, *Conzal. gloss. 56. num. 30. ad regul. de mensib.*, *Lotter de re benef. lib. 2. quaest. 41. num. 12. et seqq.*, *Piton. tom. 4. disc. 134. num. 14.*, *Card. Petra in Comment. ad constit. s. Innocentii IV. num. 7. tom. 3.*, *Murga loc. cit. quaest. 9. num. 115. et seqq.*, ita ut beneficium, uti vacans, valeat statim conferri possessore nec vocato nec citato, *Passerin. lib. 7. cap. 28. de praeb. et dignit. in 6. num. 12.*, *Barbosa de offic. et potest. Episc. part. 3. alleg. 57. num. 255.*, *Murga loc. cit. quaest. 9. num. 97.* aliique, ob id scilicet »quia non dependet a sententia judicis illa poena quae per ipsum jus infligitur et irrogatur« ceu edisserit s. *Rotae Auditorium in Verdunen. Abbatiae cor. Falconer. tit. de benef. eccles. dec. 20.*, in qua ad hujus doctrinae tramites quaestionem ab hac non absimilem definivit. Ex hisce itaque prono velut alveo fluere concludit, inspecta tam juris quam aequitatis ratione optime sese habere decretum caducitatis, de quo quaestio est, ex quo Sicardius cum literas collationis accepisset sub conditione, ut intra annum lauream doctoralem sibi compararet, addita clausula »alioquin archipresbyteratus vacet eo ipso,« attamen praefatam conditionem nec adimplevit unquam neque ab ea adimplenda dispensationem obtinuit. In quo quidem maxima usum esse aequitate Savonensem Antistitem, qui, cum vix emenso obtentae prorogationis termino ac nulla declaratione praemissa pro nova instare collatione jure merito potuisset, maluit tamen moras ad plures annos nectere et post sequutam decreti evulgationem ad vacantem paroeciam concursum indicere.

Perperam hinc decretum hujusmodi uti non citato possessore latum nullitatis incusari. Perpendit enim, in casu vacationis beneficiorum ipso jure haud sententiam condemnatoriam, sed declaratoriam tantum requiri, non quidem in sensu etiam eorum qui eam necessariam putant, ad inducendam, sed ad pandendam dumtaxat vacationem pro qua nulla opus est citatione cum de una capescenda facti notitia agatur. Ita *Card. Petra in Comment. ad constit. 1. Nicolai V. n. 34. tom. 5.* et clarius *Leuren. loc. cit. quaest. 162. num. 3.* Eo vel magis quia in exequutivis nullum necesse sit judicii ordinem servari qui a judicis arbitrio dependet omnino, *Gratian. tom. 2. disc. for. cap. 353. num. 11. et seqq. et cap. 398. num. 45.*, *Scaccia de sent. et re jud. gloss. 14. quaest. 17. num. 71.*, atque ideo omitti potest citatio, quippe quae in declaratoria non ad substantiam actus sed tantum ad vacationem patefaciendam requiritur, ceu monet *Leuren. in for. benef. part. 1. quaest. 388. num. 6. et 7.*

Sed citationis necessitatem ex duplici potissimum capite excludere praeterea studet Episcopi defensor.

Primo quidem, quia juxta receptissimam juris doctrinam, ubi terminus sive a lege sive ab homine ad aliquid agendum praefixus est, jam ipsa dies interpellat pro homine. *Scaccia de sent. et re jud. glos. 9. n. 62.*

Secundo, quia agebatur in themate de re notoria, quo in casu nec citationem rei neque causae cognitionem requiri probat cum *thesauro de poenis ecclesiast. part. 2. p. 121. edit. Rom. anni 1760. et part. 11. de benef. cap. 10. num. 35.*, *Schmalzgrueber in jus eccles. univers. tom. 2. part. 1. tit. 3. §. 2. num. 15.*, *Fagnano lib. 2. decret. cap.: Non potest. de sent. et re jud. num. 20.* Neque enim est citandus, cui notorium est defensionem non competere, ceu vel ipsum edocet naturalis rationis dictamen. Quamobrem vel illud in notoriis receptum apud omnes est, ut posthabito judiciali ordine valeat judex semet extrajudicialiter informare, ad monitum *Gratian. disc. for. tom. 3. cap. 925. num. 5. et 6.*, *Constant. tom. 2. vot. 300. n. 28.* Atqui compertissimum in facto esse ait in re prorsus notoria pronunciatum fuisse ab Episcopo quem non latebat, Sicardium ad diem lati decreti appositae in apostolicis literis conditioni nondum fecisse satis, neque dispensationem aut novam prorogationem obtinuisse a s. Sede quae quidem nunquam inconsulto Ordinario rescribit, cui imo rescripti exequutionem committere solet.

Idipsum evincere studet orator etiam in hypothesi, quod Episcopo id notorium non fuerit, in medium *Fagnani loc. cit. in cap.: Cum olim num. 43.* sententiam proferens, qui ad rem docet ibi: »Etiamsi judici non constet factum esse notorium, dummodo vere sit notorium, licet judex peccet si fert sententiam antequam probetur factum sibi notorium, tamen ejus sententia irrevocabiliter est. Quare indistincte teneas sententiam non esse revocandam si saltem ex post facto constet, factum esse notorium et reo nullam defensionem competere.« Cui adhaeret *Gonzal. ad regul. de mensib. gloss. 5. in poen. n. 111.* Porro factum quod Episcopo notum non fuisse supponitur reapse tamen notorium fuisse ait, praesertim postquam causa, juris ordine servato, apud Metropolitanum judicem acta est, a quo confirmatum est episcopale decretum.

Ad alterum exinde defensionis suae caput gradum faciens decreti firmitatem adstruere nititur, etiamsi aliud in forma servandum aequitatis rationem postulasse fingatur. Praeposteram enim ac nugatoriam quamlibet habendam esse contendit exceptionem, postquam Metropolitani judicis lata sententia est ceu nim perpendit *Scaccia de sent. et rejud. gloss. 14. quaest. 32. num. 54.*, ibi: »Quamvis sententia sit nulla, quia sit lata ex falsa causa, si tamen ab ea appellatur et dicatur de earum nullitate, judex poterit eam confirmare ex causa vera . . . nam judex appellationis potest confirmare sententiam nullam.« Idemque tradit *Lancellott. de purg. attent. part. 3. cap. 29. num. 66. et seqq.* Ac majorem vim exserit ratio haec in casu, cum Metropolitani sententia in perfectam rem judicatam transierit: quod quidem impedimento est quominus de primae sententiae nullitate nova possit haberi quaestio, ceu in terminis docet *Vantius de nullit. sent. quib. mod. sent. nullitas reparari vel defendi possit num. 25.* et in duriori casu *Gratian. disc. for. tom. 5. cap. 950. num. 27. et seqq.* Et consonat *Leuren. loc. cit. part. 3. quaest. 462. num. 2.* et *Constant. tom. 1. Vot. 190. n. 59.*

Sed alius praesto sibi est titulus post sequutam Richerii provisionem, ut contrarias eliminet exceptiones. Non enim restituendum sive laesum sive spoliatum, si res non sit amplius integra, probat auctoritate *Parisii de resign. benef. lib. 3. quaest. 7. num. 39. et 40.*, *Cabassut. theor. et prax. jur. canon. lib. 2. cap. 23. num. 16.* et *Menochii de recup. possess. remed. 15. num. 433.* Quod quidem praecise obtinet ubi in spoliato notorius sit defectus proprietatis seu tituli: in qua sane conditione, inquit, versabatur Sicardius ob laureae defectum, cum archipresbyterale beneficium Richerio collatum est. Quem praeterea triennalis possessionis regula juvari contendit, unde novum denegandae restitutionis momentum erumpere sibi videtur. Hinc singula regulae requisita expendens nec tempus nec titulum nec pacificam possessionem in Richerio deesse demonstrat. Non tempus, quippe a die 29. Maji 1848, quo institutionem habuit, usque ad mensem Augusti 1852, quo primum ad causam vocatus est, quadriennium et ultra profluxit. Non titulum; literas enim collationis accepit, cum super beneficii vacatione nedum Episcopi declaratoria sed res judicata vigeret, quamvis integrum apostolicae Datariae fuisset ante omnem Ordinarii declaratoriam beneficium ipsum uti ipso jure vacans conferre, possessore nec monito nec citato, ceu patet ex his quae superius enucleata sunt. Nec tandem pacificam possessionem; cujus quidem rei argumento est, numquam Richerio molestias allatas fuisse, qui nunc primum ad causam vocatus est.

E contra vero non eadem ratione hujus regulae exceptione uti posse Sicardium; et quidem ex defectu tituli. Defecit enim, inquit, legitimae possessionis titulus eo ipso momento quo indultae ad lauream consequendam prorogationis tempus elapsum est, quin Sicardius aut lauream aut novum prorogationis terminum fuerit assequutus. Rem acu tangere sibi videtur *Rigantius in comment. ad regul. cancell. 36. ubi num. 186. haec habet*, ibi: »Pari modo provisus auctoritate Apostolica de beneficio cum decreto, quod intra certum tempus ad sacros ordines promoveri seu quod licentiaturae aut theologiae vel utriusque juris gradum obtinere debeat, sub poena nullitatis gratiae ipso jure si decreto hujusmodi non paruerit, exceptione regulae juvari non potest. Cum enim regula requirat titulum coloratum, hic manifeste deficit eo ipso, quod forma seu conditio in literis apostolicis praescripta adimpleta non fuit, tunc enim titulus ille, qui alligari posset vigore collationis habitae ab habente originariam facultatem conferendi, reducitur ipso jure ad non titulum. Accedit auctoritas Pitonii qui in casu practico penes Datariam discusso rem confirmat, *discept. 120. part. 4.*, et *Tonduti quaest. et resol. benef. cap. 85. n. 39. 50. et seqq.*

Nequidquam vero dispensationis praesumptione inniti Sicardium. Nam praeterquam contraria potius obtinet praesumptio, quando res uti in casu difficilis obtentu est, ceu monet *Tondut. loc. cit. num. 49.*, nec ceteroquin dispensatio, si qua data fuisset, latere poterat Ordinarium, cui exequutio gratiae committi assolet; illud accedit quod cum in solemni apud metropolitanam curiam habito judicio probatum fuerit, dispensationem a laurea doctorali suscipienda haud retulisse Sicardium, quamlibet profecto praesumptionem concidere omnemque ejus vim et efficaciam ad nihilum recidere necesse est.

Nec saniori consilio ad decennalem possessionem eum confugere autumat: primo enim oportet ut decennium nedum continuum, sed completum etiam sit, ceu docent *Antonell. de tempor. legal. lib. 2. cap. 53. num. 14.* rationem addens, cum nempe agatur de praescriptione, *Van-Espen. in jus eccles. univ. tom. 3. part. 2. sect. 3. tit. 9. de instit. et possess. benef. cap. 4. num. 7.* et *Rigant. loc. cit. num. 38.* Constare autem in facto Sicardium nedum decennio expleto, sed nec incepto possedisse, quippe possessionem ipse adeptus est die 1. Decembris 1836, caducitatis autem latum est decretum die 1. Decembris 1845. Sed nec integrum decennium sat esse, urget ad tituli praesumptionem inducendam, ad hunc enim effectum requiruntur tresdecim anni decem nempe ad praesumendum titulum et tres ad illum colorandum, ceu docet *Rigant. loc. cit. num. 96.* Quominus tandem longi aut etiam longissimi temporis possessione nitatur Sicardius, illud prohibere, quod temporis lapsus prodest quidem ad tituli qui desit praesumptionem inducendam, sed vim non habet confirmandi seu revalidandi titulum suapte natura vitiosum. »Unde melius est titulum non producere, quando ex illius inspectione constat de . . . . dixi de titulo vitioso; nam si solus titulus esset nullus et invalidus, illius productio non obstaret: aliud enim est titulum esse nullum, aliud esse vitiosum . . . . . . unde remanet praesumptio tituli validi, licet constet de titulo invalido, non tamen vitioso,« uti ad rem monet *Tondut. loc. cit. num. 40. et seqq.* Nec secus docet *Card. de Luca de benef. disc. 91. num. 17. et seqq.*

Postremo loco contrarias allatas auctoritates ad trutinam per summa capita revocans orator eas vel satis, ex his quae hucusque disseruit, refutatas vel a causa prorsus extraneas esse contendit. Quarum nonnullas referri censet ad ea quae praxim in beneficiorum privatione servandam respiciunt, minime vero in vacatione declaranda ob privationem ministerio juris incursam, in quo cardo hujus quaestionis est; ceteras autem methodum quidem indigitare, qua in vacationibus ipso jure inductis declarandis utendum est paroeciarum tamen, sed non alterius generis beneficiorum. In quo quidem magnum discrimen esse arguit cum *Murga loc. superius cit.*, ex eo potissimum, quod in beneficiis non paroecialibus viget s. Concilii Tridentini dispositio, qua cautum est per quosdam gradus ac solemnitatibus praemissis ad privationem deveniendum esse; quae omnia haud servari opus est in paroecialibus, in quibus de uno in collatione apposito decreto ratio habetur.*)

Factorum autem adjuncta, quae tertii capitis materiam suppeditant quaeque Sicardii restitutionem exitialem ac impossibilem defensoris sententia demonstant, partim in facti expositione superius attigi, reliqua fuse in ejus allegatione enarrata recolent EE.

*) Vd. *d. 780. §. Monendum.*

PP. Haud tamen heic loci silentio praetereundum judicium quod circa Sicardii reditum ad paroeciam Finarii a duobus ejusdem provinciae Episcopis datum legitur ad calcem defensionis. Alter est Episcopus Vintimiliensis qui sententiam suam in haec verba pandit: »spero che il Signore si degnera di gettare uno sguardo di misericordia agli abitanti di Finale per conseravarivi il buon pastore Richeri che attualmente lo regge e tenere lontano chi vi apporto tanti mali e scandali.« Idem sentit Episcopus Athinganensis: »Quanto alla parrocchia si sa che e ben provista attualmente, e porto ferma opinione che se venisse rimesso alla cura di essa D. Sicardi, cio riuscirebe non in edificazione, ma in distruzione del ben pubblicio spirituale.« Quibus aliorum etiam testimonium ac judicium accedit, ceu ibi videre est.

Post haec vindicias Richerii in separato libello agens hypothesim effingit, quod Sicardius ab aula judicii victor excedebat; hac autem admissa, ita ab ea quaestione extraneum esse censet Richerium, ut ejus nihilominus jura discrimen nullum subirent ac sarta tectaque permanerent quousque eorum periculum in separata judicii sede coram judicibus ordinariis facere non cogeretur. Ac primo vindicata possessione ejus quam legitimo derivatam titulo ac non brevi temporis cursu pacifice retentam ac firmatam regula de triennali tueri probat, rem expedit innixus ss. canonum ac vigentium in Sabaudo regno concordatorum praescriptis, unde statutum est, neminem a judicibus primarum actionum, turbato judiciorum ordine, ad Superioris forum atque jurisdictionem invitum compelli posse.

Ita quidem, ceteris juris communis dispositionibus omissis, legere est in constitutione s. m. Benedicti XIV.: *Ad militantis ecclesiae regimen.* *) §: *Quo vero*, ibi: »Volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes tam civiles quam criminales ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio (romano) vel alias juxta canonicas sanctiones apud Nos et Sedem apostolicam tractari possunt aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis aut Primatibus aliisque judicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis apostolicae Nuntiis vel de latere Legatis aut camerae Nostrae generali Auditore et ceteris quibuslibet curiae Nostrae judicibus ad se avocari vel aliis committi possint nisi per viam legitimae appellationis et in casibus ut supra non prohibitis ad ipsorum tribunalia deferantur.« Eademque peculiaribus editis instructionibus eumdem Pontificem pro Sabaudiae regno servanda praecepisse; ac in apposita instructione post solemnem conventionem cum illo regno firmatam ac Ordinariis locorum rite transmissam praescripta fuisse: haec demum in praxi a s. hac Congregatione adamussim servari demonstrat. Quamobrem Richerii jura, quicumque tandem controversiae quae Episcopum inter et Sicardium agitur futurus sit exitus, a s. Ordine reservatum iri sibi pollicetur.

Sit itaque dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis.

Die 16. Julii 1853.

IV. Propter rebellionem.

Concordien.

Exponit Episcopus, quod sacerdos Augustinus Casati olim regularis, impetrato anno 1840 saecularisationis atque habilitationis ad beneficia ecclesiastica etiam cum animarum cura assequenda, apostolico indulto subsequenti anno 1841 beneficium paroeciale in oppido Spilimbergi de jurepatronatus Comitum ejusdem nominis in s. patrimonii titulum rite assequutus est. Subdit autem, quod brevi ejus vita institutum ita se prodiit, ut saepe saepius antecessor Episcopus graviter in eum animadvertere coactus fuerit. Quum tandem anno 1849, in postrema rerum subversione, pastoralis officii immemor rebellium partes fovere visus esset, in arcem politicae auctoritatis jussu detrusus fuit, dum interea paroecialis beneficii administrationem eadem civilis auctoritas fabricae moderatoribus committebat declarans Casatium nonnisi de ejus venia in beneficii possessionem redintegrandum fore. Verum pancos post menses ab Austriaca ditione expulsus et in exilium coactus, Augustam Taurinorum se contulit ibique impresentiarum aetatem agit.

Post haec superiori anno potestas laica

apud Episcopum instabat ad hoc, ut Spilimbergi beneficium vacans declaretur; qui tamen mandatis hisce haud morem gerere se posse existimavit, quousque causae decreti exilii sibi non innotuissent simulque certior fieret Casatio quovis eventu reservatum iri ecclesiasticum patrimonium. Quibus reponebat auctoritas civilis; ad primum nempe: »*che il Casati venne civilmente inabilitato per sempre al' offizio parrochiale, e ciò per i motivi dichiarati e costatati dalle autorità civili e militari; e che erano 1. di aver favorito i coscritti dal servigio militare 2. di aver favorito adessi la fuga a Venezia allora bloccota, 3. di essersi rifiutato talvolta di publicare le superiori notificazioni, talvolta invertendone il senso, e rendendolo oscuro ed inintelligibile ai parrochiani, 4. di aver annotato sui registri civili parole ingiuriose e sediziose contro le imperiali e reali truppe Austriache, 5. di aver tenuto una scandalosa condotta morale. 6. che quindi il sacerdote Casati era divenuto spergiuro, e perciò reo di lesa maestà; avendo giurato fedeltà ed obbedienza a Sua Maestà Imperiale e Reale Apostolica nell' atto in cui il 16. Gennaio 1841 gli fu conferito il possesso temporale, com' è prescritto dalle vigenti leggi politiche.*«

Ad alterum: »*che il Casati dovevasi ritenere di fatto e di diritto assolutamente decaduto dal benefizio, e che quindi non aveva diritto assolutamente decaduto dal benefizio*, e che quindi non aveva diritto ad alcun assegna a proprio favore su i redditi del beneficio stesso.«

Iterum at vero instabat Episcopus, ut ad tramites civilium sanctionum quaquaversus favore Casati reservatio ecclesiastici tituli approbaretur. Incassum tamen, quandoquidem ditionis Venetae ac Longobardicae praefectus generalis Episcopi petitionem excipiendam haud esse censuit; quin potius eumdem ursit, ut demandato sibi munere aliquando tandem fungeretur.

In hoc rerum statu anceps Episcopus quid sibi sit agendum hujus s. Congregationis oraculum hoc desuper negocio percontatur, tria proponens dubia ad folii calcem exscribenda.

Quoad *primum* itaque, quo quaeritur: *utrum parochus Casati modo in exilium actus ob recensitas causas a beneficio ipso facto caducatus declarari debeat*, haec adnotanda videntur. Duplici ratione, ut vulgatum est, beneficii vacatio ob crimen contingere potest, vel nimirum ipso jure vel per sententiam judicis. Scilicet *ipso jure* vacat beneficium cum poena legis ministerio infligitur, *Abb. in cap.: Si diligenti de for. com.*, *Barbos. de dict. usufreq. dict. 106.* Per sententiam judicis vero vacat, cum ex delictis et excessibus utut atrocibus lex comminatur solummodo privationis poenam, nondum autem per se ac vi sua imponit, sed primum per sententiam judicis imponendam decernit, *Garz. de benef. par. 11. cap. 10. num. 5. cum comm.* Sed nullum crimen inducit hanc poenam privationis ipso jure, nisi ita expresse sit in jure cautum, *Pirhing. de concess. praeb. num. 26.*, *Garc. de benef. part. 11. cap. 10. num. 5.* citans *Felin. in cap. 2. de rescript. num. 3.*, *Rebuff. de pacifica poss. num. 318.*, *Corrad. de benef. part. 3. cap. 6. num. 12.*, *Suarez. de relig. tract. 3. lib. 4. cap. 58. numer. 4.*, cum aliis; verumque hoc est, etiamsi de atroci crimine agatur, *Leuren. for. benef. par. 3. sess. 1. cap. 3. quaest. 70.*; et in dubio dum verba privationis non sunt clara, numquam praesumitur privatio ipso jure, sed tantum privatio per sententiam, *Gonzal. gloss. 15.*, *num. 153.* citans *Tiraquell. in leg. Si unquam verb.: revertatur a num. 168.*, *Gamb. de off. et pot. legisl. lib. 5. num. 153.*, *Garc. loc. cit. num. 5.*, *Paris. lib. 14. quaest. 2. n. 4.*, *Pirhing. loc. cit.* Et in poena latae sententiae fit strictissima interpretatio, ut non admittatur extensio etiam ex identitate rationis, ceu cum *Jo. Andr. in cap.: Odia de reg. jur. in 6.*, *Abb. in cap. ult. de jurep. Dec. in cap. Translato 1. lect. col. ult. de const.*, monet *Thesaurus de poenis part. 1. cap. 9. et 10.*

Utrum vero inter crimina, quae ipso jure privationis poenam inducunt, recenseatur crimen laesae majestatis, de quo parochus Casati incusatur, non una canonistarum opinio est. Negant nonnulli, eo innixi fundamento quod *can.: Si quis laicus 22. qu. 5.* non utatur verbis, quae sententiam juris important; et dum dicit ac statuit, ut clericus conjurans contra Principem degradetur et deponatur, intelligitur communiter de degradatione verbali, uti inter ceteros tenent *Lotter. de re benef. lib. 3. quaest. 30. num. 55.*, *Barbosa in extrav. qui sint rebelles. verb. rebellando num. 21.*, *Bern. Diaz. in prax. cap. 121. in fin.*, *Farinac. quaest. 226. numer. 70.*, *Leuren. loc. cit. quaest. 116. num. 2.*,

*) Vd. *t. I. p. 588. §. 42.*

Thesaur. de poen. eccl. par. 2. cap. 1. numer. 2. majest. laesae crim. Affirmant alii propter argumentum a crimine haeresis ad crimen laesae majestatis, propterea quod quamvis literaliter id expressum jure non habetur nihilominus ex tacita juris interpretatione id satis resultat: ita tenent *Rebuff. in prax. par. 3. tit. 1. de mod. amitt. benef. num. 32., Gonzal. reg. 8. gloss. 15. in princip. n. 72., Barbos. alleg. 52. n. 233., Diaz. prax. crim. cap. 119. per tot.* aliique, quos refert ac sequitur *de Nigris tract. de vacat. benef. lib. 1. cap. 32. num. 6.*, quam sententiam in puncto juris veriorem existimat idem auctor.

Monendum tamen, quod etiam ob delicta quibus *ipso jure* poena privationis infligitur, licet necessaria non sit condemnatoria sententia, requiritur nihilominus judicis ministerium ad effectum probandi factum criminosum et declarandi incursam caducitatem, assignando etiam per citationem terminum inquisito ad purgationem. *Fagnan. in cap.: Cum in cunctis de elect.* §: *Inferiora num. 39. et de restit. spoliat. in cap. conquerente num. 1., Gonzal. in reg. 8. cancell. gloss. 56. num. 126., Reiffenst. lib. 1. tit. 2. de const.* §. *9. num. 227., Giraldi de poenis part. 1. cap. 5. et seq.*, S. C. *in Narnien. Caducit. 9. Maji 1840* §: *Haec, Montis Alti 9. Maji 1829* §: *Jure* et *Spoletana 3. Decemb. 1842* §: *Haec.* Cum vero res est de coercendis clericis ob inhonestam vitae rationem, et in ceteris criminibus quae privationem secumferunt non legis sed hominis ministerio ss. canonum dispositio obtinet, ut scilicet non prius ad sententiam condemnatoriam judex deveniat, quam regularis processus super iis fuerit celebratus, monitiones locum habuerint et gradualis servatus sit ordo ceterarum poenarum quae sententiam privationis praeire debent, uti praesertim quoad parochos fert apertissima dispositio Concilii Trid. *sess. 25. cap. 14. de reform.* et docent *Bellet. de poenis cler. diss. 9.* §. *53. num. 5., de Luca de benef. disc. 84. num. 10.* *)

Nunc vero nil in jure canonico antiquius ac vulgatius quam judicia quae fiunt de criminibus, in quibus clerici non tantum in religionem sed in rempublicam etiam arguuntur, haberi ab una ecclesiastica auctoritate debere, ideoque nihil omnino nec quoad cognitionem nec quoad condemnationem posse magistratum civilem seu saecularem, ut ex *cap.: At si clerici, cap. Cum ab homine de judic., Auct. constit. apostolic. tom. 2., cap. 47. can. apostol. 66. ap., Coteler PP. apostolic. tom. 1. pag. 257. et 451. edit. Amstelodam 1724.* Idque jugi praescriptione servandum mandavit ecclesia, ceu testantur *Conc. Eliberit. can. 74., Antiochen. can. 12. 14. 15. ap. Labbaeum Concil. tom. 2. col. 595. edit. Venet., Carthaginiense III. can. 9. et Carthaginiense V. can. 2. eod. tom. 2. coll. 1401, Toletanum III. can. 13. tom. 6. col. 70.*: et Patres uti *Ambros. in act. conc. Aquilejen. opp. Ambros. tom. 5. pag. 511. edit. Venet. 1781. et epistola 21. ad Valentiniam et epist. 56. ad Theophil. tom. 6. pag. 52. et pag. 184., Gregor. Magn. Epist. 56. ad Joan. Ep. lib. 2. opp. tom. 2. col. 667. edit. Paris. 1705., Hilarius. ad Constant. lib. 1. num. 1. coll. 535. tom. 2. opp. edit. Veron., Athanasius in hystor. Arianor. ad Mon. num. 52. op. tom. 1. pag. 297. edit. Patav. 1677.*; et pleni sunt ecclesiasticae hystoriae annales, id usque ab ecclesia servatum fuisse. Idem etiam subsequentes Pontifices suis constitutionibus confirmarunt, ceu probat constitutio III. Urbani VI. quae incipit »*Quid*«, bulla IV. Bonifacii IX., quae incipit »*Justis*«, bulla X. Martini V., quae incipit »*Ad reprimendas*« et bulla *Coenae can. 19.* Ipsi tandem supremi Principes hanc ecclesiae jurisdictionem in causis civilibus ac criminalibus suis legibus comprobarunt, uti videre est ceteris missis in *lege 47. cod. Theod. de Epis. et cler. et in auth. Statuimus cod. de Ep. et cler.*

Quin hujus sanctionis vim enervare valeat consuetudo, utpote quae tamquam repugnans non tantum ss. canonibus sed et juri divino, quo saltem fundamentaliter clericorum immunitas continetur, potius abusus ac corruptela censenda esset, unde talis consuetudo nullum ex quocumque tempore aut Papae conniventia robur sumere potest, nisi de expressa ejusdem licentia certo constet, ex *cap.: Jamdudum de praeb., Lotter. loc. cit. a num. 9., Lauren. loc. cit. quaest. 176. num. 2., de Bene de immun. et jurisd. eccl. part. 1. cap. 6. dub. 1. num. 15.*, quum unus Episcopus clericorum causas judicare debeat, *cap.: Experientiae* et *cap. Pervenit de for. compet. can. 1. caus. 12. quaest. 18.* Idque vero verum est, ut clerici nec inviti nec volentes non tantum in causis spiritualibus et ecclesiasticis sed etiam in temporalibus et profanis nec tacite nec expresse fori privilegio renunciare possint et consentire in

*) Vd. *p. 777.* §. *Postremo.*

judicem laicum, ut coram ipso conveniantur. Ita *Pirhing. in jus can. de for. comp. num. 176., Zoes. num. 20., Schamb. num. 40., Engl. num. 39. post text. in cap. si diligenti 12. de for. comp.*

Sunt equidem casus nonnulli in quibus locum non habet dispositio juris ac censura bullae *Coenae* quoad clericorum immunitatem: nimirum in causa feudali ex *cap. caeterum de judic.* et docet *Glossa ibid.*, vel cum clericus ab ecclesia tamquam incorrigibilis traditur brachio saeculari, ex cap.: *Cum non ab homine, de judic. et can. licuit. dist. 22.*; vel in causa reconventionis in causis civilibus tantum, quia in causis criminalibus nequaquam potest similiter conveniri, ex cap.: *Qualiter et quando de judic.*; vel quando a summo Pontifice casus delegatur laico, ex cap.: *Illud quaest. 3.*, vel quando clericus secundum jura perdit privilegium clericale, *Felin. Decius, Abb. in cap.: Cum non ab homine de judic.* Quamvis utrum clericus fori privilegium amiserit a judice ecclesiastico declarari debeat, cujus quidem declaratio censetur quaedam judici laico clerici remissio atque traditio. *Farinac. de inquis. quaest. 6. num. 86.* Vel tandem quando clericus deprehendatur in flagranti delicto; quo in casu datur laicae potestati procedendi facultas, eum in finem ut interim damnum imminens avertat vel injuriam compescat; ea tamen lege ut quamprimum eumdem judici competenti tradat indicandum. *Abb. loc. sup. cit.* Ceterum hisce exceptis casibus numquam laico judici in clericos animadvertere licet. Quod quidem nec limitationem recipit, quando clericus criminis laesae majestatis fit reus, ita ut laicus magistratus non possit in ipsum procedere, nisi prius a judice ecclesiastico degradatus ipsi puniendus remittatur, argum. *cap.: At si clericus 4., cap.: Cum non ab homine 10. de judic., cap. Nullus 2., cap. si diligenti 12. de for. comp., cap. Novimus 27. de ver. sign.*

Haud occulendum vero, nonnullos esse doctores inter quos *Rabardeus de caven. schism. sect. 2. n. 8. fol. 42., Callist. Ramirez. in tract. de leg. reg.* §. *27. num. 11. in gloss. lit. d., Cutellius de immunit. eccl. lib. 2. quaest. 20.*, qui in crimine proditionis contra regem, rebellionis seu laesae Majestatis docent oppositum. Horum tamen opinio (quae caeteroquin sustineri posset quando Superior ecclesiasticus satisfactionem praestare requisitus nollet vel periculum est in mora, eo quod tunc Princeps non jurisdictione sed protectiva et oeconomica potestate procedat) communiter rejicitur, ceu argumento *cit. cap.* docet *Lotter. cit. loc. num. 153.* citans *Gigas. de crim. laes. majest. rubric. de crim. laesae majest. cognosc. post. num. 12., Farinac. quaest. 8. num. 29., Marta de jurisd. par. 4. cas. 133. num. 27., Vincent. de Franchis decis. 691., Oliva for. eccles. par. 2. quaest. 17. num. 35., Wiestner de for. comp. num. 67., Schmalzgrueber tom. 2. part. 1. de for. comp. tit. 2.* §. *94.*

Quae cum ita sint verendum merito esset, ne parochus Casati vel ad suam agendi rationem excusandam vel etiam ad suae absentiae causam tamquam necessariam protuendam juvari possit exceptione incompetentiae fori, quod de objectis sibi criminibus cognovit eumque exilii poena damnavit. Quandoquidem acta coram judice incompetente sunt ipso jure nulla, etiamsi clericus fuerit convictus vel confessus, ut post *text. in cap.: Si clerici 4. de judic., cap.: Ad nostram audientiam 3. de consuet. et leg. ult. cod. si non a compet. judic.* tenet *Marta de jurisd. part. 4. cap. 102. num. 9., Sperell. dec. 17. num. 8.* Unde nec coram judice ecclesiastico probant nec illis tenetur, imo nec potest illis stare, uti pluribus relatis auctoribus tenet idem *Sperell. loc. cit. num. 9.* Consequeretur inde, in hac rerum conditione jure canonum haud decerni posse parochum ipso facto a beneficio excidisse ob crimina de quibus insimulatur, sed necessarium esse, ut Episcopus novum conficiat processum, ceu in terminis docet *Sperell. loc. cit. num. 10. cum aliis.* Ad summum, quum ex processu coram judice saeculari habito, praesertim si clericus sit confessus, ejusdem bona existimatio laedatur, ad tollendam infamiam et scandalum aliorum posset ipsi indici purgatio canonica et si se purgare nequiret puniendus esset quasi convictus interpretative. *Gloss. in dict. cap.: At si clerici verb.: condemnandi* id probans ex *cap.: P. 7. de purgat. canonic., Reiffenst. in jus can. de judiciis tit. 1.* §. *4. num. 89.*

Ex praemissis itaque patet quid ex juris censura sentiendum sit relate ad secundum dubium. Nimirum conficiendus esset ab ipso facto a beneficio caducatus vel locus fieret sententiae privationis; sin minus contra eumdem tamquam sine ulla rationabili causa

absentem procedi posset juxta sanctionem ac normam a Concilio Tridentino contra parochos non residentes traditam *sess. 23. cap. 1. de reform.*, ubi per edictum etiam non personaliter citatos jussit *liberum esse Ordinariis per censuras ecclesiasticas et sequestrationem et subtractionem fructuum et alia juris remedia etiam usque ad privationem compellere.* Unde id juris invaluit, licitum esse Episcopis parochos ad residentiam compellere per ea remedia, quae magis expedire sibi videantur et privationem etiam aliis omissis decernere, si res postulet; imo ad eamdem privationis poenam devenire, dummodo parochus sive sciatur ubi sit sive non unico etiam edicto citatus elapso termino eidem praefixo non paruerit. Uti enim notat *Fagnanus in cap. Ex tuae de cler. non resid.* per conciliaria verba necesse non est, ut trinum edictum aut personalis citatio et lapsus sex mensium poenam privationis praecedant. Quanquam non desint qui putant vigere adhuc veterem in hac re juris censuram, ut pro casuum varietate procedi debeat vel per citationem, si noscatur ubi sit parochus, vel per trina edicta cum semestribus judiciis, si ejusdem mora ignoretur aut citari commode nequeat, *Garc. de benef. par. 3. cap. 2. num. 134. et seqq.*, *Paris. de resign. lib. 1. cap. 10. num. 61.*, *Thesaur. de poen. par. 2. ver. resid.*, *Giraldi ad Barbos. de off. et potest. par. 1. cap. 8. num. 75.* Et haec s. Congr. pluries censuit: *Episcopum posse contra parochum ut proponitur absentem ad privationem procedere dummodo tria edicta publica praecesserint et lapsi fuerint sex menses juxta cap.: Ex tuae de cler. non resid.*, *ut in Guardien. 26. Aprilis 1621. et 8. Julii 1624.*

Porro conciliaris dispositio jure merito in parochum Casati applicanda videretur, si ex conficiendo processu ejus reitas resultaret; quippe absentia hoc in casu haud excusationem haberet in decreta exilii poena, sed potius veluti criminum effectus ei imputanda foret, *Gratian. discept. for. tom. 4. cap. 191. num. 316.*, *Barbosa de canon. et dign. cap. 24. num. 44.*

Haec quidem spectata juris canonici sanctione agenda in themate viderentur. Attamen, si rerum adjuncta processus confectionem prohibere dignoscatur, reliquum esset, ut Episcopus parochi absentiam tamquam Principis factum consideraret, quin ullam de causis investigationem susciperet. Qua de re perspicient eminentissimi Patres, si quid facere videatur s. hujus Congregationis resolutio *diei 17. Septembris 1616* relata a *Barbosa de canon. et dign. cap. 24. n. 38.*, ubi cum ageretur de Canonico ecclesiae Carpen., qui ex facto Principis temporalis loci residere non poterat, censuit: *Dandas esse ad Ordinarium literas, ut capitulum cogat ad integras distributiones oratori assignandas usque ad mensem Aprilis futuri: ceterum ipsi oratori significari voluit, ut interim curet canonicatum resignare vel permutare aut rationem aliquam inire, qua et suae et ecclesiae indemnitati consultum sit. At die 22. Aprilis 1617 prorogata fuit licentia ad alios sex menses cum eo quod interim curet etc.; et die 23. Septembris ejusdem anni prorogata fuit ad alios sex menses sine spe alterius prorogationis.*

Nec minus quoad parochos de facti, locorum personarumque adjunctis habendam esse rationem animadvertit *Card. de Luca de benef. disc. 77. num. 14.*, quia scilicet facti qualitate ejusque tota serie attenta debet procedi cum regulis prudentialibus. Et sane de juris rigore circa absentes parochos s. Congr. aliquando remittendum censuit ex peculiaribus circumstantiis. *Spoletana Privationis Parochiae 26. Febr. 1842* §: *Demum.* Hinc videndum, utrum etiam expediat in themate provideri de Vicario idoneo, quod in hujusmodi casibus, rationabilis scilicet absentiae, etiam ad longum tempus faciendum monet Tridentinum *sess. 7. cap. 5. et 7. de reform.* et docet *Thesaur. de poen. eccl. par. 2. verb.: residentia cap. 2.*, *Barbosa de off. et pot. par. par. 1. cap. 8. num. 32.*, *Ricc. prax. resol. 645* et quandoque s. Congregatio, ut in *Burgi s. Domini Parochialis 4. Maji 1737.*

Haud tamen silentio praetereundum, maximo impedimento esse, quominus praefatis remediis extraordinariis atque aequitativis fiat locus, vel damnum, quod paroeciae immineret ex defectu proprii pastoris, vel politices auctoritatis imperium, quod urget, ut paroeciae vacatione per Episcopum declarata de novo rectore ecclesia provideatur. In quo rerum anfractu illud insinuandum superest, ut incolumi manente ecclesiastico jure supplicetur SSmmo pro sanatione super defectu actorum ad hoc ut Episcopus in vim processus et judicii curiae laicalis procedere possit vel ad declarandam caducitatem vel ad privationis sententiam edendam, prout imputationum natura postulare videatur, vel demum ad tramites dispositionis conciliaris cit. *sess. 23. cit. 1. de reform.* parochum veluti sua culpa absentem eadem privationis poena plectat. Quod quidem a jure absonum non est; quandoquidem summus Pontifex propter plenitudinem suae potestatis quam habet non solum in ordine ad causas clericorum aliasque ecclesiasticas sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra jus ipsum, argumento *cap.: Proposuit de concess. praeb.*, potest causas civiles et criminales delegare atque judicandas et terminandas committere cuipiam laico, ceu probat *gloss. in cap.: Decernimus* et *Abb. ibid. num. 4. de judic.* atque alia gloss. *in can. Bene quidem vers. praeter Romanum dist. 96.* Atque hoc ipsum aliquando, gravi impellente ratione, facere assolet, uti reapse factum esse legitur in *can. Hadrianus* et *can. In synodo dist. 63.* et *cap.: Illud 10. quaest. 3.* et praesertim quoad crimen laesae Majestatis, hanc contra clericos procedendi facultatem Principibus datam persaepe fuisse testantur hystoriae. Ita Pontifex Urbanus VIII. Ludovico XIII. Galliarum regi id in facti contingentia postulanti concessit ut patet ex ejusdem Pontificis bulla data in arce Gandulfi die 8. Octobris 1632. Ita pariter Philippus II. et III. Hispaniarum reges ceu testatur *Bastidia in antitodo contra Paulum Venetum par. 2. num. 58.* eamdem facultatem in peculiaribus casibus a Sede apostolica impetrarunt; praeter alia hujus generis exempla, quae brevitatis gratia omittere lubet. Nil igitur obstat in themate, quominus Sedes apostolica paritatis ratione idem ineundo consilium sua auctoritate consanaret, quod suapte natura vitiosum videretur.

Quae hucusque exposita sunt faciliorem sternunt viam solutioni postremi dubii, quod agit de reservatione pensionis favore parochi super beneficii fructibus in titulum patrimonii ecclesiastici. Nam ubi nulla de processu vel confecto vel ab Episcopo de novo conficiendo ratio habenda sit et conciliationis ope de qua superius res cum parocho componenda consultius videatur, nimirum per resignationem aut per oeconomi appositionem, dubium non est quin pensio in primo casu, fructuum autem reservatio in altero parocho debeatur. At in themate non levem facessere potest difficultatem laicae potestatis oppositio, quae parochum quovis subsidio, etiam quoad patrimonium ecclesiasticum, indignum reputat; illudque maxime relevat, quod ex imperii legibus patrimonii ecclesiastici approbatio ad suos effectus ad ipsam civilem potestatem omnimode spectat. Quatenus vero ex resultantibus titulo vel criminum vel absentiae procedendum sit, tunc declarata beneficii caducitate, vel ejusdem decreta privatione, locus non esset reservationi pensionis seu fructuum super beneficio in titulum s. ordinationis; quandoquidem clericus criminosus poenam criminii statutam ferre cogitur, quidquid sit de ejusdem poenae consectariis, quae certo certius per ipsum stetit, ut sequerentur quum operam rei illicitae dedit. Proinde hic adamussim verificatur quod patratum crimen cum infamia secumfert etiam irregularitatem ex defectu tituli, quatenus titulus adhaerebat beneficio, quo clericus per sententiam condemnatoriam fuit privatus.

Nihilominus et illud praetereundum non est, etiam in crimine laesae Majestatis clericum privari non debere pensione ecclesiastica seu laicali intuitu alimentorum reservata super fructibus beneficii. Alimenta enim, ex quo cohaerent personae et ab ea separari non possunt, sub confiscatione, quam inducit crimen laesae majestatis, non veniunt, uti docent *Gigas. de crim. laes. majest. quaest. 9. num. 5.*, *Surd. de alim. priv. 59. tit. 8. num. 15.*, *de Nigris tract. de vacat. benef. lib. 1. cap. 32. in add. num. 4.*

Pauca haec in summa temporis angustia pro instituti ratione adnotanda censui. Ceterum, si quae adhuc desideranda videantur, supplebit spectatissima eminentissimorum patrum sapientia, quibus subjiciuntur enodanda dubia:

I. *An parochus Augustinus Casati inciderit in caducitatis poenam ipso facto a beneficio parochiali in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo procedendum sit ab Episcopo contra eumdem parochum in casu?*

III. *An et quomodo sit locus reservationi pensionis in titulum s. patrimonii super beneficii fructibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. III.: Attentis peculiaribus circumstantiis esse locum declarationi vacationis

paroeciae non intermissis ab Episcopo novis officiis ad effectum obtinendi si fieri potest alimenta favore sacerdotis Casati.

Die 8. Sept. 1852.

V. Propter indecentiam et inobedientiam.

(Privatio non confirmata.)

Vd. *Parochus* (remotio); vd. infra decr. *Vercellen.*

Ratisbonen.

(Conc. Trid. c. 6. S. 21. de ref.)

Joannes Kleydorffer parochus ecclesiae Lindkurchensis, apud tribunal ecclesiasticum Ratisbonae, consistorium nuncupatum, actione injuriarum conventus et accusatus fuit pro praetensis contumeliosis verbis et epistolis prolatis et scriptis respective contra Baronem de Reisach et regimen Landishutanum ejusque consiliarios ratione carcerationis ejus servi et contra praetorem Maimburgensem ob dilatam restitutionem bovis capti in pignus pro damno dato et demum contra ipsumet consistorium, quod ei mandaverat, ut vini vectigal persolveret. Praeterea inquisitus etiam dictus parochus fuit eo quia Georgio Baur rustico s. Eucharistiae Sacramentum denegaverit, quod evenisse credunt testes ex causa carcerationis servi ad instantiam dicti rustici sequutae. Quare citatus comparuit et cum plene confessus fuisset denegasse s. Sacramentum Eucharistiae dicto rustico, uti publico peccatori, quia debitum florenorum 100 confraternitati Corporis Christi non persolveret, ulterius interrogatus quid ageret, si consistorium, ipsemet Episcopus et Archiepiscopus Coloniensis hoc ei praeciperet? Respondit: *Non porrigeret, quia esset contra suam conscientiam*, et prosequutis aliis nonnullis interrogatoriis super eadem materia EE. VV. in summario exhibendis, consistorium pronunciavit eadem die: *dictum parochum convictum, confessum, contumacem parochia excidisse et privatum esse.* Causam et rationem privationis ipsum consistorium ita exponit: »Qua confessa enormi inobedientia contra juramentum in investitura praestitum, detrectatione administrationis Sacramentorum, ad quam tamen ut parochus tenetur, stando insuper propria confessione, quod tali modo ad curam animarum inhabilis sit, ulteriores excessus, injurias contra regimen electoris Bavariae, contra praefectum in Mainburg D. Hofmarchio reliquasque intollerabiles extravagantias necnon defectus et excessus minutiores, quae omnia tamen possunt haberi ex actis praesentibus, ipsi ulterius non proposuimus, sed ex confessione proprii oris inhabilem ad curam animarum judicavimus.

Interposita autem appellatione ad Rotam Auditor Sanctissimi causam super praetensa privatione beneficii EE. VV. remisit, quo ideoque monito procuratore officialis Ratisbonensis EE. VV. dictus Joannes supplicat decernere:

An privatio Joannis Kleydorffer parochiae Lindkurchensis sustineatur in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 27. Novb. 1717.

VI. Propter non residendum.

Vd. *Residentia* (poenae); vd. supra p. 781. §: *Ex praemissis.*

(Conc. Tr. c. 12. sess. 24. de ref.)

In prima visitatione personali facta ab Episcopo sub die 22. Decembris 1707 omnium ecclesiasticorum oppidi Serrae Capriolae advocatus fuit sacerdos Antonius Lacingola portionarius seu participans aggregatus archipresbyterali ecclesiae ejusdem, cui ob absentiam ab illius servitio praeceptum injunctum fuit, subscriptum ab eodem Lacingola sub protestatione tamen et reservatione suorum jurium, ut non praetermitteret tale servitium sub poena privationis ipso facto incurrenda per mensem. Postmodum de anno 1709 instante promotore fiscali ob continuatam dicti Lacingolae absentiam in spretum antedicti praecepti institit fore eum privandum portione antedictae ecclesiae, ad quem effectum Vicarius generalis Larinen. mandavit desuper instrui informationem; qua de re bini testes jurati fuerunt examinati testantes eundem Lacingolam a sex annis abfuisse à praefato oppido vagantem in terra Foggiae ac alibi, non obstante praecepto ab eodem acceptato in visitatione. Quapropter Vicarius sub die 17. Maji ejusdem anni citavit d. Lacingolam infra terminum octo dierum ad dicendam causam, quare non deberet privari sive privatum declarari ecclesiastica portione archipresbyterali ecclesiae praedictae ob ejus absentiam et in spretum praecepti alias sibi injuncti in prima visitatione ac servata in omnibus forma S. C. T. et s. canonum. Executa autem citatione in persona Lacingolae Foggiae degentis sub die 10. Julii ejusdem anni atque incusatis contra eum contumaciis sub diebus 11. 15. et 18. d. mensis suspensa fuerunt acta processus, ob recursum habitum per d. Lacingolam ad S. C. Immunitatis conquerentem de violata immunitate per curiam episcopalem, ob ejus extractionem è loco immuni; atque informante Episcopo eadem s. O. eidem rescripsit, ut procederet sua auctoritate ordinaria in ulteriori judicio privationis, prout juris fuerit. Exindeque Vicarius alias citatoriales expediri jussit praecedentibus similes contra Lacingolam, ad dicendam causam, quare etc., cum termino novem dierum triplici dilatione distincto et cum peremptorio ad comparendum, eidem Foggiae pariter degenti die 14. Novembris 1709 personaliter notificatas; sed earum vigore nihil ultra peractum fuit, usquequo instante eodem promotore fiscali Vicarius decrevit alias similes citatoriales exequendas vel personaliter vel domi solitae habitationis Lacingolae cum termino peremptorio dierum duodecim ad dicendam causam quare etc., executas sub die 10. Februarii 1710 per affixionem ad valvas primodictae ecclesiae archipresbyteralis et ad domum ipsius Lacingolae; quarum vigore idem Vicarius sub die 15. Martii 1710 decretum pronunciavit contra Lacingolam privationis ecclesiasticae portionis ecclesiae praedictae tanquam absentem et contumacem, declarans se procedere pro executione decretorum in visitatione fact., ac in eodem decreto mandavit expediri edictum respectu interesse praetendentium ad d. portionem, quemadmodum fuit relaxatum et affixum ad valvas archipresbyteralis ecclesiae sub die 16. mox dicti mensis. Subinde instante sacerdote Seraphino de Uva praetendente d. portionem vacantem Vicarius sub die 31. praedicti mensis Martii declaravit decretum ut supra latum esse translatum in judicatum ac proinde exequendum, prout reipse sub die 7. Maji providit cum suis patentibus praefatum Seraphinum de ecclesiastica portione sic vacante. De omnibus his gravatus recurrit Lacingola ad hanc S. C., de cujus mandato transmissum fuit per Episcopum supradicti processus exemplar, ex quo eruta fuit praesens facti series danda in summar. una cum aliis in processu contentis. Quare citato procuratore tam novi provisi quam promotoris fiscalis curiae episcopalis Larinen. fuerunt concordata infrascripta dubia quae partibus monitis proponuntur hodie definienda a summa EE. VV. sapientia:

I. *An privatio beneficii, de quo agitur, sustineatur vel potius danda sit manutentio Antonio Lacingolae? Et quatenus affirmative quoad secundam partem,*

II. *An et cui fructus sint restituendi?*

S. C. resp.

Ad 1.: Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam et Lacingola redeat ad residentiam infra mensem absque spe;

Ad 2.: Neutri deberi sed accrescere aliis interessentibus.

Die 2. Maji 1711.

VII. Propter non residendum et ludos in theatro.

Vercellen.

(Conc. Tr. c. 12. s. 24. de ref.)

Extat in cathedrali ecclesia Vercellen. collegium duodecim beneficiatorum, qui continuo tenentur ecclesiae inservire cum cantu Gregoriano in diebus ferialibus et cum figurato in festivis et solemnibus.

Ad titulum horum beneficiorum, ob penuriam presbyterorum, qui musicam callerent, fuerunt alias ad sacros ordines promoti Joannes Baptista Baracca et Joannes Baptista Bonadellus, qui paulo post ecclesia derelicta ad alias se contulerunt regiones, primus enim, post lustratam sine habitu clericali totam bene Italiam, a biennio et ultra Venetiis residens theatris publicis operas suas locavit et alter post praestitam anno 1695 similem operam in theatro Laudae ab inde citra Patavii moratus est.

Ad consulendum detrimento servitii ecclesiae et ad occurrendum scandalo publico capitulum cathedralis ecclesiae Vercellen. declarari supplicavit, quod dicti absentes ex causa omnino illicita atque ordini sacerdotali injuriosa poenas incurrissent privationis beneficiorum propositisque in hac sacra Congregatione die 15. Decembris 1696 binis sequentibus dubiis:

An esset locus privationi beneficiorum in casu?

Et quatenus negative,

An et qua poena esset procedendum contra hujusmodi beneficiatos?

Responsum fuit: Esse locum privationi ad formam sacri Concilii et sacrorum canonum.

Ab anno 1696 usque in praesens multi alii casus contigerunt, in quibus beneficiati se ab ecclesiae servitio fecerunt absentes; cumque a capitulo novae preces fuerint huic sac. Congregationi exhibitae, in quibus petebatur, quod ad coercendam hanc beneficiatorum absentiam adversus absentes statim procedi posset ad poenam privationis, utpote adversus ipsos ipso jure in statuto impositam nisi causa absentiae fuisset a capitulo approbata, dictum fuit, quod causa proponeretur in folio citatis dictis beneficiatis.

Porro beneficiati cathedralis ecclesiae Vercellen. ultrò admittunt, quod procedatur adversus absentes, sed ad formam Concilii et sacrorum canonum, juxta ea, quae fuerunt resoluta ab hac sacra Congregatione die 15. Decembris 1696, uti supra dictum fuit.

Absque eo, quod vindicare valeat locum adversus absentes poena privationis ipso jure inflicta, uti contenditur a capitulo, tum quia sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 12. de refor.* praescripsit, quid in primo anno, quid in secundo et quid in tertio absentiae fieri debeat, quae trium annorum dilatio poenae privationis ipso jure incurrendae adversatur, tum quia statutum ex quo haec poena desumitur non fuit a Sede apostolica confirmatum nec fuit unquam usu receptum nec beneficiati eidem subjecti dici possunt, ex quo facultas Canonicis concessa in erectione collegii beneficiatorum auctoritatem importat, ordinationes et statuta faciendi quibus essent beneficiati subjecti, sed in his, quae directionem chori et divinorum officiorum celebrationem respiciunt.

Capitulum e contra praemittit, quod intantum ab hac sacra Congregatione die 15. Decembris 1696 resolutum fuit, quod adversus beneficiatos absentes non procederetur ad privationem beneficiorum absolute et simpliciter, sed ad tramites tantum sacri Concilii Tridentini et sacrorum canonum, in quantum non fuit sacrae Congregationi expositum, quo in statuto inflicta erat beneficiatis poena privationis ipso jure in casu absentiae sine causa a capitulo approbanda, asserendo, quod si praedicta statuti circumstantia fuisset exposita, sacra Congregatio respondisset, quod procederetur adversus absentes ad formam statuti, simili modo quo, cum in materia residentiae Canonicorum Vercellensium Episcopus decrevisset, eam esse peragendam ad formam sacri Concilii Tridentini et non consuetudinis et statutorum, sacra Congregatio die 2. Augusti 1670, cui antiqua consuetudo una cum statutis fuit exposita, respondit: Consuetudinem esse servandam ad formam statutorum.

Hoc praemisso capitulum subdit debere esset locum privationi ipso jure adversus absentes, nisi absentiae causa fuerit a se approbata, cum id fuerit praescriptum in statuto condito anno 1586 et cum in erectione collegii beneficiatorum, secuta anno 1581, fuerit ipsis demandatum in bulla apostolica, quod parerent constitutionibus, ordinationibus et statutis tam factis quam faciendis ab ipso capitulo.

Nec Canonici putant id sacro Concilio Tridentino adversari, tum quia valent statuta circa privationem ipso jure ob non residentiam, juxta *Abbatem in cap.: Quoniam §: Porro num. 11. ut lite non contestata*, et multo magis, quando expectatio triennalis tantum abest, quod absentes coerceat, quod, experientia teste, constat nihil ad dictum effectum prodesse, tum quia conciliaris dispositio quae procedit in Canonicis et beneficiatis non videtur applicabilis hypothesi praesenti, in qua agitur de beneficiatis musicis ex quorum absentia contingit, quod ecclesia careat musica; musica etenim seu cantus figuratus ex pluribus vocibus componitur et si aliquae desunt musica haberi non potest, et tandem quia statutum adeo laudabile esse videtur, ut apostolicam mereatur confirmationem, pro qua obtinenda capitulum enixe supplicat.

Dignabuntur ergo EE. VV. decernere:

An et quomodo sit procedendum adversus beneficiatos non residentes in casu?

S. C. C. resp.: Procedendum adversus non residentes ad tramites Concilii Tridentini et quoad beneficiatos in theatris canentibus Ordinarius nomine S. C. imponat poenam privationis eisdem.

Die 1. Oct. 1720.

VIII. Propter neglectam curam animarum et mores inhonestos.

Parochialis.

Crebro repetitis querelis nomine communitatis A. ad curiam episcopalem adversus loci parochum N. summaria inquisitio in eumdem instituta fuit, ex qua sequentia imputationum capita satis comprobari curiae visa sunt, nempe 1, nimius et durus rigor parochi N. in castigandis pueris per verberationes et adultis per implorationem politiae saecularis.

2. Indomita ludi et conversationis passio, quae ipsum frequenter a sua paroecia abesse et in vicina oppida excurrere cogeret; unde non raro serotinis horis, media nocte, imo summo mane domum revertebatur.

3. Notabiles negligentiae in officio pastorali ac in administratione sacramentorum, ex causa praesertim seri redditus ex locis peregrinis.

4. Notabiles distractiones in publicis divini officii functionibus non sine populi admiratione.

5. Culpabilis neglectus in assistendo moribundis, quorum nonnulli ipsius culpa sine sacramentis decesserunt.

6. Demum gravis aversio et abalienatio parochianorum exinde derivans, ita ut ipso parocho celebrante divina officia parochiani ecclesiam vitarent, sacramenta recusarent et passim maxima frequentia vicinas ecclesias peterent.

Hinc suadente publicae utilitatis ratione et pro bono pacis sententia a curia lata fuit, qua per modum provisionis administrativae et temporariae cooperator datus est parocho N., ejusdem parochi sumptibus, donec hujusce provisionis causam cessare constaret. Quae quidem provisio post mensem temperata est ita, ut permissum et praeceptum fuerit parocho et cooperatori in omnibus cultus divini functionibus alternare vices, salvo tamen arbitrio parochianorum cooperatorem adeundi in sacramentorum administratione et infirmorum adsistentia.

At parochus ad curiam metropolitanam appellans sui favore sententiam, quae sequitur, a judice hujus curiae obtinuit videlicet: sententiam poenalem contra parochum N., tamquam aequum poenae modum excedentem, non sustineri; ideoque cooperatorem ipsi datum revocandum; parochum vero appellantem propter culpabiles negligentias in munere parochiali esse severe coarguendum. Praeterea judicii expensas et stipendium dati coadjutoris a parocho ferenda esse.

Vicissim ab hac sententia episcopalis curia ad apostolicam Sedem appellavit. Pendente autem appellatione, cum dissidia inter parochum N. et parochianos augeri in dies non sine spirituali horum damno intelligeret Episcopus, ope alterius sententiae parochum ipsum ad permutandum intra trimestre parochiale suum beneficium cum alio damnavit eumque interim ab omni exercitio jurisdictionis et ordinis, excepta missa privata, suspendit. Itaque contra hanc sententiam iterum appellavit parochus ad metropolitanam Sedem, quae tamen ob pendentiam litis penes apostolicam Sedem suam incompetentiam declaravit. Exinde parochus ad s. Sedem suam etiam appellationem deduxit. Quae autem utrinque disputata sint in sequenti disceptatione per summa capita reperires.

Ea quae favore parochi adducerentur.

Curia metropolitana in ferenda sententia judicio curiae episcopalis adversa perpenderat, inquisitionem institutam super parochi accusationibus deficientem et mancam fuisse. Investigatum enim non fuerat quam ob causam quove animo accusatores parocho oppeterent: an scilicet personali odio et vindictae forsan cupidine abrepti vel potius desiderio occurrendi publicae paroeciae malis, quae parocho imputabantur. Eo vel magis quod cum a decem annis parochus N. eam regeret paroeciam accusationum capita ad ultimos annos non referebantur, ita ut expiscata et conquisita ea facta esse viderentur, quae lapsu temporis obliterata manebant. Quare ratio agendi parochi in primis ad trutinam revocari debuisset et si culpa vacuus repertus ipse non esset, locus fiebat admonitionibus, ut ad sanam frugem rediret.

Accedit, non omnia accusationum capita parocho communicata fuisse ut sese defendere posset.

Insuper eadem metropolitana curia singulas accusationes perpendens observabat probari quidem, parochum nimiam aliquando adhibuisse severitatem in adolescentes et quandoque praecipitanter in hac re se gessisse; at eosdem juratos testes deposuisse non cuncta esse veritati consona: distractiones

autem minori etiam pretio habendas esse, quae ad duos casus tempore jamdiu praeterito referebantur. Circa accusationes ludi ad plures noctis horas protracti id raro accidisse testes affirmabant et quando imbrium vis impedimento reditui foret.

Demum minoribus imputationibus omissis eadem curia circa negligentiam in Sacramentorum administratione perpendebat, sex tantum numerari hujus negligentiae casus in toto decennio curae parochialis: attamen de eorum nonnullis parochus auditus non fuerat; circa caeteros vero vel excludebantur circumstantiae ludi et absentiae a parochia vel deprehendebatur falsa seu exaggerata accusatio vel alia concurrebant adjuncta, quae parochi negligentiam, si non omnino excusarent, saltem non adeo criminosam reddebant prout ex adverso contendebatur.

Caeterum, quamvis ob indicata rationum momenta gravis nimis existimata fuerit poena inflicta parocho N., ratione nempe expensarum pro alendo coadjutore, praesertim autem ob dedecus eidem obventurum, nihilominus eadem curia monendum serio parochum esse censebat ob immoderatam ludi et conversationis passionem, ob ejusdem commorationes extra fines parochiae, usque ad serotinas noctis horas, distractiones et neglectum in obeundis sacris actionibus, anxietatem in conservanda sanitate et vita in casibus, in quibus pastor bonus vitam etiam pro ovibus dare debeat, ob vehementiam denique in castigandis pueris et adultis.

Parochus praeterea sese apud Sedem apostolicam defendebat ab altera lata sententia, qua permutatio beneficii decernebatur, hanc pariter sententiam non sustineri contendebat, non solum quia iisdem rationibus ac prima sententia inniti dicebat, sed etiam quia lata fuit pendente penes apostolicam Sedem appellatione, quo in casu sine vitio attentati nihil innovari potuerat.

Ea quae deducebat curia episcopalis in sui defensione.

Pro defensione prioris sententiae adducebat curia *caput. 5. De rerum permutatione,* in quo legitur: »Si Episcopus causam perspexit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere.« Quo textu freti doctores sentiunt, integrum esse Episcopo cogere clericum ad permutandum cum alio beneficium, quatenus urgens causa publicae utilitatis id exigat, licet sine beneficiati culpa id eveniat: ex. gr. si gravis exurgat aversio et odium populi adversus parochum, ita ut ejus verba nullum amplius fructum afferant, populus Divina contemnat et scandala oriantur. Namque bonum publicum debet praeferri privato, ceu inter alios docet *Reiffenst. ad cit. tit. n. 38. et 39.* Nihilominus subjungebatur, mitius cum parocho in praesenti casu actum fuisse. Additus enim eidem fuerat cooperator dumtaxat juxta monitum citat. Reiffenst. *ibidem n. 40.* et quidem ad tempus, permissa insuper inter parochum et cooperatorem alternativa in sacris explendis functionibus. Constitit enim ipsi soli animarum curam relinqui non posse, in quem scilicet gravis populi aversio concitata fuerat.

Circa sententiam autem judicis metropolitani eadem episcopalis curia animadvertebat dictam sententiam falso supposito laborare: namque in ea falso supponitur institutam fuisse inquisitionem, ut parochus poena plecteretur culpae proportionata. Non aliud siquidem actum fuerat, quam ut decerneretur, quo remedio, rebus in ea parochia funesto dissidio conturbatis, per modum provisionis administrativae occurrendum esset. In eadem insuper sententia falso supponi dicebatur ad ejusmodi provisionem deveniri ex jure non posse, nisi antea constaret solius parochi culpa ea contigisse mala, quibus remedium erat afferendum: quod non convenit cum iis, quae ad consulendum ecclesiasticae administrationi cauta in jure sunt. Quinimo Innocentius III. *cap. 10. de Renunt.* ait: »Propter malitiam autem plebis cogitur interdum Praelatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo durae cervicis existit et in rebellione sua ita pertinax invenitur, ut proficere nequeat apud ipsum, sed propter ejus duritiem, quo magis satagit, eo magis justo judicio deficere permittatur.« Haec quidem sancita extant circa parochum omnino insontem, quae majorem vim habere dicenda sunt, si parochus in pertinaci odio plebis omnino insons non reperiatur. Plures autem culpas recognovit ac enumerat ipse metropolitanus judex, quamvis caeteras nimia facilitate excusare visus fuerit.

Ad defectus quod attinet in peracto summario processu inventos observabatur juxta Reiffenstuel *l. 5. tit. 1. §. 4. n. 209.*, Engel

jus can. eodem cit. publicationem testium reo fieri non debere si ipsis exinde grave immineret periculum vel incommodum; quod insuper ex praxi ejusdem dioecesis servari solere dicebatur.

Caeterum si omissiones quae processus substantiam tangerent irrepsissent, non ideo absolvi reus sed processus suppleri debuisset, ne culpa judicis in detrimentum christianae reipublicae cederet.

Gradum praeterea faciens episcopalis curia ad defensionem alterius sententiae qua decreta est, per modum provisionis, beneficii parochialis permutatio, ea innitebatur pariter causis dissidii et aversionis in dies auctis ob ejusdem parochi arrogantiam.

Quibus *ex officio* nonnullae resolutiones S. C. C. addebantur, quae similes causas respiciebant et sunt sequentes. In *Taurinen. Suspensionis die 7. Julii 1855* Archiepiscopus curae animarum exercitium interdixerat cuidam parocho, quod prudentiae legibus et animarum solicitudine neglectis ac spretis monitionibus, adeo difficili suo ingenio indulgeret, ut subditorum existimationem ac fidem omnino amisisset. Facultate proinde usus fuerat Archiepiscopus, quam facit Concilium Tridentinum Ordinariis *in sess. 21. c. 6. de refor.* ut scilicet possint parochis imperitis et sacris officiis minus aptis, si alias honestae vitae sint, coadjutores seu vicarios ad tempus deputare. Et licet ex adverso plures objicerentur defectus ob non servatum judicialem ordinem, ob omissam trinam canonicam monitionem et citationes, ac licet imputationum vel veritas vel gravitas in discrimen revocaretur, attamen ad dubium: »An decretum curiae archiepiscopalis sit confirmandum vel infirmandum in casu«? responsum prodiit quo archiepiscopalis sententia confirmata est hisce verbis: *affirmative ad primam partem; negative ad secundam; et quoad redintegrationem: dilata, usquedum orator doceat de peritia et idoneitate administrandi paroeciam.*

Pariter in *Eystetten. Permutationis parochiae 21. Julii, 11. Augusti et 22. Septbr. 1742*, cum plures adversus parochum cujusdam loci delatae essent ad curiam episcopalem querelae, non solum ob inhonestam ejus vitam, verum etiam ob neglectum pastoris officium in ministrandis Sacramentis, visitandis aegrotis etc. et de nimia quadam saevitia in pueris castigandis aliisque hujusmodi, unde omnium animi ita exacerbati erant, ut ab eo Sacramenta recipere divinisque rebus interesse recusarent; Episcopus prius coadjutorem ei deputavit; deinde cum hujusmodi provisionem inutilem evasisse intelligeret ad avertenda mala, quae ex odio et simultatibus adversus parochum concitatis graviora in dies effici videbantur, decrevit, ut intra quadrimestre tempus de permutanda paroecia parochus ipse sibi consuleret, ne permutatio fieret ex officio.

Deveniente causa per appellationem ad S. C. C. Procurator fiscalis instabat, ut confirmaretur sententia, inter alia rationum momenta haec perpendenda proponens, quod scilicet ex peculiari more cum Eystettensis dioecesis tum aliarum Germaniae partium integrum semper Episcopis fuerit, rectores parochialium ecclesiarum, justa aliqua suadente causa, ab uno loco amovere atque ad alium transferre eosque ad beneficii permutationem etiam invitos cogere: quod per faciliorem remotionem non bene moratorum parochorum citius eliminabantur scandala ac surripiebatur heterodoxis obloquendi occasio de religione catholica, quod non posset aeque obtineri, si mos iste hactenus servatus vellet in posterum interverti. Addebat insuper id ex juris praescripto etiam fieri ut innocens parochus cogi possit ad beneficium permutandum si aliter bono pacis et spirituali ovium suarum periculo consuli nequaquam possit, *ex cap.: Nisi cum pridem de renunc., Glossa ibidem,* Innocent. in *cap. 8. de elect. et in cap.: Tua nos. n. 5. de cleric. aegrot. num. 5.*, Federic. de Sen. *de permut. benef. num. 40.*, *Paris. de resign. l. 5. cap. 3. num. 176.* aliique.

Hinc proposito dubio:

An judicatum curiae episcopalis Eystettensis sustineatur in casu?

S. C. 11. Augusti respondit *affirmative* et die 21. Septembris stetit *in decisis* addita clausula: *ita tamen ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio redditus aequivalentis.*

Altera demum consentanea resolutio adducebatur, quae emissa est in causa *Limburg. Permutationis paroeciae* die 27. Junii et 19. Decembris 1857 contra quemdam parochum, qui primum ad permutandam paroeciam decreto episcopali cogebatur, deinde in contumacia eo permanente amotus ab eadem

censuris multatus fuerat. Decretum autem illud causis gravis odii et aversionis innitebatur, quae adversus eum excitata in populo fuerat ob acre ejusdem ingenium ac imprudentem agendi rationem, a qua licet monitus nunquam destiterat. Plura utrinque disputata in ea causa fuerunt, tum circa formam processus tum circa expositorum veritatem: attamen ad dubia:

I. An sustineatur decretum amotionis latum a curia episcopali Limburgensi in casu?

II. An sint infirmandae poenae canonicae inflictae in casu? Responsum fuit

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Scribatur Episcopo ut sacerdotem* (N.) *a censuris absolvat ac rehabilitet eumque provideat de alia paroecia seu beneficio redditus aequivalentis.*

Hisce itaque *ex officio* expositis perpendendum in praesenti nostro casu erat, num revera occurrerent ejusmodi rerum adjuncta, ut necesse omnino fuerit hisce extraordinariis uti remediis, quae ob bonum publicum ad majora mala et scandala praevertenda jura permittunt. Quare propositum est dubium:

An sententiae curiae episcopalis sustineantur in casu?

Responsio.

Sacra Congregatio Concilii die 22. Decembris 1860 respondere censuit: *attentis peculiaribus circumstantiis esse locum permutationi cum altero beneficio redditus fere aequivalentis infra sex menses.*

Ex iis colliges:

I. Distingui debere paroeciae privationem, quae habeat rationem poenae, a simplici oeconomica remotione, quae fit sive ad tempus sive in perpetuum.

II. Paroeciae privationem fieri non posse, nisi constet de culpis omnino gravibus, quibus ex jure gravissima haec privationis poena infligitur, judiciali ordine servato, qui in his causis praescribitur.

III. Oeconomicam autem remotionem ex duplici causa fieri, ex imperitia nempe et inidoneitate parochi ad paroeciam uti par est regendam, vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus parochus paroeciae suae consulere amplius non possit.

IV. In praesenti autem casu locum habuisse oeconomicam hanc remotionem variis concurrentibus causis, inter quas ultima non erat ratio agendi parochi, qui gravi sua negligentia plebis aversioni causam dederat eamque sua arrogantia auxerat.

b) Citatio et monitio antecedere debet.

Vd. 758. n. 80. a

Cap.: *Ex tuae lib. 3. decretal. de clericis non residen.* statuitur: *In ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinae citationis edictum facias publicari: et si nec sic curaverint obedire et ultra sex menses suas deseruerint ecclesias juxta sanctiones canonicas eis debent merito spoliari.*

Regien.

Licet infecta esset Valli institutio, non poterat hic depelli, nisi eo citato et servatis servandis *cap. Conquerente de restit. spoliat.*

Die 21. Sept. 1816.

Gracovien.

Trinam monitionem privationi beneficiorum praemitti debet, *can.: Si quispiam 22. dist. 81., cap. sicut 4., cap. Si autem 6. de cohabit. cleric. et mulier., Concil. Trid. sess. 25. cap. 4. de reform.* Hac autem praetermissa sententiam insanabili nullitatis et justitiae vitio laborare, *Garz. de benef. par. 11. cap. 10. n. 282., Rot. in Cracovien. Parochialis super bono jure 22. Junii 1767 §. 4. coram R. P. D. Guersa*, etiamsi ageretur de incontinentia qualificata cum adulterio, *Rot. in cit. Cracovien. §. 5.*, et crimina, quae privationi causam praebuerunt, plene concludenterque justificata probarentur, *Rot. in Placen. Parochialis 9. Decembris 1743 §. 9. coram Lana* et in *d. Cracovien. eod. §. 5.* Hanc autem formam adamussim servandam ideo praescriptam a sacris canonibus fuisse quia alias verificari non posset incorrigibilitas et contumacia ad privationem necessarie probanda, *Panimoll. addit. ad decis. 149. n. 9.*, Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 6. de ref.* quoad ecclesiarum rectores aliaque beneficiatos praecipit Episcopis etiam tamquam apostolicae Sedis delegatis, ut *eos qui turpiter et scandalose vivunt postquam proemoniti fuerint coerceant et castigent et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta ss. canonum constitutiones exemptione et appellatione quacumque remota privandi facultatem habeant.*

Rursus *sess. 25. cap. 14. de reformat.*, postquam clericis pravam quamlibet cum mulieribus consuetudinem interdixerit, addit: »*Quod si a Superioribus moniti ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum et proventuum beneficiorum suorum quorumcumque et pensionum ipso facto sint privati, quae fabricae ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Sin vero in delicto eodem cum eadem vel alia foemina perseverantes secundae monitioni adhuc non paruerint non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui praedictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordinarius etiam uti Sedis apostolicae delegatus arbitrabitur, suspendantur et si ita suspensi nihilominus eas non expellant aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque ecclesiasticis perpetuo priventur atque inhabiles ac indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis ac officiis in perpetuum reddantur, donec post manifestam vitae emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum.*

Circa hujusce conciliarii decreti intelligentiam plures prodiisse s. Congregationis declarationes refert *Garz. de benef. part. 11. cap. 10. n. 186.* Inter caeteras vero has recenset: Quod scilicet decretum illud non procedat in simplici incontinentia absque qualitate concubinatus: Quod locum habeat etiam in clerico modo cum una modo cum altera muliere deprehenso: Quod verba illa »*Si a Superioribus moniti*« intelligi debeant de monitione specialiter facta, non autem de generali monitione, puta per edictum: Quod monitiones non tantum in actu peragendae s. visitationis, sed quocumque tempore fieri possint: Quod tempus inter unam atque alteram monitionem intercedens arbitrio Episcopi relinquatur: Quod demum poena de qua in relato decreto non incurratur a clericis, qui semel deliquerint, etiamsi Ordinarii edicta praecesserint, sed inflicta censeatur iis, qui in eamdem culpam reinciderint, cum prima vice puniri debeant aliis poenis a sacris canonibus et peculiaribus ecclesiarum statutis impositis, deinde vero si clericus monitus speciali monitione iterum peccaverit, tertia fructuum parte privari debeat, non tamen distributionibus quotidianis, qua praeter fructus praebendae ratione canonicatus vel dignitatis Divinis interessendo percipiat.

Trinam proinde monitionem requirit Concilium Tridentinum, antequam clericus prava aliqua consuetudine detentus beneficio privetur, eamque praescriptam quoque legimus in *cap. si quispiam 2. de cohabit. cleric. et mulier.* his verbis: »*Si quispiam sacerdotum, id est presbyter, diaconus, subdiaconus, de quacumque foemina crimine fornicationis suspectus post primam et secundam et tertiam admonitionem inveniatur fabulari cum ea et aliquo modo conversari excommunicetur.* Verum in *cap. Si autem 6. eod. tit.* declaratur duplicem tantummodo monitionem sufficere, ibi: *Si autem clerici sive in s. ordinibus sive in inferioribus constituti fornicarias detineant, nisi eas ad secundam vel tertiam commonitionem a se dimiserint, eas contempturi de caetero, liceat tibi eos ecclesiis vel eorum portionibus, si quas habent, appellatione postposita spoliare et ipsis officia interdicere.*

Die 10. Febr. 1770.

c) Distinguenda ab oeconomica remotione.

Vd. n. I. p. 790: *Distingui etc.*

d) Ab Episcopo ex informata conscientia lata.

Vd. *t. I. p. 643. n. 59.*

S. Agathae Gothorum.

Episcopus sub die 13. Octobris 1851 *causis sibi notis* a canonicatu, dignitate archipresbyterali, animarum cura et sacrorum ordinum exercitio per decretum in epistolio obsignatum suspendit sacerdotem Petrum D. Ambrosium archipresbyterum in ecclesia s. Andreae Apostoli terrae Argentii suae dioecesis. Qui rei novitate perculsus illico eodem die literas Episcopo mittens ei significabat, haud esse in Episcopi facultate parochum suspensionis poena multare ex *informata conscientia*, simulque postulabat, ut vel in publicam vocaretur disputationem crimen cujus insimulabatur vel potestas ei fieret e dioecesi discedendi ut apostolicam Sedem sua laesa jura vindicaturus contenderet Hujusmodi petitioni morem gerere visus est Episcopus; nam die 14. Octobris discessus veniam reclamanti Ambrosio indulsit, ast postero die eidem injungebat, ut piam domum patrum Alcantarinorum peteret ibique usque ad novum

ordinem spiritualibus exercitiis vacaret. Paruit D. Ambrosius et sex supra quadraginta diebus in statuto coenobio commoratus religioni operam dedit.

Verum jam ab eodem die 14. Octobris ipse Ambrosius posthabita suspensionis censura integrum sibi esse putavit missam celebrare, confessiones audire, baptismatis sacramentum administrare et ejusdem Episcopi adstare solium in publica functione, licet scandalum praevertere sibi ratus esset per protestationem, qua integro adstante clero se ad Episcopi voluntatem obsequendam paratum exhibens declarabat non in censurae contemptum, sed ex necessitatis causa ipsoque annuente Episcopo se sacra interea ministeria peragere.

Factum hinc est, ut promotor fiscalis curiae Sanctagathensis die 18. Octobris suspensionis violationem ad Episcopum referens postularet, ut ad effectum decernendae irregularitatis in parochum suspensum jure judicioque ageretur, ac reapse promotoris fiscalis relationem sententia declaratoria irregularitatis die 23. ejusdem mensis subsequuta est: quam quidem sententiam licet Ambrosio se notificasse die 25. Octobris asserat quidam Alphonsus Verdichio sub nomine apparitoris curiae, illius tamen notificationem denegat D. Ambrosius innixus testimonio legalis tunc temporis apparitoris Lacconi; atque ementitum in Verdichio apparitoris officium ad artem fuisse probat testimonio Provicarii generalis Nuzzumauro et episcopalis tabularii magistri, qui deponunt numquam Verdichio apparitoris officium delatum fuisse.

Res ita se habebant, cum die 6. Januarii 1852 promotor fiscalis novum obtulit libellum quo expostulabat, ut sacerdos Ambrosius beneficio archipresbyterali curato ope definitivae sententiae privaretur, ob plures quas recensebat causas quae privationis sententiae fundamentum constituere debuissent. Referebantur hae ad malam vitae rationem Ambrosii dum in curae exercitio versaretur, praesertim ad ipsius consuetudinem cum feminis suae paroeciae, signanter cum quadam Angela Maria della Cave, ad stuprum in persona puellae Mariae Carmellae Giglio patratum, ad publicum quod pessima ejus agendi ratio scandalum excitaverat, ad violationem denique suspensionis, quin ulla resipiscentiae spes affulgeret. Quamobrem die 12. Januarii in judicium raptus est Ambrosius ad dicendum *quare* privandus non esset beneficio. Hic vero promptum se exhibens ad hujusmodi accusationes refutandas tum processus tum sententiae irregularitatis nullitatem ob non servatas canonici juris solemnitates propugnavit, exhibita ad curiae acta protestatione die 17. Januarii. Nihilominus die 20. ejusdem mensis iterum in judicium vocatus est ad audiendam sententiam privationis definitivam quae triduo post ob enunciatas causas lata fuit.

Ab hac sententia necnon a ceteris episcopalis curiae decretis absque mora die 27. Januarii appellationem*) interposuit Ambrosius ad curiam metropolitanam Beneventi quae actum appellationis initio accepto habens terminum utrique parti constituit ad deducenda jura sua. Verum perpendens postea Metropolitanus ille judex non posse se judicium ferre *de effectibus seu de inhabilitate an sit necne incursa quin prius causas cognoscat, quae eam inducunt et quas sola sedes apostolica in praesenti quaestione inquirere et ad examen revocare potest et quas ipse appellans Archiep. in sua prima instantia manifestavit*, hinc suam incompetentiam in hac quaestione declaravit et partes ad sacram hanc Congregationem remisit per decretum diei 18. Junii 1852. Haud Metropolitani judicio acquiescens Sanctagathensis curia ab eo ad summum Pontificem appellavit *tantum in parte in qua declarat se non esse competentem ad judicandum de validitate seu de nullitate sententiae latae ex Rma curia Sanctagathensi cum praefatus Dominus Petrus Ambrosio beneficio privatus fuit.*

Re ita ad sacram Congregationem delata Episcopum informationem ac votum rogavi, audito promotore fiscali in scriptis et praefixo partibus termino ad deducendum jura sua. Mandatis hisce obsequens Episcopus acta transmisit una cum sua relatione, in qua rerum historia accurate narrata animi sui sensum aperuit.

Duo proposuit archipresbyter Ambrosius pro hodierna contentione dubia: cum vero primi dubii disputationi acriter obstitisset curiae Sanctagathensis procurator vel ejus saltem reformationem postulasset, ideo in partium contradictione illius instantiam remisi ad sacram Congregationem per memoriale proponendam una cum merito in hodiernis comitiis.

*) Vd. *t. I. p. 643. n. 59.*

Duplici ex capite suspensionis decretum irregularitatis ac privationis sententias corruere propugnat Ambrosii defensor, primo ob violatum processus ordinem et monitiones omissas: secundo quia nullitate causae laborant. Quamvis enim Tridentina synodus facultatem Episcopis dederit clericum ex informata conscientia suspendendi, quo in casu haud necesse est omnes juris solemnitates servari, non adeo tamen hujusmodi facultas extenditur, quin nonnullis in casibus limitationem accipiat. Contendit enim tunc tantum causis sibi notis hac facultate uti posse Episcopum, cum res est de crimine occulto et in clericis promovendis; in ceteris casibus monitione et juris solemnitatibus opus esse. Probat id primum ex ipsis Concilii verbis *c. 1. sess. 14. de reformatione*, quae adversarii usurpant, ibi: »*Cum honestius ac tutius sit subjecto debitam praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui ascensus ad sacros ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter fuerit interdictus aut quia suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores restitutio suffragetur.*« Ex quibus arguit manifestam distinctionem inter promovendum et promotum; cum enim in prima tantum parte in qua de promovendo agitur sacrosancta synodus mentionem de extrajudiciali forma fecerit, eadem dispositio juris communis derogatoria ad alteram partem traduci non potest quae ad promotos refertur; quos nonnisi gravissimis urgentibus causis praemissis monitionibus et servato juris ordine a sui ordinis exercitio et ab jure jam quaesito arcere fas est, juxta distinctionem traditam ab hac sacra Congregatione *in Nepesina Dispensationis 13. Julii 1782* §: *Mitius* et formiter discusso articulo docet *Van-Espen. de censuris ecclesiasticis cap. 10. num. 23.*

Sed dato etiam, quod Episcopus hanc exercere valeat potestatem etiam in promotos, non ejus arbitrio impositum esse, sed juxta casuum varietatem et circumstantiarum adjuncta potestatem hanc moderandam et coercendam esse contendit. Duo enim concurrant oportet ut suspensio ex informata conscientia infligi jure possit, primum nempe quod crimen seu causa suspensionis sit occulta et soli Episcopo nota, ceu tradunt post Concilium Tridentinum *cit. sess. Benedictus XIV. de synodo dioecesana lib. 7. cap. 45. num. 6.* et *Van-Espen. de censuris cap. 10. num. 23.*, alterum quod nec ipsi reo eadem suspensionis causa manifestetur, ceu vel ipsi fatentur adversarii in privationis sententia. Atqui neutrum in casu subsistit. Cum enim occultum illud in specie definiatur, quod neque in judicii strepitum neque in rumores vulgi deductum est, ad monita per *Schmalzgrueber Jus eccles. univers. part. tit. 10. cap. 6. num. 18.*, jam occultum dici nequibat stupri crimen cujus insimulabatur Ambrosius quodque suspensioni ex informata conscientia causam praebuit, sive quod, testante curia, pluribus ante mensibus publica de eo loqueretur fama et scandali periculum in universa dioecesi immineret, sive quod puella Giglio monita ob id ex officio fuerat, ut testes rogati, sive quod reapse suspensionis causa in vulgi notitiam extemplo venit, cum primum suspensio ipsa lata est, unde admirationis origo repetenda in populo, qui spectatissimos parochi mores optime noverat, atque ideo pro ejus absolutione preces effundere non destitit; sive tandem quia in publicam accusationem a promotore fiscali suspensionis causae deductae sunt, quae soli Episcopo notae dicebantur.

Quin obsit, prosequitur jurisconsultus, suspensionis causas non ab Episcopo, sed a promotore fiscali vulgatas fuisse. Cum enim promotor coram Episcopo causas hasce exponeret, nonnisi ab Episcopo eas didicisse censendum erit, cum absurdum sit curiam causas suspensionis allegare ex informata conscientia quas Episcopus haud probaret vel deinceps falsitatis argueret. Idipsum suadere quae in relatione narrantur intervenisse inter Episcopum et puellam Giglio ipsumque Ambrosium, quae nisi Episcopus revelasset promotor fiscalis penitus ignorare debuisset. Nunc vero hujusmodi causarum notorietatem nec promotor fiscalis nec Episcopus denegare poterit: non ille quidem quia in putidissimam contradictionem incideret, non iste, quia in epistola ad s. hanc Congregationem ablegata nil potius habet, quam

judicium a sua curia emissum undique confirmare. Ex quibus etiam deducit, occultum dici non posse crimen postquam ipsi praesumpto reo pluries ab Episcopo fuerat revelatum, ceu facta in fiscali relatione exposita probant; unde aliud deficit extremum ut Episcopus, posthabito juris ordine, ex informata conscientia procedere possit.

Hujusmodi potestatis abusum in themate ex eo etiam evincere studet Ambrosii defensor, quod attenta suspensionis ab Episcopo latae natura non de poena, sed de censura hic ageretur. Suspensio siquidem ad certum tempus imposita poena est, indefinite inflicta censura nuncupatur, ut communiter distinquunt canonistae, inter quos *Bernardi Comm. in jus eccles. part. 2. dissert. 3. cap. 7. de suspensionis censura*, *Van-Espen. de censuris eccles. cap. 10.*, *Suarez. de censuris disp. 25. sect. 1. num. 2.* Cum itaque absque ulla temporis praefixione parochus Ambrosio a sui muneris exercitio fuerit suspensus, suspensio isthaec non poenae, sed censurae naturam praesetulit. Vulgatissimi autem juris est neminem censura mulctari posse, nisi trina praecesserit monitio, ad differentiam poenae proprie dictae quae extrajudicialiter infligi potest juxta Tridentinum in cit. superius *sess. 14. de reform.*, ceu docet *Monacell. Formul. pract. praebend.* §. *8. num. 95.* et sac. Congregatio *in Perusina Suspensionis 30. Aprilis 1803* §: *Quoad.*

Sic statuta suspensionis nullitate profecto de ejus violatione haud judicium institui potuisse arguit laudatus defensor, eo quia non datur violatio in actibus qui ab initio nullitatis labe corruerunt nec unquam extiterunt et per consequens evanescere irregularitatis sententiam inde sequutam infert cum *Pignatell. Consult. canon. tom. 7. cons. 44. n. 34.*

Ex altero autem capite quod falsitatem respicit causarum, rem absolute confici posse putat jurisconsultus, unde quolibet destitui probat fundamento singulas cum suspensionis tum irregularitatis tum privationis beneficii sententias. Ac primo posito quod Episcopus etiam cum ex informata conscientia clericum suspendit justas ac veras id ob causas facere debeat, quas coram apostolica Sede seu coram s. hac Congregatione ad quam recursus delatus fuerit non solum revelare, sed certis ac indubiis argumentis probare tenetur, veluti centies s. Congregatio docuit ac definivit, signanter *in Montis Alti quoad Examinatores synodales 23. Julii 1803* §: *Quod, in Oritana seu Tarentina Attentatorum 20. Augusti 1735*, in *Bojanen. Censurar. 18. Aprilis 1744* §: *In mentem*, et tradunt etiam *Reiffenstuell. Jus canon. univ. lib. 5. tit. 39. de sentent. excom.* §. *1. n. 79.*, *Pignatell. Consult. canon. 10. num. 4.*, accuratam instituens analysim capitum accusationis ea penitus convellere ac refutare satigit, paucis inde se expedit a duobus quae in specie notantur criminibus quaeque summam accusationis constituunt, quorum alterum respicit consuetudinem cum quadam Angela Maria Della Cave, alterum stuprum et abortum Mariae Carmele Giglio. Primum enim corruit ex eo quod Angela Maria Della Cave in terra Argenti et in viciniis non existit nec umquam extitit, ceu allata probant documenta. Evanescit alterum ex eo quod Maria Carmela Giglio phisicae peritorum inspectioni subjecta virgo reperta est. Ut vero quamlibet removeat suspicionem a peritorum relatione, postulat Ambrosius, ut quatenus id opportunum judicaverint EE. PP. novae inspectioni puellae aut Romae aut in Beneventana curia locus fiat. Ceteris vero generalibus accusationibus, quae ad inhonestam vitae rationem clientis sui referuntur, opponit defensor plura documenta, testimonia ac depositiones totius ferme cleri ac primorum ex populo Argentii, ex quibus ejus integritatem, religionem, doctrinam atque zelum in multis quibus perfunctus est officiis in propatulo ponit.

Quae cum ita se habeant, mole veluti sua corruere subsumit posteriores omnes judiciales actus seu sententias irregularitatis ac privationis beneficii. Et ad irregularitatem quod attinet, haud in eam incidisse probat Ambrosium, tum quia suspensionis violatio non probatur, tum quia irregularitas non incurritur ob violationem suspensionis quae falsitate causarum laborat. Hinc rejecto testimonio Francisci Diglio, quem suspectum perhibet et mendacii in sua depositione redarguit, unice attendendam esse censet relationem Capitularium, qui aderant dum Ambrosius Sacrum erat celebraturus, quique fidem faciunt de protestatione quam ipse antea emiserat. Ex cujus protestationis tenore rationes haurit defensor quae clientem suum ab irregularitatis nota sibi excusare videntur. Patet enim exinde ex praesumpto Episcopi consensu Ambrosium Sacra peregisse, utpote qui Episcopum rogaverat, ut vel regularem processum curiae demandaret vel sibi facul-

tatem s. Sedis adeundae concederet, interea ministerium prosequeretur, quin Episcopus, votis supplicantis ceterum annuens, officii continuationem ei prohibuisset. Patet ulterius celebrationem et officia non in auctoritatis et suspensionis spretum peracta fuisse, uti opus esset ad irregularitatis incurrendae effectum ceu docet *Reiffenstuell. Jus can. univ. lib. 5. tit. 27. de cleric. excom. depos. vel interd. ministrante n. 6. et seqq.* pluribus ibi relatis auctoribus.

Quinimo cum irregularitas non incurratur nisi sit in lege expressa et cum certa irregularitatis ipsius scientia in ministrante, ab ea excusatum iri arbitratur Ambrosium qui reus tantum fuisset violationis suspensionis extrajudicialiter latae. Atqui gravissimi docent auctores, quos inter *Ferraris Bibliot.* verb.: *Irregularitas num. 37.* et *Monacell. suppl. ad 7. tom. pag. 90.* §. *6.*, et saepe definivit s. Congregatio ceu *in Montis Alti Suspensionis et irregularitatis 15. Sept. 1800* §: *Secundo*, irregularitatem non incurri ob violationem suspensionis quae extrajudicialiter lata fuerit. Ast urget eamdem conclusionem quamvis dubium censeatur hic juris sive facti irregularitatem non incurri et probat auctoritate *Ferraris cit. loco a num. 8. ad 11.*, *Pignatell. Consult. 10. num. 72.*, *Liguori Homo apostolicus tom. 4. cap. 3. de irregularitate part. 3. num. 78.*, *Schmalzgrueber Jus eccles. univ. tom. 3. part. 4. num. 83.*, sacr. Congregat. *in Senen. Dispensationis 3. Febr. 1786* §: *Verior.*

Alterum excusationis argumentum educit defensor ex ratione admirationem et scandalum evitandi, quod certo certius in populo ortum fuisset, si parochus ab sui muneris abstinuisset exercitio; exploratum autem in jure est officii ministerium, cum aliunde scandalum et diffamatio vitari nequeant, numquam irregularitatem inducere, ceu monent *Reiffenst. loc. cit.*, *Schmalzgrueber loc. cit. part. 3. tit. 27. num. 10.* aliique juris interpretes communiter.

Tandem in hypothesi etiam quod Ambrosius irregularitatem materialiter offendisset, attamen sententiam quae eum irregularem declaravit ex eo infirmandam esse contendit, quia decerni nequibat irregularitas ex violatione suspensionis intrinsecus nullae ac injustae, quamquam nullitas causarum vel falsitas post praetensam violationem in judicio demonstretur. Doctrinam hanc multis exornat auctoritatibus, praesertim *Reiffenstuel. loc. superius cit.*, *Laymann Theologia moralis lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 6. num. 3.*, *Thesauri de poenis part. 2. cap. 11. de censura*, *Liguori cap. 1. de censura in genere dub. 3.* et s. Congregationis *in Nucerina Residentiae et suspensionis 5. Septembris 1818.* Post haec supervacaneum existimat de sententia privationis beneficii verba facere, quam una cum anterioribus decretis, a quibus uti consectarium profluit, corruere necessarium est.

Expendit post haec quaestionem super primi dubii reformatione quod adversarii praecidere omnino vellent. Ut propositi a se dubii formulam tueatur praemittit, non agi in themate de irregularitate ex delicto, quae sola per se subsistit, sed de irregularitate ex violatione suspensionis, quae consistere nequit, nisi suspensio sustineatur. Non poterit itaque judicium ferre de validitate vel nullitate aut invaliditate suspensionis, cujus violatio praesumptae irregularitati atque sententiae privationis locum dedit. Quandoquidem irregularitatis et privationis validitas duplici ex capite oriri potest, ex observantia formae, ex validitate vel invaliditate suspensionis: rejecta primi dubii formula posset quidem de nullitate irregularitatis ex defectu formae tantum inquiri, non posset ex defectu suspensionis qui gravissimus est in irregularitatis examine.

Nullius item momenti facit, quod ex adverso opponitur, causas suspensionis ex informata conscientia latae nec reo nec judici ordinario sed Sedi dumtaxat apostolicae manifestare Episcopum teneri, ac si in praesentiarum in gradu appellationis atque in ordinario judicio ageretur quaestio. Qua etiam admissa hypothesi, haud Episcopum a causarum manifestatione in praesenti rerum statu eximi posse contendit. Cum enim Sanctagathensis curia in prima judicii sede suspensionis causas deducerit, uti ex promotoris instantia patet, qua vadimonium Ambrosio indictum est ad beneficii privationem, utque de causis suspensionis responderet, manifesto consequitur, judici appellationis omnia judicanda proponi debere quae proposita fuerant primo judici, atque ideo etiam causas suspensionis.

Verum postquam Metropolitanus sua incompetentia declarata partes ad sacram Congregationem remiserit et sac. Congregatio causae cognitionem suscepit, causa ipsa non

in gradu appellationis versatur, sed per recursum ex integro quoad suspensionem, irregularitatem et privationem cognoscenda proponitur coram sacra eadem Congregatione, quae in hujusmodi contentionibus summi Pontificis a quo demandatam habet jurisdictionem vice perfungitur.

Qui curiae Sanctagathensis partes tuetur non prius judicium super merito causae principalis (cujus comperendinationem postulat) institui posse contendit, quam tria haec quae ad ordinem in judicio ipso servandum pertinent fuerint definita; primum est, utrum primi dubii formula penitus eliminanda vel saltem reformanda sit necne: alterum, utrum controversia super sententiis irregularitatis ac privationis beneficii ad sacram Congregationem delata fuerit ad effectum cognoscendi causam super merito, vel potius ad hoc ut decernatur num in gradu appellationis debeat a Metropolitano cognosci: postremum an integrum Ambrosio fuerit ab irregularitatis sententia post lapsum fatalium appellare.

Quoad primum quaesitum statuit jurisconsultus causas suspensionis ex informata conscientia summo tantum Pontifici aut sacrae Congregationi, dummodo ad eam specialiter summus Pontifex controversiae cognitionem remiserit, Ordinarium manifestare teneri, ceu probat fretus auctoritate *Benedicti XIV. de synodo dioecesana lib. 3.*, cujus doctrinam quae praesentem respicit controversiam fuse refert: ubi ad rem notatu dignum est, quod idem Pontifex post relata verba Tridentini *sess. 14. cap. 1. de reform.* docet scilicet: *Posse Episcopum ob occultum crimen etiam extrajudicialiter cognitum non solum clericis prohibere ascensum ad superiores ordines, sed etiam a suscepti jam ordinis ministerio eosdem interdicere; quamvis enim in secunda decreti parte ubi de suspensione est sermo non iterentur illa verba »etiam ob occultum crimen, quomodolibet extrajudicialiter« constans nihilominus et perpetua sacrae Congregationis Concilii sententia fuit ob continuationem sermonis censeri repetitam eamque utrumque casum complecti.«*

Sed dato etiam, quod sacra Congregatio ordinaria auctoritate de hujusmodi causis cognoscere valeat, urget haud in disputationem vocari posse suspensionis validitatem, ceu propositi dubii verba sonant, sed tantum ejus justitiam vel injustitiam; aliud quippe est inquirere utrum Episcopus valeat clericum causis sibi notis suspendere, aliud utrum justae vel injustae fuerint causae ex quibus motus est Episcopus ad suspensionis poenam infligendam; primum ne fiat prohibet Tridentinum in *cit. sess.*, alterum cognoscit apostolica Sedes vel sacra Congregatio de summi Pontificis mandato.

Secundum quod proponit dubium in eo versatur, utrum scilicet decretum incompetentiae judicis metropolitani confirmandum sit etiam in ea parte quae respicit sententias irregularitatis et privationis a curia Sanctagathensi latas, ita ut directe ac veluti per saltum s. Congregatio de iisdem sententiis in hac judicii Sede cognoscere debeat. Animadvertit siquidem eatenus curiam metropolitanam propriam incompetentiam hac in causa declarasse, quatenus putaverit non solum examen super causis suspensionis sed sententias quoque irregularitatis ac privationis directe ad sanctam Sedem pertinere, uti ex eodem incompetentiae decreto liquet; quod quidem erroneum cum sit, merito ab hoc decreto Episcopum Sanctagathensem appellasse concludit.

Tertium excitat dubium relate ad sententiam declaratoriam suspensionis, de qua disputari amplius non posse contendit, postquam nulla ab ea facta provocatione tempore utili rei judicatae vires nacta est. Cum enim decennium detur ad appellandum ab hujusmodi poena juxta textum in *Extravag. Sentent. et rejud.* exploratum in facto dicit tantum post trimestre spatium a promulgatione sententiae ab adversario appellatum fuisse. Sententia enim promulgata fuit die 23. Octobris 1851 et biduo post Ambrosio notificata, prodiit vero appellatio sub die 27. Januarii anni insequentis. Cui accedit, curiam metropolitanam suam incompetentiam declarasse quoad unam sententiam privationis beneficii, quin verbum de alia irregularitatis sententia faceret, licet Ambrosius utramque sententiam ad eamdem curiam in appellationis actu definiendam detulisset. Quaerit inde, utrum in hodiernis comitiis in tertio jurisdictionis gradu irregularitatis causa cognoscenda sit, quae ad Beneventanam curiam delata nullo illius judicis decreto dirempta fuit.

His dubitationibus actus curiae patrocinator rogat EE. PP., ut propositas praejudiciales quaestiones definiant prius, quam ipse principalis causae meritum perorandum aggrediatur.

Haec quae per summa capita recensui fuse pertractata habent EE. PP. in allegationibus ab utraque parte distribuendis.

Meum est proponere dubia:

1. An constet de validitate suspensionis in casu?

2. An sint confirmandae vel infirmandae sententiae a curia episcopali latae tam super irregularitate quam super privatione beneficii in casu?

S. C. resp.

Ad I. Negative, salvo jure Episcopo procedendi prout de jure.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 26. Febr. 1853.

Continuatio.

Hujus controversiae speciem repetent EE. PP. ex folio diei 26. Februarii proxime elapsi in quo binis propositis dubiorum formulis:

I. *An constet de validitate suspensionis in casu?*

II. *An sint confirmandae vel infirmandae sententiae a curia episcopali latae tam super irregularitate quam super privatione beneficii in casu?*

Frustra dilationem postulante Episcopo qui pro dubiorum reformatione instabat resolutio prodiit:

Ad I. *Negative, salvo jure Episcopo procedendi prout de jure.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Nunc vero novae audientiae beneficio recreatus suas *super merito* per defensorem sibi adlectum deductiones attulit, certam fovens spem fore, ut sacer hic Ordo a concepta sententia discedat.

Atque in primis incontroversi juris esse ait Episcopi defensor, potestate callere Episcopos *ex causis sibi notis* seu ex *informata conscientia* clericos quacumque causa et ob occultum crimen suspendendi vel a ceteris suscipiendis ordinibus vel ab exercitio eorum quos jam assecuti sunt; ad rem addens Ferraris sententiam sub verbo: *Suspensio art. 1. addit. num. 2. et 8.*, ibi: *Fuerunt utique qui tenuere Episcopum ex informata conscientia suspendere dumtaxat posse ab ascensu ad ordines, idque quia Concilium Tridentinum, ubi potestatem facit suspendendi ex informata conscientia, loquitur de suspensione ab ascensu ad ordines; nihilo tamen minus s. Congregatio Concilii interpres referente s. m. Benedicto XIV. censet, posse Episcopum suspendere et ab exercitio ordinis jam suscepti ea de ratione, quod verba illa, quibus facultas Episcopo data est suspendendi ex informata conscientia, repetita intelligantur, ubi sermo est de suspensione ab exercitio ordinis suscepti.«* Re quidem vera post Tridentini sanctionem *in sess. 14. cap. 1. de reform. Benedictus XIV. in synodo dioecesana lib. 3.* haec habet: *Ex quibus verbis colligitur posse Episcopum ob occultum crimen etiam extrajudicialiter cognitum non solum clericis prohibere ascensum ad superiores ordines, sed etiam a suscepti jam ordinis ministerio eosdem interdicere: quamvis enim in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba »etiam ob occultum crimen, quomodolibet etiam extrajudicialiter«, constans nihilominus et perpetua s. Congregationis Concilii sententia fuit, ob continuationem sermonis censeri repetitam eamque utrumque casum complecti«*, multis ibi allatis hac desuper re posterioribus s. Congregationis resolutionibus.

Ea propter unum in facto quaerendum esse monet, utrum videlicet crimen occultum eo die fuerit quo in Ambrosium suspensionis decretum prodiit. Nec ad evertendam occulti qualitatem pertinere ea quae post suspensionis decretum omnium per ora circumvolitarunt; quandoquidem si attendenda haec forent, nullum jam esset crimen, nulla res, nulla causa suspensionis quae occulta dici haberique posset. Quare leges atque doctores illud occultum crimen esse firmarunt, quod in foro externo ex judiciariis actis minime pateat, sic *Rota in Tudertina Aliment. 23. Junii 1807 coram Odescalchi* §. 7., ibi: *»Non prohibetur Episcopus ob causas sibi notas quae in foro externo ex actis judiciariis minime patent suspensionem irrogare,«* vel illud quod non sit publicum seu notorium vel famosum; quatenus nempe non sit notum decem saltem personis. *Fagnan. in lib. 3. decret. cap. vestra, de cohabit. ét mulier. num. 113.*; sive illud quod probari non possit quodque plane lateat, nec periculum sit ne facile in publicum prodeat. Imo occultum etiam haberi, licet commissum sit in prae-

sentia duorum vel trium testium, quorum depositione in judicio probari posset. *Van-Espen. jus canonic. univers. part. 2. tit. 10. cap. 6. num. 18.*, addito *Pignatell. consult. canonic. tom. 6. consult. 99. num. 9.*

Atqui Ambrosii crimina de tempore suspensionis occulta omnibus fuisse, si tantum Episcopum vel ipsum delinquentem et conreos excipias, in propatulo est. Testem adducit ipsum Ambrosium, ex cujus relatione patet suspensionis causam nedum ceteris, verum et sibimet eo usque abditam extitisse. Nec minus id revincere studet ex reliquis testimoniis, potissimum Argentiae Syndaci ex officio deponentis, necnon a Dignitatibus, Canonicis et mansionariis ultro fatentibus; queis addit Curionum testimonia et primo Vincentii Coppola parochi s. Felicis *in Arienzo;* cui consonare asserit Josephum Antonium Miglione aeque parochum s. Nicolai Magni. Neque tantum, qui eadem moenia, verum et qui conterminas terras incolunt testantes idipsum refert, sic Alphonsum Mariam Piscitelli parochum s. Mariae sub titulo Gratiarum oppidi »*di Forchia, di Cervino.*« Eademque dixisse Vitum Ambrosio parochum s. Michaelis *di Arpaja*, Paschalem Foderosa parochum s. Mariae Gratiarum *di Cervino*, Vincentium Canonicum Carfora Vicarium curatum s. Agnetis *di Predarienzo.*

Jamvero hisce prono velut alveo fluere, Episcopum valide ac legitime egisse, quando ob occultum tunc temporis crimen Petrum Ambrosium suspensione mulctavit; quin obsit, Episcopus quandoque eum domesticos intra parietes commonefecerit vel ad coetum Canonicorum studuerit cooptare; nam id ea mente gessit, ut si fieri posset illum ad bonam frugem revoceret. Indeque minime inferri subdit, publicum idcirco evasisse illius crimen, cum privatim tantum Ambrosium redarguerit, neque hunc correctionis debuisse expertem esse, antequam suspensionis poena afficeretur. Uni hinc sibi delinquenti imputandum esse, si cuique ex populo clandestina facta ex seipso inconsulte prodiderit.

Perperam etiam regeri, occultum haud renunciari posse Ambrosii crimen quippe quod a promotore fiscali patefactum inde fuerit. Siquidem animadvertere hinc praestat promotorem fiscalem nonnisi in posteriori privationis beneficii judicio, scilicet post trimestre spatium a die suspensionis, aliquid de non laudabili illius vitae ratione obmussitasse; quod quidem factum cum criminum propagationem secutum fuerit, haud valebat efficere, ut de tempore editae suspensionis publica et notaria extiterint vitia quae tunc in occulto manebant; non enim ex insequenti manifestatione licet inferre praecedentem notitiam.

Quid quod promotor fiscalis, quin ex Episcopi ore haurire necesse haberet, ex vulgi rumoribus notitiam illam accepit. Facti enim res est, hujusmodi crimen ob ipsius Ambrosii temeritatem et chirurgorum et obstetricum deputationem propalatum undique fuisse. Ceterum fiscalis promotoris agendi rationem haud confundendam esse subsumit cum facto judicis in evulganda privationis sententia die 23. Junii 1852, in qua posthabita penitus promotoris fiscalis diatriba eatenus pro beneficii privatione jus dictum est, quatenus Ambrosius suspensionis decreto perculsus palam violasset suspensionem et irregularitatis declarationem promeruisset, quin adhibuerit in tempore appellationis remedium.

Neque meliori omine obtrudi, Episcopum in suspensione infligenda sua potestate abusum fuisse, eo quod cum ageretur de censura, indefinite scilicet inflicta (in quo solet a poena distingui, quatenus haec ad certum tantum tempus irrogetur), trinam monitionem non praemiserit. Quandoquidem receptum est apud omnes, quod, quotiescumque suspensio solum imponitur ut delictum puniatur et non ut a contumacia recedatur, haud praesefert rationem censurae, sed solius poenae. *Suarez. de censur. disput. 25. sect. 1. numer. 2. et 5.* Et quamquam discrimen illud intercedat censuram inter et poenam, quod illa perpetua suapte natura sit, haec ad tempus imposita, attamen id non ita accipiendum, ut a temporis expressa vel posthabita praefixione earum sit depromenda definitio. Tralatitium enim est, suspensionis censuram praevia trina monitione in contumaces ita ferri, ut a contumacia recedant; e converso poenam in delinquentem sic dirigi, ut admissum crimen adhuc in occulto versetur; adeoque trina etiam monitione posthabita et omnino extrajudicialiter infligi hanc posse indubium est. *Schmalzgrueber in decret. lib. 5. tit. 39. num. 30., Mayr in decret. lib. 5. tit. 39. num. 112., Hurtud. de cens. diff. 18. num. 80., Blud. disput. 6. art. 2. de censur.*

Quibus ita sese habentibus gradum facit ad vindicandam sententiae justitiam, qua Ambrosii irregularitas ex suspensionis violatione declarata fuit. Patulam esse ostendit sanctionem *cap. 2. decret. tit. 27. de cler. excom. deposit. vel interdict. ministrante* in haec verba: »*Si quis presbyter aut alius clericus fuerit degradatus aut ab officio pro certis criminibus suspensus et ipse per contemptum et superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere praesumpserit et postea ab Episcopo suo correptus in incepta praesumptione perduraverit, modis omnibus excommunicetur et Regis judicio ad requisitionem ecclesiae exilio damnetur.* Eo enim ipso, quod suspensus violat suspensionem, moraliter peccare ait atque in irregularitatem incidere, teste *Schmalzgrueber tom. 2. part. 4. tit. 39 §. 306.* Cum igitur Ambrosius se ipsum pro suspenso denuntiavisset, haud potuisset sua munera exercere, etiamsi a fidelibus esset requisitus, cum petitio talis iniqua reputetur utpote ad peccatum inducens. Praelaudatus auctor *cit. loc. et in seq. num. 308., Ferrar.* in verbo: *Suspensio tit. 7.* Quia imo suspensum ab ordine et beneficio, cum voluntarie et scienter suspensionem violat, praesertim celebrando, in perpetuum ab officio deponendum esse colligitur ex *cap.: Clerici* et *cap.: Latores de cler. excomm.* additis *Barbosa in jus canonic. lib. 3. ad cap. ut clericorum, Rota in Tudertina Alimentorum 23. Junii 1817 coram Odescalchi.* Nec praetereundum nullatenus posse in Sacris ministrare eum, qui in dubio etiam versaretur super suspensionis validitate; cum in dubiis tutior sit eligenda via atque tutius cessare sit quam temere celebrare. *Ferrar. tit. 1.* verbo: *Suspensio num. 12. addition.* Haud insuper difficultatem facere, cum dicitur, non incurri irregularitatem nisi in casibus in jure expressis; nam id intelligendum venit, de casu tantum quo non constat an delictum adnexam irregularitatem adnexam habere, prout in themate violatae suspensionis. *Van-Espen. jur. eccl. univer. part. 2. tit. 10. cap. 1. num. 7., de la Cambe jurisprudent. canon. sect. 1. num. 2.*

Incassum at vero sese excusatum habere, urget, Ambrosium, dum ad tacitam Episcopi consensionem recurrit et suadere nititur, se haud quaquam in suspensionis spretum egisse. Etenim haud fas esse meminit, de tacito aut praesumpto consensu loqui, ubi per editum decretum satis superque Episcopus voluntatem suam declaravit; quin et tacita haec consensio deduci valeat ex Ordinarii silentio super protestatione ab Ambrosio per epistolam emissa. Atque post emissum suspensionis decretum ridiculum sane foret, executionem illius pendere a conditionum implemento quas clerico placet Ordinario suo proponere.

Hac re adducta nil addendum ultra censet circa privationis sententiam, eo quod vel ipse Ambrosii defensor ab hac disquisitione abstineat, donec peritorum judicialium deputatio fiat ad puellae inspectionem.

Ex parte archipresbyteri Ambrosio supplex circumfertur libellus in quo rogat EE. PP., ut momenta rationum recolere velint quae in sua allegatione pro comitiis diei 26. Februarii distributa fuse enucleavit.

Sint itaque dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. In decisis et amplius.

Ad II. In decisis et amplius.

Die 28. Maji 1853.

e) Qualitas causarum.

Vd. supra decr. *Parochialis* §: *Ex iis colliges* n. II p. 790.

Gracovien.

Beneficii privationem inter graviores poenas a doctoribus recenseri, *Card. de Luc. de benef. disc. 15. num. 1., Rot. coram Caprar. dec. 284. num. 5., coram Molin. dec. 1. 236. n. 4.* et *coram Tanar. dec. 207. n. 4.*: ac proinde tria haec omnia requiri, videlicet;

Gravem causam, quae privationem mereatur, *canon. Inventum 16. quaest. 1. cap. 1.* et ibi *gloss. de capell. Monach.;*

insuper *causam plenissime probatam, can.: Nos in quemquam 2. quaest. 1., can.: Et si tantum* et *can.: Placuit quaest. 2.*,

ac tandem, quod *privationis poena infligatur juxta formam a legibus ecclesiasticis praefinitam, cap.: Conquerente 7.*, ibique *gloss. de restitut. spoliat., Zypaeus Pontific. nov. lib. 2. eod. tit.* §: *Ut ergo, Vailens. in decret. lib. 2. tit. 13. §. 5. n. 2.*

Die 20. Febr. 1770.

81) Probatio.

Vd. *Beneficium* (collatio ab Episcopo p. 413); p. 394. n. 22. et 23; p 530. e.

Burgi.

Ubi in dubio appareat de una collatione facta per Ordinarium, talem capellaniam censeri beneficium sancivit *Rota coram Crescens. dec. 112. alias 136.*; profecto usus trium saeculorum, quibus episcopalis institutio decies continenter delata est, omnem plane dubitationem propellere certo certius videtur, cum praesertim in dubio pro qualitate ecclesiastica beneficii pronunciandum esse monet *Pitonius de jurepatr. alleg. 49. num. 44.*

Die 22. Junii 1833.

Melevitana.

Alio etiam ex capite patronus Bonavita nihil eidem id obesse arguit, asserens, de simplici legato pio, quod olim ibi animagium nuncupabant, non vero de ecclesiastico beneficio decertari. Petro siquidem filio ac post ejus obitum ceteris ex ipsorum familia descendentibus titulo legati pii adsignaverunt fundatores clausuram terrae, quin vel ecclesiasticum ipsis onus injicerent vel de canonica per ecclesiasticam auctoritatem constitutione quidpiam edixerint vel ullum de ea deinceps reperiri fas sit monumentum. At ubi conditiones id genus defuerint, jam non est de ecclesiastico beneficio quaerendum, cum laicalis dumtaxat capellania habeatur, *Fagnanus cap.: Ad Audientiam num. 100. de rescriptis*, S. C. *Nullius Sublacen. 3. Jul. 1819* §: *Primum;* quam nisi ab auctore interdictum fuerit non modo ab iis, qui non sint clerici, sed a foeminis etiam et ab infantibus rite obtineri posse pervulgatum in jure est. *Navarr. Consil. num. 11.*, S. C *Civitatis Castelli 1. Februarii 1766, Anconitana 12. Maji 1770.*

Die 3. Aug. 1833.

Melevitana.

Institutionem beneficii s. Petri in Bringemna ab Episcopo conferri ac proinde ipsum veri nominis beneficium esse, non simplicem capellaniam laicalem, ut patet in *Novarien. Capellaniarum et distributionum diei 19. Julii 1828* ac docent *Garz. de benef. part. 1. cap. 2. num. 93.*, *Pignatell. consult. can. 143. num. 47.*

Die 20. Mart. 1830.

82) Promissio ad beneficia vacatura.

(Nulla est.)

Vd. *Gratia expectativa; Beneficium* (collatio beneficii non vacantis p. 398. *e*).

Romana.

Quascumque gratias *ad vacatura* jam concessas abrogavit easque non amplius esse concedendas decrevit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 24. cap. 19. de reform.* et in specie promissiones vel nominationes ad ecclesiasticum, antequam vacet, expletas, *ne desiderare mortem proximi videatur*, nullas esse literaliter praescripserunt sacri canones ut videre est *toto titulo de concessione praebendae* et signanter *cap. 2., 3. et ultim.*, necnon *cap.: Illud de jurepatr.*, et consentanee firmarunt *Lotter. de re benef. lib. 2. quaest. 6. num. 1. et seqq.*, *Rot. cor. Dimozet. Jun. decis. 956. num. 13. et 14.* et cor. *Ansald. decis. 249. num. 6.*, quodque hic agatur de capellania ecclesiastica nedum ex mente testatoris, dum dixit: *che si erriga una capellania perpetua*, sed etiam ex illius erectione, intercedente ordinaria auctoritate, facta et ex institutione ab Ordinario data primo capellano contrariis respondens latissime tuetur, *Piton. de controv. patronor. allegat. 31. per tot.* et in specie *num. 8. cum plurib. seqq.*

Nec juvare posse videtur triennalis possessio*) capellaniae, quia haec regula, ad differentiam decennalis possessionis, etiam titulum requirit, ita ut triennalis possessio sine titulo non sufficit, *Rigant. in suis comment. ad regul. 36. cancellariae num. 90.*, quinimo si in continenti constet de nullitate tituli, possessio triennalis utcumque pacifica suffragari non potest, ut ex concordantibus firmat *Rigant. loc. mox citata num. 140.* et firmavit *Rota cor. Priolo decis. 40. num. 14. et dec. 395. num. 20. et seq.* et *cor. Molin. decis. 866. num. 21. et seq.*

Die 15. Jan. 1780.

*) Vd. *Beneficium* (possessio p. 757. b.).

83) Provisio de beneficio, de cujus possessoris morte nihil certe constat.

(Ab Episcopo facienda.)

Vd. *Beneficium* (collatio ab Episcopis p. 413; collatio benef. non vacantis p. 398. e.).

Placentina.

Erectum extat in parochiali et collegiata ecclesia Castri s. Joannis de Olubra Placentinae dioecesis beneficium; cujus fundationis tabulae etsi desiderentur, ex immemoriali tamen traditione constat de jurepatronatus laicorum haberi nec onere adstringi alio, quam trium Sacrorum qualibet hebdomada in praefata ecclesia litandorum cum redditu puro in argenteis nummis circiter quinquaginta.

Beneficio hujusmodi cum potiretur legitime sacerdos Placentinus Joannes Baptista Sbalbi, homo tunc binos supra sexagesimum annos natus, contigit sub anno 1813, ut Januam porrexit causae cujusdam orandae gratia nullo sive beneficio ipsi sive bonis suis constituto curatore ibique aliquot dies permanserit. Ast die quadam frustra ad plurimam sane noctem expetitus est in hospitio, quod incolebat et in quo suas res asportaverat: imo nec Januae nec alibi amplius apparere visus est nullaque in irritum cessis exquisitis Januensis gubernatoris diligentiis et perlustrationibus haberi valuit de eodem notitia; ideo ut fama undique percrebuerit eum a praedonibus sub vesperam expoliatum et in pelagum demersum fuisse. Hinc porro factum est, ut ejusdem legitimi haeredes quinquennio elapso post citationes frustra vulgatas facta inter se compositione bona illius vendiderint pretiumque inter se partiti fuerint et inst4iterint apud episcopalem curiam, ut fructus beneficii*) usque ad eam diem perceptos assequerentur; quod sane obtinuerunt designato pro futuro tempore ab Antistite administratore, qui fructus percipiendos asservaret.

Res ita processerunt ad annum usque superiorem, quae nec minimum immutatae sint; beneficiumque manet adhuc sub curatore. Anceps at vero Antistes de modo tenendi super beneficii provisione postulatum desuper expositis adjecit in ecclesiae suae relatione ad s. hunc Ordinem, quo declarari cupit, an beneficium, de quo agitur, suo rectore providere debeat et qua ratione id exequi valeat. Idem vero Antistes iterum rogatus de re more novas incassum adhibuisse perquisitiones significavit ad presbyterum Sbalbi reperiendum: deditque, prout retuli, scitu necessaria, ut EE. VV. definire valeant pro sua sapientia controversiam.

Casum de quo agitur spectans primo Placentinus Antistes ex capite absentiae beneficiati non ambigit minimum, quin idem subjici possit censurae Tridentinae synodi *sess. 24. cap. 12.* et *sess. 23. cap. 1. de ref.*; cum enim ibi de beneficiis choralibus tantum vel curatis disponatur, correcto jure communi non est cur ad alios casus dispositio porrigatur, ut perpendit etiam *Fagnan. in cap.: Ex tuae lib. 3. decr. de cleric. non resident. num. 35.*

Dubitat vero: an sub censura veniat capitis: *Ex tuae lib. 3. decretal. de clericis non residen.*, ubi statuitur: *In ecclesiis eorum, qui se fraudulenter absentant nec ad ipsos valet citatio pervenire, trinae citationis edictum facias publicari: etsi nec sic curaverint obedire et ultra sex menses suas deseruerint ecclesias juxta sanctiones canonicas eis debent merito spoliari.«* Flagitat itaque Placentinus Antistes an trina citatione opus habeat et sex mensium mora, ut presbyterum Sbalbi contumacem valeat beneficio privare.

Animadvertendum at vero est in praefato capite rem esse de beneficiis *residentialibus*, id enim et contextus ipse patefacit et tradit expresse *Fagnanus* in magistrali ejus capitis commentario *n. 36. in fin.*, cui omnes consonant DD. Et sane ratio nulla est, cur dispositio pro residentiali beneficio edita protrahi in casu queat ad beneficia etiam simplicia et non residentialia; si enim, *ubi residentia non est necessaria, ibi absentia est licita* (ut tot verbis ait *de Nigris de vacat. benef. lib. 2. cap. 13.*) *idque verius est et rationi magis consentaneum*; causa nulla est, ut absentis pervicacia, sicut in beneficiis residentialibus, beneficii privatione puniatur: idque firmat memoratus Auctor ex sententia ipsa Innocentii in *cap. fin. de clericis non residen.*, ubi quod clericus absens privari non potest beneficio, quod residentiam non requirit, nisi aliud exigat utilitas aut necessitas ecclesiae.

Subinde negocium perpendit Episcopus ex capite vacationis expetitque, num conferri possit beneficium sive uti derelictum sive uti vacans per obitum possessoris. Derelictum sane beneficium suadent tot annorum lapsus absque ullo de vita Sbaldi nuntio: ejusdem diuturna, nullo beneficii relicto curatore, absentia et caeterae superius enarratae facti circumstantiae: nihilominus cum de simplici non residentiali beneficio agatur, non ita facile praesumenda videtur ejusdem de-

*) Vd. *Beneficium* (fructus post obitum beneficiati etc. p. 568. *i*).

relictio; si quidem illud ubique retinere liceat et nemo ordinario praesumitur a se abjicere commodum, cui nullum fere pondus respondet; et si fructus per aliquot annos non exegerit beneficiatus, non inde sequi videtur necessario titulum resignare voluisse, quod facultatem reservabat ad fructus perceptionem quoties animus fuisset redeundi. Et profecto de ipsis etiam beneficiis residentialibus quoties lapsum sit decennium absque ulla notitia vitae beneficiati, adeo ut beneficium dici possit derelictum, trinam tamen citationem adhibendam esse, antequam id rite probetur et sex mensium moram, antequam alter de eo beneficio provideri valeat ad formam *cap.: Ex tuae sup. cit.* tradit *Rigant. in comment. ad reg. 21. cancell. n. 58. et 59.**)

Pari modo vacans dici debere beneficium clerici vagabundi, de quo dubitatur: an vivat vel mortuus sit ita ut ab Ordinario absque ulla juris forma, dummodo tempus congruum ejus arbitrio lapsum sit, alteri conferri libere possit, eruit *de Nigris loc. cit. n. 4. ex gloss. in can.: Non oportet de consecrat. dist. ult. in fin.*, ubi: »*Si autem clericus tamdiu absit, quoad dubitetur an vivat vel mortuus sit, desinit habere liberam administrationem.*« Ea videlicet ratione, qua datur successoribus ab intestato immissio ad bona haereditaria absentis, si ignoratur an absens vivat necnon, *Rot. decis. 556. n. 15. cum seq. part. 19. tom. 2. rec.;* et ratio est, quia ubi juste dubitatur de morte seu vita clericus statim desinit habere administrationem ecclesiae et quodammodo beneficium ipso jure vacare censetur. Hoc autem confirmat exemplo servi profugi, in quo ex *L. libera peculii ff. de peculio*, si de ejus morte aut vita dubitatur, libera peculii administratio a domino concessa expirat, cum *Andrea Barbat. Sicul. 11. num. 11. lib. 1., Salsed. prax. crim. cap. 52. num. 4.* derivatque argumento ducto a cap.: *Exituae n. 4. de cler. non resid.* et *Abbate in cap.: Quoniam frequenter n. 10. ut lite non contestata.*

Rem vero magis praecise explicat et veluti acu tangit *Rigantius in reg. 21. cancell. n. 54. et seq.* Animadvertit enim non in dubio quolibet vitae vel mortis beneficiarii provideri posse per obitum absentis beneficium, sed necesse esse, ut adsit certus nuncius aut certitudo saltem moralis de morte illius possessoris. In primo quidem casu, pergit, desinere absentem habere administrationem beneficii, ad gloss. in cit. *can. non oportet: ver. proficisci de consecrat. dist. 5.* sed non privari titulo, sicuti examussim in terminis bonorum prophanorum, ubi nonnisi incertus rumor feratur mortis absentis datur dumtaxat haeredibus legitimis illius bonorum administratio cum cautione, ut eruere est ex magistrali *Romana Administr. 20. Febr. 1673 in princ. cor. Priolo;* nec conceditur successio nisi adsit certitudo saltem moralis ejus obitus, juxta casum strenue disputatum in ead. *Romana et in alia decis. superius memorata 556. par. 19. tot., Rebuff. in praxi tit. de reprobat. benef. vivent. impetrat. n. 52. §: Quia sicut.*

Spectandum itaque est utrum in themate ea adsint indicia, quae hanc valent moralem certitudinem evincere; qua in re cum nihil in jure statutum sit remittenda decisio potius arbitrio judicis est, qui rerum circumstantiis ponderatis eamdem arguere valebit juxta *Rot. in cit. Rom. in recent. num. 17., Farinac. in fragm. verb. mors. num. 308. cum seq., Peregr. de fideicom. art. 43. num. 37. et 40., Fontanel de pactis nupt. caus. 4., gloss. 9. par. 5. num. 136., Rigantius loc. cit. n. 51.*

In facti specie moraliter certam reddere videntur beneficiarii mortem validissimae circumstantiae; et quod scilicet per viginti et octo fere annos nec minimus habitus fuerit nuncius de illius vita, ut inde fama illius mortis vulgaretur; et quod res suas nulli omnino discedens curandas dederit aut de eisdem per literas aut alio quovismodo absens sollicitus fuerit; et quod cessante discessus causa nunquam redierit; et quod frustra Januense gubernium de eo percontatum fuerit; et demum personae qualitas et aetas, quae hodie nonagesimum fere annum excederet. Atqui mortuus praesumitur, de cujus vita vel per quinquennium non fuit habitus nuncius, ad *text. in L. uxor. cod. de rep., Peregr. de fideicom. art. 43. num. 44.*, eo magis si fama mortis accesserit ex urgentibus causis progressa, quam moralis evidentiae et probationis vim habere tradunt *Bart. in tractat. de testib. 38. post princ., Farinac. fragm. par. 2. verb. mors. num. 318.* et *Rot. decis. 496. num. 2. par. 2. recent.* eamque famam magis augeri ex qualitate personae et circumstantiis firmant *Alex. n. con. 25. num. 5. lib. 4., Viva decis. 243. num. 7. et*

*) Vd. *Beneficium* (reservatum ss. Pontifici juxta regul. cancell.).

seq., necnon ex diligentiis per judicem criminalem frustra adhibitis, *Bartol. in L. 2. §: Si dubitetur num. 1. ad finem quomodo testam. aper., Mascard. de probat. concl. 1076. numer. 2., Peregrin. de fidcom. art. 43. num. 13., Magon. Decis. Lucen. 44. num. 9.* Et absentem, qui cessante causa discessus non reddit, credendum dolo vel casu vita privatum docet *Rota in cit. Rom. cor. Priolo num. 30.* Postremo gravissimum obitus argumentum est aetas hominis nimis longaeva, ad *Menocchium de praesump. lib. praes. 49. per tot.*

Hac in re taxari solet apud DD. magis longinqua hominis aetas usque ad centesimum annum, cum *L. ult. cod. de sacros. eccl.* At sententiam hanc ita accipendam esse laudatus Auctor monet *loc. cit. n. 1.* ut praesumendum quidem non sit hominem vivere plus centum annis, sed non inde arguendum hominem vivere centum ipsos annos, quia etsi possibile aliquando sit hominem illud aevum attingere non est tamen verisimile, quippe raro contingere soleat; hinc argumento ducto ex psalm. 89., ubi legitur: »*Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni; et amplius eorum labor et dolor,*« additaque quotidiana experientia infert ordinariam hominis vitam arctandam esse ad annum octuagesimum.

Quatenus porro hodie idem beneficium neque vacaverit neque conferri valeat, postulat Episcopus, ut EE. VV. significent, quantum temporis sit ab ipso expectandum necnon quomodo se gerere debeat, ut inde beneficio aliquo modo consulatur; quod ex enucleatis hucusque facti adjunctis et juris animadversionibus colliget EE. VV. sapientia et prudentia quibus proponimus dubium:

An et quomodo procedere possit Episcopus ad provisionem beneficii in casu?

S. C. resp.

Affirmative et esse locum novae provisioni ad instar vacationis per obitum.

Die 28. Aug. 1841.

84) Qualitates exprimendae.

Vd. *Benef.* (reservatum ss. Pontifici juxta regul. cancell. regul. 57).

85) Reductio.

Vd. *Missa* (reductio etc.); *Beneficium* (applicatio, mutatio, suspensio).

86) Regulares possidere possuntne?

Vd. *t. I. p. 1038.* Constit. Bened. XIV.: *Cum nuper*; *Beneficium* (saeculare, regulare).

87) Regulare.

a) Concursus.

Sine concursu conferuntur beneficia regularia, quae regularibus conferri consueverunt, sic decisum fuisse a sac. Congreg. Concil. referunt *Piasecius in prax. nova Episcop. cap. 5. num. 18. vers.: Hoc decretum, Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 6. n. 162., Garcias de benefic. p. 9. c. 2. num. 197., Rota p. 4. tom. 1. dec. 88. n. 8. et dec. 120. n. 5.*, ubi dicit sic declarasse sac. Congreg. Conc.: sine concursu conferuntur beneficia regularia curata, licet clericis saecularibus commendari solita, *sac. Congregatio Concil. 3. Aug. 1600.*

b) Qui possunt possidere?

Ad beneficia regularia, ut abbatiae, prioratus et alia administrationem habentia assumi nequeunt nonnisi professi de tempore eorum provisionis, *text. in cap.: Cum caus. de elect.* et *cap.: Nullus, eodem tit. in 6.* et Concil. Trid. *sess. 14. cap. 10.* et auctores quamplurimi apud *Rigant. in reg. LIX. cancellar.*

Aliquando ex benignitate et apostolica dispensatione etiam actu non professi ad commemorata beneficia regularia promoventur, cum obligatione vero emittendi professionem, *Rigant. ut sup. n. 11.*

c) Quod est?

Vd. p. 521. c.

88) Reintegratio.

Vd. *t. I. p. 458.: Compsana.*

Nullius seu Sublacen.

De omni re sua postremis tabulis anni 1807 disponens Foccheti oppidanus *Aphilarum* capellaniam instituit *meramente laicale* injuncto onere duplicis missae in menses singulos. Capellanum vero nominavit pronepotem suum Bartholomaeum Fochetti Benedicti filium, qui celebratione missarum satisfacere curaret cum eleemosyna obolorum decem pro qualibet missa; et praeterea cum fratre suo Amadeo natu minore atque parentibus deberet frui bonis capellaniae

addictis. Sublato vero Bartholomaeo ejus filios et successores ex linea masculina substituit; quibus deficientibus vocavit Amadeum atque hoc defuncto ejus filios masculos, his omnibus lege adjecta communicandi usumfructum cum fratribus aut parentibus quatenus adessent, atque in defectu masculorum vocavit filios ex feminis.

Post testatoris mortem pessime haereditatem administravit Bartholomaeus Fochetti capellaniae hodiernus possessor sive potius ejusdem pater Benedictus, qui bonorum administrationi praefuit. Nam alienatis pluribus fundis tanta nunc egestate laborat, ut solvere non alio modo possit scuta viginti sacerdoti Ponzioni, qui missas celebravit, nisi facta cessione cujusdam census haereditarii in sorte scutorum duodecim, sed difficilis exactionis. Itaque Bartholomaeus preces dedit Ss. Pontifici, ut auctoritate sua probaret factas alienationes, ne aquirentes ludificati remanerent vel ipse molestias ab ipsis feret, atque praefati census pro debitis missarum eleemosynis cessionem probare. Delegatis precibus huic s. Congregationi rogata est sententia Emmi Abbatis, qui haec ad rem suppeditat.

Scilicet haereditatem Petri constitisse ex fundis, censibus, creditis, armento, mobilibus in summa ferre scutorum duorum millium: Bartholomaeum alienasse quinque pretia terrae, domum et credita nonnulla exegisse, quin acceptam pecuniam in investimentum favore capellaniae intulisset in scutis 396. 66, praeterea vendidisse octo argentea mensae armamenta, vulgo *posate*, et quatuor boves: has patrasse alienationes non necessitate coactum, sed ut lautiori mensae indulgeret, quam ejus conditio ferret: *Missas* viginti sex inadimpletas manere mense Septembris 1815: adesse alium Bartholomaei fratrem minorem Amadeum Fochetti, qui in capellania substitutus est: nullas vero esse foeminas et extinctis lineis ex utroque fratre devolvi jure descripto substitutionis successionem ad Vincentium Gactani et Bartholomaeum Mancini. Ex his Emmus Abbas suam informationem ita concludit: *Res quidem per se ipsa peteret, ut contra fas alienati fundi caeteraque bona ad pium legatum quoquo modo pertinentia juridicis etiam adhibitis adjumentis recuperarentur, id tamen et non parum temporis laborisque postulare videtur et si quidem exitum haberet, nescio quid futurum de oratore esset, in quem facile agnoscitur convertendas fore a deceptis creditoribus molestias. Quocirca id postulandum sibi censuit ab apostolica Sede perperam factarum alienationum approbationem, cui tamen obstare per se videtur jus reliquis in futurum tempus ad capellaniam vocatis competens etc. Interea, ne missarum celebratio a conditore capellaniae praescripta negligatur, Vincentius Gactani et Bartholomaeus Mancini, qui ut ex testamento apparet devolutionis jure ad emolumentum capellaniae vocantur et se paratos declarant ad praedictae celebrationis onus sibi summendum. Malo quidem satis gravi remedium afferri oportet. Num vero tum oratoris tum praedictorum Vincentii Gactani et Bartholomaei Mancini postulatis annuendum sit, an aliam inire viam expediat, quae conservandae capellaniae implendisque oneribus a pio testatore relictis consulatur EE. VV. prudentiae adjudicandum relinquo.*

Quominus orator Bartholomaeus Fochetti impetret tum sanationem patratarum alienationum tum facultatem cedendi census in sorte scutorum duodecim sacerdoti Ponziani pro eleemosyna missarum celebratarum in scutis viginti, duo obstare videntur, voluntas nimirum fundatoris et praejudicium eorum qui in capellania substituti sint, vetuit enim fundator, ne bona capellaniae assignata alienarentur; secus capellanos ab eodem caducatos voluit et ad substitutos successionem in capellania deferri jus sit. Cum sancte custodienda sit testatorum voluntas, *ex can. Ultima voluntas 13.*, tum nulla subest justa causa, cur eidem derogetur. Non enim cogente necessitate bona capellaniae alienavit Bartholomaeus, sed ut victitaret lautius. Obstat praeterea praejudicium quod substitutis infertur. Nam patratis a possessore capellaniae alienationibus istis jus succedendi devolvitur. Et quamvis remotiores substituti Vincentius Gactani et Bartholomaeus Mancini consentire videantur, attamen adest Amadeus frater minor natu, qui immediate Bartholomaeo substitutus est, cui praejudicium irrogari nequit. Non impetrata a Bartholomaeo sanatione commissarum alienationum evanescit caducitas et substitutis jus ad successionem quaesitum tollitur.

Observat tamen Emmus Abbas, quod denegata sanatione actio esset pro recuperandis bonis alienatis. Id quod litem longam secum ferret et Bartholomaeum molestiis acquirentium exponeret. Videant igitur EE. PP., num cum oratore indulgentia adhibenda sit. Rursus, num eidem concedendum, ut censum scutorum *duodecim* cedere possit pro eleemosynis missarum in scutis *viginti* non solutis. Utilis quidem esset oratori haec cessio, cum debitum in pecunia numerata dissolveret cum censu in sorte minoris summae et difficilis exactionis. At capellania ad rectoris debitum extinguendum sortem illam ammitteret, quae prae conditione oratoris, quolibet non obstante praecepto, nunquam redintegraretur.

Ut vero celebrationi missarum in futurum consultum sit, Vincentius Gactani et Bartholomaeus Mancini onus illud in se suscepturos spondent, dummodo eisdem adjudicetur vinea, quae ad capellaniam pertinet in vocabulo *s. Maria.* Hoc illi remedium proponunt, siquidem indemnitati capellaniae et testatoris suffragiis jam neglectis prospiciendum sit. At latet qui sit ejus vineae valor et redditus pro eleemosyna missarum, etiam ad praesentem manualem obolorum quindecim requiruntur annua scuta 3. 60. Verosimile est, multo majores fructus vineam ferre, quos sibi perciperent remotiores substituti, nullo titulo et in praejudicium proximiorum.

Notandum de caetero est, as haereditarium Petri Fochetti aestimatum fuisse scutis circiter bis mille. Quamquam bona alienata sint usque ad scuta 396. 66., superesse deberet fundus in scutis circiter 1600., quae residualis dos dummodo subsistat, uno anno exuberantem det oportet redditum nedum pro missis deinceps celebrandis, sed etiam ad extinguendum celebratarum debitum. Erit igitur prudentiae vestrae judicium ferre quomodo indemnitati capellaniae sit prospiciendum et an expediret deputatio ecclesiastici administratoris, qui fructus bonorum capellaniae percipiat et missarum celebrationem tum dimissionem contracti in id aeris alieni curet et quidquid super erit, deducto aliquo annuo deposito, ad redintegranda capitalia distracta, capellano consignet.

Dubium proponitur:

An sint probandae alienationes hactenus factae et permittenda cessio census pro debitis missarum eleemosynis seu potius et quomodo sit providendum in casu?

S. C. resp.:

Scribatur Emmo Abbati juxta mentem. Mens est, ut idem Emmus provideat juris et facti remediis reintegrationi beneficii cum facultate sanandi sequutas alienationes aliisque necessariis et opportunis etiam ad effectum, quatenus opus sit, deputandi administratorem ejusdem beneficii.

Die 3. et 24. Aug. 1816.

89) Renuntiatio.

Vd. *Beneficium* (resignatio, amissio, vacatio — causae —).

a) Nullitas non constat.

Verdunen.

Anno 1723 die vero 14. Januarii Francisca Thonin e loco Bisleé in dioecesi Verdunensi per donationem inter vivos patrimonium quoddam instituit pro familia Joannis Francisci Molet eo consilio ac lege, ut qui ad ipsum fruendum admitteretur, studiis vacare et sacris ordinibus initiari posset. Simul ac autem aliquod beneficium, sive parochiale sive canonicale, is, qui eo frueretur, adeptus esset, patrimonium dimitteret et jus haberet alium nominandi, qui eodem tenore ac forma in patrimonii ejusdem fruitione succederet.

Familia a fundatrice vocata, juxta mentem piae donatricis, hujusmodi patrimonio gaudere potuit usque ad praeteriti saeculi exitum, quo sacra quaeque civiliaque pessumdata ac in Gallia permixta sunt. At vero labente anno 1810 patrimonii illius possessionem recuperare eidem contigit; cum tamen beneficia omnia e medio sublata essent ac etiam parochialia evanuissent, quibus stipendia subrogata sunt, (ceu neminem latet) ut plurimum sine titulo perpetuo a civili gubernio persolvenda, hinc factum est, ut statim ab anno 1810 in usum deductum fuerit circa hoc, de quo agitur, patrimonium ut qui aliquam parochiam etiam amovibilem, (quales ex parte maxima hodie in Gallia ubique fere reperiuntur) consecutus fuisset, patrimonium relinqueret aliumque e vocatorum genere nominaret, qui eadem conditione ac forma possessionem ejusdem patrimonii retineret.

Anno 1852 Nicolaus Baudot hujusmodi praestimonio praeditus ad paroeciam amovibilem Beaulien. s. Rodingi ab Episcopo vicerector renunciatus fuit seseque praedicti praestimonii possessione abdicavit.

Verumtamen Nicolaus Baudot hanc cessionem nullo in pretio habendam esse ratus, quippe quae eam dumtaxat ob causam a se

peracta fuit, ut Episcopo ita jubenti ipse obediret, supplex hanc sacram Congregationem adit, ut declarare pro sua benignitate velit utrum ipse nunc re vera et sufficienter juxta intentionem donatricis beneficiatus sit necne. Consequenter, utrum possit tuta conscientia servare deinceps fructus fundationis illosque percipere et in proprios usus convertere?

Hujusmodi preces ad Episcopum Verdunensem, ex hujusce sacri Ordinis instituto, remittendas curavi pro informatione et voto itemque ut referret, utrum orator in vicerectoris munere inamovibilis sit et beneficium in titulum collativum possideat vel alia adsit incompatibilitas cum enuntiato pio relicto.

Itaque idem Antistes sub die 13. Martii 1854 responsum dedit, quo rei historia praemissa in hanc sententiam animum suum aperire prosequitur:

Ab anno 1802, quo res ecclesiasticae in Gallia per concordatum compositae fuerunt, duae ibidem existunt classes parochorum, alii scilicet cum titulo inamovibili, alii vero quos quidam vocant vicerectores cum titulo ad nutum Episcopi revocabili; unde qui erant ante inamovibilis tituli facti sunt per rerum immutationem omnino amovibiles; tales sunt in Gallia fere omnes tituli parochorum. Sic in mea dioecesi, quae praeter octo canonicatus ecclesiae cathedralis constat 451 parochiis, triginta solummodo sunt cum titulo inamovibili. Munus igitur vicerectoris nec inamovibilitatis nec beneficii proprie dicti privilegio gaudet. Nihilominus, quantum ad praesentem quaestionem attinet, sic verba praedictae fundationis mentemque piae fundatricis interpretatus sum, ut usumfructum ejusdem praestimonii duxerim incompatibilem cum munere vicerectoris et cum jure fructus ei adjunctos percipiendi.

Nec aliter senserunt venerabiles Antecessores mei et merito quidem, ut mihi videtur, salva tamen reverentia sacrae eminentissimorum Cardinalium Congregationi debita. Nam haec interpretatio sponte videtur nasci ex fine, quem evidentissime intendebat pia fundatrix, ut manifesto probant ipsa verba instrumenti fundationis, haec enim verba clare ostendunt, piae fundatricis voluntatem fuisse ut quam plurimi adolescentes beneficio fundationis adjuvarentur ad statum ecclesiasticum amplectendum et ad in eo honeste vivendum. Si vero usufructuarius non deberet beneficium dimittere, nisi post titulum inamovibilem adeptum, jam ordinarie per solam beneficiarii mortem vacaret beneficium, ideoque paucissimi clerici privilegio fundationis frui possent et sic voluntas fundatricis suo principali careret effectu. Itaque ne illud contingat, admittendum est praesentem in Gallia pastorum conditionem eandem esse, saltem respective ad hujusmodi fundationes, quae fuerat antea cum omnes privilegio inamovibilitatis gauderent.

Praeterea sedulo observandum est, quod si sacra Congregatio Concilii judicet meam meorumque venerabilium Antecessorum interpretationem legitimam non esse, jam sequetur usumfructum fundationis non quidem ad oratorem pertinere, sed ad antiquiorem praecedentium usufructuariorum, qui in verbo Episcopi beneficium reliquere, statim ac munus pastoris, titulo licet revocabili, obtinuerunt, quamvis nullum aliud beneficium haberent.

Ubi statui oratorem vero parochi titulo instructum teneri usumfructum fundationis dimittere et transmittere alii clerico, qui ut mihi videtur jus habebat ad fructus praestimoniae colligendos, nihil ultra meram verborum actus fundationis interpretationem agere volui, minime vero judicare rem esse tali modo definiendam.

Nec enim penes me erat judicio definitivo controversiam dirimere, siquidem quidquid litigiosum apud nos exurgit sive quoad possessionem sive quoad usumfructum etiam piarum fundationum semper tribunalibus civilibus dirimitur. Et revera nisi controversiam inter contendentes, ut dictum est, compressissem, res ad civilia tribunalia mox erat deferenda, unde debui, tum pacis gratia et ut avertatur scandalum, tum ut quod justum mihi videbatur statueretur, definire fructus beneficii ab alio clerico deinceps esse percipiendos.

Tandem ut res brevius firmiusque concluderetur, duxi relinquendum D. Berdot facultatem eligendi inter utrumque scilicet beneficium fundationis vel titulum amovibilem parochi ipsi dicens:

Mihi non videtur licitum te in utriusque simul possessione linquere, elige igitur. Si prius retinere persistas, statim titulum parochialem ad alterum sacerdotem transferam, si vero posteriorem hunc eligas, necesse est ut usumfructum praestimoniae dimittas. Porro orator statim cum plena libertate, minime vero coactus, beneficium fundationis cessit.

Nunc vero, quidquid de hac re definierit sacra EE. Cardinalium Congregatio, sententiam illius maxima cum reverentia necnon animo obedientissimo ac fidelissimo accipiam observaboque.

Productae praeterea sunt a Victore Denys actuali patrimonii defensore literae, quae a Vicario generali Episcopi nomine scriptae feruntur, ubi narratur Nicolaum Bandot sacris ordinibus inauguratum fuisse, ut ceteri omnes clerici in Verdunensi dioecesi viginti abhinc annis, cum dispensatione tituli. Verum independenter ab omni titulo clericos omnes pro certo habere, se usque ad supremum vitae diem redditibus ad honestam sustentationem sufficientibus fructuros, nisi prava morum vitaeque ratione sese indignos exhibeant; quo etiam casu non sine subsidio derelinquuntur. A maxima omnino sacerdotum parte sua officia iisque adnexos redditus usque ad obitum asservari; siquidem a tempore concordati anni 1802 semper presbyterorum numerus paroeciarum numero inferior fuerit; hinc nunquam ii ne officiis et substentatione carerent periculum exstitisse. Illis vero, qui ratione senectutis aut infirmitatum in exercitio ministeriorum pergere non valent, tum in subsidiis a gubernio hunc in finem decretis tum in aerario pro recedentibus ab officiis tam feliciter in dioecesi Verdunensi constituto media ad honestam substentationem sufficientia nunquam deesse, quae septingentis aut octingentis argenti numeris (franci) saltem constant, ut ex rationibus, quae singulis annis proferuntur, facile compertum omnibus fieri potest. Hinc nemini, etsi absque titulo sacris ordinibus adscripto, ne ad angustias vitae et ad turpem necessitatem adigatur, ullum metuendi locum subesse.

Secundo, nullam constare notitiam fuisse in saepius dicta dioecesi, ante annum 1802, paroecias, quarum tituli ad nutum revocabiles exstiterint; eo revera tempore reperire quaedam vicariorum officia, quibus adnexa erat residendi obligatio; titulos vero paroeciarum nunc existentium, qui hodie ad nutum sunt amovibiles, tunc inamovibilitatis benficium sortitos fuisse. Unde concludit Vicarius generalis fundatricem praestimonii, declarando jus omne usufructuario arvi frumentarii ad hujus fructus percipiendos statim auferendum esse ac ille titulum parochi adipisceretur non potuisse, cum ejusmodi instrumentum conficeret, alias paroecias prae oculis habere, quam eas, quae nunc amovibili titulo donantur sub nomine Succursalium.

Hisce literis innixus Victor Denys sese a possessione praestimonii exturbari non posse contendit, cum praesertim, si Nicolaus Bandot jus haberet in possessionem regrediendi, jam et alius, qui eidem praecessit, eodem jure polleret et sic deinceps gradu retro facto.

Qua de re diligentem texti historiam eorum opus esse, qui ab anno 1810 usque ad Nicolaum praestimonium consecuti sunt quique fere omnes possessionem reliquerunt simul ac parochiam aliquam amovibilem obtinuerunt.

Ad haec respondit orator ex ipso fundationis instrumento manifestum fieri eam fuisse donatricis mentem, non solum ut adolescens e sua familia ad sacros ordines suscipiendos adjuvetur, sed imo ut clerico media certa suppetant honestam in statu ecclesiastico vitam ducendi, donec beneficium aliquod curatum aut canonicatum pacifice possideat, seu aliis verbis, eodem vero sensu, donec titulo potiatur inamovibili, vi cujus omne periculum honesta sustentatione carendi ab ipso removeatur.

Jam vero titulares paroeciarum ad nutum amovibiles, quales nunc in Galliis extant, sub nomine *Deservientium* haud sane tanquam sufficienter sensu donatricis beneficiatos existimandos esse; quam quidem sententiam esse affirmat nonnullorum Galliae Praesulum necnon praestantissimorum doctrina jurisperitorum, quos orator ea de re in consilium adhibuit, veteres nempe beneficiatos minime omnino hodiernis Deservientibus aequiparari posse et quidem sequentibus argumentis ab iisdem confirmari.

Veterum beneficiatorum redditus ac proventus, etsi saepe valde tenues, firmiores tamen erant certioresque subsidiis, quibus nunc fruuntur Deservientes, quae plerumque quadam tantum pecuniae summa constant a coetu legislativo pluribus suffragiis quotannis statuta quaeque perturbationibus nostra aetate tam frequentibus in dies fiunt magis ac magis precaria. Beneficiatus insuper si in mortem incideret, omnis sua ope non exuebatur, secus vero nunc Deserviens, qui ob infirmitatem e suo officio cadit. Opponi

quidem posse aliquibus videretur, in nonnullis dioecesibus et praesertim in Verdunensi aerarium quoddam suppetere ex modica pecunia conflatum, quam omnes presbyteri quotannis, specie aliqua tributi, in curia episcopali deponunt, ex qua emitur a gubernio jus ad redditus annuos, quorum ope sacerdotibus senectute, paupertate et morbo confectis subvenitur. Ast institutio hujusmodi e mutua fratrum in sacerdotio affectione orta longe adhuc abest, quin indigentiis pauperum praesto sit.

Accedit disparitatis ratio eo quod olim beneficiatus nunquam nisi post legitimas informationes canonicumque judicium beneficio ne ex parte quidem privaretur; nunc vero aliter se habet Deservientis conditio. Siquidem literae quibus in officio suo instituitur ad nutum sunt revocabiles, ut verba ipsarum ferunt, ad beneplacitum nostrum dumtaxat valiturae. Unde nemini perspicuum non sit, evenire haud semel posse, ut Deserviens falsi criminis insimulatus ex inopinato Ordinarii sui gratia necnon officio dimoveatur quin ipsi liceat ad ullum appellare tribunal.

Tandem ex iis, quae usque ad hodierna tempora gesta sunt, orator in jus suum arguit. Nempe ait ante et post luctuosam anni 1793 perturbationem presbyteri omnes, qui e familia fundatricis praestimonio donati sunt, hujusmodi fructus omni tempore quo parochorum vicarii exstiterunt nunquam non percepere, etsi eodem tempore non deessent alumni ordinibus sacris initiari cupientes. Ita primus, qui fuit titularis Joannes Franciscus Molet, cum vicarius parochi et capellanus independens designatus fuisset, nihilominus praestimonium servavit, donec titulum inamovibilem divitis paroeciae, cui nomen erat Villers-sur Mense, obtinuisset, tunc tantum praestimonium cessit favore cujusdam alumni, deficiente presbytero haud beneficiato ut constat ex sententia curiae ducalis Nancciensis die 22. Januarii 1748 edita. Haud secus postea Franciscus Ludovicus Thonin presbyter et capellanus praestimonio usque ad obitum idest usque ad diem tertiam Septembris 1780 pacifice gavisus est. Porro statu vicarii parochialis nullo pacto stabiliorem esse, animadvertit, Deservientis conditionem hodiernam qui etiam titulo aequipollenti vicerectoris ab Episcopo ipso appellatur; redditus insuper Deservientis persaepe fructibus, quibus vicarius fruitur, inferiores esse.

Seipsum in hujusmodi conditione hodie versari exponit. Sine patrimonio curam habens cum titulo Deservientis seu vicerectoris cujusdam paroeciae medias inter sylvas ab omni civitate remotae, cujusque incolarum maxima pars extrema laborat inopia, vehementer dolet de mediorum deficientia, quibus ipse eorum angustiis subvenire liceat, quantum suae erga oves sibi commissas paternae pietati optabile foret.

Fatetur, se in scriptis praestimonii fructibus cessisse, sed vi renunciationis nihil de suo jure imminutum fuisse arbitratur, siquidem Ordinarii mandato coactus id egit, ne titulum Deservientis ex voluntate Episcopi sibi expresse denuntiata statim amitteret.

Super haec a partibus disputata animo recolere praestabit quae statuit Tridentina Synodus *sess. 21. c. 2. de reform.*, ibi:

Cum non deceat eos qui divino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, usque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit, ut aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assummendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti.

Constat exinde quanta diligentia studioque Tridentini patres praecavendum voluerint ut ordinandorum substentationi in perpetuum firmissimis quibusque modis consultum foret. Qua de re haec sacra Congregatio nullo non tempore in suis declarationibus docere destitit, ordinationis titulum, sive is in beneficio sive in pensione sive in patrimonio constitutus sit, certum ac perpetuum esse debere, omni remoto periculo ne ordinatus

eodem destitutus et expoliatus abeat emendicatoque pane victitare cum ordinis dedecore cogatur. Satis est consulere *Benedict. XIV. in instit. eccles. 26.* et hanc ipsam s. Congregationem in *Brugen. Ordinat. die 24. Aug. 1850* necnon in *Mediolanen. Tit. s. Ord. 3. Martii anni 1855.*

Huic Tridentinae sanctioni concinit piae donatricis dispositio, quae diserte praescripsit patrimonium ab eo qui in ejus possessionem devenerit esse retinendum usque dum beneficium ecclesiasticum idque vel canonicale vel parochiale obtinuerit, quibus verbis provisio stabilis ac perpetua absque dubitatione intelligitur, quemadmodum tale esse beneficium ecclesiasticum, quod natura sua jus perpetuum importat, quisque novit qui canonicae jurisprudentiae limina salutavit. Jam vero munus vicerectoris ab oratore exercitum est amovibile ad nutum Episcopi. Ad verba literarum, quibus vicerector declaratus est: »Te in vicerectorem parochiae vulgo »Beaulieu« sub invocatione s. Rodingi constituendum duximus et per praesentes ad beneplacitum nostrum dumtaxat duraturas constituimus.« Itaque conditioni locus factus non esse videretur, qua pia donatrix patrimonium renuntiari jussit. Neque vero objicere fas esset actum cessionis, ab oratore elicitum, cum animarum curam recepit; quamvis enim possit quilibet juri suo renunciare, nihilominus id exceptionem patitur quando agitur de privilegio in favorem ordinis, non vero personae, attributo, quemadmodum evenit in themate ubi insuper provida patrum Tridentinorum mens tot tantisque modis ordinationis titulum vallatum firmatumque voluit. Nihilominus e diverso perpendendae sunt peculiares circumstantiae, quibus in praesenti rerum statu versatur Gallica Natio, beneficia ecclesiastica, quae ibidem hodiedum reperiuntur, ut plurimum sunt canonicatus in templis cathedralibus, iique numero paucissimi, et parochiae, inter quas rarissimae cum titulo perpetuo conferuntur, ita ut in dioecesi Verdunensi; Episcopo teste ex 451 parochiis, quibus dioecesis divisa est, triginta solummodo titulum inamovibilem prae se ferunt.

Itaque actum fere conclamatumque foret de ecclesiastico coetu in eadem regione, si presbyteri pro ordinationis titulo hujusmodi paroecias inamovibiles retinere prohiberentur. Quoniam vero non expedit nec facile foret, hasce paroecias ad perpetuitatem ex revocabili hac conditione redigere, illud necesse est, ut etiam pro ordinationis titulo valide retineri queant.

Huc accedit, quod orator patrimonii possessionem adiit ex renuntiatione sui decessoris ad parochiam amovibilem promoti; si igitur nulla declaranda sit cessio ab eodem favore Victoris Denys elicita, jam patrimonium ad dictum oratoris decessorem gradum faceret et fortasse retro etiam ad alium et alium.

Praeterea Episcopus oratori optionem fecit, ut vel patrimonium retineret nec parochiam acciperet, aut parochiam acciperet et patrimonium desereret.

Nemo fuit, qui unam potius quam aliam eligere partem eum coegerit.

Hisce sive a partibus expositis sive ex jure et facto ex officio animadversis, pro ea qua praestant, sapientia Emmae VV. dignentur resolvere dubium:

An constet de nullitate renuntiationis ab oratore peractae, ita ut sit locus restitutioni in integrum in casu?

S. C. resp.:

Negative in omnibus.

Die 26. Jan. 1856.

b) Nullitas constat.

Cum parochus oppiduli cujusdam ob malam cum muliere consuetudinem vitamque inhonestam populo spirituale offendiculum praeberet, ab Episcopo dioecesano ea de re edocto, pluribus identidem punitionibus affectus est. Quoniam vero a pravo vitae instituto non deflectebat neque ulla resipiscentiae signa suppeditabat, idem Episcopus de uno ad aliud coenobium ad spiritualia exercitia peragenda ablegabat, quin suae unquam paroeciae redderetur. Hoc in rerum statu parochus, inscio Episcopo, Romam se contulit et S. C. Ep. et Reg. suas querelas detulit, plura ejus, quam ipse se ab Episcopo pati asserebat, vexationis argumenta depromens. Itaque S. C. Episcopo preces remisit eumdemque hortatus est, ut de criminationibus, quae in oratorem congerebantur, juxta normas a jure canonico praescriptas inquireret.

At vero Episcopus, qui parochum alias jam ad renunciationem beneficii parochialis inducere nequicquam adnisus fuerat, hasce

tractationes resumere maluit easque validius urgere, alia parocho adpromissa adsignatione, unde substentationem haberet: quae res e sententia Episcopo cessit. Nam parochus aliquando tandem animum induxit, ut paroeciae nuncium mitteret et in ejus locum portionem in ecclesia receptitia alterius oppiduli assequeretur. Itaque die 15. Augusti 1859 actum renunciationis sponte ac libere, uti ajebat, emissae episcopali curiae in scriptis tradendum curavit. Curia sub data ejusdem diei actum acceptationis edidit, in eoque a parocho *juramentum corporale* (idest veluti personaliter elicitum) superadditum fuisse legebatur. Sciendum tamen, quod eo die 15. Augusti porochus a civitate dioecesis principe, ubi curia extabat, in alia civitate versabatur, quae triginta vel quadraginta milliaria a curia distabat. Ex quo manifestum erat, actum acceptationis perfici nequivisse eodem die, quo renunciationis actus prodierat, multoque minus fieri potuisse, ut parochus tamquam praesens juramentum eliceret, nisi bilocationis munere prodigialiter gavisus esset; neque enim ceteroquin ferrea suberat, quae curribus vaporiferis brevi devorari posset.

Nihilo tamen secius parochus ad memoratam receptitiam ecclesiam illico profectus erat, in eamque ab ejusdem clero rite admissus sine ulla contradictione fuerat. Cum pacifice circa duos annos ibidem moratus esset, rei pertaesus iterum ad S. C. Ep. et Reg. suas preces submisit, quibus ad renunciationem se per vim coactum fuisse lamentabatur; eam igitur uti nulliter emissam declarari postulabat, cum praesertim actus acceptationis duplici falsitatis vitio laborans, nempe *datae* et corporalis juramenti, ut superius adnotatum est, tamquam non elicitus haberi deberet.

Quae rationum momenta pro parocho afferentur.

Renunciatio beneficiorum juxta sacros canones valida dici nequit, nisi certae definitaeque servatae fuerint solemnitates. Et quamvis inquisitio omitteretur, an earum implemento locus factus foret, attamen illud praecipuum ac primum inspiciebatur, ut satis non sit renunciationem a beneficiato emitti, nisi a Superiore formiter acceptetur. Atqui in themate planum erat, a Superiore acceptationis actum non fuisse editum: quod enim nulliter actum est nullos parit effectus. Porro de nullitate dubitari plane non poterat; die siquidem 15. Augusti acceptatio facta fuisse dicebatur et insuper ab oratore juramentum prolatum coram fuisse, cum reapse neutrum veritati initeretur.

Perperam vero objiceretur necessarium non esse, ut renunciatio et acceptatio uno eodemque contextu absolvantur, perinde ac potuerit Episcopus acceptationem omni demum tempore perficere. Respondetur enim id tum verum esse, cum res adhuc integra est, videlicet quando renuncians actum renunciationis nondum revocaverit, minime vero cum secus fuerit, prout ab oratore factum fuisse per preces S. C. allatas plane constabat. Vid. Ferraris V. *Renunciatio n. 32. ac 33.*

Neque itidem ullatenus obesset excipere ab oratore renunciationem ratihabitam fuisse per pensionem in ecclesia receptitia, quam et accepto habuerat et duobus annis re exegerat. Quod enim initio *vitiosum est*, *non potest tractu temporis convalescere;* cum praesertim ageretur de pensione, quae inter beneficia non comprehenditur subroganda titulo paroeciali, quo insuper ceu patrimonio sacro orator utebatur.

Quid contra parochum responditur.

Canonica causa, ex qua oratori parochiam deserere licebat, nedum abunde aderat, quin imo talis erat, ut ipsum ad eam deserendam cogere debuisset, scandalum videlicet quod populo ex inhonesta sua vita exhibebat. Praeterea indubitatum in facto erat, quod orator renunciationis et Episcopus acceptationis actum emisisset: uterque siquidem per extensum inter acta producebatur. Si vero in *data* erratum fuerat itemque in juramento personaliter elicito, error hic nequaquam actus substantiam, sed accidentalia solummodo respiciebat. Etenim iis etiam positis, nequaquam negari potest, Episcopum acceptationi revera locum non fecisse.

Subinde probe novit etiam qui vix canonicae jurisprudentiae limina salutaverit canonicam resignationem bifariam dividi, in *expressam* videlicet ac *tacitam*. Quamquam itaque parumper concedere velles, expressam de qua hactenus locuti sumus attendi non debere, nihilominus declinari non posset alia, quae tum habetur, cum aliquis ponitur actus, qui necessario eamdem secumferat. Sic ex. gr. in emphyteusi si dominus utilis domino directo canonem libere solvit, emphytheusim ipsam idem recognoscere et admittere dicitur. Jamvero orator renunciationem emiserat sub conditione, ut portio sibi in praedicta ecclesia receptitia adsignaretur: si igitur conditionem accepto habuit et renunciationem, quam portio secum ferebat, excepisse dici debet, cap.: *Transmissa 2. de renunc.*, cap.: *Ex ore 3. De his, quae fiunt*, Barbosa *jus ecc. univ. lib. 3. cap. 13. n. 40. et seq.*, Piringh. *lib. 1. tit. 9. n. 3.*, *Reiff. eod. tit. n. 10.*

Utcumque vero se res haberet, cum salus populi suprema lex sit et restitutio parochi ad renunciatam parochiam in spirituale populi detrimentum procul omni dubio processura esset, veluti circumstantiae omnes in casu concurrentes comprobare viderentur, a S. C. specialiter exorabat Episcopus, ut, si quid etiam minus rectum in tota hac rei ratione forsitan admissum fuisset, apostolica sanatione ita sustineretur, ut quod gestum fuerit, in suo robore permanere indulgeatur.

Dubium:

An et quomodo attendendae sint reclamationes oratoris N. in casu?

S. C. Ep. et Reg. rescripsit: *Negative in omnibus*, *firma remanente favore sacerdotis oratoris N. provisione in ecclesia receptitia s. Laurentii, facto verbo cum SSmo.*

Die 8. Maji 1864.

Ex his colliges:

I. Resignationem beneficiorum emitti debere ex certis causis in jure canonico praefinitis eamdemque non valere, nisi a Superiore acceptetur.

II. Renunciationem bifariam dividi, in expressam videlicet ac tacitam.

III. Renunciationes aliquo vitio forsitan laborantes sanari ab apostolica Sede, si aequa et rationabilis causa accedat. *)

*) Qui potest justis de causis beneficiatum suo beneficio privare, quin omnes solemnitates praescriptae observentur, absque dubitatione potest accepto habere renunciationem ab eodem beneficiato emissam, quamvis aliqua solemnitas seu extrinseca forma ad actus validitatem requisita fuerit omissa. In casu autem ad quodlibet dubium removendum s. Congr. videtur clausulam adjecisse *facto verbo cum SSmo*, qua sanatus est acceptationis defectus, si forsan irrepsisset.

c) Effectus.

Nimis in jure notum est, quod facta et probata renunciatione omne amittitur jus in beneficio, *cap. 2. et 3. de renunc.*

90) Reservatio.

(Ferraris.)

a) Clausa et non clausa.

Reservationum aliae clausae sunt in corpore juris, aliae non sunt clausae in corpore juris. Prioris generis sunt, quae continentur in *6. libro decretalium*, ut *in cap.: Ut lite pendente*, *in cap.: Itidem 2. de praebend. d. 6. lib. decret.* Posterioris vero generis sunt caeterae, quas habemus, reservationes extra dictum 6. librum decretalium.

Reservationes igitur contentae in *Extravagantibus* clausae dici nequeunt in corpore juris, *Rigant. in comment. ad regul. 1. cancellar. §. 1. num. 42.*, *Van.-Espen. jur. eccl. univ. part. 2. tit. 23. cap. 4. n. 2.*, *Rota cor. Othobon. decis. 197. num. 22. et sequent.* et in *Wadislavien. Archidiaconatus 14. Januarii 1757. §. 6. cor. R. P. D. Paracciano.*

Neque officit, quod *Extravagantes communes* et Joannis XXII. jussu Gregorii XIII. corpori juris canonici insertae fuerint, et Sextum, Clementinas et Extravagantes appellet ipse corpus juris canonici. Quum enim *nonnisi*, (ut recte ait *Rigant. loc. citat. n. 45. et sequent.*) *sub eodem nomine Extravagantium in corpore juris canonici sint insertae, pristinam utique naturam retinere videntur nec reservationes in eis contentae dicuntur clausae in corpore juris.*

Suos autem effectus in jure habet haec divisio. Reservationes enim, ut de primo effectu disseramus, clausae in corpore juris sunt perpetuae, adeoque morte Pontificis non expirant. Quae vero reservationes non sunt clausae in corpore juris, ut sunt quae in regulis cancellariae continentur, eae cum ipsis regulis cancellariae cessant morte uniuscujusque Pontificis. Regulae enim cancellariae eduntur ab unoquoque Pontifice crastino suae assumptionis die ad vitam suam duraturae.

Quo fit, ut Episcopi conferre valeant beneficia obnoxia reservationibus contentis in regulis cancellariae, dummodo ea vivente Pontifice non vacaverint et durante vacatione collatio fiat; *Card. de Luc. de benefic. discurs. 31. n. 4. et sequent.*, *Gagliard. eod.*

tract. cap. 1. n. 37. Intellige tamen de beneficiis obnoxiis reservationibus, quae sunt *accidentales* seu *discontinuae* ratione *mensis* vel *loci*, non vero *reales* vel *personales*, quas *continuas* vocant. Idem *Gagliard. ubi supra num. 38.* At vide materiam plenius tractantem *Rotam in Moguntina Canonicatus 28. Januarii 1728 cor. clar. mem. Calcagnino.*

Alter effectus est, quod titulus coloratus, quem requirit *regula 37. cancellariae*, licet proveniat ab eo qui pollet originaria facultate conferendi, talis non judicatur, ubi beneficium fuerit obnoxium reservationi clausae in corpore juris; talis vero judicatur, ubi beneficium sit obnoxium reservationi non clausae in corpore juris, *Chokier in d. regul. 36. cancellar. n. 86., Rigant. ibidem n. 128. et seq.*

In potestate fundatorum beneficiorum est excludere in limine fundationis reservationes, idque ex sacrorum canonum indulgentia. Quando vero a fundatore exclusae dici queant reservationes, vide apud *Rotam in Gerunden. Eleemosynae panis super reservatis 26. Junii 1713 cor. clar. mem. Scotto et 14. Martii 1718 cor. bon. mem. Cerro in Tropien. Beneficii 1. Martii 1720. cor. eod. bon. mem. Cerr.* et in *Wormatien. Beneficii 5. Decembris 1735 cor. Eminent. Crescentio.* Et quando non censeantur exclusae, tradit idem supremum tribunal *in Consentina Canonicatus 29. Januarii 1742. cor. Reverendis. P. D. Bussio Decano, in Lauretana Beneficii 10. Maji 1745 R. P. D. Canilliac. et 24. Januarii 1746 cor. bon. memor. Vicecom. Majoricen. Beneficii 29. Novembris 1745 cor. clar. mem. Millin. et 20. Junii 1746 cor. R. P. D. Elephant.*

b) Differentia inter reservationem et affectionem.

Vd. *Beneficium* (affectum p. 366).

Reservatio et affectio beneficiorum differunt inter se ea differentia, quae intercedit inter causam et causatum, inter tacitum et expressum; *Annot. ad dec. 524. num. 1. et 2. part. 19. tom. 1.* Si enim Papa per constitutionem aut per verbum expressum dicat: reservamus *Nobis tale beneficium*, tunc beneficium dicitur *reservatum, ibi num. 4.* Si vero sine constitutione aut sine expresso verbo, facto ipso mentem demonstrat, puta per appositionem manus super dispositione alicujus beneficii, tunc beneficium dicitur *affectum, ibi num. 5.* Unde beneficia affecta differunt a reservatis primo, quia reservatio respicit actum expressum verbalem seu scriptum, ut si Papa per constitutionem aut etiam solo expresso verbo dicat ut supra: *Reservamus Nobis tale beneficium.* E contra vero affectio respicit actum realem et factum aliquod, ex quo demonstrat, se velle pro illa vice providere de tali beneficio, sicque ex facto ipso oritur tacita talis beneficii reservatio. Sic accidit, quando Papa apposuit manum super collatione alicujus beneficii, tunc enim non obstante, quod collatio illa ob aliquod impedimentum non fuerit valida nec sortita suum effectum, adhuc beneficium dicitur affectum, adeo ut pro ea vice nequeat conferri per inferiorem collatorem; *cit. Extravag. ad roman. Pontificis providentiam 14. de praebend. inter communes, Rota par. 7. decis. 313. num. 1. et 23. part. 10. decis 14. num. 45.* et *part. 13. decis. 92. num. 13.* Nec enim dispositio beneficii, cui Papa manum apposuit, revertitur ad inferiorem; *Rota part. 10. decis. 333. num. 11.*

Differunt beneficia affecta a reservatis, quia beneficium *reservatum* nunquam amplius potest conferri ab inferiore; reservatio enim adimit inferiori potestatem conferendi in perpetuum, nisi revocetur. Beneficium vero *affectum* prohibetur solum conferri ab inferiore pro ea vice, qua Papa manum apposuit super ejus provisione et postquam Papa semel de illo disposuit, potest semper libere conferri ab inferiore quia affectio non adimit inferiori potestatem conferendi in perpetuum, sed solum pro unica vice: *cap.: Ut nostrum 56. de appellat., cap.: Si quis 1. de confirmat. utili* et *Extravagant. Ad romani Pontificis providentiam 14. de praebend. inter communes; Rota part. 5. tom. 1. decis. 196. num. 14.*

Differunt beneficia affecta a reservatis, quia affectio beneficiorum seu appositio manus Papae est majoris efficaciae ac potentiae quam simplex generalis reservatio; *Rota part. 2. decis. 401. num. 2.* Affectio enim afficit etiam ignorantes, textu expresso *in cit. Extravagant. Ad romani Pontificis providentiam*, ibi: *Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari;* non vero simplex generalis reservatio absque decreto irritante. Unde collator ordinarius valide confert beneficium sine apposito decreto irritante reservatum, si re vera factam reservationem ignoravit; ignorantibus enim venia non negatur; *cap.: Proposuisti 2. dist. 82., Rota part. 2. decis. 190. num. 7., Gonzalez. ad regul. 8. cancellar. gloss. 52. num. 34., Garcias de benef. cap. 1. part. 3. num. 408. et seq., Pirhing. lib. 3. tit. 5. de praebend. num. 320.*

c) A Legato a latere.

Vd. *Beneficium* (collatio a Legatis p. 421. 422.; a Nuntiis p. 428.).

Legatus a latere in sola sibi demandata provincia potest reservare suae collationi beneficia vacatura, quae caeteroquin potest conferre vacantia, *cap.: Praesenti 3. de 4. offic. Legati in 6. §. 1.* Cum hoc tamen, ut legatione finita expirent reservationes ejusmodi, quando ad talium beneficiorum collationem nondum est processum simulque una pendente reservatione Legatus aliam in eadem ecclesia vel respectu ejusdem collatoris aliquatenus non faciat, ut expresse cavetur in *cit. cap.: Praesenti* praecisis his verbis: »Caeterum reservationes hujusmodi (per quas interdum Praelati et ecclesiae nimium onerantur) restringere cupientes prohibemus, ne postquam Legatus in aliqua cathedrali vel collegiata ecclesia reservationem aliquam duxerit faciendam, aliam (illa pendente) faciat aliquatenus in eadem. Nec etiam postquam alibi reservaverit aliquod beneficium ad collationem pertinens cujuscumque, aliud, quod ad illius collationem pertineat (quamdiu reservatio pendet alterius) sibi quoquomodo reservet.«

d) A Papa.

Vd. *Beneficium* (collatio a s. Pontifice p. 429.).

Reservatio beneficii nihil aliud est, quam alicujus ecclesiastici beneficii vacaturi per habentem ad istud potestatem ad se facta avocatio; ita cum communi *Rota part. 8. decis. 204. sub num. 1.* Notanter autem dicitur *per habentem ad istud potestatem*, ut intelligatur, quod solus Papa in toto orbe possit beneficia sibi reservare, utpote solus ipse plenariam circa omnia beneficia ecclesiastica totius mundi dispositionem habens; *cap.: Licet 2. de praebend. in 6., cap.: Si Papa 10. §: Si autem, de privileg. in 6. Clementin. unica §. final. Ut lite pendente.* Et licet Papa communicaverit Episcopis facultatem conferendi beneficia suarum dioecesium, sibi tamen reservavit, ut semper penes se major et superior potestas remaneret; *c.: Dudum 14. §: Nos igitur de praebend. in 6.*

e) A Papa per appositionem manus.

Vd. *Beneficium* (affectum p. 366; reservationis etc. differentia p. 812;) p. 430. Neapolitan.

Affectio beneficii nihil aliud est, quam quaedam tacita reservatio facta per appositionem manus Papae super dispositione alicujus beneficii, ratione cujus impeditur Ordinarius collator, ne pro ea vice tale beneficium conferre possit. *Est in re communis* cum *Rota part. 7. dec. 51. num. 8. et part. 19. tom. 2. decis. 523. num. 39.* Papa enim apponendo manum seu semel intromittendo se dispositioni alicujus beneficii censetur tacite, atque ipso facto sua suprema potestate ejus collationem pro ea vice ad se revocare, sicque sub nullitate actus ligantur manus inferioris collatoris, ut nullatenus pro ea vice possit ejus collationi se immiscere; *arg. cap.: Ut nostrum 56. de appellation.*, concordat *cap.: Si quis 1.* et *cap.: De confirmationibus autem 2. de confirmat. utili et inutili.* Ubi postquam Papa manum apposuit, confirmando jura cujuspiam, nequit judex inferior de iisdem cognoscere; et *cap.: Si eo tempore 45. de elect. in 6.*, ubi Papa manum apponente, puta reservante sibi electionem vel saltem inhibente, ne electores ad electionem procedant, omnia carere censentur effectu, si quae postmodum subsequuntur, et expresse habetur *cap.: Ad romani Pontificis providentiam 14. de praebend. inter Fxtravag. communis* praecisis his verbis: Romani quoque Pontificis manus appositionem praedictam tantae efficaciae tantaeque virtutis existere, ut etsi literae apostolicae super provisionibus beneficiorum aut de providendo mandatis, in quibus decretum et reservatio hujusmodi apponuntur, ex aliqua causa suum debitum non sortiantur effectum, facultatem tamen providendi de beneficiis taliter reservatis, quibuscumque aliis fuisse ademptam hujus perpetuae et irrefragabilis constitutionis edicto de venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium consilio, omnia et singula beneficia ecclesiastica per hujusmodi reservationem et decretum remansisse et remanere semper affecta nullumque de illis (cum primum vacare contigerit)

praeter eumdem romanum Pontificem ea vice quovis modo disponere potuisse sive posse, harum serie decernimus et pariter declaramus. Decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.« Et sic pluries censuit *Rota* et signanter *part. 1. decis. 570. num. 2. part. 2. dec. 187. num. 3. part. 5. tom. 1. decis. 344. num. 9. part. 6. decis. 45. num. 3. part. 8. decis. 113. num. 3. et part. 10. decis. 68. num. 14.*

91) Reservatum.

Vd. *Beneficium* (reservationis et affect. differentia p. 812; collatio a summo Pontifice p. 429).

a) SSmo Pontifici Sede apost. vacante.

Vd. *Beneficium* (quoad concordata p. 511.).

Beneficia vacantia Sede apostolica vacante non sunt reservata, nisi sint primae dignitates; *Rota part. 14. decis. 33. n. 3. et 4.* Quia vacante Sede apostolica cessant reservationes et dicuntur sublatae omnes regulae cancellariae;*) *Rota ibidem n. 2. et part. 17. dec. 185. n. 3. et dec. 215. n. 2.* et *part. 18. tom. 2. dec. 645. n. 10.* Sed hoc intellige non procedere in beneficiis Germaniae vigore concordatorum, ubi reservationes, ut supra, perpetuo durant; *Rota part. 17. cit. dec. 175. n. 4. et sequent. et dec. 215. n. 4. et seq.* Beneficia pariter vacantia in curia Sede romana vacante conferuntur ab Episcopo vel ab aliis ad quos spectat; *c.: Si apostolica 35. de praebend. in 6.* Sed si sunt reservata Papae ex alio capite non possunt conferri, sed conferenda sunt a Papa futuro; Urbanus VIII. *constit.* incip.: *Sanctissimus.* Sic etiam beneficia, quae vacaverint in curia ante mortem Papae, si non fuerunt provisa conferuntur ab eis, ad quos spectat; *cit. cap.: Si apostolica 35. de praebend. in 6.*, ibi: »Si apostolica Sede vacante aliquas parochiales ecclesias vacare de caetero contigerit apud ipsam, statuimus, ut de eis (ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos ad quos pertinet possit libere ordinari, constitutione felicis recordationis Clementis Papae Praedecessoris nostri de beneficiis apud Sedem ipsam vacantibus per alium quam per romanum Pontificem minime conferendis vel alia quavis contraria super hoc edita non obstante. Idem volumus et de illis, quae ibidem ipso romano Pontifice vivente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum.«

Immo etiam beneficia vacantia in curia vivente Papa, si ipse Papa ea non conferat infra mensem a die vacationis, illi ad quos collatio pertinebat poterunt illa conferre, *c.: Statutum 3. de praebend. in 6.*, ibi: »Statutum felicis recordationis Clementis Papae Praedecessoris nostri de dignitatibus et beneficiis in curia romana vacantibus nequaquam per alium quam per romanum Pontificem conferendis decernimus taliter moderandum, ut hi, ad quos eorumdem beneficiorum et dignitatum spectat collatio (statuto non obstante praedicto) demum post mensem a die quo dignitates seu beneficia ipsa vacaverint numerandum ea conferre valeant tantummodo per se ipsos vel (ipsis agentibus in remotis) per suos Vicarios generales in eorum dioecesibus existentes; quibus id canonice sit commissum.«

Regulae cancellariae apost. expirant morte Pontificis, sed a successore innovantur. Atque hinc factum est, ut quae beneficia vacant Sede pontificia vacante ea non subjaceant, ut in superiori additione dictum est, *regulis cancellariae;* idque in favorem non solum collatorum, sed et patronorum ecclesiasticorum; *Nogueir. qu. singular. disput. 4. quaest. 12. per tot.*

*) Vd. *Beneficium* (reservatum ss. Pontifici juxta regul. cancell. — *regul. 68.* —).

b) SS. Pontifici.

Vd. infra *c.*

Beneficia reservata summo Pontifici sunt sequentia:

I. Quaecumque beneficia vacatura per obitum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium sive post sive ante cardinalatum acquisita; *Extravagant.: Ad regimen. 13. de praebend. inter communes*, innovata *per regul. primam cancellariae, Rota p. 17. dec. 382. n. 9.*

II. Beneficia vacatura per obitum officialium Sedis apostolicae, videlicet Camerarii, Vicecancellarii, Notariorum, Auditorum literarum contradictarum et apostolici palatii causarum Auditorum, Correctorum et scriptorum literarum apostolicarum ac Poenitentiarii praefatae Sedis ac Abbreviatorum necnon Commensalium et aliorum quorumcumque capellanorum Sedis ejusdem et etiam quorumcumque Legatorum sive Nuntiorum ac in terris ecclesiae romanae rectorum et thesaurariorum per romanos Pontifices specialiter deputatorum seu missorum aut deputandorum aut mittendorum in posterum ubicumque dictos Legatos vel Nuntios seu rectores aut thesaurarios, antequam ad romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, sic expresse *in dict. Extravagant. Ad regimen innovata in regul. 1. cancellariae.* Horum tamen beneficiorum reservatio solum intrat, ubi dicti officiales moriantur in curia vel intra duas dietas. *Dicta Extravagant.: Ad regimen., Rota part. 13. dec. 226. n. 15.* Nisi agatur de Legatis, Nuntiis, rectoribus et thesaurariis, quorum beneficia reservantur, ubicumque eos mori contingat, *Rota ibid. num. 16.*

III. Benefia Conclavistarum quocumque tempore obtenta semper sunt reservata Pontifici, *Rota part. 17. dec. 303. num. 2. et dec. 382. num. 1. 6. et 9.*, ubi afferuntur constitutiones Urbani VIII. aliorumque Pontificum super hujusmodi reservatione. Quae quidem reservatio utpote non adhaerens officio neque personae durat etiam post mortem ipsius Papae, *Rota par. 17. dec. 303. num. 22. et part. 18. tom. 1. dec. 476. num. 20.*

IV. Beneficia quorumcumque curialium, quos dum curia romana de loco ad locum transfertur eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam a dicta curia remoto, ut in *regula 6. cancellariae, Rota p. 5. t. 2. decis. 429. num. 5. et p. 7. dec. 382. n. 11.*

V. Reservata sunt beneficia venientium ad curiam ac in ea decedentium, *Rota part. 6. decis. 28. num. 5.* Sive recedentium ab ea ac decedentium intra duas dietas, *dict. Extravag. Ad regimen, Rota p. 6. dec. 150. n. 1. et 12.* Quae quidem reservatio procedit, sive sint curiales sive non ac nulla habita negotiorum ratione, pro quibus accedant vel recedant, *Rota par. 6. dec. 28. n. 5. 10. 13. et 18. et dec. 150. n. 3. 4. 5. 11. et 12.* Consideratur enim obitus in curia et locus ipsius, in quo contingat beneficiatum decedere, *Rota dict. p. 6. et dec. 58. num. 6.* et sic utroque casu beneficium indistincte vacare dicitur apud Sedem, *ibid. n. 7. et 8.*

VI. Beneficia quorumcumque collectorum et subcollectorum puta decimarum, fructuum et proventuum camerae apostolicae; *regul. 5. cancellariae, Rota part. 5. tom. 1. decis. 261. num. 1. decis. 335. num. 1. 9. et 14. et decis. 385. num. 1. part. 8. decis. 113. n. 2. part. 11. dec. 155. n. 9. part. 18. decis. 249. n. 3.* Et respectu collectoris seu subcollectoris decimarum procedit sive decimae sint papales sive impositae pro subventione Imperatoris seu pro subsidio adversus infideles vel ob aliam publicam causam, *Rota p. 5. tom. 1. decis. 355. num. 8. et sequent.* Quorum beneficia semel reservata semper remanent reservata, etiamsi cesset officium, *Rota part. 9. tom. 1. decis. 259. n. 9. et 10.* Sufficit enim, quod beneficia fuerint obtenta vel ante officium vel durante officio, etiamsi de tempore obitus defunctus non esset subcollector; sive subcollector officium suum exercuerit sive non exercuerit, *Rota part. 11. decis. 178. num. 5. et 8.*, quia sufficit sola ejus deputatio cum jurisdictione, *Rota p. 11. decis. 155. n. 9. et decis. 178. n. 3.*, nec requiritur exercitium actuale, sed sufficit potentia, *Rota p. 5. tom. 1. decis. 335. n. 18.* Verum ad effectum inducendi reservationem ut supra requiritur quod subcollector sit unicus in loco, in quo exercere debet suam collectoriam, *Rota part. 1. decis. 715. n. 4. et 5., part. 7. decis. 225. num. 6., part. 11. decis. 155. num. 10.* Sufficit tamen quod aliquando fuerit unicus, *Rota p. 8. dec. 88.*, nempe aliquo tempore seu aliqua temporis parte, *Rota part. 5. tom. 1. dec. 255. n. 6.* et *part. 11. dec. 166. n. 13.*

VII. Beneficia vacantia per obitum Protonotariorum apostolicorum, *Rota part. 4. tom. 1. decis. 530. num. 10. part. 5. tom. 1. decis. 110. n. 10. part. 15. dec. 30. num. 3.* Et hoc vigore *cit. Extravagant.: Ad Regimen*, super qua fundatur regula prima cancellar., *Rota part. 5. tom. 2. decis. 608. n. 5.* Dicta reservatio comprehendit beneficia Protonotariorum apostolicorum, quandocumque illi effecti fuerint tales, *Rota part. 16. decis. 14. num. 2.* Sive dicti Protonotarii sint participantes sive non, *Rota p. 1. decis. 407. num. 1. p. 3. dec. 706. n. 3. p. 4. tom. 1. decis. 398. num. 2. p. 9. t. 2. decis. 350. n. 3. 4.* et *p. 15. dec. 262. n. 1.* Sive creati fuerint a Papa sive a Legato, *Rota part. 4. tom. 2. decis. 572. n. 15. et sequent.* Sive creati fuerint ante dict. Extravagant. sive post, *Rota part. 3. tom. 2. decis. 572. n. 17.* Sive fuerint creati ratione officii sive principaliter, *ibidem num. 24. et seq.* Etiam post dimissum officium, cui accedit Protonotariatus, *ibid. n. 27. et seq.* Et haec procedunt vigore *constitut. 78. et 79.* Pauli III., ubi tales Protonotarii declarantur vere et indu-

bitate familiares etiam ad effectum reservationis ut supra, *Rota p. 3. tom. 1. dec. 398. n. 2.* et extenditur reservatio contenta *in dict. Extravagant.* ad omnes Protonotarios etiam non participantes, prout Rota declaravit attenta generalitate verborum ejusdem *Extravagant.* et regulae cancellariae postea emanatae et successive innovatae a Papis, *Rota part. 4. tom. 2. decis. 172. n. 5. et sequent.*

VIII. Beneficia Referendariorum utriusque signaturae et Auditorum Rotae remanent reservata etiam post dimissa officia, *Rota p. 19. t. 2. decis. 523. num. 47.*

IX. Beneficia omnia cubiculariorum, etiam honoris nuncupatorum ac cursorum Papae, ut expresse in *regula 7. cancell.*

X. Beneficia familiarium Papae sunt reservata vigore *regulae 4. et 7. cancellariae, Rota p. 5. tom: 1. decis. 196. n. 2. et eadem part. 5. tom. 2. dec. 429. n. 18.* Et ad effectum reservationis ut supra familiaritas Papae non attenditur de tempore vacationis, sed de tempore reservationis, quae durat etiam mortuo Papa, licet non duret familiaritas, cujus effectus nihilominus durat jam perfectus et consummatus, *Rota part. 5. tom. 1. dec. 196. n. 21. et seq.* Sic etiam beneficia familiarium et continuorum commensalium S. R. E. Cardinalium, quae obtinuerint et obtinebunt, eorum familiaritate durante, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum dictorum Cardinalium vel alias recesserint, sunt reservata vigore *regulae 4. cancellariae, Rota part. 4. decis. 156. n. 1. part. 12. dec. 257. num. 6. et 7. part. 17. dec. 382. n. 10.*

XI. Beneficia quaecumque vacantia et vacatura per promotionem ad patriarchatum, archiepiscopatum, episcopatum vel monasteriorum regimina sunt Sedi apostolicae reservata; *cit. Extravagant. Ad regimen* et *regul. 1. cancellariae* et *Rota part. 19. tom. 2. dec. 118. num. 1. et decis. 523. num. 48.*

XII. Sunt reservata beneficia vacantia vel in posterum vacatura per depositionem vel privationem seu translationem aut muneris consecrationis suspensionem auctoritate Papae factam vel faciendam. Necnon si forsan aliqui electi vel postulati fuerint vel in posterum eligantur vel postulentur in concordia vel discordia, quorum electio cassata seu postulatio repulsa, vel per eos facta renunciatio et per Papam admissa fuerit; *cit. Extravagant. Ad regim., Rota p. 18. tom. 2. dec. 599. num. 4. et 5.*

XIII. Beneficia vacantia et vacatura per assecutionem pacificam quorumcumque prioratuum, dignitatum, personatuum, officiorum, canonicatuum et praebendarum aliorumque beneficiorum per Papam collatorum sunt Sedi apostolicae reservata, *cit. Extravagant. Ad regimen., Rota p. 13. decis. 127. num. 2.* et *part. 19. tom. 1. dec. 523. num. 43.*

XIV. Omnes ecclesiae patriarchales, archiepiscopales et episcopales et quaecumque alia beneficia vacantia seu vacatura in curia seu apud Sedem apostolicam sunt collationi Papae reservata, *dict. Extravagant. Ad regimen, Rota part. 1. decis. 700. num. 4. part. 2. dec. 740. num. 1. part. 4. tom. 3. dec. 573. num. 3. part. 5. tom. 1. decis. 60. num. 2. et dec. 385. num. 11.* et *part. 11. dec. 163. num. 2.*

XV. Omnes dignitates majores post pontificales in Cathedralibus, etiam Metropolitanis et Patriarchalibus necnon valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedentes necnon principales in collegiatis ecclesiis, *regul. 4. cancellariae, Rota p. 9. tom. 2. decis. 433. num. 18.* Sic beneficia etiam spectantia ad aliquam dignitatem et vacantia post vacationem ejusdem dignitatis ex *regula tertia cancellariae* sunt reservata Sedi apostolicae quando dignitas est reservata, *Rota p. 10. decis. 25. n. 15.*

XVI. Beneficia vacatura Sede patriarchali primatiali, archiepiscopali, episcopali aut abbatiali vel alterius collatoris seu collatricis vacante per obitum aut dimissionem seu amissionem vel privationem, usque ad promotionem vel provisionem successorum et pacificam illorum possessionem adeptam, quando collatio seu dispositio ad quemlibet illorum vel illarum pertinet, dummodo non sit simultanea cum alio vel aliis aut etiam ad alterius praesentationem vel electionem non pertineat, sunt reservata Sedi apostolicae; s. Pius V. in *constit.* incip.: *Sanctissimus, regul. 2. cancellariae* et *Rota p. 1. dec. 475. num. 2. p. 8. decis. 44. num. 7. et 8. part. 12. decis. 89. n. 15. dec. 257. n. 15. et dec. 365. n. 6. et part. 13. decis. 354. n. 6.*

XVII. Beneficia quaecumque, de quibus Ordinarii aut alii collatores disposuerunt contra decreta Concilii Tridentini et formam ab ipsa praescriptam reservantur dispositioni

summi Pontificis, *regul. 1. cancellariae* et *constitutio* s. Pii V. incip.: *In conferendis**) signanter reservans beneficia curata collata non servata forma Concil. Trid. *sess. 24. de reformat. c. 19.* Sic etiam beneficia ab Ordinariis contra dispositionem Concilii Tridentini unita ipso jure censentur reservata, *Rota part. 7. dec. 207. n. 21.*

XVIII. Quaecumque beneficia vacantia propter crimen haeresis, s. Pius V. *constitut.* incip.: *Cum ex apostolatus.*

XIX. Quaecumque beneficia vacantia per simoniam, quia aequiparatur haeresi seu laesae Majestatis crimini, cap.: *Mediatores 1. de testibus in 6.* et *glossa ibi* verb.: *Assecuti.*

XX. Beneficia quaecumque recepta in confidentiam, hoc est per simoniam confidentialem, Pius IV. *constit.* incip.: *Romanum Pontificem***) et s. Pius V. *constit.* incip.: *Intolerabilis.****)

XXI. Beneficia vacantia ob non factam publicationem resignationis; Gregorius XIII. *constit.* incip.: *Humano vix judicio.*

XXII. Beneficia vacantia propter delictum offendentis litigantes in romana curia eorumque judices, advocatos et procuratores, testes et notarios aliosque hujusmodi, Alexander VI. *const.* incip.: *In eminenti.*

XXIII. Beneficia illorum, qui seipsos pro aliis examini supponunt vel annuas pensiones offerunt pro consequendis beneficiis aut beneficia impetrant pro aliis, ut aliquid consequantur, vel quando pro se ipsis impetrant beneficia cum intentione illa resignandi; Paul. IV. *constit.* incip.: *Inter caeteras.*†)

XXIV. Beneficia omnia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia et quorumvis ordinum regularium qualitercumque qualificata et ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris mensibus extra romanam curiam, tam per obitum quam per resignationem quocumque modo vacatura, *reg. 8. alias 9.* cancellariae, *Rotae part. 1. decis. 88. n. 1. part. 4. tom. 1. dec. 70. sub n. 1. part. 12. decis. 89. n. 14. part. 13. dec. 127. n. 1. part. 14. decis. 152. num. 1. part. 15. dec. 5. n. 1.*

XXV. Beneficia collata personis prohibitis propter suum genus, veluti descendentibus ex sanguine infecto aut ex genere seu stirpe de haeresi condemnata*) aut ratione alicujus particularis statuti a Sede apostolica confirmati, concessionis aut privilegii, Gregor. XIII. *constit.* incip.: *In ecclesiis.*

XXVI. Beneficia titulorum Cardinalium sive in Urbe sive extra, si vacent, quando ipsi sunt absentes, Papae reservantur, Urban VIII. *constit.* incip.: *Sanctissimus cap. 8.* et *regul. 7. cancellariae.* Sunt et alii varii casus, in quibus collatio quorumdam beneficiorum est reservata Papae; sed cum adducti sint caeteris notabiliores, relinquuntur alii brevitatis gratia, videndi cui placuerit apud *Gonzal. ad reg. 8 cancellariae gloss. 51.*

Ut autem ab omnibus in promptu semper et prae oculis haberi possint reservationes et dispositiones in regulis cancellariae contentae subnectuntur hic ad literam ipsaemet cancellariae regulae auctoritate SS. in Christo Patris D. N. D. Pii divina providentia Papae VI. publicatae juxta exemplar Romae in typographia rev. camerae apostolic. impressum 1775.

c) SS. Pontifici juxta regulas cancellariae apostolicae.**)

Regulae

Ordinationes et constitutiones cancellariae apostolicae SS. D. N. D. Pii divina providentia Papae VI.

Sanctissimus in Christo Pater et Dominus noster D. Pius divina providentia Papa VI. suorum Praedecessorum vestigiis inhaerendo normam et ordinem rebus gerendis dare volens in crastinum suae assumptionis ad summi apostolatus apicem, videlicet die decima sexta mensis Februarii anno ab Incarnatione Domini millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, reservationes, constitutiones et regulas infrascriptas fecit, quas etiam ex tunc licet nondum publicatas et suo tempore duraturas observari voluit, ac quas Nos Henricus Benedictus Episcopus Tusculanus S. R. E. Vicecancellarius die 7. mensis Martii in cancellaria apostolica publicari fecimus.

*) Vd. supra: *Beneficium* (collationis modus p. 425).
**) Vd. *p. 450.*
***) Vd. *p. 455.*
†) Vd. *p. 555.*

*) Vd. *p. 365. n. 8.*
**) Quia hae regulae saepe saepiusque in hoc opere occurrunt citatae, consultis viris rei peritis utile imo necessarium duxi eas juxta relationem Ferraris praesertim cum notis hic apponere ut praesto sint cuique legenti.

I. *) *Reservationes generales et speciales.*

In primis fecit easdem reservationes, quae in constitutione fel. rec. Benedicti Papae XII., quae incipit.: *Ad regimen*, continentur et illas innovavit ac locum habere voluit, etiamsi officiales in eadem constitutione expressi apostolicae Sedis officiales ante obitum eorum esse desierint, quoad beneficia, quae tempore quo officiales erant obtinebant; declarans nihilominus beneficia, quae dictae Sedis officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis et quandocumque assecuti fuerint, sub hujusmodi reservationibus comprehendi: ac reservavit beneficia, quae per constitutionem piae mem. Joann. PP. XXII. incip.: *Execrabilis* vacant vel vacare contigerint, quam constitutionem et reservationem SS. tam ad beneficia obtenta quam alia quaecumque, de quibus Ordinarii et alii collatores contra Concil. Trident. decreta disposuerunt et disponent in futurum, extendit et ampliavit; et ea etiam beneficia omnia dispositioni suae reservavit, de quibus per dictos Ordinarios aut alios collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit, decernens irritum etc.

II. **) *Reservatio cathedralium ecclesiarum et monasteriorum ac de tempore vacationis episcopatuum vacaturorum beneficiorum.*

Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales necnon omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia et imposterum vacatura. Et voluit, quod excessus hujusmodi in literis exprimatur. Ac etiam reservavit dignitates et beneficia omnia ad collationem, praesentationem, electionem et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum necnon Abbatum ac aliorum quorumcumque collatorum et collatricium saecularium et regularium quomodolibet (non tamen ad collationem cum alio vel aliis aut etiam ad alterius praesentationem vel electionem pertinentia) quae post illorum obitum aut ecclesiarum seu monasteriorum vel aliarum dignitatum suarum dimissionem seu amissionem vel privationem seu translationem vel alias quomodocumque vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem ecclesias aut monasteria vel dignitates apostolica auctoritate faciendam et adeptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem, quomodocumque vacaverint et vacabunt in futurum decernens irritum etc.

III. *) *Extensio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum.*

Item, si qui de beneficiis ecclesiasticis praesertim curam habentibus seu alias per-

*) Observandum quod regula prima cancellariae continet reservationes similes illis, quae habentur *in Extravagant.: Ad regimen. 13. de praeb. inter communes, Rota p. 19. tom 1. decis. 385. n. 3.* Et reservat beneficia eorum, qui promoventur ad episcopatum sive tunc vacantia sive in futurum vacatura, *Rota ibidem num. 4. et part. 14. dec. 246. num. 6.* Per hanc regulam sublata remanet dispositio juris communis in *cap.: Cum in cunctis 7. §: Cum vero, de elect.*, cujus vigore licebat cuicumque Episcopo in cujus dioecesi erant beneficia promoti ad episcopatum illa libere conferre, *Rota part. 10. tom. 1. dec. 385. n. 5.*

**) Regula secunda cancellariae reservat omnia monasteria virorum valorem annuum 200 florenorum auri communi aestimatione excedentia, *Rota par. 3. dec. 791. sub num. 3.* Qui quidem valor exprimi debet juxta regulam de valore, *Rota ibid.* Et procedit etiam dicta regula, etiamsi monasteria non sint in dicta summa descripta in libris camerae, dummodo tamen valorem 200 florenorum excedant, *Rota ibid.* Non tamen locum habet haec regula nisi in monasteriis solitis commendari, *Rota ibidem n. 4.*, neque procedit in beneficiis manualibus, *Rota ibidem.* Similiter haec regula non procedit in Germania vigore concordatorum, *Rota part. 7. decis. 250. num. 5.* Prout etiam non habet locum, ubi adsit aliquod privilegium in contrarium, *Rota ibidem num. 6.*

*) Regula hodie tertia olim secunda cancellariae reservat Pontifici beneficia vacantia Sede episcopali vacante, *Rota part. 12. dec. 257. num. 15.* Et reservat beneficia vacantia post translationem Episcopi usque ad provisionem successoris et adeptam ab eo pacificam possessionem etiamsi ex immemorabili collatio talium beneficiorum ad aliquem spectaret, *Rota part. 2. decis. 614. sub num. 2.* Item reservat beneficia vacantia de tempore obitus Abbatis vel cujuscumque alterius Dignitatis, ad quos spectabat provisio dictorum beneficiorum, *Rota part. 5. tom. 2. dec. 536. num. 8. part. 10. decis. 25. sub num. 9. et par. 10. dec. 115. n. 13.* Haec tamen regula solum locum habet in beneficiis, quorum collatio spectat ad alia beneficia Sedi apostolicae reservata, puta ad Abbatem vel ad primam dignitatem post pontificalem in ecclesia cathedrali, *Rota part. 10. dec. 25. num. 12.* Unde regula non habet locum in dignitatibus non reservatis ita quod beneficia ad provisionem obtinentium aliquam dignitatem pertinentia, quae post illius vacationem vacant, non sunt reservata per hanc regulam, si talis dignitas non est Papae reservata, *Rota ibid. n. 13. et seq.*

sonalem residentiam requirentibus, dum pro tempore vacant, apostolica auctoritate provisi seu providendi ante illorum assecutionem alia cum eisdem incompatibilia beneficia ecclesiastica per eos tunc obtenta in fraudem reservationis suae resignarent seu dimitterent, voluit, decrevit et declaravit, quod si in posterum quibusvis personis de aliquibus beneficiis ecclesiasticis tunc vacantibus seu vacaturis, per Sanctitatem Suam aut ejus auctoritate provideri ipsosque providendos intra vacationis et provisionis seu assecutionis eorumdem beneficiorum tempora, quaecumque alia cum aliis incompatibilia beneficia ecclesiastica saecularia vel quorumvis ordinum ac etiam hospitalium et regularia per eos tunc obtenta, nulla speciali et expressa de eisdem in provisionibus praedictis facta mentione simpliciter vel causa permutationis ac alias quomodolibet, sive in Sanctitatis Suae vel alterius romani Pontificis pro tempore existentis aut Legatorum vel Nuntiorum dictae Sedis seu Ordinariorum vel aliorum collatorum quorumcumque manibus resignare seu dimittere aut juribus sibi in illis vel ad illa competentibus cedere contigerit, omnes et singulae concessiones, collationes, provisiones et quaevis aliae dispositiones de beneficiis seu juribus sic resignandis, dimittendis et cedendis pro tempore faciendae cum inde secutis quibuscumque cassae et irritae nulliusque roboris vel momenti existant, nec cuiquam suffragentur, sed beneficia et jura ut praefertur resignata dimissa et cessa eo ipso vacent ac sub reservatione praedicta, quam Sanctitas Sua etiam quoad hoc extendit et ampliavit, comprehensa censeantur. Ita quod de illis per alium quam per eamdem Sanctitatem Suam, vel pro tempore existentem romanum Pontificem, nullatenus disponi possit, in omnibus et per omnia perinde, ac si per pacificam assecutionem beneficiorum aliorum hujusmodi vere ac realiter vacavissent; ac ulterius voluit, beneficium de quo resignans fuerit auctoritate apostolica provisus ac per ejus assecutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde ac si collatio favore resignantis facta non fuisset, salvis tamen quibuscumque juribus competentibus alteri parti, ad cujus favorem facta esset resignatio, etiam ex causa permutationis, summarie, simpliciter et appellatione remota exercendis; decernens irritum etc. attentari.

IV. *) *Reservatio Dignitatum necnon suorum et S. R. E. Cardinalium familiarium beneficiorum.*

Item reservavit generaliter dispositioni suae omnes dignitates majores post pontificales in ecclesiis cathedralibus etiam metropolitanis et patriarchalibus necnon valorem decem florenorum auri communi aestimatione excedentes principales in collegiatis ecclesiis; reservavit etiam prioratus, praeposituras, praepositatus ac alias dignitates conventuales et

*) Regula quarta, olim tertia cancellariae, reservat summo Pontifici dignitates majores post pontificales in Cathedralibus et dignitates principales in collegiatis ecclesiis excedentes valorem decem florenorum auri, *Rota part. 7. decis. 256. num. 11. part. 10. dec. 99. num. 14. part. 17. dec. 297. num 5.* Observandum est tamen primo hanc regulam reservare in ecclesia cathedrali primam dignitatem post pontificalem non obstante quod non excedat florenos 10 valoris; et hoc intuitu majoris praeeminentiae dignitatum in cathedrali, *Rota par. 7. dec. 256. num. 11. et sequent.* Taxatio enim praedicta 10 florenorum respicit solum dignitates principales ecclesiae collegiatae, sed non cathedralis, *Rota ibidem:* Et hoc potissimum comprobante observantia cancellariae apostolicae, *Rota ibidem num. 16.* Observandum secundo praedictam regulam reservare unam dignitatem tantum, scilicet majorem, vel duas, si sunt aeque majores, *Rota part. 10. decis. 99. num. 4.* Unde ad hoc, ut dignitas cadat sub hac regula, concludenter probandum est, quod sit major vel aeque major, *Rota ibid. num. 5.* Observandum tertio regulam praedictam reservare Pontifici primas dignitates in ecclesia collegiata, quamvis in ea unica tantum adsit, *Rota part. 18. tom. 1. dec. 165. num. 9.* Observandum quarto, regulam istam comprehendere sub reservatione etiam parochiales in dignitatem erectas, *Rota part. 17. dec. 49 num. 4.* Observandum quinto, quando sunt plures dignitates, si primae non possunt cadere sub reservatione regulae, primam sequentium esse reservatam, *Rota part. 10. decis. 99. num. 24.* Observandum sexto, hanc regulam habere solum locum in ecclesiis collegiatis actu et non habitu, *Rota part. 4. tom. 2. dec. 465. n. 9.* Observandum septimo, dignitatem principalem in Collegiata solum esse reservatam, quatenus in ecclesia collegiata sit distincta a Cathedrali, *Rota par. 10. dec. 99. num. 26.* Unde si collegium, cui talis est caput, sit in ipsa ecclesia cathedrali, tunc haec dignitas non venit sub reservatione, *Rota ibidem.* Papa enim censetur per dictam regulam spoliare voluisse in eadem ecclesia uno tantum lumine ordinarios collatores, *Rota ibid. num 27.*

praeceptorias generales ordinum quorumcumque (sed non militarium) ac quaecumque beneficia, quae sui, etiam dum Cardinalatus fungebatur honore, existentes ac S. R. E. viventium nunc et qui erunt pro tempore, Cardinalium familiares continui commensales obtinent et in posterum obtinebunt eorum familiaritate durante, ac in quibus seu ad quae jus eis competit aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem vel alias recesserint. Declarans dignitates, quae in cathedralibus, etiam Metropolitanis post pontificales non majores existunt et quae ex apostolicae Sedis indulgentia vel ordinaria auctoritate aut consuetudine praescriptae vel alias quovis modo in quibuscumque collegiatis ecclesiis principalem praeeminentiam habere noscuntur, sub reservatione praedicta comprehendi debere; decernens irritum etc.

V.*) *Reservatio beneficiorum collectorum et subcollectorum.*

Item reservavit generaliter omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque collectorum et subcollectorum in quacunque civitate vel dioecesi, qui suo tempore officia exercuerint, subcollectorum fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum, illa videlicet beneficia dumtaxat, quae durante eorum officio obtinebant et in quibus seu ad quae jus eis competebat; decernens irritum etc.

VI.**) *Reservatio beneficiorum curialium, dum curia transfertur.*

Item reservavit omnia et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque curialium, quos dum curia romana de loco ad locum transfertur eam sequendo decedere contigerit in quovis loco quantumcumque etiam a dicta curia remoto; decernens irritum etc.

VII. *Reservatio beneficiorum cubiculariorum et cursorum.*

Item reservavit generaliter idem D. N. PP. dispositioni suae omnia beneficia cubiculariorum etiam honoris nuncupatorum ac cursorum suorum declarans in Praedecessorum suorum romanorum Pontificum constitutionibus et regulis reservatoriis beneficiorum cubiculariorum, etiam cubicularios honoris nuncupatos etiam a die earum editionis et publicationis intelligi et comprehendi ac comprehensos fuisse et esse. Irritumque etc. attentari decernens.

VIII. *Reservatio beneficiorum ecclesiarum s. Joannis Lateranensis et s. Petri ac B. Mariae Majoris de Urbe et beneficiorum titulorum Cardinalium a curia absentium.*

Item reservavit dispositioni suae generaliter quoscumque canonicatus et praebendas ac dignitates, personatus et officia in s. Joannis Lateranensis et Principis Apostolorum ac B. Mariae Majoris de Urbe ecclesiis necnon ad collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a romana curia absentium ratione suorum episcopatuum, Cardinalatus ac ipsorum Cardinalium titulorum et diaconiarum spectantia, quamdiu absentia hujusmodi duraverit, canonicatus et praebendas, dignitates, personatus, administrationes et officia caeteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura vacantia ac in antea vacatura, tam in eadem Urbe quam in ecclesiis, civitatibus ac dioecesibus dictorum episcopatuum consistentia; ac decrevit irritum etc.

IX.*) *Reservatio mensium apostolicorum et Alternativa pro Episcopis residentibus.*

Item cupiens SS. D. N. PP. pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine

*) Regula quinta, alias quarta, reservat omnia beneficia ecclesiastica quorumcumque collectorum et subcollectorum fructuum et proventuum camerae apostolicae, quae durante eorum officio obtinuerint ac in quibus seu ad quae jus eis competierit, *Rota part. 1. decis. 715. num. 4. part. 8. dec. 88. num. 5. part. 16. decis. 167. num. 4.*

**) Regula sexta reservat beneficia curialium et habet locum etiam in curialibus ad honorem sicuti in cubiculariis ad honorem, *Rota par. 4. tom. 1. dec. 573. num. 3.*, et expresse habetur in regula VII., quae ut octava de se clare patent absque alia observatione.

*) Regula nona, alias octava, cujus auctor fuit Nicolaus V., reservat summo Pontifici omnia beneficia qualitercumque qualificata in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris mensibus qualitercumque extra curiam vacantia, *Rota part. 2. decis. 428. n. 1. el decis. 590. n. 1. part. 4. tom. 3. dec. 530. num. 9. et dec. 531. n. 4. par. 9. tom. 2. decis. 329. n. 1. decis. 366. num. 1. et dec. 389. n. 6.* Haec regula, cum proprio nomine menses designet, intelligenda est de mensibus integralibus computandis a media nocte mensis praecedentis

cura, saecularia et quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata et ubicumque existentia in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris et Novembris

ad mediam noctem subsequentis, *Rota par. 2. decis. 141. num. 2. et 3. et part. 10. decis. 49. n. 34. l. More, ff. de feriis* et *cap.: Consuluit 24. de offic. Delegati.* Unde quando nullimode sciri potest: an beneficiarius obierit ante vel post mediam noctem ultimi diei mensis et sic, an in mense Pontificis vel Ordinarii obierit, tunc nemine adhuc in possessione beneficii existente, pro mense episcopali atque pro favore collatoris ordinarii praesumendum videtur, *Garcias de beneficiis part. 5. cap. 1. num. 328., Castropal. tract. 13. de benefic. disput. 2. punct. 21. §. 2. num. 3., Engel. de praebend. lib. tit. 5. num. 26.* et *Pirching. eodem tit. num. 354. cum aliis passim.* Et ratio est, quia Episcopus habet intentionem fundatam in jure, quod collatio omnium beneficiorum suae dioecesis ad ipsum spectat; *cap.: Ex frequentibus, de institutionibus.* Nisi probetur spectare ad collationem alterius, puta quia probantur esse reservata; cum autem stante illo dubio non constet de reservatione, sequitur etc. Circa hanc regulam observandum est:

1) Quod revocat
   a) quaecumque privilegia et indulta concessa quibuscumque personis disponendi de beneficiis vacaturis in dictis mensibus, *Rota part. 1. decis. 58. num. 7. et dec. 288. n. 5. et seq. part. 11. dec. 65. num. 23. part. 10. dec. 249. num. 9.* Regula enim loquitur de beneficiis ad quoscumque collatores quomodolibet pertinentibus, *Rota p. 9. tom. 2. dec. 266. num. 6.*
   b) Unde derogat etiam quibuscumque privilegiis cum quibuscumque clausulis etiam insolitis et cum derogatoriis derogatoriarum, *Rota ibid. n. 5.*
   c) Et derogat indultis, etiamsi concessa sint cum clausula: ut numquam contineantur sub reservationibus apostolicis, *Rota part. 9. tom. 1. decis. 200. num. 10.*
   d) Necnon tollit indulta emanata motu proprio et per viam legis universalis, *Rota part. 16. dec. 343. n. 9.*
   e) Et potissimum cum dicta regula emanaverit per viam legis, unde per eam censetur derogatum etiam juri communi, *Rota part. 13. decis. 419. n. 10.*
2) Quod tollit quascumque consuetudines dictae regulae contrarias, *Rota part. 4. tom. 1. decis. 336. n. 1. part. 4. tom. 2. dec. 247. num. 12. part. 8. decis. 10. n. 4.* Et derogat expresse optandi consuetudini quamvis immemorabili in beneficiis, *Rota part. 8. dec. 10. n. 4. et sequent. et decis. 138. n. 1. part. 9. t. 1. dec. 265. n. 15.*
3) Quod comprehendit etiam beneficia de jurepatronatus ecclesiastici et ex privilegio, *Rota part. 4. tom. 1. decis. 336. num. 1. et dec. 568. n. 1. part. 11. dec. 305. n. 17. part. 15. dec. 30. n. 4.* Quod procedit, etiamsi dictum fuerit, quod numquam sub apostolicis reservationibus comprehendatur, *Rota p. 4. dec. 568. n. 1.* Et non obstante quasipossessione praesentandi, cum propter decretum irritans contentum in regula tollatur omnis titulus et possessio et quaecumque possent impedire reservationem, *Rota part. 4. tom. 1. decis. 336. sub num. 3. et decis. 568. n. 6.*
4) Quod comprehendit sub reservatione etiam beneficia religionis Hierosolymitanae, *Rota part. 2. decis. 569. num. 1. et 2. part. 3. dec. 568. n. 5. et decis. 597. num. 1. p. 10. dec. 57. num. 32.* Dicta enim regula non comprehenditur sub indultis religionis Hierosolymitanae et propterea illis derogat, *Rota p. 3. dec. 568. n. 5. p. 10. decis. 57. n. 33.* Ista enim regula tamquam lex generalis comprehendit per verba universalia etiam ea, quae indigent speciali mentione, *Rota par. 9. t. 2. dec. 377. n. 3. et 4.*

Haec tamen nona regula *exceptuat* expresse

I. Beneficia spectantia ad collationem, praesentationem, electionem et quamcunque aliam dispositionem *Cardinalium*, *Rota part. 3. dec. 635. n. 6. pag. 4. tom. 3. dec. 531. num. 5. et dec. 588. num. 15. part. 5. tom. 2. dec. 440. num. 7. dec. 444. num. 9. part. 7. decis. 108. num. 2. part. 8. dec. 70. num. 6.* Adeo ut quoad Cardinales habeatur pro non emanata et pro non scripta, *Rota p. 19. t. 2. d. 472. n. 72. et 73.* Et procedit etiam quoad beneficia ecclesiarum, quarum Cardinales non sunt titulares, *Rota p. 9. t. 2. dec. 366. n. 19.* Et intelligitur etiam de Cardinalibus, qui sint inferiores ordinarii collatores, *Rota ibidem num. 20.* Praedicta enim regula excipiens Cardinales non solum intelligitur de illis, qui sunt majores collatores, ut Episcopi, verum etiam de iis, qui sunt inferiores collatores, ut Abbates et similes, *Rota part. 3. decis. 635. num. 5.* Quamvis non intelligatur de Cardinalibus Legatis, quia Papae intentio est, ut solum Cardinales non patiantur detrimentum in sua ordinaria collatione, qualis non est collatio Cardinalis Legati, qui habet collationem quasi extraordinariam et accidentalem et superinductam, Glossa *penult. in Clement. fin. de offic. ordinar.*, alias enim regula in provinciis Papae esset quasi superflua, cum fere in omnibus adsint Legati, *Rota par. 3. decis. 635. num. 6.* Nec intelligitur praedicta exceptio de capitulis Cathedralium, quibus S. R. E. Cardinales praesunt, ipsa enim capitula, ex indultis conferendi beneficia ecclesiastica reservata vel affecta eisdem Cardinalibus concessis, nullum jus praetendere valent, ut expresse declaravit et statuit Urban. VIII. *10. Septemb. 1626. constit.* incipient: *Accepto, Annotat. Ad decis. 530. num. 62. et seq. part. 4. tom. 3. et dec. 366. num. 6. part. 9. tom. 2.*

II. Exceptuat expresse beneficia et personas, quarum favore adsunt concordata, *Rota part. 9. tom. 2. dec. 366. num. 9.*

III. Specialiter exceptuat beneficia vacantia in mensibus, in quibus adest alternativa cum Episcopo, *Rota part. 11. decis. 108. n. 12.*

IV. Expresse exceptuat vacationem beneficiorum per resignationem in dictis mensibus vacantium dummodo resignatio valida fuerit et vere jus competierit resignanti, *Rota part. 3. dec. 379. n. 4.*

V. Excipit et non comprehendit beneficia manualia, *Rota par. 3. decis. 340.* Et sic non comprehendit vicarias temporales, quia loquitur de beneficiis, *Rota p. 2. decis. 704. num. 1. et 2.* Immo neque comprehendit vicarias perpetuas

mensibus, usque ad suae voluntatis beneplacitum extra romanam curiam alias quam per resignationem quocumque modo vacatura, ad collationem, electionem et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum et collatricium saecularium et quorumvis ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium aut aliorum sub concordatis inter Sedem apostolicam et quoscumque alios initis et per eos qui illa acceptare et observare debuerant acceptatis et observatis, quae laedere non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia dispositioni suae generaliter reservavit. Volens in supplicationibus seu concessionibus gratiarum, quae de dictis beneficiis tunc vacantibus, etiam motu proprio, fient, de mense, in quo vacaverint, dispositive mentionem fieri: alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines etiam immemorabiles optandi majores et pinguiores praebendas necnon privilegia etiam in limine erectionis concessa et indulta apostolica circa eas, ac etiam disponendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam in quibusvis derogatoriarum derogatoriis et fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis necnon irritantibus et aliis decretis, quorum tenor et pro expressis haberi et latissime extendi voluit, quibusvis personis et collegiis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis et conditionis existentibus quomodolibet concessa adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis intenta ipsis, quamdiu apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter resederint dumtaxat, de omnibus et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis cum cura saecularibus et regularibus (ad liberam ipsorum dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem vel electionem nec etiam cum consilio vel consensu seu interventu capitulorum vel aliorum, aut alias pertinentibus), quae in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris extra curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni apostolicae reservata vel affecta non fuerint) libere disponendi facultatem tempore sui pontificatus tantum duraturam concessit. Ac etiam voluit, ut si ipsi in collatione aut alia dispositione beneficiorum in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris et Novembris vacaturorum (quae etiam dispositioni suae, ut praefertur, reservavit) seu etiam aliorum dispositioni suae et dictae Sedis alias quomodolibet reservatorum vel affectorum sese intromiserint, aut quominus

stante *constitut.* s. Pii V. *edita Calend. Nov. 1567* quae tribuit facultatem nominandi rectoribus ecclesiarum unitarum vicarias perpetuas etiamsi vicariae vacent in mensibus reservatis, *Rota part. 2. decis. 704. num. 3.* Nec comprehendit capellanias, *Rota part. 15. dec. 327. num 85.* Et praesertim sub hac regula non cadunt capellaniae, quae fundantur in Hispania ad celebrandas missas, cum non sint tituli beneficiales, *Rota part. 6. decis. 13. num. 8.* Nisi probetur fuisse erectas in beneficia, *Rota ibid. num. 8.*

VI. Non comprehendit beneficia de jurepatronatus, *Rota part. 10. decis 168. num 44.* Quare non procedit contra eum, qui est in possessione praesentandi, *Rota part. 4. decis. 588. n. 6.* Et quamvis conclusio non procedat, ubi clare constat beneficium esse de jurepatronatus ex privilegio, *Rota ibid. num. 6.*, attamen ad hunc effectum requiritur, quod probationes sint vel per rem judicatam vel per confessionem partis vel saltem per instru mentum, *Rota ibid. num. 7.*

Ratione hujus nonae regulae Episcopus vel alius collator inferior non amittit jus conferendi beneficium in suo mense vacans, etiamsi istud eodem mense non contulerit, et sic vacatio ejus duraverit in mensem apostolicum neque prohibetur idem collator inferior ejusmodi beneficium conferre currente ipsomet mense apostolico. Ratio est clara, quia ad inducendam vel non inducendam reservationem beneficii attenditur solummodo initium vacationis, non autem tempus, quo duravit atque continuata fuit vacatio beneficii, juxta *Rotam decis. 774. num. 3. et 10. l. 3. part. 3. divers.*, quam refert *Gonzalez ad reg. 8. cancellar. gloss. 11. n 66.* Adeoque non obstante hac regula nona potest ordinarius collator conferre etiam in mense apostolico beneficium, quod vacavit in mense Ordinarii, seu collationem protrahere etiam usque ad alium mensem ordinarium; tum quia collator inferior habet sex menses ad conferendum; *cap.: Nulla 2. de concession praebend.* et concordat *c. Quia diversitatem 5. eodem titul*, *c.: Licet 3. de supplenda negligentia Praelat.* et *Clement. 1. tit. eodem* et *constit.* s. Pii V. incip: *In conferendis beneficiis.**) Sed hoc non subsisteret, si beneficium in mense Ordinarii vacans amplius conferre non posset in mense Papae sequente; immo talis facultas conferendi foret propemodum inutilis, praesertim quando ultima die vel hora mensis per obitum prioris possessoris inciperet vacatura beneficii adeoque beneficia vacantia in mense Ordinarii possunt conferri etiam in mense Papae sequente, vel etiam in alio ipsius Ordinarii post elapsum mensem Papae; sic cum communi *Gonzal. ad regul. 8. cancell. gloss. 11. a num. 47. usque ad num. 78.* et *Garzias part. 5. de beneficiis cap. 1. num. 537.*

*) Vd. *supra p. 425.*

provisiones et gratiae Sanctitatis Suae de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquomodo praestiterint, usu et beneficio praedictae facultatis eo ipso privati existant ac collationes et aliae dispositiones de beneficiis illius praetextu deinceps faciendae nullius sint roboris vel momenti. Illi vero, qui gratiam alternativae praedictae acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes literas manu propria subscriptas suoque sigillo munitas et in sua quisque civitate vel dioecesi datas declarare et literas ipsas huc ad Datarium Sanctitatis Suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis et recognitis ac libro ad id deputato registratis tunc demum et non antea uti incipiant gratia supradicta. Insuper declaravit, quod si idem Episcopus pluribus ecclesiis quomodocumque unitis ex apostolica concessione et dispensatione quomodocumque praesit, teneantur hujusmodi alternativae gratiam, quatenus ea potiri velit, utriusque ecclesiae nomine explicite acceptare, alias illi non suffragetur. Et post factam acceptationem et admissionem in Dataria neutri parti liceat nisi concordi consensu ab ea recedere. Declarans praeterea exceptionem positam in regula favore S. R. E. Cardinalium et indultum conferendi beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo non suffragari capitulo ratione communionis et consortii juxta declarationem fel. record. Urbani Papae VIII. Praedecessoris sui editam die decima Septembr. anno millesimo sexcentisimo vigesimo sexto, quam Sanctitas Sua in omnibus et per omnia approbat; decernens sic in praemissis omnibus per quoscumque etc. judicari debere ac irritum etc.

X. *De literis in forma »Rationi congruit«, expediendis.*

Item voluit idem D. N. Papa, quod concessa per fel. record. Clementem XIV. Praedecessorem suum et de ejus mandato expediantur in forma: *Rationi congruit etc.* sub die coronationis suae, ut moris est; et idem quoad concessa per piae mem. Clem. XIII. etiam Praedecessorem suum ad sex menses dumtaxat ab ipso die coronationis incipiendos observari voluit.

XI.*) *Declaratio reservationis ecclesiarum et beneficiorum per Praedecessores reservatorum.*

Item declaravit, omnium et singularum ecclesiarum cathedralium et monasteriorum provisiones, quas praedicti Praedecessores sui, ordinationi et dispositioni eorum, necnon omnia et singula beneficia ecclesiastica, quae dicti Praedecessores etiam praedictae dispositioni cum interpositione decreti reservaverant (quae quidem ecclesiae, monasteria necnon sic reservata beneficia tempore obitus eorumdem Praedecessorum vacabant aut ecclesiae ipsae vel monasteria hujusmodi, si commendata vel eis administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent) remansisse et remanere per hujusmodi reservationem et decretum affecta nullumque de illis praeter romanum Pontificem ea vice se intromittere vel disponere potuisse sive posse quoquomodo; decernens irritum et inane, si secus super illis attentatum forsan erat tunc vel in posterum contingeret attentari.

XII. *Revalidatio literarum Praedecessoris gratiae et justitiae infra annum concessarum.*

Item praedictus D. N. omnes et singulas a Clemente XIV. romano Pontifice Praedecessore suo infra annum ante diem ejus obitus concessas gratiae vel justitiae literas temporibus debitis earum executoribus seu judicibus non praesentatas omnino revalidavit et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentae, quoad hoc plenarie restituit ac decrevit per executores seu judices praedictos vel ab eis subdelegandos ad expeditionem negotiorum in eis contentorum procedi posse et debere juxta illarum formam.

XIII.*) *Revocatio Unionum.*

Item rationabilibus suadentibus causis ipse D. N. omnes uniones, annexiones, incorpo-

*) Regula undecima cancellariae generaliter et indefinite comprehendit reservationem omnium et singulorum beneficiorum reservatorum per Praedecessores Pontifices, *Rota part. 19. tom. 2. decis. 566. num. 3.* Haec tamen non potest dici, quod comprehendat etiam Parochiales, cum de iis nulla specifica mentio in dicta regula fiat; nec dicitur derogare decretali *Bonifacii VIII. in cap.: Si Apostolica 35 de praebend. in 6.*, *Rota ibid. num. 4.* Prout dictum *caput: Si Apostolica* non potest dici correctum per Extravag. Pauli II. incip.: *Ad romani Pontificis providentiam 13. de praebend. inter communes, Rota ib. num. 1. et seq.*

*) Regula tertiadecima expresse derogat unionibus effectum non sortitis, *Rota part. 4. tom. 2. dec. 446. num. 27. part. 10. decis. 174. num. 1. part. 11. dec. 305. n. 7.* Haec regula tribuitur Adri-

rationes, suppressiones, extinctiones, applicationes et dismembrationes, etiam perpetuas, de quibusvis cathedralibus necnon aliis ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis eorumve domibus, praediis et locis per cessum vel decessum aut aliam quamvis dimissionem vel amissionem, qualiacumque fuerint invicem vel aliis ecclesiis, monasteriis et mensis etiam capitularibus ac piis et aliis locis, universitatibus etiam studiorum generalium et collegiis, etiam in favorem S. R. E. Cardinalium, seu ecclesiis, monasteriis et beneficiis per eos obtentis quomodolibet apostolica vel alia quavis (non tamen Concilii Tridentini) auctoritate (necnon pro fundatione seu dotatione, augmento vel conservatione collegiorum et aliorum piorum et religiosorum locorum ad fidei catholicae defensionem et propagationem bonarumque artium cultum institutorum) factas, quae suum non sunt sortitae effectum: ac quascumque concessiones et mandata super unionibus, annexionibus, incorporationibus et aliis praemissis taliter faciendis revocavit, cassavit et irritavit nulliusque decrevit existere firmitatis. Nec alicui quascunque clausulas vel adjectiones aut decreta, quae Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit in quibusvis apostolicis, etiam quae motu proprio aut ex certa scientia et consistorialiter processerunt et emanarunt, literis, etiamsi in eis decretum esset, illas ex tunc effectum sortitas esse aut jus quaesitum fore quomodolibet contenta adversus revocationem et irritationem hujusmodi, voluit nullatenus suffragari; decernens irritum etc.

XIV. *Revocatio facultatum quibusvis concessarum.*

Item revocavit quascumque facultates concessas quibusvis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et praelatis et aliis, etiam utriusque signaturae referendariis, personis necnon apostolicae Sedis Nuntiis, ac fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum collectoribus, de dispensando cum quibusvis personis super matrimonio contracto vel contrahendo in gradu prohibito ac natalium et aetatis defectibus et de incompatibilibus beneficiis ecclesiasticis insimul retinendis, necnon de notariis publicis creandis ac de disponendo quomodolibet de quibusvis beneficiis ecclesiasticis et alias a praemissis officia ipsorum Nuntiorum et collectorum directe non concernentes, etiamsi in literis desuper confectis sint clausulae restitutoriae et derogatoriarum derogatoriae et aliae efficaciores, quas pro expressis haberi voluit quoad omnia, in quibus facultates ipsae non sunt sortitae effectum, etiamsi Nuntiis eisdem dictae Sedis Legatis de latere competens sit concessa potestas; decernens irritum etc.

XV. *) *Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata.*

Item revocavit quascumque facultates et literas desuper confectas, per quas quicumque

ano VI. et Urbano VIII., *Rota part. 10. decis. 174. n. 1. part. 11. dec. 305. n. 1.* Facta fuit, ne per unionem diminueretur cultus divinus et facultas conferendi, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 614. n. 65. part. 9. tom. 1. dec. 91. num. 19.* Haec regula comprehendit uniones factas ex causa minus necessaria, *Rota part. 10. dec. 174. num. 1.* Et sic comprehendit unionem factam non pro necessitate ecclesiae, sed pro commodiori sustentatione beneficiatorum, *Rota part. 11. dec. 53. num. 11.* Hic tamen nota, solam necessitatem ecclesiae non sufficere, sed etiam requiri, quod propter tenuitatem reddituum non reperiantnr, qui velint beneficia acceptare, *Rota part. 11. dec. 52, num. 1.* Haec regula derogat etiam unionibus non effectuatis, etiamsi in eis adesset decretum illas ex tunc fuisse effectum sortitas, *Rota part. 4. tom. 2. dec. 446. n. 27.* Quae derogatio non aderat in regulis antiquis, *Rota ibid. num. 28. et 29.* Haec tamen regula plures habet limitationes:

I. Non habet locum in unionibus, quae effectum sortitae sint, *Rota part. 4. tom. 2. decis. 90. n. 7. part. 11. dec. 224. num. 5. part. 17. dec. 145. n. 12.* Ad quem effectum sufficit, unionem fuisse in parte effectuatam, *Rota part. 4. tom. 2. dec. 394. num. 11. p 10. dec. 361. num. 4.*

II. Excipiuntur uniones factae auctoritate sacri Concilii Tridentini, *Rota part. 9. decis. 337. num. 4.*

III. Huic regulae non subjacet unio facta pro augmento cultus divini, *Rota part. 6. decis. 7. num. 7.* Intellige tamen procedere, dàta valida et non revocata erectione, secus autem, quando erectio beneficiorum non fuit valida, utpote quia erectio deficiat, *Rota ibidem.* Et sic intelligi debet Conc. Trid. *sess. 25. cap. 5.*, nempe quod loquatur de erectione valida, non autem nulla et invalida, *Rota ibid.*

IV. Non comprehendit reservationes factas ex causa dotis vel augmenti dotis, *Rota part. 6. dec. 109. num. 14. et 20.*

V. Sub hac regula non cadit unio, si sit facta ex titulo oneroso permutationis, *Rota part. 6. decis. 30. num. 12.*

VI. Non procedit quando unus ordo in totum supprimitur et ejus beneficia alteri uniuntur, *Rota part. 17. dec. 99. num. 22.*

*) Regula quintadecima, alias quarta decima, licet non legatur inter regulas Innocentii VIII., at-

sui Praedecessores romani Pontifices quibusvis personis ordinariam collationem seu aliam dispositionem beneficiorum ecclesiasticorum de jure vel consuetudine habentibus et quavis etiam patriarchali, archiepiscopali, episcopali vel alia dignitate vel alio non tamen Cardinalatus honore fulgentibus, quavis consideratione vel intuitu etiam motu proprio et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus et aliis decretis, quorum tenores habere voluit pro expressis, concesserant, ut quamdiu viverent vel suis ecclesiis seu monasteriis praeessent, aut ad aliud tempus de beneficiis ecclesiasticis generaliter reservatis seu affectis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem communiter vel divisim spectantibus, disponere libere et licite valerent, aut etiam ad id per eosdem Praedecessores Vicarii perpetui vel ad tempus constituti forent; decernens irritum et inane etc.

XVI. *De Dictionibus numeralibus.*

Item ut in apostolicis literis committendi crimen falsi per amplius tollatur occasio, voluit et ordinavit, quod dictiones numerales, quae in dictis literis ante Nonas, Idus et Kalendas immediate poni consueverunt per literas ac syllabas extensae describantur et illae ex praedictis literis, in quibus hujusmodi dictiones aliter scriptae fuerint, ad bullarium nullatenus mittantur.

XVII. *De concurrentibus in Data.*

Item voluit, quod de concurrentibus in Data ejusdem diei super vacantibus seu certo modo vacaturis beneficiis illi, quibus gratiae motu proprio conceduntur, caeteris simili modo gratias non habentibus, alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter aequaliter graduatos prius graduati, necnon colorato titulo possessores non possessoribus, ac inter personas alias in curia praesentes absentibus ab ea, ac inter praesentes non beneficiati beneficiatis et similiter inter absentes, caeteris paribus, oriundus non oriundo et dioecesanus non dioecesano, in reliquis vero singuli, qui prius apostolicas desuper literas eorum executoribus praesentaverint, aliis in ipsorum de quibus agi contigerit beneficiorum assecutione praeferantur.

XVIII. *De non tollendo jus quaesitum.*

Item ne per varias, quae pro commissionibus seu mandatis et declarationibus habendis in causis plerumque fiunt, suggestiones justitia postponatur, idem D. N. decrevit et declaravit, suae intentionis fore, quod deinceps per quamcumque signaturam seu concessionem aut gratiam vel literas apostolicas pro commissionibus seu mandatis aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio et ex certa scientia ac etiam ante motam litem a Sanctitate Sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tollatur.

XIX. *) *Regula de viginti.*

Item voluit, quod si quis infirmitate constitutus resignaverit, sive in romana curia

tamen a caeteris ab eo Pontificibus ad nostra usque tempora approbata et inter regulas semper inserta reperitur, *Rota part. 7. decis. 250. n. 32.* Revocat haec regula facultates conferendi beneficia reservata seu affecta, *Rota p. 7. decis. 250. n. 31. et 34. p. 9. t. 1. decis. 285. n. 25. et seq. par. 16. dec. 383. n. 8.* Et revocat quaecumque indulta huic regulae contraria quibuscumque personis, quibuscumque clausulis et de quibuscumque beneficiis concessa, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 285. num. 27. part. 16. dec. 383. n. 8.* Quod procedit, etiamsi emanata fuerint motu proprio et per viam legis universalis, *Rota part. 16. decis. 343. num. 9.* Et etiamsi contineant clausulas ampliores praevalentes clausulis cujuscumque indulti, *Rota ibid. num. 10.* Quare haec regula comprehendit etiam capitula, communitates, collegia et universitates, *Rota part. 9. tom. 1. decis. 285. n. 28. et 29.* et comprehendit etiam optionem et facultatem optandi, *Rota ibid. num. 25. et 27.* Immo revocat non solum privilegia activa eligentium et collectorum sed etiam passiva eligendorum et providendorum, nisi quando jus passivum competit ex fundatione, *Rota part. 6. decis. 243. n. 12.* Haec regula alias comprehendebat etiam Eminentiss. Cardinales, hodie autem eos non comprehendit, *Rota part. 3. decis 375 num. 2. et dec. 365. sub n. 4.*

*) Regula decima nona, quae inscribitur *de viginti* seu de infirmis resignantibus, annullat quamcumque resignationem beneficiorum factam ab infirmo, qui ex ea infirmitate decedat, vel etiam factam a sano, qui infra viginti dies a die praestiti consensus decedat, *Rota part. 5. tom. 3. dec. 344. num. 2 part. 9. tom. 2. decis. 251. num. 13. p. 10. decis. 184. num. 24. et dec. 307. num. 12.* Haec regula comprehendit tam infirmitates leves quam graves, *Rota par. 3. dec. 440. num. 3.* Et ut intret haec regula, sufficit

sive extra illam, aliquod beneficium, sive simpliciter sive ex causa permutationis vel alias dimiserit aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae et postea infra viginti dies a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

XX. *De idiomate.*

Item voluit, quod si contingat tam in curia quam extra alicui personae de parochiali ecclesia vel quovis alio beneficio exercitium curae animarum parochianorum quomodolibet habente provideri nisi ipsa persona intelligat et intelligibiliter loqui sciat idioma loci, ubi ecclesia vel beneficium hujusmodi consistit, provisio seu mandatum et gratia desuper quoad parochialem ecclesiam vel beneficium hujusmodi nullius sint roboris vel momenti; decernens irritum etc.

XXI. *De non impetrando beneficium per obitum viventis.*

Item si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque tamquam per obitum alicujus licet tunc viventis vacante provideri et postea per obitum ejus vacet, provisio et quaevis dispositio, etiam vigore alterius novae supplicationis vel gratiae dicto supplicanti per obitum hujusmodi denuo faciendae, nullius sint roboris vel momenti.

---

probare resignantem obiisse infra 20 dies, quamvis ille tempore resignationis fuerit sanus, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 253. num. 13.*, ubi asserit sic expresse declarasse Clem. VII. sub illis verbis regulae de viginti: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae.* Et hoc tempus viginti dierum videtur computandum de momento in momentum, ita ut dies resignationis seu consensus computetur in termino viginti dierum et sic valida erit resignatio, qua quis v. g. resignavit beneficium die prima Maji hora quintadecima, quia revera intercessissent viginti dies naturales, scilicet vigintiquatuor horarum et de momento in momentum completi; *arg. l. More romano ff. de feriis;* et *c : Consuluit 24. de offic. Delegati.* Et sic expresse tenent *glossa* hujus regulae, *Mandosius q. 18. n. 3., Joan. de Selva tract. de 15. tract. de beneficiis p. 3. c. 46. n. 11., Azorius part. 2. lib. 7. cap. 28. q. 7.* et alii.

XXII. *De unionibus et unionum confirmatione.*

Item voluit, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri teneantur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi quam illius cui uniri petitur, alioquin unio non valeat et semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest. Et idem voluit observari in quibusvis suppressionibus perpetuis, concessionibus, dismembrationibus et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus et bonis ecclesiasticis ac etiam in confirmationibus unionum singularumque dispositionum hujusmodi.

XXIII. *De Mendicantibus transferendis.*

Item de Mendicantibus transferendis, qui ad alios ordines transierint pro tempore, voluit constitutionem fel. record. Martini Papae V. Praedecessoris sui desuper factam et in libro cancellariae apostolicae descriptam, quae incipit: *Viam ambitiosae cupiditatis etc.* firmiter observari.

XXIV. *De male promotis.*

Item de clericis extra tempora a jure statuta sive ante aetatem legitimam aut absque dimissoriis literis ad sacros ordines se promoveri facientibus pro tempore, etiam voluit constitutionem piae mem. Pii II. similiter Praedecessoris sui desuper editam et in dict. cancell. apost. libro descriptam, quae incipit: *Cum ex sacrorum ordinum etc.* pari modo observari.

XXV. *De Moneta.*

Item declaravit idem D. N. quod libra Turonensium parvorum et florenus auri de camera pro aequali valore in concernentibus literas et cameram apostolicam computari et aestimari debeant.

XXVI.*) *De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias et monasteria.*

Item praedictus D. N. Papa voluit, decrevit et ordinavit, quod quaecumque concessiones, gratiae et mandata etiam motu proprio et cum derogatione hujus constitutionis, quae ab eo pro quibusvis personis emanaverint de providendo eis de quibusvis beneficiis vacaturis per promotionem quorumcumque ad ecclesiarum et monasteriorum regimina, si hujusmodi concessiones et mandata diem promotionis promovendorum ipsorum praecesserint, necnon quaecumque collationes, provisiones et dispositiones pro tempore faciendae de praemissis et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis saecularibus et regularibus, quae per promovendos vel assumendos ad quascumque praelaturas inter illarum vacationis et hujusmodi promotionis vel assumptionis tempora simpliciter vel ex causa permutationis ubicumque resignari vel alias dimitti contigerit, cum inde sequutis pro tempore sint cassae et irritae nulliusque roboris vel momenti.

---

*) Regula vigesima sexta, quae apud antiquiores est 24. et apud alios 25., annullat resignationes beneficiorum factas ab eo, qui est promotus ad praelaturam, *Rota part. 3. dec. 328. n. 1.* Haec tamen regula solum habet locum in beneficiis

XXVII.*) *De non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum.*

Item cum ante confectionem literarum gratia apostolica sit informis, voluit, statuit et ordinavit idem D. N. quod judices in romana curia et extra eam pro tempore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, causarum palatii apostolici Auditores vel quicumque alii, non juxta supplicationum signatarum super quibusvis impetrationibus (nisi in dicta curia dumtaxat sint commissiones justitiam concernentes per *Placet* vel per S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem super hoc sibi concessam signatae) sed juxta literarum super eisdem impetrationibus et concessionibus confectarum tenores et formas judicare debeant: decernens irritum etc. Et si literae ipsae per praeoccupationem vel alias minus bene expeditae reperiantur, ad illorum quorum interest instantiam ad apostolicam cancellariam remitti poterunt per ejus officiales, quibus hujusmodi tenores et formas restringere convenit, ad formas debitas reducendae.

---

resignandis post vacationem praelaturae, non autem in resignatis ante ejus vacationem, *Rota ibidem.* Et ratio est, quia ille qui resignat postquam vacavit praelatura est magis certus de sua promotione, cum illa dependeat a sola voluntate summi Pontificis. Ille autem, qui resignat ante vacationem praelaturae, quam sibi sperat resignari, non est ita certus, cum haec dependeat a voluntate duorum, nempe ab ea resignare debentis et ab illa summi Pontificis resignationem admittere volentis, *Rota ibidem num. 2.*

*) Regula vigesima septima disponit, quod non judicetur juxta formam supplicationis, sed juxta tenorem literarum, *Rota part 2. dec. 656. sub num. 5.* Per hanc regulam adimitur facultas ferendi judicium ante expeditionem literarum apostolicarum ad effectum audientiae et dispositionis, *Rota part. 16 decis. 184. num. 6. et 7.* Attamen solum procedit haec dispositio, ubi literae sint expeditae et discordent a supplicatione, *Rota part. 2. decis. 465 n. 5.* Non autem procedit, ubi incidenter tantum et non essentialiter agitur de verificatione gratiae, *Rota part. 17. dec. 212. num. 11.* Item non procedit in possessorio retinendae, licet secus sit in alio possessorio, in quo requiritur titulus coloratus, ne detur vitiosus regressus, *Rota part. 2. dec. 329. num. 2.*

XXVIII. *De Regulis Cancellariae producendis.*

Item attendens D. N. Papa, quod super habendis de cancellaria apost. regulis et constitutionibus inibi descriptis faciliter per eos, qui in romana curia indiguerint, ad ipsam cancellariam recursis dirigi potest, nec consultum foret, quod super earumdem regugularum et constitutionum (quae juxta varietatem concurrentium causarum et negotiorum aliquoties immutari convenit) probando tenore vel effectu testium plerumque tenacem desuper memoriam non habentium, dispositionibus stari deberet, voluit, statuit et ordinavit, quod deinceps quilibet ex Auditoribus causarum palatii apostolici et aliis (etiamsi S. R. E. sint Cardinales) in ipsa curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica judicibus, etiam in causis actu pendentibus super hujusmodi tenore vel effectu probando dumtaxat stet, fidemque adhibeat cedulae seu scripturae desuper a duobus majoris praesidentiae, quod danda sit, a tergo signatae et etiam a duobus aliis literarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa cancellaria auscultatae et Vicecancellarii seu dictam cancellariam regentis manu subscriptae, ut moris est; quidquid autem secus fieri contigerit, nullius sit roboris vel momenti.

XXIX.*) *De subrogandis Collitigantibus.*

Item D. N. cupiens litium succidere anfactus et ne novi collitigantibus adversarii

---

*) Regula vigesima nona, quae de subrogandis collitigantibus inscribitur, disponit, quod si duo super beneficio litigent et alter moriatur vel alio quovis modo recedat, superstes possit petere per subrogationem gratiosam substitui in jure vel ad jus et possessionem, quae adversariis competebant, *Rota part. 4. tom. 1. dec. 226.*

dentur providere, voluit, statuit et ordinavit quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico collitigantem in jure vel ad jus, si quod forsan ejus adversario in dicto beneficio competierit, subrogari contigerit (dummodo praedictus collitigans in dicto beneficio intrusus non fuerit nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per triennium pacifice possederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de praemisso jure, sive tunc vacet vel cum vacaverit, impetrationes vel concessiones etiam motu proprio infra mensem ante concessionem hujusmodi factae nullius sint roboris vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium beneficia, illorum praesertim, quibus aut propter senium aut propter infirmitatem immineret vitae periculum, impetrant, ut illis decedentibus tamquam collitigantes in eorum juribus facilius subrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure vel ad jus in beneficio defuncti, quod illo vivente in casibus praemissis vel similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur et subrogatio vel gratia, si neutri, si nulli, seu novae provisionis, aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus suffragetur, quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per privationem et amotionem ex quibusvis criminibus et excessibus forsan perpetratis, etiamsi usque ad definitivam sententiam, quae tamen in rem non transiverit judicatam, processum foret.

XXX.*) *De verosimili Notitia.*

Item voluit et ordinavit, quod omnes gratiae, quas de quibusvis beneficiis ecclesiasticis cum cura vel sine cura saecularibus vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus in antea fecerit, nullius roboris vel momenti sint, nisi post obitum et ante datam gratiarum hujusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam ejusdem S. D. N. verosimiliter potuerint pervenire.

XXXI.**) *Non valeant commissiones causarum nisi literis expeditis.*

Item quod omnes et singulae commissiones causarum, quas in antea fieri contigerit, obtentae vel occasione concessionum dumtaxat apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis gratiarum, super quibus literae apostolicae confectae non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris vel momenti.

---

n. 4. Haec tamen regula non habet locum ad favorem intrusi, *Rota part. 1. dec. 306. num. 3. et 4. part. 3. decis. 336. num. 4.* Intrusus autem generatim loquendo dicitur ille, qui obtinet beneficium ecclesiasticum sine auctoritate illius, ad quem de jure spectat collatio. Ita *Abbas in cap.: Quia diversitatem num. 2. de concessione praebendae, Gomez, Rebuff.* et alii communiter. Unde non habetur pro intruso is, qui absque intimatione Executorialium possessionem apprehendit; nam licet possessio sit attentata, tamen effectum subrogationis gratiosae possessor non habetur pro intruso, *Rota part. 11. dec. 124. num. 23. et sequent.* Et haec regula damnat solum intrusionem existentem de tempore petitae subrogationis, ita ut futura excludatur, *Rota ibid. num. 36. et 44.* Et inducit solum obligationem justificandi causam de tempore signatae supplicationis, *cap.: Cum te 7. de rescriptis,* ubi *Felin. num. 18., Franc. in cap.: Cum illis sub num. 8. de praebend. in 6., Alex. cons. 42. n. 8. lib. 4., Rota decis. 443. num. 4. part. 2.* recent., non attento quid acciderit medio tempore inter supplicationem signatam et literarum desuper expeditionem, *Rota in Nuscana Canonicatus 11. Martii 1647 §: Quia Breve et §. seq. coram bon. memor. Arguelles, et in puncto subrogationis dec. 472. num. 4. p. 3. divers.*, ubi adducitur ratio, quia effectus subrogationis incipit a die data et semper viget in persona subrogata, *Rota part. 12. dec. 124. n. 45. et seq.*

*) Regula trigesima, quae de *verosimili notitia* appellatur, annullat concessionem beneficii per mortem beneficiati obtenti, quando inter vacationem et datam gratiae tantum temporis non intercesserit, quo verosimiliter Pontifex notitiam habere potuerit vacationis, *Rota part. 17. dec. 74. num. 1.* Hic tamen advertendum est regulam solum requirere tempus, quo notitia vacationis potuerit pervenire ad Papam, non autem requirere, quod revera pervenerit, *Rota ibid.* Considerat enim regula non quod est sed quod potuit esse, *Rota ibid.* Hinc ad excludendam regulam praedictam sufficit quod notitia etiam celeri expeditione et maxima solicitudine venire potuerit, *Rota part. 19. tom. 1. dec. 285. num. 2.* Atque in hac materia statur attestationi Cursorum an notitia deferri potuerit necne, *Rota part. 17. dec. 74. num. 5.*

**) Regula trigesima prima adimit omnem jurisdictionem executori quoad omnia acta literis non expeditis, *Rota part. 4. tom. 3. decis. 553. num. 9.* Ita ut ante literarum apostolicarum expeditionem nulla jurisdictio data censeatur, *Rota part. 17. dec. 205. num. 30. et seq.* Haec tamen regula non habet locum, ubi fuerint expeditae literae gratiae principalis, *Rota part. 2. dec. 81. num 5.*

XXXII.*) *De Impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium.*

Item voluit, quod impetrans beneficium vacans per obitum familiaris alicujus Cardinalis teneatur exprimere nomen et titulum ipsius Cardinalis, ut si ille in curia fuerit ipsius ad id accedat assensus, alias desuper gratia sit nulla; et item servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa curia absentes et ubilibet etiam in locis infra duas dietas vicinis degentes, familiamque et lares in eadem curia retinentes, ab ipsa curia recesserint ad eamdem illico reversuri et infra decem vel ad summum quindecim dies vere et personaliter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus alias quam, ut praefertur, ex quacumque causa quantumlibet necessaria et hic necessario exprimenda absentibus facultas praestandi consensum hujusmodi non competat, sed beneficia hujusmodi ad liberam Sanctitatis Suae et Sedis apostolicae provisionem et dispositionem pertineant. Declarans regulas et constitutiones suorum Praedecessorum etiam a die earum editionis et publicationis super assensu hujusmodi praestando sic intellectas et intelligendas fuisse. Irritumque etc. attentari decernens. Quodque si praedicti familiares eorumdem Cardinalium familiares esse desierint, seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quoad beneficia, quae familiaritate priori durante obtinuerint et in quibus vel ad quae priori ipsa familiaritate durante jus eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans praesentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quae familiares ipsi tempore obitus eorum in dicta curia vel extra eam obtinerent aut antea obtinuissent et ratione officiorum per eos obtentorum dictae dispositioni generaliter reservata vel affecta fuisse apparerent. Necnon illos quoad effectum dictae constitutionis familiares eorundem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum fuisse probarentur; decernens irritum etc.

XXXIII.*) *Super eadem Familiaritate.*

Idem D. N. ad evitandas lites et contentiones, quae ex praecedenti sua constitutione exoriri possent, vestigiis Praedecessorum suorum inhaerendo voluit, statuit et ordinavit, quod si beneficia, quae per obitum familiarium continuorum commensalium eorumdem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reservationibus, ad alterius Cardinalis collationem vel aliam dispositionem

---

*) Regula trigesima secunda disponit, quod in collatione beneficiorum familiarium Cardinalium reservatorum per regulam quartam, per Cardinalem patronum praestari debeat consensus, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 654. n 24. part. 6. decis. 53. n. 12. part. 17. decis. 303. num. 26.* Intellige tamen solum procedere, quando Cardinalis patronus est praesens in curia, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 654. num. 24. part. 6. dec. 53. num. 12.* Quare hoc privilegium neque opitulatur Cardinali patrono absenti a curia, licet resideat in suo episcopatu, *Rota part. 6. dec. 53. n. 13.* Dum nec etiam gaudet hoc privilegio Legatus Sedis apostolicae, *Rota ibid. n 14.* Nec huic regulae est derogatum per sequentem regulam trigesimam tertiam, *Rota part. 4. tom. 3. decis. 654. n. 24. part. 17. decis. 303. n. 27.*

*) Regula trigesima tertia disponit, quod beneficia vacantia per obitum familiarium Cardinalium conferantur per Cardinalem ordinarium collatorem, non autem per Cardinalem patronum, *Rota part. 4. tom 3. dec. 654. num. 2. part. 6. decis. 53 num. 8. part. 17. dec. 303. sub num. 26.* Hoc tamen solum procedit, quando Cardinalis ordinarius collator habet indultum conferendi talia beneficia, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 654. num. 25. et seq. part. 6. dec 53. num. 8.* Secus ubi Cardinalis collator indultum non habeat, *Rota dict. part. 4. tom. 3. dec. 654. num. 20. et 26. et part. 6. dec. 53. num. 11.* Ubi enim non adest tale indultum, haec beneficia per regulam quartam et ex constitutione moderatoria indultorum Gregorii XIV. et Pauli V. reservantur summo Pontifici non obstante, quod collatio spectet ad Cardinalem, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 654. num. 8. et seq. et num. 63. et sequent.* Quare haec regula indulto solum inservit et famulatur et operatur tantum, quando Cardinalis ordinarius collator habet indultum; secus e contra, *Rota part. 4. tom. 2. decis. 654. n. 25. et sequent.* Et sane regula ipsa expresse loquitur, ubi Cardinalis collator habet indultum, et disponit, quod in concursu Cardinalis patroni praeferatur Cardinalis ordinarius collator habens indultum, *Rota part. 6 decis. 53. num. 10.* Haec regula trigesima tertia non aderat de tempore Sixti IV. et Innocentii VIII., *Rota part. 4. tom. 3. dec. 654. num. 47. et 52.* Et fuit inducta ad tollendas lites, quae ex praecedenti regula oriri possent inter Cardinalem ordinarium collatorem et Cardinalem patronum super provisione beneficiorum vacantium per obitum familiaris Cardinalis, *Rota part. 17. dec. 303. sub num. 26. et dec. 654. num. 21. et seq.* Nec tamen haec regula tollit reservationem regulae quartae neque in hac regula ulla mentio fit de dicta regula quarta, *Rota part. 4. tom. 3 dec. 954. num. 20. et 22.*

pertinere deberent, in dicta praecedenti constitutione non comprehendantur quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione literarum illius Cardinalis, cujus familiaris defunctus ille extitit, consensus requiri debeat. Sed beneficia hujusmodi ad collationem seu quamvis dispositionem Cardinalis ordinarii collatoris, ut praefertur, libere spectare censeantur. Et si apud Sedem apostolicam beneficia hujusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum, super expeditione literarum, illius Cardinalis exigatur consensus, si in romana curia praesens fuerit, ad quem eorumdem collatio et dispositio, ut praefertur, pertinere deberet; ita ut Cardinalis ordinarius collator in concursu cum Cardinali patrono semper praeferri debeat, salvis tamen semper indultis concessis et concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus; decernens irritum etc.

XXXIV. *Signatura per »Fiat« praeferatur alteri »per Concessum.«*

Item voluit idem D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque beneficio per *Fiat* et concessum signaturis, ex eis per *Fiat* etiam *ut petitur* habens alteri per *Concessum* etiam motu proprio habenti praeferatur, etiamsi in illa per concessum praestantiores et quantumlibet privilegiativae essent clausulae.

XXXV.*) *De annali Possessore.*

Item SS. D. N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur voluit, statuit et ordinavit, quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum et nobilitatem possessoris ejusdem et quot annis ipse illud possederit, ac specificam et determinatam, ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio jus competat, causam in hujusmodi impetratione exprimere et infra sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam definitivam inclusive prosequi debeat et teneatur. Alioquin impetratio praedicta et quaecumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis et interesse possessorem praedictum propterea contingentibus ei satisfacere et si possessorem ipsum injuste, frivole et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere camerae apostolicae sit adstrictus, nec alius quam praemissae vacationis modus etiam per literas si neutri, aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium hujusmodi ea vice consequi aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cujuscumque qualitatis per privationem et amotionem, vel alias propter commissa, excessus et crimina vacantia vel vacatura et similiter ad impetrantes beneficia tamquam vacantia per devolutionem.

XXXVI.*) *De Triennali.*

Item statuit et ordinavit Idem D. N. quod si quis quaecumque beneficia ecclesia-

*) Regula trigesima quinta de annali possessore disponit, quod impetrans beneficium ecclesiasticum ab alio pacifice possessum, quod certo modo de jure vacare et injuste ab alio possideri praetenditur, exprimere debeat qualitates possessoris et nullitates possessionis et intra sex menses possessorem in judicium vocare debeat et infra annum sententiam obtinere, alias gratia impretata corruit, *Rota part. 12. dec. 152. num. 56. et 57. part. 13. decis. 402. n. 1. et 2. part. 15. dec. 51. n. 8. et decis. 329. n. 2.* Regula haec introducta fuit in odium impetrantium aliena beneficia et in favorem possidentis, *Rota part. 15. dec. 51. num. 11. et dec. 329. num. 13. part. 17. dec. 345. num. 7. par. 18. tom. 1 dec. 148. n. 14. et seqq.* Hinc haec regula ad excludendum impetrantem non attendit possessionem neque requirit titulum, sed solum meram detectionem facti, dummodo tamen sit actualis, bona et pacifica, *Rota p. 4. tom. 3. decis. 599. n. 42. part. 9. tom. 1 dec. 289. num. 28 part. 13. dec. 402. num 13. et seq.* Tuetur enim possessorem etiam sine titulo, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 289. num. 28. part. 13. dec. 402. num. 13.* Ipsa enim regula non considerat personam, sed solum factum impetrantis, *Rota part. 13. dec. 402. num. 16.* Unde sufficit ostendere provisionem beneficii ante annum, ut dicatur de possessione constare, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 289. num. 32. part. 17. dec. 205. num. 22.* Quae possessio non excluditur per decretum irritans, *Rota part. 15. decis. 329. num. 10.*

Nec interrumpitur per monitorium praesentatum possessori, *Rota part. 19. tom. 2. dec 663. num. 10. et seqq.*

*) Regula trigesima sexta appellata *de triennali possessore* defendit quemcumque possessorem beneficii ex quovis titulo possessi, si per triennium in ejusdem possessione pacifice permanserit, ita ut non possit a quocumque alio molestari, *Rota part. 19. tom. 2. dec. 423. num 17. et 41.* Unde observandum est

I. hanc regulam procedere, tam in collatione facta a Papa quam ab Ordinario, *Rota part. 17. dec. 298. num. 22*;

II. hanc regulam suffragari triennali possessori adversus quascumque molestias tam in possessorio quam in petitorio illatas, *Rota part. 3. dec. 783. num. 4. part. 19. tom. 1. dec. 264. num. 2. part. 14. dec. 518. num 15*;

III. hanc regulam defendere possessorem triennalem etiam contra provisum apostolicum, *Rota part. 19. tom. 2. decis. 423. num. 21;*

IV. hanc regulam de triennali juvare etiam contra petentem executionem brevis de capienda possessione nomine camerae, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 264. num. 8;*

V. hanc regulam impedire litis ingressum contra possessorem, etiam titulo optionis nullae, *Rota part. 19. tom. 1. decis. 608. num. 16.* Optans enim se tueri potest per hanc regulam in possessione beneficii per optionem obtenti, *Rota part. 19. tom. 2. dec. 663. num. 9.* Quae quidem regula non interrumpitur per monitorium non praesentatum possessori, *Rota ibid. num. 10. et seqq.* Advertendum tamen est:

a) ab hac regula excipi possessorem, qui in beneficio per simoniam ingressus est, *Rota part. 9. tom. 1. dec. 264. num. 6. part. 19. tom. 2. dec. 423. n. 9*;

b) ab hac regula excipi reservationes in corpore juris clausas, *Rota part. 9. tom. 1 dec. 264. num. 2. et 7. part. 17. dec. 345. num. 12. part. 12. tom. 2. decis. 423. num. 19*;

c) hanc ipsam triennalem possessionem debere esse pacificam, alias non suffragari, *Rota part. 3. decis. 783. num. 4. part. 9. tom. 1. dec. 264. num. 4. part. 11. decis. 255. num. 1.* Ita ut ad eam excludendam sufficiant etiam controversiae extrajudiciales, *Rota part. 15. decis. 51. num. 27.* Et si ante triennium fuit mota lis juris vel facti super re possessa in judicio vel extra, *Rota part. 12. dec. 64. num. 9.* Hinc monitorium executum contra possessorem interrumpit effectum regulae de triennali, *Rota part. 19. tom. 2. decis. 663. num. 10*;

d) ad effectum, ut habeat locum haec regula de triennali, praeter pacificam triennalem possessionem requiri saltem titulum coloratum, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 599. num. 36. part. 5. tom. 2. dec. 551. num. 16. part. 9. tom. 1. dec. 264. num. 4. part. 11. decis. 178. num. 11. et 12.* Hinc regula non suffragatur, ubi cesset titulus vel titulus sit discoloratus, *Rota part. 4. tom. 3. dec. 599. num. 37. part. 17. dec. 298. n. 23. part. 18. tom. 1. dec. 204. num. 11. et seqq.* Prout etiam non suffragatur stante nullitate et invaliditate tituli exhibiti, *Rota part. 18. tom. 1. dec. 232. num. 9.**)

stica qualiacumque sint absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione aut electionis hujusmodi confirmatione seu praesentatione et institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio et praesentatio seu quaevis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si dispositioni apostolicae ex reservatione generali in corpore juris clausa reservata fuerint) se non intruserit, super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, necnon impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas irritas et inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extingendo.

XXXVII. *De non appellando**) ante sententiam definitivam.*

Item idem D. N. ut finis litibus celerius imponatur et litigantium parcatur sumptibus et expensis suorum Praedecessorum constitutionibus et statutis inhaerendo statuit et ordinavit, quod in causis pendentibus et quas in posterum contigerit agitari, nulli ante definitivam sententium liceat appellare nec appellatio si fuerit emisssa debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quae vim habeat definitivae, vel a gravamine minime concernente negotium principale, quod non possit per appellationem a definitiva sententia reparari. Nullaeque causae appellationum committantur, nisi in commissione exprimatur, quod interlocutoria vim definitivae habeat vel gravamen sit tale, quod in appellatione a definitiva non valeat reparari. Alioquin appellationes in posterum et quidquid inde sequutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti, commissionibus appellationum jam judicibus praesentatis et exhibitis in suo robore permansuris in quibus latis super eisdem sententiis secundo

*) Hinc, qui beneficium mala fide possidet, juvari non posse regula de triennali possessione, quae praescriptio quaedam est, mordicus tenent contra *Navarrum lib. 3. cons. 30. de praebend. et lib. 1. cons. 8. num. 2. de renunc. ad 2., Sa verb.: Beneficium num. 14. et in editione romana expurgata num. 19.* et alios non paucos *Stephanus Baunius in praxi benef. disp. 11. quaest. 6., Reginaldus tom. 2. lib. 3. tract. 3. cap. 18. num. 260.* et *Layman in theolog. mor. lib. 3. tract. 1. cap. 8. num. 16.*, ubi sic concludit dicens: *Quod porro Navarr. ait in cit. consil. 8.* et *Sà cit. num. 14*: Triennio possidens beneficium pacifice, etiamsi mala fide, fit ejus Dominus: *non intelligo, quomodo defendi possit, cum certum sit ad acquirendum jus titulo praescriptionis bonam fidem requiri, saltem in conscientiae foro, de quo ipse Navarr. et Sà loquuntur.*

**) Vd. *Appellatio.*

vel ulterius, ab eis non liceat appellare. Appellantes vero et appellationes etiam ab interlocutoriis et gravaminibus hujusmodi suo vel alterius nomine prosequentes, si succubuerint, ultra expensas et damna, ad quae reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri poena mulctentur.

XXXVIII. *Non stetur Commissioni post conclusionem.*

Item statuit et ordinavit, quod in commissionibus de justitia seu mandatis etiam consistorialibus per eum seu de ejus mandato vel auctoritate in causis, in quibus conclusum existat, in posterum concedendis, etiamsi in eis de conclusione hujusmodi implicite mentio facta fuerit, nihil censeatur esse concessum, nisi per concessionem hujusmodi commissionis eidem conclusioni ac praesenti regulae derogetur expresse.

XXXIX. *De literis Religiosorum expediendis.*

Item voluit et ordinavit, quod si aliqui religiosi petunt aliquod beneficium ad nutum amovibile cum clausula, quod exinde pro solo nutu Abbatis vel Superioris amoveri non possint, literae quoad ipsam clausulam nullatenus expediantur, nisi idem D. N ponat in signatura, quod non possit amoveri, vel ad partem clausulam ipsam concedat.

XL. *De clausula ponenda in literis permutationis beneficiorum.*

Item si committatur alicui beneficii resignationis receptio ponatur clausula: »*Attente quoque providens etc.*« et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula: »*Quod neuter permutantium jus acquirat,* nisi quilibet ipsorum jus habuerit in beneficio per ipsum resignato.

XLI. *De supplendis defectibus.*

Voluit, quod si petatur suppleri defectus in genere, nullatenus literae desuper concedantur, nisi in petitione desuper hujusmodi defectus exprimantur vel per *Fiat*, *ut petitur*, supplicatio signata fuerit.

XLII. *De derogatione jurispatronatus.*

Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de jurepatronatus laicorum non expediantur literae, nisi ponatur expresse, quod tale beneficium tanto tempore vacavit, quod ejus collatio ad Sedem apostolicam legitime est devoluta vel quia tempus patronis laicis ad praesentandum a jure praefixum lapsum existat, ut ad id patronorum ipsorum accedat assensus; et si per ipsum jurispatronatus hujusmodi derogari contigerit, jurispatronatus hujusmodi mentio dispositive ac specifice et determinate non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem vel alium Principem pertineat. Et si de hoc in literis provisionis vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit, non censeatur quomodolibet derogatum.

XLIII. *De Commendis.*

Item voluit, quod nulli saeculari de regulari nec religioso de saeculari beneficio commenda detur, nisi in signatura vel per clausulam ad partem super petitione commendae hujusmodi, de commenda ipsa mentio fiat.

XLIV. *De Reformationibus.*

Item voluit, statuit et ordinavit, quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod literae super prima Data expediri possint, si ex hujusmodi expeditione sub tali Data cuiquam videatur posse fieri praejudicium, literae hujusmodi sub ipsa prima Data nullatenus expediantur, nisi reformationes hujusmodi per »*Fiat sub prima Data*« signatae fuerint.

XLV. *De Consensu in Resignationibus et Pensionibus.*

Item voluit et ordinavit, quod super resignatione cujuscumque beneficii ecclesiastici seu cessione juris in eo, quam in manibus suis vel in cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicae literae nullatenus expediantur, nisi resignans vel cedens, si praesens in romana curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum expeditioni hujusmodi in eadem cancellaria expresse consenserit et juraverit, ut moris est. Et si ipsum resignantem seu cedentem pluries super uno et eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit Sanctitas Sua, quod primus consensus tenere debeat et alii posteriores consensus ac literae eorum praetextu etiam sub priori Datae expeditae pro tempore nullius sint roboris vel momenti nec literae reservationis vel assignationis etiam motu proprio cujusvis pensionis annuae super alicujus beneficii fructibus expediri possint, nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.

XLVI. *De Ingressu religionis.*

Item non dentur literae super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi professio praecesserit datam desuper petitionis.

XLVII. *Non valet impetratio facta per modum in Cancellaria exprimendum.*

Item voluit, quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in cancellaria apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat nec literae desuper expediantur.

XLVIII. *De executione facienda.*

Item voluit, statuit et ordinavit, quod quotiescumque per signaturam suam vel de ejus mandato factam super exequendis aliquibus, cum adjectione proprii nominis vel dignitatis cujusvis judex datur, literae desuper expediantur cum expressione, quod idem judex executionem faciat per seipsum.

XLIX. *De Dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.*

Voluit, quod in literis dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis aut alias prohibito ponatur clausula: »*Si mulier rapta non fuerit.*« Et si scienter, ponatur clausula: »*Addita in quaterno.*«

L. *Super Defectu Natalium.*

Voluit, quod in dispensationibus super defectu Natalium, quod possint succedere in bonis temporalibus, ponatur clausula: »*Quod non praejudicetur illis, ad quos successio bonorum ab intestato pertinere debeat.*«

LI. *Super dispensationibus.*

Item quod per quamcumque signaturam in quavis gratia nullatenus dispensatio veniat, nisi specialiter exprimatur, vel dicta gratia totaliter effectum hujusmodi dispensationis concernat vel alias nihil conferat aut operetur.

LII. *Nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.*

Item cum concessiones super gratiis dispensationum quarumcumque, quibusvis per ipsum D. N. concessarum vel concedendarum per regulas cancellariae apostolicae sint provide limitatae, licet aliquando in petitionibus super hujusmodi concessionibus oblatis, multa sint petita, ne quis talium concessionum praetextu id dispensative tenere aut facere praesumat, ad quod concessiones hujusmodi se non extendant, voluit idem D. N. quod nulla talis dispensatio cuiquam in judicio vel extra suffragetur, antequam super ea literae apostolicae sint confectae.

LIII. *De Clausulis ponendis in literis indulgentiarum.*

Item voluit, quod in literis indulgentiarum ponatur, quod si ecclesiae vel capellae aut alias aliqua indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmodi literae sint nullae.

LIV. *De Indulgentiis concessis »ad instar.«*

Item voluit D. N., quod literae super indulgentiis non expediantur *ad instar*, nisi specificentur.

LV. *De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus.*

Item voluit, quod in gratiis, quas quibusvis personis de beneficiis vacantibus seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum et aliorum quorumcumque beneficiorum, quae dictae personae tunc obtinuerint seu de quibus eis fuerit provisum vel concessum aut mandatum provideri, verus annuus valor per marchas argenti aut sterlingorum, vel libras Turonen. parvorum seu florenos auri aut ducatos vel uncias auri seu aliam monetam secundum communem aestimationem exprimatur, nisi personae praedictae beneficia, quae tunc obtinuerint aut in quibus vel ad quae jus eis competit, juxta ipsarum oblationes aut alias dimittere teneantur, alioquin gratiae praedictae sint nullae. Et idem ser-

vetur in gratiis, quas a Sanctitate Sua motu proprio emanare contigerit; quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem Suam pro tempore providetur seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac literis, per quas pro tempore ad ecclesiarum Patriarchalium et Cathedralium ac monasteriorum regimina promotis, conceditur, ut monasteria et alia beneficia ecclesiastica saecularia et regularia per eos obtenta et in quibus et ad quae jus eis competit, retinere possint.

LVI. *De Clausulis in beneficiis vacantibus ponendis.*

Voluit et ordinavit, quod quando providet seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante tunc dari poterunt clausulis, si petantur: *etiamsi illud quovis modo etc. seu per constitutionem*: Execrabilis *vacet; et specialiter reservatum inter aliquos litigiosum sit, et ejus collatio devoluta fuerit, et si pro collitigante, vel subrogationem, aut si neutri, vel si nulli etc.*, petente, si tunc lis specifice exprimatur, nec detur aliqua generalis reservatio dispositive, nisi desuper in concessione speciali et expressa ac pure et non sub conditione mentio fiat et tunc reliquae reservationes ibi contentae veniant. Si vero tempore expeditionis inde literarum generalis reservatio hujusmodi probari non possit aut in novis provisionibus seu pro collitigantibus: *Si neutri* vel *Si nulli etc.* sit expressum, quod ab aliquibus asseritur, illum cujus beneficium conceditur collectorem vel unicum subcollectorem, abbreviatorem vel familiarem, notarium aut dictae Sedis officialem fuisse, clausula ponatur: *etiamsi dictum beneficium, ex eo quod talis collector vel unicus subcollector, abbreviator vel familiaris, notarius aut dictae Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicae generaliter reservatum existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter jus quaesitum.* In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signatura per duplex *Fiat* signata sit, aut reservatio vel alias specialiter habeatur.

LVII. *De Expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus.*

Item voluit, quod super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum videlicet: an Dignitates, personatus vel officia sint eisque immineat cura animarum et qui ad illa consueverint per electionem assumi, mentio fiat, alias gratiae desuper factae sint nullae. Et si qualitates hujusmodi affirmative vel conditionaliter non exprimantur, negativa expresse desuper fiat in beneficiis, quae tales qualitates vel ex eis aliquas consueverint habere.

LVIII. *De Beneficiis vacantibus per contractum matrimonii.*

Item si reservatur beneficium per contractum matrimonii, non dentur alii modi vacationum de futuro nec censeatur beneficium reservatum specialiter vel affectum, nisi sequatur matrimonium, sed in beneficiis per promotionem aut ingressum religionis vel assecutionem vacaturis, ponatur clausula, etiamsi non petatur: *cum beneficia hujusmodi praemissa vel alias quovis modo* etc. praeterquam per obitum obtinentis vacare contigerit etiamsi vacent, decernens irritum etc.

LIX. *De Clausulis ponendis in literis religiosorum.*

Item voluit, quod si petatur aliquem in religionem recipi et sibi de quovis beneficio ecclesiastico provideri per simplicem signaturam »*Fiat*«, receptio hujusmodi dumtaxat detur adjecto: *si petens idoneus sit aut aliud canonicum impedimentum non obsistat* et exprimatur, si certus numerus regularium sit ibidem, cui etiam non derogetur, nisi expresse concedatur et si numerus iste non existat ponatur: *dummodo receptionis locus hujusmodi nimium propterea non gravetur.* Possintque executores provisionis hujusmodi ad receptionem emissionis professionis non expectato probationis anno procedere.

LX. *De Translatione Religiosorum.*

Item si regularis petat sibi de beneficio ab aliquo monasterio vel alio regulari loco dependente provideri et appareat ex petitione hujusmodi, quod alterius monasterii vel loci religiosi sit, licet ibi translatio non petatur, nihilominus illa veniat.

LXI. *De Clausula »Si est ita.«*

Item quod in literis super beneficiis per constitutionem *Execrabilis* vacantibus ponatur clausula »*Si est ita*«, similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus.

LXII. *Petenti provideri de vacaturo dentur literae de vacanti.*

Item petenti sibi provideri de vacaturo dentur literae de vacanti, prout expedierit impetranti.

LXIII. *Revocatio Decimarum et aliarum impositionum.*

Item revocat quascumque decimarum necnon subsidiorum, vigesimae et aliorum onerum impositiones ex quavis causa emanatas (non tamen decimarum, subsidiorum et onerum impositorum ex quavis causa et occasione expeditionis contra Turcas et orthodoxae fidei hostes) et quascumque facultates, super decimarum, vigesimae et onerum hujusmodi exactione, quibusvis fructuum et proventuum camerae apostolicae debitorum, collectoribus et apostolicae Sedis Nuntiis ab eisdem Praedecessoribus concessas. Suspendit quoque ad Suae Sanctitatis et Sedis apostolicae beneplacitum quascumque plenarias indulgentias ab eisdem Praedecessoribus ex quavis causa, etiam expeditionis hujusmodi, si quae per Nuntios vel Quaestores deferebantur, concessas necnon deputandi et eligendi confessores, qui plenarie absolvant et alia faciant ad earumdem indulgentiarum suspensarum effectum, reliquasque facultates, ipsas indulgentias quomodolibet concernentes praeterquam quoad ea, in quibus indulgentiae et facultates in aliqua sui parte sint sortitae effectum, ita ut illis, qui implentes injuncta eis in literis indulgentiarum hujusmodi jam consequuti sunt facultatem eligendi confessores, qui absolvant eos plenarie in mortis articulo, per hujusmodi suspensionem non praejudicetur, quin facultate ipsa uti possint in futurum; decrevit quoque irritum et inane quidquid facultatum revocatarum earumdem praetextu in posterum contigerit attentari.

LXIV. *Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum.*

Item revocavit, cassavit et annullavit ac irritas declaravit quascumque facultates percipiendi pretium officiorum romanae curiae pro tempore vacantium in toto vel in parte et quasvis concessiones et collationes aliasque dispositiones per fel. record. Clementem XIV. aliosque Praedecessores de dictis officiis, etiam ex die collationum, concessionum et dispositionum in antea vacaturis, in favorem quarumcumque personarum, ecclesiarum, monasteriorum, piorum locorum, collegiorum seu eorum mensarum, etiam perpetuo, etiam in vim contractus et ex titulo oneroso et sub quavis alia verborum forma, quam et praemissorum tenore pro expressis haberi voluit, concessas et factas, quoad officia, quae post obitum dictorum Praedecessorum vacarunt et in posterum quomodolibet vacabunt. Item revocavit quoque, cassavit et annullavit ac irritas declaravit quascumque infeudationes, investituras, gratias, concessiones quoquomodo etiam in emphyteusim ad tempus seu in perpetuum, etiam motu proprio et de plenitudine potestatis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis (extra tamen consistorium et sine S. R. E. Cardinalium consilio et consensu) a die constitutionis fel. rec. Pii V. PP. Praedecessoris sui super prohibitione alienandi et infeudandi civitates et loca S. R. E. sub datum Romae apud s. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quarto cal. Aprilis, Pontificatus sui anno secundo, usque in praesentem diem, per quoscumque Romanos Pontifices suos Praedecessores, aut mandato vel auctoritate eorum quomodocumque et qualitercumque et quovis colore factas et concessas de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis sanctae romanae ecclesiae et sanctae Sedi apostolice tam mediate quam immediate subjectis, tunc videlicet, de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum nondum devolutis, necnon quascumque prorogationes et extensiones quarumcumque infeudationum, investiturarum, gratiarum et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus et locis, tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum et extensionum, nondum finitarum quibusvis personis cujuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, etiamsi imperiali, regali, ducali aut alia quavis praefulgeant dignitate, etiam in vim contractus et ex quocumque titulo, etiam oneroso et per quascumque tam sub plumbo quam in forma brevis sub annulo piscatoris aut etiam alias quomodocumque et qualitercumque expeditas literas ac sub quavis verborum forma, quam

et praemissorum omnium tenores SS. pro expressis haberi voluit, latissime extendendos.

LXV. *Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulae.*

Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantium et certo modo vacaturorum asserendo illorum fructus etc. certum per eos expressum annuum valorem non excedere, nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annuum augere possint, ut verius possit in confectione literarum super hujusmodi impetrationibus summa aut valor annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis imposterum haesitari contingat, declaravit praetextu concessionis hujusmodi valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi et in prima quae desuper fiet literarum expeditione dumtaxat augeri posse et eas, quas literis jam expeditis cum expressione valoris specificati aut non integro augmento praedicto, denuo desuper expediri contigerit literas, cum aliquo augmento valoris hujusmodi nullius esse roboris vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiae et dispositiones quaecumque a Sanctitate Sua emanaverint.

LXVI. *De Insordescentibus.*

Item ne personis, pro quibus literae Suae Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis, quibus ligatae forent, ad eorum effectum indifferenter concedi et in literis apostolicis apponi solitam, praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi et insordescendi in illis, statuit et ordinavit, hujusmodi absolutionem et clausulam in literis quas in futurum cum illa concedi continget non suffragari non parentibus rei judicatae, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus et falsificari procurantibus literas et supplicationes apostolicas et illis utentibus, receptatoribus et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus et Nuntios vel executores apostolicae Sedis et ejus officialium ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter praemissa vel aliquod eorum excommunicati a jure vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint; et generaliter quibuscumque aliis, qui censuris aliquibus, etiam alias quam ut praefertur, quomodolibet ligati illis per annum continuum insorduerint.

LXVII. *Officiales nihil exigant ultra debitum.*

Item idem Dominus Noster exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales romanae curiae, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quae obtinent, non contenti ultra a prosequentibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem curia exigere non verentur, obviare volens stricte praecipiendo inhibuit omnibus et singulis, quaevis officia in eadem curia obtinentibus, ne de caetero quidquam praetextu officiorum, quae obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis ultra emolumenta hujusmodi exigere seu ad hunc effectum expeditionem eorum quae eis incumbunt malitiose differre sub excommunicationis et praeter illam suspensionis a perceptione emolumentorum hujusmodi pro prima ad semestre et pro secunda ad annum et pro tertia vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint, poenis ac voluit, quod sanctae romanae ecclesiae Vicecancellarius et camerarius excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorumdem ac alias ut praefertur compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere ac contra eos per praedictas poenas et alias prout melius expedire viderint procedant.

LXVIII. *Reservatio beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante.*

Vd. p. 814. n. 91. a.

Item Sanctissimus D. N. provide considerans consuevisse quandoque romanos Pontifices Praedecessores suos beneficia, quae vacante Sede apostolica vacare contigerant dispositioni suae reservare, intendens de beneficiis hujusmodi, tam conclavistis quam pauperibus clericis et aliis benemeritis personis providere, omnia et singula beneficia per regulas cancellarias apostolicae aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet et ex quavis causa reservari solita, quae a die obitus fel. rec.

Clementis XIV. Praedecessoris sui, usque ad diem decimam quintam Februarii proximi praeteriti vacaverunt et de quibus per quoscumque ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat seu minus valide fuerat dispositum suae provisioni ac dispositioni reservavit; decernens irritum etc.

LXIX. *Revocatio Indultorum Superviventiae.*

Item quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, Praedecessores suos romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum vel diversis aliis praetextibus concessisse et indulsisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare vel erga creditores aut quascumque alias personas obligare vel hypothecare, in solutum dare aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravi successorum praejudicio et ecclesiarum detrimento, ideo indemnitati ecclesiarum et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens revocavit, cessavit et annullavit omnia et singula indulta et facultates in ea parte, qua necdum vere et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscumque romanos Pontifices Praedecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis vel eorum singulis ullo modo et ex quavis causa vel praetextu permittitur fructus certos vel incertos, jura, obventiones et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcumque personarum quomodolibet obligare vel hypothecare, in solutum dare aut de eis quomodolibet et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam beneficiatorum, et tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerint, minime restricto et coarctato illorum tenore etc. decernens irritum etc.

LXX. *Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.*

Item cum S. R. E. Cardinales SS. D. N. assistant ac propterea debeant specialibus praerogativis et privilegiis gaudere, idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit et declaravit, quod in quibuscumque constitutionibus et regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales nisi illae eorumdem Cardinalium favorem concernant vel constitutiones edendae de eorumdem Cardinalium vel majoris partis eorum consilio editae fuerint, seu in eisdem regulis et constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.

LXXI. *Quod regulae cancellariae non comprehendantur sub generalibus derogationibus.*

Item Sanctitas Sua statuit et declaravit, quod praemissis et quibusvis aliis regulis cancellariae suo tempore edendis ac publicandis numquam censeatur derogatum in quibuscumque constitutionibus, literis, brevibus, indultis et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio et ex certa scientia emanatis per quaecumque verba et decreta derogatoria, irritantia, universalia et amplissima et clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis et individuae expressionis vim habentes et habentia, nisi facta fuerit de illis expressa mentio et non aliter, nec alio modo.

LXXII. *De potestate Reverendissimi Domini Vicecancellarii et Cancellariam Regentis.*

Primo quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus vel in literis apostolicis aliquid scriberent, corrigerent vel delerent.

Item, quod possit corrigere nomina et cognomina personarum non tamen eorum, quibus gratiae et concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

Item, quod possit omnes causas beneficiales etiam non devolutas committere in curia cum potestate citandi ad partes.

Item quod processus apostolica auctoritate decretos aggravare possit, cum invocatione brachii saecularis et sententias executioni demandari facere contra intrusos et intrudendos per literas apostolicas desuper conficiendas et non alias.

Item quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas de beneficiis ecclesiasticis saecularibus et regularibus dispositioni apost. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum

florenorum auri de camera vel totidem in in alia moneta secundum communem aestimationem valorem annuum non excedat.

Item, quod possit signare supplicationes etiam duorum referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro colligantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc ac jure statuta tempora, in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur.

Placet, Publicentur et Describantur.

Lectae et publicatae fuerunt supradictae regulae, ordinationes et constitutiones in cancellaria apostolica ab uno ex R. R. PP. DD. Majoris Praesidentiae abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, die vero VII. mensis Martii, Pontificatus praelibati Sanctissimi Domini Nostri Pii VI. Anno primo.

Thomas Antognettus Procustos.

d) Quae beneficia sunt hodie reserv. SS. Pont. juxta concordata Germaniae?

Vd.: *Beneficium concordatum p. 511.*; vid. lit. *e. Ferrar.*

Per concordata Germaniae remanent adhuc reservata summo Pontifici sequentia beneficia:

I. Omnia beneficia, quae collationi Ss. Pontificis sunt reservata per *Extrav.: Execrabilis Joan. XXII.* et per *Extravagant.: Ad regimen. Benedict. XII. de praebend. inter communes.* Et ista omnia speciatim ad longum recensentur §. 2. constitutionis: *Ad sacram Petri Sedem.*

II. Prima dignitas post Pontificalem in in ecclesiis cathedralibus et dignitas principalis in ecclesiis collegiatis, ut expresse cavetur §. 3. dictae constitutionis concordatorum.

III. Beneficia vacantia in mensibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris et Novembris; sic expresse in §. 4. dictorum concordatorum. Neque per concordata Germaniae sublatae et irritae censeri possunt regulae omnes cancellariae, nam indubitatum est, etiam in Germania non obstantibus concordatis locum habere circa Pontificia regulas: *De viginti, de male promotis, de verosimili notitia, de annali possessore, de triennale* et hujusmodi. Solummodo enim concordata Germaniae derogant regulis cancellariae quoad ea, quae circa reservationem beneficiorum sibi propria continent seu specialiter disponunt; quoad alia autem non specialiter disposita in ipsis concordatis regulae cancellariae remanent plene in suo vigore reservationum, ut observat *Gregor. Brandenus super eisdem concordatis qu. 8. n. 8.* et alii.

e) Quae non sunt hodie juxta concordata Germaniae reservata SS. Pontifici.

Sublatae sunt per concordata Germaniae reservationes papales sequentium beneficiorum:

I. In Metropolitanis et Cathedralibus etiam immediate non subjectis Sedi apostolicae, quando extra curiam vacaverint, permittuntur fieri electiones canonicae, cum hoc tamen, quod haec postea ad Sedem apostolicam deferantur pro confirmatione, ut expresse habetur in eisdem concordatis §. 3. Et sic tollitur reservatio, quae circa istas ecclesias et beneficia est inducta per regulam secundam*) cancellariae per haec praecisa verba: *Item reservavit generaliter omnes ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales necnon omnia monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia et in posterum vacatura.*

II. Concordata Germaniae tollunt quamcumque reservationem et gratiam expectativam a Papa factam vel faciendam super dignitates caeteras et quaecumque beneficia saecularia et regularia, quae vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus et ea vacantia in alternativa talium mensium possunt libere disponi per illos, ad quos eorum provisio, praesentatio, electio seu quaevis alia dispositio pertinebat, ut expresse cavetur per ipsa concordata §. 4. Hic tamen adverte, quod excipiuntur beneficia omnia sive majora sive minora, quae vacant apud Sedem apostolicam seu in curia et quae vacant per promotionem auctoritate apostolica factam ad episcopatus vel monasteriorum regimina, quia talia be-

*) Vd. *p. 818.*

neficia collationi pontificiae semper remanent reservata in quocumque mense vacent ut disponitur in ipsis concordatis §. 2., ubi ad longum recensentur beneficia varia, quae semper remanent reservata Pontifici.

III. Concordata Germaniae tollunt reservationem beneficiorum vacantium etiam in mensibus pontificiis, quoties de ipsis non provideatur per Papam intra tres menses a die notae vacationis in loco beneficii; quibus tribus mensibus integre elapsis poterit Ordinarius collator de illis libere disponere, ut habetur expresse in ipsis concordatis §. 4., *Rota p. 19. t. 2. dec. 468. n. 18.* Notanter autem dicitur *integre elapsis*, quia hi tres menses debent esse completi de momento in momentum, ut ex *Rota in una Augustana Canonicatus 12. Januarii 1703*, ubi resolvit collationem canonicatus qui vacaverat *die 6. Julii 1700* factam ab Ordinario loci *die 6. Octobris* ejusdem anni esse nullam eo, quod non fuisset elapsum integrum trimestre.

In hac alternativa mensium concordatorum Germaniae non comprehenduntur omnia beneficia, sed sunt aliqua etiam in titulum concessa, quae semper et in quocumque mense vacaverint, per collatores ordinarios conferri possunt. *Est communis.* Sic

I. non comprehenduntur sub tali alternativa beneficia jurispatronatus laicorum ex fundatione, aedificatione aut dotatione acquisiti; adeoque possunt patroni laici praesentare ad ea clericum idoneum quocumque mense vacaverint, *glossa in cap.: Licet 3. de praebend. in 6., Barbosa p. 2. de offic. et potest. Episc. alleg. 57. n. 25. et 26., Gonzalez. ad reg. 8. cancellar.*) gloss. 18. n. 2. et seq.* allegans multiplicem decisionem Rotae. Et idem currit de beneficiis jurispatronatus mixti, idest partim laicalis et partim ecclesiastici, quia ad effectum exclusionis reservationis censetur mere laicale, *Barbosa ibid., Garcias, Gonzalez* et alii ab ipso ibi citati et expresse *Rota p. 9. tom. 1. dec. 13. num. 16. et 17. part. 13. dec. 503. n. 3.* Secus vero est dicendum de beneficiis jurispatronatus mere ecclesiastici; nam juripatronatus ecclesiastico, utpote ex bonis ecclesiasticis originem trahenti, facile derogatur, *Gonzalez ad reg. 8. cancell. gloss. 18. num. 6., Nicolarts tit. 1. Concordat. German. dub. 5. §. 8. et seq.* et alii passim.

II. Sub tali alternativa non comprehenduntur beneficia, quae vacant per resignationem, adeoque possunt Episcopi in quocumque mense resignationes beneficiorum admittere et ea sic resignata libere conferre non obstantibus concordatis Germaniae, dummodo illa sint talia, quae ipsi alias in mensibus non reservatis per obitum vacantia conferre potuissent. Et ratio est, quia per reservationes horum concordatorum non videtur, quod Pontifex voluerit conditionem Ordinariorum Germaniae facere duriorem illisve plus detrahere, quam Pontifices consueverunt per regulas cancellariae detrahere aliarum provinciarum Episcopis; alias incongrue dixisset Pontifex in principio ipsius bullae concordatorum, quod eadem concordata non tantum Sedi apostolicae, *sed ipsi nationi Germanicae sint utilia et salubria.* Sed per regulas cancellariae, quibus ligantur caeteri collatores ordinarii, excipitur modus vacationis per resignationem neque hic comprehenditur sub alternativa mensium juxta regulam 9.*) praecisis his verbis: *Alias quam per resignationem quocumque modo vacatura*, sicque possunt collatores ordinarii aliarum nationum beneficia resignata in quolibet mense conferre, ergo hoc ipsum poterunt collatores ordinarii Germanicae Nationis non obstantibus concordatis horumque alternativa mensium; ne concordata et concessa mensium alternatio in favorem Ordinariorum introducta in eorum odium retorqueatur, contra *regulam 61. juris in 6.*, ibi: *Quod ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorguendum.* Sic *Brandenus super concordat. Germ. qu. 12. n. 13., Cochier. ad regul. 8. cancell. gloss. 11. n. 92., Nicolarts tit. 1. concordat. German. dub. 9. §. 9.* et alii.

III. Beneficia perpetuo et accessorie unita alteri v. g. vicariae perpetuae non cadunt sub concordatis Germaniae seu horum alternativa mensium, immo nec sub reservationibus regularum cancellariae; *Barbosa lib. 4. juris ecclesiast. univ. cap. 6. n. 45., Garzias c. 9. de benefic. cap. 2. n. 304. et 308., Gonzalez ad Reg. 8. canc. gloss. 5. §. 3. num. 49. et seq.* cum *Rota in una Tirasonensi Vicariae 13. Octobris 1593 coram Litta.* Et colligitur aperte ex constit. s. Pii V. incip.: *Ad exequendum.*

*) Vd. *supra p. 820.*

*) Vd. *supra p. 820.*

92) Residentiale.

a) Quod est?

Vd. *Residentia.*

Sabinen.

Residentialis est coadjutoria ob animarum curam ex jure *sac. Concil. Tridentin. sess. 23. cap. 1. de reform., Fagnan. in lib. 3. decretal. cap. extirpandae, de praeb. num. 1.*

b) Regulares possidere non possunt.

Vd. *Beneficium* (regulare p. 803., saecul.)

Pinerolen.

Canonicus theolog. et provicarius ecclesiae cujusdam cathedr., quum nomen dedisset Congregationi Oblatorum et in eo esset, ut tria vota simplicia profiteretur (in quibus tamen dispensationis a SS. Pontifice et Superiore gener. petendae locus est) supplicavit, ut illa munera sua retinere posset per substitutum. Licet vero in ecclesia sit ministrorum inopia, tamen S. C. resp.: non esse dandam retentionem et quia per votorum illorum emissionem secundum Bened. XIV. constit.: »Ex quo dilectus« beneficia non vacent ipso jure, post illam Episcopum procedere debere prout de jure, idest cogendum esse professum, ut beneficium residentiale libere dimittat.

Die 14. Decb. 1833.

93) Resignatio.

Vd. *Beneficium* (renuntiatio p. 805; amissio p. 367); p. 450. etc.

a) Abusus.

Vd. *Benef.* (collatio simoniaca p. 443.).

Forma expediendi literas apostolicas super gratiis resignationum beneficiorum ecclesiasticorum.

Pius Papa V.

Motu proprio.

Cogit nos necessitas ut novam futuris aliquot hujus curiae negociis formam imponere curemus. Quocirca dilectis filiis S. R. E. vicecancellario, literarum apostolicarum abbreviatoribus et in illarum expeditione dicto vicecancellario assistentibus, summatori ceterisque omnibus id expeditionis munus in curia et camera apostolica et ubicumque gerentibus tenore praesentium auctoritate apostolica mandamus:

§. 1. Ut deinceps super omnibus gratiis et concessionibus apostolicis de quibusvis beneficiis, cum cura et sine cura, saecularibus et quorumvis ordinum regularibus, etiam apud Sedem apostolicam vacantibus, dispositioni apostolicae reservatis, in quibus addita fuerit clausula »et in forma dignum« literas apostolicas expediant in eadem forma, qua aut ad Episcopum dioecesanum aut ad vicarium generalem aut ad officiales ejusdem Episcopi disjunctive ad electionem impetrantis diriguntur, cum limitationibus et clausulis infrascriptis, videlicet de parochialibus ecclesiis vel earum parochialibus ecclesiis dumtaxat, et per resignationem vacantibus, in dictis literis post verbum *mandamus* imperatur, ut si tibi constiterit quod dictus N. resignans in sacris ordinibus constitutus existat et aliunde commode vivere possit, ac per diligentem examinationem, per te adhibitis examinatoribus ad hoc a concilio Tridentino designatis, si istic sint, ubi esse debent, in dioecesana synodo deputati, sin autem absque illis faciendam, dictum I. resignatarium ad hoc idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ecclesiam praedictam, cujus etc.; et inferius post verba cum omnibus juribus et pertinentiis suis eidem Joanni, quibuscumque aliis sese ad examen praedictum, etiam per mutuum concursum, admitti et sibi de dicta ecclesia provideri petentibus penitus exclusis, infra triginta dies postquam praesentes literae tibi praesentatae fuerint, auctoritate nostra conferas et assignes etc.

In ceteris vero literis de quibusvis aliis beneficiis, per eamdem resignationem vacantibus, similiter post verbum *mandamus* imperatur ut si tibi constiterit quod dictus N., quatenus in sacris ordinibus constitutus existat, aliunde commode vivere possit, ac per diligentem examinationem dictum I. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et praebendam praedictam, quorum etc. Et inferius, post verbum: pertinentiis suis, eidem I. intra XXX. dies postquam praesentes literae tibi praesentatae fuerint auctoritate nostra conferas, etc. Propterea in omnibus mandatis provisionum seu commodis de quibuscumque beneficiis et monasteriis per similem resignationem seu cessum vacantibus, ad finem ante clausulam decreti irritantis addatur haec clausula, videlicet: ceterum ne, dum prodesse studemus, aliqua forte irrepat iniquitas in exitium animarum, tu attente hic circumspicias an ex praedictae N. et I. praedictorum super dicta resignatione vel cessione, ut fieret, quam Nos nullo hucusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit simoniae labes aut alia illicita pactio vel etiam corruptela, Nos eum etc.

In reliquis autem provisionibus et commendis quorumcumque curatorum et simplicium beneficiorum, saecularium et regularium praedictorum etiam reservatorum, aliter quam per resignationem quovis modo vacantibus, videlicet quoad parochiales ecclesias vel earum perpetuas vicarias dumtaxat, post verbum mandamus, ut per diligentem examinationem per te adhibitis examinatoribus ad hoc ecclesiam praedictam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, eidem Jo. intra triginta dies etc. conferas.

Et similiter in omnibus aliis eadem forma servetur, omissa clausula: adhibitis examinatoribus.

Et deinde super omnibus hujusmodi literis etiam aliae literae executoriae dari debeant, directe vel ad Metropolitanum vel uni ex propinquioribus Episcopis, sive eorum vicario vel officiali, disjunctive, aut nomine dignitatis Episcopi expresse, quando alii executores super hoc a Nobis dati pro tempore adfuerint, videlicet pro parochialibus ecclesiis per resignationem vacantibus in hunc modum, videlicet: Fratri Archiepiscopo N. salutem etc. Hodie cum dilectus filius N., nuper parochialis ecclesiae rector N. et N. dioecesis dictam ecclesiam quam tunc obtinebat, per certum procuratorem suum ad id ab eo specialiter constitutum in manibus nostris sponte et libere resignasset, nosque resignationem hujusmodi duxissemus admittendam venerabili fratri nostro Episcopo N. per alias nostras literas dedimus in mandatis ut, si constaret quod N. in sacris ordinibus constitutus existeret, aliunde commode vivere posset ac per diligentem examinationem, per eumdem Episcopum adhibitis examinatoribus ad id a concilio Tridentino designatis, si isthic sint ut esse debent in dioecesana synodo deputati, sin autem, sine illis faciendam, dilectum filium Jo. clericum dictae dioecesis ad id idoneum esse reperiret, clausulam praedictam, per resignationem eamdem tunc vacantem et antea dispositioni apostolicae reservatam, etiamsi illa alias quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona vacaret, cum illis forsan annexis ac omnibus juribus et pertinentiis suis praedicto Jo., quibuscumque aliis sese ad examen praedictum et per mutuum concursum admitti et sibi de dicta ecclesia provideri petentibus penitus exclusis, intra triginta dies postquam dictae literae praesentatae fuerint, auctoritate nostra conferret et assignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuae etc. mandamus ut, si dictus Episcopus eamdem ecclesiam intra praedictos triginta dies ipsi Jo. non contulerit et assignaverit, tu, illis elapsis, postquam tibi constiterit quod dictus N., si in sacris ordinibus constitutus existit, aliunde commode vivere possit, ut praefertur, ac per solertem examinationem, a te, etiam adhibitis tribus vel pluribus aliis probis et peritis viris, quamprimum faciendam, praedictum Jo. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, praedictam ecclesiam cum annexis ac juribus et pertinentiis supradictis eidem Jo., quibuscumque aliis hujusmodi concurrentibus prorsus exclusis, dicta auctoritate conferre et de illa etiam providere procures, inducens, per te vel alium seu alios ipsum Jo. vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem ecclesiae ac annexorum jurium et pertinentiarum praedictarum et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illi de ecclesiae et annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus et de obventionibus universis integre responderi; contradictores etc. Non obstantibus omnibus quae in dictis literis voluimus non obstare aut si pro tempore existenti Episcopo N. vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possit per literas apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Ceterum tu attente isthic circumspicias an ex parte N. et I. praedictorum, supradictae resignationi, ut fieret, intercesserit simoniae labes aut alia illicita pactio vel alia corruptela. Dat. etc.

In ceteris vero beneficiis praedictis per similem resignationem vacantibus, ut supra: Venerabili Archiepiscopo N. salutem. Hodie cum dilectus filius F., nuper Canonicus B., canonicatum et praebendam ecclesiae B., quos tunc obtinebat, per certum procura-

torem suum etc., ut supra duxissemus admittendam, venerabili fratri nostro Episcopo N. per alias nostras literas dedimus in mandatis ut, si ei constaret quod dictus F., si in sacris ordinibus constitutus esset, aliunde commode vivere posset ac per diligentem examinationem dilectum filium Jo. clericum N. dioecesis ad id idoneum esse reperiret, canonicatum et praebendam praefatos, per resignationem eamdem tunc vacantes et antea apostolicae dispositioni reservatos, etiam si illi alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona vacarent, cum illis forsan annexis et plenitudine juris canonici et omnibus juribus et pertinentiis suis, praedicto Jo., intra triginta dies postquam dictae literae deputatae forent, auctoritate nostra conferet et assignaret, prout in dictis literis plenius continetur. Quocirca fraternitati tuae etc. mandamus ut, si dictus Episcopus eosdem canonicatum et praebendam intra praedictos triginta dies ipsi Jo. non contulerit et assignaverit, tu, illis elapsis postquam tibi constiterit quod dictus F., si in sacris ordinibus constitutus sit, aliunde commode vivere possit, ut praefertur, et per similem examinationem quamprimum faciendam, praefatum Jo. idoneum esse repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et praebendam praedictos cum omnibus annexis et pertinentiis praedictis eidem Jo. conferre et de illis etiam providere dicta auctoritate procures, vel inducens per te vel alium seu alios ipsum Jo. vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem canonicatus et praebendae ac annexorum juriumque et pertinentiarum praedictarum et defendens inductum, amoto exinde quolibet detentore, ac faciens illum vel pro eo procuratorem praedictum ad praebendam hujusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem, stallo in choro et loco in capitulo dictae ecclesiae cum juris canonici plenitudine assignatis, sibique de canonicatus et praebendae ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus et obventionibus universis integre responderi; contradictores etc. Non obstantibus omnibus, quae in dictis literis volumus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque; aut si pro tempore existenti Episcopo et dilectis filiis capitulo B. vel quibusvis etc., mentionem. Ceterum tu attente isthic circumspicias etc. Dat. etc.

Aliis autem provisionibus seu commendis hujusmodi beneficiorum alias vacantibus alia forma executoria concipiatur, quae literae congruant principali.

Similiter quando vicario vel officiali praedicto hujusmodi literas tam pro principali quam pro executoria dirigi contigerit, communi eis formula servatis aliis omnibus supradictis ordinetur.

Ceterum omnibus mandatis de praebendis vel commenda monasteriorum, etiam reservata, tam virorum, quae extra consistorium expediuntur, quam etiam mulierum vetus forma commissaria sicubi desuevit restituatur ac literae desuper expediantur cum clausula: quod delegatus de meritis et idoneitate promovendi se informet et si eum ad regimen et administrationem monasterii repererit idoneum, conscientiam illius onerando provideat vel commendet intra triginta dies ut supra et desuper forma executorialium etiam concipiatur, quae suis provisionibus correspondeat.

Denique in ipsis commendis post verbum: idoneum repereris, interserantur verba: ad monasterium vel beneficium in commendam obtinendum.

§. 2. Volentes praesentes tam in dicto cancellariae libro, quinterno nuncupato, quam etiam Camera praedicta registrari et ab omnibus inviolabiliter custodiri. Ac decernentes irritum etc.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, stilo cancellariae et camerae apostolicae quantocumque temporum servato ceterisque contrariis quibuscumque. Placet et ita motu proprio mandamus. M. Lectus et publicatus fuit supradictus motus proprius Romae in Cancellaria apostolica, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, die decima tertia Martii, pontificatus SS. D. N. Pii divina providentia Papae V. anno secundo.

Publ. die 13. Martii 1567.

(Bullar. rom. t. VII. p. 552. Edit. Augustae Taurin.)

Quae beneficiorum ecclesiasticorum resignationes per Episcopos et alios collatores admitti possint?

Pius PP. V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quanta ecclesiae Dei incommoda omni tempore attulerit et nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, jam late perspiciant et cum moerore expendant praesules omnes et pastores, quando haec pernicies caeterarum omnium maxima tam multas orbis ecclesias impie violarit.

§. 1. Quia vero hoc malum cum in caeteris frequens tum maxime in beneficiorum ecclesiasticorum dimissione admittitur, nemini molestum esse debet quod perinde de reprimendis quotidianis fraudibus, quae hac in re frequentiores internoscuntur, certam aliquam rationem tandem inituri officii nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationum hujusmodi acceptione paulo severius interposuerimus omnesque beneficiorum interim resignandorum dispositiones quae fierent in irritum revocaverimus ac etiam decreverimus nullum per eas in illis jus neque titulum vel coloratum tam in petitorio quam in possessorio ipsis provisis tribuere, quin etiam eos ad illa deinceps obtinenda perpetuo inhabiles fore. Collatores vero alias in illorum dispositione, etiam tamquam devolutionis jure, sese interponere non posse, sed de eis ut vere vacantibus sive per romanos Pontifices, sive alias collatorum eorumque superiores, uti praeventum esset, libere provideri.

§. 2. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quo sanctuarium Domini cupimus illibatum, auctore Domino, persequi ac simul, quantum in Nobis est, cavere ne resignationes ipsae dehinc, pro cujusque arbitrio nulliusque vel certe levibus causis, passim et temere admittantur, prohibitionem et alia praedicta ac caetera omnia nostris super his literis contenta eatenus relaxamus, ut posthac.

§. 3. Episcopi et alii facultatem habentes eorum dumtaxat resignationes recipere et admittere possint qui aut senio confecti aut valetudinarii aut corpore impediti vel vitiati aut crimini obnoxii censurisque ecclesiasticis irretiti aut nequeunt aut non debent ecclesiae vel beneficio inservire, seu qui unum illud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri, religionem quoque ingressuri vel matrimonium contracturi, si statim postea id re ipsa exequantur, denique, cum quis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione felicis recordationis Innocentii Papae III. de dimittendis cathedralibus ecclesiis edita continentur, qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari. Ad haec beneficiorum et officiorum permutationes admittere, quae canonicis sanctionibus et apostolicis constitutionibus permittuntur.

§. 4. Caveant autem Episcopi et alii praedicti itemque omnes electores, praesentatores et patroni tam ecclesiastici quam laici quicumque sint ne verbo quidem aut nutu vel signo, futuri in hujusmodi beneficiis et officiis successores ab ipsis resignantibus aut aliis, eorum significatione vel hortatu designentur aut de his assumendis promissio inter eos vel etiam intentio qualiscumque intercedat.

§. 5. Caeterum praecipimus atque interdicimus ne ipsi Episcopi aut alii collatores de beneficiis et officiis resignandis praedictis aut suis aut admittentium consanguineis, affinibus vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere; quod si secus ac etiam quicquid praeter vel contra formam praedictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum ex nunc vires et effectum decernimus non habere.

§. 6. Qui vero contrafecerint, ut in eo quo deliquerint puniantur, a beneficiorum et officiorum collatione necnon electione, praesentatione, confirmatione et institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensae remaneant, donec remissionem a romano Pontifice meruerint obtinere; et qui talia beneficia seu officia receperint, eos praedictis poenis volumus subjacere. Et nihilominus subjacere eas personas, quae sic suspensae conferre, eligere, praesentare, confirmare vel instituere ausi fuerint, excommunicationi, quo vero ad capitula et conventus a Divinis suspensionis sententiam ipso facto promulgamus: a quibus etiam nullus alius quam ipse romanus Pontifex sive absolutionis sive relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertire. Prohibitione et literis Nostris praedictis nihilominus in caeteris omnibus perpetuo valituris.

§. 7. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et literis apostolicis generalibus et specialibus quibuscumque

Episcopis et aliis superioribus ac inferioribus ecclesiarum praelatis, necnon ecclesiis, monasteriis et capitulis, conventibus, collegiis et universitatibus eorumque et aliis personis, etiam regia et imperiali majestate praeditis sub quacumque verborum forma et conceptione concessis, per quae effectus praesentium impediri posset quomodocumque vel differri, etiam si de eis ipsorumque totis tenoribus ad verbum, ac de propriis nominibus eorum, necnon ecclesiis, monasteriis, locis, ordinibus et dignitatibus de quibus, necnon causis, propter quas illa concessa sunt, specialem oporteret mentionem facere.

§. 8. Caeterum jubemus easdem praesentes ad valvas Basilicae Principis apostolorum de Urbe et in acie Campi Florae publicari et earum exempla affigi volumusque eas sic publicatas omnes et singulos perinde afficere et obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatae.

§. 9. Exemplis quoque praedictis, etiam impressis manuque notarii publici et sigillo praelati ecclesiastici vel ejus curiae obsignatis eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud s. Petrum die 1. Aprilis 1568.

(Bull. r. t. VII. p. 664. Ed. Aug. Taur.)

Benedictus PP. XIV.

Occurritur abusibus in expeditione resignationum beneficiorum inductis ad eludendam Constit. Greg. XIII. incip.: Humano.*)

Ecclesiastica ministeria et officia nec ab obtinentibus temere deseri aut minus recta ratione vel causa dimitti nec a minus idoneis assumi et exerceri neque demum ullo pacto in cupiditatis et avaritiae fomentum transferri volentes Praedecessores Nostri romani Pontifices plura peculiariter observanda statuerunt in admittendis beneficiorum sive officiorum ecclesiasticorum dimissionibus ac cessionibus et eorumdem sic per resignationem vacantium provisionibus et concessionibus, quae omnia non modo nostram approbationem et confirmationem promereri, sed etiam quo certius propositum reipsa sortiantur effectum, uberioribus providentiae nostrae consiliis, prout rerum necessitas suasit, stabilienda et amplianda Nobis esse judicavimus.

Postquam enim beatae memoriae s. Pius Papa V. Praedecessor Noster per suam schedulam Motus proprii, quae incipit: *Cogit Nos*, anno Domini 1567 die 11. Martii pontificatus sui II. editam methodum et formam designaverat servandam in expeditione literarum apostolicarum super gratiis resignationum quorumcumque beneficiorum sive officiorum ecclesiasticorum certasque opportunas clausulas, expressiones et limitationes in hujusmodi literis respective apponendas provida ordinatione praescripserat sequenti anno 1568, per suam constitutionem, quae incipit: *Quanta ecclesiae Dei**), datam apud s. Petrum Calendis Aprilis definivit et declaravit, quaenam beneficiorum et officiorum hujusmodi resignationes seu dimissiones ab Episcopis et aliis ad id facultatem habentibus quibusque ex causis recipi et admitti possent, aliaque in ipsis dimissionibus seu resignationibus necnon eorundem beneficiorum resignatorum collationibus respective cavenda decrevit, censuras in contravenientes pronunciando aliasque poenas respective statuendo, prout in schedula et constitutione praedictis plenius continetur.

Cum vero adhuc praefati sancti Pii Praedecessoris leges et ordinationes ad compescendas fraudes et simulationes, quae in hujusmodi resignationibus hominum malitia committebantur non satis prodesse, experiendo compertum esset, placuit felicis recordationis Gregorio Papae XIII. Praedecessori pariter Nostro in sua constitutione, quae incipit: *Humano vix judicio***) data apud s. Petrum Nonis Januarii anno Incarnationis Dominicae 1583 pontificatus sui XII. decernere et constituere, ut *omnes et quaecumque resignationes, cessiones sive retrocessiones, quae deinceps de quibuscumque ecclesiis, monasteriis, prioratibus tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis saecularibus et quorumvis ordinum, etiam militarium, regularibus etiam electivis et manualibus, ac etiam de jurepatronatus laicorum illustrium et aliis quomodocumque existentibus sive pacificis sive in petitorio aut in possessorio litigiosis, etiam de quibus in consistorio disponi consuevit seu debet in manibus romani Pontificis pro tempore existentis ex quacumque*

*) Vd. *Beneficium* (resignationis forma p. 856.)

*) Vd. *p. 842.*

**) Vd. infra *Benef.* (resignationis forma p. 856.)

causa et quolibet modo fierent et ab illo seu illius mandato admitterentur et super eis provisiones et quaecumque aliae dispositiones sive temporales sive perpetuae aut ad id mandata apostolica sub quacumque forma et quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalibus ac piis locis quantumvis privilegiatis facta publicari deberent, una cum literis apostolicis desuper confectis intra sex menses, si beneficia citra Montes essent, ultra vero Montes intra novem menses a data concessionis gratiae numerandos. Cumque de forma et loco hujusmodi publicationum explendarum plura distincte praescripsisset, illud etiam provide constituit, ut ii, in quos de beneficiis hujusmodi resignatis seu cessis sub quacumque forma disponi vel mandari contigisset, intra dictum respective tempus, eorumdem beneficiorum possessionem vigore literarum apostolicarum desuper confectarum, apprehendere deberent, vel si propter litem aut aliud legitimum impedimentum hujusmodi possessionem reipsa apprehendere non potuissent, saltem literas apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta esset judici seu executori illarum vel aliis, ad quos pertineret, intra illud tempus praesentare et apud illum vel illos pro ipsarum literarum executione instare et possessionem hujusmodi instanter petere tenerentur.

Quod si quicquam praemissorum omnium omissum fuisset dictis terminis, ut cuique praescripti sunt, elapsis voluit et decrevit omnes dispositiones et gratias resignatorum et cessorum beneficiorum hujusmodi, cum omnibus inde sequutis, irritas et inuane sesse nullamque aliam gratiam super iisdem his quibus concessa fuissent suffragari, sed eos ad hujusmodi beneficia quandocumque obtinenda inhabiles et incapaces fore et esse ipsaque beneficia censeri statim a prima resignatione seu cessione eo ipso vacavisse et vacare et tamquam sic a principio vacantia a Sede apostolica dumtaxat impetrari et respective concedi posse; et alias prout in praedicta constitutione latius et uberius continetur.

Nos ipse demum ad romanae et universalis ecclesiae gubernacula, licet immerentes, evecti hanc ipsam resignationum materiam retractare coacti sumus propter delatam ad aures Nostras nonnullorum *malitiam, qui malis artibus et per illicita pacta fraudulento verborum et formalitatum circuitu tecta hujusmodi beneficiorum resignationes cum reservatione pensionum, per anticipatus deinde pecuniarum solutiones extinguendarum, in detestabilem negotiationem convertebant; quapropter hujusmodi pacta et conventiones pro abolitione seu cassatione pensionum, per anticipatas vel anticipandas terminorum earumdem pensionum solitudines contemporaneè ad ipsas beneficiorum resignationes inita atque conventa, per aliam constitutionem Nostram quae incipit: In sublimi**) datam IV. Kalendas Septembris anni 1741 pontificatus Nostri anno secundo *damnavimus, improbavimus et omnino irritavimus pluraque desuper oportunè statuimus atque sancivimus, per quae illicitarum pactionum hujusmodi exterminationi satis consultum esse et fore in Domino confidimus.*

Sed neque tot salubres et providas ordinationes et constitutiones valuisse ad eliminandas omnis generis fraudes et corruptelas quas hominum malitia et radix malorum omnium cupiditas in hac resignationum materia invenit magno cum animi Nostri moerore accepimus. Siquidem ad eludendam praefati Gregorii Praedecessoris consultissimam legem et constitutionem plures adinventae sunt artes, quarum praesidio resignatorum beneficiorum possessio eorumque fructuum et reddituum perceptio vel nunquam durante resignantium vita vel nonnisi diuturno tempore elapso contra Pontificis opinionem et voluntatem et contra ipsam admissae resignationis naturam in resignatarium cum effectu transiret.

Nonnulli enim negotiorum Datariae Nostrae expeditores, postquam super brevi et compendiaria supplicatione, in qua resignantis et resignatarii nomina cognominaque ac titulus et qualitas beneficii resignandi adscripta sunt, obtinuerunt *Praesentatam*, quam vocant a substituto subdatarii semel apponi, mox ad libellum supplicem super ipsa resignationis gratia exhibitum emanare curarunt rescriptum Datarii seu Prodatarii, pontificiae voluntatis et annuentiae testem, vel etiam supplicationem in forma a Nobis sive a romano pro tempore Pontifice signari, nil amplius solliciti de expeditione literarum apostolicarum (quas intendunt sub Data illius diei, qui in praedicta praesentata seu deinceps in supplicatione adscriptus fuit, quando-

*) Vd. infra: *Benef.* (resignatio cum pensione reservata).

cumque sibi libuerit, expedire), compluribus prorogationibus ad publicandum sive in integrum restitutionibus successive se muniunt, quarum quidem terminos quum ad diem illum initio sibi propositum accomodaverint, minime dubitant de validitate gratiae resignationis quantumvis longe post assensum Pontificis apostolicas super ea literas expedire distulerint.

Alii vero, quum supradictam tantummodo *Praesentatam* in officio subdatarii reportaverint minime urgent pro obtinendo rescripto Datarii aut signatura supplicationis neque pro expeditione literarum apostolicarum, aut pro prorogationibus vel in integrum restitutionibus ullo pacto instant, sed retento apud se mandato procurae ad resignandum novas identidem Praesentatas tamquam ex integro iterum iterumque referre curant, usquedum resignantis vita ad interitum vergente vel alias quandocumque ipsi maluerint, resignationis negotium ulterius promovendum sibi esse ducant; tuncque dumtaxat deprompta una ex obtentis Praesentatis, quam sibi magis expedire judicaverint sub illius data et vigore prioris illius mandati, requisitum consensum praestant atque apostolicas literas expediunt.

Alii demum praefato rescripto obtento signataque supplicatione non desistunt ante vel post expeditionem literarum apostolicarum multiplices prorogationes ad eas publicandas aut etiam elapso ipsarum prorogationum termino restitutiones in integrum adversus hujusmodi publicationis omissionem petere et obtinere, ut interim publicatione praedicta minime sequuta nec possessione beneficii per resignatarium adepta ipsius detentio fructuumque perceptio penes resignantem, quamvis jampridem se beneficio abdicaverit, usque ad ejus obitum remaneat necnisi eo defuncto vel saltem morti proximo, hujusmodi possessio in resignatarium seu cessionarium (cui favore obtentarum prorogationum vel restitutionum in integrum nihil de suo jure deperit) cum effectu tandem transferatur.

Nos igitur hujusmodi fraudes et collusiones, in quibus cum animarum pernicie et recti ordinis subversione jurium quoque apostolicae Sedis detrimentum conjunctum esse animadvertimus et quarum aliquas judicialibus controversiis non ita pridem locum dedisse eaque ratione detectas fuisse novimus, de medio tollere atque in futurum praecavere volentes Motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione Nostris memoratam *Gregorii Praedecessoris constitutionem de publicandis intra certum tempus praedictarum resignationum gratiis et de capienda resignatorum beneficiorum possessione in omnibus et per omnia approbamus, confirmamus et innovamus.* Utque relatis artibus eadem constitutio in posterum dolose ut praefertur eludi et effectu fraudari amplius non valeat hac Nostra pariter perpetuo valitura constitutione in primis Datariae Nostrae notario seu notariis, quos de excipiendis sive extendendis consensibus pro quorumcumque beneficiorum sive officiorum ecclesiasticorum, cujuscumque qualitatis et naturae existant, resignationibus etiam ex causa permutationis a cessionibus et retrocessionibus quibuscumque tam simplicibus quam cum pensionis aut fructuum vel alia qualibet reservatione, quae in manibus Nostris aut successorum nostrorum romanorum Pontificum pro tempore existentium a quibuscumque etiam sanctae romanae ecclesiae Cardinalibus, sub quacumque forma et qualibet ex causa et favore cujuscumque personae etiam sanctae romanae ecclesiae Cardinalium praedictorum aut etiam locorum piorum quantumvis privilegiatorum ad quemcumque effectum fient, pro parte cujuscumque personae etiam specifica mentione dignae ut supra in posterum rogari continget, districte vetamus atque interdicimus ne hujusmodi consensus admittere, recipere, extendere ac super ipsis instrumenta conficere seque de iis rogare audeant seu praesumant quoties mandata procurae, quae ad hujusmodi consensus praestandos exhibebuntur, adscriptam habeant Datam seu diem anteriorem octo mensibus quoad personas existentes citra Montes, vel duodecim quoad personas ultra Montes constitutas, quos quidem menses ab ipso die, quo hujusmodi mandata ad consentiendum eisdem notariis actu exhiberi continget, numerandos et computandos esse decernimus nonobstante quacumque anteriori Praesentata seu rescripto obtento, aut etiam supplicatione sub quacumque data jampridem manu Nostra aut successorum nostrorum signata.

Insuper volumus et mandamus, post rescriptum a nostro et romani pro tempore Pontificis Datario factum super admissione cujuscumque resignationis sive cessionis aut retrocessionis hujusmodi a quocumque et favore cujuscumque personae vel loci pii ut supra intra duos ad summum menses a data rescripti hujusmodi decurrendas remota omni mora et praetextu, signandam esse supplicationem et successive expediendas esse literas apostolicas, ita ut intra sex menses a Data concessionis gratiae numerandos quoad beneficia citra Montes posita et intra novem quoad ea, quae ultra Montes existunt, eorundem resignatorum beneficiorum possessio capi ipsaeque resignationum gratiae cum literis apostolicis desuper confectis publicari valeant et cum effectu possessio capiatur et literae respective publicentur ad normam praedictae Gregorianae constitutionis et juxta formam ibi praescriptam.

Ubi vero justis et rationabilibus de causis aliquam prorogationem ad publicandum postulari necesse sit, nolumus hujusmodi prorogationes ne pro prima quidem vice amplius concedi nisi docto prius in officio subdatarii non autem alterius cujuscumque Datariae praedictae officialis de apostolicis literis expeditis. Post primam autem aut secundam ad summum prorogationem hujusmodi alias ulteriores prorogationes ad publicandum etiam quoad gratias resignationum ad hunc diem de praeterito admissas seu concessas et nondum exequutioni demandatas aut publicatas nemini amplius in posterum concedi volumus, nisi praeter expeditionem literarum apostolicarum ut supra coram Datario pro tempore justificatum fuerit legitimum impedimentum, propter quod eaedem apostolicae literae exequutioni mandari aut publicari non possint. Hoc enim concludenter probato et non alias eidem Datario relictam volumus facultatem concedendi tot ulteriores prorogationes ad publicandum quot necessariae erunt usque ad hujusmodi legitimi impedimenti remotionem.

Quod si constiterit vel post elapsum tempus, ut supra praescriptum, praefatos consensus super beneficiorum resignationibus stitos sive admissos et extensos, vel intra aliud praefinitum tempus, aut supplicationes minime signatas, aut literas confectas et expeditas in posterum non fuisse, vel etiam elapso tempore in constitutione Gregoriana praefixo, aut alio ulteriori termino per concessas rite prorogationes obtento non fuisse captam possessionem vel factam literarum publicationem, ut supra, aut, demum, ad novas obtinendas prorogationes, falsum et insubsistens impedimentum dolose allegatum fuisse, in quolibet ex hisce casibus volumus et decernimus, ipsas resignationum gratias cum omnibus inde sequutis nullas, irritas, cassas et inanes esse et censeri perinde ac si nunquam admissae et concessae fuissent nec ullam aliam gratiam super hujusmodi beneficiis aut etiam restitutionem in integrum his, quibus concessa fuerant, concedi debere aut concessam ullatenus suffragari, sed eosdem inhabiles et incapaces esse ad hujusmodi beneficia sic resignata et cessa quandocumque obtinenda ipsaque beneficia tanquam ab initio vacantia apud Sedem, ab alio quolibet impetrari et respectivè ad libitum ejusdem apostolicae Sedis alteri cuilibet conferri posse.

Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari aut in jus vel controversiam revocari posse, sed illa semper et perpetuo valida et efficacia fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ita per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae romanae ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos dictaeque Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, etsi secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis resignantium aut cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus et clausulis in ipsismet resignationibus seu cessionibus aut constitutionibus et mandatis ac alias etiam ad praeservationem suorum jurium et significationem, quod non aliter nec alio modo resignant seu cedunt, appositis omnibusque et singulis aliis, quae idem Gregorius Praedecessor in relata constitutione voluit non obstare; Datariae quoque usibus, stilis, tolerantiis, permissionibus et consuetudinibus etiam diuturnis et inveteratis, in contrarium praemissorum quomodolicet facientibus vel extantibus, quibus omnibus et singulis illorum omnium et singulorum qualitates praesentibus pro sufficienter expressis habentes, quatenus eisdem praesentibus adversantur, specialiter et expresse, motu, scientia

et potestatis plenitudine paribus derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, inhibitionis, irritationis, annullationis, voluntatis, praecepti, decreti, mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae die 15. Junii 1746.

D. Card. Passioneus.
J. Detarius.
Visa de Curia.
J. H. Boschi.
L. Eugenius.

b) Annullatio.

Vd. *supra regulam* »de viginti« *p. 825*; »regul. XXVI.« p. 826; vd. infra: *Benefic.* (Resignatio patrono invito; resignat. cum pensione reservata). *p. 840. n. 93. a.*

c) Beneficii ex patrimonio erecti.

Vd. *Beneficium saeculare* (regulares saecularizati etc. §: *Altera difficultas*).

d) Beneficii in cujus titulum aliquis est ordinatus.

Lancianen.

(Conc. Tr. C. 2. S. 21. de ref.)

Archiepiscopus Lancianen. per suas literas tam eminentissimo praefecto quam mihi secretario conscriptas exposuit, se quaerere oraculum hujus sac. Congregationis super nonnullis dubiis, quae ipsi occurrunt occasione executionis literarum apostolicarum super resignationibus beneficiorum, ad quorum titulum renunciantes fuerunt ordinati.

Dubia autem ab eodem Archiepiscopo proposita consistunt in sequentibus punctis: *An ordinatus ad titulum beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad titulum ejusdem ordinatum, an dicta individua expressio, quatenus requiratur, suppleatur per assertionem forsan ordinati, an constare debeat per probationes concludentes, resignantem habere, unde commode vivere possit, an haec probatio censeatur adimpleta per solam confessionem resignantis et an resignans teneatur post secutam resignationem aliud beneficium possessum vel alia bona subrogare.*

Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 2 de refor.* loquens de beneficio, ad cujus titulum aliquis est ordinatus, haec habet: »*id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit et aliter facta resignatio nulla sit*«, et s. Pius V. in sua constitutione 58. bull. tom. 2., in qua enumeraverat resignationes, quae admitti possunt per Episcopos et alios collatores, §. 3. inquit: »*sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vita possit commode sustentari*«.*)

In eo quod attinet ad textum concilii Tridentini quaerunt doctores: an individua expressio, quod resignans fuerit ad ejus titulum ordinatus, sit necessaria vel sufficiat expressio per aequipollens? Et communior et vera opinio esse videtur, quod individua expressio sit necessaria, *Garzias de benefic. 3. part. cap. 5. n. 192., Gonzal. ad reg. 8. cancellariae***) *glos. 5. §. 10, num. 35, Adden. ad Ludovis. decis. 441 num. 9, Barbos. ad cap. 2. sess. 21. de reform. num. 23.*

Et quod caput est, sac. haec Congregatio alias respondit: *individuam mentionem esse necessariam et non sufficere per aequipollens*, et huic sententiae in obsequium hujus sac. Congregationis etiam adhaerit Rota *decis. 246. num. 12 et 13 coram Millino* et *decis. 85. num. 15. et seqq. par. 10. recen.*

Et in eo quod spectat ad bullam s. Pii V., licet eadem loquatur de resignationibus factis coram Ordinario, dicunt doctores, quod extenditur etiam ad eas, quae fiunt in curia. *Paris. de resignat. lib. 5. quaest. ultima n. 176, Ricc. resolut. par. I. resol. 282 in fin., Barbos. ad cap. I. sess. 21 de refor. n. 24*, excitataque controversia: an pro validitate resignationis beneficii, ad cujus titulum aliquis fuit ordinatus, post bullam Pianam sufficiat clausula: »*dummodo aliunde vivere possit,*« itaut non sit amplius necessaria expressio, quod ad ejus titulum resignans fuerit ordinatus, licet *Spada consilio 82. num. 2. et 3. tom. 2.* senserit, supradictam clausulam solam satis esse, communis tamen opinio videtur esse contraria, juxta late firmata apud *Rosam de execut. liter. apost. cap. 14. num. 4. et seq.*, itaut pro regula habeatur, duo esse in hisce resignationibus exprimenda, hoc est, quod resignans fuerit ad titulum beneficii ordinatus et quod habeat aliunde, quo vivere possit. *Gratian. discept. 991, Ricc. par. I. resol. 282. sive 283. num. 1. et 2, Tondut. quaest. benef. par. 2. cap. 1. §. 11. num. 41 et 42, de Marinis resolut. juris lib. I. cap. 37. n. 1.*

*) Vd. *p. 843.*
**) Vd. *p. 820.*

Supposito quod resignans debeat exprimere et habere, quo aliunde commode vivere possit, clara videtur litera Concilii Tridentini in ordine ad necessitatem probationis concludentis super praedicta circumstantia; concilium etenim vult, quod constet, ibi: *nisi constito, quod aliunde commode vivere possit*, et non potest dici, constare de aliqua re, si eadem non sit probata per concludentes probationes idque operatur, ut confessio ipsius resignantis etiam jurata non sufficiat, ut in his praecisis terminis firmavit *Rota decis. 348. n. 7. et seqq. par. 19. rec.*

Ultimus remanet punctus circa *subrogationem alterius beneficii* vel aliorum bonorum loco beneficii resignati, nec hujus puncti sensus disputabilis alius esse posse videtur, quam hic, qui sequitur: an scilicet declaratoria requiratur super subrogatione ad hoc, ut super beneficio de novo obtento vel super bonis, quibus resignans imposterum vivere debet, impositum censeatur onus, quod erat super primo beneficio, quod ex dispositione Concilii Tridentini resignari non poterat, nisi facta mentione ordinationis ad ejus titulum receptae et commoditatis aliunde vivendi, uti supra dictum est, ad evitandas etiam fraudes, quae sine praedicta cauthela contingere possunt.

Sacrum Concilium Tridentinum de memorata cauthela non loquitur nec de eadem pariter loquitur, quando paulo post decernit, non posse ordinatum ad titulum patrimonii vel pensionis renunciare vel extinguere sine licentia Episcopi et nisi beneficium adeptus sit vel alia bona, quibus commode vivere possit; ibi: »*atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant, unde vivere possint.*«

In terminis hujus postremi casus. cum saepe parentes patrimonia filiis constituant cum clausula: *donec et quousque fuerint de aliquo beneficio ecclesiastico provisi vel aliunde habeant, quo commode vivere possint*, disputatum fuit in hac sac. Congregatione die 13. Julii 1687 sequens dubium: *an bonis ad commodam substentationem postea quaesitis vel beneficio sufficienti adepto statim patrimonium evanescat vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum seu beneficii assecuti ab Episcopo facienda loco patrimonii, qua subrogatione expresse non facta patrimonium adhuc vigeat nec expiret praedicta clausula non obstante?* Et huic dubio responsum fuit: *quod darentur decreta*, et inter decreta adest unum in causa *Terracinen. 20. Julii 1619. lib. 17. decret. pag. 17.*, in quo sac. Congregatio censuit: patrimonium,*) ad cujus titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis liberis non minoris redditus aut valoris, sed debere Episcopum declarare bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris patrimonii, itaut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a concilio praescripta, quod ipsum confirmatum fuit aliis decretis tum aliarum tum hujus sac. Congregationis, uti habetur apud *Monacell. in formul. legal. tom. 1. pag. 70. num. 2*, et *tom. 2. pag. 72. num. 18.*, et *tom. 4., pag. 80. num. 440.* et apud *Choel. ad bull.: Bon. Regim. cap. 35. n. 54 et seqq.*

Subrogatio facienda per Episcopi declaratoriam de qua in his decretis procedit in casu alienationis patrimonii, sed an eadem sit extendenda ad casum resignationis beneficii, statuendum videtur ab hac sac. Congregatione, quae est privativa interpres s. Concilii Tridentini in punctis pertinentibus ad disciplinam.

Adeoque dignabuntur EE. VV. resolvere:

I. *An ordinatus ad titulum beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad ejus titulum ordinatum?*

II. *An haec individua expressio suppleatur per assertivam: forsan ordinatus?*

III. *An constare debeat per probationes concludentes resignantem habere, quo commode vivere possit?*

*) Vd. *p. 727. n. 71.*

IV. *An haec probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis?*

V. *An resignans teneatur aliud beneficium habitum vel alia bona subrogare beneficio resignato?*

VI. *An haec subrogatio facienda sit per Episcopi declaratoriam in casu?*

S. C. C. resp. ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative et ad mentem, et mens est, quod haec resolutio habeat locum in futuris resignationibus;

ad III, V. et VI: Affirmative;

ad IV: Negative.

Die 9. Febr. 1726.

Asten.

Joannes Malabaila anno 1693 assecutus fuit beneficium simplex, ad cujus titulum fuit etiam deinde sacris ordinibus initiatus. Parochialem postea ecclesiam fuit assecutus; cumque memorato beneficio inhaereret onus quotidianae missae, satius duxit eo se abdicare, proindeque beneficium ipsum per procuratorem libere coram Ordinario dimisit anno 1730.

Ex nominatione a patrono facta rite ejusdem beneficii possessionem adiit clericus Carolus Antonius Bonjoannes. Mox tamen judicium adversus eum instituit praedictus Joannes Malabaila, contendens abdicationem beneficii invalidam esse, tum quia dolo malo ad eam faciendam fuerit adductus, tum etiam quia in resignatione non fuerit expressum, ipsum Joannem factum fuisse presbyterum ad titulum illius beneficii. Tridentina enim synodus *cap. 2. sess. 21. de ref.* ita statuit: »Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliunde vivere commode possit et aliter facta resignatio nulla sit.« Itaque expressionem illam censeri praescriptam ut ajunt pro forma, tradunt *Navar. consil. 4. lib. 1. tit. de renunc. in fin., Paris. de resignat. lib. 2. qu. 6. n. 29., Antonell. de regim. eccles. lib. 2. cap. 3. num. 35., Gonzal. ad reg. 8. cancell. glos. 5. §. 10. num. 35., Eminentissimus Petra ad constit. 1. Clementis IV. numer. 22. tom. 3., Garz. de benefic. par. 2. cap. 5. num. 193.*, ubi refertur resolutio hujus sac. Congregationis edita anno 1588. his verbis: »Fuit dubitatum, an pro forma traditum esset ut resignans teneatur facere mentionem, se ad titulum illius fuisse promotum, adeo quod per aequipollens adimpleri non possit; et fuit resolutum: pro forma traditum esse a Concilio, stante clausula annulativa, et quod Concilium negative loquitur,« et *n. 214. et seqq.*, ubi refertur alia ejusdem sac. Congregationis resolutio decernens irritam esse resignationem beneficii factam cum pensione, etiam ad substentationem resignantis congrua, si fuerit omissa expressio de promotione ad sacros ordines ad ejus beneficii titulum. Hujus etiam resolutionis meminit *Navarr. d. consil. 4. de renunciant. in fin., Rot. dec. 246. num. 12. et seqq. cor. Millino* et *dec. 85. n. 14. et seqq. par. 10. rec.*

Episcopus tamen pronunciavit resignationem recte ac legitime factam fuisse et sententiam hanc confirmavit Metropolitanus.

Non acquiescente Joanne controversia haec juxta decretum Eminentissimi Proauditoris decidenda erit ab hac sac. Congregatione.

Priorem exceptionem satis repelli putat clericus Carolus Antonius ex ipso mandato ad beneficium resignandum confecto, in quo tribuitur procuratori facultas affirmandi, jurejurando etiam adhibito, »quod circa eam resignationem non intervenit quomodolibet dolus, fraus, simoniae labes aut alia quaevis illicita pactio.«

Ad alteram vero exceptionem submovendam utitur eodem procuratoris mandato, ubi diserte asseruit Joannes Malabaila, *se aliunde commodum habere vivendi modum*; id quod aliis etiam documentis manifestum facere curavit. Infert itaque nihil referre, quod in resignatione beneficii enunciatum non fuerit illud fuisse titulum promotionis ad ordines; non enim alio consilio id videtur imperasse sacrum Concilium, quam ut Episcopus caveret a resignatione approbanda, nisi resignans doceret se aliis proventibus substentationi suae idoneis esse instructum, nec proinde eum forte adigendum ad victum emendicandum cum sacri ordinis dedecore. Cum vero Episcopus probe novisset Joannem Malabailam possidere aliud beneficium parochiale, adeoque certo sciret satisfactum esse menti Tridentinae legis, parum momenti habet praetermissa mentio ordinationis ad titulum beneficii, quod resignabatur et cujus

proinde resignationem nullitatis vitio obnoxiam esse tradunt *Card. de Luc. de benef. disc. 41. num. 6., Barbos. ad concil. d. cap. 2. sess. 21. de ref. n. 29., Lotter. de re benef. lib. 3. q. 14. num. 78., Campanil. divers. jur. rub. 8. cap. 6. n. 6.*

Sic quoque substineri permutationem beneficii, etiam non facta mentione, quod ad ejus titulum fuerit quis ordinatus, si tamen aliud beneficium ex permutatione acceptum parem fructum reddat ejusque possessionem vere fuerit adeptus permutans, censuit haec sac. Congregatio, ut testatur *Garz. de benef. d. part. 2. cap. 5. n. 218., Rot. dec. 441. n. 3. cor. Ludovis.* et *dec. 123. n. 1. et seqq. cor. Ubald.* et *dec. 830. n. 13. et seqq. cor. Burat.* et *dec. 317. in fin. cor. Coccin.*

Ad ornatum materiae, de qua agitur, addi potest, disceptata in Lancianen.*) 9. Februarii 1726. fuisse haec dubia:

1) An ordinatus ad titulum beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad ejus titulum ordinatum?

2) An haec individua expressio suppleatur per assertivam: forsan ordinatus?

3) An constare debeat per probationes concludentes resignantem habere quo commode vivere possit?

4) An haec probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis?

5) An resignans teneatur aliud beneficium habitum vel alia bona subrogare beneficio resignato?

6) An haec subrogatio facienda sit per Episcopi declaratoriam?

Responsum vero fuit

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Negative et ad mentem, et mens est, quod hujusmodi resolutio locum habeat in futuris resignationibus.

Ad 3: Affirmative.

Ad 4: Negative.

Ad 5. et 6: Affirmative.

Deliberandum igitur erit:

An constet de nullitate resignationis in casu?

S. C. C. resp.:

Negative.

Die 20. Mart. et 3. Apr. 1734.

e) Beneficii, cujus bona Beneficiatus deterioravit.

Vd.: *Beneficium* (resignatio patrono invito decr. *Maceraten.* §.: *Causa etc.)*

f) Capitulum Cath., quas resignationes recipere potest sede vacante?

Potest capitulum Sede vacante resignationes beneficiorum recipere quando fiunt non ex causa libera sed necessaria v. g. resignationes ex justa causa permutationis factas, vi cujus beneficia resignata necessario sunt conferenda clericis resignantibus post admissam ipsorum resignationem; *Clement. unica de rerum permutat.* Jura enim vacante sede indulgent capitulo episcopalem jurisdictionem causa necessitatis, ne ex defectu Superioris periculum animarum generetur, ut recte notat *glossa in cap.: His, quae 11. de Majorit. et obedient. verb. pro bono pacis.* Et sic etiam recipere potest capitulum sede vacante atque auctorizare resignationes beneficiorum, quando horum collatio spectat ad solum capitulum vel ad Episcopum et capitulum simul; tunc enim nihil obstat, quin talium beneficiorum resignationem quasi jure quodam accrescendi recipere possit, cum jus ea conferendi Sede vacante pertineat ad ipsum Capitulum; *cap. unic. Ne sede vacante in 6.* Sic *glossa in Clement. unic. de rerum permutat. verb. conferatur*; et cum multis *Barbosa de offic. et potest. Ep. part. 3. allegat. 19. n. 7.*

g) Capitulum Cathedralis quas resignationes recipere non potest sede vacante?

Capitulum sede vacante non potest libere ac simpliciter loquendo et in gratiam seu favorem resignantis recipere resignationem beneficiorum spectantium ad collationem *solius Episcopi, glossa in Clement. unic. verb. conferantur, de rerum perm., Flamin. Parisius lib. 7. de resignat. beneficiorum quaest. 29. num. 37. et 38.* cum *Rota dec. b. n. 2. de rerum permut. in novis*; et alia *Rota in una Illerden. die 6. Novem. 1545., Pirhing. de majorit. et obedient. num. 57.*

*) Vd. p. 845.

Resignationes enim beneficiorum ad collationem *solius* Episcopi spectantium recipere nullibi reperitur in jure concessum capitulo sede vacante, adeoque subintrat regula negativa, quae habetur *cap.: Illa 2. Ne sede vacante.* Imo hoc ipsum videtur capitulo expresse denegatum, *cap.: Si ad Episcopum unic. Ne sede vacante in 6.* §: *Cum vero*, ubi sic praecise statuitur: »Cum vero ad *solum* Episcopum praebendarum spectat collatio . . . defuncto Episcopo . . . capitulum se non potest intromittere de eisdem. Si capitulum vero de eisdem se intromitteret, si talium praebendarum seu beneficiorum reciperet resignationem, adeoque, ut salvetur dispositio textus, dicendum est capitulum non posse sede vacante resignationem talium beneficiorum recipere.

h) In commodum Consanguineorum vetita est.

Vd. *Beneficium* (collatio benef. resignati decr. *Nucerina* p. 397.)

i) Consensus Patronor. non requiritur, si resignatio in manibus SS. Pontificis libere facta fuit.

Vd. *Beneficium* (resign. patrono invito. decr.: *Maceraten.* §.: *Quoad tert.)*

k) Consensus resignantis.

Vd. *Beneficium* (reservatum SS. Pontifici juxta regulas cancellar. — regula XLV. p. 832.)

l) Episcopus admittere quando non potest resignationem?

Vd. p. 840. n. 93. a.

Episcopi non possunt admittere resignationem beneficii ad favorem certae personae, *Rota part. 5. tom. 1. dec. 190. num. 4.* Talis enim resignatio non potest fieri, nisi in manibus Papae, *Rota par. 11. dec. 177. n. 16., cap.: Plerique 5. cons. 8,* s. Pius V. in const. incip.: *Quanta Ecclesiae*)*, ubi facta in manibus alterius quam Papae annullatur; *Rota part. 4. tom. 1. dec. 120. n. 2.* Cum beneficium resignatum fuerit in manu Episcopi vel collatoris, non possunt isti providere de eisdem beneficiis consanguineos, affines vel familiares suos, ut ex cit. bulla s. Pii V. Quin neque affines, consanguinei et familiares resignantis admitti debent, etiam cum beneficium conferendum est in concursu.

I. quia citata bulla s. Pii V., quae legit: *admittentium consanguineis*, mendose excusa est, cum legendum fuerit: *dimittentium consanguineis*, ut monet *Fagnanus in c.: Non sine, de arbitris;*

II. quia sac. Congr. disposuit, ut in eo casu neque familiares Episcopi neque consanguinei resignantis admitterentur. Haec ex Benedicto XIV. *institut. eccl. 9i.* §. *9. et 11.* et de *synodo dioecesana lib. 13. c. 24.* §. *2. nov. edit. Benev.*, tamen omnes isti admitti ad beneficium possunt, quando illud cecidit in manus Episcopi per obitum prioris beneficiati, neque enim tantum mali timeri potest cum dandum est ex resignatione prioris beneficiati. Ita de *synodo dioeces. ib.* §. *6. ex decr. s. Congr.*

m) Episcopi probatio.

Quamquam ex decreto *Clementis XI.* probari nequeant *resignationes* beneficiorum, nisi accedente *attestatione* Ordinarii, attamen, si compertum sit, eumdem nulla subeunte justa causa repugnare quominus resignatio concedatur, tum solet summus Pontifex sua uti authoritate, ut sine testimonialibus resignationes hujusmodi concedat uti tradit *Rigant. in comment. ad reg. 45.*) cancellar. num. 34. 34. et sequent. tom. 3.*

n) In favorem tertii.

Vd. p. 840. n. 93. a.

Nequit beneficium patronatum in favorem tertii resignari absque consensu patroni, qui si contradicat renunciatio prorsus irritatur, *Reiffen. in l. 1. decret. tit. 9. de renunc. n. 71., Barbosa l. 3. Juris eccles. univ. c. 15. n. 182, Garzias. part. II. de benefic. l. 4. n. 72.*

Si agatur de resignatione favore certae ac determinatae personae, sufficit, ut consensus retractatio resignatario significetur, *Card. de Luca de beneficiis disc. 38. n. 7., Rota cor. Dunoz. decis. 881. n. 10.*

Ferentina.

Ex jure, quo virtute apostolici diplomatis a s. m. Pio VII. sub anno 1801. obsignati fruitur Ferentini universitas beneficiatorum collegiatae ecclesiae s. Mariae Majoris ad canonicatus ascendendi, ortum ducit praesens

*) Vd. *Supra p.* 842; *p. 413. s. 1.*

*) Vd. *Supra p. 832.*

controversia. Privilegium hujusmodi ab ipsa Collegiatae erectione vitam mutuatur; siquidem Princeps sacratissimus erigi voluit »*Quatuor perpetua beneficia ecclesiastica, quae personalem residentiam requirant ac servitium chori adnexum habeant, quae etiam liberae collationis ac iisdem reservationibus et affectionibus apostolicis similiter obnoxia existant, pro quatuor clericis seu presbyteris futuris in ea beneficiatis, qui ad canonicatus et praebendas praefatas occasione illorum respective vacationis, servato ordine antianitatis, optandi jure gaudebunt.*« Cum vero in duos postremos receptione Canonicos rejectum fuerit mox a s. m. Pio VIII. per breve diei 4. Augusti 1829. onus coadjuvandi parochum in cura animarum, ad quod officium vi bullae superioris quilibet Canonicus vel beneficiarius a parocho eligi potuisset, hinc quoad beneficiarios ad eos canonicatus ascendentes statutum est, ipsos praevio examine fore approbandos, adjectumque »*si autem futuris deinde temporibus eveniente vacatione unius ex duobus postremis canonicatibus et praebendis hujusmodi nullus ex beneficiatorum pro tempore post modernos existentium numero ad animarum curam hujusmodi habilis et idoneus invenietur, alius presbyter e capitulo ejusdem collegiatae ecclesiae omnino extraneus de illis praevio examine, ut supra habendo, ut coadjutor provideatur et non alias.*«

Itaque hujusmodi juri vulnus illatum iri conquestum est nuper beneficiariorum collegium, ex quo alter ex postremis Canonicis Marianus de Rocco coram apostolica Dataria institit pro resignatione canonicatus favore tertii cujusdam extra eorum gremium, idque haud mora prohibere non omisit opportunis ostentationibus. Ast in contrariam euntibus sententiam Capitularibus eo res perducta est, ut EE. VV. judicium desuper rogare partes existimaverint ad controversiam praecidendam, an scilicet resignationes favore tertii, quae a Canonicis expleri vellent; praefatis beneficiatorum juribus obsistant; Ferentini Vicarii capitularis suffragium accessit omnino votis beneficiatorum, prout videre erit in ejus relatione per eosdem distribuenda. Praestat hinc inde deducta brevi calamo percurrere.

Duo contendit Canonicorum patronus, nullum aliud jus beneficiatis quam verae ac propriae optionis competere, hoc vero nullum praebere impedimentum resignationibus in favorem tertii. Enimvero jus universum, quo frui possent in themate beneficiarii, non ex lege communi dimetiendum est; siquidem beneficiatis, qui et mansionarii et assisii vel portionarii dicuntur, communis ss. canonum dispositio nullum jus tribuit, ex quo non sint ipsi de gremio capituli sed servi ecclesiae et servile exerceat officium, *cap. penult., ibique glos. verb.: Assisii de clericis non residen., Abbas in cap.: Scriptum n. 4. de elect., Card. de Luca de Can. disc. 31. n. 1., Scarfant. ad Ceccop. eluc. can. lib. 1. tit. 3. n. 31. seq.* et *Rot. dec. 416. n. 6. part. 1. rec.*, sed ex peculiari tantum fundatione et privilegio ex apostolicis bullis derivante.

Porro de vera ac propria optione Pontificem locutum fuisse probat, tum quia verba *(jure optandi gaudebunt)* accipienda sunt in litterali significatione et secundum legalem eorum intelligentiam, ceu *post text. in leg. 1.* §.: *Is, qui navem ff. de exercit. act.* docent *Aym. Cons. 149. n. 7., Rota cor. Falconerio de prob. dec. 18. n. 21.*, et alibi, maxime si res sit de Papae verbis in concessione adhibitis, uti *post text. in cap.: Cum causam* et *cap.: In literis de resc.* tradit *Rota cor. Seraphino dec. 55.* et cor. *Molines dec. 16. n. 6.*, tum quia Pontifex jus illud occasione vacationis canonicatuum et servato inter beneficiatos ordine antianitatis locum sibi vindicare constituit, quod sane congruit verae optionis naturae, *Fargna de jurep. p. 2. can. 25. cas. 5. n. 1., Moneta de optione cap. 1. quaest. 2, Passerin. in cap.: Cum in tua de consuet. in 6.* et alii.

Praeter hujusmodi jus apostolicis literis s. m. Pii VII. tributum et a s. m. Pio VIII. firmatum (qui potius quam protenderet jus idem magis arctavit, beneficiatis imponens in examine approbationem, eaque deficiente vocans extraneos) nullum aliud beneficiatis concessum apparet, sive alio statuto sive consuetudine, quae caeteroquin contra fundationem anno 1801 expletam et anno 1829 confirmatam, nullius esset efficaciae, quia contra Canonicos, queis jus commune et lex fundationis opitulatur, vel quadragenaria esse deberet cum titulo vel immemorialis sine titulo *ad text. in cap.: Episcopus 1. de praescript. in 6.* vel eorum consensu muniri *ad gloss. in cap. fin. vers. item quod ex certa scientia et ubi omnes de consuet.* Et sane

idipsum facto suo novisse probarunt beneficiarii, quum obtestati sunt se tueri »Il gius quesito accordatoci colla bolla d'erezione di questa Collegiata nell' anno 1802, e dichiarato col breve apostolico del 4. Agosto 1829.«

Arctato itaque ad optionem proprie sumptam beneficiatorum jure istud resignationibus, de quibus agitur, non obsistere, quadruplici firmat argumento capituli defensor:

Primo nempe ex ipsa litera bullae ac brevis memorati, ubi optandi jus occassione vacationis tantum tribuitur, quae verificatur dumtaxat per Canonicorum obitum, per puram renunciationem, per professionem religiosam et alia hujus generis; *de Nigris tract. de benef. vacat. cap. 1. num. 12*; non autem per resignationem favore tertii: decet vero eo magis, ut ultra casum in concessione contemplatum jus hoc non protrahetur, quia de privilegio res est, quod strictam patitur interpretationem, *can.: Privileg. dist. 3. leg. quia personae ff. solut. mat.* Insuper nullibi apparet, resignationes in favorem tertii bullam prohibuisse; quapropter ex dato jure ejus verba intelligi nequeunt ac si eam prohibitionem praeseferrent; quippe bullae ac brevis ad limites verborum sunt intelligenda, *Rota dec. 214. num. 3. pag. 2. dec. 375. num. 28. pag. 13. rec.* Imo illas firmas Pontificem voluisse constat, cum expresse caverit, ut canonicatus singulis affectionibus ac reservationibus apostolicis manerent obnoxii; atqui cum resignatio in favorem, nonnisi in manibus Papae fieri possit, *Piringh. lib. 1. tit. 9. num. 7., Reiffent. eod. lib. et tit.* merito inter modos recensetur, quibus affectio vel reservatio inducitur, *cap. 2. de praeb. in 6., Paris. de resig. benef. lib. 2. §.: 20. n. 5., Gonzalez ad reg. 8. canc. gloss. 14. n. 29, Rota dec. 34. n. 2. p. 5. rec.*

Quin relevet praejudicium, quod effingunt beneficiati ex dilata canonicatuum vacatione, ex quo hujusmodi resignationes ut plurimum in juniorum favorem perfici soleant, tum quia eventuale est, cum contrarium accidere queat, nempe ut resignatarius, etsi junior, resignanti praemoriatur, ceu ad rem perpendit *Card. de Luca de pens. disc. 76. n. 5.* et *Rota dec. 16. n. 11. cor. Priolo*, tum quia, si adesset, non ideo resignationibus obstaret, ex quo cum eae per bullam ex dictis non sint prohibitae, immo praeservatae, hac sub limitatione jus optandi datum asserendum est, quod in concedentis erat potestate.

Secundo ex juris dispositione. Communi enim calculo docent doctores, beneficia, quae optari queunt, in favorem tertii posse renunciari; *Piringh. lib. 1. tit. 9. sect. 2. art. 13.. Parisius de resig. benef. lib. 2. quaest. 2. n. 1., Card. de Luca de pension. disc. 15. n. 5., Garzias de benef. par. 5. cap. 1. n. 456., Leuren. For. ben. tom. 3. sect. 1. cap. 4. quaes. 292.*, qui actionem addit, quia nempe per resignationem beneficia reservantur, *et in reservatis Papae statutum et consuetudo optandi non habet locum.* Idipsum firmat s. Rotae tribunal *dec. 110. n. 5. p. 10. rec. dec. 35. cor. Poenia* et *dec. 116. n. 3. cor. Cavalerio.* Et si istae auctoritates de jure optandi in consuetudine posito expresse loquantur, id ideo factum, quia is frequentior casus est, facile quisque sibi suadebit, ceteroquin ex paritate rationis valere debere etiam in optione ex peculiari privilegio derivata, quum tam consuetudo quam privilegium nil aliud sint, quam modi seu tituli, a quibus jus idem optandi ducit originem.

Tertio ex observantia. Siquidem anno 1816 Canonicus Joseph Bianchini canonicatum suum ad favorem clerici Dominici Bono dimisit et anno 1829 Canonicus Ignatius Necci canonicatum cesset nepoti suo Dominico, quin nec apostolica Dataria obstiterit nec ullam beneficiati querelam admoverint. Ex observantia interpretativa exploratum est, quid volitum, quid datum fuerit, declarari atque ad eam inducendam vel unicum actum sufficere, *Barbosa in leg. post dotem n. 47. et seq. ff. solut. matrim., Card. de Luca de jurep. dis. 2. n. 16.* et *Rota dec. 216. n. 4. p. 3. rec., dec. resp. 81. n. 56., Altog. cons. 7. n. 48. lib. 2., Rota dec. 291. n. 19. p. 10. rec.* Cui observantiae perperam opponeretur, hujusmodi resignationes evenisse, antequam breve anni 1829 fuerit executioni commissum, quia optandi jus a bulla originem ducit, quod a breve non auctum sed potius imminutum fuit; et minus recte Canonicos obstitisse resignationi Canonici Necci; siquidem oppositio tunc orta ad id tantum respexit, ut a novo Canonico prius obligatio susciperetur »*di provvedere a sue spese, e secondo la decisione rotale alle sagrestie ec. e di assumere l'ufficio di coadjutore alla cura delle anime*«; qua obligatione reapse emissa omnis contradictio cessavit. Porro incivile nunc beneficiariis esset contra factum proprium venire. *Leg. 13. cod. de nov. num. pec., Rota cor. Molines dec. 1310. n. 4.*

Quarto demum ab absurdis, quae orirentur, si per optionis jus resignationes in favorem tertii essent praepeditae. Scilicet Canonicis facultas resignandi, quae cuique competit, absque expressa derogatione erepta fuisset, quod nunquam facere Pontifex praesumitur: *cap.: Quamvis in fin. de resig. in 6., Rota dec. 229. n. 11. p. 2. rec.*, et Pontifex concedendae gratiae potestate sese privare voluisse dicendus esset, idest resignationis, dum contra nunquam potestatem arctare suam voluisse dicendus esset, idest resignationis, imo firmam retinere, *Card. de Luca de pens. par. 2. disc. 76. n. 4*; et demum detorquenda, imo despicienda forent apertissima literarum apostolicarum verba, juris dispositio et observantia, quae, ut contenditur, favent undequaque sententiae capituli.

Econtra beneficiatorum patronus, ut viam sibi sternat ad Canonicorum intentionem excludendam, imprimis totus est in definienda ab apostolicis literis tributi juris natura, quam non verae optionis, sed potius passivae vocationis esse propugnet. Et sane haec duo in veri nominis optione requiruntur, ut nempe cadat inter personas ejusdem ordinis, hoc est inter Canonicos et inter beneficiatos ad tradita per *Monet. de optione can. cap. 2. n. 13.* et *Adden. ad dec. 190. cor. Pamphilio;* atque insuper ut competat non ratione muneris dignitatis ac meritorum, sed ratione antianitatis et diuturnioris servitii praestiti, *glos. in cap. final. verb. antiquioris de cons. in 6, Scarfanton. animad. ad Ceccoper. eluc. can. lib. 4. tit. 7. n. 1. et seq., Moneta loc. cit. num.*, et *cit. Adden.* At ex adverso in themate personis diversi generis optio tribuitur, nempe beneficiatis et Canonicis; atque insuper ratione alterius tituli et quidem onerosi, praeter antianitatem, quae in bulla expressa dicitur, non ad ipsum optionis jus constituendum, sed ad juris exercitium inter ejusdem generis personas moderandum.

Atque heic recolit cum Vicario capitulari inter causas optionis concedendae fuisse, quas pro rata in Collegiatae erectione tulerunt beneficiarii, ac gratuitum, quod statis diebus servitium praestabant: addit vero praecipuam in eo positam ferme extitisse juxta intentionem bullae s. m. Pii VII., quod beneficiarii in coadjutores adsciscí poterant a Canonico parocho in cura animarum; quare justum erat, ut ad id gravissimum munus adlecti firma ceteroquin tenui, qua donabantur, praebenda praemium aliquod aliunde consequerentur; juxta mentem vero s. m. Pii VIII. in ejus literis in forma brevis graviorem accessisse rationem hujusmodi juris ab antianitate ac diuturnitate servitii omnino diversam, scilicet ejus brevis vigore doctrina potius, morum integritas ac ad animarum curam habilitas ad canonicatus aditum moderatur adeo ut vel extraneus, nemine ex beneficiatis idoneo existente, in Canonicum eligi queat; idque sane ipsis onerosum ait, quod omnes in beneficiatorum coetu recensiti in ea sunt conditione, ut impense officiis, muneribus et doctrinis operam navent, quae ipsos tutos de propitio experimento quoad idoneitatem in cura animarum exercenda efficiant. Quapropter concludit ex ipsa literarum apostolicarum sanctione passivam beneficiatorum vocationem enasci, quidquid sit de abhibito optionis vocabulo; quandoquidem non quod scriptum sed quod actum inspiciendum et plus actum quam scriptum in omni negotio valere traditur *in Leg. 1. et 2. et 4. cod. plus valere quod agitur etc.*

Verae optionis naturali tali pacto excluso, pergit memoratus beneficiatorum defensor, extra chorum canere quotquot ex adverso afferuntur doctrinae, quae statuunt, fas esse in favorem tertii resignare beneficia, quae optioni obnoxia sunt; atque beneficiatorum jure in passiva ad canonicatus vocatione constabilito illud suapte descendere natura, non licere Canonicis resignare canonicatus aliis personis citra beneficiatos. Siquidem explorati juris est, beneficia, quae ex fundatione vel ex statuto vel concessione vel ex privilegio certo generi personarum debita sunt, etsi sub apostolicis cadant reservationibus, cadere tamen cum sua causa, ut ajunt, ita ut nempe non aliis conferantur, nisi personis requisitam qualitatem habentibus, *Lotterius de re benef. lib. 2. quaest. 19. n. 7. et seq.* et *Rota dec. 660. n. 1. et seq. par. 4. rec. tom. 1.*, ceu in qualibet sequuta va-

catione perpetuo factum in themate Ferentini Ordinarii testimonio probatur: ac firmum pariter est, talia beneficia, quae certis vocatis personis debentur, non posse in favorem resignari, nisi iis resignentur, uti tradunt *Pax Jordan. de benef. tom. 2. lib. 10. tit. 26. n. 1. et seq.* et *Rota dec. 3. n. 4. et seqq. cor. Herrera.*

Consonat observantia, qua docemur vel ab ipsa Collegiatae erectione ad hodierna usque tempora, id est per annos ultra quadraginta, nullam unquam factam fuisse resignationem; imo nemini nec in mentem venisse, teste Canonico a secretis capituli, qui geminas tantum evenisse coadjutorias edicit. Verum, subsumit memoratus defensor, hujusmodi coadjutoriae non modo non minuunt in beneficiatis jus abstinendi resignationibus in favorem, sed jus idem magis magisque confirmant. Siquidem apostolicae literae jus suum beneficiatis exercere impertiuntur, tunc cum canonicatus vacui fiunt; at per coadjutoriam beneficia non vacare docet *Rota dec. 1148. n. 2. cor. Serafino, dec. 12. n. 1. cor. Durano, dec. 684. n. 1. cor. Cerro,* ea scilicet de causa, quia tametsi in coadjutoria fiat canonicatus vacans post coadjuti funus, ita ut coadjutor, cui nullum jus erat vel titulus in beneficio, vivente coadjuto, canonicatum assequatur saltem postea vacantem, attamen ex hoc constitui nequit vacatio ad effectum, ut a tertio exerceri valeat jus ad eum canonicatum quaesitum ex vacatione, quia propter clausulam illam *ex nunc prout ex tunc* in coadjutoriis apponi solitam summus Pontifex ita futurum tempus ad praeteritum retrahit, ut quo temporis puncto per obitum coadjuti canonicatus vacat momento eodem dicatur vacatio consumpta ex praeventione summi Pontificis, adeoque nulla detur vacatio ceu perpendit *Piton. in discept. eccles. discep. 129. n. 3. et seq.* et *Rota in dec. 1. n. 12. post Remocampum de coadjutoriis.* Secus autem est in resignationibus, in quibus statim ac resignatio admissa fuerit beneficia vacua fiunt, et omnis possessio in resignante expirat. *Parisius de resignat. benef. lib. 1. quaest. 14. n. 1. et seq., Pitonius loc. cit. discep. 159. n. 27., Rota dec. 322. n. 11. par. 11. rec. dec. 262. n. 2.* et *3. cor. Cerro.* Praeterea coadjutoriae publicam respiciunt utilitatem, quatenus nempe eae conceduntur, ut ecclesiae servitio consulatur, praesentia coadjutorum supplendo eorum defectui, qui vel aetate vel infirmitate vel alio legitimo impedimento abesse coguntur; econtra resignationes in bonum dumtaxat per votum resignatarii cedunt, uti animadvertit *Pitonius loc. cit. discep. 129. n. 6.* et s. *Rota dec. 1. n. 14. et seq. post Remocamp. de coadjut.* Item perpendere est alteram ex coadjutoriis contigisse, antequam breve sa. me. Pii VIII. ederetur; alteram vero tributam fuisse cum clausula »*ne transeat in exemplum*«, ceu patet ex authographo literarum apostolicarum in Dataria asservato, atque insuper non sine oppositione Canonicorum, uti in sua relatione firmat Vicarius capitularis. Demum etsi coadjutoria factum induceret beneficiatorum juri adversum, nil tamen inde contra apricum ex actu fundationis privilegium inesse poneretur; quando explorati juris est, in actibus facultativis, prout certe est beneficiatis sui juris exercitium, non praescribi, nisi ex prohibitione expressa cum secuta acquiescentia per lapsum temporis legitimum, ceu post *Castren. in leg. 2. ff. de serv. urb.* adamussim de optione constituit *Rota in dec. 308. numer. 11. p. 17. rec.* Quod tamen nemo probare potest in themate.

His praejactis erit EE. VV. dirimere dubium:

An jus competens beneficiatis obstet resignationibus in favorem tertii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, si agatur de extraneis a collegio beneficiatorum.

Quoad expensas unum quodque collegium suppleat ex ratis massae sibi pertinentibus.

Die 2. Aug. 1845.

o) Forma.

Vd. *Benef.* (resignationis abusus p. 840.)

Forma publicandi resignationes beneficiorum ecclesiasticorum in Curia et extra.

Gregorius PP. III. Ad perpetuam rei memoriam.

Humano vix judicio ita bene quicquam et providenter sanciri potest, quin usus saepe aperiat doceatque id, quod salubre fore credebatur, minus experiendo prodesse, quod in illis constitutionibus, quas ad prohibendas simulatas occultasve beneficiorum ecclesiasticorum resignationes diversi romani Pontifices multifariam ediderunt et felicis recordationis Pius Papa V.*) Praedecessor Noster novissime promulgavit, cognoscimus accidisse.

§. 1. Nos hoc malum, prout occasio necessitasque postulant, coercere volentes statuimus ut *posthac omnes et quaecumque resignationes, etiam causa permutationis ac commendarum et etiam literis apostolicis non confectis et possessione non habita necnon litis et jurium quorumcumque concessiones et retrocessiones*, quae deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis in nostris seu romani Pontificis pro tempore existentis manibus ac etiam coram notario publico et testibus fient et a Nobis vel illo seu nostro vel illius mandato admittentur et super eis provisiones et quaecumque aliae dispositiones sive temporales sive perpetuae, aut ad hoc mandata apostolica, sub quacumque forma et quibuscumque privilegio suffultis facta *publicàri debeant cum literis apostolicis desuper confectis inter sex menses, si beneficium citra montes fuerit, ultra vero intra novem a data concessionis gratiae*, non autem a die praestiti super ea consensus numerandos, etiamsi postea concessio gratiae hujusmodi ex quavis causa diversisque subsequentibus datis, ac quotiescumque et quovis modo reformata et valida reddita fuerit, pluresque et quoquot in alium vel alios cessiones, ac etiam in ipsummet primum resignantem vel cedentem retrocessiones, termino praedicto nondum elapso, intercesserint, ita ut unicus dumtaxat terminus omnibus his successivis cessionibus ac retrocessionibus decurrat, ut qui postremus gratiam habuerit publicationem hujusmodi facere ceteraque omnia hic praescripta intra eumdem terminum praestare teneatur.

§. 2. *Ipsa autem publicatio* in cathedrali et in beneficii ecclesia vel ecclesiis, si in pluribus illud sit, *fiat ubique, dum frequens populus ad missàrum solemnia convenerit;* palam omnibus literae apostolicae praedictae earumve transumptum authenticum exhibeatur; claraque et intelligibili voce resignatio seu cessio hujusmodi ac beneficii qualitas et invocatio nominaque et cognomina resignantis seu cedentis ac illius, in cujus favorem gratia hujusmodi facta est, pronuncientur, ita ut haec omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire; scriptoque de his omnibus exemplo collato salvis dictarum ecclesiarum affixum relinquatur. Si vero ecclesia beneficii ruralis sit aut populo conventuque careat, eo casu in parochiali, intra cujus parochiae limites beneficium ipsum constitit, et in cathedrali ecclesia vel, si locus bello seu peste aliisve manifestis periculis subjaceat, tunc in proxima parochiali ac etiam in cathedrali ecclesia vel, si aditus ad illas aut utramvis minime sit securus, in alia cathedrali vel parochiali viciniori, periculorum immuni, publicatio hujusmodi peragatur.

§. 3. Is quoque, in quem disponi vel mandari de beneficio etiam litigioso vel ab accedente non possesso sub quacumque forma contigerit, possessionem beneficii intra dictum tempus vigore literarum apostolicarum desuper confectarum nec alias apprehendere debeat; et si propter litem aut aliud legitimum impedimentum nequiverit, saltem literas apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta erit, judici seu executori illarum vel aliis, ad quos pertinet, per se vel procuratorem suum legitimum intra idem tempus praesentare et apud illum vel illos pro ipsarum literarum executione instare et possessionem hujusmodi instanter petere teneatur.

§. 4. Ceterum *modus et forma hic tradita semper et ubique debeat observari* nec alia vel aequipollens ullo modo admitti in omnibus hujusmodi resignationibus, cessionibus et retrocessionibus de quibuscumque ecclesiis, monasteriis, prioratibus, tam virorum quam mulierum, dignitatibus, officiis et beneficiis ecclesiasticis, saecularibus et quorumvis ordinum, etiam militiarum, regularibus, etiam electivis et manualibus ac etiam de jurepatronatus laicorum illustrium et alias quomodocumque existentibus, sive pacificis sive in petitorio sive in possessorio litigiosis, etiam de quibus in consistorio nostro disponi consuevit seu debet, quae posthac ex quacumque causa fient et per Nos ac praedictos successores, extra tamen dictum consistorium, admittentur, etiam cum reservationibus nominis, tituli, administrationis, possessionis, fructuum, etiam omnium ac rerum et jurium quorumcumque. Ad praedictorum tamen observationem eum, in quem juris fit cessio beneficii, quod, tempore cessionis hujusmodi et ante illam, vigore

*) Vd. *supra p 842.*

literarum apostolicarum, ut supra, si ad id tenebatur, publicatarum realiter possidebat, nolumus obligari.

§. 5. *Quod si quicquam praedictorum omnium omissum fuerit*, dictis terminis, ut cuique praescripti sunt, elapsis omnes dispositiones et gratiae resignatorum et cessorum beneficiorum aut jurium hujusmodi cum omnibus inde secutis, sive de pacificis sive de litigiosis, sint irritae et inanes nullaque alia gratia super hujusmodi beneficio sive jure cesso iis, quibus concessa fuerit, suffragetur, sed ipsi tales inhabiles et incapaces sint ad hujusmodi beneficia sic resignata et cessa quandocumque obtinenda illaque sive jura ab ipsa statim prima resignatione seu cessione, etiamsi illae alias nullae et invalidae essent, vacavisse et vacare censeantur eo ipso nec resignantibus seu cedentibus, si postea sua possessione remanent, constitutiones de annali et triennali possessore nec praesumptae aut tacitae retrocessiones, etiam propter diuturnam continuatae possessionis hujusmodi tolerantiam, nec omnino aliud jus vel beneficium ullo tempore suffragetur, sed ipsa beneficia sive jura, sic a principio vacantia, a Sede apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant ac concedi. Illorum vero impetrationes vel etiam motu proprio concessiones, quibuscumque derogationibus suffultae, numquam sub clausulis generalibus aut vacationum modis conditionalibus vel implicitis comprehendantur, sed specialiter et expresse, ob non servatam praesentis constitutionis formam, ac cum declaratione nominum et cognominum resignantis seu cedentis et gratiam habentis, dispositive et conditionaliter fieri omnino debeant; et quicumque sic impetrans aut gratiam, etiam motu simili, habens, praefinitum cuique casui tempus praedictum a data concessionis gratiae sibi factae hujusmodi ac omnia, quae cadens a jure praedicto debebat, praestare teneatur; et si pluribus gratiam hujusmodi fieri contigerit, is prae omnibus obtineat, qui primus publicationem suae impetrationis fecerit et possessionem adeptus fuerit aut petierit omniaque requisita praedicta adimpleverit, quamvis in data sit postremus et possessio ab alio in publicando negligentiore prius apprehensa fuerit vel petita. Reservationibus omnibus nominis, administrationis fructuum etiam omnium ac pensionum et aliarum rerum quarumcumque necnon facultatibus, indultis et aliis concessionibus, tam ipsis resignantibus seu cedentibus, qui tamen possessionem ab initio re ipsa dimiserint, quam aliis ex hujusmodi resignationibus seu concessionibus a Sede Apostolica factis nihilominus validis plenumque effectum sortituris.

§. 5. *Sed, ne in beneficiis super possessione vel proprietate litigiosis litis prosecutio turbari valeat vel differri*, in causis hujusmodi contra cedentem ad ulteriora, etiam ad sententiam definitivam et rem judicatam ac illius executionem, prousque ille, qui gratiam ex resignatione seu cessione aut ex omissa forma publicationis hujusmodi obtinuit, ad causam, per se vel procuratorem legitimum, accesserit litemque hujusmodi susceperit, eodem modo et ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio hujusmodi facta non fuisset, ac quicquid interim sic procedendo decretum et expeditum fuerit, sive cum cedente sive contra eum, etiam postquam ipse vel quivis alius incumbentia sibi secundum praedicta praestiterit, non solum circa fructus, sed etiam circa possessionem et ipsum jus, quod cessum est, valeat omnino et vim obtineat; illumque ipsum, cui gratia facta est, non minus afficiat, quam si, ipso legitime citato, contra eum decretum et expeditum fuisset; nec ipse adversus haec, praetextu non acceptatae gratiae vel etiam illius ignoratae aut citationis vel intimationis executioni contra ipsum minime demandatae aliave ratione valeat excusari. Possit tamen ipse, etiamsi in lite et causa hujusmodi subrogatus non sit, quandocumque ad illius prosecutionem et terminationem venire et a judice, coram quo causam ipsam, etiam ex delegatione, pendere contigerit, in illis ipsis statu et terminis, in quibus tunc eam esse repererit, etiam absque rescripto speciali admitti.

§. 7. *De beneficiis autem, quae deinceps in manibus ordinariorum collatorum, etiam Cardinalium, etiam indulta et facultates ad hoc ab apostolica Sede habentium* ac Legatorum, etiam de latere, et delegatorum, etiam specialium, ejusdem Sedis extra romanam curiam *resignari, etiam ex causa permutationis, contigerit*, ipsi intra mensem negocium universum admissionis vel rejectionis resignationis hujusmodi et, si per eos facienda erit, provisionis resignati beneficii, juxta apostolicas et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis, illam publicet et possessionem beneficii capiat modo et forma supradictis, alioquin, illis elapsis, nulla sit ejus provisio et beneficium vacare censeatur eo ipso.

§. 8. Ordinariique et alii praedicti, qui haec, uti eis praescribuntur, non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati eorumque dispositio eo ipso a Sedem Apostolicam devoluta existat, ut aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat modo et forma praedictis concedantur; decernentes sic per quoscumque judicari debere necnon irritum et inane quicquid secus super his per quoscumque, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus praedicti Pii V. et aliis omnibus aliorum praedecessorum Nostrorum constitutionibus de publicandis resignationibus hujusmodi hactenus editis et reformatis, quas omnes omnino abrogamus, ita tamen quod in publicandis illis resignationibus et cessionibus, quae in manibus Nostris hucusque factae et a Nobis admissae sunt, et tempus ad eas publicandas juxta dicti Pii praedecessoris constitutionem nondum effluxit, constitutio ipsa quoad eas dumtaxat integre observetur necnon resignantium sive cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus et clausulis, in ipsismet resignationibus et cessionibus seu procuratorum constitutionibus et mandatis ac alias, etiam ad praeservationem suorum jurium et significationem, quod non aliter nec alio modo resignant seu cedunt, appositis, et quacumque verborum vi, formula et multiplicatione expressis, necnon indultis, privilegiis et gratiis apostolicis, etiam praedictis Cardinalibus ac eorum et Nostris familiaribus continuis commensalibus necnon litterarum apostolicarum scriptoribus, abbreviatoribus ceterisque romanae Curiae officialibus, et ex quibusvis causis quomodocumque concessis et confirmatis, quae omnia etiam tollimus et annullamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum. Die 5. Jan. 1584.

(Bull. r. t. XIII. p. 434. Ed. Aug. Taur. 1863.)

p) Legatus admittere non potest.

Non possunt Legati admittere resignationem beneficii ad favorem certae personae; *Rota par. 4. tom. 2. rec. dec. 508. n. 2.* Resignatio enim ad favorem certae personae non potest fieri aliter quam in manibus Papae; *Rota p. 11. d. 177. n. 16.*, c.: *Plerique 5. caus. 8. qu. 1.* et s. Pius V. in const. incip.: *Quanta Ecclesiae.**)

q) Patrono invito.

Maceraten.

Territorio oppidi Urbissalviae dioecesis Maceratensis adest ruralis ecclesia sub invocatione beatae Mariae Virginis *Majestatis* seu *del Massaccio* id est Cuprae Montanae, ut antiquitus erat ejusdem ecclesiae denominatio. In ea est simplex beneficium, cujus fundatio et fundationis lex simul et aedificationis ecclesiae tempus penitus ignoratur. Anno 1735 vacavit hoc beneficium per obitum sacerdotis Benedicti Cavallini ultimi illius possessoris et in novum beneficiatum a communitate Urbissalviae per secreta suffragia nominatus fuit Josephus Gozzi de eadem Terra, qui illius institutionem obtinuit a capitulo Basilicae Lateranensis, cui, ut asseritur, eadem ecclesia usque ab anno 1546 donata fuerat a dicta communitate et hominibus Urbissalviae, reservato sibi jurepatronatus seu jure nominandi beneficiatum.

Cogitans sacerdos Cozzi beneficium libere renunciare clerico Joanni Massari miserrimo pronepoti suo ex Terra Caldarolae nunc incolae Urbissalviae, quem penes se retinet, ut ad sacrum presbyteratus ordinem, quem clericus exoptat, suis loco et tempore promoveri possit, et idcirco preces porrexit summo regnanti Pontifici, ut clementissime exoptatam renuntiationem seu liberam beneficii resignationem admitteret cum derogatione pro hac vice tantum juripatronatus communitatis; ablegatisque precibus ad sacram Congregationem Boni Regiminis auditus ab ea fuit provinciae praesul, qui personaliter se conferens ad oppidum Urbissalviae retulit, vera esse narrata in precibus sacerdotis Cozzi; retulitque pariter de conspicuis meliorationibus aere proprio per dictum sacerdotem Cozzi factis in bonis beneficii, quarum in correspectivitatem ac etiam gratificationis titulo putare conciliarios indifferentes, justitiae et aequitati consentaneam esse resignationis gratiam, quae a sacer-

*) Vd. *p. 842*; *p. 852. n.*

dote Cozzi postulatur et quae probabiliter esset denegata, si proponeretur in publicis comitiis. Omnia relata fuerunt sacratissimo Principi, qui rem definiendam una cum novis precibus eidem porrectis a praedicto sacerdote Cozzi commisit huic sacrae Congregationi. Datae fuerunt literae, ut moris est, *pro informatione et voto auditis omnibus interesse habentibus et praefixo termino* Maceratensi Episcopo; qui cum interea decessisset, retulit Vicarius capitularis, communitatem omnino dissentire gratiae resignationis, clericum vero Joannem Massari bonis moribus imbutum esse ac demum pro communitate suum votum aperuit.

Causa proponitur. Quadruplici ex capite propugnat communitas petitae resignationis gratiam esse rejiciendam,

I., quia Cozzius non laude sit, sed poena dignus, dum beneficii bona pro parte alienavit deterioravitque caetera, quae ipse conservare tenetur, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. sub num. 180.*,

II., quia vetitum ei fuit in nominatione ad ejus favorem a communitate facta renunciandi beneficium,

III., quod res est de beneficio jurispatronatus communitatis, sine cujus consensu illius resignatio fieri non possit, *Barbos. Jur. eccles. univers. lit. 3. cap. 15 numer. 142. et 145.*, *Ferrar. in sua biblioth.* verb.: *Resignatio tom. 6. num. 21. et seq.*,

IV., quia clericus Joannes Massari, ad cujus favorem Cozzius resignare beneficium intendit, alienigena est tamquam ortus in Terra Caldarolae, qui proinde posthaberi debet in concursu presbyterorum et clericorum Urbissalviae exteris proponendorum juxta *Gloss. in can.: Hortamur distinct. 71.*

Cozzius e contra quoad *primum* non negat, ipsum nonnulla alienasse bona; probat tamen, ea distraxisse praevia Ordinarii licentia, eorumque pretium erogasse in creditum et utilitatem beneficii. Probat insuper, ecclesiam propriis sumptibus ornasse et nobiliorem reddidisse eamque instruxisse sacris supellectilibus, quae deficiebant tempore sui ingressus ad beneficium; bona vero coluisse, ad meliorem statum reduxisse eorumque auxisse valorem necnon domos, quae ruinam minabantur, restaurasse, ita tamen ut beneficium modo redditus habeat uberiores illis, quos prius habebat.

Quoad *secundum* sustinet onus nominationi adjectum de non renunciando beneficium alicui personae praeter communitatem esse posthabendum, tum quia nec illud in praesentatione ab ipsa communitate facta legitur nec in collationis beneficii literis expeditis a capitulo Lateranensi, tum etiam quia communitas non docet, hoc adjectum onus demandatum a testatore fuisse, cum vetitum patrono sit onera superaddere in fundatione non expressa, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 148. et seq.*, beneficiatum vero teneri ad onera tantum a fundatore praescripta, non autem ad illa apposita in nominatione de se facta a patrono, prout haec sacra Congregatio definivit *in Tudertina* et *in Florentina* utraque resoluta congregatione *diei 12. Martii 1718.* et in *Montis Falisci 31. Maji 1721.*,*) tum demum quia communitas non in omnibus nominationibus hoc onus superaddidit, itaut nec dici possit illud esse servandum saltem ex consuetudine, quae ab unico tantum actu contrario destruitur, *Rota in Iteramnen. Nullitatis deliberationis 15. Maji currentis anni 1778. §. 4. cor. R. P. D. Lentmanat.*

Quoad *tertium* Cozzius contendit in provisione beneficii, attenta illius vacatione per liberam resignationem de eo factam in manibus summi Pontificis, patronorum assensum a s. Sede de stylo tantum et urbanitate, non autem de justitia requiri, teste *Rota coram Ansald. decis. 476. num. 41.* Fortius quia valde dubitandum sit de hoc jurepatronatus penes communitatem, cum ab ea nulla fundatio nullumque validum proferatur documentum patronatum ostendens ad illius favorem praeservatum, quodque ecclesia fundata sit in solo Lateranensi. Nominationes autem et praesentationes per eam exhibitas, uti non consecutivas, de usurpatione suspectas esse, ideoque patronatum non probare, cum ad illum probandum, deficiente fundatione, praesentationes esse debeant continuatae et quae effectum sortitae sint ultra centum annos, *Rota in Pampilonen. Jurispatronatus et praeeminentiarum 11. Maji 1759. §. 10. in fin. coram bon. mem. Frangipane.* Hac probatione communitatem destitui contendit Cozzius, quia, licet communitas *anno 1577.* ad vacantem ecclesiam et beneficium nominaverit *Bernardinum Saraceni* ejusque nominatio fuerit

*) Vd. *p. 353. etc.*

cum effectu, nihilominus *usque ad annum 1672.* nulla alia profertur nominatio; advertit etiam Cozzius, communitatem hoc *anno 1672.* nominasse *Thomam Tenaglia* per obitum *Reguli Castellani*, nec ab ea probari, quisnam Regulum Castellani nominaverit, praesentaverit et instituerit, uti nec nominationem Thomae Tenaglia effectum habuisse suum; adeoque inverum esse, ut subsequenter et *de an. 1702.* nominatio a communitate *Benedicto Cavallini* facta fuerit, per cujus obitum secutum *anno 1735.* Cozzius beneficium obtinuit; in expeditis collationis literis favore ejus de Cavallini exprimitur, beneficium et ecclesiam vacasse per obitum *Petri Salvini*, cujus nominatio, praesentatio et institutio ignoratur.

Ad *quartum* demum quod attinet, respondit Cozzius, clericum Joannem Massari pronepotem suum quamvis de terra Caldarolae esse tamen originarium e terra Urbissalviae; probatur quippe, ejus avum et proavum incolas fuisse hujus terrae ac inter conciliarios istius communitatis cooptatos, nec ex fundatione probari, juspatronatus passivum reservatum fuisse pro civibus et incolis Urbissalviae tantum; sententiam vero, quod cives exteris praeferendi sint juxta *glossam in cap.: Hortantur dist. 71.* procedere quoad clericos alterius dioecesis, qui ex sensu exteri nuncupantur, non autem quoad illos, qui sunt ex una eademque Maceratensi dioecesi, ut est clericus Massari, juxta claram explicitamque significationem verborum *dictae Glossae in dicto cap.: Hortamur dist. 71.*)

Haec et alia plurima legenda sunt in libellis ab utraque parte circumferendis. In casu autem Cozzius supplicat pro resignatione beneficii ad favorem sui pronepotis cum derogatione juripatronatus in totum posthac vice tantum. Ast quamvis summus Pontifex derogare possit juripatronatus, juxta famigeratam *Glossam in Clement. 2. verb.: Apostol. de praebend.*, attamen hac potestate citra necessitatem et justam causam uti non solet, idque praesertim quando agitur de admittendis resignationibus beneficiorum jurispatronatus laicorum absque illorum consensu, quemadmodum docet *Rigant. ad regul. 42***) *cancellariae num. 78. et seqq. et Rota coram Molines decis. 542. num. 4.*

*) Vd. *p. 401. m.*
**) Vd. *supra p. 832*

An autem Cozzio concedenda sit resignationis gratia, quam postulat cum derogatione jurispatronatus, in casu, quo constaret, ipsum de ecclesia et beneficio benemeritum esse, necnon in casu, quo ejus pronepos ad sacros ordines aliter promoveri non possit, ac etiam in casu, quo deficiat fundatio et in quo certa non probetur pertinentia jurispatronatus ad communitatem Urbissalviae, putat, justam esse et rationi et aequitati consonam hujusmodi resignationem, cui etiam assentiuntur tresdecim ex consiliariis; ipsi viderint eminentissimi Patres, a quibus erit deliberandum:

An sit locus resignationi beneficii sub invocatione beatae Mariae Virginis Majestatis favore clerici Joannis Massari in casu?

S. C. resp.:

Negative, et amplius.

Die 8. Aug. et 5. Septbr. 1778.

r) Cum pensione reservata.

Resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis et pacto eam cassandi prohibentur et annullantur, adjecta poena privationis beneficii, inhabilitationis ad alia assequenda, restitutionis pecuniae etc., et irritantur cassationes et extinctiones pensionum, intra sex menses a capta possessione beneficii obtentae.

Benedictus XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

In sublimi beati Petri cathedra divina dispensatione, licet immerentes, collati gravi dolore constringimur, quoties considerationis Nostrae oculos convertimus ad praestantiorem Dominici gregis partem, hoc est ad ecclesiasticum coetum, eumque conspicimus vel pravis moribus vel indecoris actibus dehonestari; non enim ignari sumus, quanta sit inde in populis corruptionis timenda pernicies, si sal, unde caetera condiri debent, evanuerit.

§. 1. Pervenit quidem ad aures sollicitudinis Nostrae, non raro contigere solere, ut quidam clerici in minoribus vel majoribus ordinibus constituti aut sola ecclesiastica tonsura decorati beneficia seu officia simplicia vel cum onere residentiae possidentes aliis resignent, annua sibi pensione

sub apostolico beneplacito reservata, inito eodem tempore pacto cum resignatario cassandi et abolendi dictam pensionem, repraesentata pecunia, nempe factis quibusdam anticipatis solutionibus pecuniarum ad eam summam, quae ad abolitionem et extinctionem praedictae pensionis, vel potius ad palliatam ipsius beneficii venditionem nefarie perficiendam, expressa inter partes conventione, stabilita fuit. Et quoniam profani isti beneficiorum distractores non ignorant, quod, si hujusmodi improba pacta Datariae apostolicae nostrae ministris aut Nobis innotescerent, nunquam resignationes hujusmodi a Datario vel Prodatario nostro vel a Nobis aliisque romanis Pontificibus pro tempore existentibus admitterentur, ut circumspectam eorumdem Datariae apostolicae officialium et nostram aliorumque Pontificum vigilantiam fallerent, callida malorum hominum improbitas hanc perditionis viam et rationem excogitavit, arcano et clandestino pacto inter resignantem et resignatarium, ad pensionem cassandam et extinguendam, conventa pecuniae quantitate, eaque quandoque etiam deposita apud publicum mercatorem seu mensam argentariam, unitim ac simul expediri curant bullam resignationis beneficii et alteram pensionis reservatae super eodem beneficio favore resignantis, ita tamen, ut prope eodem vel non multo post tempore, quo supplicationi pro reservatione pensionis solida data apponitur, alia supplicatio subscribatur seu signetur pro cassatione atque extinctione ejusdem pensionis per anticipatas seu anticipandas solutiones facienda, nulla mentione facta de praecedenti abominanda conventione et simoniacam labem redolente pacto, quo beneficii resignatio in occultam ipsius beneficii venditionem execrabili transformatione commutatur.

§. 2. Cum autem hujus generis pacta improba, reprobata, damnata sint et gratiae hujusmodi cassationis seu extinctionis pensionis, tanquam subreptitiae et dolosa calliditate obtentae, et quae, rei veritate et totius negocii serie expressa, nunquam a Sede apostolica concessae fuissent, nullae, irritae ac inanes sint et in maximum animarum eas fraudulenter impetrantium damnum ac detrimentum tendant, et praeterea scandalo simplicibus et bonis abominationi et pluribus aeterno exitio sint: siquidem gratiarum hujusmodi impetratores, qui ecclesiastica beneficia tali infami mercatu negotiantur potius quam resignant, non solum gravissimo peccato, quod prae oculis habere deberent, animas suas illaqueant, sed insuper palam apud omnes in populo, non sine infamia ecclesiastici ordinis, exsecrantur et contemnuntur; et si pro aliis beneficiis obtinendis ad Datariam apostolicam accedere ausi fuerint tanquam beneficiorum venditores male audiunt et publice redarguuntur, cum statim ipsis ab eorum competitoribus apponatur resignatio facta, cum cassatione pensionis per anticipatas seu anticipandas solutiones, hoc est, indigna beneficii jam antea obtenti negotiatio et clandestina sub ambagibus et fraudulentis conventionibus detestanda venditio.

Nos igitur hoc execrabile malum, quo non leve ecclesiastico ordini dedecus et infamiae nota inuritur, prout necessitas et pastorale munus postulat, coercere in futurum volentes et longe a sanctuario Dei profanam hujusmodi abominationem removere motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine statuimus et declaramus: *Omnia hujusmodi pacta et conventiones pro cassatione seu abolitione pensionum per anticipatas vel anticipandas solutiones contemporanee ad resignationes beneficiorum, cum reservatione pensionis per quascumque personas quavis dignitate, honore ac praeeminentia insignitas inita, tanquam a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus improbata et simoniacam labem redolentia, nulla, cassa ac irrita esse et omnes cassationes, abolitiones et extinctiones pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses, a die captae possessionis beneficii per resignatarium computandos, fieri contigerit, etiamsi nullum praecedens pactum intervenisse inter partes probari possit et cassatio praedicta secuta sit vigore supplicationis manu nostra vel romani Pontificis pro tempore signatae, quam nullatenus, tanquam per subreptionem et fraudes obtentam, neque in judicio neque extra, ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas et inanes esse ac omnibus viribus ac effectu vacuas, et quatenes opus sit, motu, scientia et deliberatione simili, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium damnamus, revocamus, annullamus, cassamus et abolemus et insuper tam resignantem quam resignatarium ab omni jure beneficii decidisse eosque ipso facto absque alia declaratione vel judicis sententia privatos et ad alia obtinenda inhabiles esse ac fore et a quocumque beneficium hujusmodi tanquam de jure et de facto vacans impetrari posse; et praeterea resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione pensionis hujusmodi indebite et simoniace perceptas, quae arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandae vel pauperibus personis distribuendae, sub peccato gravi teneri et ecclesiasticis remediis ac poenis, si renuat, ipso jure absque alia sententia et declaratione cogi posse, motu, scientia et potestate pari decernimus et declaramus.*

Et quoniam multa malitia hominum est in terra, ut omnis aditus fraudibus et dolis, quos perversa nonnullorum calliditas et in exitium sui ingeniosa excogitare consuevit, quoad fieri potest, intercludatur, volumus, praecipimus et declaramus, sub hac nostra voluntate, constitutione et dispositione comprehendi omnes et singulas cessiones seu translationem in ipsum resignatarium aut in aliam personam, commodi seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi, necnon alias quascumque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore et auctoritate, per anticipatas solutiones seu repraesentata pecunia factas intra dictum tempus sex mensium, et etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud et detestabile pactum praecessisse constiterit.

Mandamus praeterea et jubemus, easdem praesentes literas perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore et nullo unquam tempore sub quovis colore et praetextu, etiam defectus nostrae intentionis, impugnari posse sicque et non alias in praemissis omnibus et singulis, per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis apostolicae praefatae Nuntios aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus resignantium seu cedentium voluntatibus, conditionibus, protestationibus et clausulis in ipsismet resignationibus et cessionibus seu procuratorum constitutionibus et mandatis ac alias, etiam ad praeservationem suorum jurium et significationem, quod non aliter nec alio modo resignant seu cedunt, appositis et quacumque verborum vi, formula et multiplicatione et amplitudine expressis, necnon quibusvis indultis, privilegiis et gratiis apostolicis tam generalibus quam particularibus, quantumvis speciali mentione et nota dignis quibuscumque Archiepiscopis, Episcopis et aliis Superioribus et inferioribus ecclesiarum praelatis, etiam S. R. E. Cardinalibus ac eorum et nostris familiaribus continuis commensalibus, necnon literarum apostolicarum scriptoribus, abbreviatoribus caeterisque romanae curiae officialibus concessis et confirmatis caeterisque contrariis quibuscumque.

Die 29. Aug. 1741.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 71.)

s) Requisita.

Cum Parochus oppiduli cujusdam ob malam cum muliere consuetudinem vitamque inhonestam populo spirituale offendiculum praeberet, ab Episcopo dioecesano ea de re edocto pluribus identidem punitionibus affectus est. Quoniam vero a pravo vitae instituto non deflectebat neque ulla resipiscentiae signa suppeditabat, idem Episcopus de uno ad aliud coenobium ad spiritualia exercitia peragenda eum ablegabat, quin suae unquam paroeciae redderetur. Hoc in rerum statu parochus, inscio Episcopo, Romam se contulit, et S. C. Ep. et Reg. suas querelas detulit plura ejus, quam ipse se ab Episcopo pati asserebat, vexationis argumenta depromens. Itaque S. C. Episcopo preces remisit eumdemque hortatus est, ut de criminationibus, quae in Oratorem congerebantur, juxta normas a jure canonico praescriptas inquireret.

At vero Episcopus, qui parochum alias jam ad renunciationem beneficii parochialis inducere nequicquam aduisus fuerat, hasce tractationes resumere maluit easque validius urgere, alia parocho adpromissa adsignatione unde substentationem haberet: quae res e sententia Episcopo cessit. Nam parochus aliquando tandem animum induxit, ut paroeciae nuncium mitteret et in ejus locum portionem in ecclesia receptitia alterius oppiduli assequeretur. Itaque die 15. Augusti

1859 actum renunciationis sponte ac libere, uti ajebat, emissae episcopali curiae in scriptis tradendum curavit. Curia sub data ejusdem diei actum acceptationis edidit, in eoque a parocho juramentum corporale (idest veluti personaliter elicitum) superadditum fuisse legebatur. Sciendum tamen, quod eo die 15. Augusti parochus a civitate dioecesis principe, ubi curia extabat, in alia civitate versabatur, quae triginta vel quadraginta milliaria a curia distabat. Ex quo manifestum erat, actum acceptationis perfici nequivisse eodem die, quo renunciationis actus prodierat, multoque minus fieri potuisse, ut parochus tanquam praesens juramentum eliceret, nisi bilocationis munere prodigialiter gavisus esset; neque enim ceteroquin via ferrea suberat, quae curribus vaporiferis brevi devorari posset.

Nihilo tamen secius parochus ad memoratam receptitiam ecclesiam illico profectus erat, in eamque ab ejusdem clero rite admissus sine ulla contradictione fuerat. Cum pacifice circa duos annos ibidem moratus esset, rei pertaesus, iterum ad S. C. Ep. et Reg. suas preces submisit, quibus ad renunciationem se per vim coactum fuisse lamentabatur; eam igitur uti nulliter emissam declarari postulabat, cum praesertim actus acceptationis duplici falsitatis vitio laborans, nempe datae et corporalis juramenti, ut superius adnotatum est, tamquam non elicitus haberi deberet.

Quae rationum momenta pro parocho afferentur.

Renunciatio beneficiorum juxta sacros canones valida dici nequit, nisi certae definitaeque servatae fuerint solemnitates. Et quamvis inquisitio omitteretur, an earum implemento locus factus foret, attamen illud praecipuum ac primum inspiciebatur, ut satis non sit renunciationem a beneficiato emitti, nisi a Superiore formiter acceptetur. Atqui in themate planum erat, a Superiore acceptationis actum non fuisse editum: quod enim nulliter actum est nullos parit effectus. Porro de nullitate dubitari plane non poterat; die siquidem 15. Augusti acceptatio facta fuisse dicebatur, et insuper ab oratore juramentum prolatum coram curia fuisse, cum reapse neutrum veritati initeretur.

Perperam vero objiceretur necessarium non esse, ut renunciatio et acceptatio uno eodemque contextu absolvantur, perinde ac potuerit Episcopus acceptationem omni demum tempore perficere. Respondetur enim id tum verum esse, cum res adhuc integra est, videlicet quando renuncians actum renunciationis nondum revocaverit, minime vero cum secus fuerit, prout ab oratore factum fuisse per preces S. C. allatas plane constabat. Vid. *Ferraris: Renunciatio n. 32. ac 33.*

Neque itidem ullatenus obesset excipere ab oratore renunciationem ratihabitam fuisse per pensionem in ecclesia receptitia, quam et accepto habuerat et duobus annis re exegerat. Quod enim initio vitiosum est non potest tractu temporis convalescere: cum praesertim ageretur de pensione, quae inter beneficia non comprehenditur subroganda titulo parochiali, quo insuper ceu patrimonio sacro orator utebatur.

Quid contra parochum responderetur.

Canonica causa, ex qua oratori parochiam deserere licebat, nedum abunde aderat, quin imo talis erat, ut ipsum ad eam deserendam cogere debuisset, scandalum videlicet, quod populo ex inhonesta sua vita exhibebat. Praeterea indubitatum in facto erat, quod orator renunciationis et Episcopus acceptationis actum emisisset: uterque siquidem per extensum inter acta producebatur. Si vero in data erratum fuerat itemque in juramento personaliter elicito, error hic nequaquam actus substantiam sed accidentalia solummodo respiciebat. Etenim iis etiam positis nequaquam negari potest, Episcopum acceptationi revera locum non fecisse.

Subinde probe novit etiam, qui vix canonicae jurisprudentiae limina salutaverit, canonicam resignationem bifariam dividi, in expressam videlicet ac tacitam. Quamqnam itaque parumper concedere velles, expressam, de qua hactenus locuti sumus, attendi non debere, nihilominus declinari non posset alia, quae tum habetur, cum aliquis pensionem recipit, aut aliquid aliud agit, quod nisi ex renunciationis ratihabitione eliceretur, qui necessario eamdem secumferat. Sic ex. gr. in emphyteusi si dominus utilis domino directo canonem libere solvit, emphytheusim ipsam idem recognoscere et admittere dicitur. Jam vero orator renunciationem emiserat sub conditione, ut portio sibi in praedicta ecclesia receptitia adsignaretur: si igitur conditionem accepto habuit, et renunciationem, quam portio secumferebat, excepisse dici debet, *cap.: Transmissa 2 de renunc., cap.: Ex ore 3. De his, quae fiunt, Barbosa Jus ecc. univ. lib. 3. cap. 13. n. 40. et seq., Piringh. lib. 1. tit. 9. n. 3., Reiff. eod. tit. n. 10.*

Utcumque vero se res haberet, cum salus populi suprema lex sit et restitutio parochi ad renunciatam parochiam in spirituale populi detrimentum procul omni dubio processura esset, veluti circumstantiae omnes in casu concurrentes comprobare viderentur, a S. C. specialiter exorabat Episcopus, ut, si quid etiam minus tectum in tota hac rei ratione forsitan admissum fuisset, apostolica sanatione ita sustineretur, ut quod gestum fuerit in suo robore permanere indulgeatur.

Dubium:

An et quomodo attendendae sint reclamationes oratoris N. in casu?

S. C. Ep. et Reg. rescripsit: Negative in omnibus, firma remanente favore sacerdotis oratoris N. provisione in ecclesia receptitia s. Laurentii, facto verbo cum SSmo.

Die 8. Maji 1864.

Ex his colliges:

I. Resignationem beneficiorum emitti debere ex certis causis in jure canonico praefinitis eandemque non valere, nisi a Superiore acceptetur.

II. Renunciationem bifariam dividi, in expressam videlicet ac tacitam.

III. Renunciationes aliquo vitio forsitan laborantes sanari ab apostolica Sede, si aequa et rationabilis causa accedat.

IV. Qui potest justis de causis beneficiatum suo beneficio privare, quin omnes solemnitates praescriptae observentur, absque dubitatione potest accepto habere renunciationem ab eodem beneficiato emissam, quamvis aliqua solemnitas seu extrinseca forma ad actus validitatem requisita fuerit ommissa. In casu autem ad quodlibet dubium removendum s. Congr. videtur clausulam adjecisse: facto verbo cum SSmo, qua sanatus est acceptationis defectus, si forsan irrepsisset.

t) Cum reservatione omnium fructuum.

Vd. *Beneficium* (resignatio simon.)

Permitti posset resignatio beneficii cum reservatione omnium fructuum, quum ex auctoritate summi Pontificis liceat, *Rebuff. de reserv. tam generali quam speciali num. 16., Sarn. de anna. quaest. 60., Paris. de resignat. lib. 6. quaest. 1. num. 2. et 3.*

u) Simoniaca quando est?

Vd. *Benef.* (collatio simoniaca p. 443.; resignationis abusus p. 840)

Nullius s. Jacobi.

Quum Antonius Amaya beneficium cum officio aeditui ecclesiae parochialis Villae Tuentes de Leon resignaverit in favorem Josephi Sanchez Brioso, cum *privata conventione* cum eodem ejusque patre inita, ut officii exercitium incumberet resignatario, dum perciperet ipse fructus beneficii, postmodum monitus Joseph de simonia confidentiali supplicavit pro approbatione resignationis; sed noluit S. C. illam indulgere.

Die 21. April. 1792.

Nullius s. Jacobi.

Simoniacus est in beneficialibus contractus »*do ut des*«, qualis videtur ille, de quo agitur, nam dedit Amaya beneficium, ut sibi daret Sanchez fructus, qui ad ipsum per resignationem pertinuissent, *Redoan. de simon. part. 2. cap. 11. num. 16.* Qui ita enim absque licentia Sedis apostolicae contrahit, veram committit confidentiam, a quo tantopere abhorruit s. Pius V. in constitutione: *Intolerabilis 85.* §.: *Quare nos volentes*)* et §.: *Ad probandum**)*: ac nedum privatur beneficio et fructibus, sed plectitur etiam excommunicatione, a qua nisi in mortis articulo constitutus ab alio, quam a romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere, ut sub §. *sed ne quisquam.* Mereri quidem possent oratores absolutionem a censuris et condonationem fructuum ob bonam fidem, cum qua contraxisse affirmant, *Paris. de resignat. benef. lib. 3. quaest. 6. num. 55.* Sed ponderandum est, num excusari valeant ex ignorantia juris contra dispositionem *cap.: Per tuas 3. de simon.* et sententiam *Fagnan. in cap.: Ne innitaris num. 428. de constit.*, et num in ea fuerint

*) Vd. *p. 455.*
**) Vd. *p. 456.*

ignorantia, qui secretum contractum in resignatione beneficii reticuerint.

Die 21. Apr. 1792.

(Conc. Trid. C. 14. Sess. 24. de refor.)

De mense Julii anni 1708. Maria Fuschina uxor Caroli Legiuni et mater clerici Joannis Legiuni annos undecim nati cum consensu dicti ejus viri et cum licentia senatus Mediolani per publicum instrumentum se obligavit solvere et praestare annuatim sacerdoti Josepho Antonio Marzagorae libras 288 consequendas super quadam ejus domo dotali sita in civitate Laudae ad effectum, ut congruè se sustentare posset, ea tamen expressa conditione, quod dictus Marzagora teneretur praevie et liberè renunciare ad favorem praefati clerici Joannis ejus beneficium simplex, quod possidebat in ecclesia s. Incoronatae loci Sablonetae Cremonen. dioecesis, annui redditus scutorum centum in auro absque aliquo onere, ad cujus titulum fuerat ad sacros ordines promotus,*) ac altero adjecto pacto, quod dicta annua praestatio locum habeat, vita tantum naturali durante ejusdem Marzagorae, necnon extinguatur in casu, quo dictus Marzagora de aliquo beneficio seu ecclesiastica pensione provisus fuerit. In praemissorum executionem supradicti conjuges ad hoc, ut supradicta renunciatio suum plenarium sortiretur effectum et à SS. D. N. approbaretur, et non aliter nec alio modo, constituerunt Carolum Fuerte eorum procuratorem ad perficiendam recensitam conventionem cum Marzagora et comparendum in curia episcopali Laudae pro approbatione actus. Quemadmodum de facto tum dictus procurator quam Marzagorae adierunt Vicar. gen. Lauden. sedentem pro tribunali, quo coram procurator repetiit, favore Marzagorae praesentis et acceptantis supra expressam vitalitiam praestationem cum omnibus contentis in primodicto instrumento, ac invicem medio juramento se obligarunt ad eorum observantiam. Quibus sane attentis ac visis documentis supra enunciatis Vicarius generalis suum opportunum decretum interposuit ac declaravit Marzagoram cum dicto patrimonio habere, unde commodè se sustentare posset, juxta congruam praescriptam à constitutionibus synodalibus Lauden. In quorum sequelam saepedictus Marzagora sub die 30. Augusti ejusdemmet anni constituit suum procuratorem in Urbe ad dimittendum et renunciandum praefatum suum beneficium in manibus SS. D. N. ad favorem clerici Joannis Legiuni minorenni, cum clausula: *non aliàs nec aliter* etc. et attento, quod ipse haberet, undè commodè vivere posset, necnon ad ejus nomine jurandum, quod in resignatione praedicta nulla intervenit nec interveniet fraus, dolus vel simoniae labes; verum in dicto mandato procurae nulla prorsus mentio habita fuit de supradicta conventione inita inter ipsum et matrem clerici resignatarii. Sicque à Dataria expeditae fuerunt literae apostolicae provisionis beneficii in personam dicti clerici Joannis Legiuni Vicario generali Cremonen. directae, cum ea lege, constito, quod dictus Joseph Antonius aliundè commodè vivere valeat quodque dictus Joannes, circumscripta aetate, idoneus repertus fuerit, ac alia adjectâ clausulâ: *Tu isthic attente circumspicias, an ex parte Joannis et Josephi Antonii praedictorum super dicta resignatione, ut fieret, quam Nos nullo hucusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit simoniae labes aut aliqua alia illicita pactio vel etiam corruptela.* Exhibitis autem praefatis apostolicis literis Vicario generali Cremonen. hic anceps: an resignatio praedicta simoniaca lue esset infecta, ratione supradictae conventionis initae inter Fuschinam et Marzagoram eas exequi renuit. Subindeque de errore admoniti tam praefati conjuges quàm ipse Marzagora revocarunt et retractarunt per publicum instrumentum supradictam conventionem perinde ac si facta non fuisset; et dictus Marzagora, qui omnia praedicta sub ass. bona fide gessit quique in possessione d. sui beneficii remansit et remanet dubitans incurrisse aliquam censuram et poenas ecclesiasticas, proùt a nonnullis afferebatur, necnon irregularitatem ob exercitium sacrorum ordinum humiliter supplicationem porrexit Datariae ad hanc sac. Congregationem remissam pro absolutione et respectivè dispensatione à quibuscumque poenis et censuris propterea forsan incursis necnon pro nova provisione ad cautelam praefati beneficii ac pro plenaria reintegratione in pristinum. Veritatem dictarum precum, in quibus factum supra recensitum delibatur, confirmavit Episcopus Cremonen. informare requisitus, qui existimavit omnia bona fide patrata ex parte dictorum contrahentium.

*) Vd. *p. 848. d.*

Nihilominus recitatis oratoris precibus per summarium in Congregatione diei 18. Aprilis proxime defluxi *Lectum* rescriptum fuit. Atqui melius re perpensa et cumulatis omnibus juribus ad rem facientibus in summario exhibendis credit orator nullam ex actu praedicto incurrisse simoniam nullamque poenam inde provenientem ac ideo obtinuit proponi infrascriptum dubium ab EE. VV. ex deducendis sapienter definiendum:

An sacerdos Joseph Antonius Marzagora incurrerit poenas de jure latas contra simoniacos in casu etc.?

S. C. resp.: Negative in casu, de quo agitur et consulat conscientiae suae.

Die 16. Jan. 1712.

v) Tempus.

Signina.

Paschalis resignationem fecit ante latam privationis sententiam, adeoque poterat jure resignare, ut tradunt *Tondut. quaest. benefic. part. 1. cap. 27. num. 13., Lotter. de re benefic. part. 3. quaest. 110. num. 1.*

Die 30. Junii 1804.

w) Vicarius gen. recipere non potest.

Vicarius generalis sine speciali mandato seu commissione Episcopi saltem in literis vicariatus expressa non potest recipere resignationes beneficiorum, *Garcias par. 11. de beneficiis cap. 3. n. 255., Flamin. Parisius lib. 7. de resign. benef. c. 24. num. 1. et seq., Rebuff. in praxi beneficior. forma Vicariatus Archiepiscop. n. 104., Aloysius Riccius par. 2. Prax. ecclesiast. fori result. 471. num. 1.* cum *Rota dec. 13. de renunciat. in antiq.* et alia passim.

Et hoc colligitur ex *cap.: Dudum 14. §. 1. de praebend. in 6.*, ubi potestates recipiend. resignationes beneficiorum et ista conferendi aequiparantur. Quum autem ex cap.: *Cum in general. concessione 3. de officio Vicar. in 6.* Vicarius generalis Episcopi nequeat beneficia conferre, nisi horum collatio sibi specialiter et expresse commissa fuerit, sequitur, quod neque possit sine speciali et expressa commissione Episcopi beneficiorum resignationem recipere. Immo *Pignatell. tom. 9. consultat. 77. n. 33.* dicit, quod Vicarius Episcopi habens facultatem conferendi beneficia non potest recipere resignationes.

94) Resignatum.

(Collatio ab Episcopo.)

Vd. *Beneficium* (collat. ab Episcopo consanguineis etc. p. 413; reservatum — quae non sunt reservata hodie etc. juxta concordata Germaniae p. 838. c.)

95) Sacerdotale.

a) Cui conferendum?

Vd. *Beneficium* (collatio — quibus personis etc. — p. 433.); *Beneficiatus* (qualitas requisita ex fund. p. 185; sacerdotio non insignitus, p. 236.)

Beneficia sacerdotalia debent conferri sacerdotibus actu neque in hoc dispensare potest Episcopus, etiam cum consensu patroni. Conc. Trid. *sess. 25. cap. 5.*

b) Probatio.

Vd. decret. *Lauretana p. 205.*; *Capellania* (ecclesiastica; laicalis.)

Viterbien.

Ex repetita impositione oneris Sacrum celebrandi atque ex usurpatione vocabuli *sacerdos* in eodem testamento beneficii sacerdotalis naturam argui probatur cum *Rocca in disput. 420. num. 1. et 2.* et *Rota in decis. 550. n. 1. part. 18. recen.*

Quin officiat additum non fuisse in testamento, quod sacerdos nominandus *per se ipsum Sacra celebrare debeat* vel nulla alia adjecta fuerit determinatio, unde omnis excludatur licentia interpretandi vocabulum illud *sacerdos* atque onera fundationis, quandoquidem tot putat in themate concurrere declaratae voluntatis adjuncta ut luculenter appareat, testatricem de sacerdote, qui actu talis esset, loquutam fuisse

quod sat profecto est, ut juxta doctrinam *Rotae in cit. dec. 550. num. 10.* quaelibet contraria interpretatio excludatur. Dubium demum omne, si quod superesset, eliminare inconcussam ac perpetuam observantiam, qua factum est, ut a die fundationis usque in praesens semper fuerint praesentati sacerdotes ceu ex documentis liquet apud acta productis. Atqui ex hujusmodi observantia fundatoris declarari dispositionem tradit *Rota in decis. 17. num. 10. cor. De Veri* et in *cit. dec. 550. n. 15.*

Adjectio illa »*con il peso di celebrare una messa quotidiana perpetua*« in actu erectionis apposita haud sufficiens dignoscitur ad naturam beneficii sacerdotalis denotandam, cum expresse cautum non sit, quod sacerdos per se ipsum celebret, sed demonstrativa tantum est onerum beneficii, non autem taxativa personae eligendae juxta celebrem allegationem *Lapi 35.* relatam a *Rocca disp. Juris select. cap. 190. num. 11.*, qui in eodem *cap. num. 2.*, quod ex adverso usurpatur, qualitatem sacerdotalem arguit non ex una tantum adjectione oneris celebrandi, sed etiam ex requisita qualitate sacerdotali simul juncta cum actu erectionis vel praesentationis.

Die 12. Mart. 1853.

Cortonen.

Vulgata est s. Congregationis doctrina, ut, nisi fundator expresse dixerit, quod praesentandus celebret *per se ipsum*, beneficium nullum sacerdotale sit et possit per alium adimpleri missarum onus, ita *in Firmana Capell. 12. Martii 1774.* §. *7.*, *in Ariminen. Capell. 26. Febr. 1774.* §.: *Contendit* et *Camer. Cap. 26. Januar. 1775.* §.: *Re comperta*, quibus consonat *s. Rota in dec. 825. cor. Merlino* §. *8.*

Die 13. Febr. 1841.

c) Non sacerdotale.

Vd. *Beneficiatus* (*sacerdotio nondum insign. — dispens.* decr. : *Cremonen.* §.: *Nec quicquam etc. p. 246.*); *Beneficium sacerdotale.*

96) Saeculare.

a) A Regulare extra claustra degente possessum.

Vd. *Beneficium* (collatio ab Episcop. inauditis patronis etc. p. 417; unio cum monasterio monachorum non concessa.)

b) Saeculare benef. Saecularibus et regulare Regularibus conferendum est.

Vd. *Benef. residentiale* (Regulares p. 840); *Canonicatus saecul.; Benef.* (regulare p. 803; unio non concessa beneficiorum saecularium etc.)

S. Severini.

Quid si monachi essent septempedani, nunquam tamen capellaniis illis frui posse videntur, tum quia testator non *monachos sed sacerdotes* vocavit, et quidem *cives*, tum quia cum hic agatur de beneficiis sive capellaniis *saecularibus* certissimum est ex sacris canonibus nec beneficia saecularia regularibus nec regularia saecularibus concedi posse, *text. express. in can.: Cum causam 27. de elect. etc.* et *Card. de Luca de benefic. dis. 75. num. 19.*, *Rigant. in reg. 43.**) *cancell. num. 25.* et *Rota cor. Seraph. decis. 1165. num. 12.*

Si vero dicatur dispensationem monachos obtinuisse vigore literarum apostolicarum, res in idem reincideret; nam si illae fuerint obreptitiae et subreptitiae, dispensatio illis inhaerens tamquam haud concessa censeri deberetur.

Die 16. Jan. 1819.

Beneficia ecclesiastica saecularia conferri nequeunt Canonicis regularibus Lateranensibus aut ss. Salvatoris absque indulto apostolico; *Benedict. XIV. tom. 1. bull. constit. 135.* incip. *Quod inscrutabili.*

Beneficiorum parochialium et vicariarum tam saecularium quam regularium capaces esse Canonicos regulares Praemonstratenses, etiam non intercedente apostolica dispensatione, definit idem Pontifex in *bulla 33. tom. 3.*: *Oneroso.*

Beneficia saecularia saecularibus sunt conferenda et regularia regularibus, non novitiis sed professis expresse. Saecularia vero dari possunt novitiis. *Cavar. in cap. 2. de test.*

Hieracen.

Exploratum in jure, saecularia beneficia saecularibus et regularia regularibus esse conferenda, *cap. Cum ad nostram 37.* et *cap: Officii 38. de electionibus, Concil. Trident. sess. 14. cap. 10. de ref.*, *sess. 25. cap. 21.*

*) Vd. *p. 832.*

de regular., *Garzia de beneficiis part. 7. cap. 10. n. 20.*, vetitumque regularibus esse absque speciali apostolico indulto parochiales ecclesias retinere, *cap.*: *Monachi de statu monachor.* Itaque sacerdotem Englen, qui regularis est in ordine s. Dominici professus, incapacem fuisse dicit obtinendi parochialem ecclesiam s. Nicolai ex Aliph, reque vera ad concursum fuisse admissum si *et quatenus saecularizationis et habilitationis ad beneficia gratiam a s. Sede obtinuisse docuerit.*

Die 24. Julii 1824.

c) Regulares saecularizati num possidere possunt ?

Vd. infra lit. *d*; p. 440. ss.; 543. f.

Causa isthaec, contentiosissime agitata ex illis italicis provinciis Romam devenit, quae anno 1816 Galliarum imperio fuerunt adnexae.

Archidiaconus ex nobili familia B. anno 1690 canonicatum erexit in sua Cathedrali N. Dos hujus canonicatus direpta fuit inter vicissitudines saeculi elapsi. Remansit tamen quoddam annuum legatum libellarum seu francs 920, quod communitas civilis A. solvere illi capitulo perrexit.

Sacerdos Joannes ex eadem nobili familia A. descendens consilium cepit anno 1848 fundandi iterum illum canonicatum; idque prestitit simul cum patruo suo Comite Aloisio laico hac ratione: statuerunt pro dote

1. redditum annuum libell. 96, quem dare spopondit Aloisius obligans suos etiam successores, qui simul facultatem fecit Joanni hypothecandi quosdam suos fundos ad securitatem eorumdem reddituum;

2. libellas annuas 920, quae solvebantur capitulo, de quibus jam mentionem feci: quem redditum capitulum novo canonicatui libenter cessit tamquam ad eum pertinentem;

3. redditum annuum libellarum 630, quem constituit sacerdos Joannes ex suis bonis.

Haec dos in acceptis ab Episcopo habita fuit. Has tamen conditiones iidem fundatores apponere voluerunt:

In casu, quo canonicatus supprimatur ob vim majorem vel aliam quamcumque causam, quae non pendeat a sacerdote Joanne B. vel ejus successoribus in canonicatum, aut ipsum capitulum supprimatur, ejusmodi redditus tamquam non adsignati considerandi erunt; et integra dos revertetur ad eosdem fundatores seu eorumdem haeredes.

Ad juspatronatus quod attinet, haec statuerunt: *Jus nominandi pertinebit ad Comitem Aloisium B. ejusque descendentes in linea masculina, quibus deficientibus ad fratrem sacerdotis Joannis B. ejusque descendentes masculos; in casu extinctionis harum linearum jus nominandi ad Episcopum pertinebit.*

Quod attinet ad juspatronatus passivum statuerunt, ut dictus *Joannes primus Canonicus sit, post eum ejus frater Vincentius, qui nunc Vicarii paroecialis munere fungitur in paroccia C. . . . Praeferri semper debent sacerdotes ad alterutram dictam lineam pertinentes.* Quibus deficientibus alias etiam familias passive vocarunt.

Canonicatus itaque hisce legibus auctoritate episcopali anno 1848 fuit erectus interveniente capituli consensu (quod exiget ut novus canonicatus daret redditum saltem libell. 800 annuum) atque in eo canonice institutus est Joannes juxta legem fundationis. Anno 1854 quaedam controversia a tribunali civili fuit resoluta inter Joannem, capitulum et communitatem dictam C. circa legatum libell. 120 illudque adjudicatum fuit ut antea capitulo, sententia lata contra Joannem. Judicavit siquidem tribunal extincta fuisse omnia jura veteris canonicatus et per novam erectionem eadem veter jura reviviscere non posse.

Postea Comes B. redditum annuum libell. 96 nec solvit nec solvere valuit, cum magno aere alieno ejus bona gravarentur.

Anno autem 1866 die 3. Februarii Joannes illi canonicatui renuntiavit ejusque renunciatio in acceptis habita fuit ab Episcopo, qui alium pinguiorem canonicatum tum vacantem eidem Joanni die eodem contulit.

Episcopus subinde rogatus est ab eodem Joanne, ut ad novam nominationem dimissi canonicatus non deveniret, quippe cum irrita

ea fundatio et erectio suo judicio existimanda esset.

Non aperte constat, quomodo se gesserit Episcopus circa ejusmodi petitionem; in facto tamen est, Episcopum per privatas epistolas interpellasse patronum Aloisium, cui unice spectabat nominatio, ut nominaret; hic facultatem nominandi Episcopo ipsi fecit aut ita rem egit, ut per quadrimestrem temporis lapsum nominatio devolveretur Episcopo; et ratam habuit nominationem ab Episcopo deinde factam.

Cum autem ex lege fundationis nominandus esset frater Joannis, qui tum erat paroecialis Vicarius, hic ab Episcopo invitatus suo juri renunciavit. Haec omnia mense Majo 1866 per privatas epistolas peregisse videtur Episcopus.

Joannes cum jamdiu sibi persuasisset erectionem sui canonicatus irritam esse vel saltem in eum casum incidisse, quo dos ad fundatores restituenda esset, omni studio curavit, ut Episcopus non amplius nominaret; atque eo devenit, ut die 15. Novembris ejusdem anni actum protestationis interposuerit apud acta tribunalis civilis, Episcopo notificandum, prout reapse eadem die 15. Novembris fuit notificatus.

Nihilominus Episcopus, posthabita ejusmodi protestatione die sequenti 16. Novembris formaliter nominavit ad eum canonicatum alium fratrem Joannis Paulum B., qui *professionem solemnem jamdiu emiserat in ordine s. Francisci et indulto saecularizationis obtento extra claustra degebat.* Joannes iterum die 22. Novembris ejusdem anni 1866 protestationem emisit adversus factam nominationem.

At, hac etiam protestatione posthabita, Paulus B. nominatus ab Episcopo obtinuit literas institutionis canonicae die 19. Februarii 1867.

Die 6. Martii ejusdem anni Joannes causam detulit s. Congregationi Concilii idque die 30. Martii Episcopo significavit.

Joannes in suis protestationibus emissis confundebat veterem canonicatus erectionem cum nova erectione a se facta, innuens veterem canonicatum extinctum reviviscere non potuisse. Episcopus die 1. Aprilis 1867 jussit, Paulum B. in possessionem canonicatus immitti. Quare die 11. Aprilis 1867 praesentibus licet decem tantum Canonicis quaedam possessio dicto Paulo data esse videtur.

Cum autem inter ejusmodi rerum agitationem, quam enucleatius referre otiosum esset, Paulus in pleno jure canonicatus se esse praetenderet et quaereret a Joanne dotem ejusdem canonicatus et e contrario Joannes redditus canonicatus a se fundati recusaret, res in civile judicium deducta est. Tribunal civile primae instantiae sententiam tulit contra actorem, idest contra Paulum, tum quia legitimam existentiam coram civili lege ille canonicatus non haberet tum quia quaestio penderet apud s. Congregationem Concilii, quae unice competens esset.

Haec sententia confirmata est in secunda instantia ob easdem ferme rationes, id est, quia gubernium gallicum, cui illa itala provincia anno 1861 subjecta fuit, non admitteret nisi novem tantum Canonicos, qui stipendium a gubernio accipiant; quia haec lex publici esset ordinis et capitulo, de quo agimus, esset applicata speciali decreto anno 1864, et ideo reliqui Canonici antea constituti recogniti admissique non essent coram civili lege: eo vel magis, quod in praesenti casu neque constaret de valore nominationis factae in Pauli persona.

Defensio Joannis quoad primum dubium.

Causidicus Joannis impugnavit validitatem novae nominationis ab Episcopo factae contendens neglectam fuisse canonicam formam, quia edicta resignationis non fuerant affixa nec citati patroni caeterique, quorum id interesset ad nominandum; quod quidem peragendum erat non solum ex jure et ex constitutione Gregorii XIII. *Humano vix judicio**), sed etiam ex consuetudine ejusdem dioecesis.

Post haec recoluit defensor, Episcopum ad formalem nominationem et canonicam institutionem faciendam devenisse, etsi Joannes protestationes apud acta inseruisset, immo etsi ad s. Sedem appellasset. Porro in comperto esse, praesentationes et nominationes pendente lite factas irritas esse et attentatas. Immo inhibitionem seu protestationem ejus, cujus intersit, impedire quominus ad nominationem ejus, cujus intersit,

*) Vd. *p. 856.*

procedi valeat, et si procedatur, omnes subsequentes actus attentorum vitio infectos esse: quod quidem cum noscerent Canonici, quatuor eorum protestationem etiam emisisse contra actum possessionis ab Episcopo praescriptum: imo ipsum civile tribunal declarasse, non posse haberi Paulum tamquam Canonicum, cum appellatio intermissa esset ad s. Sedem, ad quam solam judicium competeret: ideoque fructus canonicatus novum Canonicum exigere non potuisse.

Recolebat insuper defensor nonnulla facta quae ante evenerant; idest inquiebat anno 1854 per civile judicium erectionem canonicatus irritam fuisse declaratam; ideoque Canonicum Joannem amisisse praestationem libell. 120, subinde etiam redditum a Comite fratre 'dandum libell. 96: cum autem Joannes Episcopo supplicasset, ut rei prospiceret, eumdem Episcopum exquisivisse votum sui Vicarii generalis, qui in ea sententia fuit, ut extinctus declarari posset canonicatus; ideoque Episcopum anno 1862 spem injecisse in animum Joannis se declaraturum esse canonicatus extinctionem: postea vero sententia mutata adversus eumdem Joannem processisse adeo, ut neque protestationes valuerint neque appellatio ad s. Sedem.

Hinc defensor ostendere curavit, protestationes emissas non fuisse spernendas, tum quia aderant rationes ab Episcopo antea recognitae, quae pro extinctione canonicatus militarent, tum quia patronus, qui ab Episcopo fuerat interpellatus ad nominandum, neque jus nominandi haberet, quippe cum utpote decoctus solvere non amplius posset partem dotis canonicatus, ob quam patronus antea constitutus fuerat; quod si hujus ammissi juris probabilitas tantum haberetur, admonendum fuisse de canonicatus vacatione, defensor inquiebat, alterum patronum ex alia vocata linea.

Defensio Joannis quoad secundum dubium.

Defensor recolebat ea principia, quibus traditur appellatione interposita cessare eo ipso jurisdictionem judicis *a quo*;*) et ea omnia, quae inde gesta sint, irrita esse et rescindenda: haec autem extendi quoque debere in casum, quo inhibitio et protestatio fuerit interposita, atque omnes expensas omniaque damna esse resarcienda.

Post haec recoluit merita ejusdem Joannis qui ab Episcopo pluries fuerat commendatus ipsi gubernio civili ut retributionem meritorum haberet: contendit, novum canonicatum quem ab Episcopo consecutus Joannes fuerat tenues pariter quotannis redditus praebere et non sufficientes ad congruam Canonici substentationem; recoluit, erectionem novi canonicatus reputari irritam eumdemque canonicatum reputari extinctum tum quia dos imminuta esset, tum quia tamquam legitimus a gubernio non admitteretur, quo in casu maxima dos ejusdem canonicatus revertenda erat eidem Joanni fundatori: recoluit, heic agi de fundatore, cui ad paupertatem vergenti faveant omnia jura; ideoque postulabat, ut saltem, nominatione novi Canonici suspensa ad vitam Joannis, redditus ejusdem canonicatus eidem tribuerentur.

Ad haec summa capita reducitur prolixa defensio Joannis, in qua orator interseruerat multos paragraphos depromptos ex foliis, quae proponuntur in S. C. C., a quibus judicandis abstinuimus.*)

*) Vd. *t. I. p. 627; p. 639, 640.*

*) Exscribere continue paragrahos ex foliis S. C. C. iisdemque paginas implere videtur esse methodus ad causas defendendas pessima: namque in iisdem foliis solent ex officio per summa capita judicari rationes, quae militare videantur in unaquaque quaestione tum *pro* tum *contra*. Quare si paragraphum afferas et inde aliquid confirmare velis, necesse est, ut ostendas, doctrinam canonicam ibi expressam esse doctrinam a s. Congregatione per subsecutam resolutionem probatam et receptam; quod saepe fieri non potest, nisi dissertationem aliquam instituas, id est referendo facti speciem, et ostendendo, rationes in citato paragrapho expressas esse eas, quibus mota sit S. C. ad judicandum. Vel si valorem ejusdem expressae doctrinae desumas ex allegationibus in eo paragrapho cumulatis auctorum vel aliarum resolutionum, ut certus de ea doctrina evadas, oportet, ut examines eas allegationes et resolutiones: namque, cum ejusmodi folia saepissime contineant synopticam expositionem allegationum causidicorum, incertus saepissime manes, an causidici, qui omnem movent lapidem, ut victoriam referant, recte accurateque auctorum auctoritates vel resolutiones allegaverint. Quare si qui sint, qui referant indiscriminatim et sine delectu hos paragraphos et paginas defensionum impleant hisce paragraphis, fucum quidem facere possunt suis clientibus si parum versati sint in canonica jurisprudentia; sed ad judices quod attinet, non aliud faciunt, quam molestiam fortasse creare. Contra si nitidas auctoritates ad rem facientes adducerent in singulis ratiocinationis partibus, minore quidem scriptura sine

Defensio Episcopi.

Defensor, qui partes Episcopi suscepit et Canonici Pauli, initio statuit, canonicatum existere et sacrilegum esse ss. canones adserere ad ejusdem suppressionem in societate ecclesiastica, quae a civilibus legibus nullatenus pendet.

Compertum enim esse, recolebat, nullimode dubitari posse de canonica existentia ecclesiastici beneficii, quando haec praecipua concurrant:*)

1. Erectio canonica, idest erectio auctoritate Ordinarii peracta, qui dotem in acceptis habuerit et conditiones, quae non adversentur substantiae beneficii erigendi, admiserit.

2. Officia spiritualia adnexa a clerico vel sacerdote obeunda.

3. Ejusdem beneficii perpetuitas.

Atqui haec omnia abunde concurrisse in erectione canonicatus jurispatronatus, de quo agimus, quod ex apertis fundationis tabulis defensor ostendebat.

Animadvertit autem, eos omnes apertissime errare, qui existimaverint, tamquam nullam considerandam esse erectionem hujus novi canonicatus, quia anno 1801 ex jam subtractis diremptisque universis ferme redditibus suppressus manserit. Namque si apostolica Sedes benigne toleraverit eam suppressionem, non tamen paravisse obstacula ad impediendas novas fundationes, quae futurae essent vi publici ecclesiastici juris, quod nunquam impedit, quominus fideles ecclesiastica fundent beneficia.

In comperto autem esse, ob redotationem juspatronatus acquiri, de qua re inter caeteros *Vivianus, Praxis jurispatr. lib. 2. c. 1. n. 1* scripsit: »Dotans ecclesiam fundatam et constructam sine dote repertam de consensu Dioecesani in ea acquirit juspatronatus, et si ecclesia sit fundata, constructa et consecrata, sed indotata, si dotetur cum dicto consensu, dotans fit Patronus«. *Et num. 11.:* »Adde, quod redotans ecclesiam cum consensu Dioecesani, quae in totum dotem amisit, acquirit juspatronatus ratione dictae redotationis, et primus patronus, idest ille, qui eamdem antiquitus dotavit, nullum, causa dictae dotationis, juspatronatus in tali ecclesia habebit; verum si ecclesia dotem amisit, sed non in totum, tunc supplens dotem non aquirit juspatronatus, quia tunc dicitur benefactor, sed, volente primo patrono et consentiente Dioecesano, efficietur patronus dictae ecclesiae cum primo dotante.«

In praesenti themate eamdem esse familiam, quae antiquitus canonicatum fundavit quaeque redotavit novamque canonicatui tribuit vitam.

Quod si aliquid ex veteri dotatione supersit, non ideo illum ipsum veterem canonicatum per novam dotationem posse censeri sed novum novumque juspatronatus, quamvis cogitaretur revixisse vetus. Ad hanc autem novam fundationem efficiendam satis ex canonica jurisprudentia censeri quantitatem redotationis, quae superet medietatem praeexistentis, *Schmalzgrueber jus eccl. univ. c. 2. de jurepatr. n. 59. et 60:* »Distinguendum est, an talis ecclesia omnino non sit dotata quidem sed non sufficienter. . . Si posterius contingat et dos solummodo augeatur, considerandum, in qua quantitate et qua mente augmentum hoc fiat; nam, si quis modicum daret, non acquireret juspatronatus, ut notat glossa *in can.: Quicumque caus. 16., q. 7.* Similiter si quis conferat aliquid in notabili quantitate, non tamen in dotem, sed in vim donationis, non dotator, sed dator et benefactor dicetur, *Abbas in can.: Quoniam n. 10.*: quare ut ex augmento dotis acquiratur juspatronatus debet conferri expresse ex scientia Ordinarii in dotis augmentum et in summa excedente medietatem dotis juxta sensum Rotae etc.«

Neque tolerantiam concordati anno 1801 inter s. Sedem et gallicum gubernium initi eo usque pertingere posse, ut ecclesiae ademerit jus acquirendi in posterum et gladium suppeditaverit ad vulnus sibi ipsi gravissimum infligendum. Quod si civiles administri secundum eorum consuetudines in ecclesiasticis negotiis sese ingerant, hoc quidem defleri debere, sed non in jure judicioque probari. In jure siquidem sancitum haberi, laicorum statuta ad ecclesias et ecclesiasticas personas vel earum bona non posse protendi, *cap. 10. de constitut.*, in quo scriptum legitur: »*Nos attendentes, quod laicis super ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi, a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab ecclesia fuerit approbatum.*«

Quod quidem fuisse firmatum animadvertit defensor in bulla adnexionis, quae incipit *Universi* diei 31. Decembris 1861, quibus literis apostolicis exclusa est quaevis *dispositio catholicae ecclesiae doctrinae ejusque juribus quovis modo* adversa praesertim cum fatente ipso supremo Pontifice serenissimus imperator asseveraverit: *se non solum eisdem sedibus et clero congruam dotem esse attributurum, verum etiam assertuum ecclesiae suum plenum liberumque jus, quo etiam in Gallia pollet, retinendi, acquirendi et administrandi sua temporalia bona et possessiones.*

Quod si nonnullae leges introductae fuerint in Galliarum imperio, quae vulnus communi ecclesiastico juri infligant, eas ad aliquos dumtaxat referri effectus, puta ad Vicarii capitularis electionem sede vacante, et ad numerum Canonicorum determinatum in externa politia: easdem tamen impedire non posse, ne subditi catholici ac praesertim ecclesiastici viri pensitent dotem ob spiritualia officia constituta juxta Trid. *sess. 25. cap. 9.* Nec quemvis declinare posse Tridentinam sanctionem, quae in *cap. 11 sess. 22. de ref.* legitur his verbis: »*Si quem clericorum vel laicorum . . . cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii . . bona, census ac jura . . fructus, emolumenta seu quascumque obventiones, quae in ministrorum pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios . . . . quacumque arte et quocumque quaesito colore in proprios usus convertere illosque usurpare praesumpserit . . . is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu . . beneficiato integre restituerit ac deinde a romano Pontifice absolutionem obtinuerit.*«

In praesenti autem themate ipsum judicem civilem in ferenda sententia declarasse, se continere intra limites civilium, ut ajunt, effectum neque quaestionem tetigisse, utrum Canonici privandi essent beneficiis a legibus civilibus ratis non habitis: imo postea praefectum civilem provinciae decrevisse, ut pars canonicalis dotationis non quidem Joanni sed novo Canonico Paulo persolveretur: quare oppositionem totam creatam confectamque fuisse ex parte Joannis eumdemque proinde meminisse debere dictae Tridentinae censurae.

Nec omisit orator recolere, leges civiles, quae in materia ecclesiastica latae sint, haud commovere apostolicam Sedem, quae libere et independenter in judicii sede ut justitiae ara suas resolutiones emittit. Et hoc exemplum adducebat, idest, S. Sedem concedere dispensationes a matrimonio rato et non consumnato, etsi apud Gallos civiliter non admittantur.

Quare nullatenus dici posse canonicatum canonice erectum suppressum fuisse *ob vim majorem vel aliam quamcumque causam* independentem a sacerdote Joanne; si aliquae enim perturbationes subortae essent, eas non alium habuisse auctorem nisi eumdem Joannem: et ipsum capitulum postea preces admovisse s. Sedi, ne erectus canonicatus supprimeretur.

Post haec gradum fecit defensor ad alteram quaestionem in prima dubitandi formula diserte contentam, utrum sustinenda esset collatio canonicatus facto Paulo. In primis removere curavit difficultatem, quae prima fronte sese offert, utrum religiosus, qui ex facultate apostolica extra claustrum vivit et ut dici solet saecularizatus, possit canonicatum possidere, sine peculiari indulto apostolicae Sedis. Quando enim indultum saecularizationis a s. Sede conceditur, provide quidem adjungitur clausula, ut ejusmodi regularis substantialia vota cum suo statu compatibilia observet et congruo ad vitam substentandam patrimonio provideatur: sed ex ea clausula non censetur religiosum redditum fuisse habilem ad possidendum canonicatum. Ad diluendam aliquo modo ejusmodi difficultatem defensor ostendere

legentium taedio multo melius causam juvare possent. Hoc tamen fieri non potest sine meditatione et labore.

Dixi *indiscriminatim et sine dilectu*, namque in iisdem foliis, quae ex officio a secretario S. C. seu ejus auditore conscribuntur aurum traditionalis doctrinae saepe reperitur, cum exprimi alligarique soleant resolutiones a S. C. antea datae circa materiam, de qua agitur, quo in casu recte utiliterque paragraphi allegari possunt cum ipso nomine s. Congregationis.

Nec aliquis recte objiceret, eam methodum vetustissimam esse penes s. Rotam; namque paragraphi decisionum s. Rotae continent rationes, quibus s. Rota mota est ad decidendum: et ejusmodi rationes decidendi dantur et concinnantur ab ipso tribunali postquam decisionem dedit.

*) Vd. *p. 547. etc.*

studuit jura sanguinis per professionem religiosam non extingui, et eos religiosos, qui ad juspatronatus vocati fuerint, posse hoc jus exercere juxta ea, quae tradit *Pitonius de contr. patrim. alleg. 66. n. 16.*, ubi scripsit: »Numquam cadere potest in mentem sensati testatoris, quod directa dispositio ad sanguinem suum, defunctis omnibus aptis ad ejus propagationem, voluerit transituram esse successionem ad extraneos exclusa moniali seu monacho de sanguine, et in quibus viget favor sanguinis et conservatur agnatio quamdiu vivunt.« Immo innuebat resolutionem S. C. C. in causa *Civitatis Plebis Jurispatronatus passivi diei 27. Augusti 1853*; agebatur in ea de religioso viro, qui ob infirmam valetudinem praevio apostolico indulto egressus erat e conventu fratrum Capuccinorum: plurimae in ea facti specie aderant quaestiones quoad lineas vocatas; proposito dubio:

An Sacerdos N. (antea religiosus professus) polleat jurepatronatus passivo illudque exercere valeat quoad provisionem canonicatus, de quo agitur in casu?

Emi Patres responderunt: *Affirmative in omnibus.* Post haec defensor his verbis sibi viam aperuit ad collationem canonicatus defendendam: »Vos autem in facti specie, nullo legitimo contradictore obstante, cuinam Emi Patres canonicatum vacantem contulissetis in hisce constituti circumstantiis, ne beneficia cum jactura divini cultus diutissime vacent! At vestri augustissimi senatus prudentiae et sapientiae innixus propitiam favore curiae et infelicis sacerdotis sententiam edituros fidentissime mihi adpromitto.

Hinc ad difficultatem repellendam de publicatione resignationis per edicta non facta animadvertit, ejusmodi publicationes insuetas in ea curia fuisse nec dari exemplum: nullum praeterea in casu adesse potuisse legitimum contradictorem omnesque de resignatione fuisse admonitos: eam resignationem omnibus notam fuisse ex eo praesertim, quod Joannes alterum consecutus fuerat sub eodem tecto canonicatum ex munificentia Episcopi, ita ut etiamsi ipse per hypothesim canonicatui non renunciavisset ipso jure idem canonicatus utpote incompatibilis vacavisset, Conc. Trid. *sess. 24. c. 17. de refor.* Sancitum enim ibi fuit: »*Quicumque de caetero plura curata aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica sive per viam unionis ad vitam seu commendae perpetuae aut alio quocumque nomine et titulo contra formam ss. canonum et praesertim constitutionis Innocentii III., quae* incipit: *De multa,**) *recipere ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure, etiam praesentis canonis vigore, privatus existat.*« Posita autem incompatibilitate beneficiorum per consecutionem secundi ipso jure ita primum vacare, ut de eo statim disponi possit; de qua re inter caeteros sic scripsit *Laurenius lib. 3. tit. 8. q. 65:* »Ut provideri libere possit de beneficio sive per collationem sive per electionem et institutionem sufficit vacatio de jure, dum ejus notitia habetur, v. g. quia constat aliquem consecutum beneficium incompatibile, absque eo quod etiam vacet de facto et absque eo quod tum detentor illius citandus seu vocandus sit, cum is jam jus et titulum beneficii notorie amiserit.« Cum autem heic non ageretur de resignatione proprie dicta sed potius de vacatione per assecutionem novi beneficii, frustra invocari constitutionem Gregorii XIII. *Humano vix judicio.***)

---

*) Vd. *Benefic.* (plura possid. — poenae — p. 752.)

**) Vd *p. 856.* Gregorius XIII. ad occurrendum fraudibus resignantium declaravit amplius veterem regulam 34. cancellariae et constitutionem s. Pii V. de hac re editam; et ad rem nostram quod spectat in ea constitutione haec jussit §. 7.: »*De beneficiis autem quae deinceps in manibus Ordinariorum collatorum . . . . resignari etiam ex causa permutationis contigerit, ipsi intra mensem negocium universum admissionis vel rejectionis resignationis hujusmodi et (si per eos facienda erit) provisionis resignati beneficii, juxta apostolicas et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet et possessionem beneficii capiat modo et forma supradictis, alioqui illis elapsis nulla sit ejus provisio et beneficium vacare censeatur ipso facto.*« Juxta ejusmodi sanctionem tenebatur Paulus resignatarius (supposita resignatione, de qua in hac constitutione est sermo) facere publicationem. Quid juris si intra tres menses a die sibi factae provisionis Paulus praescriptam publicationem non fecisset? potuissetne Joannes canonicatum a se resignatum vindicare? Hanc quaestionem resolvit *Flaminius Parisius in opere de resignatione benefic. tom. 2. l. 11. q. 7. n. 20. et 87.* his verbis: »Dubium tamen est, an jus abdicetur a resignante ob non factam publicationem a resignatario. Communis responsio est negativa inspecto tempore regulae cancellariae *de publican.* et constitutionis 182 s. Pii V. . .; inspecto tamen tempore constitutionis Gregorii XIII. dicendum est, ob non factam publicationem a resignatario abdicari jus a resignante et beneficium vacare ac posse conferri libere . . . . idque optima

Alteram difficultatem petitam ex imminutione reddituum repellebat defensor animadvertens, non esse confundendam canoniam et praebendam, cum canonia perduret licet praebenda variare possit ex accidentalibus causis: amissionem libell. 97 vertendam esse culpae ejusdem Joannis, qui non satis tutaverit per hypothecae inscriptionem hanc annuam praestationem: remedia non deesse saltem extraordinaria, quibus dos ejusdem canonicatus iterum augeatur: omnes, quorum id intersit, postulare, ut canonicatus non supprimatur. Denique ad rem roborandum adduxit orator auctoritatem *Card. de Luca de Canonicis disc. 36.*, in quo hic auctor sequentia refert: »Cum in ecclesia Theatina Archiepiscopus cum consensu capituli novum erexisset canonicatum cum bonis et redditibus a quodam pio viro adsignatis et incorporatis mensae capitulari, ut propterea coaequalis esset istius novi ac antiquiorum participatio massae, tractu vero temporis bona ad hunc effectum assignata valde notabilem diminutionem peneque omnimodam peremptionem passa essent, adeo ut antiquioribus Canonicis laesiva et praejudicialis remaneret haec nova erectio ob admissionem Canonici ad coaequalem participationem absque compensatione.« De hoc casu duriore consultus idem auctor haec inter cetera respondit: »Circa oppositionem quae fieret proviso ne canonicatum assequeretur pro meo sensu videtur *opus desperatum*; quoniam ubi non constat de praefinitione certi numeri Canonicorum praecise et taxative facta per Sedem apostolicam non prohibetur Episcopus novos erigere canonicatus cum bonis et redditibus ad hunc effectum superventis, potissime vero et cum minori ratione dubitandi, ubi accedat consensus capituli, et per consequens diminutionem bonorum et reddituum istius canonicatus noviter erecti causare posse dicebam praetensionem in capitulo dissolvendi dictam communionem atque non admittendi novum Canonicum ad coaequalem participationem massae capitularis, sed quod contentus esse deberet sola dote per fundatorem assignata, non autem ut id destrueret canonicatum jam valide erectum in substantia ob alterationem hujus accidentis, dum id nullum juris fundamentum habere videretur.«

Quoad protestationes a Joanne emissas et ab Episcopo spretas respondit defensor, id jure meritoque fecisse Episcopum, tum quia protestationes inniterentur falsis principiis tum quia urgeret officium vacantem canonicatum conferendi: et per summam injuriam Episcopum de attentatis redargui, cum attentatum definiatur spretus legitimae inhibitionis. Neque recursum Joannis ad s. Sedem suspendere potuisse inquiebat Episcopi jurisdictionem, cum simplex recursus a superiore judice judici inferiori non notificatus nunquam impedimentum procedendi inducat; ad id probandum allegabat *Clem. 2. tit. 6. ut lite pend.*, in qua legitur: »*Cum lite pendente nihil debeat innovari; litem quoad hoc pendere censemus, postquam a judice competenti in ea citatio emanarit et ad partem citatam pervenit vel per eam factum fuit, quominus ad ejus notitiam perveniret. Dum tamen in citatione praedicta talia sint expresssa per quae plene possit instrui, super quibus in judicio convenitur.*« Huic textui innixus *Lancellotus in opere de Attentatis par. 2. c. 4. n. 13.* docet: „Ubi requiritur citatio oblatio facta Principi non deducit rem in eum statum, ut quis propterea dicatur incidere in poenam, ut patet in *l. Libertus ff. de in jus voc.*, ubi oblatis Principi per Libertum precibus (si ulterius non citavit patronum) non dicitur incidere in poena[illegible] quinquaginta aureorum.«

Ad [illegible]aec amplius declaranda atque confirmanda adduxit orator ea, quae docet *Ferraris in biblioth. can.* verb.: *Appellatio n. 6.* Apellatio judicialis*) et extrajudicialis**) tripliciter differunt inter se.

Primo, quia appellatio judicialis supponit judicium esse coeptum, cum sit provocatio a judice inferiore ad superiorem. Appellatio vero extrajudicialis non supponit judicium incoeptum, sed ipsum judicium seu causam incipit; tunc enim solum incipit causa, cum interponitur ipsa appellatio extrajudicialis,

---

ratione videtur statutum, ut eo magis obvietur fraudibus. Ex quo infertur, quod, non facta publicatione, non potest resignans repetere beneficium resignatum neque agere de spolio, quia jam omne jus cecidit ab eo juxta dictam constitutionem, quae est in viridi observantia (*Parisius haec scripsit circa anno 1590*) et sic hujusmodi constitutio non solum annullat actum, sed inducit vacationem beneficii resignati, quod procedit ubi resignatio est nulla ex dicto defectu, non autem ex alio ut fuit resolutum in Rota etc.«

*) Vd *t. I. p. 627. n. 39.*

**) Vd. *t. I. p. 622. n. 29.*

et ideo magis proprie dicitur provocatio ad causam, ut habetur *cap.*: *Cum sit Romana* his verbis: *Sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt. Nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam.*

Secundo differunt, quia appellatio judicialis supponit necessario judicem *a quo* et judicem *ad quem*, extrajudicialis vero non necessario supponit judicem *a quo* cum possit extrajudicialiter appellari etiam contra alium quemcumque gravantem distinctum a judice.

Tertio differunt, quia appellatio judicialis etiam male simpliciter proposita suspendit executionem et facit in contrarium attentata revocari, *cap.*: *Post appellationem* §.: *Appellatione caus. 2. q. 6. et 8.*, *cap.*: *Dilectis filiis, de appellation.* Extrajudicialis autem non suspendit executionem nec facit in contrarium attentata revocari, nisi sit bene et rationabiliter proposita, expressa etiam causa legitima appellandi, quae ut talis sit a Superiore admissa, ut colligitur *ex cap.*: *Constitutus 45 de appellat.* et ex *cap.*: *Cum inter 16. de election.*, ubi expresse habetur: »*Appellationem illam dicimus legitimam non fuisse, unde per eam electio non potuit impediri.*«

Et *art. 10. n. 1.* haec idem auctor de attentatis tradit: Attentata*) idem sunt ac innovata contra jus lite seu appellatione pendente. Colligitur ex *l. Unica ff.*: *Nihil novari appellatione interposita*, et ex toto titulo 16: *Ut lite pendente nihil innovetur.* Et merito dicuntur innovata, quia, si nihil innovetur seu non fiat aliquid novi, quod antea incoeptum non fuerit, non vocatur *attentatum* sed potius *continuatum.* Attentare enim non dicitur is, qui facit actum continuatum, idest qui continuat actum praecedentem, quia lis seu appellatio non debet quemcumque sua possessione privare, et nemo tenetur desistere a continuatione sui juris aut possessionis propter aliquam appellationem.«

His copiose disputatis proposita sunt resolvenda dubia:

I. *An sustineatur nominatio et institutio ad canonicatum favore (Pauli B.) in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo providendum in casu?*«

S. Congregatio discussa causa in comitiis respondere censuit

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Die 13. Junii 1868.

Continuatio.

Appellante seu accuratius novam audientiam postulante procuratore Joannis B., qui in causa succubuit, iterum quaestio disceptata est.

Defensio Episcopi et Canonici Pauli.

Cum Pauli patrocinator intellexisset inter caetera contra Paulum opponi idoneitatem possidendi canonicatum ob statum regularem, quem professus fuerat, sine mora curavit, ut idem Paulus contra ejusmodi difficultatem se opportune quantum fieri posset ad cautelam saltem muniret.

Paulus SSmo Patri supplicem libellum obtulit, in quo haec exposuit: Se tanquam pauperem et pertinentem ad familiam fundatorum obtinuisse ab Episcopo canonicatum dimissum a suo fratre Joanne. Antequam canonicatus sibi conferretur Episcopum sibi significasse, ut curaret per s. Pontificem se idoneum fieri, cum esset regularis: se Episcopo respondisse, id sibi non videri necessarium, cum obtinuisset saecularizationem cum onere constituendi sibi sacrum patrimonium pro congrua substentatione, seque putare id posse constituti in beneficio suae familiae; quod si tamen aliqua difficultas hac de causa oriretur, se separatissimum esse ad admovendas preces s. C. Episc. et Reg. ad obtinendas necessarias facultates: eas preces postea se reapse admovisse rescriptumque favorabile obtinuisse adjecta clausula »*pro ejus congrua substentatione*«: sed tamen hanc facultatem obtinuisse nonnullis mensibus elapsis a die collationis canonicatus ideoque se ad cautelam quatenus opus esset petere sanationem.

Hae preces a s. Congregatione Episc. et Regul. exceptae benigne fuerunt et die 7. Julii 1868 sequenti rescripto fuerunt dimissae: »*Vigore specialium facultatum a SSmo D. N. concessarum s. Congregatio Emmorum et Remorum S. R. E. Cardinalium negotiis*

*) Vd. *t. I. p. 590. n. 9.*

et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita benigne commisit Episcopo (N.), ut dummodo jus alteri quaesitum non laedatur petitam pro suo arbitrio et conscientia indulgeat sanationem in omnibus juxta preces.«

Cum autem hoc rescriptum de more integram incolumemque relinqueret pendentem quaestionem per expressam clausulam, »*dummodo jus alteri quaesitum non laedatur*,« defensor Pauli sustinuit in praesenti themate nullum jus alicui laedi. Idque ostendere studuit ex eo, quod Joannes duo incompatibilia beneficia retinere nullatenus posset, cum primo dimisso alterum canonicatum consecutus esset; ideoque quodvis jus amisisse in primo canonicatu.

Neque oggeri ad invidiam posse inquit orator, rescripta et privilegia lite pendente in praejudicium alterius partis impetrata subreptitia censeri: namque respondebat rescriptum praejudicium nullum Joanni afferre neque eumdem impedire ullatenus posse, quominus s. Sedes, pendente lite, idoneum redderet Paulum ad possidendum canonicatum, in quo ipse Joannes omne jus amisisset per consecutionem alterius canonicatus; praesertim vero, quod rescriptum postulatum esset ad alterum jam obtentum sanandum quatenus opus esset: et eo vel magis id admitti deberet, quod, cum Paulus saecularizatus legitime jam esset cum conditione constituendi sibi patrimonium sacrum, sub generico sacri patrimonii nomine, primo loco juxta jurisprudentiam canonicam beneficium ecclesiasticum intelligatur, quod est proprius s. ordinationis titulus; patrimonium vero vel pensio nonnisi titulus subsidiarius et extraordinarius, Conc. Trid. *sess. 21. c. de refor.*

Altera difficultas mota in eo erat posita, quod Joannes fundaverat canonicatum ex bonis, quorum pars constituebat suum patrimonium sacrum; ideoque locum esse Tridentinae sanctioni *cap. 2. sess. 21 de ref.*, in quo sic statuitur: »*Is vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittatur nisi constito, quod aliunde vivere commode possit et aliter facta resignatio nulla sit.*« Quamvis autem de hoc patrimonio mentio in decreto erectionis facta non erat, tamen, facto admisso, defensor Pauli contendebat, nullum jus inde Joannem posse jactare, quod sic ostendere curavit, *teste Gallemart*, *adnotat. ad Conc. Trid. decl. 3.*; s. Congregatio Concilii censuit, tutum etiam in conscientia eum, qui beneficium, ad cujus titulum erat promotus, resignavit et aliud ex causa permutationis obtinuit, tacendo in resignatione quod erat promotus ad titulum primi beneficii, dummodo secundum beneficium sit aequivalens primo.«*) Et facta animadversione in themate de quo agimus saepedictum Joannem consecutum esse canonicatum primo pinguiorem, inquiebat orator, eam doctrinam esse communem et plene confirmatam a s. Congr. in *Asten. Resignationis beneficii* die 3. Aprilis 1734.**)

Defensio Joannis.

Patrocinator Joannis in hac nova causae propositione contendit inprimis, nullam esse canonicatus collationem et canonicam institutionem factam Paulo, quia hic utpote regularis, licet saecularizatus, non potuerat in canonicatu institui. Ad id ostendendum animadvertit, eam esse praxim S. C. Episc. ut, si Regularis ex legitima causa extra claustra vivere petat, ante omnia s. Pontifex eidem praescribat, ut sibi patrimonium sacrum constituat per consuetam rescripti formulam: »*dummodo orator provisus sit de sufficienti patrimonio sacro rite constituto pro ejus congrua substentatione:*« et si necessitas aut ecclesiae utilitas postulet, indulgeri quidem regulari assecutionem beneficii, sed tamquam administratori, juxta hanc consuetam rescripti formulam: »*Oratorem habilitet ad unum tantum beneficium ecclesiasticum . . . . canonice assequendum et retinendum nomine s. Sedis titulo administrationis pro ejus congrua substentatione.*« Item novam facultatem exigi si de canonicatu ecclesiae cathedralis assequendo agatur cum dignitate conjuncto.

Haec autem confirmare curabat pluribus allegatis resolutionibus s. Congregat. Concilii, in quibus traditur regulares non posse suscipere haereditatem, *Pisauren. Haereditatis* die 11. Januarii 1727 et *Colonien. Dispensationis* diei 9. Februarii 1732, in qua tamen confirmatum reperitur duntaxat vulgatum generale principium, quo traditur, beneficia saecularia regularibus et e converso regularia saecularibus conferri non posse; item in *Recineten. Capellaniae* diei 22. Junii 1743: allegavit pariter orator causam *Conchen. Super exsecutione rescripti* diei 2. Sep-

*) Vd. *p. 848. d.*
**) Vd. *p. 850.*

tembris 1852 agitatam penes s. C. Episc. et Reg. relatamque ab Emo Card. Bizzarri in *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg. pag. 665*, necnon *Placentinam Institutionis* diei 24. Augusti 1850 et 31. Julii 1852 penes S. C. C. agitatam, in quibus de exsecutione rescripti agebatur a regularibus saecularizatis obtenti ad possidendum ecclesiasticum beneficium.

Post haec contendit orator, nullam declarandam esse resignationem canonicatus factam a Joanne, cum illi canonicatui adnexus esset titulus sacri patrimonii: recolebat, Joannem bona sua comprehenso patrimonii titulo contulisse in canonicatus fundationem: in comperto autem esse titulum s. ordinationis non posse resignari, donari alienarique, nisi prius alius titulus solemniter subrogetur: et ita S. C. C. in *Aquilana die 24. Februarii 1652* declarasse: »*S. Congregatio respondit*: *Renunciationem patrimonii ad cujus titulum clericus simpliciter sacris ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam, non sustineri etiam post assecutionem beneficii ad ejus vitam sufficientis*: item in *Bitecten. die 28. Novembris 1686 et die 12. Julii 1687:* cum saepe contingeret, ut parentes patrimonia filiis constituerent cum clausula, donec de aliquo beneficio ecclesiastico provisi fuerint vel aliunde habeant, quo commode vivere possint.

Proposito dubio:

»*An bonis ad commodam substentationem postea quaesitis vel beneficio sufficienti adepto statim patrimonium evanescat vel potius requiratur expresse subrogatio bonorum seu beneficii assecuti ab Episcopo facienda loco patrimonii; qua subrogatione expresse non facta patrimonium adhuc vigeat nec expiret praedicta clausula non obstante?*

S. Congregatio censuit: »*Danda esse decreta alias edita et signanter die 8. Augusti 1602 tenoris sequentis:* Quaeritur: *An verba illa Concilii in c. 2. sess. 21* »*atque deinceps alienari,*« *ita intelligenda sint, ut, postquam ordinatus adeptus fuerit unde vivere possit requiratur etiam licentia Episcopi?*

S. C. censuit: *Requiri licentiam, quamvis ordinatus sit adeptus etc.*

Quin imo contendit neque posse loco patrimonii subrogari novum canonicatum, quem Joannes ab Episcopo obtinuit; namque etsi redditus hujus canonicatus a municipio solvebantur, tamen ille non comprehendebatur inter canonicatus a gubernio gallico recognitos; ideoque orator affirmabat, si locale municipium solvere eos redditus recusaret, Joannem nullam habere actionem ad redditus ejus canonicatus sibi vindicandos: e contrario patrimonium sacrum non posse constitui nisi in re tuta ac stabili, quae pariat realem actionem.

Constabat porro in facto ex novis documentis in medium deductis, Joannem suum patrimonium sacrum contulisse in erectionem canonicatus, quod quidem patrimonium consistebat in annuo redditu libell. 250. Constabat pariter simile patrimonium sacrum Paulum in egressu coenobii consecutum a patre fuisse, quod adhuc possidebat praeter obtentum canonicatum. Praeter haec orator plura repetiit, quae in antecedenti allegatione adduxerat, postulans denique suspensionem saltem canonicatus ad vitam Joannis.

Hisce itaque adductis et copiose disputatis de more sunt proposita S. C. C. sequentia dubia:

I. *An sit standum vel recedendum a decisis in primo dubio in casu?*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu?*

S. Congregatio Concilii causa iterum discussa respondere censuit

Ad I. *In decisis juxta modum*: *nempe, ut sint salva jura Canonici (Joannis) pro annuis libellis 250, contra quem de jure in casu quo deficiant redditus canonicatus quo nunc potitur et facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *In decisis.* Die 12. Septb. 1868.

Continuatio.

Hac emissa resolutione Joannes seu ejus procurator novae audientiae beneficium petiit obtinuitque sed in hac tertia causae propositione nihil ferme novi deduxit, nisi can. 16· q. 7. Concilii Toletani, quo haec traduntur: »Quicumque fidelium propria devotione de facultatibus suis ecclesiae aliquid contulerit, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant.« Inquiebat autem, canonicatum, quo nunc potitur, parem non esse ad ejus vitae substentationem; praesertim vero ob caritatem annonae, domorum, vestium aliorumque id genus, quae hiberno praesertim tempore ob majorem exterorum affluentiam

persentiretur; idque variis argumentis ostendere studuit.

Sed e contrario defensor Pauli, authentico documento adducto, ostendit, fructus canonicatus, quo fruitur Joannes, ascendere ad libellas annuas 938, 70: hos fructus conscriptos esse in publico debito municipali, quin periculum subesset eos amittendi: Joannem fundatorem *vitae suffragium*, juxta allegatum canonem, jam obtinuisse per Episcopi munificentiam, qui eidem contulit canonicatum multo pinguiorem.

Hisce iterum propositis in Congregatione sub iisdem dubitandi formulis modo expositis S. C. respondit

Ad I. et II.: *In decisis et amplius.*

Die 23. Januar. 1869.

Ex quibus inter caetera colliges:

I. Publicum ecclesiae ordinem nullatenus pendere a publico civili ordine, etsi s. Sedes ad majora praecavenda mala interdum patienter per concordata indulget aut tolerat, ut civilis ordo in nonnullis ecclesiae rebus sese ingerat.

II. Quare beneficium canonice erectum sub explicita conditione, ut in casu violentae suppressionis bona ejusdem ad fundatores revertantur, non posse censeri suppressum vel invalide erectum, quia leges civiles in suo ordine publico tamquam legitimum non recognoscant.*)

III. Neque beneficium canonice erectum censeri posse suppressum neque supprimendum esse ob imminutam ex quavis causa dotem in fundatione constitutam, licet in eum casum incidat, a quo fortasse non fuisset incoeptum.

IV. Colliges praeterea, caeteras quaestiones ad invidiam potius fuisse excitatas, cum actor, primo canonicatu in suo robore consistente, nihil jure consequi potuisset.**)

V. Regulares saecularizatos per solum saecularizationis indultum non reddi a s. Sede idoneos ad possidenda beneficia, eisque tantum indulgeri, quantum in verbis indultum exprimatur.

VI. Patrimonium ecclesiasticum vel beneficium, quod titulo s. ordinationis possideatur, non censeri ipso facto subrogatum per assecutionem alterius beneficii, nisi interveniat Episcopi auctoritas, quae secundum loco primi subroget.

VII. Colliges denique, quamvis appellatio, quae in *suspensivo* interponi possit, statim suspendat jurisdictionem judicis *a quo*, non tamen eamdem vim habere simplicem recursum seu provocationem ad judicem superiorem, nisi postquam superior provocationem admiserit.

VIII. Neque simplices protestationes apud acta curiae emissa posse intercipere jurisdictionem atque impedire quominus judex aut superior in suo jure procedat nisi rationabiles detegantur.

IX. In praesenti themate irrationabiles protestationes fuisse detectas et provocationem ad s. Sedem fuisse curiae significatam tantum a Joanne postquam literas nominationis et institutionis Paulus acceperat.

*) Ex ea consuetudine juri publico ecclesiastico adversa, ut gubernia civilia rata non habeant ecclesiae instituta, quae in civilibus legibus considerata non sint, et e contrario ea agnoscant et tamquam propria status tueantur, quae in legibus aut consuetudinibus considerata constitutaque sint, oritur quaedam anomala mixtura rei ecclesiasticae et civilis, quae in republica utriusque societatis eam confusionem facile inducit, cujus exemplum in praesenti causa deprehenditur. Judices civiles facillime in re ecclesiastica se ingerunt et prae oculis habent civiles leges, quas in eadem ecclesiastica materia modo temperant modo extendunt modo se dicunt incompetentes modo uti competentes judicant et decernunt. Episcopi, qui ex proprio jure juxta ecclesiasticas leges judicare et decernere deberent, suam jurisdictionem interceptam vident, neque impedire valent quominus clerici ad civilem magistratus se convertant in re ecclesiastica imo et in causis clericorum vel quominus idem magistratus se in hisce negotiis ingerat. Iidem clerici non raro ss. canonum obliti competentem hisce in negotiis Magistratum civilem existimare videntur, quem videt exercere coactivam auctoritatem, quam frustra fortasse exerceret Episcopus.

Ad honestandam ejusmodi praxim dici quidem a nonnullis solet, judicem civilem judicare in materia ecclesiastica quoad civiles effectus: quibus responderi posset, civiles effectus, si ita loqui fas sit, in materia ecclesiastica et personis ecclesiasticis consequi debere ex sententia judicis ecclesiastici in societate catholica. Sed hac consideratione praetermissa illud dictum maximae aequivocationi est obnoxium et in facto facile convertitur in principium illud reprobatissimum, quod dicunt *jus cavendi*, in spretum ecclesiae, cujus publica auctoritas vix et ne vix quidem in consideratione habetur.

*) Ipsa dubitandi formula quam partes acriter contendentes sac. Congregationi proposuerunt ejusmodi est, ut sive S. C. respondisset *negative* sive *affirmative* nihil exinde Joannes obtinuisset. In casu negativae responsionis supererat tantum Joanni aliqua remotissima spes obtinendi fortasse aliquid ex gratia.

Facultas tributa viris religiosis cujusque regularis ordinis et instituti regni Hispaniarum ac ad saecularem statum licite redactis administrandi beneficia etiam curata.

Venerabilibus fratribus
Archiepiscopis, Episcopis
Et dilectis filiis reliquis locorum Ordinariis
In Hispaniarum regno.
Gregorius PP. XVI.
Venerabiles fratres et dilecti filii.
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Romanus Pontifex, cui nihil potius, nihil gratius nihilque optabilius esse potest, quam universi Dominici gregis bono atque utilitati omni quidem cura et contentione prospicere, pia clarissimorum principum vota quam libentissime excipere eisque peramanter annuere solet, cum ea praesertim efflagitantur, quae ad animarum salutem et populorum bonum pertinere posse videntur.

§. 2. Exponendum Nobis curavit carissimus in Christo filius Noster Hispaniarum rex catholicus, se vehementer cupere, omnes cujusque religiosae familiae alumnos in Hispanica ditione morantes et sacerdotali ordine honestatos atque hujus apostolicae Sedis auctoritate ab ordinis regula et religionis habitu jam rite solutos in animarum salutem procurandum incumbere eosque aliquo ecclesiastico beneficio potiri, quo se alere possint. Ut autem hujusmodi consilii ratio suum exitum obtineat, idem ille rex summopere exoptat, ut iidem religiosi viri paroeciis praeficiantur. Quamobrem a Nobis petiit, ut ejus rei ergo ex Nostra indulgentia perpetuam facultatem tribuere velimus, qua commemorati religiosi viri cujusque regularis instituti, in Hispaniis morantes et sacerdotio insigniti atque ab ordinis regula et religionis habitu rite expediti paroecias consequi possint.

§. Nos igitur ipsius regis voluntati alacri libentique animo obsecundantes eosque omnes, quibus hae literae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium praepositorum consilio, vobis, venerabiles fratres et dilecti filii, quantum ad singulos spectat, eas partes imponimus atque mandamus et facultatem perpetuo valituram tribuimus, cujus ope auctoritate Nostra apostolica omnibus et singulis cujusque regularis ordinis et instituti religiosis viris, qui in Hispanica ditione vitam agentes ab ordinis regula ac religionis veste gestanda rite soluti, dummodo apostolicum indultum iis tributum perpetuo transeundi ad statum presbyteri saecularis ab Ordinario fuerit executioni mandatum, veniam nunc et in posterum tribuere possitis, cujus praesidio iidem religiosi viri, servatis tamen, quae servari opus est, ullo absque alieni juris detrimento, beneficia animarum curae obnoxia administrationis titulo consequi et eorum fructus, redditus atque proventus libere et licite percipere possint et valeant. Declaramus praeterea hujusmodi facultatem a vobis, venerabiles fratres ac dilecti filii, vestrisque legitimis successoribus hoc futurisque temporibus harum literarum vi perpetuo posse exerceri.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 6. Augusti 1835.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 252. Ed. Romae.)

Hieracen.

Exploratum in jure est, saecularia beneficia saecularibus et regularia regulari esse conferenda *cap.: Cum ad nostram* et *cap.: Officii 38. de electionibus, Conc. Trident. sess. 14. cap. 10. de ref. sess. 25. cap. 21. de regular., Garzia de beneficiis part. 7. cap. 10. n. n. 20.* vetitumque regularibus esse absque speciali apostolico indulto parochiales ecclesias retinere, *cap.: Monachi de satu manachor.* Itaque sacerdotem Englen, qui regularis est in ordine s. Dominici professus, incapacem fuisse dicit obtinendi parochialem ecclesiam s. Nicolai ex Aleph, reque vera ad concursum fuisse admissum si *et quatenus saecularizationis et habilitationis ad beneficia gratiam a s. Sede obtinuisse docuerit.*

Die 24. Julii 1824.

d) Regulares quando possidere possunt?

Vd. *t. I. p. 1021 decr. Constantien. etc. etc.*; *Beneficium* (privatio — causae — decr. *Concordien p. 778.*; vd. supra lit. *c.*

Pius testator anno 1716 mandavit, ut ex suis bonis constitueretur *locus pius seu capellania perpetua in templo parochiali in altari s. Leonardi in oppido C. cum onere perpetuo tot missarum, quot essent annui fructus ex relictis bonis.* Statuit praeterea ut pro satisfactione missarum praeferendi essent, si qui adessent, presbyteri consanguinei; secus celebrarentur *ab aliis sacerdotibus ejusdem oppidi et dictae patriae.*

Juxta testatoris mentem capellania fuit instituta ejusdemque onera fuerunt adimpleta: sed successu temporis numerus missarum ab auctoritate ecclesiastica determinatus fuit ad sexaginta et octo missas, nulla habita amplius ratione reddituum, qui singulis annis ex dictis capellaniae bonis perciperentur.

Anno 1862 post violentam suppressionem regularium a subalpino Gubernio patratam Josephus presbyter regularis oppidum C. (ex quo ortum habuerat) petiit ibique commorans postulavit, ut admitteretur ad participandam dictam capellaniam, quum esset sacerdos ejusdem oppidi: atque, ut ipse enarravit, in possessionem fuit admissus, omnibus servatis ecclesiasticis regulis.

Aegre id tulerunt reliqui presbyteri ejusdem oppidi, praesertim vero parochus; qui denique supplicem libellum exhibuerunt SSmo Patri, ut declarare dignaretur, presbytero Josepho, utpote regulari, jus non competere fruendi eadem capellania: atque praeterea parochus postulavit refectionem damnorum ob fructus, quos hactenus Josephus percepisset.

Cum preces SSmus Pater ad S. C. C. transmisisset, rogatus fuit de more Ordinarius, qui enarrata confirmans monuit, fructus capellaniae, supputata synodali eleemosyna omnibusque oneribus, consistere quotannis in scutatis triginta.

Animadversiones adversus Josephum.

Praemittebatur, ad essentiam status religiosi requiri tria solemnia vota obedientiae, castitatis et paupertatis, adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta consistere non possit: *s. Thom. 2., 2. q. 188. art. 1,* item argumento ex *cap.: Cum ad monast. de statu monach. et Extrav. Joann. XXII. Quorundam.* Ex voto autem paupertatis sequi, ut regularis quidquam veluti proprium habere nequeat; quod passim est in jure sancitum, ut videre est nominatim in titulo decretalium *de statu monachorum,* et expressius in Concil. Trid. *sess. 25. c. 2. de ref. regul.*

Hisce generatim animadversis propius ad quaestionem parochus haec animadvertebat, videlicet, Josephum nec esse testatori sanguine junctum, de quo nulla quaestio, sed nec inter sacerdotes oppidi C. posse jure adnumerari: idque contendebat evincere ex eo, quod, etsi Josephus eo in oppido natus esset, tamen, quum ad sacros ordines esset promotus in suo ordine regulari et ob vota solemnia Deo nuncupata religiosus adhuc maneret, non posset dici sacerdos ejus oppidi, quamquam extra claustrum vivere cogeretur: ideoque utraque conditione careret ad participandam capellaniam: eo vel magis, quod jam gauderet annua pensione 500 libellarum a gubernio pensitanda regularibus e coenobio expulsis.

Idem urgebat ex voto paupertatis et ex vi professionis religiosae, per quam, ut inquiebat parochus, is amisisset non solum jus quidquam possidendi, sed etiam quaevis alia civilia jura, ita ut nec patriam nec familiam amplius habere dicendus esset praeter religionem, quam esset professus: professionem enim religiosam aequiparari morti, quae omnia solvit, prout auctores tradunt in *tit. 31. decret. lib. 3.*

Mentem denique non fuisse testatoris, ut comprehenderet sacerdotes regulares: et de facto regulares, qui in eo oppido supervenerant post mortem testatoris, numquam ad eam capellaniam fuisse admissos.

Defensio Josephi.

Josephus contra contendebat, per professionem religiosam non amitti naturalia jura, cujusmodi esset jus originis, quum haec sint inalienabilia: proindeque satis sibi esse affirmabat actum nativitatis suae in dicto oppido, ut ex illo jus ad capellaniam haberet; nullamque afferri posse ecclesiae legem, quae ipsum ab his juribus excluderet, quibus gaudere deberet ut concivis testatoris.

Negabat praeterea, mentem fuisse pii testatoris excludendi regulares sacerdotes indigenas, quum hac in re clara non esset mens testatoris et de favorabilibus ageretur, quae ampliori ratione accipi possint.

Animadvertit praeterea, agi in praesentia de capellania cum simplici missarum onere, quaeque naturam simplicis pii legati haberet: et juxta doctores non esse incapaces religiosos ad eas capellanias habendas; quin immo, ex superiorum auctoritate religiosos eas consequi posse non solum in propriis ecclesiis sed etiam in ecclesiis saecularibus decrevisse S. C. C. in *Meliten. 23. Nov. 1694 et 11. Jun. 1695 et 1. Decemb. 1696.*

Adjiciebat denique, ex pontificio generali rescripto facultatem religiosis e claustro dejectis hisce temporum calamitatibus factam esse sibi curandi media ad vitam necessaria, etiam per aliquod beneficium seu capellaniam.

His propositis precibus S. C. distulit respondere per consuetum rescriptum: *Dilata.*

Die 21. Mart. 1868.

Continuatio.

Quaesitum interea est ex mandato s. Congregationis, ut accuratius et certius Ordinarius exponeret, utrum capellania, cujus est quaestio, conferenda esset alicui ex sacerdotibus oppidi, ut contingere solet, aut eadem naturam potius haberet simplicis legati missarum, cujus celebratio viritim dividenda esset inter sacerdotes oppidi: et quaenam esset servata hactenus consuetudo hac super re. Insuper, quum Josephus asseruisset, se servatis ecclesiasticis legibus possessionem cepisse, ideo quaesitum est, utrum de plena capellaniae possessione ageretur vel potius admissus esset dumtaxat ad celebrationem missarum et ad consequendam partem pii legati.

Ordinarius respondens significat, capellaniae institutorem voluisse, ut pro redituum proportione tot missae celebrarentur a sacerdotibus consanguineis et in eorum carentia ab aliis ejusdem oppidi: inde contingere, ut non unus sed plures essent capellaniae rectores eodem tempore ab institutore vocati ad fruitionem capellaniae; neque postulari canonicam institutionem: ita quoque servatum esse, postquam esset determinatus missarum numerus. Josephum post regularis sui ordinis suppressionem rediisse in suum oppidum atque petiisse a rectoribus capellaniae, ut admitteretur ad eam participandam; illis contradicentibus, quod utpote religiosus dici non posset civis ejusdem oppidi sive quod ob votum paupertatis possidere non potest, invocasse auctoritatem curiae, quae, quaestione examinata et perlecto pontificio indulto, quod auctoritatem facit hujusmodi regularibus habendi capellanias et beneficia ad sustentationem, exhortata est rectores, ne excluderent Josephum a redditibus capellaniae: reapse fuisse admissum, suscepto quoque officio administrandi bona rustica integrae capellaniae ex rectorum consensu, quum parochus, qui tum erat administrator, exularet et adhuc exulet. Haec Ordinarius.

Repropositis itaque precibus S. C. respondere censuit: *In praesenti rerum statu sacerdotem* (Josephum) *admittendum esse ad participationem capellaniae prout ceteri loci sacerdotes: quo vero ad administrationem capellaniae partes utantur juribus suis coram eminentissimo Archiepiscopo.*

Die 21. Aug. 1869.

Ex quibus colliges:

I. Per professionem religiosam regulares jus amittere ad possidenda beneficia cleri saecularis et ad ecclesiasticos ejusdem cleri proventus percipiendos.

II. Id enim impedit non tantum paupertatis votum, quod vetat, quominus regulares bona uti propria possideant*), sed ipsa status regularis conditio, qua a reliquo clero hisce in juribus regulares segregantur.

*) Expedit recolere particulam constitutionis Clementis VIII. quae incipit *Nullus omnino*, editae die 20. Martii 1701, pro reformatione ordinis servitarum: in ea quoad votum paupertatis haec declarantur in §. 2: *»Quod Tridentini Concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia vel mobilia aut pecuniam proventusve, usus, eleemosynas sive ex concionibus, ex lectionibus aut pro missis tam in propria ecclesia quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore et causa, et quocumque nomine acquisita (etiamsi subsidia consanguineorum aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint) tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur et conventui incorporentur atque cum ceteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint, ullo pacto liceat iisdem fratribus aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam etiam depositi aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quidquam possideat ut proprium neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit, poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quorumcumque superiorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona mobilia vel immobilia, fratres excusare possit, quominus culpae et poenae ab ejusdem concilii decretis impositae et ipso facto incurrendae obnoxii sint; etiamsi Superiores asseverent, hujusmodi dispensationes aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.«*

III. Cessante regulari ratione vivendi ex violenta dispersione convenire, ut, salva votorum substantia, regulares sacerdotes admittantur ad haec jura cleri saecularis participanda. Cui rei per pontificium indultum prospicitur.*)

IV. Quare in praesenti themate nihil obstitisse, quominus Josephus admitteretur ad participationem capellaniae sicuti ceteri oppidi sacerdotes.

De beneficiis et officiis curatis per Jndiarum occidentalium regiones saecularibus etiam clericis, sublato asserto Regularium privativo jure, conferendis apostolicae literae jam editae confirmantur et declarantur.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum alias nempe de anno millesimo septingentesimo quinquagesimo primo ex parte clarissimi in Christo Filii Nostri Ferdinandi VI. Hispaniarum Regis catholici Nobis repraesentatum fuisset, non eas adhuc in Indiarum occidentalium regnis atque provinciis ipsius dominio subjectis rerum circumstantias subsistere, ob quas olim sanctae memoriae Pius V. ad instantiam tunc existentis catholici Hispaniarum Regis aliique deinceps romani Pontifices Praedecessores Nostri statuerunt, earum regionum parochias, doctrinas aliaque munia et officia ad animarum curam pertinentia per regulares personas obtineri et administrari debere, quin immo saecularem clerum illarum partium a multo jam tempore adeo et numero excrevisse et moribus atque doctrina conspicuum, proindeque ad obtinenda et gerenda ejusmodi munia idoneum se praebere, ut nihil jam obstare videretur, quominus earumdem parochiarum, doctrinarum aliorumque officiorum provisio et dispositio ad eam, quae generaliter per orbem vigere dignoscitur, ecclesiasticae disciplinae formam, prout non solum ipse Ferdinandus rex, sed etiam Archiepiscopi et Episcopi per easdem Indiarum regiones constituti magnopere optabant, revocari posset, Nos omnibus mature perpensis, quum regiam hanc petitionem non modo generalibus ecclesiae institutis, verum etiam praedicti sancti Pii aliorumque Pontificum Praedecessorum Nostrorum menti ac saepe declarato Sedis apostolicae sensui conformem agnoverimus, per Nostras sub plumbo editas literas, quarum initium est: »*Cum nuper*«*) datas apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1751 sexto Idus Novembris: decrevimus atque permisimus, ut, non obstantibus dicti sancti Pii V. Praedecessoris literis aliisque in earum confirmationem ab apostolica Sede emanatis, (quibus etiam, quatenus opus esset, expresse derogavimus) saeculares etiam clerici seu presbyteri quicumque, quos scilicet praedicti Archiepiscopi et Episcopi aliique locorum Ordinarii in Indiis occidentalibus constituti praevio examine, juxta ea, quae in Concilio Tridentino statuta sunt, idoneos et habiles reperissent, ad parochias, doctrinas et alia quaecumque munia et officia ad animarum curam pertinentia in posterum admitti et assumi eisque etiam parochiales ecclesiae hujusmodi aliaque ecclesiastica perpetua beneficia, quibus animarum cura imminet, in titulum conferri possent et valerent, prout in dictis literis Nostris latius continetur.

§. 1. Cum autem nuper idem Ferdinandus Rex Nobis exponi fecerit, quod ipse, cui ex juribus suae regiae coronae juspatronatus ac nominandi et praesentandi ad omnia dictarum regionum beneficia ecclesiastica et officia curata hujusmodi ex fundatione seu dotatione aut privilegiis apostolicis actu vigentibus aliisque legitimis

*) In literis s. poenitentiariae apostolicae, quibus ampliatae sunt facultates jam concessae pro regularibus dispersis in §. 16. ad rem nostram haec leguntur: Concedit pariter regularibus solemniter professis, ut capellanias aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum, etiam residentiale vel cum cura animarum de consensu et ad nutum Ordinarii loci ac annuentibus superioribus suis in administrationem assequi et retinere legitime possint; quod tamen dimittere teneantur, statim ac ab iisdem superioribus ad claustra revocati fuerint.« Confer quoque, si placet, p. *869. c.*

*) Vd. *t. I. p. 1038.*

titulis competit, in dies magis magisque agnoscens ad rectum disciplinae ordinem et ad promovenda in clero saeculari dictarum partium sacrarum doctrinarum studia aliosque communis utilitatis effectus magnopere proficuum fore, si saeculares hujusmodi clerici seu presbyteri ad omnia vel pleraque beneficia et officia praedicta per ipsum ejusque successores catholicos Reges nominentur et praesententur, decreverit et constituerit, praedictis s. Pii V. aliorumque romanorum Pontificum indultis et facultatibus in favorem Regularium vel nullo modo vel saltem parcissime et in locis et casibus dumtaxat, in quibus forsan saecularium clericorum defectus reipsa subsistere dignoscatur, in posterum uti, ideoque easdem priores literas Nostras, novo ac perpetuo confirmationis Nostrae munimine roboratas, uberius per Nos declarari et ut infra super his provideri desideret, Nos ejusdem Ferdinandi Regis supplicationibus inclinati praesentium tenore et auctoritate simili primodictas Nostras apostolicas literas, cum omnibus et singulis decretis et declarationibus in ipsis contentis et expressis perpetuo confirmamus ac iterato apostolicae auctoritatis Nostrae robore communimus, decernentes nullum in posterum jus nullamque actionem aut exceptionem in vim praedictarum literarum sancti Pii Papae V. aliarumque ut supra ab aliis romanis Pontificibus editarum praedictis regularibus competere, ut sive in possessorio privativam facultatem obtinendi et administrandi parochias et doctrinas ejusmodi aliaque officia animarum curam concernentia sibi suisque ordinibus asserere aut se in illarum illorumque possessione confovere possint; sed tam eos, qui nunc parochias, doctrinas et officia praefata obtinent, quam quibus forsan in posterum ejusmodi curata beneficia et officia, servatis de jure servandis, committi et demandari contigerit, tamquam ad nutum amovibiles, posse tum ab Episcopis aliisque locorum Ordinariis tum etiam propriis regularibus Superioribus, justis concurrentibus causis, (super quarum subsistentia illorum conscientiam oneramus, sed nunquam illos ad earum declarationem aut verificationem compelli posse volumus et decernimus), ab earundem Parochialium, doctrinarum et officiorum regimine et exercitio removeri; eveniente autem remotione liberum fore catholicis Regibus alios quoscumque idoneos saeculares aut regulares clericos seu presbyteros, juxta legitima eorum regii patronatus jura, ad hujusmodi curata beneficia et officia nominare et praesentare, ac respective Episcopis aliisque locorum Ordinariis hujusmodi clericos seu presbyteros praevio examine aliisque servatis de jure servandis ad illa admittere et assumere seu quatenus saeculares fuerint ipsis etiam in titulum eadem conferre et de iis providere.

§. 2. Volumus autem, ut omnes et singuli cujuscumque ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam expresse nominandi, regulares, qui hujusmodi parochiarum, doctrinarum et officiorum regimine et exercitio retinebuntur seu quos ad eadem in posterum assumi et admitti contigerit, (juxta ea, quae tam in citatis Nostris literis incipientibus »*Cum nuper*« quam in aliis anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto decimo Cal. Decembris editis, quarum initium est: »*Firmandis atque asserendis*«*), a Nobis decreta et declarata fuerunt) noverint, se in iis quidem, quae concernunt eorum regularis instituti observantiam, Episcopis aliisque locorum Ordinariis nullatenus subjectos esse, sed a suis Superioribus regularibus quoad haec privative dependere. In his autem, quae vel ad ipsum spectant exercitium curae animarum vel etiam ad eorum vitam et mores pertinent Episcopis quoque aliisque Ordinariis locorum Praesulibus subjectos esse; ideoque ab iisdem Episcopis et Ordinariis necnon Vicariis et visitatoribus ab iis deputatis aeque ac a suis regularibus Superioribus in his omnibus judicari et corrigi posse, et quidem ea lege, ut, quatenus unius et alterius Superiorum hujusmodi judicia inter se non conveniant, episcopalis seu ordinariae curiae processus atque sententia regularis Praelati judicio et actis omnino praevalere debeant ac reipsa praeferantur et executioni demandentur.

§. 3. Praesentes quoque literas et in eis contenta quaecumque nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam in corpore juris clauso, etiam ex eo, quod, quicumque in praemissis jus vel interesse habentes aut habere praetendentes, cujusvis status aut ordinis, congregationis et instituti, etiam hic de necessitate specialiter exprimendi, existant, iisdem non consenserint nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas praesentes emanaverint, satis adductae, probatae aut verificatae fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae aut consensus interesse habentium aliove quolibet defectu notari, impugnari aut in controversiam et judicium etiam ad effectum obtinendae aperitionis oris aut restitutionis in integrum adduci posse, sed semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios effectus sortiri et obtinere ac illis, quorum favorem concernunt, plenissime suffragari atque etiam ab omnibus, ad quos respective pertinet et pertinebit in posterum, inviolabiliter observari volumus et decernimus. Sicque et non aliter in praemissis judicari et censeri per quoscumque Ordinarios et delegatos judices, etiam causarum palatii apostolicae Auditores ac sanctae romanae ecclesiae Cardinales eorumque Congregationes necnon apostolicae Sedis Legatos seu Nuntios aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, ac etiam irritum et inane decernentes, quidquid ab eorum quolibet in contrarium judicari et decerni seu scienter vel ignoranter attentari contigerit.

§. 4. Non obstantibus praedictis sancti Pii V. aliisque romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum in eorundem confirmationem etiam in forma specifica editis literis Nostraque et cancellariae apostolicae regula de non tollendo jure quaesito.*)

Die 9. Junii 1753.

(Bull. Bened. XIV. t. IV. p. 67 Ed. Romae.)

e) Propter beneficii saecul. adeptionem egressus e monasterio Regulari converso laico est concessus.

Mediolanen.

(Conc. Tr. c. 11. s. 14. de reform.)

Bonifacius Majocchi religiosus commissus sive, ut vulgo dicitur, conversus in monasterio s. Simpliciani ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis cupiens ad sacros ordines promoveri titulo cujusdam simplicis beneficii, quod veluti de jurepatronatus familiae suae se facile assecuturum asserit, supplicavit Sanctissimo, ut eam ob causam potestatem sibi faceret egrediendi e monasterio et qualemcumque regularem suum habitum dimittendi. Hisce autem precibus ad sacram Congregationem remissis Vicarius generalis D. Cardinalis Archiepiscopi Mediolanensis, cui datae fuerant literae, ut ea de re quid sentiret, audito Superiore praefati monasterii exponeret, sub diem 6. Aprilis 1740 jussu dicti Eminentissimi Antistitis tunc in Urbe degentis retulit: Superiorem monasterii, quem petitionis a Bonifacio promotae conscium feci, ejusdem pietate ac obedientia supra viginti annos in claustris praestita commendatis asseruisse, facultatem religioni non esse ejus precibus annuendi, quum ab ordinis constitutionibus vetitum sit religiosis commissis literas ediscere, quia vero ab Abbate praedecessore permissum fuit oratori per annos quatuor studiis vacare, religioni propterea minime displicere, si orator ab ea egrediatur et sacris initietur ordinibus, quoties idoneum ad id titulum habeat.

Jussus vero posthac super eodem negotio sententiam suam proferre procurator generalis congregationis Cassinensis significavit, conversos sive ut ajunt commissos sua in congregatione receptos post unius aut plurium etiam annorum probationem stabilitatem polliceri et simplicia emittere religionis vota, iis vero donec in eadem congregatione permanent ex praescripto constitutionum nullo modo ad sacros ordines patere ascensum; et quamquam nonnullas ob causas in dictis constitutionibus expressas conversi queant a congregatione dimitti, valde tamen inter doctiores ejusdem congregationis dubitari, num id Superioribus liceat eam tantum ob causam, ut quis ita dimissus ac simplicibus religionis votis exsolutus ad sacros possit ordines promoveri: caeterum se existimare, quod sacrae hujus Congregationis auctoritate decerni queat, ut eum Superiores in finem propositum a congregatione dimittant, praesertim quia orator ipse affirmat, sibi non deesse beneficium simplex, ad cujus titulum ordinetur.

Sane praeter peculiares ordinum constitutiones, inspecto etiam communi jure, interdictum est religiosis laicis sive conversis ad sacros ordines ascendere, quemadmodum

*) Vd. *t. I. p. 1032.*

*) Vd. *supra p. 825.*

statuit s. m. *Clemens VIII. in ejus constit. 83.* §. *34.* et s. m. *Urbanus VIII. in constit. 26.* in haec verba: »Qui ad conversorum habitum suscepti fuerint, ad clericorum statum transire etiam durante tempore probationis non possint;« et tradunt eminentissimus *Petra in comment. ad constit. apostol. constit. 8. Eugenii IV. num. 16., Passerinus de stat. hom. tom. 3. quaest. 189. artic. 8. num. 227., Donatus rer. regul. tom. 2. par. 2. tract. 14. num. 1. et 2.*, qui subdit, optima ratione id factum esse, ut juxta praeceptum Apostoli *1. Cor. c. 7.* unusquisque permaneat in sua vocatione, in qua vocatus est, et ut item auferatur ansa et occasio ambitionis, qua solent homines altiora appetere non sine murmure et Praelatorum molestia.

At ubi justae in hypothesi suppeterent causae, ob quas videretur concedi posse oratori transitum ad sacros ordines, major forte occurreret dubitandi occasio, num ob id permittendus sit illi egressus e monasterio deceatque absolutionem a simplicibus, quae emisit, religionis votis impartiri. Quaestio namque excitata fuit utique inter doctores: an religiosus laicus transire queat ad aliam religionem minus arctam, ut in ea ad statum clericalem elevetur, quod negat *Suarez. tom. 4 de relig. tract. 8. lib. 3. cap. 10. n. 11.*, quia clericatus per se, ut inquit, non pertineat ad statum perfectionis neque illam conferat, licet eam suo modo postulet, affirmant vero cum d. Thoma quidam relati per *Passerin. de stat. homin. tom. 3., quaest. 189. artic. 8. num. 229.*, qui tamen *n. 239.* ad rationem a Suarez allatam respondet: Clericatum quidem non esse statum perfectionis simpliciter, ideoque non licere transitum religiosi ad clericos saeculares, quia clericus non est in statu perfectionis, licere vere transitum religiosi laici ad regularem statum clericorum, utpote a statu minus perfecto ad perfectiorem.

Praeter haec oporteret quoque ponderare, quibusnam clausulis temperanda foret facultas, quae fieret oratori egrediendi e monasterio ob causam suscipiendi ordines sacros; si enim orator post obtentum a claustris egressum, sive ex possibili frequentique humanae voluntatis inconstantia, sive ob necessariae doctrinae defectum sive ob aliquam, quae illi superveniret, infirmitatem sive demum, quia congruo destitutus beneficio sacris ordinibus non initiaretur, decernendum profecto esset, num ob eam tantum causam a monasterio dimissus liber imposterum judicandus omnino foret a votis religionis vel potius aliqua lege et qua ratione ad eorum observantiam revocari posset atque deberet.

Placet itaque Eminentiis V.V. pronunciare:

An sit permittendus Bonifacio Majocchi commisso Cassinensis congregationis egressus ab eadem congregatione ad effectum suscipiendi sacros ordines in casu?

S. C. C. resp.: Negative.

Die 17. Febr. et 10. Mart. 1742.

Iterum proposito dubio: An sit standum vel recedendum a decisis?

S. C. C. resp.: Brevi recessu a decisis affirmative.

Die 14. Decbr. 1743.

97) Simile quod est?

Vd. *Beneficium* (sub eodem tecto etc. p. 383. n. 17.)

98) Simonia in collat., erectione et resignatione etc. beneficiorum.

Vd. *Beneficium* (resignatio simoniaca p. 865.; collatio simoniaca p. 443.) Praesentatio simoniaca.

99) Simplex.

Vd. *Beneficium duplex* p. 522. III. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum insignitus p. 236.)

Aetas requisita ad beneficium *simplex* obtinendum est aetas quatuordecim annorum. Concil. Trident. *sess. 23. cap. 6. de reformat.* his verbis: *Nullus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere*, et annus quatuordecimus sufficit, quod sit inceptus, ex declaratione sac. Congr. Concil. teste *Armend. in addit. ad recomp. legum., Navarr. lib. 1. tit. 20. l. 1. de aetatibus num. 5.; Gonzal. ad regul. 8. cancell.*) gloss. 5. in princip. n. 90.* et alii. Si vero in fundatione beneficii sit statutum, ut illud etiam conferri possit minori quatuordecim annorum seu fundator expresse voluerit sufficere, quod praesentatus esset clericus primae tonsurae, tunc non requiritur aetas quatuordecim annorum. Sic decrevit sacra Congregat. Concil., ut testatur sac. Rot. Rom. *in Monopolitana Beneficii seu Capellaniae 6. Junii 1622. coram Merlino et in Cordubense Capellaniae 5. Decemb. 1629. coram Coccino Decano.* Similibus autem fundationibus non fuit derogatum per concilium Trident. loco citato, ut fuit decisum a sac. Congr. ejusdem concilii teste *Gonzalez ad regul. 8. cancel. gloss. 5. in princip. n. 91. Ricc., Navarr.* et alii. Tunc enim standum est juris communis dispositioni, secundum quam etiam clericus primae tonsurae et in septimo anno constitutus erat capax simplicis beneficii, *cap.: Si eo tempore, de rescriptis*, et *Rot. rom. part. 2. in Granaten. Capellaniae decis. 194. n. 2. 12. Januarii 1606. coram reverendissimo Lugdunensi.* Et haec aetas septem annorum sufficit ad pensionem obtinendam nec ad eam exigitur aetas quatuordecim annorum requisita per Tridentinum ad beneficia ecclesiastica. Sic decisum fuisse a sac. Con. Conc. refert *Gonzalez. ad regul. 8. cancell. gloss. 5. n. 26.; Lezana, Barbosa* et alii.

De aetate requisita ad simplicia beneficia fundata ante concilium Tridentinum non levis quaestio est. Sunt qui tenent, non requiri aetatem quatuordecim annorum ab ipso conc. Trid. statutam pro ipsis beneficiis simplicibus assequendis, sed sufficere aetatem septem annorum de jure antiquo requisitam, cui fundator se conformasse praesumitur. Vide *Navar. quaest. forens. part. 1. quaest. 71. num. 5. et sequent.; Lauren. for. beneficial. part. 2. sect. 1. cap. 2.* §. *3. quaest. 160., Rota in recent. decis. 403. n. 17. et sequen. part. 4. tom. 2. cor. Merlin. decis. 40. a num. 13. ad plur. sequent. et in Valentina Beneficii 8. Maji 1747.* §. *15. cor. bon. mem. Vicecom.* At eidem supremo tribunali alias placuit haec distinctio, quod aut constat fundatorem vel expresse vel tacite indicium aliquod dedisse, quod contentus erat aetate impuberi, et in hoc casu nova dispositio concilii Tridentini non afficit hoc beneficium ex ratione illa, quod concilium Tridentinum voluntati fundatorum minime derogavit, aut vero non constat, fundatorem vel expresse vel tacite significasse, quod dicta aetate contentus erat, et in disparatissimo hoc casu nova dispositio concilii Tridentini afficit hoc beneficium quamvis antea fundatum. Vide *Rota in Gerunden. Beneficii 25. Junii 1723.* §.: *Nec evitari, et sequenti cor. bon. mem. Cerr., et in Thelesina seu Cerretana Beneficii 26. Junii 1754.* §. *17. cor. R. P. D. Elephantut.*

Sine concursu conferuntur beneficia simplicia, *Rota in una Calaguritana Reductionis motus proprii 29. Martii 1592. cor. Seraphino* inter ejus impressas *decis. 942. num. 6. et 7. part. 9. tom. 2. decis. 389 n. 6.*

Sutrina.

Beneficia ecclesiae parochialis s. Andreae Apostoli Roncilionis, quae habent onus servitii chori, sunt simplicia, ita ut retineri valeant cum beneficiis residentialibus, servata dispositione Concil. Trident. *sess. 24. cap. 17. de reform.*

Die 20. Sept. 1788.

101) Species.

Vd. *Beneficium* (divisio multiplex p. 521. c.)

101) Sufficiens quod est?

Vd. *Beneficium* (plura possid. — Dispens. Episcopi p. 749.)

Quodnam beneficium in specie debeat censeri sufficiens pro honesta beneficiati sustentatione, nullibi in jure reperitur definitum. Unde cum ob diversitatem casuum una certa regula statui non possit, istud relinquitur prudenti judicis arbitrio paulo plus vel minus aestimandum, considerata qualitate personarum, conditione locorum temporumque diversitate aliisque similibus circumstantiis, ex allegatis a *Rota coram Buratto dec. 247. num. 4. argum. cap.: Sciendum 1, cap.: Regulae 2.* et *cap.: Necesse 3. dist. 29.* Et in effectu hanc tradit normam *Navarr. in Miscellan. orat. cap. 62. num. 146.* et affertur in annotat. *ad dec. 254. num. 357. et seq. part. 9. tom. 1 Rotae romanae.*

Primo beneficium dicitur sufficiens simplici clerico et sano, si ad minus sufficiant redditus ad alendum mediocriter se et unum ministrum et unum coquum focarium et ad conducendam habitationem sibi necessariam.

Secundo beneficium dicitur sufficiens no-

*) Vd. *p. 820.*

bili etiam inferioris gradus et magistro theologiae seu doctori legum mediocris literaturae, si sufficiant redditus ad alendum se et duos ministros et unam equitaturam et unum coquum focarium et ad conducendam habitationem digniorem ea, qua eget clericus.

Tertio beneficium dicitur sufficiens nobili mediocris ordinis puta filio vel fratri Baronum vel Vicecomitum etc. vel magistro et doctori excellenti, si sufficiant redditus ad alendum se, quatuor ministros, unum coquum et unam equitaturam et ad conducendam habitationem digniorem ea, qua egent supradicti.*)

Quarto dicitur beneficium sufficiens nobili, puta filio vel fratri Ducis, Marchionis vel Comitis etc., si fructus sufficiant ad alendum se, octo ministros, duas equitaturas, et unum coquum et habitationem splendidiorem praedictorum. Caeteris autem paribus plus pro congrua et honesta sustentatione competit Episcopo quam Archidiacono, Archipresbytero, Decano vel Praeposito; plus istis quam Canonico simplici; plus Canonico Cathedralis quam ecclesiae collegiatae; plus parocho quam simplici beneficiato non Canonico, prout recte advertunt doctores communiter; *arg. c.: Clerici omnes 10. caus. 1. q. 1.*; *c.: Vulterana 25. caus. 12. q. 2.*, *c.: De multa 28. de praebend.* et *cap.: Consuluit 9. dist. 74.*, in quorum ultimo specialiter plus assignatur presbytero quam diacono beneficiato; quod idem docet Glossa *in c.: Clerici omnes 10. caus. 1. q. 2. vers.: Meritum.*

In defectu autem judicis prudenter arbitrantis pro sufficientia ad congruam beneficiati sustentationem relinquitur ipsius beneficiati conscientiae, ut Deum prae oculis habendo judicet, an ipsi unum beneficium sufficiat, recto corde advertens, quod Deum omnia inspicientem fallere non possit; *Gonzalez ad regul. 8. cancellar.***) *gloss. 15. num. 39.*, *Rota part. 19. num. 2. decis. 532. num. 2. n. 27.* In ipsa tamen judicanda beneficii sufficientia non debet haberi ratio bonorum patrimonialium clerici beneficiati, quia potest clericus habens beneficium et patrimonium vivere de redditibus beneficii, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. c. 9.*: *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, et qui altari deserviunt, cum altari percipiant*; et juxta illud Matthaei *c. 10. n. 10.*: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annunciant, de evangelio vivere*, hoc est, ut ecclesiae ministri victum et vestitum suum ab ecclesia recipiant, temporalem laborum suorum mercedem accipiendo, non ut actum misericordiae ab ea factum, sed ut jus eis a natura Deoque ipso concessum, sive divitiis affluant, sive non, de iis indiscriminatim, ut patet, loquentibus Christo et ejus Apostolo; et etiam *canone*: *Cum secundum 16. de praebend.* his verbis: *Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur, non debeat repelli a mercede, patet a simili ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur.* Unde potest beneficiatus vivere de beneficio et patrimonium suum fructusque ejus sibi reservare, nam inquit Apostolus *citat. 1. ad Corinth. cap. 9.*: *Quis militat stipendiis suis unquam?* Et sic tenent doctores passim cum *Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. 3. alleg. 62. num. 11.*, *Covarr. cap. 1. de testamentis num. 2. et sequent.* et *Piasec. part. 2. praxis episcopalis cap. 5. art. 3. n. 86.*, ubi dicit hanc communem sententiam.*)

*) Quae hic de congrua beneficiarii sustentatione ex familiae nobilitate desumpta Ferraris interserit, haud optime congruunt iis, quae saepe a sacris canonibus hac de re sancita sunt. Consule *Conc. 1. Mediol.* sub s. Carolo.

**) Vd. *supra p. 820.*

*) *Tutam* hanc sententiam esse nemo inficiabitur, *communem* autem dixerit nemo. Confer *clar. Thomassin. Vet. et nov. eccl. disciplina p. III. l. 3. c. 3. et seq.*

102) Suppressio.

Vd. *p. 623. f. etc.*; *Commutatio ultimae voluntatis; Beneficium* (applicatio bonor. p. 370., mutatio p. 617., unio, suspensio.)

a) Causae.

Sutrina.

A suppressione beneficiorum, quae totalem importat beneficii extinctionem praebendarumque diminutionem, abhorrent s. canones, ut *ex cap.*: *Ex parte 12. de costit.*; non debet enim divini numinis cultus minui, sed augeri. Si tamen justa occurrat causa, si necessitas aut utilitas ecclesiae id suadeat, permittitur suppressio, ut docent *Pyr. Corrad. in praxi rei beneficiariae lib. 2. c. 8. num. 13.* et *Reiff. in lib. 3. decret. tit. 12. §. 3. num. 32. et 33.* Inter justas causas recensetur nedum a *Garzia de benefic. ecclesiastic. part. ultimae c. 1.* et doctoribus supra citatis, sed etiam a Tridentina synodo diminutio redditum, *sess. 24. cap. 15. de reform.*, ibi enim ait: »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitati non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.*«

Die 6. Mart. 1819.

Civitatis Castelli.

Quamquam a jure expresso *in cap.*: *Ex parte 12. de constit.* prohibita sit praebendarum suppressio et unio, quia importat totalem praebendae extinctionem ac proinde cultus divini imminutionem, attamen justis concurrentibus causis permittitur suppressio ac unio, ut docent *Garc. de benef. part. ultima cap. 1.*, *Reiff. in lib. 3. decretal. tit. 12. §. 3. num. 32. et seq.* Inter justas causas recensetur a Tridentino tenuitas praebendarum, quod tunc Episcopis facultatem concedit cum consensu capituli et patronorum, si praebendae sint jurispatronatus, reducendi has ad minorem quantitatem ac superexstantibus uniendi suppressarum redditum, *sess. 24. cap. 15. de reform.*, s. Congregatio hac ipsa de causa, ut *in Urbevetana Reductionis et applicationis die 6. Martii hujus anni ad 1. dub.* concessit reductionem.

Die 20. Novbr. 1819.

Non ita facile permitti beneficiorum suppressionem, ne divinus cultus imminuatur, *cap.*: *Ex parte 13. de constit.*, *Tholosan. de benef. cap. 13. num. 1.* Permittitur autem, si ecclesiae utilitas vel necessitas aut divini cultus augmentum id exigat, immo alterutrum ex his sufficere putat *Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 8. num. 13. 14. et seq.*

Die 13. Febr. 1773.

Sutrina.

Suppressioni beneficiorum et praecipue parrochialium repugnant s. canones *in leg. Majoribus 8. de praebend.*, sed tamen ex justa et necessaria causa permitti potest ut post *text. in cap.*: *Vacante 25. de praeben.* docet *Reiffenstuel. Jus canon. lib. 3. decret. tit. 12. §. 2. num. 34.* Necessitas concurrere videtur, cum paroecia habitatoribus sit vacua nec rursus frequentari potest destructis aedibus.

Die 27. Maji 1809.

b) In commodum academiae.

Vd. *Benef.* (applicat. bonorum in usum scholae p. 383.; suppressio in commod. mulierum piarum praeceptricum etc. p. 895.)

Suppressio beneficiorum ecclesiasticorum, alterum de Mula, alterum de Tecla, necnon beneficii simplicis la Prestamera della Oja de la Vega in dioecesibus Carthaginensi et Conchensi et applicatio bonorum illorum academiae trium nobilium artium sub titulo sancti Ferdinandi in civitate Matriti erecta.

Pius VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Eximia catholicorum Principum merita eorumque peculiare studium erga universitates et academias ad ingenii culturam tendentes a Nobis exigunt, ut in iis elargiendis gratiis animi Nostri sensus palam ostendere non dubitemus, quae ad universitates et academias ipsas non modo conservandas, verum etiam augendas et ampliandas necessaria esse dignoscantur, ac principibus ipsis convenire et ad subditorum utilitatem conducere in Domino arbitramur.

§. 2. Exposuit Nobis nuper carissimus in Christo filius Noster Ferdinandus Hispaniarum rex catholicus, quod academia trium nobilium artium sub titulo sancti Ferdinandi in civitate Matriti erecta ob insufficientes redditus, quibus dotata reperitur, ad supplementum ejusdem academiae necessariis expensis majori indigeat auxilio, proptereaque

dictus Ferdinandus rex exquirendo media ad hujusmodi finem aptiora novit haberi ea posse ex infradicenda beneficiorum suppressione eorumque respective fructuum eidem academiae perpetua applicatione infrascriptis modo et forma respective faciendis, ad hoc ut ampliori ipsius academiae dotationi imposterum juxta suam exigentiam opportune maneat consultum.

§. 3. Cum itaque unum de Mula ac alterum de Tecla respective nuncupata in Carthaginensis, necnon perpetua simplicia beneficia ecclesiastica la Prestamera de la Oja de la Vega pariter nuncupata in Conchensis dioecesis respective ecclesiis sita, ad quae, dum illa pro tempore vacant, nominatio seu praesentatio personae idoneae coram Ordinario loci pro tempore existente facienda ad praelaudatum Ferdinandum regem spectare et pertinere dignoscitur, ac quorum fructus, redditus et proventus primodicti videlicet ad tresdecim millium, secundo dicti vero ad octodecim millium, ac tertio dicti denique beneficiorum hujusmodi ad decem millium regalium monetae illarum partium summam annuatim, ut asseritur, ascendunt, canonice erecta reperiantur, Nos laudati regis Ferdinandi votis annuere atque antedictae academiae utilitati benigne consulere volentes, venerabilibus fratribus Episcopis Carthaginensi et Conchensi facultatem per praesentes tribuimus, ut ex nunc, si actu jam vacent, et si nondum vacaverint, ex nunc pro tunc post obitum videlicet aut dimissionem modernorum beneficiatorum supra memorata duo beneficia simplicia, illud scilicet de Mula nuncupatum in Carthaginensi, et alterum la Prestamera de la Oja de la Vega pariter nuncupatum in Conchensi dioecesi respective existentia, praevia eorum titulorum seu invocationum eorumque naturae et essentiae suppressione et extinctione, ita quod beneficia hujusmodi collativa in posterum esse desinant ac in titulum collativum conferri nequeant, apostolica eis ad hoc delegata auctoritate perpetuo respective supprimant et extinguant atque insuper antedictus Episcopus Carthaginensis a supra memorato beneficio de Tecla nuncupato medietatem redditum perpetuo similiter disjungat et separet.

§. 4. Illisque sic, ut praefertur, suppressis et extinctis eorum omnia et singula bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones et emolumenta quaecumque et undecumque provenientia, quod primodicta duo integre, et quoad tertio dictum beneficia pro portione dumtaxat respondente medietati illius reddituum eidem academiae trium nobilium artium sancti Ferdinandi nuncupatae in civitate Matritensi, ut praefertur, erectae in ipsius dotationis augumentum perpetuo respective applicent et approprient, ita ut antedictorum bonorum, fructuum, reddituum et proventuum vera, realis et actualis possessio per ejusdem academiae moderatorem seu administratorem vel deputatum vel deputatos aut eorum legitimum procuratorem vel procuratores libere ac licite apprehendi et apprehensa retineri eorumque administratio libere pariter exerceri perpetuo possit ac valeat, praedictaque bona, res et proprietates ab eis queant locari, dislocari et arrendari illorumque fructus, redditus et proventus percipi ac levari et in ipsius academiae usum et utilitatem converti, *supportatis tamen omnibus et singulis antedictorum beneficiorum oneribus*, apostolica ad hoc specialiter delegata auctoritate similiter applicent atque approprient.

§. 5. Volumus autem, ut praemissa omnia vigore hujusce apostolicae delegatae auctoritatis facienda ab omnibus ad quos spectat integre adimpleantur. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, necnon in Lateranensi aliisque synodalibus, provincialibus, generalibus ac universalibus conciliis editis constitutionibus et ordinationibus, necnon respectivarum ecclesiarum statutis, privilegiis et indultis, ac insuper literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus praesentibus pro plene ac sufficienter expressis habentes latissime ac plenissime necnon specialiter et expresse ad effectum tantum praemissorum hac vice derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 22. Julii 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 102. — Ed. Romae.)

c) In commodum archipresbyteratus.

Suppressio beneficii simplicis ejusque applicatio in perpetuum archipresbyteratui terrae Ficulle Urbevetanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii Joseph Bellucci archipresbyter et capitulum insignis, ut asserunt, Collegiatae s. Mariae Novae de terra Ficulle Urbevetanae dioecesis necnon ejusdem terrae populus, quod archipresbyteratus prima dignitas enunciatae ecclesiae praeter chori servitium habet quoque adnexam sibi curam animarum, sed ejus congrua adeo est modica et tenuis, ut quandoque concurrentium defectu vacuus diu ac derelictus permanserit. Hinc ne id amplius contingat tanto cum detrimento communi, cupiunt exponentes congruam archipresbyteratus hujusmodi pinquefieri ecclesiastico beneficio simplici, quod sub invocatione sanctae Christinae in ecclesia ss. Annunciatae extra portas Ficulle extat erectum et affert in annuum fructum scutata centum et septuaginta tria obulosque sexaginta, oneribus tamen non computatis, quae ad scutata quindecim circiter ascendere perhibentur, scilicet beneficium istud, quum primum vacare evenerit, (nam de praesenti a dilecto filio Innocentio Mercanti urbis presbytero possidetur) uniri per Nos etiam cum pensionis onere aliquo et incorporari in perpetuum archipresbyteratui praedicto: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, beneficium simplex praedictum, si et quando per obitum, cessionem, renunciationem aut alia quacumque ex causa praenominati Innocentii, qui ejusdem ad praesens possessor est, ut praefertur, vacare contigerit, ex nunc pro tunc, auctoritate apostolica tenore praesentium supprimimus in perpetuum illiusque bona et jura omnia, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus praenominato archipresbyteratui pro tempore adjungimus, qui universa et singula hujusmodi beneficii onera, quae sarta tecta esse ac fore decernimus, debeant omnino semper explere, ac annuam pensionem scutorum centum monetae romanae, quam super ejusdem beneficii fructibus, redditibus et proventibus favore personae per Nos et apostolicam Sedem nominandae auctoritate et tenore praedictis imponimus ac reservamus, perpetuis futuris temporibus teneatur persolvere.

Die 23. Decbr. 1803.

(Bull. r. Contin. t. XII. p. 109. Ed. Romae.)

d) In commodum Eccles. Collegiatae.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione B. M. virginis a Piedi della Menocchia nuncupati et applicatio bonorum favore ecclesiae collegiatae sanctae Mariae in Cosmedin.

Dilecto in Christo filio Vicario Archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Ad servandam divinarum virtutum celebrationum memoriam, illarum praesertim quae in aliquibus ecclesiis gloriosae et Deiparae beatae Mariae semper virgini dicatis canonice institutae reperiuntur, quaeque ob deficientiam reddituum valde dubitandum foret, ne tractu temporis praetermitti possent, non solum utile, verum etiam expediens videtur ut pro salutaribus tam piarum institutionum operibus ecclesiis ipsis meliori quo fieri possit medio etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fructuum ministerium a Nobis provideatur, ad hoc ut divinus cultus semper accrescat et ecclesiae ipsae optata in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Aloisii Donati presbyteri et Canonici saecularis et insignis collegiatae basilicae nuncupatae ecclesiae s. Mariae in Cosmedin etiam nuncupatae de urbe expositio continebat, quod cum dicta collegiata ecclesia, in qua pluribus abhinc annis annua memoria translationis almae domus Lauretanae cum debita pompa et honorificentia celebrari consuevit, nullos habeat peculiares redditus pro hujusmodi functionis continuatione, adeo ut valde dubitandum sit ne tam pium et salutare opus tractu temporis in

desuetudinem abire possit ac omnino praetermittatur, secus vero dictus Aloisius plurimum cupiat, ut opus praedictum ad Deiparae b. Mariae virginis laudem et honorem mediante infrascripta suppressione et respectiva applicatione in infrascriptum eventum ut infra facienda etiam post ipsius Aloisii obitum conservetur, ideo Nobis humiliter supplicari fecit Aloisius praedictus, quatenus pro ejus desiderio in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eumdem Aloisium specialis gratiae favore prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id evocandi, perpetuum simplex et personalem residentiam minime requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione b. M. virginis a Piedi della Menochia nuncupatae oppidi Massignani Firmanae dioecesis quod dictus Aloysius, ut asseritur, possidet et illi forsan annexos fructus, redditus et proventus viginti ducatorum auri de camera et juliorum decem monetae romanae, qui secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, ex nunc prout ex tunc, et e contra cum primum illud per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel ammissionem, seu religionis ingressum et professionem in ea emissam dicti Aloisii, aut alias etiam quovis modo etiam apud Sedem apostolicam praedictam etiam in aliquo ex mensibus Nobis aut romano Pontifici pro tempore existenti Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas aut cancellariae apostolicae regulas editas vel edendas aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones et regulas easdem seu literas alternativarum aut alia privilegia et indulta hactenus concessa et in posterum concedenda competentibus vacare contigerit, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam vel essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat et de cetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri vel impetrari aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae hujusmodi nullae prorsus et invalidae nulliusque roboris vel momenti existant neminique suffragentur nec cuiquam jus vel coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate apostolica tenore praesentium sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas illoque sic suppresso et extincto omnia et singula ejusdem beneficii sic, ut praefertur, suppressi et extincti bona, res, proprietates, fructus, redditus et proventus, jura, obventiones vel emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia ex nunc pariter prout ex tunc, et e contra, postquam tamen beneficium praedictum et persona dicti Aloisii, ut praefertur, vacaverit, eidem collegiatae ecclesiae ita quod liceat dilectis filiis modernis et pro tempore existentibus capitulo et Canonicis ipsius collegiatae ecclesiae postquam tamen casus vacationis hujusmodi evenerit per se vel alium seu alios proprio ac ejusdem collegiatae ecclesiae nomine praedicti beneficii ut praefertur suppressi et extincti illiusque bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditum et proventuum, jurium, obventionum et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus et proventus quoque praedictos, jura, obventiones et emolumenta hujusmodi percipere, exigere, levare ac supportatis tamen prius per dictos modernos et pro tempore existentes capitulum et Canonicos dictae collegiatae ecclesiae omnibus et singulis, si quae sint ejusdem beneficii ut praefertur suppressi et extincti oneribus in suos ac ejusdem collegiatae ecclesiae usus et utilitatem pro supradicti tamen operis conservatione et non alias convertere, dioecesani loci vel cujusvis loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari auctoritate apostolica earumdem tenore praesentium etiam perpetuo applices, adnectas et incorpores.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 23. Junii 1807.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 165. Ed. Romae.)

Zamoren.

Capitulum insignis collegiatae ecclesiae civitatis Taurentinae, quod ex una dignitate sub nomine Abbatis, tresdecim Canonicis totidemque praebendatis ultra alios ministros et capellanos servitio dictae ecclesiae addictos constat, in supplicatione per organum eminentissimi prodatarii Sanctissimo porrecta exposuit, quod eadem Collegiata in divini cultus exercitio horarumque canonicarum recitatione tam Episcopo in dicto oppido residente quam absente summa cum observantia populique aedificatione conspicua redditur, illius tamen redditus pro substentatione Abbatis ac capituli et Canonicorum praedictorum assignati temporum injuria adeo tenues et exiles existunt, ut cuilibet ex Canonicis praedictis vix centum ducati monetae Hispaniae, 33 ducat. auri de camera constituen. annuatim tantum obveniant cum onere nonnullarum missarum et anniversariorum, qui redditus praedicti inter praesentes tantum distribuuntur, nulla massa grossa nuncupata manente, nec propterea solvitur subsidium ratione canonicatuum et praebendarum hujusmodi, cum redditus nuncupari nequeant, sed mere distributiones pro praesentibus ad congruam substentationem insufficientes in magnum praedictae collegiatae ecclesiae ejusdemque oppidi (quod populi frequentia celebre et ex principalioribus et antiquioribus regni Hispaniarum oppidis existit votumque in aula regia habet) dedecus ejusque conspicuitatis detrimentum.«

Deinde vero subjungens, Abbatis et Canonicorum decenti statui et manutentioni ejusdemque collegiatae decori aliqua in parte consultum iri, »si altera ex duabus parochialibus ecclesiis loci de Villar Don Diego nuncupati dictae dioecesis, qui ab eodem dicto primo oppido per unius leucae spatium distat et cujus incolaé 80 numerum non excedunt, attento etiam, quod inter modernos et pro tempore existentes dd. parochialium ecclesiarum rectores continuae lites et dissensiones jamdiu agitatae fuerunt et etiam nunc agitantur, accedentibus alterutri eorum parochianis ipsis, ita ut invalidae semper fuerint monitiones et mandata praedicti Episcopi pro compositione litium et dissensionum hujusmodi, quodque ob tam parvum habitatorum numerum ac primo dicti oppidi, in quo praeter clericos et presbyteros septem virorum conventus reperiuntur, vicinitatem etiam alias praeter supradictas altera parochialis ecclesia, quae in praedicto loco sita erat, perpetuo suppressa et extincta remansit illiusque fructus prioratui majoris ecclesiae Zamoren. etiam perpetuo applicati fuerant, habita prae omnibus consideratione, quod duae tantum parochiales ecclesiae ob tam exiguum animarum numerum satis superque videbantur, cum primum illam per cessum vel decessum aut alias ex persona moderni illius rectoris vacare contigerit per S. V. et Sedem apostolicam ut infra perpetuo supprimeretur et extingueretur illiusque fructus etc. mensae capitulari dictae collegiatae ecclesiae pro usu distributionum quotidianarum etiam perpetuo applicarentur etc.« — postulavit: — »quatenus etc. alteram ex primo et secundo dictis parochialibus ecclesiis, quam modernus illius rector ad praesens obtinet, ac cujus fructus etc. 24 una vero cum incertis 80 duc. auri de camera secundum communem aestimationem val. an. non excedunt, nunc prout ex tunc et e contra cum primum illum per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum seu privationem aut quamvis aliam dimissionem vel admissionem seu religionis et professionis emissionem moderni illius rectoris etc. perpetuo supprimere et extinguere illisque sic suppressis et extinctis ejusdem parochialis ecclesiae ut praefertur suppressae et extinctae omnia et singula jura, fructus etc. mensae capitulari praedictae collegiatae ecclesiae unire dignaretur.«

His autem precibus ad sacrum hunc coetum pro maturiori petitionis examine remissis illud modo aggredi oportet: in quem porro finem praeter facti circumstantias in praemissa capituli supplicatione expositas ac praeter rationum momenta, quibus idem capitulum in juribus circumferendis satagit postulationem suam fulciri, tria prae oculis habenda sunt s. concilii Tridentini decreta, alterum editum sub *sess. 24. cap. 13. de ref.*, hisce verbis conceptum: »In unionibus vero quibuslibet seu ex supradictis seu aliis causis faciendis ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisve non uniantur«; alterum *sess. 21. cap. 3. de ref.*, ibi: »In ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae

inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter, juxta divisionem ab Episcopo, etiam tanquam apostolicae Sedis delegato in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur«; et tertium denique insertum *sess. 24. cap. 15.* hisce verbis: In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire, vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere«, — necnon inspiciendae sunt binae hujus S. C. resolutiones, quae super similibus petitionibus prodierunt.

Altera nempe in *Celsonen.*, in qua cum postularetur parochialium unio, ut massa quotidianarum distributionum ex earum redditibus adaugeretur, die 10. Januarii 1647 rescriptum: »Unionem *) parochialium pro augmento distributionum quotidianarum non esse concedendam«; repropositaque causa sub die 2. Septembris ejusdem anni idem rescriptum meruit confirmari in haec verba: »Standum in decretis sub die 19. Januarii proxime praeteriti, scilicet unionem parochialium pro augmento distributionum quotidianarum non esse concedendam, sed utendum remediis a sacro concilio praescriptis« — *cap. 15. sess. 24. de ref.*, ut in *lib. 18. decret. pag. 279. et 404.*

Altera vero in *Astoricen. Unionis*, ubi exposita hac facti serie: »Ecclesia cathedralis Astoricen. inter caeteras Hispaniarum antiquissima componitur modo ex triginta sex Canonicis. Intenti et ecclesiasticis muniis obeundis addicti illud nuper inconveniens adverterunt, quod, cum horae Primae nullae reperiantur assignatae distributiones, pauci vel nulli praebendati ibi interesse curent. Cumque ob paupertatem mensae capitularis et praebendarum tenuitatem non sit, unde detrahatur aliqua portio convertenda in distributionem ejusdem Primae horae, nec in dioecesi extent beneficia simplicia unienda, vel si quae sint, tenuissimis potiuntur redditibus: idcirco ad restituendum debitum pensum omnibus et integris horis capitulum et Canonici humillimas preces SS. D. N. porrexerunt ad hanc S. C. remissas, quatenus dignetur unire et incorporare mensae capitulari ecclesiam parochialem s. Stephani de Valdecorres nuncupatam ejusdem dioecesis, cum primum illa per cessum vel decessum moderni possessoris vel alias quomodolibet vacaverit, cujus fructus 24 una vero cum incertis 300 ducatos auri de camera non excedant, praevia suppressione et extinctione illius tituli collativi ad effectum ut dicti fructus applicentur Canonicis in dicta prima hora residentibus, reservata tamen vicario perpetuo pro exercitio curae animarum congrua ad tenorem constitutionis B. Pii V.. Uberius praemissa confirmavit Episcopus de informatione requisitus, non tamen approbavit extinctionem tituli parochialis cum annexis faciendam capitulo, ad effectum eos distribuendi Canonicis dictae Primae horae interessentibus, reliqua vero pars dimidia dd. fructuum, quae satis sufficiens est congrua, reservetur parocho pro tempore ejusdem ecclesiae, uti fusius ex relatione danda in summario« —: sacra Congregatio ad dubium:

An et quomodo oratorum precibus sit annuendum in casu? — die 16. Maji 1711 respondit: Negative, ut in *lib. 61. decr. pag. 236.*

Demum cum nomine praelaudati capituls efflagitetur, ut altera ex enunciatis parochialibus ecclesiis supprimatur ac omnia ejujura et annui redditus addicantur praefatamassae quotidianarum distributionum, noni nihil ad causae hujus decisionem conferre posse videntur ea, quae novissime adnotata fuerunt in una *Leopolien. Unionis* proposita die 1. Septemb. 1736. Omnibus igitur ponderatis discutere oportet:

An sit consulendum Sanctissimo pro concessione unionis in casu?

S. C. C. resp.: Consulendum SSmo pro suppressione unius ex duobus beneficiis curatis primo vacaturi cum applicatione favore capituli omnium reddituum exceptis tamen emolumentis stolae applicandis alteri parocho cum unione dictae curae.

Die 29. Mart. et 19. Apr. 1738.

*) Vd. *Beneficium* (unio)

e) In commodum monasterii mulierum piarum praeceptricum in scholis publicis.

Vd. *Benef.* (applicatio bonorum in usum scholae p. 333.)

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione s. Venerandae erecti in collegiata terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis et applicatio bonorum monasterio Oblatarum ejusdem loci.

Dilectis in Christo filiabus religionis oblatis congregationis sancti Francisci Salesii dioecesis Firmanae.

Pius PP. VII.

Dilectae in Christo filiae.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Religiosarum piarum mulierum domus, quae ob tenuitatem et insufficientiam redditum et onera praesertim publicarum scholarum, quibus in puellis ad pietatem et religionem formandis ac familiarium munerum primordiis instituendis adstringuntur, aliquo indigere videntur auxilio, exigunt a Nostri pastoralis officii debito, ut in earum necessitatibus opportune succurantur ac meliori, quo fieri possit medio, etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fructuum ministerium a Nobis provideantur, ad hoc, ut religiosae ipsae ad id propositae ex hoc ministerio adjutae tam piis et salutaribus earum instituti pietatis et charitatis operibus commode vacare possint, prout ferventia animi Nostri postulant desideria.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum modernarum religiosarum mulierum oblatarum congregationis sancti Francisci Salesii nuncupatarum, in regulari domo Beatae Mariae Virginis ejusdem congregationis terrae sancti Elpidii ad Mare Firmanae dioecesis degentium expositio continebat, quod cum ipsae, quibus publicarum scholarum in dicta terra fundatarum pro puellis inibi ad pietatem et religionem informandis ac bonis honestisque familiarium munerum primordiis, quae hujusmodi sexus propria sunt, studiose instituendis cura commissa est atque directio, attenta tenuitate reddituum, quibus praefata regularis domus dotata reperitur, ad summam quinquaginta scutorum monetae romanae dumtaxat annuatim ascendentium in hujusmodi pii operis exercitio ulterius perseverare posse diffidant, nisi opportunum aliquid in urgentibus earum necessitatibus consequantur subsidium, quo eorum ulteriori manutentioni queant prospicere, propterea que plurimum cupiant eis per Nos et Sedem apostolicam benigne ut infra provideri. Si igitur sicut eadem expositio subjungebat perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione sanctae Venerandae in saeculari et forsan insigni collegiata ecclesia ejusdem terrae, quod per obitum quondam Vincentii Procaceini illius, dum viveret, ultimi possessoris extra romanam curiam defuncti ad praesens vacat apostolica auctoritate perpetuo supprimeretur et extingueretur omniaque et singula praefati beneficii sic, ut praefertur, supprimendi et extinguendi bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates et emolumenta quaecumque praefata domui regulari perpetuo quoque applicarentur aliaque per Nos et Sedem praefatam ut infra fierent et ordinarentur, ex hoc profecto magis congruae exponentium praefatarum sustentationi aliqua in parte provideretur, ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus ipsis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

§. Nos igitur easdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id vocandi, beneficium praefatum, quod pro tempore obtinenti nonnullas missas quolibet anno in praefata collegiata ecclesia celebrandi aliaque adimplendi respectiva onera incumbunt, ac cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus non deductis illius oneribus septemdecim ducatorum auri de camera et juliorum duorum monetae romanae praedictae cum dimidio alterius julii similis, illis vero deductis decem ducatorum auri parium et juliorum quinque monetae praedictae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona seu liberam resignationem dicti Vincentii, vel cujusvis alterius de illo in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Latera-

nensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, dictumque beneficium dispositioni apostolicae specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat et de caetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, impetrari aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illud ullo unquam tempore conferri aut impetrari aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae et invalidae nulliusque roboris vel momenti existant neminique suffragentur nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant apostolica auctoritate praefata tenore praesentium et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas.

§. 4. Illisque sic suppressis et extinctis omnia et singula praedicti beneficii ut praefertur suppressi et extincti bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates et emolumenta quaecumque, praevia perpetua translatione onerum praefatarum missarum hactenus in praedicta collegiata ecclesia celebrari solitarum ad praedictae regularis domus ejusdem congregationis ecclesiam, ubi presbyter ab ipsis exponentibus deputandus praedictas missas dicto beneficio ut praefertur inhaerentes pro fovenda cum majori commodo et absque ullo impendio spirituali ipsarum devotione ex nunc deinceps celebrare debebit eidem domui regulari, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis et pro existentibus praedictae regularis domus religiosis mulieribus oblatis per se vel alium seu alios proprio dictaeque regularis domus nomine omnium et singulorum dicti beneficii patronorum suppressi et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditunm, proventuum et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere dictaque bona, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus et proventus, jura, obventiones et emolumenta praedicta percipere, exigere, levare ac supportatis tamen prius per eas praedictis missarum in praedicta earum ecclesia, ut praefertur, celebrandarum aliisque dicti beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti oneribus in proprium cujuslibet earum manutentioni dictaeque domus regularis hujusmodi subsidium convertere et erogari dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate praedicta earumdem tempore praesentium perpetuo quoque applices et appropries.

§. 5. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, appropriationem aliaque per te praesentium vigore fieri contigerit ut praefertur easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut alias contrariis dispositionibus etiam per Nos et successores Nostros romanos Pontifices pro tempore existentes sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi et quoties illae emanabunt toties in pristinum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quocumque posteriori data quandocumque eligendo concessas esse suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 26. Augusti 1806.

(Bull. rom. Contin. t. XIII. p. 45. Edit. Romae.)

Applicatio bonorum suppressi beneficii sub invocatione sancti Georgii civitatis s. Elpidii favore sororum oblatarum sub regula sancti Franzisci Salesii ejusdem civitatis.

Dilecto filio Nostro Caesari
S. R. E. presbytero Cardinali Brancadoro
nuncupato ex concessione
et dispensatione apostolica
metropolitanae ecclesiae Firmanae Archiepiscopo.

Leo PP. XII.

Dilecte fili Noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. De puellarum institutione, qua et bonitatem et disciplinam et artes pro sui sexus conditione apprime edoceantur maxime solliciti pontificiam indulgentiam libenter intendimus ad ea comparanda, quibus ipsam apte induci et confoveri dignoscimus.

§. 2. Quare cum dilectae in Christo filiae sorores oblatae nuncupatae, quae regulis sancti Francisci Salesii ut asserunt insistentes haud ita pridem coivere in terra s. Elpidii istius Firmanae dioecesis ibique ad puellas pie informandas instituendasque assiduam atque utilem operam impendunt, a fel. record. decessore Nostro Pio VII. postulaverint, ut beneficii simplicis sub invocatione s. Georgii eodem in oppido erecti, ac per obitum Episcopi tunc temporis Ripani vacantis fructus centum ducatorum auri de camera valorem ut asseritur non excedentes sibi tribueret necnon translationem omnium onerum eidem beneficio adnexorum in ipsarum ecclesiam indulgeret, quarum postulationibus ipse summus Pontifex annuendum censuerit, datis in id literis apostolicis in simili forma brevis sub die tertia Augusti anni millesimi octingentesimi decimi quarti, cumque sublatis in praesens difficultatibus quibus optata hujus beneficentiae executio praepedita hactenus fuit, eaedem dilectae in Christo filiae a Nobis id iterum suppliciter efflagitarint,

§. Nos qui probe novimus, qua sedulitate, fide ac prudentia in praestitum sibi finem praedictae oblatae sorores collaborent, decrevimus earumdem precibus obsecundare, eo etiam consilio, ut ex pontificia hac liberalitate Nostra simul tum memoratis sororibus tum caeteris quibusque id in operis connitentibus admoveantur; quapropter eas exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati suppresso penitus, sublato et extincto titulo collativo praedicti simplicis beneficii s. Georgii circumspectioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut omnia et singula bona, jura, redditus et proventus ejusdem simplicis beneficii cum suis obligationibus et oneribus piae domui dictarum sororum perpetuum in modum auctoritate Nostra apostolica attribuas, assignes et unias, ut inde census ad ipsarum tuitionem necessarius augeatur; ea tamen lege ut onera missarum quibus beneficium illud obnoxium erat in earumdem ecclesiam transferantur ibique accurate impleantur. Omnes idcirco facultates in eam rem necessarias et opportunas eadem auctoritate tibi dilecto filio Nostro tenore praesentium conferimus et impertimur. Nobis interea reservantes regulas et constitutiones pii hujusmodi instituti post opportunum examen approbare.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 16. Novembris 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 284. Edit. Romae).

f) In commodum parochorum.

Vd. p. 370. n. 15. a.

Suppressio simplicis beneficii a divis Marco et Mantio nomen habentis erecti in ecclesia parochiali s. Petri prope Caesenam et distributio bonorum ad illud spectantium in levamen parochorum ejusdem civitatis.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. Sollicitudines inter graves atque multiplices, quibus ob curam omnium ecclesiarum Nobis a Deo impositam angimur, illa est non mediocris parochis consulere, quorum plurimi vel ipsi per se vel per Episcopos in quorum dioecesibus paroecias obtinent Nobis dolenter exponunt, redditus suos non eam summam, rationibus subductis, conficere, quae satis sit muneri suo pro dignitate tuendo quaeque consuetudine vel synodorum sanctionibus definitur.

§. 2. E quorum numero parochus ecclesiae doctrinae christianae, quae Caesenae assurgit, esse narratur, cujus paroeciae, modicis vectigalibus instructae, id etiam accidebat olim incommodi, ut ignobili templo uteretur. Ac Pius quidem VII. Praedecessor Noster, qui perpetuo flagrans studio divini cultus tam multa Romae et in aliis urbibus pontificiae ditionis aut diuturno neglectu aut injuria vetustatis collabentia templa restituit, liberalitatem suam erga paroeciam intra cujus limites gens Claramontia commoratur desiderari minime est passus. Novam igitur ac perelegantem doctrinae christianae ecclesiam Caesenae extruendam curavit, qumque extinctus est morte christianae reipublicae luctuosa, opus strenue coeptum atque promotum valde processerat. Illud quoque optimus ac beneficentissimus Pontifex ver-

sabat animo, sacrum augere patrimonium tum parochi illius ecclesiae tum aliorum parochorum ejusdem dioecesis, qui se pariter necessariis in sumptus redditibus carere conqueruntur. Jamque negotium dederat venerabili fratri Episcopo Caesenatensi, ut rationem excogitaret sibique proponeret, qua inopiae parochorum illorum posset occurri. Qua de re venerabilis idem frater Episcopus post Pii decessum Nobiscum egit ac Nobis exposuit, quid consilii capiendum putet, ut, quamvis dilato, opportuno tamen praesidio eorum egestas aliquando levetur.

§. 3. Nos ergo iis, quae proposita sunt, ad trutinam vocatis, quamvis ecclesiastica beneficia integra ac sarta manere cupiamus, quia tamen, quum agitur de alimonia sacrorum pastorum, secundi etiam ordinis, agitur de aeterna salute gregis eorum vigilantiae commendati, ac quia nihil antiquius ac potius ea Nobis salute esse debet, auctoritate apostolica decernimus atque sancimus, ut beneficium simplex, a divis Marco et Mantio nomen habens erectumque in ecclesia paroeciae sancti Petri prope Caesenam inque illius suburbio, quod beneficium ex collatione hujus apostolicae Sedis obtinetur modo a dilecto filio presbytero Constantino Bonini, cum primum ob illius obitum vel alia quavis de causa rectore carebit, suppressum extinctumque habeatur, prout jam nunc, futurae vacationis prospectantes in tempus, beneficium Nos illud supprimimus, abolemus, extinguimus. Ejus vero bona ac fructus, quum rectore destituetur, levandae egestati parochorum dioecesis Caesenatensis addici volumus, ita tamen, ut primum ratio habeatur parochi ecclesiae sanctae Christinae. Quapropter e praedicti beneficii bonis eos illi fundos dari attribuique mandamus, qui peritorum virorum judicio tantum annui fructus suppeditare posse credantur, quantum ei parocho ad congruam, ut vocari solet, annuam portionem assequendam deest. Administrationem autem reliquorum bonorum beneficii, de quo agitur, volumus a venerabili fratre Antonio Maria Episcopo Caesenatensi ejusque successoribus tradi viro cognitae sibi integritatis ac fidei, a quo dati et accepti rationes poscent, ac cui alios administratores poterunt quum opportunum factu videbitur subrogare. Caeterum venerabilis frater Antonius Maria jam nunc pro sua aequitate decernet, quum rectore carebit, ab aliis parochis dioecesis Caesenatensis sit percipienda, quique inter eos parochos interea sint subsidio juvandi. Item statuet atque decernet, quota pars onerum beneficii, a parocho sanctae Christinae sit explenda quaeque a caeteris parochis, qui ex ejus bonorum fructibus emolumentum capient.

§. 4. Nos enim, ut haec omnia gerere legitima cum potestate possit, venerabilem fratrem Antonium Mariam apostolicis Nostris facultatibus ornamus, instruimus, quaecumque illi usui esse possint ad negotium hujusmodi conficiendum, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 24. Februarii 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 25. Edit. Romae.)

g) In commodum pauperum Patronorum.

Vd. *Benef.* (suppressio in simplicem missarum celebrationem; nominationis suspensio in favorem patroni etc. p. 717. β.)

Suppressio trium beneficiorum de jurepatronatu familiae Biandrate sancti Georgii loci di Fuglizzo dioecesis Ipporegiensis.

Venerabili fratri
Archiepiscopo Taurinensi administratori
Ecclesiae Ipporegiensis auctoritate apostolica deputato.

Pius Papa VII.
Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius comes Guidus Biandrate sancti Georgii loci di Fuglizzo nuncupati istius Ipporegiensis dioecesis, se post obitum bo. me. abbatis Leonis di Biandrate possessorem evasisse, prout asserit, cujusdam capellaniae laicalis Pietatis nuncupatae ac quinque ecclesiasticorum simplicium beneficiorum, sub titulo *Reginae Coeli* et *Visitationis* ac sub invocatione sancti Georgii, sancti Christophori et sancti Francisci erectorum, quorum bona cum transactis perturbationibus injustae depraedationi fuerint obnoxia, ipsum pro illorum recuperatione non exiguam summam impendisse, ac dein, ut aes alienum, quo ob notissimas temporum vicissitudines sua familia erat oppressa, persolvere posset, praeter magnam partem patrimonialium bonorum illa etiam, quae ad beneficia sancti Francisci, visitationis et capellaniae Pietatis pertinebant, distrahere coactum fuisse, nunc facti poenitentem, impetrata alias a Nobis absolutione a censuris poenisque ob lapsum hujusmodi incursis, humiliter exposcere, ut tria beneficia sub invocatione Reginae Coeli, Visitationis et sancti Georgii et capellania laicalis praedicta supprimantur illorumque bona patrimonio exponentis incorporentur; alia vero duo sub invocatione sancti Christophori et Francisci subsistant atque permaneant, aucta eorumdem dotatione ex praedicti exponentis patrimonio.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum consilio fraternitati tuae utpote administratori Ipporegiensis ecclesiae legitime a Nobis deputato per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis ad suppressionem trium beneficiorum sub invocatione Reginae Coeli, sancti Georgii et visitationis necnon laicalis capellaniae praedictae incorporatis bonis patrimonio exponentis, dummodo alia duo beneficia sub invocatione sancti Christophori et sancti Francisci subsistunt et permaneant, et praeter eorumdem dotem in erectione constitutam novus alter redditus libellarum bis centum pro unoquoque beneficio ex ejusdem exponentis patrimonio constituatur et adjungatur assignato fundo sufficienti ac libero et a caeteris familiae bonis segregato atque diviso auctoritate Nostra apostolica pro arbitrio et conscientia devenias illamque ut supra exequaris.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 6. Julii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 237. Edit. Romae.)

h) In commodum sacrarii ecclesiae.

Vd. *Benef.* (applicatio bonor. in usum sacrarii p. 382. f.)

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione sancti Joannis erecti in ecclesia collegiata terra Serviliani Firmanae dioecesis et applicatio bonorum in applicationem sacrarii ejusdem Collegiatae.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris Archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.
Dilecte fili.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pastoralis officii Nostri debitum exposcit, ut Nos ad ea, per quae collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, quae ob passas temporum vicissitudines aliqua detrimenta pati comperiuntur, necessitatibus opportune consulitur, libenter intendamus ex his quae ad mala hujusmodi facienda magis apta expedire videantur favorabiliter annuere non dedignemur.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum capituli et Canonicorum saecularis et insignis collegiatae ecclesiae sancti Marci oppidi Serviliani Firmanae dioecesis expositio continebat, quod cum sacrarium dictae collegiatae ecclesiae, licet annuam summam triginta scutorum monetae romanae pro sua dotatione habeat constitutam, quae quidem alias pro eo quod illud tum sacris suppellectilibus et vaseis et argenteis, linteis aliisque ad divinum cultum satis superque instructum reperiebatur, satis erat pro illius manutentione sufficiens, ad praesens tamen ob communes calamitates retractorum temporum ac depopulationes, quibus illarum partium oppida atque loca et praesertim oppidum primo dictum respective fuerunt obnoxia et quarum causa dictum sacrarium praemissis omnibus ad rem divinam pertinentibus penitus despoliatum extitit, ad supplendum expensis pro illarum sarcitione ac renovatione occurrentibus penitus impos omnino evasisse dignoscatur. Cum summa hujusmodi gravibus quibusmodo subest oneribus haud respondeat ac capitulum et Canonici praefati ex suarum praebendarum fructibus, redditibus et proventibus modici quidem valoris praemissis ejusdem sacrarii indigentiis occurrere teneantur, secus vero perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione sanctorum Joannis et Joannae in praefata collegiata ecclesia per obitum Philippi Rossi apud Sedem apostolicam defuncti aut

alias certo alio modo vacaverit et vacet ad praesens, hujusmodi beneficii vacatio opportunam eisdem exponentibus praebuit occasionem certamque spem, ut urgentibus praefati sacrarii necessitatibus praedictis aliqua in parte possit provideri. Si itaque sicut eadem expositio subjungebat praefatum beneficium perpetuo ut infra supprimeretur et extingueretur illoque sic suppresso et extincto omnia et singula illius bona, jura, fructus, redditus, proventus, obventiones, emolumenta quaecumque praedicto sacrario itidem perpetuo, ut infra, applicarentur et appropriarentur aliaque infrascripta per Nos ac Sedem apostolicam pariter ut infra fierent et ordinarentur ex hoc profecto sacrarium ipsum illius redditibus adauctis propria manutentione prospicere possit atque providere unaque simul relevamen aliquod capitulo et canonicatibus praedictis tribueretur, ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes praedicti, quatenus eis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint ad id vocandi beneficium praedictum cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus etiam non deductis illius oneribus ducatorum auri de camera et juliorum quatuor monetae romanae cum dimidio alterius julii similis secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona seu per liberam dicti defuncti vel cujusvis resignationem de illo in dicta curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta dictumque beneficium dispositioni apostolicae specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat et de caetero ubi tale in titulum quavis auctoritate conferri aut impetrari vel alias de illo quomodolibet disponi contigerit, collationes, impetrationes et quaevis aliae dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae et invalidae nulliusque roboris vel momenti existant neminique suffragentur nec cuiquam jus vel coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas illoque sic suppresso et extincto omnia et singula dicti beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti bona, loca, res, proprietates, fructus, redditus, proventus et emolumenta quaecumque, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis et pro tempore existentibus capitulo et Canonicis dictae collegiatae ecclesiae per se vel alium seu alios ejusdem sacrarii nomine omnium et singulorum praefati beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditüum, proventuum et emolumentorum praefatorum veram realem, actualem et corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere dictaque bona, jura, res et proprietates locare, dislocare, arrendare omnesque et singulos illius fructus, redditus et proventus praedictos quomodolibet et undecumque provenientes et in quacumque re consistentes percipere, exigere, levare ac supportatis tamen prius per praedictos exponentes, ut praefertur, modernos et pro tempore existentes dictae collegiatae ecclesiae capitulum et Canonicos praedictis aliisque omnibus et singulis dicti beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti oneribus, residuales illius fructus, redditus et proventus in augumentum reddituum sacrarii praedicti in sarcitionem ac renovationem sacrarum suppellectilium aliorumque ad divinum cultum pernecessariorum aliosque ejusdem sacrarii usus et utilitatem convertere et erogare, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari apostolica auctoritate Nostra earumdem tenore praesentium applices et appropries.

§. 4. Nos enim, si suppressionem, extinctionem, applicationem et appropriationem hujusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos et Successores Nostros romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes capitulum et Canonicos dictae collegiatae ecclesiae quandocumque eligentes concessas esse et fore suosque plenarios integrosque effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 6. Julii 1806.

(Bull. rom. Continuat. t. XIII. p. 30. Ed. Romae.)

i) In commodum Seminarii.

Vd. *Benef.* (applicat. bonor. in usum seminarii p. 374. d.; 381. e.)

Dotatio seminarii episcopalis civitatis sancti Hippoliti nuncupatae facta ex suppressione nonnullorum beneficiorum et legatorum missarum.

Venerabili fratri
Joseph Godefrido
Episcopo sancti Hippolyti.
Pius PP. VII.
Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Clericorum seminaria, in quibus adolescentes in sortem Domini vocati optimis moribus et disciplinis informantur, ut ipsi ineunte tempore ad sacros ordines promoti salutis viam christiano populo verbo et exemplo ostendant, non modo pastoralem omnem Episcoporum, sed Nostram quoque curam requirunt; ideo Nos universo Dominico gregi nullis Nostris suffragantibus meritis praesidentes, quae pro seminariorum hujusmodi praesidio et incremento necessario aut opportuna videntur, libenter, quantum cum Domino possumus, impertimur.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper fraternitatis tuae nomine fuit expositum, ex pia carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris et Hungariae regis apostolici munificentia episcopale seminarium in ista sancti Hippolyti civitate fuerit extructum cumque ad illud sufficienter dotandum minime tibi satis sint facultates a sacrosancto Tridentino Concilio Ordinariis ad id constitutae, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem fraternitati tuae beneficia ecclesiastica simplicia personalem residentiam non requirentia itemque missarum legata aliasque piorum operum perpetuas fundationes (non tamen illa de jurepatronatus, nisi de legitimorum patronorum consensu) quae suo careant rectore ad eum usque numerum et quantitatem, quae satis esse dignoscantur pro sufficienti dicti seminarii dotatione constituenda dumtaxat, perpetuo supprimendo illorumque bona, redditus et proventus eidem episcopali seminario applicandi, uniendi et incorporandi, necnon omnia et singula ex lege fundationis beneficiis aliisque piis institutionibus praedictis adnexa missarum aliorumque operum onera alio in perpetuum transferendi post suppressionem et incorporationem hujusmodi factam et commutandi in alia pia opera, ac etiam pro data tibi a Domino prudentia perpetuo imminuendi et reducendi plenam et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur. Nos enim respectivis beneficiorum ac missarum legatorum aliorumque piorum operum fundationibus, legibus et conditionibus ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse auctoritate et tenore praedictis decernimus

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 23. Januarii 1807.

(Bull. r. Contin. t. XIII. p. 89. Edit. Romae.)

Suppressio beneficii ecclesiastici sub titulo sancti Petri in civitate Urbinatensi et incorporatio bonorum favore seminarii episcopalis ejusdem civitatis cum nonnullis conditionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Clericorum seminaria, ubi adolescentes in sortem Domini vocati ad religionem et bonas artes informantur, ut ipsi postea ad sacros ordines promoti verbo et exemplo

salutis viam laicis ostendant, non modo pastoralem Episcoporum curam efflagitant, sed Nos quoque movent, ut ea, quae utilitatem et commodum seminariorum hujusmodi respiciunt, libenter concedamus.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Spiridion Archiepiscopus Urbinatensis seminarium illud dioecesanum sufficientibus redditibus esse destitutum. Cum autem ibi extet unum jamdiu vacans beneficium curatum sub titulo s. Petri vulgo de Marciolla, cujus annuus redditus per fel. rec. Pium VI. Praedecessorem Nostrum ad quinquennium tunc proximum tantum fabricae metropolitanae ecclesiae fuerat addictus et successive per Nos die 5. Aprilis 1805 ad aliud tunc proximum quinquennium pariter assignatus, addita facultate eidem Archiepiscopo aliquam redditus hujusmodi partem erogandi in subsidium ejusdem ecclesiae sacristiae, quae in notissimis Italiae vicissitudinibus ob validam illius civitatis resistentiam adgressoribus factam rebus omnibus pretiosis, ac tandem vel ipsa metropolitica aurea rosa, quam antea Archiepiscopus diligenter et cum sui periculo occultaverat, spoliata remansit, cumque idem Archiepiscopus pro eo quo in bona senectute adhuc fervet pastorali zelo, dicto seminario sufficientibus redditibus carenti dictaeque sacristiae ob nonnullorum et fundorum deperditionem extrema sacrarum supellectilium inopia laboranti per Nos et hanc s. Sedem prospici vehementissime cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsum Archiepiscopum in suo laudabili proposito, quantum cum Domino possumus, confovere volentes ac tam ipsum quam reliquas singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, sistatum ac reliquum concessionis praedictae per Nos ad quinquennium factae tempus expiraverit, memoratum sancti Petri beneficium cum omnibus et singulis ejus redditibus et pertinentiis universis, exceptis proventibus stolae, ut vocant, qui semper pro infrascripto capellano curato remaneant, eidem seminario dioecesano Urbinatensi auctoritate apostolica tenore praesentium ex nunc, prout ex tunc, et e contra addicimus in perpetuum et assignamus atque addictum assignatumque esse et fore decernimus ac declaramus, cum sequentibus tamen legibus et ditionibus, sine quarum singulis nunquam huic concessioni fuisset locus; ideoque vel una earum inexpleta remanente tunc praesentem gratiam eo ipso cessasse edicimus.

§. 4. Conditiones autem sunt:

I. Onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa indispensabiliter et in perpetuum adimpleantur.

II. Instituatur perpetuus et inamovibilis capellanus curatus animarum curam gerens, cui cedant singula stolae jura et alii quicumque similes parochiales proventus, ac eorum reservata remanente ex beneficii hujusmodi redditibus congrua quinquaginta scutatorum annuorum dictae monetae romanae praecipua et libera ab omni alio onere illarum quoque missarum, quae pro populo applicari debent. In casu autem morae solutionis hujusmodi ipsemet capellanus curatus ex ejusdem beneficii redditibus per se ipsum dictam pecuniae summam auferat sine ulla praevia judiciali interpellatione.

III. Quidquid ex redditibus supererit expletis oneribus impendantur dictae sacristiae donec et quoad tantum conficiatur nova rosa aurea metropolitica pondere et labore mediocris.

IV. Qua rosa confecta redditus praedicti in seminarii subsidium integri convertantur, ita tamen, ut praeter memorata onera solvat scutata annua quinquaginta in perpetuum sacristiae praedictae.

V. Seminarii rector vel quivis alius de more deputatus realem et corporalem bonorum ad dictum beneficium spectantium possessionem nomine ipsius seminarii adipiscatur ac singulis annis rationem separatam hujusmodi redditum reddat nunc et pro tempore existenti Archiepiscopo, cujus conscientiam oneramus, ut ex hujusmodi parochialis beneficii redditibus quidquam eleemosynae pauperibus ejusdem parochiae annuatim distribuatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 13. Februarii 1807.

(Ibid. p. 95.)

k) Consensus interessentium.

Vd. *Benef.* (suppress. in erectionem commendae etc.)

Quae respiciunt canonicatuum suppressionem haud praetereundum est, duo ad utrumque perficiendum requiri, consensum nimirum eorum, quorum interest, et necessariam causam, *cap.: Tua nuper de his, quae fiat a Praelat.*, Concil. Trident. *sess. 7. cap. 6. de reform.* et sac. Congregatio in *Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.*

l) In erectionem commendae Ord. Hierosolymytani.

Supprimitur quoddam ecclesiasticum beneficium in civitate de Essing Ratisbonensis dioecesis existens ad effectum fundandi seu erigendi quintam praeceptoriam seu commendam ecclesiasticam linguae Anglo-Bavarae hospitalis s. Joannis Hierosolymitani.

Pius VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Nuper pro parte dilectissimi filii Nostri Caroli Theodori comitis palatini sacri romani imperii Principis Electoris ac Ducis Bavariae Nobis humiliter expositum fuit in oppido civitate nuncupato de Essing in ducatu Bavariae Ratisbonensis dioecesis vulgarem ac perantiquam traditionem esse, ut comites de Abensbergh ab anno usque millesimo tercentesimo sexagesimo septimo unius capituli ex sex Canonicis et uno Decano fundationem seu erectionem meditati sint, ac etiam, ut fertur, quaedam bona in hanc causam assignaverint. Ab jamdiu defecta hac familia de Abensbergh quaevis capituli hujusmodi fundatio interrupta fuit ac duces Bavariae pro tempore existentes, qui, ut asseritur, in juribus ejusdem familiae successerant, bonorum, quae huic fundationi fuerunt attributa, administrationem clericis regularibus tunc vigentis societatis Jesu commendarunt: quae quidem administratio cum penes eosdem clericos regulares semper fuerit usque ad ipsius societatis suppressionem et extinctionem, hinc factum est, ut haec cum aliis bonis ad dictam extinctam societatem Jesu pertinentibus in vim donationis omnium bonorum hujusmodi a memorato Carolo Theodoro Duce hospitali s. Joannis Hierosolymitani pro erectione novae linguae Anglo-Bavarae ejusdem hospitalis auctoritate apostolica factae in dicti hospitali possessionem venerint, ac difficilis sit provinciae post tot retro saecula, quaenam sint bona ad dictam fundationem assignata, quinam fuerit illorum fructuum usus authenticis documentis probare: hoc unum tamen constat fructus bonorum hujusmodi minimi esse valoris ac vix ad annuos florenos quatuor centum ad summum ducentena monetae romanae ascendere, ideoque omnino impares, ut memoratum capitulum ex eis constitui possit, hinc ad inducendam quamdam aequalitatem seu proportionem inter praeceptorias seu commendas militares ex una, et praeceptorias seu commendas ecclesiasticas linguae et hospitalis praedictorum ex altera parte, memoratus Carolus Theodorus Dux quintam praeceptoriam seu commendam ecclesiasticam ejusdem linguae ex bonis hujusmodi erigere posse desideret: immo cum eorumdem bonorum redditruum tenuitati supplere in votis habeat ac nuper in eodem oppido civitate nuncupato de Essing vacans reperiatur beneficium ecclesiasticum decanatus nuncupatum curam animarum adnexam habens de jurepatronatus uti asseritur ejusdem hospitalis veluti in bonis extinctae societatis Jesu successoris, attento dilecti filii magni magistri dicti hospitalis aliorumque, ad quos spectat, *consensu*, beneficium ecclesiasticum hujusmodi, constituto vicario perpetuo, cui curam animarum illi adnexam incumbat, eique assignata congrua annua pensione, per Nos supprimi et extingui, bona vero, fructus, redditus ac proventus quoscumque ejusdem beneficii ecclesiasticae erigendae praeceptoriae seu commendae linguae, et hospitali praedictorum perpetuo incorporari ac uniri pariter summopere exoptet: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Caroli Theodori Ducis votis quantum cum Domino possumus annuere volentes ac cujuscumque dispositionis ac etiam ultimae voluntatis eorumdem comitum de Abensbergh integrum tenorem, quatenus opus sit, pro expresso ac de verbo ad verbum inserto habentes, supplicationibus hujusmodi inclinati motu proprio ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine in primis memoratum ecclesiasticum beneficium curam animarum adnexam habens, decanatus nuncupatum, in dicto oppido civitate nun-

cupato de Essing Ratisbonensis dioecesis, ut praefertur, fundatum illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam et essentiam beneficii collativi, ita ut deinceps ac perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat ac de caetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri aut impetrari vel alias de illo quovis modo disponi nullatenus unquam possit, tenore praesentium perpetuo supprimimus et extinguimus ac suppressum et extinctum fore et esse statuimus atque decernimus. Bona vero omnia eorumque fructus, redditus ac proventus quoscumque tum ad ecclesiasticum beneficium praedictum decanatum nuncupatum tum ad memoratam capituli fundationem seu fundationem quintae praeceptoriae seu commendae ecclesiasticae linguae et hospitalis praedictorum motu, scientia et auctoritate praedictis unimus et applicamus et unita ac applicata perpetuo fore et esse decernimus atque declaramus.

§. 3. Volumus autem ac motu, scientia et auctoritate pariter praedictis ordinamus ac mandamus, ut ex bonis alias ad suppressum hoc beneficium ecclesiasticum decanatum nuncupatum pertinentibus et spectantibus annua congrua florenorum quatuorcentum monetae bavaricae seu scutorum centum sexaginta monetae romanae a praeceptore seu commendatario ecclesiastico ejusdem erigendae praeceptoriae seu commendae pro tempore existente vel ab illius administratore, ea vacante, sine mora vicario perpetuo loco parochi seu decani constituendo, qui curam animarum eidem suppresso et extincto beneficio alias adnexam gerat, persolvenda constituatur.

§. 4. Quocirca venerabili fratri Julio Caesari Archiepiscopo Athenarum Nostro et apostolicae Sedis apud eumdem Carolum Theodorum Ducem Nuntio per praesentes committimus ac mandamus, ut ecclesiasticum beneficium praedictum suppressum et extinctum esse et fore auctoritate Nostra apostolica statuat atque decernat: utque omnia bona, fructus, redditus et proventus quoscumque tum ad piam dicti capituli fundationem quomodolibet spectantia et pertinentia eidem erigendae praeceptoriae seu commendae ecclesiasticae linguae et hospitalis praedictorum auctoritate et tenore praedictis perpetuo uniat et applicet ac unita et applicata esse et fore declarat; ac tandem constitutionem vicarii perpetui praedicti, qui curam animarum loco dicti decani gerat, cum jam praefixa annua congrua pensione ex bonis dictae praeceptoriae seu commendae sine mora persolvenda curet et studeat. Nos enim Julio Caesari omnem et quamcumque ad praemissa omnia et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi et exequendi ac exequi mandandi facultatem motu, auctoritate et tenore praedictis tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 5. Decembris 1794.

(Bull. r. Contin. t. IX. p. 429. Edit. Romae)

m) In erectionem parochiae.

Vd. *Parochia* (erectio). *Dismembratio.*

Verulana.

Verularum Episcopus die 31. Augusti superioris anni supplicem SSmo Patri libellum obtulit, quo et mala patefecit, quibus obnoxium est curae animarum regimen in Verulana ecclesia ob deficientiam parochiarum in agro illius regionis, et remedia quae ratus est opportuniora proponens enixe Sanctitatem Suam rogavit, ut ea benigne approbare dignaretur. Exposuit itaque Episcopum Rossi, jam tum ab anno 1792, a f. m. Pio VI. apostolicam bullam obtinuisse qua statuebatur, ut tum in cathedrali ecclesia s. Andreae tum in collegiata s. Erasmi tum etiam in alia collegiata s Pauli, habituali penes capitulum permanente, actualis cura animarum exerceretur a tribus Canonicis curatis, uno in quolibet capitulo, iisdemque tribus Canonicis curatis tres adjungerentur Vice-Parochi, qui licet ad nutum capituli eligi deberent ab Episcopo tamen approbandi forent et propriis parochis essent obnoxii.

Cum vero iidem tres parochi fideles quoque haberent in territorio commorantes, ita statutum est, ut pro tribus pagis s. Franciscae scilicet, Collisberardi et s. Angeli in villa tres nominarentur capellani rurales sacerdotes et confessores ab eodem Episcopo pro cura animarum approbandi, ad nutum tamen capituli amovibiles et a parochis dependentes, addita eisdem ruri permanenter residendi obligatione. Horum substentationi praeter collectam in pagis fieri solitam adsignata sunt annua quadraginta scutata, quae capellano s. Franciscae a duobus Canonicis s. Erasmi, capellano tandem s. Angeli a Canonicis s. Pauli rependerentur.

Hac animarum curae gerendae ratione constituta fidelibus quidem civitatis consultum esse ait Episcopus, non ita vero villicis aliisque in agro commorantibus, ubi plurima eaque gravissima incommoda superfuerunt. Nam ex duodecim animarum millibus, quibus civitas Verularum constat, septem et amplius millia amplum, satis alpestre ac praeruptum incolunt territorium. Dum ergo septem parochi una cum supramemoratis tribus coadjutoribus spirituali civium curae advigilant, nonnisi tres tantum capellani agricolarum caeterorumque in territorio commorantium necessitatibus addicti sunt; ex quo fit ut magna rusticorum pars, ii praesertim qui regionem s. Josephi accolunt spirituali pabulo destituantur. Existunt quidem in agro duae religiosorum domus, monasterium nempe vulgo di Casamari et Redemptoristorum familia in loco vulgo dei Scifelli, quae magno sunt animabus bono, aliaeque pariter in eodem agro reperiuntur ecclesiae, quarum septem tantummodo festivis diebus cultui divino patent, quibusdam ad ipsas sese conferentibus sacerdotibus missam celebraturis, collecta inter villicos eleemosyna: in ceteris ecclesiis Divina vix aliquibus festis diebus aestivo tempore peraguntur. Contingit ergo, ut plures in vasto territorio commorantes verbum Dei a parocho non audiant, careant cathechismo, ignorent vigilias et festivitates de praecepto, denunciationibus matrimonialibus non intersint et maxima ignorantia laborent, vix Sacrum festis diebus audituri, nisi magno incommodo civitatem adeant, quod nec semper nec ab omnibus fieri posse manifestum est.

Nec minora his incommoda Episcopus conqueritur in illis etiam ecclesiis, quae a superius enunciatis capellanis reguntur. Licet enim capellani fidelium confessiones excipere, doctrinam christianam tradere, evangelii explicationem peragere teneantur, nihilominus cum pastores non sint, sed potius mercenarii, quorum non sunt oves propriae, cumque eousque sese abjicere cogantur, ut ad propriam substentationem quaestum facere ostiatim debeant apud illos ipsos, quos monere, redarguere et intelligere, quantopere a villicis contemnantur et in qua perdifficili vel etiam periculosa conditione versentur. Non ipsis praeterea baptizandi jus est, non matrimoniis assistendi, non tumulandi facultas. Coloni ergo saepe, cum horret hyems, cum furit imber, cum aestu geluve squallet tellus, ex locis usque ad septimum lapidem a civitate distantibus urbanum parochum adire coguntur. Quae omnia quanto sint incommodo mulieribus praegnantibus, neonatisque infantibus baptizandis et quam periculosam scandalorum occasionem praebeant sponsis civitatem adeuntibus et inde redeuntibus nemo est, qui non videat. Quod si contingat, ut aliquis morbo correptus ad civitatem vehi nequeat rurique decedat, cadaver ipsius quasi saxum informe vel lignum super scala tumulandum deferri solet. Cum vero de vita et moribus ruricolarum non capellani, sed parochi in civitate degentes testimonia dare debeant, ignorant ii plerumque, quam vitam illi vivant, quosve mores ducant, quae omnia a capellanis exquirere coguntur, qui persaepe eadem et ipsi ignorantia laborant.

Aliud praeterea malum Episcopus patefacit, nec minus profecto grave, immo et gravissimum, quod inde procedit, quod parochialis jurisdictio in territorio nullis certis limitibus circumscribatur, sed determinetur solummodo per domum, quam vel propriam vel conductam agricolae retinent in civitate, ut in eadem seu morbo seu alio quovis infortunio correpti recipiantur. Modo propterea uni, modo alteri parocho subsunt, prout ipsi diaetam permutare velint vel cogantur, et in eadem rustica habitatione reperiuntur etiam qui diversis parochis subjecti sunt; unde nec certus animarum status confici valeat ac dignosci queat ab ipsis parochis, utrum eorum parochiani satisfecerint necne paschali praecepto, cum sacramenta in ecclesiis ruralibus omnibus indistincte ministrentur, neque ab iis consuetae paschales cedulae exquirantur.

Tot ergo gravissimis incommodis ut remedium aliquod afferatur, Verularum Episcopus vehementer cupiens, studio etiam ipsorum agricolarum, qui collectam quasi decimam pro parochiarum dote se sponte ferre promittunt, a Smo Patre suppliciter petiit, ut in pago s. Franciscae seu s. Mariae in caelum assumptae, s. Michaelis Archangeli in regione, quae vulgo audit Sant' Angelo in villa, atque in pago s. Josephi, distinctae ab urbanis verae et proprie dictae parochiae constituantur.

Ea regionis pars, quae a s. Francisca nomen habet, juxta praesentes limites 2500 incolas complectitur; satis amplam ecclesiam cum sepulturis domumque parocho sufficientem possidet. Ecclesia quatuor circiter milliariis a civitate distat villicorumque domus per extensum et montuosum agrum disseminatae reperiuntur, ita ut remotiores incolae a civitate septem et ab ecclesia tribus absint, propinquiores autem uno circiter ab ecclesia lapide, duobus a civitate distent. Capèllani redditus ex quibusdam missarum legatis, ex collecta et ex pensione per memoratam bullam Pii VI. constitutam ad annua circiter 180 scutata perveniunt. Cum vero coadjutorem sibi adsciscere et cultus impensas sustinere teneatur, scutata 110 ab omnibus oneribus libera consequitur capellanus, qui a cathedrali capitulo nominatur et sub dependentia manet parochi illius ecclesiae; in suo tamen pago fideles aliarum omnium civitatis parochiarum reperiuntur.

In medio illius regionis existit ecclesia s. Mariae de consolatione a Colleberardo nuncupata, quae adnexam habet capellani domum et satis capax est ejusdem regionis incolis recipiendis, qui mille circiter numerantur Remotiores quidem quinque milliariis viciniores duobus cum dimidio a civitate distant; ab ecclesia vero nonnisi mille et quingentis passibus separati sunt, qui magis procul reperiuntur. Ex collecta, quibusdam legatis piis et pensione ut supra, solutis oneribus, 80 circiter annua scutata colligit capellanus, qui a Canonicis s. Erasmi nominatur.

Ea etiam agri Verulani regio, quae a sant' Angelo in villa nomen habet, ecclesiam in medio continet s. Michaeli Archangelo dicatam, cui domus capellani adjuncta est, quaeque satis ampla est ad populum capiendum, qui ad 900 capita assurgit. A civitate remotiores quinque, viciniores ad duo milliaria iter habent: qui vero prae aliis ab ecclesia distant duo millia passuum enumerant. Annui redditus, oneribus detractis, ex collecta, ex variis legatis et pensione provenientes, 80 scutata constituunt capellano, qui nominatur a capitulo s. Pauli.

Pagus denique s. Josephi, cujus in medio sita est ecclesia de jurepatronatus familiae Paolini, capellani domo caret et mille circiter incolas comprehendit, quorum propiores duobus, remotiores quinque millibus passuum a civitate absunt. Sola collecta capellani dotem constituit, quae 30 scutata annua non excedit; comes vero Paolini ecclesiae patronus consensum jam praestitit Episcopo, ut in dicta ecclesia parochia constituatur.

Ex hucusque expositis, summarie per me ex Episcopi literis desumptis, satis convenire, ait Episcopus ipse, immo etiam necessarium omnino esse, ut locus fiat veterum dismembrationi et novarum parochiarum erectioni. Ad singulorum vero jura concilianda proponit, ut jus nominandi seu potius eligendi parochum inter approbatos ab examinatoribus post concursum, uti in parochialibus, servetur capitulo s. Andreae seu cathedralis ecclesiae pro nova paroecia pagi s. Franciscae, capitulo s. Erasmi pro paroecia Collisberardi, capitulo s. Pauli pro paroecia s. Angeli in villa; pro paroecia vero s. Josephi idem jus sit per turnum sequenti ordine servandum, ut primus veniat parochus s. Mariae de Franconibus, deinde parochus s. Michaelis Archangeli de civitate, tertio parochus s. Lucii ac denique parochus s. Crucis. Quoniam vero tria capitula superius enunciata ad dotes parochorum ruralium constituendas pensionibus jam gravantur, aequum esse arbitratur Episcopus, ut jus iisdem servetur functiones peragendi in respectivis parochiis ruralibus festo die s. Titularis, quo etiam die per novos parochos capitulis ipsis cerae elaboratae libra una quotannis retribuatur.

His demum praehabitis, cum praesentes redditus impares esse cognoverit laudatus Antistes ad aequam congruam parochis constituendam, additis etiam incertis, quae stolae dicuntur, sequens paratum exhibet hujusmodi necessitati remedium.

Extabat olim in Verulana civitate capitulum s. Mariae de Franconibus, Abbate parocho et sex Canonicis constans: sed labentibus annis (sive fructuum tenuitate sive alia quacumque de causa id acciderit) parochus tantum cum sex beneficiatis superextitit, qui obligatione residendi saltem per modum facti minime gravantur, adeo, ut duo ex ipsis Verulis maneant, alii duo Romae, alter in oppido dioecesis Verulanae Colle; sextus beneficiatus deest, vacante a morte postremi possessoris beneficio. Praeter singulas praebendas ad invicem distinctas, quae singulis beneficiatis constitutae sunt, communis etiam adest massa, cujus pars quaedam Abbati parocho constituta est; et reliquum quod superest, sicuti in communi administratur, ita in octo partes dividitur, quarum duae Abbati et ceterae singulae singulis beneficiatis tribuuntur. Perpensis omnibus detractisque oneribus communis massa annua circiter 40 scutata reddit: Abbas ex praebenda scut. 30 et ceteri beneficiati scut. 25 in singulos annos percipiunt. Adeo propterea tenues parochi redditus reperti sunt, ut tribus abhinc annis SSmus Pater subsidium aliquod eidem largitus fuerit.

Cum ergo hujusmodi simplicia beneficia nullam animabus nullamque ipsi forsan ecclesiae (ut ait Episcopus) utilitatem afferant, non incongruum fore arbitratus est, ut redditus communis massae addicerentur omnes Abbati parocho de Franconibus; cetera vero beneficia cum eorum redditibus nunc pro tunc in futuras vacationes quatuor novis instituendis paroeciis in perpetuum unirentur, aequa a paroeciarum paupertate statuta proportione, scilicet ut duo beneficia uniantur parochiae s. Josephi, tertium parochiae s. Angeli, quartum parochiae s. Franciscae, cui postremae obligatio alendi capellanum seu viceparochum incumberet. Unum adhuc superesset ex memoratis beneficiis, cujus redditus assignari cuperet Episcopus alle spese di sagristia quatuor paroeciarum eo meliori modo quo SSmo placuerit.

Ne alicui tandem providentiae deesset prudens Antistes, serio perpendens eam esse villicorum conditionem, ut si aegrotantes sine expensis curari cupiant in civitatem deferri debeant; ideo convenientissime statui posse arbitratur, ut aegroti publicum hospitale introeuntes a capellano pii loci assistentiam recipiant et in illius coemeterio sepeliantur: iis vero, qui privatas domos praeferrent, parochus praesignatae domus assistentiam praebere teneatur, sacramenta ministrare eorumque cadavera ad propriam ecclesiam tumulanda deferre, incertis funerum sive capitulo sive memorato parocho pro loci consuetudine adscriptis, unice servata rurali parocho consueta funeris quarta.

Super his omnibus ergo, ut jam innui, Verularum Episcopus SSmum Patrem adiit; et re huic s. Congregationi a SSmo Domino nostro demandata decretum die Septembris proxime elapsi anni 1861 ad eundem Episcopum transmissum est, ut capitula et parochos in scriptis audiret. Ex his capitulum ecclesiae cathedralis per acclamationem, ut habet Episcopus in suis literis 9. Januarii hujus anni, omnes parochi novis paroeciis erigendis consensere, licet responsio oeconomi vacantis ecclesiae s. Crucis adhuc desideretur. Cathedrale tamen collegium jus officiandi in solemnioribus festivitatibus ecclesiae s. Franciscae sibi reservandum optat nullumque novum gravamen ob novas parochias capitulari mensae imponendum exposcit, praeter illud scutatorum quadraginta ut supra solvendorum juxta apostolicas literas s. m. Pii VI.

Canonicus curatus s. Erasmi ne damnum sibi suisque successoribus per erigendas parochias inferatur, infirmis in posterum in civitatem advenientibus parochialem adsistentiam se non exhibiturum protestatur: ipsius vero capitulum fatetur quidem necessitatem adesse, ut ratio curae animarum in territorio administrandae ad meliorem perfectioremque formam redigatur erigaturque pariter residentialis capellania in pago s. Josephi; contrariam vero una cum collegio s. Pauli sententiam tuetur, si de proprie dictis parochiis erigendis quaestio sit.

Has tamen Episcopus transmittens resolutiones, ut ab H. S. O. quantae faciendae sint perpendi valeant, animadvertit fieri aliquando posse ut statutis etiam pro novis paroeciis redditibus beneficiorum s. Mariae de Franconibus computatis omnibus congruum stipendium non habeatur pro quolibet rectore, praecipue quia labentibus annis decimales quaestuae ut passim accidit imminui poterunt. Exinde expostulat, ut exemplo saepe dictae bullae s. m. Pii VI. sex aliae perpetuae pensiones in summa scutator. viginti pro quolibet imponantur duobus canonicatibus primae erectionis s. Andreae primo vacaturis, exceptis theologali ac Poenitentiaria: duobus similiter primae erectionis s. Erasmi et aliis duobus s. Pauli, exceptis semper praebendis parochialibus. Tunc enim haberentur alia 30 scutata pro unoquoque rectore, quae constituerent optimam parochialem congruam. Nec mirum sit (prosequitur) si hanc aliam deprecationem submitto. Majoris enim hujus ecclesiae et s. Erasmi canonicatus pingues admodum sunt, adeo ut omnes praebendae, non exceptis theologali, Poenitentiaria et parochiali, pensiones semper substinere debeant: et quamvis s. Pauli canonicatus illis aequiparari nequeant, at-

tamen scutata centum quolibet anno consequitur quilibet Canonicus. Quin immo cum quotidianum ecclesiae servitium non habeant hi postremi Canonici, sed tantum in diebus festivis et temporibus Adventus, Quadragesimae et octavae Corporis Christi, alia officia exercere possunt et beneficiis quasi simplicibus fruuntur.

His ergo precibus Episcopus conclusit factorum seriem, quam ego diligenter ex suis literis collegi; nec mirum sit EE. VV. me singulas eorundem factorum locorumque circumstantias nimis forsan in longum exposuisse: cum enim agatur de parochiarum dismembratione et novarum erectione descendendum duxi in sententiam *Card. de Luca* hac super materia commonentis *(Adnot. ad Conc. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform. num. 2.)*: certa regula generalis unicuique casui adaptabilis utique statui non potest, sed potius quaestio nudi facti ex singulorum casuum particulari qualitate ac individuis circumstantiis decidenda.

Meum nunc est tum Episcopi tum capitulorum rationes afferre, quibus perpensis EE. VV. facile dijudicare possint, utrum et quibus conditionibus novarum parochiarum erectio et cetera ab Episcopo in suis literis SSmo Patri traditis proposita admittenda sint vel non.

Praejudicialem in primis quaestionem a Capitularibus motam diluendam Episcopus suscipiens ostendit, erectionem novarum parochiarum contrariam minime reputandam esse bullae s. me. Pii VI., qua pro pagis in agro Verulano capellani residentiales instituti fuere. Hanc enim capellanorum institutionem non impedire ait, quominus alia institutio admitti etiam aliquando posset, quae utilior animarum curae et ,perfectior in se foret, necnon temporum et locorum circumstantiis magis accommodata. Perfectiorem vero amovibilibus capellaniis erectionem esse perpetuarum parochiarum sacra haec Congregatio declaravit in *Sorana Curae animarum 3. Julii 1852.* Proposito enim dubio:

An sit servanda in curae animarum exercitio amovibilitas seu potius locus sit erectioni parochi perpetui in casu?

responsum fuit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Temporum autem necessitati magis accommodatam esse eandem parochiarum erectionem facile probari posse arguit ipse Verularum Antistes ex eo quod aetate, qua illae Apostolicae literae fuerunt effectae, civitas ac territorium Verularum novem et ultra millibus civium incolarum constabat, quorum quatuor millia in territorio morabantur. Nunc vero adeo auctus est populus in territorio ut ex habitantibus 10914, in civitate tantum 3513 et in pagis 7401 numerentur: adeo ut imminuto numero civium in Urbe commorantium habitantes in agro septuaginta tantum annorum lapsu quam maxime excreverint. Quare occurrendum ac prospiciendum maxime est spirituali horum fidelium saluti, praesertim nostris luctuosissimis temporibus, in quibus inimicus homo venena in populos et in simplices effundere conatur. Cum ergo Pius VI. nihil aliud in sua bulla magis intenderit, quam ut animarum saluti meliori modo quo tunc temporis fieri potuit consuleretur, proposita nunc parochiarum institutio non modo ei non adversatur, sed ipsius intentioni apprime respondere dicenda est.

Totus deinde in eo est Episcopus ut necessariam paroeciarum dismembrationem suadeat novarumque erectionem huic sacrae Congregationi commendet. Minime idcirco ferendum esse ait, ut propter praeposteram curae animarum administrandae rationem plures ruricolarum sine parochiali adsistentia ac sine Sacramentis ex hac vita decedant: idque miserabili adducta elencho non raro evenisse commonstrat, cum ratione habita ad ultimum tantum decennium, centum et undecim recenseantur, qui absque Sacramentis obierint. Quod quidem malum adeo grave semper habitum fuit, ut pluries hanc s. Congregationem impulerit ad veterum parochiarum dismembrationem, seu videre est in *Asculana Dismembrationis 11. April. 1739* et *Fagnan. in cap.: Ad Audientiam num. 17. de eccles. aedific.*, ubi expresse etiam ait: »Satis ad est validitatem erectionis, ut immineat periculum ne sic decedant (parochiani) neque hujusmodo eventus est exspectandus, quia potius praeveniendum ne contingat . . . .« et ita censuit s. Congregatio Concilii, videlicet pro erectione novae parochiae non esse exspectandum, ut parochiani absque Sacramentis decesserint.

Quae quidem dismembrationis causa eo etiam facilius attenditur cum populus, uti in themate, dismembrationem expostulet eidemque Ordinarii votum suffragetur, ob notissimas circumstantias in hujusmodi casibus apud H. S. O. adductas, locorum scilicet *distantiam, viarum asperitates ac praeruptas montium regiones*, quae maximo incommodo parochianis sunt, ut se ad parochos deferant. Quas causas justissimas ad dismembrationem injungendam s. Congr. judicavit in *Sedunen Dismembrationis 23. April. 1853* et in *Brixien. 26. Septembris 1857*, *Fagnan in cap.: Ad Audientiam num. 16. !et 18. de eccles. aedif.* Praeiverat enim in hac materia Conc. Trid. *sess. 21. cap. 4. de reform.* praecipiens Episcopis ut in iis parochialibus, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem non possent parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere, novas parochias etiam invitis rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III., quae incipit: *Ad Audientiam*, constituere possint. Quae Tridentini verba interpretantes DD. licet non conveniant circa necessariam locorum distantiam, communius tamen admittunt, eamdem sufficientem reputari ad dismembrandas parochias, si separanda regio duplici ab ecclesia parochiali lapide distet. *Pirhing. in Jus can. cap. 16. num. 31.*, *Pignattel. Consultat. 230. num. 5. tom. 4.*, *Reclus. de re parochial. par. 1. tit. 12. num. 87*, *Fagnanus autem loc. cit. num. 18. ait:* Vere tamen *magna longinquitas et viarum discrimen* non requiritur . . . . sed talis (distantia scilicet) ut propterea parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad ecclesiam . . . Quanta autem debeat esse hujusmodi distantia . . . ad hoc ut parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad ecclesiam accedere, cum jure definitum non sit, judicis arbitrio relinquitur. Peculiari proinde circumstantia itineris praerupti hyemali tempore concessa est dismembratio paroeciae ab hac S. C. in *Tudertina 24. Novemb. 1804*, etsi distantia vix unum excederet lapidem, et paroeciae rector dismembrationi fortiter contradiceret.

Generaliora fere haec dici possent argumenta dismembrationem paroeciarum in praesenti quaestione suadentia: specialiora vero in casu rationum momenta expendens Episcopus, praetermisso quod capellani, etsi residentiales, cum veri parochi non sint, impares omnino inveniantur ad ea mala removenda, quae in animarum curae exercitio usuvenire solent, graviter lamentatur pluries incolarum curam et adsistentiam hominibus minoris aestimationis et idoneitatis committi, non sine maximo animarum detrimento. Cumque hi capellani minime per concursum, sed per secreta suffragia Capitularium eligantur, utrum reapse idonei sint plerumque ignoratur et ab ipsis Capitularibus; nec facile reperiuntur habiles sacerdotes, qui civitatis commoda velint relinquere, ut vicario tantum nomine officium in villis exercendum assumant laboris plenum, temporaneum atque idcirco apud villicos ipsos contemptu habitum, cum capellani nulla polleant auctoritate et quasi ab ipsis parochianis dependeant stipem ab illis rogare coacti. Quibus incommodis quantopere semper studuerit remedium afferre s. haec Congregatio erectione titulorum parochialium, apprime videre esset prae aliis in *Gallipolitana diei 7. Augusti 1841* et in *Ravennaten. Paroeciarum 12. Decemb. 1829 §.: Equidem*, in quibus fuse conclamatum est contra hujusmodi Vicarios. Ad ea vero mala superius ennunciata penitus repellenda, quae necessario consequuntur ex ambulatoria, si ita loqui fas est, omnium parochorum jurisdictione in fideles sibi subjectos, providentissime recolenda forent, quae a Tridentinis PP. sapienter constituta fuere *sess. 24. cap. 13. de reform.*: »In civitatibus ac locis ubi parochiales ecclesiae certos non habeant fines nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, mandat s. synodus Episcopis pro tutiore animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum adsignent, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite Sacramenta suscipiant.« Quibus dispositionibus semper famulata est haec Congr., quoties actum est de removenda incerta parochorum jurisdictione, ceu resolutum habetur in una *s. Severini seu Septempedana Visitationis ss. Liminum 28. Novemb. 1789.* Cum enim in ea civitate ac dioecesi quaedam parochiae adminstrarentur per familias, quae originariis semper subjiciebantur parochis licet in alienas jurisdictiones migrassent, proposito dubio:

An et quomodo sit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura et sint disterminandae paroeciae in casu?

responsum est: Affirmative arbitrio Episcopi qui procedat etiam èx nunc cum facul-

tatibus s. Congregationis, non attenta quacumque inhibitione, nisi signata manu SSmi. Et haec satis esse videntur de causis et necessitate erectionis novarum parochiarum. Cum autem ad novae parochiae erectionem, ut ait *Fagnanus in cit. cap. Ad Audientiam num. 31.* principaliter requiratur, ut dos competens adsignetur, uti *cap. Nemo de consecr. dist. 1.* et jam censuit s. Congr., in erectione novarum parochiarum prius cogitandum de dote; hujusmodi necessariae conditioni consulens Episcopus, ad augendos actuales capellanorum redditus, ut ii inde satis esse habeantur, ad dotem novis parochis constituendam, suppressionem et perpetuam unionem cum novis erigendis titulis faciendam proposuit beneficiorum s. Mariae de Franconibus, eamque EE. VV. praecipue commendare sategit, innixus dispositioni Tridentinorum PP. *sess. 21. cap. 5. de reform.* quo statuitur ut »possint Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati juxta formam juris sine tamen praejudicio obtinentium facere uniones perpetuas . . . beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis . . . . .« et *sess. 24. cap. 13. de ref.*: »In parochialibus ecclesiis, quorum fructus . . . . adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione aut per parochianorum symbola ac collectas aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro rectoris aut parochiae necessitate decenter sufficiat.« Hanc autem esse hujus s. Congregationis praxim, habetur in *Spoletana 13. Junii 1789.* §.: *Ubi aliter.* Quod vero ex mandato s. synodi caveri debet, nempe ut beneficia uniri possint sine tamen praejudicio obtinentium, id Episcopus sartum tectumque in praesenti casu esse ait, cum unionem proponat non in praesentiarum plenum sui effectum habituram, sed nunc pro tunc tantum in futuras vacationes decernendam. In similibus circumstantiis novam ex simplici beneficio erigendam parochiam censuit s. Congregatio in *Ariminen. Dismembrationis 26. Martii 1762*; in alia vero *Ariminen. Erectionis parochiae 18. Septembris 1790*, quod ad praesentem controversiam perbelle facit, novae parochiae permittitur erectio ob difficilem accessum ad parochialem ecclesiam, et simplex ei beneficium nunc pro tunc unitur. Quod eo facilius in praesenti casu admittendum censet Episcopus, quia melius etiam providetur paupertati parochi s. Mariae de Franconibus.

Utrum vero Episcopi votum exaudiendum sit etiam circa novas pensiones capitulis cathedralis, s. Erasmi ac s. Pauli imponendas, cui impositioni capitula ipsa acriter refragantur, EE. VV. sapientiae dijudicandum relinquitur. Equidem animadvertere non praetermittam necessitatem, cui consulere Episcopus optat hujusmodi pensionum impositione, minime praesentem esse aut certo futuram, sed in incerta hypothesi tantummodo possibilem.

Post haec expendit Episcopus cathedralis collegii votum, quo sibi jus reservatum cuperet officia peragendi in solemnioribus s. Franciscae festivitatibus, eidemque refragatur, satis esse reputans honorem matricitatis ecclesiae cathedrali reservando, ut jus capitulo maneat easdem functiones peragendi in illa ecclesia die tantum s. Titularis, et libram cerae elaboratae eodem die a novo parocho recipiendi quemadmodum hisce in casibus mandare consuevit S. H. C. praesertim in *Melevitana Dismembrationis 4. Februarii 1813* et in *Camerinen. Dismembrationis 2. Decembris ejusdem anni.*

Nullimode tandem annuendum esse arbitratur parocho s. Erasmi, qui assistentiam villicis in civitate aegrotantibus negat se imposterum praestiturum, cum ipsi amplius non sint ecclesiae s. Erasmi parochiani. Praetermisso siquidem, ecclesiam s. Erasmi uti ceteras ecclesias, cathedralem nempe et s. Pauli, vero matricitatis titulo relate ad novas erigendas paroecias gavisuram, satis superque compensari censet quemlibet laborem parochi s. Erasmi aliorumque in hujusmodi adsistentia praestanda, dum decedentium in civitate villicorum funeraria jura, quarta tantum excepta, iisdem parochis reservarentur.

Haec ab Episcopo disputantur. Expendam modo quasdam Capitularium animadversiones ne Canonici s. Erasmi et s. Pauli, (capitulum enim cathedrale erectioni novarum parochiarum per acclamationem assentitum est), inauditi quasi recedant.

Ajunt in primis s. canones alienos esse a beneficiorum dismembratione, utpote quae alienationem prae sefert. *Abbas ad cap.: Ad audientiam de ecc. aedif., Reiffenst. in lib. 3. dec. tit. 12. n. 27, Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 28. num. 4., Rota recent. p. 7. decis. 68. num. 4.* Nihil enim magis alterat ecclesiae statum, praesertim si agatur de parochialibus, quam hujusmodi divisiones, *Rota decis. 578. n. 17., p. 19., Lotter loc. cit. num. 17.*

Hinc nonnisi in subsidium adhiberi solent paroeciarum divisiones, cum alia scilicet deficiant media, quibus saluti animarum prospici possit, ut statuit sac. Congreg. in *Derthonen. Dismembrationis 5. Aprilis 1732* et in *Anconitana Dismembr. 12. Februarii 1803, Terracinen. 6. Julii 1779, Casanen. Dismembr. 8. Februarii 1744.* Ita ut dismembratio denegetur, quoties parochianorum necessitatibus subveniri valeat per coadjutorem aut vicarium juxta tradita per *Rotam decis. 178. par. 19. recen.* et s. Congregationem in *Mussanen. et Populoniae Dismembrationis 9. Maji 1840* §.: *Nescit*, et maxime in *Sedunen. Dismembr. 11. Junii 1718.*, munus obeunte secretarii Emo de Lambertinis postea summo Pontifice Benedicto XIV., in qua cum relatum fuisset, incolarum spirituali indigentiae consultum esse per delegationem vicarii, qui nomine parochi eis Sacramenta administraret, S. H. O. dismembrationem non admisit atque ad propositum dubium:

An sit locus dismembrationi et erectioni novae parochiae in casu?

respondit: Negative ad utrumque. Cum igitur labente praeterito saeculo a summo Pontifice Pio VI. dati fuerint urbanis Verularum parochis capellani rurales, qui in villis residerent et spiritualibus ruricularum necessitatibus praesto essent, Canonici s. Erasmi et s. Pauli deficere arbitrantur rationes, ob quas dismembrationes fieri debeant, praesertim si capellaniarum ruralium administratio cum studio tum parochorum tum Episcopi Verulani in meliorem utilioremque formam redigatur.

Addunt propterea hujusmodi curae animarum regimen easdem utilitates secum ferre ac veras paroecias et bona enumerant ex iisdem provenientia, cum agricolae non ab uno, ut ajunt, sed a duplici sacerdote regantur, parocho scilicet et capellano, qui praesertim, cum ad nutum amovibilis sit, proprio muneri, ne removeatur, diligentiori studio satisfacere curabit.

Detrimenta denique exponunt, quae novarum parochiarum erectione in villicos derivarent, cum nec agricolae in civitate aegrotantes et spiritualibus auxiliis egentes urbanos alienos reputarent, nec vicissim parochi urbani erga ruricolas sibi non amplius subjectos paternum exercerent affectum, aegre forsan ferentes sibi subsidiariam ruralium parochorum operam gerendam esse, ac propriam ecclesiam fieri quasi publicum alienorum coemeterium.

Haec ab utroque capitulo s. Erasmi nempe et s. Pauli majori vel minori appositione adducta sunt contra memoratum Episcopi propositum. Hic vero salutis animarum zelo succensus abhorrere quidem fatetur s. canones a parochiarum divisione, quoties justae ac legitimae dismembrandi causae desiderentur. Quod si hujusmodi adfuerint causae, non solum pluries admissas fuisse ait earumdem dismembrationes, quod allatis superius exemplis demonstrat, sed easdem maxime etiam commendari subjungit rectorisque oppositionem ceu injustam vel irrationabilem fuisse rejectam, uti videre est penes Tridentinos Patres *sess. 21. cap. 4. de reform.* et in una *Anconitana Dismembr. 30. April. 1803.* Graves vero et evidentes causas non utilitatis tantum, sed et necessitatis erigendi novas parochias in agro Verulano satis superque sese attulisse arbitratur Episcopus.

Circa mala demum quae ex novarum parochiarum erectione obventura pertimescunt Canonici, pessimum esse argumentum, idem Antistes ait, quod petitur ab absurdis futuris et contingentibus . . . . Nam infirmi sive in civitatem ducantur sive ruri morentur habebunt semper parochialem adsistentiam vel ab urbano vel a rurali parocho: neque tanta injuria in urbanos parochos irroganda esse videtur, ut putandum sit, eosdem propriae indignationis magis quam officii et charitatis rationem esse habituros.

Quod enim ajunt, jus eligendi et praesentandi capellanos per erectionem novarum parochiarum a capitulis amitti vel coarctari, respondet, non certe amitti, quia ex electis post concursum seligent unum, quem magis idoneum in Domino aestimaverint. Non tamen inficior eorum jus, restringi. At tantine faciendum est hoc jus quod penes ipsos permaneret, cum de majori animarum bono agatur, illarum animarum, inquam, quarum causa beneficia, canonicatus, dignitates in

ecclesia fuere constitutae? Animarum necessitas vel saltem major utilitas novarum parochiarum erectionem exigit; spernenda ergo sunt haec inutilia jura.

His ergo in utramque partem perpensis sapientiae EE. VV. solvenda proponuntur dubia:

I. *An sit locus dismembrationi et erectioni novarum paroeciarum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quomodo sit locus suppressioni beneficiorum ecclesiae s. Mariae de Franconibus ac unionis praebendarum favore novarum paroeciarum in casu?*

III. *An et quomodo sit locus impositioni pensionum in casu?*

IV. *An et a quo sit sustinendum onus adsistentiae spiritualis ruricolis in civitate aegrotantibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, relicta prudenti ejusdem arbitrio distributione redditus sexti beneficii, facto verbo cum SSmo.

Ad III. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad IV. Affirmative juxta votum Episcopi.

Die 10. Maji 1862.

n) In pios usus.

Suppressio simplicis beneficii sancti Antonii Abbatis loci de Busseto s. Domini dioecesis jurispatronatus Ferdinandi Mariae Borbonii regii Hispaniarum infantis ad effectum illius redditus in pios usus erogandi.

Pius VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Universa bonorum ecclesiae administratio Nobis divinitus commissa requirit, ut eorum usum, peculiaribus id suadentibus rationibus, quandoque immutari decernamus quemadmodum divinae gloriae et animarum aeternae saluti profuturum existimamus.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum sub titulo seu invocatione sancti Antonii Abbatis nuncupati in parochiali seu alia ecclesia loci de Busseto sancti Domini dioecesis, quod, sicut etiam accepimus, de jurepatronatus dilectissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Mariae Borbonii regii Hispaniarum infantis ex fundatione vel dotatione aut apostolico privilegio, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur quodque dilectus filius Antonius Santori presbyter nuper obtinebat per liberam ejusdem Antonii dimissionem de illo in manibus Ordinarii loci sponte et libere peractam et per ipsum Ordinarium ejus auctoritate admissam vacaverit et vacet ad praesens, atque ejusdem Ferdinandi Mariae regii infantis nomine Nobis fuerit delatum neque personalem residentiam vel aliquod ecclesiae servitium aut pium aliquod opus beneficium illud pro tempore obtinenti fuisse injunctum, seque in votis summopere fovere, ut redditus quibus abunde fuit instructum pie ac fideliter erogarentur, ideo preces suas Nobis obtulit, ut praevia ejusdem beneficii tituli suppressione apostolica suprema auctoritate Nostra facultatem ut infra impertiremur.

§ 2. Nos igitur acceptis perpensisque personae e regia progenie atque summa religione, pietate eximiisque virtutibus ornatae precibus necnon ob ejus erga Nos et apostolicam Sedem observantiam, quam ex animo fovet, libenter illius vota Nobis exposita implere deliberavimus. Quare memoratum beneficium, cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus et proventus sexcentorum scutorum monetae romanae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut pariter accepimus, non excedunt, sive praemisso sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscunque persona seu aliam dimissionem dicti Antonii vel cujusvis alterius de illo similiter sponte factam, aut alias quomodocumque vacet: illiusque titulum hactenus collativum, naturam, statum et essentiam apostolica Nostra auctoritate tenore praesentium perpetuo supprimimus et extinguimus.

§. 4. Necnon quorumcumque, qui bona memorati beneficii donaverunt illudque constituerunt, fundatorum voluntates ad effectus tamen infrascriptos praemissa auctoritate commutamus. Illoque suppresso et extincto eidem Ferdinando Mariae regio infanti etiam per praesentes facultatem tribuimus et impertimur, ut collatis cum venerabili fratre Nostro Adeodato Turchi Episcopo Parmensi consiliis et cum eo unanimiter omnia et singula illius beneficii bona necnon illorum fructus, redditus et proventus, obventiones et jura quaecumque in pios usus in perpetuum impendantur et convertantur, prout idem Ferdinandus Maria regius infans cum eodem Adeodato illa juxta Dei gloriam et cultum et animarum salutem vel pauperum levamen duxerit destinanda et stabilienda. Ita quod eadem bona illorumque fructus praefati memoratis piis usibus perpetuis, quibus destinata fuerint, applicata et appropriata sint et censeantur, perinde ac si juxta primaevam illorum conditionem et statum ad usus illos destinata fuissent.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 21. Septb. 1789.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 347. Edit. Romae.)

o) In simplicem celebrationem missarum.

Vd. p. 623. f.; *Beneficium* (suppressio in commod. pauperum patronor. p. 898; suppressio et divisio p. 914.)

Suppressio beneficii de jurepatronatus familiae Bianchi civitatis Novarum illiusque immutatio in simplicem celebrationem missarum in ecclesia sancti Petri ejusdem civitatis.

Venerabili fratri
Episcopo Derthonensi.
Gregorius PP. XVI.
Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Extat, prout Nobis expositum est, in parochiali ecclesia sancti Petri civitatis Novarum istius Derthonensis dioecesis ecclesiasticum quoddam beneficium simplex ad familiam Biancorum olim Novensis, nunc Januensis civitatis incolam pertinens, prout asseritur, cujus fundationis titulus est incertus, bona vero, quae praebendam constituebant, cum aliis bonis familiae permixta tractu temporis fuerunt omnino distracta; unde accidit, ut, licet rector ejusdem beneficii dilectus filius Stephanus Bianchi ejusdem familiae fuerit renunciatus, sacrificia tamen in ecclesia praedicta, quatuor supra centum juxta legem fundationis quotannis peragenda, ob angustiam rei familiaris ab anno millesimo octingentesimo decimo nono inadimpleta remaneant. Hisce stantibus familia praedicta Biancorum, quae paupertate laborat, conscientiae suae, quantum fieri potest, consulere et pii testatoris voluntati satisfacere cupiens veniam pro missis non celebratis expostulat humiliter et fundum liberum vel congruo censui vel emphyteusi subjectum, ex quo percipi possint annuae libellae quinque et octoginta, in ecclesiam praedictam transferre promittit, et ita, ut extincto beneficio et familiae jurepatronatus rector pro tempore ejusdem ecclesiae reddituus praedictos administret et curet, ut sacerdos ab eo electus vel ad tempus vel uti libuerit missam praeter parochialem cunctis diebus festis in dicta ecclesia celebret perpetuis futuris temporibus, dummodo Nostra ad id accedat apostolica facultas, quam suppliciter a Nobis efflagitat.

§. 2. Nos igitur, accepta relatione tua, ex qua Nobis innotuit, res ita se habere, prout expositae, tibi, venerabilis frater, per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis et si id in Domino expedire censueris auctoritate Nostra apostolica rectori beneficii praedicti et familiae Bianchi patronae veniam pro missarum oneribus hactenus non adimpletis benigne concedas, injuncta tamen illi obligatione celebrari faciendi una vice tantum missam cum cum cantu pro animabus defunctorum, in quarum spiritualem utilitatem demandata fuerant sacrificia; ac praeterea, cum praedicta familia Bianchi fundum liberum praedictum, ex quo annuae libellae quinque et octoginta percipi possint, ecclesiae praedictae attribuerit, de auctoritate declares, fundum praedictum ecclesiae praedictae sancti Petri civitatis Novarum perpetuo esse concessum illiusque bonis adjunctum et beneficium ejusque patronatum penitus extinctum, eique pium legatum tantum missarum suffectum, sub lege, ut rector pro tempore dictae ecclesiae sancti Petri, tamquam administrator et moderator reddituum dicti fundi cedendi, sacerdotem ad tempus, vel uti libuerit, eligat, qui in dicta ecclesia missam, praeter parochialem, cunctis diebus festis in perpetuum, juxta mentem institutoris beneficii Bianchi, celebret.

§. 3. Haec praecipimus atque mandamus, non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 29. Aprilis 1831.

(Bull. r. Contin. t. XVIII. p. 12. Edit. Romae).

103) Suppressio et divisio bonorum inter patronos.

Vd. *Benef.* (divisio p. 518. n. 40).

Suppressio et divisio inter patronos beneficii simplicis sub invocatione sanctae Mariae in territorio Aquae Sanctae dioecesis Asculanae.

Pius PP. VII.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joannes Baptista Capello et Carolus Ciucci istius Asculanae civitatis vel dioecesis, quod, cum ad illorum familias cujusdam beneficii simplicis sub titulo s. Mariae in territorio Aquae sanctae istius memoratae dioecesis erecti nullamque personalem residentiam requirentis laicale patronatum pertineat, quod per obitum bonae memoriae Dominici Mariae Ciucci ultimi illius, dum viveret, possessoris viginti circiter abhinc annis vacavit actuque vacet, ad extinguendas lites et controversias, quae inter praefatas familias circa nominationem et praesentationem ad dictum beneficium hucusque exarserunt, et ad suppeditanda necessaria ad vitam praedictis familiis, quas aerumnae quam maxime premunt, memorati beneficii bona alienare et ad illarum utilitatem convertere summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati, attentis favorabilibus relatione et voto tuis, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis et quatenus id in Domino expedire censueris, iisdem exponentibus, dummodo omnes praedicti beneficii patroni ad id expresse consentiant, licentiam et facultatem, cujus vigore bona memorati beneficii inter praefatas familias ac omnes et singulos ad praedictum patronatum jus habentes, vel in re vel in pretio dividi ac in illarum utilitatem converti libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica indulgeas atque concedas, expressa tamen sub conditione, *ut aliqua summa arbitrio et prudentia tua praefinienda alicui ecclesiae vel pio loco a te eligendo applicari debeat ac quotannis praedicti patroni aliquam missam pro anima fundatoris celebrari facere teneantur* ac propterea fundum opportunum pro dicto addendo onere aliisque, si quae sint praedicto beneficio adnexa, assignari cures.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem 15. Julii 1817.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 343. Edit. Romae.)

104) Suspensio.

Vd. *Beneficiatus* (sacerdotio nondum insignitus p. 236. n. 31.) *Beneficium* (applicatio bonorum p. 370. n. 15 ; suppressio p. 888.; nominationis suspensio p. 708.; unio.)

a) Causae.

Januen.

A suspensione beneficiorum seu canonicatuum, quae totalem important beneficii extinctionem praebendarumque diminutionem, abhorrent ss. canones, ut ex *cap.: Ex part. 12. de const.*, imo ne suspensio quidem ad tempus fieri potest sine causa, *ex praed. cap.* Non debet enim Domini cultus minui sed augeri, ut etiam legitur in *cap.: Majoribus 8. de praeb.* Ast vero jus canonicum causas, ex quibus fieri potest canonicatuum aut beneficiorum suppressio, ad duas reducit, scilicet ad *evidentem necessitatem et utilitatem*, *Pyrr. Corrad. in prax. rei beneficiariae lib. 2. cap. 8. num. 13.*, *Reiff. in lib. 3. decret. tit. 12. §. 3. num. 32. et 33.* Inter justas causas recensentur etiam *tenuitas et insufficientia reddituum*, ita *gloss. in cap.: Cum accessissent, de constitut.*, cui adhaerent doctores supra citati et *Garzia de benef. eccl. p. ult. c. I.*, praesertim Trident. in *sess. 4. cap. 15. de ref.*

Die 22. Junii 1822.

Firmana.

Sacra Congregatio omni sollicitudine curare solet, ut nomen Dei hymnis et canticis in choro celebretur ac tum demum choralium beneficiorum impertitur suspensionem, cum *patronorum urget paupertas et chorali servitio nullum affertur detrimentum*, *ut in Asculana 18. Septembris 1773*, *in Romana Prorogationis 14. Junii 1806* et in *Nullius s. Martini 16. Decembris 1820 ad I. dub.*

Die 23. Apr. 1831.

b) Concessa.

I. *Ad aes alienum dimittendum.*

Romana.

Non recens est inopia collegii beneficiatorum et clericorum beneficiatorum s. Laurentii in Damaso, qui in numero sexdecim massam a Canonicis distinctam propriamque sibi habent, ex qua beneficiati scuta sex, clerici beneficiati vero scuta quatuor in singulos menses percipere deberent et chori servitium obire per mediariam toto anni tempore, exceptis mensibus aestivis, in quibus per quartariam choro intersunt. Praeterea onera adimplere debent missarum et peculiarium fundationum. Cum tamen jam a vicennio et ultra eorum massa hisce oneribus esset impar, s. m. Pius VI. eorum angustiam miseratus mandavit, ut a congregat. ss. Conceptionis, quae erecta erat in Basilica s. Laurentii, subministrarentur quotannis collegio scuta tercentum ad decennium. Hac subministratione aliquantulum recreati per decennium iterum eo absoluto in gravissimam inopiam reinciderunt. Denuo igitur commota est paterna pietas s. Pontificis Pii VI. eisdemque pariter ad decennium suspensionem indulsit trium beneficiorum totidemque clericatuum beneficiatorum, qui a concessa suspensione proxime essent vacaturi. Tribus clericalibus beneficiis jam vacatis expiratum quoque est ab eorum vacatione decennium suspensionis. Sed tertii, qui vacaverat, impetrata est ad alios decem annos suspensionis prorogatio. Ex beneficiis vero duo tantum nunc vacant.

Sed haec Pontificis beneficentia nil profuit eorum inopiae levandae. Nam redditus massae satis non sunt annuis oneribus, ita ut quotannis deficiant scuta 359. $21^{1}/_{2}$, ut rationes *accepti et expensi* collibrentur. Quo fit, ut aes alienum dimittere nullo modo possint. Gravatur enim massa nominibus creditorum infructiferis, seu ut ajunt siccis, in summa scutorum 654. 31. Praeterea singuli individui collegii a triginta octo mensibus non percipiunt consuetum stipendium ita ut massa in hanc causam di mensualita eisdem debeat scuta 3376. $32^{1}/_{2}$. Quare collatis hisce partitis additoque censu passivo fructivero in sorte scutorum 1533 coalescit integrum debitum in summa scutorum 5863. $63^{1}/_{2}$, ut probatum est in calculis a ratiocinatore exhibitis. Hinc urgent creditores et praecipue haeredes defunctorum beneficiatorum pro consequendis insolutis stipendiis, quae his viventibus decursa sunt, et jam imminet sequestra. Nihilominus collegium semper muneri suo fecit satis. Sed nunc confugit ad sac. Congregationem, ut saltem reductionem applicationis missae conventualis exoret. Exquisitum est *votum* celsissimi et eminentissimi Vicecancellarii super expositis et praecipue: utrum suppeterent alia media *prospiciendi praebendarum inopiae.* In quo *voto* narrata confirmans, ut eorum inopiae succurratur, proponit, *ut sexdecim individui ad duodecim reducantur, cum qua reductione augeretur massa ad annua scuta bis centum quadraginta reductisque missis conventualibus aliquid adhuc deesset, quin providentiae sufficeret. Si autem loco absolutionis ab applicatione conventualium satius duceretur reductio missarum pro diversis benefactoribus eidem collegio addictarum istae quotannis adscendunt ad numerum 1246, eleemosina vero ad scuta 186. 90. Firmis igitur remanentibus conventualibus et ad quingentum redactis missis pro diversis benefactoribus satis huic maxime collegii inopiae esset perpetuo provisum.*

Cum de angustia collegii dubitari non possit, tum ejus inopiae succurrendum, ut ejusdem annuus redditus augeatur scutis 359. $21^{1}/_{2}$, quot deficiunt, ut par sit *accepti expensique* ratio. Tria proponit media celsissimus Vicecancellarius:

Primum ut supprimantur duo beneficia itidemque duo clerici beneficiati. Nam stipendium beneficiatorum est in scutis sex et clericorum beneficiatorum in scutis quatuor in singulos menses. Quare ex suppressis quatuor praebendis haberentur scuta viginti unoquoque mense et proinde annua scuta 240, quae massa capitularis lucraretur. Ex Tridentino vero *sess. 24. cap. 13. de reform.* permittitur unio praebendarum, ut aliarum tenuitati consulatur. Nec detrimentum futurum esset servitio chori, cum suppressis quatuor ex sexdecim praebendis duodecim superessent, quae chorale servitium obire possent.

Deinde proponit, ut fiat reductio applicationis missarum conventualium ad dies festos. Nam ex constitutione *s. m. Benedicti XIV.: »Cum semper oblatas«**) per-

*) Vd. *t. I. p. 695.*

mittitur reductio hujusmodi, ubi praebendae tenues sint, et sac. Congregatio eamdem reductionem*) aliquando concessit ut in *Syracusana Missae conventualis 12. Februarii 1803.* et in *Romana Collegii beneficiatorum s. Mariae Transtiberim* relata *per Summaria precum die 20. Septembris 1794;* sed si firma manere debeat applicatio diebus festivis, quae ad octoginta quotannis redeunt, jam reductio caderet super missis 285, ex qua reductione lucraretur massa annua scutata 42. 75., quae deficientem summam non aequaret.

Si haec reductio applicationis missae conventualis ad dies festos non arrideat EE. PP., tum proponitur, ut concedatur reductio aliarum missarum, quae a collegio pro diversis fundationibus implendae sunt in annuis missis 1246, pro quibus requiritur eleemosina manualis in scutis 186. 90. Si igitur ex his celebrandae relinquantur missae quingentum, pro quibus impendenda esset eleemosina scutorum 75., jam massa capitularis perciperet ex hac reductione scuta 111. 90., quae unita scutis 240. ex unione quatuor praebendarum conficerent summam scutorum 351. 30, in quibus fere defectus annui rationum consistunt.

Ut tamen EE. PP. pro eorum prudentia rem expediant, advertendum est, quod ex notula exhibita onerum missarum constat quidem, quod singulis annis a capitulo celebrandae sunt missae in numero 1246. Sed ex his 862 nullum habent certum fundum nec constat quantum in fundatione pro his assignatum fuerit. Reliquae vero missae 384 certum habent idoneumque fundum.

Quaeritur itaque:

An et quomodo annuendum sit precibus in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro suspensione collectionis ad decennium duorum beneficiorum choralium et duorum clericatuum beneficiatorum vacantium necnon alterius beneficii choralis et clericatus primo vacaturi et interim pro suspensione missarum lectarum juxta votum regiae Celsitudinis Emi Vicecancellarii, donec vacent dicta sua beneficia.

Die 18. Aug. et 15. Septb. 1804.

*) Vd. *t. I. p. 786. h.*

Continuatio.

In exequutione hujus *rescripti* aliqua suborta est dubitatio, quamobrem nunc pro declaratione EE. VV. iterum collegium supplicat.

Nam collegium orator a s. m. Pio VI. anno 1778 exoravit suspensionem collationis trium beneficiorum totidemque clericatuum beneficiatorum, qui primo essent vacaturi. Ex beneficiis vero hactenus duo tantum vacarunt, alter scilicet *die 13. Aprilis 1802.*, alter *die 23. Martii 1804.*, ita ut ad complendum decennium suspensionis a Pio VI. concessum deficiant anni octo pro primo beneficio et anni novem pro secundo, ,et adhuc tertii beneficii expectetur vacatio ex pontificio indulto ad decennium duratura.

E contra clericalia beneficia non solum vacarunt omnia, quin immo absoluta est decennalis suspensio a s. m. Pio VI. decreta jamque ex ipsis duo collata sunt. Sed tertium vacat, quippe quia a sanctissimo Domino Nostro Pio VII. impetrata fuit suspensio ad aliud decennium sub die 20. Maji 1801. Cum itaque vacantium praebendarum ab EE. VV. indicta sit ad decennium nominationis suspensio, declarandum primo postulant oratores:

An decennii initium a die resolutionis nempe 15. elapsi Septembris vel ab expiratis pontificiis indultis sit computaudum?

Secundo cum supposita *duorum clericatuum beneficiatorum* vacatione *alterius clericatus primo vacaturi* suspensionem demandaveritis et unus tantum reapse vacet sententiam vestram quoad praebendas petunt, quae suspendendae erunt?

Tertia declaratio petita respicit beneficia de jurepatronatus, num scilicet haec quoque subesse debeant concessae suspensioni collationis?

Praeterea ab EE. PP. interim concessa fuit suspensio lectarum missarum, donec erunt vacaturae duae aliae praebendae, scilicet unum beneficium et unus clericatus beneficiatus, quorum collationis suspensio impertita fuit. Quartam itaque implorant declarationem, num haec missarum suspensio durare debeat usque ad vacationem praebendarum seu potius quoad satisfacti sint de mensualitatibus insolutis haeredes illorum, qui beneficia possederunt. Reassumpto itaque

praecedenti folio EE. PP. respondere dignabuntur:

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.:

In decisis juxta modum, nempe pro suspensione collationis duorum beneficiorum choralium et unius clericatus beneficiati vacantium ad decennium incipiendum a die rescripti diei 15. Septembris anni 1804 necnon pro suspensione alterius beneficii choralis et duorum clericatuum primo vacandorum pariter ad decennium a die vacationis exclusis iis, quae sunt de jurepatronatus, et suspensionem missarum lectarum duraturam esse donec vacent dicta tria beneficia tantum, si tamdiu.

Die 15. Decbr. 1804.

II. *In commodum paup. patronorum.*

Vd. *Benef.* (suppressio in commodum paup. patronor. p. 898.; nominationis suspensio in favorem patroni etc. p. 717.)

Spoletana.

Presbyter Sanctes Mari actu inter vivos anno 1636 capellaniam seu simplex beneficium ecclesiasticum sub invocatione d. Thomae Apostoli in curionali templo s. Laurentii villae Adsani ea lege fundavit, ut juspatronatus penes se suosque in perpetuum maneret. In dotem hujusce beneficii »*constituit et creavit unam annuam responsionem scut. 19. solvendorum (capellano) de semestri in semestre . . . super uno ejus petio terrae . . . vocabulo Renacavata . . . modulorum quinque circiter . . .*«

Capellano pro tempore pientissimus fundator mandavit, ut unoquolibet mense Sacrum perlitare teneretur. Adjecit vero, ut sibi suisque liceret, »*dictam annuam perpetuam responsionem redimere pro scutis 237. cum dimidio investiendis in annuo perpetuo censu ad favorem capellaniae et facta redemptione supradicta bona remanerent libera a dicta annua responsione. . . .*«

Beneficio erecto cuncta a fundatore praescripta religiose servata fuere per saeculi fere spatium. Sed anno 1826 concordia inter fratres Marios inita fuit, qua, vectigali praedio abdicato, penes Gregorium seniorem constituebatur census scut. 237. in usuram deductis scutatis quatuor cum dimidio pro singulis centenis. Lapsu vero temporis patroni praedium redimere penitus cupientes ad fundationis tramitem ducata 237 in Monte Pietatis Spoletano deposuere. Cum autem nullus investiendae pecuniae locus fieri potuerit, omnes anfractus e medio auferri visi sunt, annua pensione scutorum quatuor pro singulis centenis iterum adsignata, quod anno 1791 factum dignoscitur.

Rebus ita procedentibus hodiernus patronus Gregorius Mari supplex contendit, nunquam in agro *Renacavata* tot jugera fuisse quot ab institutore Sancte in ecclesiasticis tabulis recensentur; hodie autem in propatulo esse ex agri mensorum arbitrio recensitum agellum vix modiolo uno cum dodrante constare et annuos fructus ducatis tribus obulisque sexdecim respondentes tantummodo ferre. Hisce omnibus et gravi, qua vexatur, inopia fretus, cum agatur de capellania jam per spontaneam renunciationem vacante, preces iugeminavit die 16. Junii 1834.

Hucusque narrata, transmissis opportunis documentis, plenissime confirmat Archiepiscopus de more rogatus. Praeterea exhibet testimonium parochi de oratoris egestate perhibentis. Insuper addit: *Codicibus censuum ab antiquo perscrutatis, nominibus priscorum divitum accurate inspectis.* Perspectum est, unico excepto terrae jugero, nihil aliud Mariorum domum unquam in arena effossa tenuisse . . . Verum . . . . absque formidine adjiciam, modo agrum jugeri unius plus minus existere, pretio attributo scut. 72, ex quibus quotannis aureorum trium fructus hauritur quemadmodum apud priscos a censibus nomenclatores reperitur. Si quid vero majoribus finibus eo loci majores habuerint, nunquam dolo malo successores possidere desiisse cognitum est. Unum extra controversiam ponitur, nempe Gregorium Mari rei agrariae operam navare tenuemque ex hac industria victum capere et multas passum esse impensas ob plures beneficii causa disceptas jure ac judicio controversias.

Quamobrem arbitrarer, Sacris quotannis persolvendis juxta ritum a presbytero Sancte dispositum . . . . confirmatis et in publica hypothecarum commentaria referendis, ne pii relicti pereat memoria et stipendia in tuto ponantur, inopibus patronis aliqua ratione gratificari.

Voluntatem testatoris in suo robore ser

vandam esse sanxit Tridentina synodus in *sess. 22. cap. 6. de ref.* et centies s. C. definivit. Porro beneficii seu capellaniae suspensio adversatur in themate fundatoris voluntati. Adversatur autem praeterea clericorum bono in regione beneficiis minus locuplete. S. C. in *Aquilana Capellaniarum 7. Junii 1734.* §.: *Utroque.* Quin juvet edicere et ipsum praedium a fundatore relictum minus idoneum extare alendo capellano, siquidem quum certam potius pecuniae quantitatem designasse ille videatur, ad supplendum quod deest teneretur haeres ad tradita in *Burgen. Reduct. 1. Martii 1777., Romana Reduct. Miss. 7. Martii 1733.*

Praestat tamen animadvertere, nihil esse ss. canonum disciplinae sanctius, quam patrono ejusque successoribus vel filiis ad inopiam vergentibus opitulari. Cautum enim in *can.: Quicumque 30. caus. 16. quaest. 7.:* »*Quicumque fidelium propria devotione de facultatibus suis aliquid ecclesiae contulerint, si forte ipsi vel filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant;*« et in *cap.: Nobis 25. de jurepatr. Si ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurratur; Pitonius de contr. pat. alleg. 46. n. 66.* Innumera sane reperiuntur exempla de suspensa beneficiorum institutione, ut inde, adimpletis oneribus, redditus reliqui patronis egentibus suppeditarentur, etiam ob paupertatem relativam, S. C. in *Vercellen. 19. Julii 1766, Asculana 20. Maji 1786*, in *Derthonen. Alimentorum 22. Januar. 1820*, *Perusina Capellan. 8. Augusti 1829. ad I. dubium*, praesertim si de fundatoris consanguineis agatur, *Card. de Luca de testam. disc. 72. n. 18., s. C. in Januen. Capellaniarum 31. Julii 1819.* §.: *Nonnulla.* Quod multo magis sibi loca vindicat, si consanguineis Episcopi sententia suffragetur, S. C. *Camerinen Capellaniae 20. Decemb. 1835.* §.: *Quae sane.*

Equidem in themate (praeter probatam designati fundi impotentiam ad onera sustinenda) in oratore concurrunt qualitas patronalis, gravis inopia, sanguinis vinculum cum fundatore et Episcopi sententia valde favorabilis. Insuper agitur de simplici beneficio, in quo, suspensa etiam nominatione, facile fundatoris voluntas servatur, si satisfactis prius oneribus quod superest in patroni subsidium erogetur, *S. C. Derthonen. Alimentorum 18. Decembr. 1819.* §. *Rursus.*

Quatenus vero precibus oratoris annuere placeat, videant EE. VV.: an expediat in hypothecarum tabulas recensere praedium vel dotem capellaniae, prout Spoletanus Episcopus arbitratur et S. C. in more semper habuit pro legati securitate: et ad quod tempus suspensio impertienda sit. Perpetuo enim capellaniam suspendere, prout postulare videtur orator, secumfert veram beneficii extinctionem, quae a ss. canonibus reprobatur, *cap.: Cum accepissent* et *cap.: Ex parte de constitut.* Caeteroquin inopia qua innititur Gregorius Mari causa temporanea est.

Haec finis esset oratoris petitioni. Verumtamen quoniam de recta adhuc fundatoris placiti exequutione ambigit Archiepiscopus probe videant EE. VV. an absolutioni super praeteritis omissionibus locus esse debeat. Quidquid sane sit an recte potuerint Marii fratres usuras pacisci trientes cum dimidio, quod eorum concordia praestiterunt anno 1726, certum est rebus in integrum restitutis censuque ablato debuisse annuam pensionem persolvi in scutatis decem et novem ut in instrumenti tabulis continebatur.

Hinc stricto jure fortassis tenerentur hodie Marii haeredes male perceptum restituere et inadimpleta praestare ad tramites *leg. fin.* §.: *Etsi cod. de jur.*, nisi EE. VV. attenta fortassin auctorum bona fide atque haeredum egestate gravissima impotentiaque supplendi benignam impertiri voluerint oratori absolutionem juxta alias gestum in *Spoletana Missae convent. 1. Martii 1729*, in *Feretrana 17. Septemb. 1808*, in *Mazarien. Miss. convent. 2. Junii 1822. in Bononien Reduct. missar. 26. Maji 1824.*

Dubia:

I. *An et quomodo annuendum sit precibus oratoris quoad capellaniae suspensionem in casu?*

II. *An et quomodo consulendum SSmo quoad praeteritas omissiones in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative ad decennium impletis missarum oneribus, docto juxta votum Archiepiscopi, qui curet capi inscriptionem pro intrandi summae 237 favore capellaniae tam supra praedio (Renacavata) quam super aliis bonis etiam cohaeredium facto verbo cum SSmo.

Ad II: Affirm. celebratis tribus missis.

Die 16. Decb. 1837 et 20 Jan. 1838.

Pisauren.

(C. Tr. Sess. 24. cap. 9. de ref.)

Supplere adiit Pisaurensem Antistitem quidem Franciscus Donati anno 1624, »ut facultatem sibi tribueret erigendi unam officiaturam ad altare majus in ecclesia, quae extat Pisauri, sub invocatione ssmi Sacramenti. Et assignavit pro capellani sustentatione omnia bona, quae post mortem reliquisset, annui redditus scut. circiter quinquaginta. Quibus postulatis annuit Episcopus; et condito publico ac solemni instrumento, interveniente de ipsius Episcopi mandato Vicarii generalis auctoritate, erecta fuit ab ipso Francisco capellania seu beneficium. Silvestrum quemdam in actu praesentationis clericum edicit, Pisaurensem in minoribus constitutum habituque et tonsura incedentem: eademque prorsus verba repetit Vicarius in institutione canonica concedenda. Bolovinius vero alter nominatus erat actu sacerdos. Quoad successivas nominationes habita est relatio ad praefatam supplicationem.

Vacavit nuper hujusmodi capellania ob mortem sacerdotis Hermenegildi Ciccarelli: et illius frater Joseph Ciccarelli uxoratus (cujus familiae patronatus a nemine denegatur) curiam adiit episcopalem immissionemque postulavit in capellaniam, ratus eam ita esse laicalem, ut, quemadmodum ejus pater, sic quispiam alius laicus posset illam retinere. At sua frustratus intentione (renuentem enim ejus postulationibus Episcopum expertus est ob deficientem clericatum) ad S. H. Ordinem confugit.

Ceteri compatroni haud refragantur petitioni. Episcopus vero ita animi sui sententiam exprimit: Franciscus Donati in actu fundationis voluisse laicalis capellaniae erectionem declarat, tamen canonicam institutionem ab Ordinario expetivit et obtinuit, semper decretum de immittendo ab hac curia ecclesiastica nominati expostularunt et habuerunt et actus possessorios in ecclesia ss. Sacramenti singuli exercuerunt. Ex schemate nominationum nullus, nisi clericali tonsura initiatus, assecutus est, imo oratoris pater Venantius Ciccarelli ad capellaniam eandem praesentatus rejectus fuit usquedum ecclesiastica tonsura non fuerit ornatus; quibus perpensis fiscalis promotoris hujus curiae (qui pro laicali capellania opinatus est) opinioni adhaerere dubito. Vestrum tamen erit EE. PP. sapientissimum judicium proferre: tamen, si jus ei obsistet, pro gratia sentio favore Josephi Ciccarelli, redditibus ejusdem capellaniae frui usquedum unus ex filiis oratoris ad statum non convolet clericalem, quod in nullius parentum praejudicium erit.

Capellaniam in themate ecclesiasticam esse potius renunciandam quam laicalem, multa sunt, quae suadent:

I. Auctoritas Ordinarii in fundatione ab institutore requisita et dos et altare capellaniae assignata: haec enim ecclesiasticae congruere capellaniae edixit s. Congr. in *Firmana Capell. 29. Augusti 1772* et in *Romana seu Anagnina 1. Martii 1755* addito text. in *cap.: Consuluit 15* et *cap.: Relatum 21 de jurep.*

II. Ipsa a fundatore facta vocatio clericalis cui substituit presbyterum Bolovinium: imo post eum »un altro sacerdote«, quod fundatorem ostendere de ecclesiastica re cogitantem auctor est *Piton. de controver. patron. all. 33. n. 16.*

III. Actus omnes hucusque sive ex expresso fundatoris jussu sive ex explicato facto ejus voluntate pacifice exerciti, uti sunt praesentatio patronorum, canonica Episcopi institutio, decretum curiae de immittendo et actus possessorii in ecclesia, in qua capellania erecta est, a singulis nominatis expleti, quae omnia abhorrent omnino a natura laicalis capellaniae, quae concedi libere potest a patrono, nulla desuper requisita Ordinarii auctoritate, *Navar. cons. 5. et 7. n. 1. de praeben., Garzia de benef. cap. 2. n. 95. part. 1., Tondut. Com. 1. part. 2. cap. 1.* §. *3.* et *Amostaz. de caus. piis lib. 3. cap. 2. n. 2.*

IV. Tandem singularis circumstantia devolutionis capellaniae ad Episcopum ex omissa tempore habili anno 1753 nominatione et secuta institutio seu collatio libere ab ipso habita absque ulla patronorum querela.

Nec vel minimum obstant verba, licet effraenatissima, a fundatore adhibita ad exprimendam laicalem capellaniae naturam: in hisce enim materiis interpretandis non tantum quid dixerit, sed quid voluerit ac con-

tra fecerit fundator attendendum est; nam verborum cortici non est inhaerendum, sed fundatoris sententiae *ex leg. scire penult. ff. ad exhib.* In dubio autem capellaniam censeri ecclesiasticam, quia hoc est magis favoribile ipsi capellaniae magisque consentaneum fundatoris voluntati tradit *Rota part. 3. recent. dec. 23. n. 10*, *Menoch. vol. 1. cons. 99. n. 122*, *Rebuff. in prax. benef. tit. quid sit et quib. mod. n. 8.*, *Barbosa de univers. jur. lit. 2. cap. 3. n. 1.* et *Amost. de caus. piis lib. 3. cap. 2. n. 15.*

Quod si laicalis dici vellet capellania, quaerendum adhuc esset: num ea posset a laico retineri, haud enim incongruum est, ut diversis sub respectibus eadem capellania sit laicalis quoad ceteros juris effectus, ecclesiastica vero quoad personam nominandam, ut tradit *Rigant. in comment. ad reg. canc. 38.*) n. 54.* et *Rota cor. Caesare de Grossis dec. 114. in fine.* S. autem Congregatio pluries declaravit suis resolutionibus hujusmodi thema, prout ex multis eruere est exemplis per me collectis in *una Fabrianen. Capellaniae diei 4. Febr. 1843.* In casu praeter auctoritatem Ordinarii in erectionis actu postulatam aliaque plura ex superius delibatis decernenda; id imprimis urgent peculiares circumstantiae vocati a fundatore Silvestri Baluda clerici, cui imo onus imposuit presbyteratum assumendi infra annum. Accedit constans et perpetua observantia, cujus vi in capellania nullus unquam fuerit institutus, qui saltem clericalem statum non assumpserit. Diuturnam autem observantiam optimam esse legum et voluntatum interpretem, maxime si est ipsi fundationi proxima atque coaeva, docemur a *Card. de Luca de jurep. disc. 13. n. 19.*

Laicalem contra sustinet pro viribus capellaniam Joseph Ciccarelli. Negat imprimis postulasse fundatorem ab Ordinario canonicam capellaniae erectionem multoque minus primi a se nominati institutionem, sed permissionem tantummodo erigendi a seipso »un officiatura di Messe«, et quoad Ordinarium approbationem hujusmodi institutionis, habito respectu congruae dotationi a se assignatae; quod profecto laicali capellaniae non repugnat, ex eo quod Episcopus sit legatorum piorum executor; et proinde ejus auctoritas interposita in actu institutionis in id tantum intendebat, ut judicaret num legatum pium esset necne utile ecclesiae, cum posset tunc etiam illud repudiare, ut tenet *Barbosa de univers. jur. lib. 3. cap. 30. n. 15. et 16.* et *Amost. de causis piis lib. 1. cap. 12. n, 45.*, praesertim vero cum actus fuerit inter vivos, quo casu necessaria erat Episcopi acceptatio pro ecclesia.

Accedit clarissima testatoris voluntas de laicalitate enixe obtestantis; ubi autem verba ita per se aperta sunt, ut omnem excludant ambiguitatem, voluntatis quaestio minime est admittenda, ceu monet *Paulus in leg. 26. ff. de leg. 3.* Nomen »Officiatura« a fundatore adhibitum et simplex missarum onus impositum, magis laicali quam ecclesiasticae convenire capellaniae docent *Gonzalez ad reg. 8.*) cancel. Gloss. 5. n. 20.*, *Van. Espen part. 2. tit. 18. cap. 1. n. 18. et seq.* Caeterum designatio altaris et dotis capellaniae etiam laicali potest congruere, *Lott. de re benef. lib. 1. cap. 5. n. 16.* et *Piton. de controv. patron. all. 87. n. 16.*, ac in dubio non ecclesiasticam capellaniam, sed praesumendam esse laicalem tenet *Rota cor Lancetta dec. 1030. n. 23. et 24. in Asculana Collectarum 19. Januar. 1728. coram Aldovrando.*

Quoad clericatus autem necessitatem, nullibi, instat, mandatam a testatore fuisse: ubi enim de jurepatronatus disposuit favore descendentium ab Alexandro Buldrinio, omnes vocavit tam ex masculis quam ex foeminis descendentes, nulla prorsus facta clericatus mentione; imo, cum laicalem qualitatem tantopere commendavit, sequitur ex contrariorum regula clericatum omnino exclusum voluisse. Quodsi clericos semper nominatos a patronis et ab ipso fundatore referat nominationum catalogus, id hac ratione accipiendum urget orator, quia de tempore nominationum, cum extitisset clericus in vocatorum familia, hic, ceteris paribus, cum laico concurrens praeferendus erat, eo quod, licet capellania sit mere laicalis, habet tamen aliquid ecclesiasticitatis, et est materia ecclesiastica, ratione cujus competere debet potius clerico quam laico, *Abbas in cap. Joannes de testam. n. 7.*, *Grassis de effectib. clericatus in prael. n. 383*, *Fargna de jurep. part. 2. can. 11. cas. 9. n. 24. et 26.*, et *Rota in Monasterien. Vicariae 12.*

*) Vd. *supra p. 832.*

*) Vd. *supra p. 820.*

Martii 1706 coram Omanna. Impraesentiarum vero nullum in vocatorum albo reperiri advertit, qui clericali militiae sit adscriptus.

Spernit post haec quamlibet observantiam fundationi contrariam et quodlibet aliud factum ex parte curiae episcopalis, tum opera majorum suorum, eo quod, cum jurepatronatus versemur gentilitio, certum est, praescriptionem non induci ex communi doctrina, ad text. *in leg. filius familias §.: Divi ff. de leg. 1.*; nec factum antecessoris praejudicium inferre successori jure suo venienti, ut ait *Piton. de controv. patron. alleg. 11. n. 22.* Cum igitur constet ex dictis qualitatem capellaniae, de qua quaestio est, esse laicalem, ad quam quilibet ex communi DD. suffragio laicus, etiam pueri et foeminae admittuntur, sibi eam adjudicandam esse concludit orator.

Quatenus vero ex hactenus disputatis qualitatem capellaniae laicalem non exurgere judicaverint, perpendent PP. EE. num eae adsint in themate circumstantiae, quae valeant sac. Ordinis suadere benignitatem quoad alterum oratoris postulatum. Qualitas in eo concurrit patronalis, nullius adest interesse praejudicium, aliorum compatronorum suffragatur consensus et paupertas, quae licet ex deductis non pateat eam tamen in suo pro oratore voto innuere videtur Episcopus, saltem relative: quae omnia constanter sueverunt patronorum causae favere in similibus rerum adjunctis, inducta nempe et beneficiorum suspensione, ut in *Segovien. Capellaniae 12. Nov. 1731*, in *Asculana Dispensationis 20. Maji 1786.* et in *Forolivien. Capellaniae 20. Junii 1791*, et ipsius beneficii administratione modo ipsi, cui gratificatur, relicta, ut in dict. *Segovien.*, modo ecclesiastico viro commissa, ut in *citat. Asculana et Forolivien.*

Recolunt post haec, quae in sua relatione monet Episcopus, et dirimant dubia:

I. *An et quomodo concedenda sit capellania Josepho Ciccarelli in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo consulendum sit Sanctissimo pro ejusdem capellaniae suspensione et administratione favore oratoris in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative ad decennium, deputato ecclesiastico administratore, impletis oneribus, docto et notificetur ministris Datariae apostolicae, per breve.

Die 15. Mart. et 19. Apr. 1845.

III. *In restaurationem ecclesiae.*

Tyburtina.

Ut templum s. Michaelis Archangeli in oppido castri Madamae elegantius reficeretur applicati fuere redditus hospitalis, quorum administratio data fuit sacerdoti Michaeli Cottarelli, cui a defuncto Episcopo Manni facultas praeterea impartita est colligendi voluntarias fidelium eleemosynas et in eamdem causam fabricae ecclesiae erogandi. Ut citius perficeretur opus sacerdos Cottarelli anticipavit de suo expensas neque hactenus de his omnimodam habuit reintegrationem. Quare nunc postulat, ut redditus vacantis capellaniae sub invocatione s. Antonii Abbatis, suspensa per sexennium nominatione, erogatur tum in reintegrationem pecuniae, quam ipse in fabricam ecclesiae de proprio suppeditavit, tum in novas expensas pro restaurationibus, quibus nova fabrica indiget.

Ex informatione Vicarii capitularis praeterea, quae exposuit presbyter Cottarelli, constat capellaniam s. Antonii auctoritate ordinaria anno 1721 creatam fuisse instante communitate castri Madamae ex redditibus suppressi sodalitii s. Antonii, reservato Episcopis Tiburtinis jure nominandi unum ex clericis dictae terrae, quatenus habiles et idonei reperiantur. Capellano injunctum fuit onus per se celebrandi et applicandi missam unam hebdomadalem pro benefactoribus et missas annuas triginta pro legato Margaritae Raonensi et celebrandi diem festum s. Antonii titularis, accendendi lampadem dominicis aliisque festis diebus de praecepto et inserviendi absque stipendio in choro et functionibus ecclesiasticis.

Quoad expensas (ita prosequitur Vicarius capitularis in sua informatione) *peritus deputatus retulit ascendere ad sc. 3410. At ex ipsa distinctione operum satis superque dignoscitur ornatus considerasse, unde hujusmodi relationis meo quidem judicio opus illud necessarium puto, quod introductionem aquae impediat in parietibus et pro reparatione pyramidis in turri campanilli ecclesiae. Posthabitis aliis operibus rimas obturandi, latus angulare*

sacrarii fatiscens tantummodo reparandi necessitas adest. Pulpitum, sedes pro audiendis confessionibus ad summum una cum restauratione fenestrarum et confectione armadii pro conservatione sacrarum supellectilium restaurationem merentur, quae omnia tamen summam etiam leviter aestimatam scutorum circiter octingentum exportare possunt, quam ne immediate quidem exaequant anni redditus sex annorum dicti beneficii. Redditus enim summam scutorum quadraginta superant. Nihil certi assignatum reperitur, excepta assignatione bonorum hospitalis pro fabrica ipsius ecclesiae, cujus manutentio est communitatis in his tantum, quae fabricam istique annexum concernunt, non autem quae respiciunt supellectilem sacram et alia ornamenta. Nullus ad praesens est clericus dictae terrae in aetate constitutus, qui beneficium praedictum possit obtinere, multi sacerdotes sunt, quos puto provisos. Collator hujus beneficii est Ordinarius; parochus auditus precibus Cottarelli se subscribit. Ignoro an communitas nunc par sit in supplendis expensis, quae restaurationem fabricae vel alia opera important. Verum ex communi statu rerum impotens potest censeri.

Jussit Tridentina synodus *sess. 21. cap. 7. de reform.: ecclesias fatiscentes refici et instaurari ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes et omnes patroni et alii, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochiani omnibus remediis opportunis ad praedicta cogantur.*

Quibus deficientibus s. Congregatio media extraordinaria adhibere solet, quemadmodum est suspensio beneficiorum vacantium, ut impletis oneribus superexstantes redditus erogentur in fabricam ecclesiae, ut *in Senogalien. Fabricae ecclesiae 20. Februarii 1796. ad II. dubium, in Cammerinen. Suspensionis 20. Novembris 1802, in Ferentina Reaedificationis ecclesiae 25. Maji 1805.*

Manutentio ecclesiae pertinet ad communitatem, sed pro praesenti rerum conditione impos est ad expensas in causam fabricae erogandas. Suspensio porro capellaniae cedere possit in praejudicium clericorum castri Madamae, qui ex fundatione habent passivam nominationem, quatenus idonei reperiantur, qui ad subdiaconatum promoveri possint.

Hujusmodi nullos tunc esse affirmat Vicarius capitularis, verum in decursu annorum, quo capellania suspensa manet, fortasse erunt, qui ordines consequi valeant, ac propterea si suspensio capellaniae concedatur hoc subsidio carere poterunt. Quatenus EE. VV. suspensionem concedendam censeant tum de modo et tempore deliberandum erit. Implementum onerum capellaniae annexorum erit modus gratiae adjiciendus. Onera vero sunt celebratio missae hebdomadalis et praeterea aliarum triginta in annos singulos, in totum octoginta duo, manutentio altaris et sacrarum supellectilium, festum s. Titularis diem habere, lampadem diebus dominicis aliisque festis retinere, capellanum adesse in choro et in ecclesia functionibus fieri solitis. Hoc sane postremum onus adsistentiae in choro suspensa capellania impleri non poterit. Ad tempus quod attinet postulatur suspensio ad sex annos. Brevius hoc tempus est, quam quantitas expensarum requirat. Nam ex capellaniis redeunt annua scuta supra quadraginta. Ex his dempta eleemosyna octoginta duo missarum, quae requirit ultra scuta duodecim, et computatis aliis expensis pro manutentione capellae, celebratione diei festi, oleo, vix ac ne vix quidem supersunt annua scuta vigintiquinque quae per sexennium dant scuta centum quinquaginta in expensas fabricae, quae requirit scuta saltem octingentum. Verum erogandi sunt quoque redditus hospitalis et piae oblationes. Videant igitur EE. PP. num longius suspensioni tempus indulgendum sit.

Dubium proponitur:

An, quomodo et ad quod tempus sit concedenda suspensio capellaniae in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad sexennium deputato ecclesiastico administratore, qui impletis omnibus oneribus excepto chori servitio residuales redditus eroget praecipue in s. supellectiles docto et facto verbo cum SSmo et notificatur Ministris Datariae apostolicae.

Die 13. Jan. et 17. Febr. 1816.

c) Non concessa in commodum pauper. patronorum.

Vd. p. 917. II.

Faventina.

Laurentius de Fazzis Faventinae dioecesis, quae audit inter vivos, ecclesiasticum beneficium ad altare d. Laurentio dicatum in ecclesia parochiali s. Martini de Stagnana ejusdem dioecesis erigendum curavit per acta Bernardini Bettaglia notarii Faventini die 26. Augusti 1624 censu libellarum 1400, unde scutata 24 cum dimidio quotannis redibant, in ejusdem beneficii dotem assignato. Insimul vero jus praesentandi rectorem reservavit sibi necnon Babino ejus fratri germano, successive filiis masculis ipsius Babini et eis non extantibus dictum jus praesentandi spectare voluit ad filias foeminas praefati Babini non tamen viro conjunctas, imo etiam ad illas, quae in monasterio moniales forsan existerint. Extincta vero linea masculina et foeminina praefati Babini voluit et intendit dictum juspatronatus ac jus praesentandi rectores spectet et spectare debeat ad reverendum Dominum Paulum Thomam Babinum et Raphaelem fratres invicem et filios quondam Stephani de Pazzis ipsius donatoris fratres consobrinos et successive eorum et cujuslibet eorum filios et masculos tantum, declaratione et pacto adjectis, quod praesentatio rectoris semper fieri debeat per duos ex patronos majoribus natu et non aliter.

Et si quando eveniret casus, quo duo ex patronis praesentare debentibus haberent, et uterque eorum habeat filium et filios in rectorem in dicto altari institui cupientes, ipse dotator et fundator ad tollendam omnem discordiam praedictos duos in dicto altari institutionem praetendentes per sortem de urna, in qua eorum nomina in apocis erunt ponenda, extrahi mandavit, et sic rector altaris instituendus ille sit et esse debeat, qui primus de urna praedicta extraheretur.

Rectori denique legem dixit, ut sive per se sive per alium missas duas quolibet mense, quatuor vero die festo d. Laurentii celebrandas ad hujus altare curaret, statuta caducitatis poena, si rector hujusmodi onera persolvere neglexisset.

Posthac idem Laurentius cum anno 1644 suum ultimum condidisset elogium, ipsum d. Laurentii altare, pluribus legatis adjectis, ad suam omnem haereditatem vocavit. Attamen rectorem obstrictum voluit, »a far celebrare altre due messe di morti ogni settimana.«

Quod ad juspatronatus spectat, una cum fratribus de Pazzis vocavit etiam filios Thomae, Julii et Dominici Laghi eorumque descendentes per lineam masculinam eisque alios etiam substituit.

De fratribus Laghiis innuisse sufficiat, eos, demortuo fundatore, per actum renunciationis vel donationis jus nominandi ex integro familiae de Pazzis cessisse, prout partes inter pacificum est.

Pacificum itidem est lineam primo vocatam ex Babino fundatoris fratre tandem aliquando exaruisse totumque juspatronatus in altera consobrinorum linea coaluisse. Porro ex hisce quatuor secundo loco a testatore nuncupatis Thomas et Raphael duabus lineis, quae hodie in certamen veniunt, originem dederunt.

Ad jurispatronatus vero exercitium quod attinet, scire praestat fratres Stephanum et Bartholomaeum ex linea Thomae nominasse et praesentasse cum effectu sub anno 1780 sacerdotem Septimium de Pazzis ex altera linea Raphaelis, eoque e vivis erepto anno 1814 Thomam juniorem et Franciscum ex prima linea nominasse Paulum eorum fratrem.

Paulo ex apostolicis literis s. m. Pii VII. ipsum beneficium retinere licuit, accepta venia habitu laicali incedendi necnon indulgentia reductionis onerum et missarum ad triginta missas dumtaxat per singulos annos, quoad ipse viveret. Quo absque prole die 26. Julii 1844. demortuo duae ejusdem sorores, nempe Columba vidua Fantoni, e loco Porto di Fermo Firmanae archidioecesis, et Magdalena item vidua Galdesi Faventiae degens, quam Paulus una cum duobus ipsius filiis Caesare ac Ludovico bonorum scripsit haeredem, quae unicae superstites e linea Thomae, ab hoc sacro Ordine uno eodemque supplici libello adprecatae sunt, ut, inspecto paupere earumdem censu, beneficium suspenderetur.

Ex more institutoque sacri Ordinis ad Episcopum Faventinum supplex iste libellus die 24. Sept. anni ejusdem 1844 remissus fuit, ut ea quae ad causae cognitionem necessaria erant transmitteret et animi sui sententiam aperiret. Porro quin animi sui sententiam panderet, retulit Episcopus die 17. Septembr. anni 1844, suam curiam adivisse Mathiam de Pazzis ex urbe Mutili, qui favore sui ipsius actum fecit nominationis

et praesentationis ad beneficium . . . . asserens se patronum esse.

Ajebat insuper redditus beneficiales ad scutata centum et decem circiter ascendere libera a taxationibus. Quoad vero supplicantium paupertatem (sic ille concludebat) certum est Magdalenam de Paccis, viduam Galdesi, fortunae bonis esse praeditam, quod tamen dici nequit de Columba de Pazzi vidua Fantoni.

Interim et ipse Mathias ad hanc s. Congregationem confugium habuit et orabat, ut, habita ejusdem paupertatis ratione, facultas sibi daretur eodem posse beneficio frui, utque onera beneficii ad annuas triginta missas reducerentur, quemadmodum eadem gratia proximus rector fruitus fuerat. Schema etiam generalogicum attexuit, quo rite suam descendentiam a recta Raphaelis linea probat. Hisce enarratis, quae scitu in facto necessaria prorsus erant, superest, ut quid in jure sentiendum disquiratur. Porro totus quaestionis cardo in eo verti videtur, ut definiatur, uter ex contendentibus jurepatronatus gaudeat; hoc enim titulo sustentantur preces porrectae ad obtinendam ab Apostolica Sede veniam beneficii fructus percipiendi. Illud autem e vestibulo praemonendum, ea quae de jurepatronatu activo disseruntur ad jus etiam passivum legitimo jure esse referenda. Nemo enim nescit ex vocatione ad juspatronatus activum praesumptionem ad passivam vocationem exsurgere, ut docent passim doctores et S. C. in *Recinaten. Concordiae 7. Septembris 1839.* §.: *Principio.* Quod sane fortius in themate tenendum, ubi institutor sine ulla ambiguitate, quos prius ad jus nominandi vocaverat, eosdem pariter jure beneficii assequendi cumulavit, casui etiam consulens, quo in utraque linea unus vel plures habiles ad idem beneficium assequendum concurrerent.

Itaque sorores de Pazzis causae suae fundamentum in eo statuunt, quod beneficii institutor ad jus activum et passivum masculos quidem e linea fratrum de Pazzis vocaverit: verumtamen quum in praesenti rerum statu illud factum fuerit, ut ex earum linea masculi omnino desiderentur et una cum oratricibus ipsa linea agnatitia sit plane interitura, aditum sibi ad juspatronatus patefactum fuisse propugnant. Ad lineam enim Raphaelis quod attinet, ex quo contradictor ducit originem, ipsae contendunt, eamdem ita considerandam esse, perinde ac vocata non fuisset. Asserunt enim, e primis erecti beneficii principiis Raphaelis lineam ad nominationis actus eliciendos nunquam accessisse. Id autem in ultimo praesertim nominationis actu certo certius evenit, cui in hoc genere standum esse constat non solum in possessorio ex apertissimo capite *consultation. de jurepatr.*, sed etiam in petitorio donec non probetur contradictoris decessores una cum oratricum decessoribus in exercendo jurepatronatus concurrisse.

Hinc sive hujusmodi observantiam considerare velis ut interpretativam, scitum est (sic S. C. in *S. Severini Beneficii 1841.* §.: *Hisce)* per eam declarari nedum, quae personae in jurepatronatus comprehendantur, *Vivian. de jurep. lib. 4. cap. 9. num. 28.*, *Gratian. disc. 521. num. 7. 19*, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. num. 205.*, *Rota decis. 563. num. 9. coram Molines*, sed etiam quae excluduntur, *Piton. loc. cit. num. 558.*, sive uti praescriptivam accipias, translatitium est (prosequitur s. C. loc. cit.) quadraginta annorum spatium dumtaxat sufficere ad praescribendum patronatum adversus compatronos praesentes et patientes, *de Luca de jurep. disc. 56. numer. 22.*, *Lambertini de jurep. lib. 1. part. 2. quaest. 11. art. 5. num. 2.*, *Rota decis. 293. numer. 10. part. 16, recent.* Hinc concludunt, semper eo rem redire, ut linea Raphaelis ad jus primitivum regredi minime valeat.

Hisce constitutis oratrices confugiunt ad celebratam *Ancharani theoricam Cons. 81.* et *Galderini Cons. 4. de jurep.* statuentium, juspatronatum gentilitium in ultimo de familia fieri haereditarium; quae doctrina utpote legi consona receptissima semper fuit penes DD. tribunalia et s. ipsam Congr. uti videre est in *Ferrarien. Jurispatronatus 1. Februarii 1840.* §.: *Obstat.* Exploratissimi nimirum juris est, juspatronatus suapte natura haereditarium esse ideoque in illius continuatione hominis providentiam minime tollere illam legis, ut perpendit *Piton. discept. eccles. 33. n. 7.* Nec officit, testatorem ad jus praesentandi vocasse filios et haeredes masculos tantum adeoque videri foeminas exclusisse in themate; ex quo enim masculi omnino defecerunt, foeminis locum factum fuisse in subsidium ex juris praescripto inferunt. Ut enim foeminae etiam

hoc in casu exclusae censeantur, requiritur, ut institutor votum habuerit conservandae agnationis stricto et rigoroso modo et ut abhorruerit a qualitate foeminea, et per modum regulae a successione foeminas perpetuo excluserit, ceu passim apud doctores civiles circa res fideicommissarias, a quibus ad juspatronatus valet argumentum, docente *Rota in Mantuana Beneficii 3. Junii 1689. coram Ursino* apud *Pitonium discept eccles. 14. num. 20.*

Et quamvis rigidius cum foeminis agatur in rebus fideicommissariis, facilius tamen iis favetur in jurepatronatus, ut docet *Pitonius all. 14. num. 4. cum seq.*, et magis diserte num. 7. ubi verba referuntur deprompta ex s. *Rota in Lucana Jurisp. super beneficio 5. April. 1669 coram Emerix*, ibi: Expressio masculineitatis importat solum praedilectionem sexus, non autem perpetuam exclusionem foeminarum, etiam in defectum masculorum.

Nam adest distinctio, quam communiter amplexam subjungit idem *Pitonius loc. cit. num. 3.*, quod (sic ipse) ab initio foeminae non fuerunt inclusae, sed potius exclusae« et hoc casu non succedunt, ut supra notatum est.

Quodsi ab hujusmodi jurepatronatus foeminas omnino repellendas esse censuerint Eminentiae Vestrae, nihilominus oratrices volunt repellendos haud esse filios masculos, qui ab ipsis progeniti sunt. Opportune siquidem occurrit Fulgosii regula, qua statuitur nomine descendentium masculorum venire etiam masculos a foeminis descendentes, quam theoricam constantissime *Rota romana* amplexa fuit, uti caeteris missis perhibet exemplum *Romana seu Januen. Primogeniturae 1. Jun. 1731 coram Ratto numer. 2.*, ubi traditur, »quod sub hujusmodi vocatione filiorum ac descendentium masculorum per rectam lineam, attenta proprietate verborum, aeque comprehenduntur masculi, qui procedunt ex foeminis, cum in his quoque verificetur utraque qualitas masculineitatis et descendentiae per rectam lineam ad celebrem regulam Fulgosii.« Consonat etiam s. Cong. in cit. *Ferrarien. Jurispatr. 1. Febr. 1842.* §.: *Neque standum.*

Denique tametsi linea Raphaelis ad facultatem jurispatronatus exercendi revocanda foret, non inde sequi tuentur oratrices, quod vel ipsae vel saltem masculi earumdem filii ab utendo sua quota parte arceri debeant. Compertissimum siquidem est in jure canonico, relatam Ancharani theoricam sine contradictione in lineali jurepatronatus locum habere, teste Pitonio, »quae theorica procedit, (sic ipse *discept. 33. num. 2.*) etiamsi juspatronatus pertineat ad duas familias, nam una defecta non transit ad aliam, sed ad haeredes ultimi de illa, quae deficit, cum non implicet juspatronatus esse pro parte gentilitium et pro parte inhaereditarium, seu ejus exercitium penes unam lineam esse uno modo, ac altero penes alteram, firma remanente substantia individua proprietatis«. Consonat *Fargna de jurepatr. pag. 2. cap. 1. et 2. cost. 17. num. 2.* et *Fierlius ad hanc regulam* §. *2. pag. 10.* Hinc quae superius dicta sunt de vocatione foeminarum in defectu masculorum locum etiam habent in jurepatronatus lineali, ut teste *Pitonio disc. eccl. 26. num. 3.* docet *sacra Rota in Romana Fideicommissi de Maffiolis 22. Martii et 14. Junii 1694. coram Priolo et 10. Maji 1695 coram Emerix.*

Quin aliquid obstet particula »tantum« a testatore adjecta; testatur enim *Pitonius disc. 33. num. 5.* regulam ex hujusmodi dictionibus taxativis desumptam esse fallacem et aequivocam; numero autem sequenti prosequitur: »Prima ergo taxativa »tantum« seu »dumtaxat« non juvat ad limitandum juspatronatus si dictum fuerit »pro masculis tantum«, nam respicit exclusionem foeminarum et adjecta favore masculorum, ut ait Bichius . . ; idemque procedit, si dictum fuerit »pro descendentibus suae familiae tantum«, nam videtur haec taxativa referri ad restringendam vocationem ad illos de familia effectiva exclusive ad alios de familia contentiva«. Consonat S. C. in cit. *Ferrarien dicto* §.: *Obstabat, in fine.*

Contra levioris momenti haud videntur, quae Mathiae petitionem firmant. Et primo quidem animadvertendum occurrit, nullum omnino dubium ex fundationis tabulis oriri de Mathiae vocatione cum activa tum passiva. Testator enim vocavit omnes filios Stephani de Pazzis et nominatim praeter alios duos sine prole demortuos Thomam et Raphaelem, ex quo suam originem legitime ipse comprobavit. Quae cum certa sint, nullius ponderis ea esse ait idem Mathias, quae ex adverso proferuntur circa observantiam sive interpretativam sive praescriptivam.

Nam primo oratrices non probant, Mathiae decessores juspatronatus haud exercuisse, quod necessarium esset, quia praescriptio est quid facti, et facta probari omnino debent. Secundo, in arbore genealogica duo reperiuntur e linea Raphaelis, qui beneficium obtinuerunt, quod argumento est lineam ejusdem jus passivum saltem exercuisse. Cum itaque jus passivum et activum in eisdem lineis cummulaverit institutor, sequitur, ut, si unius juris possessionem retinuerunt ejusdem Mathiae majores, alterum amittere minime debuerint. Tertio certum est, juspatronatus, praesertim gentilitium, praescriptioni minime obnoxium esse. Nam in genere ad nominationis jus praescribendum adversus compatronos oporteret, ut nominationes factae forent privative, seu animo privandi alios quasipossessione, juris nominandi, ut re penitus excussa docet s. C. in *Nursina Jurisp. 23. Aprilis 1842* §.: *Primo quidem et seqq.* et peculiariter §.: *Subinde*, in quo quaestio proponitur, an hujusmodi animus praesumatur, ibique adnotatur, a multis sententiam affirmativam propugnari, sed plerosque recenseri, qui negativam sequuntur aut saltem ad hanc rem assequendam contradictionem cum acquiescentia subsequenti requirunt. In specie vero circa jurispatronatus gentilitii praescriptionem statuitur §.: *De patronatus* in hujusmodi quaestione factum decessoris obesse non posse juri successoris, qui venit jure proprio, non alieno. Quamvis autem afferantur magni nominis auctores, qui contrarium ad hanc rem valere sentiunt, nihilominus in eadem Nursina cum ageretur de jurepatronatus, quod a testatore disertissime in duas lineas dispertitum fuerat, et insuper validissimis argumentis unius lineae descendentes ostenderent Benedictam et Sanctam Trinchi Colantony de altera linea a saeculo et amplius ad nominationes peragendas non concurrisse, concinnato dubio secundo loco: An constet de jurepatronatus favore Benedictae et Sanctae Trinchi Colantony in casu? S. C. in comitiis diei 9. Julii 1842 rescripsit: Affirmative. Quae cum ita sint, concludit Mathias, hoc diruto fundamento ea omnia corruere, quae sorores de Pazzis ex Ancharani regula ad causae suae praesidium statuebant.

Neque vero meliori auspicio easdem in altera parte sese tueri existimat per ea, quae ex concessa jurispatronatus linealis hypothesi ipsae deducunt. Obstat enim regula, communiter admissa, a *Fagnano* praesertim, qui in *cap.: Perlatum de jurepatr. n. 15. et seq.* circa Ancharani theoricam quaestionem doctissime suo more pertractans *num. 23.* scribit: »Pro solutione videtur sic distinguendum, aut fundator voluit, juspatronatus esse illorum de familia taxative ita, ut ad eos tantum pertineat, non autem ad eorum haeredes et tunc juspatronatus ad haeredes extraneos minime transit . . . . aut juspatronatus fuit concessum illis de familia simpliciter ac sine ulla taxatione et hoc casu transit etiam ad extraneos haeredes.« Jam vero Mathias perpendit, satis esse fundationis particulam legere, ut primam distinctionis partem hoc in casu locum habere dignoscatur. Eoque minus praesumptivam masculorum ex foeminis vocationem sustineri posse autumat in themate, ubi et foeminae perspicue a testatore excluduntur, et gravissimae insuper adsunt praesumptiones quae agnatitium votum manifeste demonstrant, quae sane limitationem constituunt Fulgosianae theoricae juxta tradita a *Fierlio ad eamdem theor.* §. *ultim. pag. 102.*| *et* ad *theor. Richar. de Manubr.* §. *3. et seq. pag. 130.* Porro particula taxativa *tantum*, quae in fundatione legitur, urgentissimum (sic *Rota in Imolen. Fideicom. 11. Martii 1729. coram Ratto* §. *17.)* praebet argumentum contemplatae agnationis et vocationis masculorum agnatorum dumtaxat in exclusionem masculorum cognatorum, qui stante voto agnatitio censeri nequeunt vocati.«

Additur etiam, quod masculi descendentes a foeminis includantur in linea substantiae, uti vocant, non in linea qualitatis. »Nam (sic *Rota loc. cit. num. 8. et seq.)* linea simpliciter prolata utpote relationem habens ad substantialem lineam descendentium comprehendit foeminas, descendentes per medium illarum . . .« Linea vero qualitatis non comprehendit, nisi personas habentes illarum qualitatem . . .

Ideoque linea masculina non comprehendit nisi masculos per continuatam seriem procedentes, in modum ut si foemina interponatur jam non dicitur amplius linea masculina, ex animadversis per . . . ubi: quod foemina tamquam sata nigra intermedians sistere facit atque corrumpit lineam albam masculorum . . .; ubi: quod linea masculina remanet illico intercisa per intersecationem foeminae.

Nequicquam autem objicitur rem heic esse de jurepatronat. lineali, ideoque juspatronatus de una ad aliam lineam transire non posse, sed in ultimo vocato haereditarium evadere. Licet enim haec regula aliquando admittenda sit, nihilominus limitationem patitur cum adest contraria lex fundationis tacita vel expressa, ut animadvertit *Fargna de jurepatr.* §. *2. can. 1. et 2. cas. 17. num. 5. pag. 101.* Jam vero primo perpendendum est, ea quae de testatoris voluntate in favorem foeminarum interpretanda fusius disseruntur vera quidem esse, si foemina concurrat cum extraneo; tum enim versimilius praesumendum esset, fundatorem suis descendentibus, licet foeminis, potius favere voluisse quam extraneo, quoniam dilectio magis tendit in suos quam in alios. Et in hanc sententiam loquuntur auctores, ut notat *Rota in Romana seu Januen. Primogeniturae 5. Jan. 1731.* §. *2. coram Ratto.* Aliter vero se res habet, si foemina concurrat cum iis, qui a testatore descendunt et directam prae se ferunt vocationem, qualis est idem orator, qui masculus est et a linea Raphaelis de masculo in masculum descendit. Deinde quamvis juspatronatus sit re ipsa linealis, tamen quoad effectum juris ex praecipua fundatoris voluntate familiare potest esse, ut evenit in casu a *Fargna loc. cit.* proposito: tunc autem contingit »ut defecta una linea (sic prosequitur idem auctor) eorum consolidetur in altera et in ultimo superstite de familia juxta firmata.« Id igitur inquirendum superest, num ex praecipua testatoris voluntate juspatronatus sit familiare quoad effectum.

Jam vero hujus generis esse juspatronatus, de quo agitur, ostendit Mathias primum ex eo, quod testator nominavit filios masculos Stephani de Pazzis; scribit enim Fierlius ad theoricam Friderici *de senis* §. *5. pag. 238.*, ubi (juspatronatus) reservatum fuit illis de familia cum adjectione proprii cognominis, non competit descendentibus per medium foeminae, sive agatur de jurepatronatus activo sive passivo, qui aliquando latiorem recipit interpretationem.

Deinde in eo testamento, quo altare divo Laurentio dicatum ad haereditatem vocavit institutor, juspatronatus spectare dixit ad fratres Laghios et ad seniores pro tempore della famiglia e casa de' Pazzi.

Quamvis autem Laghiorum vocatio absque effectu remanserit, attamen inde recte colligi potest, quae fuerit testatoris voluntas. At vero certum est in jure canonico nomine familiae et domus non venire descendentes ex foeminis, tum quia patris non matris cognomen gerunt, tum quia verbum *domus* votum agnationis significat, adeoque descendentium foeminarum exclusionem importat, ut advertit s. *Rota in Imolen. 21. Mart. coram Ratto* §. *14.*

Hisce de jurepatronatus pertinentia perpensis reliquum est, ut nonnulla adjiciantur circa preces ab utraque parte exhibitas. Et primo quidem norunt omnes ex *cap.: Nobis 15. de jurepatr.* patronis egenis beneficiis de eorum jurepatronatus succurrendum esse; hanc vero benignitatem protrahi quoque ad testatoris consanguineos, sive per masculos sive per foeminas descendentes, docet s. C. in *Urbinaten. Susp. nomin. 18. Decembr. 1841.* §.: *Quod.* Praeterea eodem loco traditur modus patrono et consanguineis egenis opitulandi, et illum saepius adhibitum fuisse, largiendi nempe eisdem beneficii administrationem, impletis oneribus, et deputato administratore, cujus rei habetur exemplum in ipsa *Urbinaten. resoluta die 22. Jan. 1842.* Ad hanc vero rem paupertatem relativam etiam sufficere passim colligitur ex praxi S. C. praesertim in *Apuana Red. miss. 11. Dec.* §.: *Duplicem.* Nec abnuit eadem s. C. missarum reductionem ad hunc effectum elargiri, ut in *Ferrarien. Reduct. miss. 23. Febr. 1793.* Non desunt tamen identidem exempla, quibus s. C. oratorum petitiones rejecit, ut in *Mazzarien. Reduct. onerum 14. Dec. 1822.* §.: *Huic est.*

Itaque duo ab EE. VV. sapientia sunt enodanda dubia:

I. *An et ad quem spectet juspatronatus tam activum quam passivum super beneficio d. Laurentii in casu?*

II. *An, quomodo et cujus favore annuendum sit precibus in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative favore Mathiae.

Ad II. Negative.

Die 26. Febr. 1848.

d) Prorogata.

Civitatis Castellanae.

Collegium Canonicorum ecclesiae s. An-

dreae Apostoli oppidi Vallerani constat ex fundationis lege duabus dignitatibus, decem Canonicis et quinque beneficiariis. Singulis Canonicis scutata triginta, beneficiariis vero scutata quindecim quotannis tribui jussere pii fundatores Laurentius Agostini et Petrus Rossetti. Haec autem imposita onera: quotidie interveniendi choro, duplicem missam quotidianam celebrandi et montem erigendi, in quo summa biscentum scutorum continuo servaretur ad effectum providendi, ubi opus esset, instaurationi aedium ad capituli patrimonium spectantium. Temporum autem asperitate ita imminuti sunt capitulares redditus et sacerdotum numerus, ut nemo sive ex indigenis sive ex advenis reperire datum esset, qui ad vacantes praebendas contenderet. Quo factum, ut Canonici de exiguo praebendarum redditu et gravi choralis servitii sarcina penes hanc s. Congregationem plurimum quererentur et haec fuerint proposita die 15. Julii 1820

Dubia:

I. *An et quomodo sit concedenda reductio canonicatuum et praebendarum beneficialium in casu?*

Et quatenus negative,

II. *An et ad quod tempus et quomodo sit concedenda suspensio collationis earumdem praebendarum in casu?*

III. *An et quomodo concedenda sit dispensatio a quotidiano servitio chori in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Provisum in II.

Ad II. Affirmative ad decennium pro duobus canonicatibus et tribus beneficiatis ad effectum conficiendi massam ex superextantibus redditibus, satisfactis missarum oneribus, deputato per Episcopum ecclesiastico administratore.

Ad III. Affirmative ad decennium ad omnes dies festos etiam reductos cum solitis clausulis.

Verum quoniam anno 1825 ob vilescens rerum pretium adeo decrevissent capituli redditus, ut Canonici ne annua quidem scutata triginta haberent, si vacantium beneficiorum fructus multiplico collocare pergerent, ideo illud tantummodo in arcam multiplici asservare enixis precibus postularunt, quod subductis pro quolibet Canonico scutatis triginta singulis annis superesset. Quumque capituli votis Episcopi sententia faveret s. Congregatio in comitiis diei 17. Maji 1818 oblatis precibus indulgendum putavit ea sub lege, ut summa scutatorum quingentorum septem, quae in sacra aede adhuc servabatur, statim in frugiferos emendos fundos erogaretur. Easdem preces instaurunt Canonici ad exitum duplicis decennii ab obtento hujus s. Ordinis indulto impleti, sub die scilicet 3. Julii 1834 et sub die 18. Decembris 1841. Tria vero proponebantur dubia:

I. *An et ad quod tempus et quomodo sit concedenda prorogatio suspensionis canonicatuum et praebendarum beneficialium in casu?*

II. *An, ad quod tempus et quomodo sit tribuenda prorogatio servitii choralis in casu?*

III. *An et quomodo sit locus prorogationi reductionis duplicis missae quotidianae in casu?*

Et haec fuere responsa:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative.

Ad III. Affirmative.

Jam vero ad eamdem pene capitularis substantiae miseram conditionem et insufficientiam summae ex multiplico fructuum canonicatuum et praebendarum beneficialium vacantium obtentae ad easdem plene redintegrandas impetrati sub anno 1841 in in tribus postremis dubiis indulti, quod jam ad exitum properavit, prorogationem postulant Canonici ad aliud decennium. Narrantes insuper praebendam triginta scutorum hisce, quibus versamur, asperis temporum adjunctis valde exiguam esse minusque parem oneri choralis servitii; attento etiam quod fallentiae ex fundationis lege sacrario, non autem interessentibus cederent, expostulant, ut ex capitulari massa seu potius ex fructibus de vacantibus praebendis nunc exstantibus, scuta quinquaginta quatuor annuatim desumantur et in distributiones assignentur, ad effectum etiam magis magisque promovendi Canonicorum diligentiam in servitio chori, quorum praebendae sic per distributiones auctae locum tenere possent patrimonii sacri clericis, qui ad sacros ordines contendunt et patrimonialibus bonis sunt destituti, quod haud infrequenter ut ipsi ajunt illic contingit.

Episcopum de more rogavi, ut audito capitulo referret de reddituum augmento, et eo non obstante de iisdem perseverantibus necessitatis causis et de prorogationis tempore necessario; et accepi, quae sequuntur: Ad trutinam revocavi exposita in supplici libello et ea consona veritati adinveni circa angustias oeconomicas, quibus oratores se premi lamentantur. Siquidem cuique eorum singulis ratione praebendae triginta dumtaxat rependuntur scutata absque ullo distributionum vel fallentiarum augmento; etenim primae in eo collegio numquam statutae reperiuntur, alterae ad fundationis tramites ecclesiae sacrario cedere debent. E contra juxta ipsius fundationis leges Canonici praegravantur onere quotidie in choro divinis officiis interessendi et praeter Conventuale etiam duo alia Sacra lecta persolvendi. Tenentur insuper depositum continuo asservare scutatorum biscentum, quibus aedium ad eorum commune patrimonium spectantium instaurationes, cum opus sit, exequi valeant, ita ut, quum hoc fuerit exhaustum, refundere omnino obstringantur. Recensitis deinde favorabilibus indultis ab hoc s. Ordine diversis temporibus impetratis ita prosequitur: Ex provido hoc indulto ita effectus consecutus est, nimirum ut priori decennio scuta 500, secundo scuta 531, tertio, cui accessit intermedius annus circiter cum dimidio concessus ex speciali privilegio s. m. Gregorii XVI. per hanc civitatem iter habentis sub die 6. Octobris 1841. scut. 1176. 32. conflarentur, in totum usque ad praesentem diem scut. 2207. 32., quae scutat. 10 circiter incrementum quotannis important. Verum hoc etiam reddituum habito augmento impares agnoscuntur oneribus sustinendis. Quippe ducto calculo per decennium, videlicet ab anno 1842 ad totum annum 1851, omnia capituli bona reddiderunt scut. 6303. $29^1/_2$ et consumpta sunt scut. 5506. $96^1/_2$, superextiterunt idcirco scut. 796. 33. idest scut. 79. 63. $^3/_{10}$ singulis annis, quae supportare nequeunt restitutionem quinque praebendarum exquirentium scutata 110 libera unoquoque anno ac praeterea superaddita tributa sive taxas in bonis ecclesiasticis de novo adjectas, praeter fundiariae et tributorum municipalium augmentum. Bonum quoque videretur nedum ad succurrendam congruae scut. 20. exiguitatem, nunc temporis singulis Canonicis tributa, verum etiam ad choralem diligentiam juxta sacri Concilii Tridentini sensum promovendam, alium fundum comparare redditus scut. 60. circiter, qui per quotidianas distributiones Canonicis applicaretur. Quibus necessitatibus et convenientiis profecto occurri nequit nisi per aliud augmentum redditumm in scut. 60. circiter. Cum itaque (concludit) mihi satis perspecta videatur prosecutio circumstantiarum et rationum prioris concessionis, illam arbitrarer de novo impertiendam ad aliud decennium cum approbatione distributionum quotidianarum per summam scut. 60. post exitum ejusdem decennii.

Integrum igitur augmentum quod a primaevo suspensionis praebendarum decreto usque nunc habetur consistit in capitale scut. 2207. 32. quorum annuus redditus est scut. 110., ex hisce scut. 30. 69. erogantur in supplendo quod deest singulis praebendis canonicalibus ad summam triginta scut. obtinendam juxta fundationis legem et hujus s. Ordinis decretum supra relatum: remanent igitur annuatim libera scuta 79. 63. 3. Hisce praemissis nunc venit de singulis dubiis disserendum.

Quoad igitur ad primum dubium de continuatione suspensionis quinque praebendarum ad aliud decennium obstaculum huic concessioni in eo videretur esse, quod etiamsi annua scuta 76. 63. imparia sint substinendae restitutioni omnium praebendarum suspensarum, quae annua scuta omnium praebendarum suspensarum 105. exigeret (non autem 110. uti in relatione Ordinarii), abunde nihilominus sufficerent redintegrationi duorum canonicatuum, quae importaret summam 60 scutorum annuatim et residuum haberetur scut. 19. 60., quae forsan sat esse possunt substinendo oneri impositionum recens adjectarum, licet nihil certi super hac re asseri possit, de iis enim in genere tantum locutus in sua informatione Episcopus, valorem reticuit. Hinc quum possit, si non ex integro, saltem ex parte, testatoris voluntas impleri incongruum videretur ejus implementum diutius retardare, ubi enim impleri potest, servetur defuncti voluntas, ubi vero non, id sequatur in eo, quo sequi potest, *de Luca Annot. ad concil. disc. 20. num. 4.* et s. Congregatio in *Firmana Commutationis volunt. 14. Martii 1789.* Urgere e contra animadversionem, quod, si restituantur duo canonicatus, quum per eorumdem redintegrationem totus vel quasi exhauriatur fructus multiplici ex suspensis praebendis obtenti, nulla spes affulgeret futurae redintegrationis quoad reliqua beneficia suspensa et sic dum ex parte tantum

intentio fundatorum implementum reciperet media auferrentur ad eam ex integro progressu temporis executioni demandandam, ad quem effectum nova prorogatio procul dubio perduceret. Et hoc etiam conformius esset systemati ab hoc S. Ordine in superiori elapso decennio servato, dum omnium praebendarum antecedenter suspensarum prorogationem concessit; licet tunc una saltem commode redintegrari potuisset, quum jam haberetur multiplicum scut. 1031. et sic annuus redditus scut. 50. circiter, uti ex superius relata informatione Ordinarii.

Respicit secunda petitio prorogationem reductionis servitii choralis ad dies festos ceterosque in dicto decreto descriptos. Ex reddituum tenuitate exploratum est posse imminui choralia munera, uti in *Aretina Reduct. servitii chori diei 12. Septembris 1807.* et in *Romana 18. Aprilis 1822.* Quaenam vero censenda sit tenuitas reddituum habetur in *Aretina* supralaudata, ubi traditur, quod sacra Congregatio censuit pro servitio chori quotidiano congruum esse emolumentum scutor. 30. Idemque statuit in *Messanen. 14. Decemb. 1822.* §.: *At* et in *Mazzarien. 26. Novemb. 1824.* §.: *Profecto.* Quum autem Canonici in themate emolumentum triginta scutor. uti constat percipiant, hinc videretur haec reductio deneganda. Non agitur at vero in themathe de reductione perpetua, sed ad decennium tantum et insuper de prorogatione indulti jam obtenti, dum adhuc viget, ex attestatione Ordinarii, »*prosecutio circumstantiarum et rationum prioris concessionis,*« qui proinde arbitratur »concessionem *esse de novo impertiendam ad aliud decennium*«. Videant EE. VV. utrum capituli votis sit in hac parte favendum.

Quod pertinet ad tertium dubium de prorogatione reductionis binae missae quotidianae ad unam, haec videretur deneganda ex eo quod redditus qui ex multiplico habentur pares sint huic oneri sustinendo, S. C. *in Ostunen. Reduct. 3. Dec. 1784, in Capuana Reduct. missarum**) *15. Dec. 1792.* et in *Maceraten. Reduct. missar. 12. Junii 1794.*

Urget tamen argumentum, quod denegata reductione binae missae quotidianae impossibilis redderetur redintegratio praebendarum suspensarum, quarum causa potior procul dubio habita fuit a fundatoribus, dum canonicatus primo instituerunt, deinde missarum onus imposuere. Testatoris enim mens et ab ipso volita unius potius quam alterius oneris praelatio et implementum rectissime ex ordine scripturae elicitur, adeo ut ea sint onera anteponenda, quae priorem in scriptura locum tenent, s. Congregatio *in Somana Reduct. 8. Augusti 1818* et in *Mazzarien. Reduct. et absol. 14. Dec. 1822.* Quum igitur in themate primum teneat locum institutio canonicatuum, hisce super onere missarum danda esset praelatio et ad effectum proinde conficiendi multiplicum quod par sit sustinendo redintegrationem praebendarum suspensarum non videretur deneganda prorogatio reductionis binae missae quotidianae in casu juxta sententiam hujus s. Congregationis in *Aquensi Reduct. 19. Dec. 1772* et in *Urbanien. 30. Augusti 1788.*

Excipit quartum dubium prorogationem dispositionis a conficiendo monte. Hoc induceret commutationem voluntatis defuncti, quae nonnisi ex justa et necessaria causa concedenda est, Concilium Trident. *sess. 22. cap. 6. de reform.* Utramque autem in themate concurrere exploratum est. Hoc enim dispositum servari jussit fundator, quo tempore Capituli patrimonium ita prospere procedebat, ut omnium praebendarum aliorumque legatorum sarcinam commode ferre par esset; quum autem nunc rerum mutata conditione eo deventum sit, ut ob defectum reddituum quinque praebendas opus fuerit suspendere, nedum aequum, sed necessarium, ut quantocius fieri potest in pristinum praebendarum numerum capitulum restituatur, summam hanc infrugifera bona investire potius quam otiosam in arca relinquere.

Disserendum nunc venit de quinto dubio, in quo continetur petitio distributionum in summa quinquaginta quatuor scutorum desumenda ex fructibus praebendarum vacantium. Petitionem hanc Archipresbyter illius Collegiatae oblato privatim libello H. S. O. rejici enixe expostulat, animadvertens hanc summam quinquaginta quatuor scutator. potius quam in augmentum reddituum capituli assignare, aequitati conformius »*distribuire ratatamente a ciascun Canonico e beneficiato col peso di dover celebrare l'altra messa quotidiana attualmente sospesa:*

*) Vd. *Missa* (reductio.)

qual somma ascenderebbe al vero ammontare di una messa quotidiana secondo l'elemosina stabilita dulla cassa sinodale; e cosi non verebbe a defraudare la pia volontà dei buoni fondatori di questa Collegiata, che con tanto zelo ed impegno gli lasciarono un pingue patrimonio, ed in ricompensa aspettano l'adempimento degli obblighi ingianti ai loro beneficiati.«

Abnorme profecto ex una parte videtur pias fundatorum animas suffragio frustrari dum redditus ad celebrationem missarum in promptu essent. Atque huic quidem rei obstaret Tridentina synodus *sess. 25. cap. 5. de refor.*, dum statuit, »*ut haec pia missarum onera quo plenius fieri potest impleantur*« necnon oracula hujus s. Ordinis in *Romana Reductionis 16. Augusti 1818* et in *Aesina Reduct. 20. Martii 1824.* Quumque piorum testatorum animae uberiorem fructum ex incruento missae sacrificio quam ex aliis piis operibus consequantur, *Fagnan. in cap.: Ex parte de constit. num. 34., Bened. XIV. de synod. dioeces. lib. 13. cap. ultim. num. 23*, et missarum sacrificia chorali servitio praeferenda doceat s. C. in *Derthonen. 26. Aprilis 1827.* §.: *Nec hinc,* respui oporteret oratorum preces: et ubi aliquid detrahere de redditibus obtenti multiplici sacer hic Ordo existimaret ad implendam ex parte testatorum voluntatem, videretur Archipresbyteri potius quam Canonicorum postulationi favendum.

Ponderare tamen dignentur EE. VV. oratoribus favere juris dispositionem. In omnibus enim tam cathedralibus quam collegiatis ecclesiis distributiones esse voluit Tridentina synodus *sess. 21. cap. 3. de reform.*, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur. Constat autem ex Episcopi informatione quod distributiones »*in eo collegio numquam statutae reperiuntur.*« Quum autem praebendae in casu jam adeo tenues sint, ut non videantur convenienter pati separationem tertiae partis ad conficiendas distributiones, quemadmodum laudata synodus insinuaret, quum neque expediens videatur, novas suspendere praebendas, vix enim est, ut, si ad pauciorem numerum reducantur, divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode respondeant; quumque nulla alia constet ad hunc effectum suppetere media, hinc videretur non esse respuendam hanc petitionem. Tantum sane favore digna semper habita fuit penes hunc s. Ordinem distributionum causa, ut etiam ubi jam existebant sed adeo tenues ut facile spernerentur, extremo casu auctae etiam fuerint per reductionem missarum, veluti in *Syracusana Missarum 10. Martii 1759* et in *Nucerina Reduct. 8. Maji 1784.* Si ratio insuper habeatur praebendarum tenuitatis, videtur aliquantulum augmenti impertiri posse per concessionem de qua in casu. Nam canonicatus et beneficia nedum ad praescripta missarum onera implenda et ad ferendum chorale servitium eriguntur, sed ad decentem quoque vitae alimoniam ecclesiae ministris suppeditandam. S. C. in *Asculana Reduct. 22. Januarii 1820* §.: *Verum* et in *Senogallien. Reduct. onerum 28. Aprilis 1827.* §.: *Jam vero.*

Favet praeterea Canonicorum petitioni illius dioecesis Ordinarius, qui pro ea qua pollet rerum, personarum reddituumque notitia mentis suae consilium pandens censet bonum esse, *nedum ad succurrendam congruae scutat. 30. exiguitatem nunc temporis singulis Canonicis 30. tributae, verum etiam ad choralem diligentiam promovendam, alium fundum comparare reddituum scut. 60 circiter, qui per quotidianas distributiones Canonicis applicarentur.*« Ubi autem hic S. Ordo existimaret hoc capituli votum obsecundare, decernenda insuper foret quantitas summae in distributiones assignanda et utrum haec quotannis ex redditibus existentis multiplici desumenda sit, an potius capitale ex hoc multiplico separandum et in bona frugifera erogandum, cujus redditus in distributiones adsignati remaneant, et in postremo casu juverit definire valorem capitalis secernendi e multiplici massa.

Haec igitur EE. VV. proponuntur dirimenda dubia:

I. An et ad quod et quomodo sit concedenda prorogatio suspensionis canonicatuum et praebendarum beneficialium in casu?

II. An et ad quod tempus et quomodo sit tribuenda prorogatio servitii choralis in casu?

III. An et quomodo sit locus prorogationi reductionis duplicis missae quotidianae in casu?

IV. An et quomodo sit proroganda suspensio montis in casu?

V. An et quomodo assignandae sint distributiones in casu?

S. C. resp.

Ad I. II. III. et IV.: Affirmative ad aliud decennium facto verbo cum SSmo.

Ad V.: Pro nunc non expedire.

Die 12. Mart. 1853.

105) Titulus Ordinationis.

Vd. *Titulus ad Ordinat.* (Beneficii); p. 848.

106) Translatio.

a) Assensus Patroni.

Vd. *Eccles. paroch.* (transl. non concessa, decr.: *Firmana*); *Missa* (transl.); *Beneficium* (unio). Vd. infra *c.*: *Translatio concessa.*

Firmana.

Multoties translationis ecclesiarum et unionis beneficiorum causas disceptari contigit in sacra Congregatione. Pluries enim eas admisit, *justa tamen et necessaria concurrente causa et accedente simul vel patronorum vel omnium interesse habentium consensu*, ut videre est in *Melevitana Seminarii 29. Julii 1725*, in *Pacten. Confraternitatis 5. Junii 1734*, in *Cassanen. 26. Novembris 1763* et in *Comen. Translationis missarum 24. Novembris 1764* et aeque pluries eam negavit, iis requisitis vel eorum aliquo deficientibus, maxime si per translationem et unionem tertio praejudicium inferatur, ut quoad translationem definivit *in Ariminen. Translationis capellaniae 20. Decembris 1732*, in *Neapolitana Commutationis voluntatis 7. Februarii 1733*, in *Panormitana Translationis oneris missarum 26. Septembris 1739*, in *Vicen. Translationis oneris missarum 19. Aprilis.*

Sacra Congregatio omnes jus et interesse habentes audiri, citari et assentiri mandavit *in Asculana Reductionis onerum 14. Februarii 1778* et in *Abulen. Anniversariorum 30. Maji 1778.*

Die 26. Junii 1778.

b) Causae concedendi.

Vd. *Missa* (translatio); vd. infra *c.*: *Transl. concessa.*

Ariminen.

Ubi pares non sunt ecclesiarum redditus expresse permittit Conc. Trid. *s. 21. c. 7.*, ut illis tandem neglectis »Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt et ob eorum inopiam nequeant instaurari.«

Die 16. Febr. 1788.

Nullius seu s. Laurentii.

Demolitione permissa onerum et missarum translatio necessario permittenda est, quamobrem s. synodus Tridentina *sess. 21. c. 7. de ref.* jubet, ut Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati transferre possint beneficia ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt et ob eorum inopiam nequeunt instaurari, sub lege tamen, ut erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus vel saltem apposita icone s. titularis diruendi sacelli, ut statuit s. Congregatio in *Patavina 11. Julii 1801.*

Die 15. Maji 1802.

Balneoregien.

Translationes beneficiorum permittit Tridentina synodus *sess. 21. cap. 7. de reform.*, quatenus *ob eorum inopiam nequeant ecclesiae instaurari.*

Die 20. Julii 1805.

Balneoregien.

Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de reform.* facultatem Episcopis concedit, *ut transferre possint beneficia simplicia etiam jurispatronatus ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant restaurari.*

Die 17. Sept. 1808.

Balneoregien.

Translationem capellaniae institutae a Hieronymo Febei in ecclesia s. Antonii Patavini oppidi Castiperi concessit s. Congregatio attenta ruina hujus ecclesiae ad ecclesiam parochialem in capella s. Catharinae, apposita icone s. Antonii ad hoc altare.

Die 27. Septem. 1806.

Lucana.

Translationem capellaniae in aedicula s. Bartholomei in agro Valle Buja erectae ad aliud oratorium, quam postulavit Bartholomeus Sandonini patronus, differendam esse censuit sacra Congregatio usque dum Archiepiscopus Lucanus referret de valore fundorum per peritum ex officio et de annuo redditu per decennium.

Die 13. Januarii 1816.

Januen.

S. C. ab ecclesia paroeciali s. Michaelis loci Olivastro ad publicam capellam ruralem familiae Gimelli patronae unius capellaniae translationem permisit, tum quia nullum ex hac praejudicium infertur ecclesiae paroeciali ob erectionem alterius capellaniae ab uno ex Gimellis factam, cum quia valde utilis est incolis; namque alias saepe Sacrum non audirent. Statuit vero s. C., ut a capellano in diebus festis recitentur cum populo actus virtutum theologalium, et consuletur SSmo pro approbatione.

Die 22. Julii 1821.

c) Concessa.

I. *In aliam dioecesim.*

Nepesina.

Agnes Bartoli in supremis tabulis suis universalibus haeredibus onus imposuit erigendi duas capellanias mere laicales, alteram in parochiali ecclesia Fillacciani, alteram in ecclesia s. Mariae in Vallicella Urbis. Obiit testatrix anno 1802 ac triennio post ejus mortem facienda erat juxta testamenti legem utriusque capellaniae erectio. Pro dote primae capellaniae ipsa Agnes constituerat nonnulla bona tum urbana quam rustica in praedicto oppido existentia ac insuper quatuor loca montium.

Hujus capellaniae legitima facta est erectio et primus capellanus oneri missae quotidianae per aliquod tempus satisfecit.

At postea diminutis fructibus ex praeteriti temporis vicissitudine et aucto missarum stipendio ab antecessore moderni Episcopi Nepesini facta est missarum reductio ad ratam fructuum, qui detractis expensis annuam *scutorum* triginta quinque summam constituunt.

Alterius vero capellaniae in ecclesia s. Mariae de Valicella erigendae dos a testatrice taxative constituta fuit. Onus capellano impositum erat trium missarum in qualibet hebdomada. In hac etiam capellania pluries familias ad juris nominandi honorem invitavit, quibus omnibus deficientibus substituit *RR. PP. di s. Maria in Vallicella.*

At vero, cum elapso triennio a testatrice praefinito pro erectione capellaniae jam difficilis evaserat solutio fructuum ex locis Montium, quae paulo post suspensa fuit ob infandam pontificiae ditionis hostilem occupationem, locum non habuit praescripta capellaniae erectio, quaeque adhuc desideratur.

Hinc praeterito anno Archipresbyter Filacciani Antonius Franci, qui etiam est Agnetis Bartoli exequutor testamentarius, postulavit a SSmo, ut unius jam erectae alteriusque erigendae capellaniae redditus unirentur, ut ita juxta testatricis voluntatem redintegrari queat quotidianae missae in parochiali ecclesia Filacciani celebratio.

Favet petitae unioni Episcopus, de sua sententia rogatus, suum praestant consensum Patres Congregationis oratorii. At resistere videtur dispositio ss. Tridentinae synodi, quae in *cap. 9. sess. 14. de reform.* vetuit, ne beneficia unius dioecesis etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiorum aut alia quacumque de causa alterius dioecesis beneficio perpetuo unirentur.

Accedit etiam petitam unionem ac translationem secumferre commutationem voluntatis, a qua ecclesiae canones abhorrent, nisi *justa ac necessaria concurrat causa*, ut pluries decrevit s. haec Congregatio ac praesertim *in Firmana Translationis et unionis 26. Junii 1779*, *in Maccraten. Unionis 13. Julii 1789* et in *Romana Unionis 7. Maji 1806.*

At in praesenti casu nequit ad unquem servari piae defunctae voluntas, immo necessitas cogit, ut numerus missarum utriusque capellaniae moderetur contra illius dispositionem. Etenim cum ex bonis in dotem relictis pro prima capellania redditus percipiatur non excedens annua scuta triginta quinque, substineri debuit illius reductio ad ratam fructuum a praedecessore Episcopo Nepesino facta. Cumque ex decem et octo locis montium annuatim percipiantur scuta 22. 50. haec summa satis non est pro tribus missis in qualibet hebdomada ad taxam perpetuae, unde nunquam facta est secundae capellaniae erectio, quae fieri non poterit, nisi cum reductione missarum, quae locum habet, ubi fructus legati imposito oneri im-

pares sint. S. Congregatio *Auximana Reductionis 17. Augusti 1696* et in *Romana 15. Septembris 1802 et 11. Aprilis 1807.*

Imo videtur testatricis voluntatem non modo unioni ac translationi non adversari, sed potius gratiae viam quodammodo sternere. Si enim ordo piorum legatorum inspicitur, primam in testamento sedem occupat capellania in ecclesia s. Mariae Filacciani, secundam tenet altera capellania in ecclesia s. Mariae de Valicella erigenda. Hinc deduci posset magis primam quam alteram fuisse a testatrice praedilectam.

Nec praetereundum est, defunctam cum de hac capellania erigenda cogitavit consulere voluisse commoditati populi Filacciani, in quo duo tantum resident sacerdotes, per tertiae missae quotidianam celebrationem.

Potius igitur quam evertatur benigna interpretatione suppletur defunctae voluntas, si per unionem ac translationem capellaniae tot simul coalescant redditus, quot necessarii sunt ad celebrationem missae quotidianae, qua animae suae expiationi et populi commodo provideatur.

Si haec justa ac necessaria videatur causa concedendae gratiae, eo vel magis a juris rigore deflecti poterit, cum postulatae unioni ac translationi suffragetur consensus Patrum ex Congregatione oratorii, in cujus ecclesia facienda esset alterius capellaniae erectio. *Tamburin. de jure Abbat. 3. disput. 15. quaest. 3. num. 1.* et sacra Congregatio *in Ferentina Applicationis 27. Augusti 1796.* Haec demum habet Episcopus in sua informatione, ut unionem faciendam suadeat: *absque unione utriusque capellaniae nequit obtineri finis a testatrice intentus, quae sic consuluit animae suae suffragiis, ut simul etiam voluerit consulere Filacciani utilitati constitutione capellani, qui ibi resideat. Nequit profecto hujus intentionis effectus obtineri absque unione redditus, qui ex utraque capellania coalescit. His de causis arbitrarer unionem fore sacris canonibus consonam, reservatis et cumulatis patronorum juribus utramque capellaniam respicientibus.*

Ex his omnibus colligitur capellaniam in Urbe nunquam fuisse erectam, quae juxta mentem testatricis erigi debebat, usque ab anno 1806, nimirum expleto triennio post illius oppidum. Si per aliquot annos intermissa est fructuum locorum Montium solutio, si plurimum diminuti sunt redditus, non ideo prorsus evanuerunt tresdecim annorum haud brevi cursu. Attamen videtur nec ex parte celebratas fuisse tres missas in qualibet hebdomada statutas. Videant EE. Patres: an concedenda sit absolutio et condonatio quoad praeteritum, licet orator de his nihil postulet in supplici libello.

Dubia erunt:

I. *An et quomodo sit locus unioni et translationi in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An et quae onera imponenda sint unico capellano pro utraque capellania in casu?*

III. *An et quomodo sit providendum juribus patronorum in casu?*

IV. *An et quomodo concedenda absolutio et condonatio quoad praeteritum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative pro missa quotidiana.

Ad III. Capellanum nominandum esse cumulative a patronis utriusque capellaniae, in quorum defectu jus nominandi spectare Patribus Congregationis oratorii ad formam fundationis.

Ad IV. Episcopus moneat, qui fructus percepit, ut instet particulariter penes s. Congregationem.

Die 27. Mart. 1819.

II. *In aliam ecclesiam.*

Vd. *Confraternit.* (Unio, *Bull. Pii VI.*)

Mutinen.

Duo ab immemorabili tempore ignotisque fundatoribus in cathedrali ecclesia Mutinensi sunt beneficia; unum annui redditus scutorum 2. 10. monetae romanae sub titulo s. Geminiani, alterum scutorum 2. sub titulo s. Domnini: utrumque cum respectivo onere missarum 36. Tertium scuti unius et ob. 34., cum onere missarum trium, in parochiali est ecclesia Casinalbi sub titulo s. Sebastiani. Tria haec beneficia alterne a s. Sede et Ordinario duobus abhinc saeculis collata fuerunt: sede a nonnullis annis vacante nemo est, qui ea prae tenuitate accipiat. Sanctissimo igitur Mutinensis Episcopus supplicavit pro facultate applicandi illa ss. Geminiani et Domnini parochiali ecclesiae s. Pancratii tenuis redditus scutorum 20., nullis deductis oneribus; aliudque s. Sebastiani parochiae Casinalbi, cui annua tantum sunt scuta decem; reductis tamen ad aequum numerum missis.

Re ad sacram hanc Congregationem delegata ea omnia in sua informatione confirmavit Episcopus retulitque de consensu capituli Cathedralis et parochi Casinalbi; ac de qualitate redditus cujusque beneficii, quod nempe, *quum agatur de praestationibus titulo emphyteusis, potius minui quam augeri possunt. Deficiunt enim documenta indicantia qualitatem et quantitatem terrarum, quae ab immemorabili in emphyteusim concessae fuerunt particularibus personis, certo certius ante Tridentinum Concilium, et quae nunc detinentur a tribus diversis familiis cum onere dictarum praesentationum.* Hisce perpensis nil unioni, de sua sententia requisiti, obesse ajunt ministri Datariae.

Ad inopes succurrendas parochiales ecclesias perpetuam beneficiorum unionem permittit *Honorius III. in cap.: Exposuisti de praeben.* et *sacr. Concil. Tridentinum sess. 21. cap. 5. de reform.* Num inopia vero laborent parochiae s. Pancratii et Casinalbi, quae diu rectores cum praesentibus redditibus habuerunt, satisque ad eas levandas sit unius et alterius scuti accessio cum onere missarum, EE. Vestrae decernent. Non *sine angustia certe vivere posse videtur alter ex parochis cum annuis scutis 20*, non deductis oneribus, alter cum scutis decem*:* et in similibus terminis perpetuam piorum legatorum unionem parochiae Meggiani concessit sacra haec Congregatio *in Spoletana 18. Decembris elapsi 1790.*

Si in praesenti etiam casu annuere placeat pro unione beneficiorum deliberandum erit quoad missas de modo. Cum iisdem profecto oneribus fieri deberet, per *text. in leg. Res quae. ibique gloss. ff. de jur. dot.*, sed ponderandum, num iis pares sint redditus. Excepto beneficio s. Sebastiani sufficientis emolumenti annua scuta duo alterius s. Domnini nec manualem attingunt, quae in Mutinensi dioecesi est *unius julii argentei pro qualibet missa, et sextae partis alterius julii pro sacris utensilibus*, Episcopo teste. Ubi impares autem sunt redditus concedi solet missarum reductio, secundum *Fagnan. in cap.: Cum omnes, de constit. num. 31., Garz. de benef. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 197.* et *sacr. Congregatio in Urbevetana 24. Novembris 1787.* et in *altera Urbevetana Reductionis missarum**) *16. elapsi* Julii. Post immemorabilem sane beneficiorum erectionem fieri deberet hujusmodi reductio ad manualem, ut statuit sacra Congregatio *in Fanen. Reductionis missarum 14. Februarii 1761. Redditum vero tenuitas et parochiarum necessitas* justam praebere possent causam decernendi taxam perpetuae, ut in *Albinganen. 12. Decembris 1778.*, in *Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782* et in *Parmen. 6. Maji 1786 ad I. dubium.*

Dubium est:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro unione et translatione beneficiorum et reductione missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi, reductis missis ad taxam perpetuae.

Die 26. Novb. 1791.

Asculana.

In agro oppidi Lame sita est regio Collechio Tacconi, quam incolunt ad ducenta circiter capita, quae parocho Lame subjiciuntur. Nedum seviente hieme, sed quandoque etiam aestivo tempore, cum aquis redundant duo torrentes Lama et Lamatose illam regionem circumfluentes, fit impervius ad oppidum accessus et habitatores illi carent tum Sacrificiis in diebus festis tum spiritualibus subsidiis in extremo vitae discrimine. Ex quibus excitata est pietas Petri Tacconi, ut in Collechio ecclesiam aedificaverit, in qua ruricolae illi Sacris interesse possent et Sacramenta sumerent. Ut vero in eadem ecclesia capellanus adsit, qui missas celebret et Sacramenta ministret, a sac. Congregatione postulat translationem aviti beneficii, quod erectum est sub invocatione del Buon Gesú in ecclesia s. Joannis contermini oppidi Apineani, simulque missarum reductionem.

Emus Asculanus Episcopus refert:

Beneficium hujusmodi erectum fuisse anno 1640. cum onere missae quotidianae, quod postea ex decreto sac. Congregationis reductum est ad tres missas hebdomadales ob diminutionem reddituum, qui nunc attingunt annuam summam scut. 27. 20. Compatroni hujus beneficii, qui sunt de familia oratoris, rector beneficii et uterque parochus tum Apineani tum Lamae assentiuntur huic

*) Vd. *Missa* (reductio.)

translationi. Nullum populo Apineani infertur praejudicium, cum ex deficientia sacerdotum impleri non possint missae, quae quotannis celebrandae. Hinc suam sententiam concludit in haec verba: His inhaerens et ego ipse non possum consensum meum ultro citroque non impertiri, cum translationis causa satis rationabilis pateat tam ex gravi necessitate, in qua fideles illi deprehenduntur, quam ex eo quod nullum praejudicium alteri ecclesiae inferatur.

De reductione missarum eadem mea mens est ob rationes quae sequuntur: primum quia difficilius est invenire sacerdotes, qui diebus festivis missas celebrent quam ferialibus, aucta etiam eleemosina, quia etiam simplici missarum celebrationi adjungitur onus explicationis evangelii et instructionis puerorum in rudimentis fidei et alia hujusmodi, quae laborem cum requirant compensari aequum est minori missarum numero.

Quamquam in translationibus missarum commutatio fiat voluntatis, a qua semper aliena fuit ecclesiae disciplina, *can. Ultima Voluntas quaest. 13.*, attamen *concurrente necessitate et utilitate populi et consensu eorum quorum interest* translationem hujusmodi probavit s. Congregatio, ut in *Placentina Translationis et commutationis onerum 21. Junii 1794.* Certe quidem, ubi incolae ob *interpositum flumen ad paroeciam accedere non possunt*, iisdem est consulendum vel per deputationem Vicarii curati, ut monuit Alexander III. in *cap.*: *Ad audien. de eccles. aedific.*, vel etiam per dismembrationem paroeciae, ut decrevit s. Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4. de reform.* Multo ergo magis concedenda videtur translatio missarum, cum patroni et rectores consentiant nec ullum detrimentum inferatur ecclesiae, a qua missae transferuntur, ut saepe alias definivit s. Congregatio in *Vicen. Translationum onerum 19. Aprilis 1766.* Quatenus vero ab EE. PP. probetur translatio missarum tum statuendum erit, num concedenda sit reductio.

Nam si translatio conceditur, ut incolae illi di Çollechio audire missas possint et Sacramenta sumere et rudimenta fidei percipere, profecto capellano deputando danda est merces laborum. Agitur de annuo redditu scut. 27. 20., ex quo annuae missae 136. ad taxam perpetuae celebrari possent. Sed Episcopus probat reductionem ad missas festivas, quia missarum celebrationi adjungitur onus explicationis evangelii et instructionis puerorum in rudimentis fidei et alia hujusmodi, quae laborem cum requirant compensari aequum est cum minori missarum numero. Quod si EE. PP. hanc reductionem probabunt, tunc opportunum erit declarare, num sub diebus festis comprehendantur etiam illi, qui a praecepto audiendi missam excipiuntur ex novissimo indulto s. m. Pii VI. Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus translationi et reductioni missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus juxta votum Emi Episcopi etiam pro diebus festis reductis.

Die 10. Apr. et 15. Maji 1802.

Camerinen.

Haec quae in hodiernis comitiis in folio proponitur controversia jam die 27. Nov. 1847 fuerat excussa per summaria precum. Species haec erat: Ex pluribus ecclesiasticis beneficiis, quibus potiebatur ecclesia monialium s. Clarae loci Sacrano in Camerinensi dioecesi, unum tantummodo in eadem ecclesia servatum est, cum cetera capitulis vel collegiis necnon pauperibus paroeciis fuerint per Sedem apostolicam praevia illorum suppressione ac extinctione incorporata. Ex his duo concessa sunt Patribus oratorii ibidem degentibus, unum scilicet sub invocatione s. Mariae Magdalenae per literas apostolicas s. m. Pii VII. die 19. Febr. 1820. editas, alterum s. Antonii Abbatis sub iisdem forma et terminis concessionis die 27. Nov. 1830. ex indulgentia Pii Papae VIII. Et quoniam unicuique ex duobus hisce beneficiis onus inerat unius missae pro qualibet hebdomada, Oratoriani Patres a concessionis die usque ad totum mensem Augusti an. 1845. onus hujusmodi in monialium ecclesia fideliter impleverunt. Quo tempore, cum sacram visitationem Sacrani Episcopus obiret, suppliciter petiit ab eodem Archipraesule Neriana familia dictarum missarum translationem ad propriam ecclesiam utpote populi majori decoratam frequentia, quam adamussim obtinuit per rescriptum diei 3. Sept. 1845.

De hoc translationis decreto apud hanc s. Congregationem continuo moniales conquestae sunt. Sed cum Archiepiscopus auditus referret duo praefata beneficia dotationis

titulo praedictis Patribus fuisse concessa, ac praeterea non monialium intuitu fuisse a testatoribus relicta cum ipsis data fuerit post Concilium Tridentinum parochialis ecclesia s. Petri, nunc autem sanctae Clarae titulum obtinet ex reaedificatione ipsius a fundamento peracta anno 1773; in qua jam antea erecta erant memorata beneficia necnon, dum uberius commodum populus persentiebat ex illarum celebratione in ecclesia Patrum Oratorii, nullum e contra monialibus obvenire detrimentum, quia praeter quotidianam confessarii alteram quovis die festo capellani missam habebant, ideo ipsarum monialium preces sub die 28. Febr. anni superioris 1846 rejiciendas putavi.

At vero novis datis precibus per moniales iisque propositis, uti dictum, per summaria precum in superius memorato conventu aliter sentiendum arbitrati sunt Emi Patres, dum monialium favore hujusmodi ediderunt rescriptum: »Decretum Archiepiscopi diei 3. Sept. 1845. non esse substinendum et missas, de quibus in casu, in ecclesia monialium esse celebrandas ad formam institutionis et consuetudinis.«

Verum Oratorii Patres audientiae beneficium iterum implorarunt, novis et gravioribus deductis rationum momentis, ex quibus quaestio redire videtur ad primaeva, quae Patribus ipsis favent, jura. Has preces proinde cum de more remiserim ad hodiernum Archiepiscopum, is auditis monialibus quid ipsae allegare poscent in contrarium suis litteris subnectit, id unum subdens: »Per Oratorii Patres post annum 1848. celebrationem onerum missarum beneficiis, de quibus agitur, inhaerentium in monasterii ecclesia penitus fuisse praetermissam.«

Quae hinc inde jurium vindicationes afferuntur, mox aperiam. Imprimis moniales totae sunt, ut contendant non posse Archiepiscopi Tomba servari decretum, si summis labiis ea repetantur, quae veluti ineluctabilia jam a s. Ordine habita sunt. Siquidem perpendendum est, missas, de quibus est sermo, in ipsa parociae translatione anni 1747. praeservatas fuisse expresse monialium ecclesiae pro ipsarum commoditate, hinc ducto analogiae argumento, scilicet si eo cavebatur, ut parochus seu Prior s. Petri teneatur satisfacere obligationibus missarum in eadem ecclesia antiqua s. Petri et eodem modo quo celebrare teneatur ante translationem et hoc pro monalium commoditate, id ipsum intelligi debet de possessoribus duodecim beneficiorum, quae reperiuntur in eadem ecclesia constituta nec aliunde translata; eo quod illud documentum caeteris deperditis stare debet loco fundationis monialium favore.

Praeterea non solum ipsis inauditis (quo casu jure canonum communi declaratur irrita quaevis per Episcopos effecta missarum translatio) sed acriter etiam dissentientibus factum fuisse patet translationem. At in aperto interesse habentium dissensu saepissime ne dicam semper S. C. missarum translationes denegavit, quamvis in ecclesia, a qua petebantur translationes, sepultus non fuisset fundator, ut in *Lauden. 23. August. 1778.* et in *Panormitana 26. Sept. 1759.*, in quibus ipsi fundatori petenti translatio fuit denegata ex *dissensu rectoris ecclesiae*; in *Neapolitana 24. Jan. 1733.*, in *Ariminen. 20. Dec. 1732*, in *Romana Translationis oneris missarum 28. Juli 1751.* et in *Placentina Legati 23. Nov. 1782.* aliisque sexcentis. Stylus insuper s. Congregationis est in concedendis hujusmodi translationibus semper prae oculis habere: *interesse habentium consensum*, sub qua unica conditione conceduntur. Moniales praeterea ex alterius missae privatione die praesertim veneris vitandae magnum praejudicium repetunt, cum illa die ad s. Sinaxim soleant accedere. Addunt etiam per translationem fraudari piam fundatorum voluntatem, quod nullatenus ferendum, nisi legitimis atque vehementissimis suadentibus causis.

Nec quidquam in contrarium argui posse vi literarum apostolicarum, quibus illa duo beneficia unita et concessa sunt Nerianae familiae, cui Pontifices, qui illa duo beneficia eidem familiae concesserunt, se largiri dixerunt, verbis rotundis subdentes: »supportatis tamen prius per dictae Congregationis Patres nunc et pro tempore existentes omnibus et singulis, si quae sint, illorum respective oneribus.« Quae clausula importat, ut etiam onus celebrandi in ecclesia s. Clarae firmum immotumque maneat. Nec aliter accipi potest, praesertim cum facto proprio ipsorum Patrum id fiat manifestum per 25 annorum observantiam, qua fideliter illud onus ab ipsa concessione usque ad an. 1845. adimpletum est. Quae sane observantia est optima hujus concessionis interpres juxta tra-

dita a *Rota decis. 199. n. 12. part. 10. recent.*, imo etiamsi verborum proprietas importaret aliud, quod exhibet ipsa observantia, haec illorum proprietati est praeferenda secundum ea, quae ibi in eadem *decis. n. 13.* evidentissime demonstrantur. Sive ergo Patres Oratoriani concederent clausulam literis apostolicis adjectam, quae cum sit subsequens concessionis verbis, servari omnino debet, quia clarius interpretatur ipsius concessionis vim, uti patet ex s. *Rota decis. 418. n. 8. p. 10. recent.*, sive illorum proprium factum seu observantiam, fateri coguntur non esse decretum Archiepiscopi Tomba quaquaversus substinendum.

Patres Oratorii e contra contendunt non esse infirmandum decretum archiepiscopale sive illorum beneficiorum consideretur vis suppressionis, sive auctoritas apostolica, qua postremo latum illud fuit. Si enim attente perpendatur, quid fecerint romani Pontifices Pius VII. ac Pius VIII. in literis apostolicis, singulis prima fronte apparebit, indolem suppressionis duorum beneficiorum et unionis simul Congregationi Oratorii esse in eo, ut omnia illorum beneficiorum jura et onera in Patrum congregationem praedictam censeri debeant omnimode translata. Siquidem tam in uno quam in altero concessionis monumento dicuntur illa duo beneficia suppressa atque extincta et unita Nerianae congregationi, adjuncta clausula: »praevia tituli suppressione«; cujus effectus est plenaria jurium et onerum translatio in ecclesiam cui unita sunt, utpote communiter receptum est per canonistas apud *Carolum Bernardi comm. in jus can. diss. 3. c. 3.*, et tribus modis, solet fieri unio vel divisio, ibi:

»Alter modus est quum una ecclesia aut beneficium supprimitur, translatione ejus facta in aliam ecclesiam vel beneficium, qua in specie jura omnia suppressae ecclesiae vel beneficii alteri ecclesiae vel beneficio adcrescent.« Id ipsum docet s. Rota: Habemus enim, quod ecclesiae translatio operatur, ut omnia jura competentia ecclesiae, quae transfertur, pertineant ad eam, in quam translatio facta fuit, apud *Molines decis. 772. n. 30. t. 3. p. 1. et decis. 849. n. 4. t. 2.* Atque id ob ipsam naturam translationis vel suppressionis, ibi *decis. 938. n. 9. t. 3. p. 2.* et ob naturam unionis, ibi *decis. 770. n. 24. t. 3. p. 1.*, ita ut unita ecclesia efficitur uti praedium et fit de dominio ecclesiae, cui facta est unio, *decis. 662. n. 6. t. 3. p. 1. et decis. 771. n. 5. ibid.*, *Leuren. For. benef. par. 3. de union. benef. sect. 1. cap. 1. quaest. 883. n. 3.* cum comm. dd.

Hac posita doctrina jam liquido patet Patres Oratorii ob unionem duorum beneficiorum romanorum Pontificum auctoritate peractam propriae Congregationi nullimode teneri ad satisfacienda missarum onera in ecclesia eas celebrare. Et perperam invocari a monialibus decretum anni 1747. Ibi enim unice actum est de transferenda paroecia ab ecclesia monialium s. Petri ad aliam commodiorem s. Mariae de Platea nullaque dispositio capta quoad beneficium, quae quum in sua integritate manerent, nimirum in ipsa s. Petri ecclesia ubi erecta erant asservarentur, juris ratio postulabat, ut etiam missarum onera ibidem satisfierent, quod ipso ministerio juris processisset etsi nihil aperte statutum fuisset. At nullum ex hoc paritatis vel analogiae argumentum subduci valet, ut statuatur idipsum volitum fuisse in casu suppressionis atque unionis beneficiorum ad aliam ecclesiam, cujus effectus ex juribus supra allatis discrepant toto coelo ab iis, quae gignere poterat decretum anni 1747.

Nec vel aliquid officit clausula, quae legitur in literis unionis beneficiorum: »supportatis tamen oneribus«, quia haec solum importat quod onera debeant sarta tecta manere, quamvis illa duo beneficia transierint alibi, non vero quod illa sint adimplenda in ecclesia monialium: aliud siquidem est adimplere onus et aliud adimplere in determinato loco, magnumque inter utrumque exurgit discrimen. Primum siquidem reale, alterum vero personale onus secumfert. De onere reali nulla quaestio: de personali autem onere, praeterquam quod illud respuit unionis indoles, repugnat etiam praesumptae Pontificis concedentis voluntati, quae satis evincitur tum ex eo quod nulla occurrat in literis hujusce oneris personalis mentio, uti debuisset, quae Pontificis reticentia interpretanda venit favore Philippianae familiae potius quam monialium, quia domus oratorii eodem temporis momento pro spirituali populi bono erigebatur, nec ceteroquin huic scopo satis consultum fuisset, ubi Pontifex intendisset, ut Patres alio ad missas celebrandas se conferrent: tum quia haud praesumitur eundem Pontificem voluisse ut Patres Oratorii veluti monialium capellani manerent, dum pari tempore assignabat istis capelllaniam pro commoditate secundae missae diebus festivis: tum demum quia, si enunciata clausula induceret onus celebrationis in ecclesia monialium, ad idem onus tenerentur etiam miserabiles illae paroeciae ac capitula queis alia beneficia cum eadem clausula unita fuere, quod nec factum nec praetensum unquam a nemine fuit. Sequitur proinde quod, quum ob eandem unionis vim duo illa beneficia adhaerent congregationi Oratorii, onera etiam missarum adimplenda sunt in ejusdem congregationis ecclesia, quia ubi clara et effraenata dispositio aliter non statuerit repugnat, ut accessorium quod est onus missarum in ecclesia monialium maneat, dum ab ipsa divulsum fuit principale, quod est beneficium.

Neque secundum moniales obstat per annos 25 continuos Patres Oratorii interpretatos proprio facto fuisse clausulam superius recensitam pro onere celebrandi in earum ecclesia. Quod enim tribuendum nimiae bonitati Superioris illius temporis norunt omnes non posse jus communitatis infringere, nisi totius communitatis expressus consensus vel factum legitime praescriptum concurrant, citra quae illius conditio melior quidem non tamen deterior fieri valet a Superiore, ad exemplum tutorum erga pupillos; proinde nil prohibere quominus factum antecessorum inconsulto peractum revocetur a successoribus, qui ad illud servandum non obstringuntur ex *text. in cap. 11. lit. 19. lib. 3. decret.* et *Rota decis. 34. n. 5. cor. Marco.* et *decis. 94. n. 7. 8. par. 7. recent.* Ceterum una agatur etiam de quadam servitutis specie discontinua super facto hominis praescribenda, observantiam adductam 25 annorum non sufficere, sed requiri omnino immemorabilem aut saltem quadragenariam docet *Rota decis. 152 n. 3. et 4. part. 17. recent. et decis. 237. n. 4. cor. Millino.*

Verum dato etiam dictos Patres ad id oneris quomodocumque teneri, nihilominus servandum esse urgent decretum translationis, utpote latum ab Archipraesule Tomba auctoritate apostolica, qua ille fungebatur ad triennium: sic enim enunciatur in decreto: »utendo facultatibus apostolicis etc«. Siquidem jure utique receptum est, quod missarum onera relicta in determinata ecclesia vel capella non possunt alio transferri absque Sedis apostolicae licentia, ast certum aeque est, quod auctorante s. Sede id fieri potest etiam absque consensu interesse habentium et non servatis solemnitatibus ob plenitudinem potestatis, secundum *Rotam decis. 706. n. 1. tom. 3. par. 1. cor. Molin.*, praesertim in casu, in quo interesse habentes sunt personae ecclesiasticae. His adde quod etiam Episcopus potest concedere licentiam, ut missae celebrentur in alia ecclesia, quando ecclesia designata est impedita, imo solus hoc potest juxta sancita per *Rot. decis. 419. n. 14. tom. 2. cor. eod. Molin.* Censeri autem potest ecclesia monialium impedita, si Episcopus per hanc concessionem providere voluit id quod jure cautum est, nimirum in ecclesia monialium non esse celebrandam nisi unam vel alteram missam, ne capta etiam hujusmodi occasione moniales distrahantur, ut Patres Oratorii observant innixi auctoritati hujus s. Congregationis in *Placentina 9. Decem. 1651 et 26. Jan. 1692 relat. a Pellizar. tit. de praecip. monial. oblig. cap. 7. quaest. 5.*

Praeterea nec possent moniales conqueri ex eo, quod ipsis irrequisitis impertita fuit translatio. Cuicumque enim oppositioni seu contradictioni derogatum mansit per clausulam, quae adjecta legitur in calce decreti: »contrariis quibuscumque minime obstantibus.« Et licet decretum latum fuisset auctoritate tantum ordinaria, uti perperam tenent moniales, attamen ne hoc quidem in casu necesse fuisset requirere ipsarum consensum, quia per translationem nullum eisdem praejudicium irrogabatur, probatum cum sit indubiis documentis missas horis quibuslibet celebrari suevisse nimirum pro monialium commoditate, sed ad Patrum libitum. Addendum insuper Archiepiscopum motum etiam fuisse legitima causa spiritualis utilitatis ac commoditatis universo populo Sacnani obvenientis, quam summopere attendendam esse monet *Piton. discept. eccl. 69. n. 1.*, necnon commodi ipsorum Patrum in ministrandis Sacramentis in propria ecclesia et praesertim in audiendis confessionibus, a quibus haud indubie distraherentur non sine damno fidelium, si cogerentur aliam ecclesiam adire ad missam celebrandam; adeo ut hisce concurrentibus extremis irritationibus habendus fuisset earum dissensus, ac proinde ex jure supplendus.

Nec subsistere per translationem vulnus infligi piae benefactorum voluntati, qui in suis largitatibus ad monialium commoditatem respexisse dicuntur, ut per alteram missam aptius satisfacerent omnes praecepto diebus festis aliisve diebus ad s. Synaxim accederent. Errari siquidem a monialibus, censent Patres, dum asserunt beneficia intuitu earum ecclesiae erecta fuisse, cum contra constet ea fuisse erecta in ecclesia s. Petri. Et quamvis inter antiquitatis tenebras delitescat tempus erectionis, attamen probabilius conjicere licet beneficiorum fundationem evenisse ante translationem monialium a conventu s. Sabini extra moenia ad domum et ecclesiam parochialem s. Petri, quod evenit sub pontificatu Sixti V.; proinde argui merito posse fundatores ne cogitare quidem voluisse de monialium commoditate. Ceterum satis inpraesentiarum consultum haberi praetensae hujusmodi commoditati, ex quo in earum ecclesia non unicum missarum onus est adimplendum. Praeter enim capellaniam pro diebus festivis aliisque ad commoditatem communitatis a s. m. Pii VII. in earum ecclesia, ut in ceteris monialium ecclesiis erecta adest capellania, Mori nuncupata, cum onere missae quotidianae, quae modo est de jurepatronatus ejusdem monasterii; insuper habent alias centum viginti missas annuas, quae a ceteris beneficiorum possessoribus in dicta ecclesia litantur; unde concludunt prorsus commentitium esse damnum quod lamentantur moniales sibi obvenisse ex translationis decreto.

Quibus ita se habentibus videant EE. PP. quonam responso sit dimittendum dubium:

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

S. C. resp.: Recedendum a decisis.

Die 5. Apr. 1851.

Viterbien.

Extra moenia civitatis Viterbii parva extat ecclesia, in qua erecta a remotissimo tempore est abbatia seu simplex beneficium liberae collationis sub titulo sanctae Mariae de Palumba, quo sacerdos Leopoldus Malaioni potitur in praesens. Quum Gallis dominantibus ecclesia haec ad usus profanos et sordidos conversa esset, postea rectore beneficii curante ad divinum cultum restituta fuit; sed brevi cum recondito in loco sita sit, janua eversa perditorum hominum receptaculum effecta est, ut ad usus inhonestos ac illicitos cunctis patuit. Nihilominus iterum manus admovit beneficiatus illius reparationi, quam gravibus toleratis expensis perfecit, sed ob frequentes alluviones, loci naturam et fabricae ubicationem, in imo jacentis et a publica via quae ei imminet veluti aggere circumseptae, in eum sensim devenit statum, ut Emus tunc temporis Episcopus eam divino cultui inservire amplius non posse intelligens interdixerit et ejusdem ingressum muro obstrui pluribus ab hinc annis jusserit. Nunc vero exustis parietibus, tecto fatiscente, proximam minitatur ruinam, ita ut inutilis restauratio foret, sed a fundamentis iterum excitari deberet, ut divino cultui restituatur.

Cum vero beneficiatus aequam ad hoc opus non habeat conditionem ex beneficii redditibus, qui deductis oneribus eidem supersunt, cumque de ecclesia agatur, ex qua nullum ferme populus commoditatis aut pietatis fructum percipit: hinc beneficiatus idem supplici oblato libello postulat, ut praefatae ecclesiae profanatio decernatur et beneficii in ea restituti titulus cum adnexis oneribus ad alteram ex capellis ecclesiae *cathedralis capituli consensu accedente* transferatur, ad quam etiam translatio fieri deberet iconis B. M. V. in ecclesia profano usui addicenda extantis, in qua ceteroquin nulla adsunt sepulchra aut alia monumenta; obligatione autem se obstringeret beneficii rector onera in eadem capella adimplendi ibique celebrandi quotannis diem festum s. Titularis necnon eamdem propriis sumptibus decorandi.

Praeterea exponit orator inde fundos, qui dotem abbatiae seu beneficii constituunt, duos extare, qui in emphiteusim ad tertiam generationem concessi fuere Antonio Parentati, hortum nempe in loco sub revocabulo Faul pro canone scut. 11 et domunculam, quae ecclesiae praedictae contigua est, pro canone scut. 9. Proponit itaque ut fabricae ecclesiae, profanatione praemissa, in emphiteusim pariter tradatur Laurentio Guerra, primi investiti Antonii Parentati successori, qui pro ea obtulit canonem scut. octo, ita tamen ut contractus emphiteuticus, qui nunc est ad tertiam generationem, ceteris fundis ut supra comprehensis, reddatur perpetuus. Animadvertit autem domunculam ex facto communitatis Viterbii ita nunc dirutam esse, ut emphiteusi cessante sperandum non sit fore ut emphiteusis aut locatio ejusdem pro responsione scutorum novem renovari queat.

Super oblatis precibus rogatus fuit Emus tunc temporis Episcopus informationem et votum; a quo accepi, redditus beneficii ab oratore possessi summam scut. 243. 83. attingere ac onera quae ei inhaerent scutatorum vim 104. 98. quotannis absorbere; redditus eapropter, deductis oneribus, ad scuta 139. 35. perstringi. Petitioni autem oratoris in omnibus favebat, de ecclesia inquiens: »Cum revera palam sit aediculam, de qua agitur, eo ruinarum, vetustatis et aquarum circumexundantium causa pervenisse, ut indecorum imo impossibile sit Sacra ibi peragere, nisi prius ingenti expensa illa erecta permaneat in loco ita solitario, ut et furibus aliisque criminosis hominibus asylum sit et refugium, haud dubitandum, quin pro profanatione dictae aediculae EE. VV. gratiam elargiantur. At vero cum peraequum sit hujus beneficii et titulum extare et onera persolvi, hinc de ejus translatione in aliquam cathedralis ecclesiae capellam conveniri, pro qua et Rmi Canonici capitulariter jam convenere, censendum esse arbitrantur. Qua translatione peracta ecclesiae utilitati praeterea erit consultum si aedicula in usus profanos conversa aliis bonis in emphiteusim datis adjungatur pro annuo canone scutatorum octo et insimul emphiteusis ipsa temporaria, uti nunc est, scilicet ad tertiam generationem, ne canon ipse inde minui unquam possit, in perpetuum concedatur«

Ad hujusmodi porro contractus utilitatem ulterius demonstrandum haec praeterea in facto notanda addebat, nempe ex relatis a perito Parri praedii valor in regione Faul positi una cum aedibus adjectis summam scut. 328. obol. 48. non excedit. Ecclesiae autem interdictae aedificium in eodem praedio situm juxta aestimatoris Mencarini judicium scut. 84 valorem praesefert, ita ut altero pretio (scilicet scut. 328. 48. summa hac addita vis integra scut. 412. et 48. habetur. Canon itaque scut. viginti octo, quem Laurentius Guerra in emphiteusim successor originario emphiteutae Parentati obtulit, fructibus responderet ad rationem scutatorum circiter septem pro quolibet centenario et anno supputatis quibuslibet oneribus annuatim persolvendis, quae quidem pensio longe superat quoad utilitatem alteram canonis jam depacti in primaevo emphiteusis contractu, quae utique detractis oneribus annuis scut. 4. 87. cum ad summam scut. 15. 13. cohibeatur fructum quotannis vix ad rationem quincuncem pro quolibet centenario et anno praebet.

Quibus animadversis concludebat suam esse sententiam:

Primo: aediculam, de qua agitur, in profanos usus converti debere.

Secundo: Titulum abbatiae seu beneficii simplicis, ut supra, transferri convenire in unam ex capellis cathedralis ecclesiae.

Tertio: Aediculam profanatam expedire adjungi aliis bonis emphiteuticis praebendae dicti beneficii pro summa scut. octo annuatim solvenda, potestatem insimul faciendo reddendi emphiteusim ex temporaria perpetuam.

Quamvis s. Concilium Trid. *sess. 21. c. 7. de reform.* ecclesiarum restaurationem et conservationem valde commendet »ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria absolescant et ex hominum memoria excidant,« attamen ubi pares ad id non sunt ipsarum ecclesiarum redditus expresse permittit, ut illis tandem neglectis Episcopi etiam tanquam Sedis apostolicae delegati transferre possint beneficia simplicia etiam jurispatronatus ex ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sunt, et ob earum inopiam nequeunt instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis . . . cum facultate . . . . ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.

In adnotationibus autem ad Conc. Trid. optime ad rem perpendit *Card. de Luca disc. 17. n. 2.* quandoque cessantibus etiam causis in isto conciliari decreto consideratis adhuc provisionibus sacrae Congregationis Immunitatis sive illius Episcoporum aliquarum ecclesiarum, quamvis alias bene ac decenter constructae sint neque alia indigeant refectione, demolitio vel profanatio demandari solet, quod etiam ipsi Ordinarii, quando facti circumstantiae ita exigant, in visitatione facere deberent, puta ibi de ec-

clesiis existentibus extra loca habitata et in locis campestribus seu alias ita situatis, ut pro delinquentium ac facinorosorum hominum confugio cum publicae quietis perturbatione deserviant.

Res itaque tota a facti pendet circumstantiis; deterrimum porro ecclesiae de qua agitur statum et gravem reparationis sumptum ex Eminentissimi Episcopi relatione EE. VV. noverunt. Quodsi satis diviti redditu, deductis quoque oneribus, perfrui videatur abbatiae seu beneficii rector, ubi manutentionis ecclesiae onus eapropter inest, attamen ea est praedictae ecclesiae conditio ob loci naturam, ut non tam restauratione quam nova aedificatione opus foret; siquidem haud expedit reparare, quod duraturam non admittit reparationem, seu simili in specie animadvertit folium s. Congregationis in *Brictinorien. 13. Sept. 1792* §.: *Demolitioni.* Ceterum constat, beneficiatum oratorem restaurationes anteactis non neglexisse temporibus, quas non tam injuria temporis quam adversa loci et fabricae conditio inutiles prorsus effecit. Ad haec accedit periculum irreverentiae cui aedicula obnoxia perpetuo foret improborum hominum malitia, ceu praeterita experientia demonstrat. Tandem nullum ex implorata profanatione populi devotioni et commoditati inferri detrimentum videtur, cujus rei intuitu aliquando profanationem vel demolitionem s. Congregatio denegavit, ut in *Ravennaten. 29. Julii 1775* et in *Aesina Demolitionis 26. Aug. 1780.* praesertim quia jamdium ecclesia interdicto subjecta et clausa manet, ac praeterea deficit circumstantia tumulatorum cadaverum, de qua s. Congregatio in *Ariminen. Demolit. et translat. missarum 16. Febr. 1788.* Hujusmodi autem in rerum adjunctis persaepe pro profanatione resolvit s. Congregatio ceu in *Lucana Demolitionis et translationis oneris missarum 18. Aug. 1781* et in *cit. Ariminen. Demolit. et translat. missarum 16. Febr. 1788.*

Quatenus igitur EE. VV. in profanationem ecclesiae conveniant, necesse est, ut de translatione quoque tituli beneficii cum adnexis oneribus et sacra B. M. V. imagine consulant. Translationem porro tunc perficiendum jubet Conc. Trid. cit. superius loco, quando necessaria profanatio ecclesiae in quo beneficii titulus extat judicata fuerit. Convenit aeque cum ejusdem Concilii sanctione, tum ut ad aliquam Cathredralis capellam fiat translatio, quae quoad alias ecclesias matrix censetur, *cui quidem translationi assensi sunt Ordinarius et capitulum,* tum etiam ut beneficii rector onus manutentionis capellae sibi assumat juxta decretum s. Congregationis in *Varnien. 24. Martii 1657. tom. 19. pag. 642. decretor.* Plura vero post demandatam profanationem suppetunt hujusmodi translationem exempla in thesauro resolutionum s. Congregationis, veluti, ceteris missis, in *Leapolien. 20. Julii 1730.* et in *Terracinen. 14. April. 1764.*

Ad propositum tandem emphiteusis contractum quod attinet, notandum est, nihil impedimento esse, quominus aedicula in casu, postquam profanationi subjecta fuerit, in commercio hominum sit, quia tunc desinit esse ecclesiam, *d. Thomas 2. 2. quaest. 106. art. 4. ad 2.*, deinde aequum videri ut redditus sive ex locatione sive ex emphiteusi ejusdem fabricae percipiendi in beneficii utilitatem convertantur, s. Congregatio in *Ariminen. 20. Martii 1854.* §.: *Quibus;* reliquum est igitur, ut decernatur num utilis sit propositus contractus. Utillimum quidem illum censebat Emus Episcopus, attento praesertim exiguo fabricae valore, difficultas tamen praecipua in eo fortasse erit, quod emphiteusis perpetua postuletur, et quod caput est, etiam quoad bona, quae in temporaneam emphiteusim jamdiu data fuere. Pro emphiteusi enim perpetua »non solet dari beneplacitum apostolicum, cum sit contra naturam emphiteusis ecclesiasticae« inquit *Card. Petra ad constit. 5. Pauli II. sect. 1. n. 20.*, sed non semel ab hujusmodi praxi recessit s. Congregatio, si quidem ageretur »de re sterili aut facilis diminutionis, ut sunt domus, et cum maxima utilitate ecclesiae concedentis, ceu subjungit idem *Petra loc. cit.*

Denique opus foret in casu dispensatione a solemnitatibus, quae in contractibus bonorum ecclesiae praescribuntur. Totius vero concessionis ratio ab utilitate pendet, quae piae causae obventura in proposito contractu videatur.

Omnibus itaque mature perpensis erit EE. VV. definire dubia:

I. *An sit locus profanationi ecclesiae, de qua agitur, an respective translationi tituli beneficii cum adnexis oneribus in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro approbatione propositae emphiteusis in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative in omnibus servatis tamen praescriptionibus s. Conc. Trid. *sess. 7. cap. 21. de ref.*

Ad II. Dilata; et exquiratur votum novi Episcopi tam super transitu emphiteusis a Parentati in Guerra quam super conditionibus et utilitate novi contractus.

Die 22. Junii 1861.

Continuatio Viterbien.

Duplicem excipiebat petitionem causa haec, quae proposita fuit in Congregatione diei 22. Junii 1861. Agebatur in prima de profano usui addicenda aedicula abbatiae s. Mariae de Palumba prope moenia civitatis Viterbii posita necnon de transferendis respective oneribus ejusdem abbatiae. Res erat in altera de approbanda emphiteusi perpetua nonnullorum bonorum ad praedictam abbatiam pertinentium, quibus addenda erat fabrica aediculae profanatae. Duo igitur proposita fuere dubia, nimirum:

I. *An sit locus profanationis ecclesiae, de qua agitur, ac respective translationi tituli beneficii cum adnexis oneribus in casu?*

II. *An sit consulendum SSmo pro approbatione propositae emphiteusis in casu?*

Quibus responsum prodiit:

Ad I. Affirmative in omnibus servatis tamen praescriptionibus s. Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 7. de reform.*

Ad II. Dilata, et exquiratur votum novi Episcopi tam insuper transitu emphiteusis a Parentati in Guerra quam super conditionibus et utilitate novi contractus.«

Haec suis literis nuper praestitit Episcopus, quas heic ex integro referam. Hoc unum adnoto, quod cum in novis hisce literis de locatione sermo fiat areae, in qua antiquum monasterium jacebat, in emphiteusim pariter convertenda, nihil super hoc antea deductum fuerat nec in supplici libello s. Congregationi oblato neque in Emi Episcopi antecessoris informationibus.

Haec porro habet Episcopus:

Per acta hujus curiae episcopalis sub die 3. Martii 1774 Augustinus Molajoni tunc temporis rector abbatiae sub titulo s. Mariae de Palumba Viterbii antiquitus erectae in emphiteusim locavit ad tertiam generationem Sancti et Josepho fratribus Parentati Viterbii hortum terrulamque attiguam necnon quatuor cameras ex diruto monasterio superstites penes abbatiae ecclesiam sitas, pro canone quoad praedia scut 11. et quoad domunculam scut. 9. Simplici vero locationis contractu sub eodem die 3. Martii praedictus Molajoni iisdem Parentati aream, in qua monasterium jacebat, colendam concessit, pro annuis scut. 2. adeo ut ipsi completive scut. 22. annuatim Abbati responderent, postea vero rata commodi detracta scut. 20. et obul. 90.

Sancte interim improli ac intestato decesso Joseph frater ejus collegit haereditatem ac solus propterea emphiteusis ac locationis, de quibus agitur, possessor remansit, cui dein vita functo Antonius filius unicus fuit haeres ex asse, huic vero ex testamento sub die 18. Decembris 1862 per acta Carnevalini Rosa filia.

Quae ultima cum aere alieno premeretur nec aliter debita persolvere valeret, rationes omnes in emphiteusi et locatione, ut supra, cum instrumento diei 3. Maji 1859. per acta Polidori in Laurentium Querra hodiernum earum possessorem venditione transtulit.

Ipse Guerra nunc et aream simpliciter locatam in emphiteusim habere vellet necnon ecclesiam profanatam et sic praediolis, domuncula, dicta area et ecclesia in bona emphyteutica pariter conversis emphyteusim ipsam canone adaucto usque ad scutata 28. annua, qui perpetuo tantus sit, liber ac praecipuus, perpetuam Auctoritate apostolica declarari.

Hisce conditionibus jactis num adstipulari contractus, ut petitur, intersit ecclesiae demum restat disserere mentemque aperire.

Nunc praesertim agitur de convertendo in contractum emphyteuticum e contractu simplicis locationis aream diruti monasterii, de tradendo in emphyteusim ecclesiam profanatam et de facienda potestate, ut simul haec bona emphyteutica uti talia a Laurentio Guerra ejusque haeredibus perpetuo habeantur. Et sic morem gerendo, ecclesiae huic scut. 28. redditus annuatim et invariabiliter obveniret. Nec amplius aliter esset unquam sperandum; cum maxime illa bona in infima Urbis parte sita ubi aquae abundantius confluunt et late habitationes undique desunt fructum vix ullum aeris insalubritate, et facili furum accessu producere queant.

Hinc praedia jam locata scut. 48 valorem juxta Ignatii Parci peritiam non excedunt; et parva ecclesia profananda per peritum Mencarini non amplius scut. 84 aestimata fuit; unde bona omnia si alienanda forent non repraesentarent plus quam summam scut. 413. 48. ex quibus legatis fructus percipiendus non ascenderet ad annua scut. 21, quum ex eorum emphyteutica locatione scut. 28 quotannis haberentur. Accedit insuper quod domuncula adhaerens ad moenia Urbis cum his prope fundamentis destitutis et vetustate fatiscentibus proximam minitatur ruinam. Quibus de causis monasterii aream ecclesiamque profanationi addictam neminem conducturum seorsim quid non videt? Soli Guerra id quodam modo expedire compertum est, qui cetera ibi abbatiae bona occupat, et omnia circum per emphiteusim sibi perpetuo tributa etsi magnis sumptibus meliorari ac tutari potest.

Unde patet me submisse sentire ecclesiae fore utile omnes supradictos fundos, hortum scilicet, attiguamque terrulam, aream Monasterii diruti, tres quae nunc supersunt cameras, et aediculam pari ratione Laurentio Guerra in emphyteusim locare perpetuam, ut est in votis hodierni abbatiae seu simplicis beneficii Palumba possessoris.

Benigne itaque resumpto anteactae propositionis folio, erit EE. VV. respondere ad alterum quod superest diluendum dubium:

An sit consulendum SSmo pro approbatione propositae emphyteusis in casu?

S. C. resp.:

Dilata, et scribatur iterum Episcopo, ut habito respectu ad qualitatem et naturam emphyteusis magis praecise referat super noviter deductis et praesertim super legitimo transitu emphyteusis a Parentati in Guerra.

Die 31. Aug. 1851.

III. *A Cathedrale in hospitalis ecclesiam.*

Lunen. Sarzanen.

Sacellum SSmae Annunciatae dicatum in cathedrali ecclesia s. Andreae civitatis Sarzanae aere suo Cocchinius de Nobilibus extruxit illudque anno 1371 beneficio seu officio missae quotidianae ditavit assignatis quibusdam stabilibus in sustentationem rectoris et reservata post ejus obitum nominatione sacerdotis consilio generali artium, seu communitati Sarzanae necnon institutione capitulo ejusdem ecclesiae. Adest in ea civitate hospitale expositis excipiendis curandisque infirmis erectum. Cum illud prae angustia temporum jacturam reddituum tulerit, cumque major in dies infirmorum copia ad illud accedat, hinc vacato nuper, per obitum rectoris, beneficio s. Andreae publici repraesentantes velut patroni unionem flagitant dicti beneficii favore illius nosocomii, et quotidiani oneris translationem ad ejusdem oratorium.

Absente Episcopo retulit Vicarius generalis, quod beneficii bona juxta peritorum fidem reddunt quotannis scuta 102 monetae romanae, quodque detractis oneribus, quorum impensam statuit in annuis scutis 34, supersunt scuta annua septuaginta duo. *Praeter oratores patronos unioni assentiri quoque ait Cathedralis capitulum* s. Andreae in cujus ecclesia erectum est beneficium, adjecta lege, quod fiant solitae expensae pro manutentione altaris, quodque omnibus diebus celebretur Sacrum ad formam fundationis et quod in solemnioribus functionibus seu festivitatibus B. M. Virginis missa celebretur non in oratorio hospitalis sed in dicto altari ecclesiae s. Andreae. Multos porro esse monet passive vocatos, quibus ex unione praejudicium inferatur; atque hospitalis indigentiam ex eo confirmat, quod habito decennali calculo illius redditus in annuis scutis 848. 50. ab exitu superantur scutorum quotannis 1010, quam reddituum deficientiam auget fructiferum aes alienum contractum in scutis 525. cum annuo faenore scutorum 21. Ex his ideo concludit censerem posse concedi unionem beneficii favore hospitalis et translationem missarum sub dictis conditionibus appositis a capitulo Lunen. Sarzanen. in assensu praestito, cum in dicta ecclesia aliae quatuor missae quotidianae supersint. His acceptis literis rescriptum est ad diem 8. Augusti proximi praeteriti: Audiatur Episcopus in curia, qui narrata per suum Vicarium generalem ejusque votum commendat.

Pugnant in hac specie inter se justitia et charitas; prima vetat unionem, ne fraudetur voluntas fundatoris, qui beneficium instituit in substentationem sacerdotis juxta regulam *text. in can. ultima voluntas caus. 13. quaest. 2.*; altera jubet *pauperibus expositis aegrotisque opem ferre*, qua de re

a ss. Patribus sacrisque Conciliis hospitalium pium opus valde commendatum teste *Thomassin. de vet. et nov. eccles. disciplin. part. I. lib. 2. cap. 89. et 91.* Agitur autem de simplici beneficio, ad quod nulli sunt passivi vocati, ita ut ab unione jus alterius non adimatur. Probata vicissim videtur *indigentia Sarsinatensis nosocomii,* cujus introitum excedit exitus in annuis circiter scutis biscentum, idque ob auctum vicissitudine temporum numerum pauperum infirmorum. Ad hanc levandam indigentiam, qui activa pollent nominatione publici representantes et capitulum, cujus est institutio, ultro unioni assentiuntur.

Quamobrem ea presto sunt extrema, scilicet *justa causa et consensus interesse habentium*, quae indultis hujusmodi viam sternunt. Reque vera sac. haec Congregatio his concurrentibus alias favore hospitalium ipsa missarum et dotium onera suspendit in *Pharaonen. Suppressionis onerum et absolutionis 9. Julii 1796.* et alia quoque hujusmodi pia legata univit in *Alatrina Visitationis ss. liminum 10. Julii 1790.*

Translationi obstat quidem expressa fundatoris voluntas ejusque pietas erga designatum altare quod propriis sumptibus extruxit, quibus in terminis ea difficilius concedi solet, ut definivit sac. Congregatio in *Casalen. 15. Decembris 1797.* Verum notat Vicarius generalis quod fundatoris cadaver in ecclesia s. Andreae tumulatum non fuit, quae circumstantia plurimum confert ad gratiam hujusmodi juxta decreta edita in *Firmana 3. Augusti 1782*, et in *Ariminen. Demolitionis et translationis missarum 16. Februavii 1788*; et praeterea notari posset, quod celebratio quotidianae missae in privato nosocomii sacello, cum necessaria sit ad spirituale infirmorum solatium, hinc, 'si' onus beneficio adnexum juxta preces fuerit translatum, prodesset quoque in levamen indigentiae, ex quo ab impensa hujus missae administratores hospitalis eximerentur. Concessa autem gratia sub conditionibus a capitulo propositis cultui s. Titularis satis foret consultum. Deliberandum itaque:

An et quomodo sit locus unioni et translationi missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi ad decennium, et cum conditionibus a capitulo praescriptis.

Die 23. Jan. 1802.

IV. *Ex Ecclesia profanata et diruta.*

Terracinen.

Parva ecclesia s. Nicolai Barensis in agro Somneni est Terracinen. dioecesis. Bis mille et ultra passus ab oppido distat: ad moniales cistercienses s. Mariae delle Canne pertinet; asperrima situ ad rupem montis, qui regnum Neapolitanum a ditione pontificia dividit. Eremitae custodienda persaepe data est. Ad eam quolibet anno feria secunda Pentecostes fit supplicatio; capitulum cum parte cleri accedit, sed nullo decenti ritu ac nullo ordine ob difficiles vias: ibi tria Sacra celebrat, quorum unum cum cantu; quibusque diebus feriae sextae mense Martio Sacrum agitur, nescitur an veteri tantum more vel piorum hominum antiqua largitione; perpetuis direptionibus obnoxia, necquicquam multoties reparata impensa monasterii, nam devastatur iterum; receptaculum saepenumero pecori, non raro hominibus facinorosis perfugium.

Moniales anno 1761. supplicarunt SSmo, ut profanaretur, translatis Sacris aliisque oneribus ad propriam ecclesiam monasterii, quod quingent. tantum passus ad oppidum numerat. Rei cognitione ad s. Congregationem delata auditus Episcopus omnia probavit confirmavitque: »spectat ecclesia quaedam parva ruralis ad usum eremi sub titulo s. Nicolai Barensis, a dicta terra distans per spatium duorum milliariorum circiter; hac de causa plurium pro refugio inservit banditorum aliorumque hominum perditorum, qui maxima cum irreverentia utuntur eadem pro parandis et coquendis cibis et pro aliis usibus sibi benevisis. Ad ipsam ecclesiam solent Canonici aliique de clero saeculari terrae praefatae in feria secunda festivitatis Pentecostes cujuslibet anni processionaliter ut ajunt accedere, sed revera confuse, absque ullo ordine et devotione, sedentes non sine scandalo plures eorum jumentis et ibidem tres missas celebrant, unam videlicet cum cantu et duas alias lectas et monasterium solvit eisdem scuta quinque, quae inter praesentes distribuuntur loco prandii, quod prius subministrabat, et in singulis quoque diebus veneris

mensis Martii celebratur pariter alia missa lecta cum eleemosyna juliorum trium pro qualibet ab eodem monasterio persoluta. Hujusmodi autem ecclesia reperitur modo totaliter fere devastata, signanter in tecto et portis combustis a praedictis hominibus, causa quorum impossibilis profecto redditur ejus manutentio cum suo debito et decenti decore, proinde expediens crederem profanatio ejusdem praevia tamen translatione imaginis divi Nicolai ad ecclesiam monasterii, ad quam inposterum clerus facilius et cum populi aedificatione processionaliter accedere et celebrare missas praefatas valeret, tanto magis quia ipse clerus a me auditus nullam apposuit difficultatem sed potius suum praestit consensum.«

Sed uti res secundum ordinem juris cognosceretur, ei rescriptum est, ut procederet prout de jure ad confectionem processus super abusu ecclesiae de qua agitur et defectu mediorum ad consulendum illius decenti manutentioni.

Pervenerunt acta. De precibus monialium nunc est inquirendum. Moniales iterant ea omnia, quae prius dixerant, quae ex actis probari omnia affirmant, ex quibus repetenda sunt. Necessarium esse ajunt, ut profanetur: de jure in ejusmodi casibus ita esse cautum: nihil inde imminui, imo augeri cultum sacrae imaginis ac pietatem et religionem populi: consuetam eleemosynam se praebituros clero; solumque petunt, ut quae erat mense Martio pro quolibet Sacro in ob. 30. fortasse ob longi itineris incommoda reducatur ad quindecim, quo major Sacrorum numerus sit.

Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de reform.* post demandatam Episcopis ecclesiarum restaurationem, si ea expleri nequeat »mandat, ut profanent eas non tamen ad sordidos usus et transferant in matrices, aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis.«

Id ipsum non raro fieri mandatum est, si aliae rerum circumstantiae id postulent, ut aediculae praesertim in agris profanentur, quae plerumque perditis hominibus usui sunt. Ita s. Congregatio Immunitatis faciendum edixit. Viden. *Card. de Luca discurs. 17. ad sess. 21. cap. 7. Concil. Trident. num. 3.*

Ad rem facit resolutio sacrae Congregationis in *Firmana Aediculae die 12. Decembris 1761. Quaeritur:*

I. *An sit locus profanationi ecclesiae ruralis s. Nicolai de Bario a monialibus Cisterciensibus in territorio oppidi Somneni possessae in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sacrae imagines, suppellectilia et onera quaecunque in eadem ecclesia existentia transferri et respective adimpleri valeant in ecclesia propria dictarum monialium in casu?*

S. C. resp.

Ad I.: Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II.: Affirmative et quoad onera scribatur Episcopo juxta instructionem.

Die 14. Apr. et 2. Junii 1764.

Extra moenia urbis N. exstabat sacra aedes, in qua erecta a remotissimo tempore erat abbatia, nunc simplex beneficium liberae collationis. Quum, Gallis dominantibus, ecclesiola haec in usus profanos conversa esset, postea, rectore beneficii curante, ad divinum cultum restituta fuit; sed brevi, quum recondito in loco sita esset, janua eversa, perditorum hominum receptaculum facta est, et ad usus haud honestos cunctis patuit. Nihilominus iterum manus admovit beneficiarius illius reparationi, quam, gravibus toleratis expensis, perfecit; sed ob frequentes alluviones, loci naturam et fabricae positionem in imo jacentis et a publica via, quae ei imminet, velut aggere circumseptae in eum sensim devenit statum, ut Episcopus id temporis eam divino cultui inservire amplius non posse intelligens interdixerit et ejusdem ingressum muro obstrui pluribus abhinc annis jusserit. Inde vero exesis parietibus, tecto fatiscente, proximam minitata est ruinam, ita ut inutilis restauratio fuisset, sed e fundamentis iterum excitari debuisset, ut divino cultui restitueretur.

Quum vero beneficiarius non in ea versaretur conditione, ut ex beneficii fructibus eam iterum exstruere posset quumque de templo ageretur, ex quo nullum ferme populus commoditatis aut pietatis fructum percepturus esset, hinc beneficiarius idem supplici oblato libello a s. Congregatione postulavit, ut dictae aediculae profanatio decerneretur et beneficii in ea instituti titulus cum adnexis oneribus ad unam ex capellis ecclesiae cathedralis, Ordinarii et ejusdem cathedralis capituli accedente consensu, transferretur, ad quam translatio fieri etiam deberet Iconis B. M. V. exstantis in aedicula profano usui addicenda; monuit praeterea in hac aedicula non adesse neque sepulcra neque alia ecclesiastica monumenta. Oneribus insuper sese obstringere pollicitus est: officia in eadem capella adimplendi ibique celebrandi quotannis diem festum s. Titularis, necnon eandem propriis sumptibus decorandi.

Praeterea exposuit idem orator, inter fundos, qui dotem abbatiae seu beneficii constituerent, duos exstare, qui in emphyteusim ad tertiam generationem concessi fuere Antonio P.; hortum nempe quendam pro canone scut. 11. et domunculam, quae ecclesiae praedictae contigua erat, pro canone scut. 9.

Proposuit itaque ut fabrica sacrae aedis, profanatione praemissa, in emphyteusim pariter traderetur cuidam Laurentio G. (successori dicti Antonii P. primi investiti) qui pro ea obtulisset canonem scut. 8., ita tamen, ut contractus emphyteuticarius, qui esset ad tertiam generationem, ceteris fundis comprehensis redderetur perpetuus. Animadvertit autem domunculam causa municipii ita esse in praesentia dirutam, ut emphyteusis aut locatio ejusdem pro responsione scutatorum novem renovari posset.

De his precibus rogatus id temporis Episcopus informationem et votum renunciavit, redditus beneficii quod orator possideret, deductis oneribus, summam attingere scutatorum 135. Precibus autem oratoris in omnibus suffragatus est inquiens: »Quum revera palam sit, aediculam, de qua agitur, eo ruinarum, vetustatis et aquarum circum exundantium causa pervenisse, ut indecorum, imo impossibile sit Sacra ibi peragere, nisi prius ingenti expensa ea penitus exstruatur; et quum praeterea illa erecta permaneat in loco ita solitario, ut et furibus aliisque criminosis hominibus asylum sit et refugium, haud dubitandum, quin pro dictae aediculae profanatione Emi Patres gratiam elargiantur. At vero, quum peraequum sit hujus beneficii et titulum exstare et onera persolvi, hinc de ejus translatione in aliquam cathedralis ecclesiae capellam convenire, pro qua et Rmi Canonici capitulariter jam convenere, censendum esse arbitror. Qua translatione peracta, ecclesiae utilitati praeterea erit consultum, si aedicula in usus profanos conversa aliis bonis in emphytheusim datis adjungatur pro annuo canone scutatorum octo, et insimul emphyteusis ipsa ex temporaria, uti nunc est, scilicet ad tertiam generationem, ne canon ipse inde minui umquam possit, in perpetuum concedatur.«

Hisce adjiciebat fundorum aestimationem atque exponebat contractus utilitatem.

Ex officio consideratum est, Concilium Tridentinum *sess. 21. c. 7. de ref.* ecclesiarum restaurationem et conservationem valde commendare, *ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant:* attamen ubi pares ad id non essent redditus, si de templis non paroecialibus agatur, aperte permittere, ut, illis tandem neglectis, »*Episcopi, etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in iisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis . . . . cum facultate ecclesias dirutas in profanos usus, dummodo non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*«

Hisce autem perpensis animadversum est cum Card. de Luca *in adnotat. ad Conc. Trid. disc. 17. n. 2.* dari posse et alia quoque adjuncta, quibus Ordinarii locorum in s. visitatione decernere deberent profanationem, ut si de ecclesiis agatur existentibus extra loca habitationis et in locis campestribus seu ita positis, ut pro delinquentium ac facinorosorum hominum confugio cum publicae quietis perturbatione deserviant.

In praesenti autem themate, licet diviti redditu, deductis quoque oneribus, beneficiarius, cui manutentionis ecclesiae onus eapropter inest, perfrui forte videretur, tamen eam esse praedictae ecclesiae conditionem ob loci naturam, ut non tam restaura-

tione quam nova aedificatione opus foret; siquidem haud expediret reparare, quod duraturam non admitteret reparationem, ceu in simili causa *Brictinorien. 13. Septembris 1792* §. *Demolitioni* animadversum est.

Ceterum constare, beneficiarium oratorem restaurationes anteactis temporibus non neglexisse, quas non tam injuria temporis quam adversa loci et fabricae conditio inutiles prorsus effecerit. Ad haec accedere periculum irreverentiae, cui aedicula obnoxia perpetuo foret improborum hominum malitia, praeterita experientia docente. Tandem nullum ex implorata profanatione populi pietati et commoditati inferri videri detrimentum, cujus rei intuitu profanationem et demolitionem s. Congregatio interdum denegaverit, ut in *Ravennaten.* 29. Julii 1775 et in *Aesin. Demolitionis* 26. Augusti 1780. Praesertim quum sacra aedes de qua agimus et jamdiu interdicto subjecta clausa maneret et deficeret circumstantia tumulatorum cadaverum; quibus adjunctis concurrentibus persaepe S. C. respondisse pro sacrarum aedium profanatione, ut in *Lucana Demolitionis et translationis missarum* 18. Augusti 1781 et in *Ariminen.* 16. Februarii 1788.

Quod si s. Congregatio ecclesiae profanationem decrevisset, quum decernendum quoque esset de translatione beneficii cum adnexis oneribus et B. V. M. imagine, animadversum est, translationem propositam convenire cum allegata Tridentini constitutione, tum quod ad aliquam ecclesiae cathedralis capellam fieret translatio, quae quoad alias ecclesias matrix censetur, cui quidem translationi assensi essent Episcopus et Capitulum, tum etiam, quod beneficiarius onus manutentionis capellae sibi assumeret, ut in *Narnien.* 24. Martii 1657 (lib. 19. decret. p. 642.), et in *Terracinen.* 14. Aprilis 1764 et alibi.

De proposito emphyteusis contractu adnotatum est, nihil impedimento esse, quominus aedicula, qua de agimus, postquam profanationi subjecta fuerit, in commercio hominum esset, quum desinat esse sacra aedes; s. Thomas 2, 2, *q. 106. art. 4. ad 2*: atque praeterea aequum esse, ut redditus sive ex locatione sive ex emphyteusi ejusdem fabricae percipiendos in beneficii utilitatem convertantur, ceu perpensum fuerat in *Ariminen.* 30. Martii 1854 §.: *Quibus.* Reliquum igitur esse, ut decerneretur, num utilis esset propositus contractus. Perutilem illum censuisse Episcopum habita ratione exigui fabricae valoris: difficultatem tamen in eo fortasse esse, quod emphyteusis perpetua postuletur, praesertim quum etiam quoad alia bona, quae in temporaneam emphyteusim jamdiu data essent, protendenda peteretur. De qua re adnotatum est, quod licet in anteactis saeculis dari non soleret Beneplacitum apostolicum pro emphyteusi perpetua, tamen recentiori aetate s. Congregationem non semel ab hujusmodi praxi recessisse.

Denique in praesenti themate opus esse dispensatione a solemnitatibus, quae in contractibus bonorum ecclesiae praescribuntur.

His animadversis propositum est resolvendum dubium:

An sit locus profanationi ecclesiae de qua agitur ac respective translationi tituli beneficii cum adnexis oneribus in casu?

S. Congregatio Concilii, causa cognita in comitiis habitis die 22. Junii 1861, respondere censuit:

Affirmative in omnibus, servatis tamen praescriptionibus S. Concilii Tridentini sess. 21. c. 7. de ref.

Ex quibus colliges:

I. Templa non paroecialia, quae locis reconditis sistant quaeque adeo fatiscant, ut neque restaurata diu consisterent neque utilitati fideli populo essent, in profanos usus, dummodo non sordidos, converti jure posse.

II. Ideoque templa auctoritate episcopali ita profana reddita in hominum commercium venire, quum sacra esse desinant.*)

III. Aequum autem esse, ut loci materiaeque pretium seu emolumentum in utilitatem convertatur beneficiorum, quae forte in ea exstiterint**) quaeque in aliam ecclesiam

*) Si camparatio instituatur in jus romanum et jus canonicum de templis locisque Deo sacris profano usui non addicendis apparet, multo mitius esse jus canonicum quam romanum jus. Attamen antiquitus ante dispositionem Tridentini Concilii in allegato *cap. 7. sess. 21. de ref.*, quum apertae dispositiones juris canonici de hac re non haberentur, Interpretes ss. canonum, prae oculis habitis dispositionibus romani juris, hac in re facile excesserunt.

**) In causa *Ariminen. Demolitionis et translationis*, agitata in S. C. C. die 5. Aprilis 1788, agebatur de quodam oratorio jurispatronatus demoliendo ob similes causas de quibus supra egimus in praesentia atque in eo erectum reperiebatur beneficium

seu capellam transferenda sunt cum iisdem titulis, oneribus sacrisque pietatis christianae monumentis.

V. *In Oratorium publicum.*

Cremonen.

Sacerdos Joannes Oddi incola oppidi Martignana Cremonensis dioecesis, certa constituta dote, ex bonis suis patrimonialibus anno 1737. erigi curavit beneficium simplex sub invocatione s. Joannis Evangelistae ad altare majus ecclesiae s. Luciae, quae parochialis est ejusdem oppidi. Plures huic fundationi adjecit conditiones et prae ceteris, quod ejusdem beneficii erectio effectum non foret habitura, nisi post ipsius fundatoris obitum. Onus injunxit beneficiato missam in ejus suffragium celebrandi ad idem altare majus per se vel per alium singulis dominicis et duobus cujuslibet hebdomadae diebus ferialibus atque festis Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis b. Mariae Virginis. Reservavit juspatronatus activum Marchioni Josepho Lodi Mora ejusque descendentibus masculis natu majoribus in infinitum: passivum autem clericis de illius familia, diminuto missarum numero, cum facultate celebrandi in ecclesia ipsis benevisa, ubi contigisset beneficium per eos obtineri. Et statuit idem beneficium transferendum esse ad proprium altare, quatènus per ipsum in eadem ecclesia parochiali construeretur sub invocatione s. Joannis Baptistae.

Mox mutato consilio idem fundator supplicavit sanctissimo Domino Nostro pro facultate dictum beneficium transferendi ad oratorium, quod in agro Martignanae intra fines dictae parochiae s. Luciae construere deliberaverat Franciscus Antonius Battinelli in suis praediis nuncupatis *le Canove*, ubi degunt plures colonorum familiae. Et remissis precibus ad hanc sacr. Congregationem auditus fuit Episcopus, qui retulit, petitae translationi assentiri Marchionem Josephum Lodi Mora ejusque filium primogenitum, sine praejudicio jurispatronatus ipsis reservati, obsistere tamen parochum Martignanae, ne commodo audiendi missam diebus festis priventur habitatores oppidi in gratiam colonorum, qui Sacris interesse possunt in aliis tribus oratoriis intra parochiae fines existentibus.

Et votum suum aperiens Episcopus censet, ut etiam defendit orator in circumferendo libello, precibus esse annuendum duplici ratione: primum, *quia translatio petitur a fundatore ipso, cui licitum est de consensu Episcopi novas addere conditiones in erectione beneficii non appositas*, ut notant *Vivien. de jurepatron. part. 1. lib. 2. cap. 8., Monacell. formul. legal. tom. 1. lit. 2. formul. 1. num. 9. et 10.*; secundo, *quia coloni, in quarum gratiam facienda erit translatio, distant a parochiali ecclesia tria circiter millia passuum viaque obruta est et valde difficilis*, hiemis praesertim, veris et autumni tempore, *ob redundantes propinquorum fluminum aquas*, quae ita quandoque impediunt accessum ad ecclesiam parochialem vel ad alia oratoria pari intervallo dissita, ut debiliores atque pueri, mulieres, senes nequeant praeceptum audiendi Sacrum diebus festis adimplere, in quibus terminis, si non obstante parochi dissensu locus esset etiam dismembrationi, juxta censuram *text. in cap.: Ad audientiam de eccles. aedific.*, et sac. Concil. Trident. *sess. 21. cap. 4. de reform.*, eo facilius contenditur, permittendam esse petitam translationem, sine praejudicio jurium parochialium et sine gravi incommodo oppidanorum, quibus aliae plures supersunt missae in ecclesia parochiali.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.:

An sit locus translationi beneficii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative sine praejudicio jurium parochialium et amplius.

Die 3. Julii 1762.

VI. *E publico Oratorio in ecclesiam parochialem.*

Aediculae.

Pia familia N. suae domui contiguam habebat sacram aediculam seu publicum oratorium, quod ideo a vetusta aetate fuerat aedificatum ut commoditati esset eidem fa-

et ad instantiam Patroni quaerentis demolitionem et translationem propositis dubiis: I. »An sit locus demolitionis oratorii SSmi Crucifixi in casu? et quatenus affirmative: II. An sit locus translationi missarum ad aliud oratorium s. Bartholomei vel potius ad ecclesiam s. Jo. Baptistae in casu?« S. Congregatio respondit ad I. *affirmative:* ad II. *affirmative ad primam partem, negative ad secundam juxta votum Episcopi; et ad mentem: nempe quod coementa cedant favore beneficii.*

miliae. Haec autem familia, tamquam patrona, oratorii manutentioni Sacrisque in eo perlitandis consulebat; hujus rei causa redditus ex duabus vineis provenientes eidem oratorio adsignaverat.

Recentiori autem tempore cum familiae bona pluribus haeredibus dispertita eademque vineae absque ullo onere cuidam cognato patrono donarentur, tum qui donavit tum donatarius aedicula decori celebrationique missarum prospicere curarunt. At vero cum domus cui aedicula conjuncta erat pluribus familiis deinde locata fuisset, ipsa sacra aedicula inculta fatiscebat atque officiis religiosis inde neglectis ejus decori non amplius prospiciebatur.

Patronus in cujus dominio aedicula erat ut dedecus removeret, eum locum in profanos usus convertere cogitavit atque simul divino cultui alia ratione consulere; itaque suum propositum SSmo Patri articulis qui sequuntur exposuit: 1° Altare sancti titularis et Crucifixi iconem, quae pretiosa erat, translatum iri in ecclesiam parochialem, cujus ipsa familia erat patrona, ibique congrue compositum propriis patroni sumptibus. 2° Paroeciam sibi onus suscepturam prospiciendi decori altaris celebrandique quotannis diem festum s. Titularis etc. 3° Patronum cautionem daturum solvendi singulis annis ducat. 20 etc.

Communicatis his precibus Episcopo ut suam aperiret sententiam atque, audito parocho, referret de valore annui redditus et oneribus utriusque vineae etc. Episcopus et parochus precibus patroni suffragati sunt cum de aedicula ageretur, quae nullum caeteroquin populo afferebat commodum, ut quae in loco minime prospero sita esset quaeque populo ipsi raro pateret. Ut vero nosceretur quanti aestimanda essent coementa et area oratorii necnon quot essent redditus vinearum, binas relationes idem Antistes transmisit a deputatis peritis exaratas. Monuit denique, actis curiae perquisitis, nullum documentum reperiri potuisse quod fundationem oratorii respiceret.

Ea, quae ex officio adnotata sunt.

Relatus est textus Tridentini Concilii *sess. 21. c. 7. de ref.* quo legitur; »*Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, Episcopi, etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis quae vetustate vel alias collapsae sint et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis* ..« Quod si ob inopiam instaurari ecclesiae nequeant, ipsa s. Synodus praeter haec tribuit etiam Episcopis facultatem *ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*

Ad normam autem hujus decreti, subjungebatur, s. Congregationem in causis eidem porrectis modo demolitioni ecclesiae obstitisse, ut in *Ravennaten.* 29. Julii 1775 et in *Aesina Demolitionis* 26. Augusti 1780, modo, cognita legitimarum causarum existentia, locum esse ecclesiae demolitioni respondisse: inter ejusmodi vero causas non ultimum habere locum irreverentiae periculum, quod facilius datur in desertis aediculis, maxime autem si populus nullum commodum ex eis percipiat.

Quare in *Firmana Aediculae* die 12. Decembris 1761 proposito dubio: An liceat PP. Minoribus conventualibus Firmi claudere et in alios usus convertere aediculam s. Antonii abbatis atque onera missarum sint transferenda ad altare eidem Sancto dicatum et existens in eorum ecclesia majori ejusdem civitatis in casu?« responsum prodiit: *affirmative, cum onere augendi missas juxta votum Vicarii*; item in *Viterbien. Translationis* die 22. Junii 1861*), proposito dubio: »an sit locus profanationi ecclesiae de qua agitur ac respective translationi tituli beneficii cum adnexis oneribus in casu?« responsum est: »*affirmative in omnibus, servatis tamen praescriptionibus Concilii Tridentini* sess. 21. c. 7. de refor.«

Quatenus autem EE. Patres aediculam in profanos usus converti posse censuissent, prospiciendum esse translationi ss. supellectilium et onerum missarum quae celebrari in ea aedicula consueverint: quamvis enim Episcopus reperire non potuerit fundationis documentum, satis tamen patronus se paratum exhibebat ad hujusmodi onera in posterum implenda, adsignatis ducatis annuis 20.

*) Vd. *p. 948.*

Quare in quadam *Terracinen.* diei 14. Aprilis 1764 propositis dubiis:

I. An sit locus profanationi ecclesiae ruralis s. Nicolai in casu?

II. An sacrae imagines, supellectilia et onera quaecumque in eadem ecclesia existentia transferri et respective adimpleri valeant in ecclesia propria monialium in casu?« responsum est

Ad I. *Affirmative juxta votum Episcopi.*

Ad II. *Affirmative.*

His aliisque ex officio animadversis precibusque s. Congregationi Concilii propositis sequens datum est *rescriptum: Approbandam esse propositam transactionem et conversionem juxta votum Episcopi, capta tamen inscriptione hypothecaria super fundis stabilibus pro securitate annui redditus duc. 20, usque dum tradatur summa capiti respondens legitime et tute investienda favore altaris cura Episcopi, qui caveat etiam ne in sordidos usus aedicula deserenda convertatur.*

Die 22. Decbr. 1866.

Ex his colliges:

I. Concilium Tridentinum valde commendasse Episcopis, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant.

II. Quare si contingat ecclesias collabi quin ob earum inopiam instaurari queant, beneficia simplicia et reliqua pia relicta in aliam ecclesiam transferenda esse ad normam dicti decreti.

III. Cavendum esse ne collapsae ecclesiae in sordidos usus convertantur.

IV. Inter causas legitime convertendi ecclesias in profanos usus, maxime si eae parvae sint, recenseri earumdem desertionem ob quam fatiscant locumque aperiant irreverentiae et decori, quin populus ex earumdem instauratione fructum percipiat.*)

d) Non concessa.

I. *Ex ecclesia restauranda.*

Ripana.

Apud oppidum Griptae ad mare vicus est sive suburbium, quod *Nuovo incasato* incolae vocant. Una tamen est rerum publicarum procuratio, una parochialis et matrix ecclesia s. Joannis Baptistae, in qua institutae sunt plures capellaniae et beneficia, unde missae fere undecim quotidie celebrantur. Unus parochus, qui omnes incolas regit, oppidanos per se scilicet ipsum, Vicanos autem per capellanum, qui in ecclesia s. Pii in suburbio exstructa Sacrum in singulos dies conficit.

Verum modernus Episcopus Ripanus universam parochialem ecclesiam s. Joannis Baptistae cum fatiscens esset et divino cultui indecora, tum etiam populo incommoda nec in ea unquam expletae fuissent necessariae restaurationes in s. visitationibus et ab ipso praescriptae et ab antecessoribus suis. Hinc inter parochum Benardini et communitatem Griptae ad Mare controversia fuit de restauranda ecclesia, dum alter in alterum onus reparationis rejiceret. Quae controversia, licet in apertam litem erumperet in hac s. Congregatione instauratam, attamen semper mansit indecisa, dum inter utrumque actum fuit de ineunda concordia. Accessito perito architecto Petro Maggi hic liquidavit expensas necessarias in summa scut. 1786. 10., ut parochialis in ampliorem commodioremque formam restitueretur. Ab anno 1797. parochus Bernardini preces obtulit s. Congregationi, in quibus media indicavit, unde pecunia ad opus necessaria cogi posset. Tum Episcopus interrogatus est de suo voto. At ob publica rerum discrimina infecta remanserunt omnia.

Tranquillitate restituta cum interea vacasset beneficium ss. Andreae et Jacobi in parochiali erectum ratus parochus et communitas posse ex hoc multum pecuniae ha-

*) Si agatur de ecclesiis parochialibus fatiscentibus, multo difficilius deveniendum est ad earumdem demolitionem vel conversionem in profanos usus, quemadmodum ex Tridentino decreto eruitur; namque hoc in casu omnia experienda prius sunt remedia juris: exemplo sit quaedam causa *Restaurationis ecclesiae parochialis* agitata in S. C. Concilii die 27. Julii 1861. Ecclesia parochialis cujusdam oppidi praesentissima indigebat reparatione, nobilis ecclesiae ejusdem patrona a reparatione abstinebat: Propositis dubiis: I. »An patrona (*N. N.*) teneatur restaurare ecclesiam parochialem oppidi (*N.*)? et quatenus *negative*: II. An, a quo et quomodo sit providendum restaurationi in casu?« responsum prodiit ad I: »*affirmative, praefixo patronae termino trium mensium ad perficiendas reparationes, quo inutiliter elapso esse locum amissionis jurispatronatus.* Ad II: *In casu amissionis teneri populum et possidentes per aes et libram.*« Idest facta proportione bonorum cujusque.

beri ad reficiendam ecclesiam iterum iterumque primum ab Episcopo Isaurensi, qui tum Romae erat Delegatus apostolicus, mox a s. Congregatione deprecati sunt, ut probarentur media ad reficiendam ecclesiam, quae hisce quatuor capitibus proponuntur:

I. Parochus Bernardini imposito censu super fundis parochialibus tribuet scuta sexcentum.

II. Nomine ecclesiae imponatur alius census in sorte scutorum sexcentum.

III. Ad hunc exstinquendum et ad solvendos interea fructus impetretur a s. Pontifice reductio ad medietatem missarum 1150, quae quotannis celebrantur a diversis capellanis; itidem contribuatur summa scut. viginti a sodalitatibus del Pianto e del ssmo Sacramento.

IV. Pro reliqua summa scutorum octingentum, quae deficiunt ad implendam expensam scut. 2000 pro reparatione ecclesiae, applicentur fabricae tum eleemosina missarum, quae inadimpletae manent, tum redditus beneficii ss. Andreae et Jacobi, cujus juspatronatus spectat ad communitatem, quae suspensionem nominationis ad tempus implorat.

Quamquam vero haec summa major sit scutis 1786. 10., quae peritus necessaria duxit ad parochialis restaurationem, attamen quod superest erogari postulant in aedificationem caemeterii, ne ecclesia, ut hactenus evenit, malo sepulcrorum odore infecta sit. Dum haec parochus et communitas deprecabantur, datae sunt s. Congregationi preces ab habitantibus suburbii sive del Nuovo Incasato. Isti enim unam habent quotidie missam in ecclesia s. Pii, quae celebratur a viceparocho. Postularunt itaque translationem beneficii ss. Andreae et Jacobi a parochiali in ecclesiam s. Pii, quo facilius illius vici incolae duas missas audire possent. Ad Episcopum omnia ablegata fuere qui votum suum quoad utriusque preces aperit.

Nam quod attinet ad reparationem ecclesiae parochialis, pro qua instat parochus Bernardini et communitas, ait, quod is, »aliam ingressus est viam obviam sane et abicibus minime obnoxiam. Revera hunc *assensum praebent* (attamen secundum vires) *tum sodalitates tum beneficiati tum ipsa communitas* patrona vacantis beneficii sub nomine bb. Andreae et Jacobi, cujus redditus sunt penes sub collectorem spoliorum. Hinc collectis in unum nummis fit summa scut. 2000, quae utique excedit summam scut. 1786. pro constructione templi juxta peritos necessariam, itaut scut. 263. 90. supersint. Quoniam vero templo contiguum est caemeterium, ut omnino construatur, et ipse in s. visitatione decrevi et ad hoc opus erogandam censeo praedictam summam.«

Haec quoad preces parochi. Ad instantiam vero incolarum del Nuovo Incasato refert Episcopus, quod »huic populo, etsi personis constat sexcentum, unus tamen adest sacerdos, qui ad satisfactionem praecepti ecclesiastici Sacra peragat. At impossibile est universam multitudinem ad missam unam convenire, ut proinde necessarium procul dubio videatur alium eligere sacerdotem ad alterius missae celebrationem. Hac de causa illius loci communitas assentitur, ut alia scutata 350. ex enunciato beneficio ss. Andreae et Jacobi sumantur. Sic re constituta ea statim habetur summa votis apta et de fructibus inde percipiendis statuitur stipendium sacerdoti, qui secundam missam celebret, non tamen populo sed pro arbitrio applicandam, non tantum diebus festis de praecepto sed aliis etiam, quibus ex devotione populus Sacris solet interesse; et missam celebrare et confessiones audire teneatur.«

Ut autem haec res omnis intimius scrutaretur scire oportebat, qui essent annui redditus beneficii ss. Andreae et Jacobi nunc, cum rerum pretia accreverunt, pertingere ad scuta 120 detractis oneribus, quae in duobus Sacris in qualibet hebdomada consistunt. »Quod attinet ad onera inadimpleta missarum, summam ipsa constituunt scut. sexaginta, et qui ad satisfactionem tenentur quam libentissime assentiuntur, ut eleemosyna impendatur in constructionem ecclesiae parochialis, ceterum ut summa habeatur, quae ad aedificationem ecclesiae desideratur, et summa scut. 350, ut ex fructibus sacerdoti, qui secundam missam celebrat et populi nova domicilia inhabitantis audiat confessiones, congruum statuatur honorarium necessarium; existimo suspensionem enunciati beneficii ss. Andreae et Jacobi ad annos septem si rerum pretia ut nunc sunt permaneant, sin minus ad annos quatuordecim.«

Novas interea obtulit preces communitas Griptae ad Mare ad hoc, ut per s. Congregationem sibi liceret, ut redditus beneficii ss. Andreae et Jacobi non per subcollectorem spoliorum administrarentur, sed per alium ex loco deputandum ab Episcopo, cui reddenda sit rationum expunctio. Omnes igitur instantiae, quae a parocho, quae a communitate Griptae ad Mare, quae ab habitantibus de Nuovo Incasato propositae sunt, nunc sub triplici infrascripto dubio ad EE. VV. judicium deferuntur.

Quaeritur in primo dubio, quomodo prospiciendum sit reparationi parochialis ecclesiae. Constat ex decretis visitationis Episcoporum Ripanorum, ita ecclesiam parochialem Gryptae ad Mare fuisse fatiscentem, ut ea interdici omnino oportuerit. Constat rursus ex relatione periti Maggi expensas ad reparationem ecclesiae et constructionem caemeterii attingere scuto ad duo millia. Ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 4. de reform.* parochiales colabescentes restitui debent primum ex redditibus ecclesiae, quorum nomine veniunt nedum, quae ad fabricam sed etiam quae ad rectorem parochumque pertinent, ut tradit *Benedict. XIV. in inst. 100* §. *12*, *Girald. in jus pontif. part. 2. tit. 3. pag. 88. 1. not. 1.* Quibus deficientibus tenentur patroni et tandem parochiani per contributum, *Pyringh. in jus canon. lib. 3. tit. 48.* §. *3. num. 14.*, *Barbosa de offic. et potestat. Episc. part. 3. allegat. 64. num. 4.* At ecclesiae parochiali Griptae ad Mare nulli adsunt patroni. Ea vero est temporum conditio, ut neque solus parochus par esse possit reparandae ecclesiae nec inter parochianos dispertiri queant expensae ad opus necessariae.

Hinc EE. PP. ponderare debent media a parocho et communitate proposita. Nam haec s. Congregatio si media ordinaria cessent aliquando per extraordinaria media reparationi ecclesiarum consuluit, ut in *Ariminen. Ecclesiae parochialis 24. Novembris 1792.* Quae vero nunc proponuntur eo redeunt, ut ad has expensas contribuant beneficiati, fundi pro legatis missarum, sodalitates et parochus, qui omnes assensum praebent, ut testatur Episcopus. Sane deficientibus redditibus fabricae jubet Concilium Trident. citat. *sess. 21. cap. 7. de reform.*, ut collapsae ecclesiae reparentur »ex fructibus et proventibus quibuscumque ad easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus.« Ex quo sequitur, ut prae viribus ad expensas beneficiati teneantur, *Lauvrex. Dissert. canon. 16. num. 13.* et *Rota in Viterbien. Contributionis et expensarum 15. Julii 1745* §. *10. coram Elephantutio.* Legata vero missarum quamquam in alios usus converti non debeant, *cap.: Cum nobis de testam.*, attamen subeunte *necessaria et utili causa* prout censenda est *reparatio ecclesiae* concessa fuit suspensio et applicatio missarum ut in *Lisbonen. Applicationis 18. Decembris 1790.* et in *Spoletana sub eodem die 18. Decembris 1790.* Pro reparatione vero ecclesiae bona parochi censui subjecta fuerant in *Bononien. proposita die 14. Decembris et resoluta die 12. Maji 1792 ad II. dub.* Et tandem per concursum a sodalitiis, hospitale ceterisque faciendam esse prae viribus restaurationem ecclesiae statuit s. Congregatio in *Ariminen. Ecclesiae parochialis 24. Novembris 1792.*

Postulant in secundo dubio incolae del Nuovo Incasato translationem beneficii ss. Andreae et Jacobi, quod erectum est in ecclesia parochiali s. Joannis Baptistae ad aliam ecclesiam s. Pii, quae est in suburbio. Eam afferunt causam, ut habeant saltem duas missas, ad quas populus facilius possit convenire. Maxime cum communitas, quae patronatu gaudet hujus beneficii, constet ex incolis vicinis et oppidanis, qui in ecclesia parochiali habent Sacra undecim in singulos dies. Verum tum juris dispositio, quae sanctas servat defunctorum voluntates, *can. ultim. voluntas caus. 13. quaest. 2.*, tum voluntas fundatorum prohibet, quominus transferatur celebratio Sacrificiorum, quae in designata ecclesia sunt perficienda, *Novar. in Manual. cap. 25. num. 134, Cevall. quaest. 686. num. 6.* et sac. Congregatio semper has translationes rejecit nisi aliter *necessitas et utilitas* postularet ut in *Neapolitana Capellaniarum 16. Junii 1731*, in *Vicen. Translationis oneris missarum 19. Aprilis 1766*, in *Firmana 3. Augusti 1782.* In proposito casu EE. PP. judicabunt, num incolis del Nuovo Incasato consuli debeat per translationem beneficii ss. Andreae et Jacobi seu potius, ut communitas Griptae ad Mare proponit et Episcopus probat, alia scuta 350 ex beneficio ss. Andreae et Jacobi sumantur. Sic re constituta habetur summa votis apta et de fructibus inde percipiendis statuitur stipendium sacerdoti, qui secundam missam celebret.

Agitur in tertio dubio de administra-

tione reddituum beneficii ss. Andreae et Jacobi, quae hactenus fuit penes subcollectorem spoliorum, qui sua stipendia credit in fabricam ecclesiae. Sane Episcopus praestat administrationi reddituum ecclesiasticorum, ut eruitur ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 9. de reform.*, adeoque potuit mandare subcollectori spoliorum, ut redditus vacantis beneficii administraret. At communitas Griptae ad Mare negat administrationem retinendam esse a subcollectore, cum agatur de beneficio de jurepatronatu laicali, in quo nil juris Dataria apostolica sibi arrogare potest, cum beneficium nulla reservationis lege teneatur. Quare renuente Episcopo postulat, ut beneficii hujusmodi redditus (quatenus ab EE. PP. suspensio concedatur) administrarentur per alium ab Episcopo deputandum ea lege, ut et ipsi Episcopo rationes reddat ita ut nihil derogetur juribus episcopalibus super administratione vacantis beneficii.

Tria igitur EE. VV. dignentur dirimere dubia:

I. *An et quomodo prospiciendum sit reparationi ecclesiae parochialis s. Joannis Baptistae oppidi Griptae ad Mare in casu?*

II. *An et quomodo facienda sit translatio beneficii ss. Andreae et Jacobi in casu?*

III. *An et cui danda sit administratio reddituum beneficii ss. Andreae et Jacobi in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Ad II. Negative et esse providendum juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Ad III. Administrationem dandam esse personae ecclesiasticae ab Episcopo eligendae.

Die 21. Novb. 1801.

II. *In aliam dioecesim.*

Praten.

In paroeciali ecclesia s. Jacobi civitatis Prati beneficium simplex extabat a s. Ansano nuncupatum de jurepatronatus nobilis gentis Mediceis Florentinae. Quemadmodum in ejus vacationibus rectorum praesentationem patroni peragebant coram curia Pratensi, ita haec eadem collationem cum possessione canonica expediebat, idque non solum pro tempore, quo civitas illa Praepositi regimini subjiciebatur, sed etiam postquam aeque principaliter fuit unita ecclesiae Pistoriensi sub uno eodemque Episcopo, ceu ejusdem curiae acta ab anno 1524 usque ad annum 1792 plane testantur. Videtur tamen sub id temporis tale jus curiae Pratensi praeceptum. Nam cum praedicta ecclesia s. Jacobi nimia vetustate fatiscens suppressa fuisset et onera missarum beneficio s. Ansani inhaerentia in altera ecclesia Prati sub invocatione Spiritus sancti adimplerentur, Episcopus Pistoriensis et Pratensis Franciscus Falchi Pachinesi *annuens precibus* cujusdam sacerdotis Petri Landroni sub die 12. Junii praedicti anni 1792. edito decreto transtulit beneficium s. Ansani in ecclesiam plebanam s. Hippoliti sitam *in Piazzanese* dioecesis Pistoriensis.

Quo emisso decreto curia Pistoriensis, nemine obstante, recepit praesentationes rectorum a patronis peractas et successivas provisiones contulit in binis vacationibus beneficii secutis eo annorum intervallo, qui fluere usque ad proxime elapsum annum 1851, in quo, cum tertio beneficium vacasset et curia Pistoriensis pro canonica institutione ageret, Provicarius generalis in curia Pratensi, cognita primum laesione jurium curialium derivata ex beneficii s. Ansani translatione in ecclesiam alterius dioecesis facta ab Episcopo Falchi, suas detulit querelas et protestationes coram curia Pistoriensi. Quae reposuit, curiam Pistoriensem decreto episcopali juvari; utrum autem Episcopus suarum facultatum fines excesserit, alicujus tribunalis superioris sententia decernendum esse.

Quae cum ita se haberent, capitulum Cathedralis ad protuenda illius dioecesis jura expostulat hodie ab H. S. O., ut ad juris tramites resolvantur dubia, quae inferius subnectuntur.

Episcopus de more rogatus informationem et votum auditis capitulo et promotore fiscali utriusque dioecesis abstinuit ab animi sui sententia aperienda et remisit tantum allegationes a respectivis promotoribus fiscalibus exaratas, quarum summam heic de more referam.

Promotor curiae Pistoriensis totus est in demonstranda validitate translationis, asserens, Episcopum Falchi in ea peragenda usum fuisse ea facultate, quam Concilium

Tridentinum *sess. 21. cap. 7. de reform.* *Episcopis* etiam tamquam apostolicae Sedis Delegatis concessit, transferendi nimirum beneficia simplicia ex ecclesiis vetustate vel alias collapsis in alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo; nec temere illud beneficium translatum fuisse in ecclesiam plebanam s. Hippoliti, cum haec licet sita in diverso loco valde tamen propinqua manet ecclesiae s. Jacobi, subjecta aeque ac beneficium patronatui ejusdem nobilis familiae de Mediceis.

Nec quidpiam validitati et efficaciae translationis obstare defectum beneplaciti apostolici et consensus Capituli Cathedralis Pratensis nec clausulam decreto episcopali adjectam nec solutionem, quam rectores beneficii etiam post translationem fecere, taxae beneficiariae favore seminarii Pratensis. Nam necessitatem beneplaciti apostolici non indigitat Concilium Tridentinum in suprarelata praescriptione, per quam potius Episcopi habentur tamquam Delegati Sedis apostolicae, nec ex eo inferri posse tamen necessitatem putat, quod translatio beneficii fiebat in ecclesiam alienae dioecesis, cum unus idemque sit utriusque dioecesis Episcopus; quod obtinet etiamsi translatio alienationi aequiparari velit, cum in themate non de translatione agatur rerum ecclesiasticarum in manus laicorum aut earum conversione in profanos usus, sed tantum de mera translatione ex una in alteram ecclesiam; adeoque cesset ratio ob quam canones exigunt beneplaciti apostolici interventionem, ceu observat *Ciarlin. controv. lib. 1. cap. 18. num. 34.*

Non posse aliunde praesumi, Episcopum Falchi juris canonici peritissimum voluisse translationem operari inconsulta Sede apostolica, si hujus veniam necessariam fore conspexisset. Quin potius retinendum esse, quod ipse revera ad id negotii debita facultate fuerit instructus, licet certo non constet, cum ad alia extraordinariis etiam facultatibus a s. Sede munitus esset.

Verum ad excludendam quoque necessitatem consensus capituli Cathedralis Pratensis pro transactionis robore, apprime, ait, perpendendum esse in qua dioecesi ecclesia s. Jacobi reperiretur, cum ibi primo beneficium s. Ansani erectum fuit. Constat enim, beneficium fundatum fuisse anno 1449: dismembrationem autem civitatis Prati a dioecesi Pistoriensi et erectionem Collegiatae s. Stephani in Cathedralem evenisse anno 1653 sub pontificatu s. m. Innocentii X. Cum igitur ecclesia s. Jacobi tempore fundationis beneficii ad dioecesim Pistoriensem pertineret, illa stante Capitulum Pratense jure ac merito translationi beneficii obstare potuisset; at ex collapsa in Episcopi arbitrio fuit illud transferre, quo melius putasset vel etiam iterum transferre in ipsam illam dioecesim, ubi fundator primitus beneficium erexerat et ubi patroni ejus successores optabant.

Sed dato etiam quod consensus Capituli Pratensis necessarius foret, non exinde infirmari translationem de qua agitur. Cum enim consensus non debeat *in ipso actu* sed possit quoque *ex intervallo* intervenire, capitulum Pratense hoc secundo modo consensum suum translationi praestitisse indicio praesumptivo est silentium triginta annorum ceu cum plurium auctorum unanimi sententia obtinere docent in casu duriori suspensionis beneficii *Garzias de benef. par. 12. cap. 2. num 172*, *Gratian. Discept. for. cap. 819. num. 14. 15*, *Barbos. de jur. eccl. 1. cap. 32. num. 43.* Quod indicium praesumptivum majorem vim meretur in themate cum pene 60 anni effluxerint, in quibus contra investituras a curia Pistoriensi rectoribus beneficii s. Ansani identidem datas praeviis edictis vacationum numquam capitulum Cathedralis Pratensis conquestum est.

Effectum autem translationis non suspendi per clausulas decreto episcopali adjectas. Per illas enim Episcopus opportunitati simul et firmitati translationis in futuro consulere voluit. Et utrumque reapse obtinuit. In tuto enim remanserunt jura patronorum qui etiam super ecclesia plebana sancti Hippoliti juspatronatus habebant. Seminario Pratensi sine ulla imminutione etiam imposterum soluta est taxa ex beneficio translato: Capitulares Pratenses certiores decreti et exportationis altaris s. Ansani publice peractae altum silentium tenuere. Hinc si in pastorali visitatione ecclesiae s. Hippoliti sub die 17. Maji anni 1795, triennio scilicet post emissum decretum translationis, hanc Episcopus non revocavit, eamdem confirmasse dicendus est. Atqui acta quae Episcopi agunt in visitationibus pastoralibus tamquam Delegati Sedis apostolicae cum potestate transferendi beneficia

ex una in aliam ecclesiam, servanda sunt, *Rota in rec. dec. 9. n. 11. p. 10. dec. 39. num. 7. par. 15.*, et praesertim quoad beneficia existentia in ecclesiis, quae visitantur, eadem *Rot. in rec. dec. 99. num. 13. par. 10.* Ad haec si consideretur, translationem controversam integram servatam fuisse etiam in successivis visitationibus habitis 1812. 1822. 1841 eamque in viridi observantia per plures continuos annos mansisse, in quibus curia Pistoriensis semper praesentationes recepit et investituras contulit, ambigendum non esse concludit, quin undequaque valida et legitima habenda est.

Post haec parum sollicitum se ostendit fiscalis promotor ob superius deputata de aliis controversiae capitibus tam super actorum curiae Pistoriensis validitate quam super jurium redintegratione, quam Pratensis curia praetendit: cum enim, ait, translatio pleno in vigore maneat, nemini ambiguum esse potest, quin et omnia acta circa beneficium s. Ansani a curia Pistoriensi sive exercita sive exercenda et ipsa consistant. Imo seposita etiam quaestione super vigore translationis valida esse reputanda ejus curiae acta propter diuturnam, qua juvatur, possessionem.

In damnata tamen hypothesi nullitatis fuse persequitur rationes, ob quas ea convalidanda sit. Nam ecclesia s. Jacobi suppressa adhuc manet. Insuper cum altare sub titulo s. Ansani de novo erectum fuit in ecclesia s. Hippoliti, si nunc denuo in aliam ecclesiam Prati asportandum esset, deformitas in illa consequeretur, populi displicentia et renuentia patronorum. Accedit ecclesiam praedictam s. Hippoliti quovis alio beneficio carere. Beneficii vero ibi existentiam parocho simul et parochianis commodam esse ob onus missarum annuatim celebrandarum beneficio inhaerens.

Adde eandem ecclesiam s. Hippoliti non plus uno milliario distare a fundis beneficii et subjici patronatui ejusdem familiae, quae translationi non obstat, quin libenter assentitur; beneficium tandem existit ubi primitus fundatum fuit, cujus possessio sexagenaria militat pro curia Pistoriensi.

Quin ulla habeatur ratio conclusionum, quae ab adversariis produci possent, quod nempe hoc modo dioecesis Pratensis privaretur beneficio in praejudicium suorum sacerdotum et emolumentis curiae de more persolvendis occasione investiturae rectorum. Nam in Pratensi dioecesi copia potius quam inopia est beneficiorum et patroni ordinarie praesentant sacerdotes Florentinos. Emolumenta vero cum ad Episcopum spectent, qui Pratensem simul et Pistoriensem dioecesim regit, indifferens omnino est ab una vel ab altera curia ea percipi.

Contra promotor fiscalis curiae Pratensis beneficii translationem nullitatis redarguit. Posito enim, quod translatio beneficii aequiparetur alienationi, animadvertit, beneficium s. Ansani vel ab ipsa ejus fundatione esse rem ecclesiae Pratensis, quippe quod erectum in paroeciali ecclesia s. Jacobi, quae a saeculo XII. ceu demonstrant pleraque pontificia diplomata citata ab *Ughellio Italia sacra tom. 3. pag. 317. et seqq.* semper subjecta fuit jurisdictioni quasiepiscopali Praepositi ecclesiae s. Stephani civitatis Prati. Cum vero haec anno 1653 a s. m. Innocentio PP. X. mediante bulla »*Redemptoris Nostri*« in episcopatum fuit evecta et ecclesiae Pistoriensi unita *aeque principaliter, ut unus et idem Episcopus* (ut legitur apud Hughelli l. c.) *ad utramque regendam assumptus controversa ditione pacifice potiretur et sic cessaret omnis amaritudo: ex quo, firma stante possessione jurium, in qua tunc erat ecclesia Pratensis, non aliter futuris Praesulibus ecclesiae Pistoriensis subjiceretur, quam uti Episcopis Pratensibus*, retinuit praefatam ecclesiam paroecialem s. Jacobi; et hac postea suppressa beneficium s. Ansani servatum est in ecclesia sub invocatione Spiritus sancti intra eamdem civitatem. Jure igitur optimo capitulum Cathedralis Pratensis reclamare contra translationem beneficii tamquam contra expoliationem et alienationem ab Episcopo Falchi peractam in ecclesiam alienae dioecesis.

Quamquam nullam rationem esse sibi suadet, ex qua inferri queat, Episcopum Falchi absolute voluisse talem expoliationem in detrimentum ecclesiae Pratensis patrare. Non enim id deduci potest ex verbis decreti, ac per consequens sine praejudicio ecclesiae Pratensis, non ex aliquo actu confirmatorio emisso ab eodem Episcopo occasione visitationum quas postea instituit in ecclesia s. Hippoliti, non ab extraordinariis facultatibus, quae de jure competunt Episcopis tempore visitationum. Inter eas facultates non illam recenseri expoliandi re

sua unam dioecesim ut altera ditetur aut convalidandi decretum emissum extra tempus visitationis; facultatem a Tridentino Episcopis concessam transferendi beneficia simplicia ex ecclesiis vetustate collapsis in alias ecclesias perspicue coarctari ad ecclesias *eorumdem locorum vel viciniorum*, quae sint in eadem dioecesi, ut per se patet. Haec autem limitatio ambigi nequit, quin locum habere debeat, etiam cum duae dioeceses sint *aeque principaliter unitae* et invicem distinctae, praeterquam quoad Episcopum, uti in casu.

In diversa hypothesi cadere, ait, translationem ex alio capite. Ea enim a diametro sacris canonibus adversatur, *cap. 1.: Non liceat de reb. eccl. non alien.*, et destituitur omnino necessariis conditionibus, beneplacito scilicet apostolico et consensu capituli Cathedralis Pratensis. Quae conditiones a jure requiruntur, »*ut jus cujusque ecclesiae illaesum servetur . . . quia expedit unamquamque ecclesiam dotem suam habere et conservare*,« *Gonzalez in cap. sup. cit. n. 6.*, quod quidem adeo rigorose procedit, ut nulla alia ratione ipsarum defectus suppleri queat, ex *cap. 1. de rebus eccl. non alien. in 6. can. sine exceptione 12. quaest. 2. ex Extravag.: Ambitiosae* et communiter DD. cum *Pirhing. ad tit. de his quae fiunt a Prael. sine consensu Capit.*

Absurde vero praesumi posse in casu sive beneplacitum apostolicum sive consensum Capituli. Prima enim praesumptio excluditur a constit. 152. Urbani VIII., quae excipit solum praesumptionem firmatam a praescriptione centenaria. Eo autem fortius in themate non praesumpto sed expresso opus fuisset beneplacito apostolico,*) quo manifestius erat praejudicium quod per translationem ecclesiae Pratensi inferebatur. Exploratum est apud omnes, beneplacitum apostolicum non intervenire ubi jura ecclesiarum violantur. Praesumptio ergo quaevis repudianda est in casu, »*cum nunquam praesumptio intrare possit, ubi constat beneplacitum expressum ac verum adesse non posse*,« *Card. de Luca de benef. disc. 24. num. 17.*

Quominus vero consensus etiam capituli Pratensis praesumatur obstat notissimum juris principium. »*Ubi requiritur consensus expressus* (sicut in perpetuis alienationibus bonorum ecclesiasticorum) *numquam praesumitur pro consensu, quia est solemnitas extrinseca, quae non praesumitur, sed probari debet*«, *Abbas de his quae fiunt a Prael. sin. cons. Capit. apud Pirrhing. lib. 3. tit. 10. eod. tit.*

Praeterea ne tacite quidem capitulum Pratense consentire potuisse translationi beneficii s. Ansani in ecclesiam extradioecesanam s. Hippoliti, cum usque ad annum 1854 absolute ignoraverit Episcopi decretum. Capitulum enimvero utpote persona moralis ea cognoscere dicitur, quae ipsi ex officio communicantur, nec jure agere, nisi post deliberationes habitas in regularibus comitiis. Nil proinde mirum, si capitulum Cathedralis Pratensis ignoraverit episcopale decretum translationis absque ulla solemnitate ad privatas preces plebani ecclesiae s. Hippoliti emissum. Et in facto illud ipsi non innotuit, nisi quando Provicarius generalis sentiens inefficaces conatus et protestationes coram curia Pistoriensi adhibitas ad curiae Pratensis jura repetenda rem totam, uti par erat, capitulo detulit ex officio. Immo nec quidquam tale potuit antea suspicari, cum onera beneficii non amplius Prati adimpleri constaret: onerum enim adimplemento praeesse non ad capitulum, se ad curiam spectat. Unica ratio rem totam cognoscendi fuisset capitulo Pratensis cessatio taxae beneficiariae favore seminarii Pratensis; jam vero taxa haec a rectoribus beneficii s. Ansani etiam post translationem regulariter et sine interruptione soluta est.

Inde etiam infert postremo loco, curiam Pistoriensem frustra praesidium in praescriptione quaerere. Non solum enim obstat principium: »*Quod de jure ab initio non subsistit tractu temporis non firmatur*,« *Lib. 6. decret. cap. ult. reg. 18.*, et aliud: »*Haberi debent ut infecta quae contra jus sunt confecta*,« *ex leg. non dubium 5. cod. de leg. lib. 6. dec. cap. ult. reg. 64*, sed illud etiam emergit ex postremo disputatis, nempe: »*agere non valenti non currit praescriptio*,« *leg. 1. ff. ne autem, et ibid. DD. de ann. except.*

Proponuntur dubia:

I. *An sustineatur translatio beneficii s. Ansani peracta decreto diei 12. Junii 1792 et valida renuntianda sint acta a curia Pistoriensi exercita super provisione ejusdem beneficii in casu?*

*) Vd. *t. I. p. 438. g. h.*

ex una in aliam ecclesiam, servanda sunt, *Rota in rec. dec. 9. n. 11. p. 10. dec. 39. num. 7. par. 15.*, et praesertim quoad beneficia existentia in ecclesiis, quae visitantur, eadem *Rot. in rec. dec. 99. num. 13. par. 10.* Ad haec si consideretur, translationem controversam integram servatam fuisse etiam in successivis visitationibus habitis 1812. 1822. 1841 eamque in viridi observantia per plures continuos annos mansisse, in quibus curia Pistoriensis semper praesentationes recepit et investituras contulit, ambigendum non esse concludit, quin undequaque valida et legitima habenda est.

Post haec parum sollicitum se ostendit fiscalis promotor ob superius deputata de aliis controversiae capitibus tam super actorum curiae Pistoriensis validitate quam super jurium redintegratione, quam Pratensis curia praetendit: cum enim, ait, translatio pleno in vigore maneat, nemini ambiguum esse potest, quin et omnia acta circa beneficium s. Ansani a curia Pistoriensi sive exercita sive exercenda et ipsa consistant. Imo seposita etiam quaestione super vigore translationis valida esse reputanda ejus curiae acta propter diuturnam, qua juvatur, possessionem.

In damnata tamen hypothesi nullitatis fuse persequitur rationes, ob quas ea convalidanda sit. Nam ecclesia s. Jacobi suppressa adhuc manet. Insuper cum altare sub titulo s. Ansani de novo erectum fuit in ecclesia s. Hippoliti, si nunc denuo in aliam ecclesiam Prati asportandum esset, deformitas in illa consequeretur, populi displicentia et renuentia patronorum. Accedit ecclesiam praedictam s. Hippoliti quovis alio beneficio carere. Beneficii vero ibi existentiam parocho simul et parochianis commodam esse ob onus missarum annuatim celebrandarum beneficio inhaerens.

Adde eandem ecclesiam s. Hippoliti non plus uno milliario distare a fundis beneficii et subjici patronatui ejusdem familiae, quae translationi non obstat, quin libenter assentitur; beneficium tandem existit ubi primitus fundatum fuit, cujus possessio sexagenaria militat pro curia Pistoriensi.

Quin ulla habeatur ratio conclusionum, quae ab adversariis produci possent, quod nempe hoc modo dioecesis Pratensis privaretur beneficio in praejudicium suorum sacerdotum et emolumentis curiae de more persolvendis occasione investiturae rectorum. Nam in Pratensi dioecesi copia potius quam inopia est beneficiorum et patroni ordinarie praesentant sacerdotes Florentinos. Emolumenta vero cum ad Episcopum spectent, qui Pratensem simul et Pistoriensem dioecesim regit, indifferens omnino est ab una vel ab altera curia ea percipi.

Contra promotor fiscalis curiae Pratensis beneficii translationem nullitatis redarguit. Posito enim, quod translatio beneficii aequiparetur alienationi, animadvertit, beneficium s. Ausani vel ab ipsa ejus fundatione esse rem ecclesiae Pratensis, quippe quod erectum in paroeciali ecclesia s. Jacobi, quae a saeculo XII. ceu demonstrant pleraque pontificia diplomata citata ab *Hughellio Italia sacra tom. 3. pag. 317. et seqq.* semper subjecta fuit jurisdictioni quasiepiscopali Praepositi ecclesiae s. Stephani civitatis Prati. Cum vero haec anno 1653 a s. m. Innocentio PP. X. mediante bulla »*Redemptoris Nostri*« in episcopatum fuit evecta et ecclesiae Pistoriensi unita *aeque principaliter, ut unus et idem Episcopus* (ut legitur apud Hughelli l. c.) *ad utramque regendam assumptus controversa ditione pacifice potiretur et sic cessaret omnis amaritudo: ex quo, firma stante possessione jurium, in qua tunc erat ecclesia Pratensis, non aliter futuris Praesulibus ecclesiae Pistoriensis subjiceretur, quam uti Episcopis Pratensibus*, retinuit praefatam ecclesiam paroecialem s. Jacobi; et hac postea suppressa beneficium s. Ansani servatum est in ecclesia sub invocatione Spiritus sancti intra eamdem civitatem. Jure igitur optimo capitulum Cathedralis Pratensis reclamare contra translationem beneficii tamquam contra expoliationem et alienationem ab Episcopo Falchi peractam in ecclesiam alienae dioecesis.

Quamquam nullam rationem esse sibi suadet, ex qua inferri queat, Episcopum Falchi absolute voluisse talem expoliationem in detrimentum ecclesiae Pratensis patrare. Non enim id deduci potest ex verbis decreti, ac per consequens sine praejudicio ecclesiae Pratensis, non ex aliquo actu confirmatorio emisso ab eodem Episcopo occasione visitationum quas postea instituit in ecclesia s. Hippoliti, non ab extraordinariis facultatibus, quae de jure competunt Episcopis tempore visitationum. Inter eas facultates non illam recenseri expoliandi re

sua unam dioecesim ut altera ditetur aut convalidandi decretum emissum extra tempus visitationis; facultatem a Tridentino Episcopis concessam transferendi beneficia simplicia ex ecclesiis vetustate collapsis in alias ecclesias perspicue coarctari ad ecclesias *eorumdem locorum vel viciniorum*, quae sint in eadem dioecesi, ut per se patet. Haec autem limitatio ambigi nequit, quin locum habere debeat, etiam cum duae dioeceses sint *aeque principaliter unitae* et invicem distinctae, praeterquam quoad Episcopum, uti in casu.

In diversa hypothesi cadere, ait, translationem ex alio capite. Ea enim a diametro sacris canonibus adversatur, *cap. 1.: Non liceat de reb. eccl. non alien.*, et destituitur omnino necessariis conditionibus, beneplacito scilicet apostolico et consensu capituli Cathedralis Pratensis. Quae conditiones a jure requiruntur, »*ut jus cujusque ecclesiae illaesum servetur . . . quia expedit unamquamque ecclesiam dotem suam habere et conservare*,« *Gonzalez in cap. sup. cit. n. 6.*, quod quidem adeo rigorose procedit, ut nulla alia ratione ipsarum defectus suppleri queat, ex *cap. 1. de rebus eccl. non alien. in 6. can. sine exceptione 12. quaest. 2. ex Extravag.*: *Ambitiosae* et communiter DD. cum *Pirhing. ad tit. de his quae fiunt a Prael. sine consensu Capit.*

Absurde vero praesumi posse in casu sive beneplacitum apostolicum sive consensum Capituli. Prima enim praesumptio excluditur a constit. 152. Urbani VIII., quae excipit solum praesumptionem firmatam a praescriptione centenaria. Eo autem fortius in themate non praesumpto sed expresso opus fuisset beneplacito apostolico,*) quo manifestius erat praejudicium quod per translationem ecclesiae Pratensi inferebatur. Exploratum est apud omnes, beneplacitum apostolicum non intervenire ubi jura ecclesiarum violantur. Praesumptio ergo quaevis repudianda est in casu, »*cum nunquam praesumptio intrare possit, ubi constat beneplacitum expressum ac verum adesse non posse,*« *Card. de Luca de benef. disc. 24. num. 17.*

Quominus vero consensus etiam capituli Pratensis praesumatur obstat notissimum juris principium. »*Ubi requiritur consensus expressus* (sicut in perpetuis alienationibus bonorum ecclesiasticorum) *numquam praesumitur pro consensu, quia est solemnitas extrinseca, quae non praesumitur, sed probari debet*«, *Abbas de his quae fiunt a Prael. sin. cons. Capit. apud Pirrhing. lib. 3. tit. 10. eod. tit.*

Praeterea ne tacite quidem capitulum Pratense consentire potuisse translationi beneficii s. Ansani in ecclesiam extradioecesanam s. Hippoliti, cum usque ad annum 1854 absolute ignoraverit Episcopi decretum. Capitulum enimvero utpote persona moralis ea cognoscere dicitur, quae ipsi ex officio communicantur, nec jure agere, nisi post deliberationes habitas in regularibus comitiis. Nil proinde mirum, si capitulum Cathedralis Pratensis ignoraverit episcopale decretum translationis absque ulla solemnitate ad privatas preces plebani ecclesiae s. Hippoliti emissum. Et in facto illud ipsi non innotuit, nisi quando Provicarius generalis sentiens inefficaces conatus et protestationes coram curia Pistoriensi adhibitas ad curiae Pratensis jura repetenda rem totam, uti par erat, capitulo detulit ex officio. Immo nec quidquam tale potuit antea suspicari, cum onera beneficii non amplius Prati adimpleri constaret: onerum enim adimplemento praeesse non ad capitulum, se ad curiam spectat. Unica ratio rem totam cognoscendi fuisset capitulo Pratensis cessatio taxae beneficiariae favore seminarii Pratensis; jam vero taxa haec a rectoribus beneficii s. Ansani etiam post translationem regulariter et sine interruptione soluta est.

Inde etiam infert postremo loco, curiam Pistoriensem frustra praesidium in praescriptione quaerere. Non solum enim obstat principium: »*Quod de jure ab initio non subsistit tractu temporis non firmatur,*« *Lib. 6. decret. cap. ult. reg. 18.*, et aliud: »*Haberi debent ut infecta quae contra jus sunt confecta,*« *ex leg. non dubium 5. cod. de leg. lib. 6. dec. cap. ult. reg. 64*, sed illud etiam emergit ex postremo disputatis, nempe: »*agere non valenti non currit praescriptio,*« *leg. 1. ff. ne autem, et ibid. DD. de ann. except.*

Proponuntur dubia:

I. *An sustineatur translatio beneficii s. Ansani peracta decreto diei 12. Junii 1792 et valida renuntianda sint acta a curia Pistoriensi exercita super provisione ejusdem beneficii in casu?*

*) Vd. *t. I. p. 438. g. h.*

Seu potius,

II. *An sit locus redintegrationi ejusdem beneficii favore dioecesis Pratensis in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Quoad translationem negative: in reliquis supplicandum SSmo pro sanatione.

Ad II. Affirmative.

Die 26. Novb. 1853.

e) Episcopi facultas.

Vd. *Beneficium* (transl. concessa etc.; non concessa, decr. *Praten. p. 954.)*

f) Episcopi unitarum dioecesium facultas.

Vd. *Benef.* (transl. non concessa, decr. *Praten. p. 954.)*

g) Temporanea.

Ilcinen.

In territorio Montis Lateronis dioecesis Ilcinen. pagus extat, cujus nomen Salajola, 350 incolis constans, qui a M. Laterone tribus millibus et quingentis passibus procul est; difficilisque inde via ad parochiam, inhospita et torrentibus praesertim hyberno tempore intersecta. Quare Salajolenses omni pene spirituali cultura carebant, cum anno 1855 simplex beneficium jurispatronatus laicalis sub titulo ss. Francisci et Caroli cum obligatione celebrandi in oratorio Salajoloae missam diebus festis institutum est a quodam adhuc vivente Petri; et hanc occasionem nactus Episcopus, consentientibus patrono et parocho Lateronensi, nuper erecti beneficii rectori residendi Salajolae obligationem adjecit, ut ibi munere capellani curati dependenter a parocho fungeretur. Hic vero ad addicti capellani labores rependendos decimas cessit, quae a Salajolensibus solvi consueverant quaeque ad duo frumenti rubra cum dimidio ascendunt, quibus duo rubra Salajolenses ipsi se addituros promiserunt. His cum redditu beneficii, quod 30 scutata refert, conjunctis satis congrua dos ad capellani substentationem constituta videbatur. Verum anno 1860 suppressis decimis ab actuali illius regionis gubernio nec amplius solventibus Salajolensibus quod promiserant, ob magnam eorum paupertatem, capellanus die 10. Sept. 1861 obtinuit ab Episcopo, ut juxta institutionis leges ab obligatione residendi et parochialia munia exercendi tamdiu eximeretur, quamdiu honesta sustentatio in dicto pago ipsi deficeret.

At hujus absentiae incommoda experti illico sunt fideles, cum intra breve temporis intervallum octo incolae adulti sine Sacramentis ecclesiae et assistentia sacerdotali ex hac vita migrarint.

Accidit interea, ut vacaverit simplex beneficium laicalis jurispatronatus sub titulo s. Caroli erectum in ecclesia parochiali Monticuli (Monticello) ejusdem dioecesis, cujus rector gravatur onere celebrandi tres missas singulis hebdomadis et praecipue si fieri potest diebus festis. Beneficii, cujus redditus detractis oneribus libellas italicas 141. 11. constituunt, compatroni della Greca et Costantini, rogati a Salajolensibus, ut eorum spiritualem necessitatem miserati in novum rectorem nominarent capellanum curatum ss. Francisci et Caroli, ut ita unitis redditibus congrua dos ad ipsum sustendandum iterum conficeretur, iidem compatroni unanimiter, licet distinctis actis, Salajolensium precibus annuerunt simulque rogarunt Episcopum, ut, unitis beneficiis, onera beneficii s. Caroli in ecclesiam Salajolensem adimplenda transferret. Attamen huic unioni, *cui consentiebat etiam patronus* beneficii s. Francisci et Caroli, dum in eo erat, ut perficeretur, obstare coeperunt Monticulenses eorumque imprimis praepositus parochus, qui idcirco apud Episcopum verbo et scriptis conquestus est. Episcopus hinc a Salajolensibus inde a Monticulensibus pressus neutris favens, ne studio partium ferri videretur, declaravit: »Casum hunc excedere facultatem Episcopis a Tridentino concessam pro unione beneficiorum et rem deferendam esse ad s. Sedem.« Itaque Salajolenses S. H. Congregationem supplices adierunt proprias necessitates spirituales exponentes.

Remissis ut mos est, die 18. Augusti 1862, precibus Episcopo pro informatione et voto atque ut *auditis compatronis ac praeposito* loci Monticello in scriptis referret de annuo redditu et oneribus capellaniae tam de tempore fundationis quam de praesenti, vera unionis necessitate et an alicui praejudicium inferretur, Ilcinensis Antistes transmisit quidem informationem et expedita documenta, ex quibus facti hujus speciem majori ex parte deprompsi, at a voto ferendo prorsus abstinuit, inquiens: »quomodo meum sensum aperiam in hac difficillima controversia in isto duarum partium ardentissimo conflictu me nescire fateor. Hoc unum scio: me debere nullius partis studiosum esse, ut pacem cum filiis habeam. Adhuc modicum et eorum loca visitaturus accedam. Qualis dolor si accedentem patrem infestis oculis intuerentur!«

His ergo in facto expositis mei muneris esse duxi Emi PP. sub vestros oculos imprimis ponere quae a praeposito Monticulensi contra hanc beneficiorum unionem in scriptis deducta sunt et Episcopo exhibita, ac deinde rationes afferre sive juris sive facti, quae eamdem vel respuere vel suadere videantur.

Arguit ante omnia parochus Monticulensis hujusmodi translatione et unione laedi justitiam, cum nemo spoliandus sit jure, quod certo possidet, multoque minus ecclesia, cujus jura sanctiora prae ceteris habenda sunt: quapropter jus ecclesiae Monticuli per fundationem beneficii s. Caroli quaesitum sine injustitiae nota eidem auferri nequit, ut ad aliam ecclesiam transferatur. Deinde hujusmodi translationem et unionem contrariam esse dicit pii fundatoris voluntati, qui idcirco in ecclesia Monticuli beneficium s. Caroli cum peculiari altari creavit, ut adesset qui parocho auxilium aliquod in animarum cura praeberet. Quamobrem rectori obligationem quotidianae praesentiae et applicationis missae diebus festis injunxit, sufficienti dote eumdem remunerans ac praecipue domo quadam prope ecclesiam sita. Translatio praeterea, ut ipse subjungit, maximo ecclesiae Monticulensi foret detrimento cum in ea tres tantum praeter parochum reperiantur sacerdotes, quorum unus omni ecclesiastico proventu caret, ut non leviter timendum ne alibi provideatur, et ita duo tantum sibi supersint sacerdotes, qui impares omnino essent ad omnia onera spiritualia ferenda; praesertim cum populus Monticulensis a nonnullis annis 400 capitibus supra consuetum numerum excreverit et parochus ipse 84 annos natus parochialibus muneribus obeundis quotidie fiat ineptior. Deficientibus ergo sacerdotibus qui sibi sint adjumento curam animarum resignare coactus esset; idque hisce praesertim temporibus, quibus (ut ipse testatur) ecclesia Monticuli clericis destituitur nec proxima spes affulget huic malo remedium adfuturum. Quae rationum momenta prosequitur parochus in causa fuerunt, quare populus Monticuli, ubi primum hujus translationis notitiam accepit, tanto dolore atque adeo gravi perturbatione correptus fuerit, ut ipse parochus suadere eidem debuerit, nihil esse metuendum, cum negotium ab ecclesiastica auctoritate dependeat cujus agendi ratio a justitia semper proficiscitur. Haec parochus.

Inter facti vero rationes, quae pro Salajolensibus militant, prae ceteris se primum offert *spiritualis eorum necessitas*, »quorum ecclesia, ait Episcopus, dirimitur a matrice Montis Lateronis passibus tribus millibus, medio profluente ad calcem praerupti clivi torrente La Gangona in magnis imbribus impermeabili.« Haec perpendens Episcopus »studia penes Gubernium tam praeteritum quam actuale adhibuit, ut media suppeditaret ad novam erigendam paroeciam. Neutrum ne verbum quidem respondit; ita oppilatum os habent cum de hujusmodi sumptibus agitur!« Ex hac itaque parte in irritum cessis Episcopi precibus alia omnino via adeunda erat ad tantum malum propulsandum. Cujus mali gravitas ut penitus dignoscatur, audienda omnino sunt verba, quibus Salajolenses in eorumdem precibus ad ssmum Patrem illud enucleate describunt. Insuper in promemoria ab ipsis Episcopo exhibita animadvertitur, Monticulenses haud ita magna premi spirituali penuria, ut omnino necessaria illis sit praesentia rectoris beneficii s. Caroli.

Quoad intentionem vero pii fundatoris beneficii s. Caroli neque hanc violari per praefatam unionem ibidem sustinetur.

His quoad rationes facti expensis quid jura circa hujusmodi materiam statuant, breviter modo expediam.

Animadvertendum imprimis est, uniones beneficiorum odiosas in jure reputari, *cap.: Ex parte 12. de constitut., Fagnan. in c.: Exposuisti n. 19., Card. de Luca de benef. disc. 46. n. 3., Turricella de union. benef. p. 3. quaest. 882*, quia per eas fundatorum voluntates subvertuntur, divinus cultus persaepe imminuitur, sacra patrimonia et ecclesiae provisiones restringuntur; *Engel Jus can. lib. 3. t. 12. num. 9*, s. Congreg. in *Romana Unionis 14. April. 1832* §.: *Hisce*, in *Feretrana Unionis 24. Aprilis 1847*. §.: *Ea est*, *in Lunen-Sarzanen Unionis 26. Feb. 1848.* Igitur nonnisi maximis existentibus causis ad eas deveniri solet.

Porro ad eas rite absolvendas duplex so-

lemnitas in jure praescribitur, intrinseca nempe et extrinseca.

Prima quidem profluit ex justa uniendi causa, quae nihil aliud est, quam *evidens utilitas vel necessitas ecclesiae*, ut colligitur ex *cap.: Exposuisti. 33. de praeb.*, cui consonat *Conc. Trid. sess. 21. c. 5., sess. 24. c. 15. de ref.*

Dixi requiri *evidentem ecclesiae utilitatem vel necessitatem*, *quia satis non est quaevis utilitas* sed requiritur, ut sit evidens et praecisa, ita ut omne de ea dubium tollatur, uti docet *Rota decis. 65. n. 17. p. 2. Rec.* Hinc si probari non posset, ecclesiae redditus satis non esse ad beneficiatum alendum, vel saltem dubium esse de illorum sufficientia, canonica unionis causa deficere dicenda esset, ut ait *Lotter. de re benef. l. 1. quaes. 28. n. 143.*

Altera *solemnitas a legitima unientis auctoritate* proficiscitur, quae esse non potest nisi *rom. Pontificis pro universa ecclesia et Episcoporum pro respectivis dioecesibus*, ex *cap. Sicut unire 8. de excess. Praelat.* Quod si unio fiat ab Episcopo insuper necessaria est tum discretio, sic enim cit. *cap.: Exposuisti* vocatur modus quo disquiritur, num vere adsit canonica necessitatis vel utilitatis causa, tum *vocatio eorum quorum interest et nominatim patronorum*, quorum consensio si desit, unionem ab Episcopo factam irritam esse tradit *Lotterius loc. cit. n. 760.*, s. Congr. in *Feretrana Unionis 24. April. 1847.*

Quod si unio perficiatur a Pontifice, tum nec inquisitio causae nec vocatio eorum quorum interest necessaria est; haec enim necessitas »singulariter (cit. *Lotter. l. c. n. 160.)* Papam nullo modo tenet etiamsi gratia ipsius alteri praejudicium inferat propter absolutam ejus auctoritatem. Sufficit igitur eum habere scientiam praejudicii, quod patrono collatori infert.«

Quod morem autem respicit hujus s. Congregationis constat, eam pro diversis rerum et locorum adjunctis modo unionem denegasse, ut in *Frisingen. 14. Junii 1710*, in *Basileen. seu Constantien. Unionis 26. Martii 1768*, modo concessisse, ut in *Compostellana Unionis 20. Septemb. 1692*, in *Ceracovien. Unionis 5. Decembris 1739.* Non possum vero me temperare a referenda quadam H. S. O. decisione circa unionem, quam praebet species *Fesulana 13. Januarii 1816* huic nostrae valde adsimilis. Species haec erat: divinus cultus in cathedrali ecclesia Fesulana, deficientibus qui Canonicis inservirent, minus belle se habebat; cui malo id remedii Episcopus proponebat, ut nempe octo beneficia in aliis ecclesiis erecta, quae vel ad ejus liberam collationem vel ad juspatronatus capituli aliorumve pertinebant, simul unirentur, ut inde tres mansionarii constitui possent, qui choro inservirent. Proposito itaque dubio:

An et quomodo sit locus unioni et translationi beneficiorum in casu?

responsum fuit: Affirmative juxta votum Episcopi satisfactis omnibus oneribus etiam per alios ad formam respectivam fundationum sumptibus mansionariorum et *accedente consensu patronorum.*

Cum itaque de unione agitur, causae solutio a prudenti circumstantiarum aestimatione pendet.

Quae circumstantiae in themate si ex una parte commonstrant, ecclesiam Monticuli non abundare spirituali sacerdotum praesidio atque adsistentia, ex altera hujus absolutam atque urgentem necessitatem in Salajolensi ecclesia clare patefacere videntur. Igitur dum nullo modo videretur auferendum beneficium s. Caroli ab ecclesia Monticulensi, si praesto essent aliae rationes quibus praesenti necessitati ecclesiae Salajolensis satisfieri posset, his omnino deficientibus unio saltem temporanea beneficiorum concedenda esse videretur. Viderint ergo Eminentiae Vestrae utrum si non perpetua, temporanea saltem unio concedi valeret, hoc enim temperamento, dum ecclesia Monticuli jure suo non spoliaretur, provideretur aliquo modo extremae ecclesiae Salajolensis necessitati, quae moram admittere non videretur. Porro exempla non desunt hujusmodi unionum ad tempus: et hesternum est, quod die 20. Decembris 1862 Eminentiae Vestrae concesserunt in *Verulana Unionis per sum. prec.* proposita. Tranquillitas interea Italiae Episcopum cogit, ut congrua parochiali dote ecclesia Salajolensis donetur.

Post haec proponitur Vobis EE. PP. dirimendum dubium:

An et quomodo annuendum sit oratorum precibus in casu?

S. C. resp.:

Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative per unionem ad triennium tantum, si tamdiu etc. facto verbo cum SSmo, et Episcopus curet ut quam citius congrua capellano constituatur.

Die 31. Jan. 1863.

107) Uniforme.

Vd. *Beneficium* (sub eodem tecto etc. p. 383 n. 17.)

108) Unio.

Vd. *Beneficium* (suppressio p. 888; translatio p. 932); *Ecclesia paroch.* (unio).

a) Ab Abbatibus et aliis Episcopo Inferioribus.

Abbates*) aliosque praelatos Episcopo inferiores habentes ecclesias sibi ita plene subjectas, ut jurisdictione quasi episcopali in eis fungantur, seu exsistente speciali privilegio aut consuetudine legitime praescripta posse beneficia unire tenent *Marian.*, *Soccin. in cap.: Sicut unire art. 3. n. 41. et 42.*, *Sbroz, de officio vicarii lib. II. q. 115. n. 11; Barbosa alleg. 66. n. 14.* et *super Trid. n. 18. cum Garcia*, *Azorio*, *Sanchez*, *Aloysio Riccio*, *Lotter.* ibi citatis, *Federic. de Senis cons. 111. n. 8*, *Oldrad.*, *cons. 257. n. 5.*, *Rota*, *part. II. recent. decis. 373. n. 19.* Sic limitari communiter per doctores delegationem facultatis uniendi beneficia in inferiori praelato facta in cit. *cap.: Unire*, quia talis praelatus inferior id jurisdictionis exercet in sua dioecesi, quod exercet Episcopus in sua, et alii apud *Fagnan. in cit. cap.: Sicut unire n. 17.*, dicens, quod hanc sententiam alias probavit sacra Congregat. Conc. Trident. interpretum: »Censuit enim inferiores Episcopo non posse unire, nisi hanc facultatem legitime praescripserint aut ex privilegio in ecclesia sibi pleno jure subjecta jurisdictionem quasi episcopalem habeant in omnibus et per omnia, alioquin unionem ab Episcopo faciendam esse cum consensu ipsius inferioris et capituli.«

Contrarium tamen, Abbates aliosque praelatos Episcopo inferiores non posse ecclesias unire vel unam alteri subjicere, quantumcunque ecclesiae ipsae ad illos spectent pleno jure, defendunt in cit. *cap.: Sicut unire*, *Joan. Andr. n. 2.* in verb.: *Unio*, *Henric. Boich.*, *post princ. vers. et nota; Ancharan.* n. 3., *Hostien. in cap.: Quia nonnulli* verb.: *Parochiales*, *de clericis non resident.*, *Archidiacon. in cap.: Cum singula*, in verb.: *Annexae, de praebend. in 6;* et ita tenere communiter doctores antiquos testatur *Marian*, *Soccin.* in cit. *cap.: Sicut unire, art. 4. n. 41.*, atque id expresse tenet *Glossa in Clement. Si una 2. de rebus ecclesiae non alienand.* verb.: *Episcopum*, et alia *Glossa in Clement. Ne in agro 1. §.: Ad haec de statu monachor.* verb.: *Ordinarios*, et sic docent alii plures per *text. in cit. cap.: Sicut unire*, quia unire est unus de casibus Episcopo reservatis et denegatis inferioribus, atque ita censuit etiam sacra Congregatio Concil., apud *Fagnan. loc. cit. n. 18*, *ibi:* »Alias tamen consulta: an abbates exempti, qui jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem habent, possint, si saeculares et collegiatas ecclesias obtinent, facere uniones, sicut possunt Episcopi ex *cap. 15. sess. XXIV.*, respondit: non posse Abbatem hujusmodi sed Episcopum tantum, si Collegiata est insignis et observentur alia praescripta in dicto cap. 15.«

Unde ad conciliandas omnes meliori modo supradictas doctorum sententias et sac. Congregat. declarationes concludendum est: Non posse dictos praelatos Episcopo inferiores de sola sua ordinaria quasi episcopali jurisdictione beneficia unire sine assensu proprii Episcopi, juxta clarum *textum in cit. cap.: Sicut unire 8. de excessibus praelator*; bene vero posse, si ex speciali privilegio aut consuetudine legitime praescripta id eis competere dignoscatur; nam jura episcopalia inferiores praescribere non prohibentur: *cap.: Auditis 15. de praescriptionibus*; *Hojeda Tractatuum tom. XV.*, *tract. de benef. incompatib. part. II. cap. 3. n. 7.*; *Reiffenstuel loc. cit. n. 66.*, *Abbas in cit. cap.: Unire n. 3.* cum aliis apud *Fagnan. loc. cit. n. 15. 16. et 17.*

b) Accessoria.

Vd. *Benef.* (unionis modi.)

c) Aeque principalis.

Vd. *Benef.* (unionis modi.)

d) Ab Archiepiscopo.

Vd. *Benef.* (unio — Episcopi facultas.)

Archiepiscopus seu Metropolitanus potest quidem unire beneficia suae dioecesis, sicuti quilibet Episcopus, at vero nequit unire beneficia dioecesium suorum suffraganeorum, *Barbos. cit. allegat. 66. n. 13. et lib. III.*

*) Vd. *t. I. p. 28. n. 14.*; *p. 41. c.*; *p. 44. n. 34.*

jur. eccles. univers. cap. 16. n. 58, et super Trident. *sess. XXI. de reformat. c. 5. n. 3.*, cum pluribus ibi citatis; *Fagnan. in cit. cap.: Unire 8. de excessib. praelator. n. 8.*, testans sic decisum fuisse a sacra Congregat. Concil., ibi: »Cum fructus praebendarum collegiatae ecclesiae oppidi de Exea essent adeo tenues, ut vix sustentationi Canonicorum sufficerent, et fuisset petitum declarari a sacra Congregat. Concil.:

An Episcopus eis unire posset aliqua simplicia beneficia et eo nolente vel negligente Metropolitanus?

Responsum est: Episcopum posse, non tamen teneri; Metropolitanum vero in hoc non posse supplere.«

»Limitatur (ita *Ventriglia Prax. for. eccles. part. II. annot. 8. §. 1. n. 6.*) supraposita conclusio in casu legitimae appellationis, quae potest intercedere in hoc casu; nam Episcopus, stante justa causa, tenetur unire, prout cum Archid. et Mendos. tenet Riccius, et proinde, si legitime interpellatus denegat unionem, gravat et consequenter justam viam parat appellationi; quo casu, quia proprium appellationis est suspendere et devolvere negotium, Metropolitanus valide potest unire beneficia dioecesis suffraganei.«

Audiamus insuper clar. Leurenium, qui sic habet: »Limitat responsionem Ventrigl., ut Metropolitanus id possit ex causa legitima, quae potest in hoc casu intercedere, dum nimirum Episcopus legitime interpellatus negat unionem, gravat et sic parat viam justae appellationi, quo casu, cum proprium sit appellationis suspendere et devolvere negotium, Metropolitanus potest valide unire beneficia dioecesis suffraganei.« *For. benefic. p. III. quaest. 904. n. 2.*

e) Beneficiorum, quae sunt jurispatronatus.

Vd. *Benef.* (unio concessa in commod. beneficiati decr.: *Nullius trium fontium §. Quatenus*)

Nullius trium fontium.

Non incogniti juris est, quod, si duo beneficia jurispatronatus insimul uniantur, patroni unius beneficii fiant patroni alterius, *Piton. de controv. patron. alleg. 100. n. 80.*, *Rot. cor. Emerix. jun. decis. 87. 2. 7.*, et in *Bononien. Beneficiorum 12. Decembris 1712. §.: Quam, cor. Crispo.*

Die 17. Maji 1828.

f) A Capitulo Cathedralis.

Capitulum sede vacante potest unire ea beneficia, quae potest Episcopus, dummodo per eam unionem jurisdictioni episcopali nihil detrahatur, capitulum enim succedit in integram ordinariam jurisdictionem Episcopi: *Barbos. allegat. 66. n. 11.* et super *Trident. sess. VII. cap. 6. n. 16.* cum Marian., Soccin., Caccialup., Rebuff., Perusin., Hojeda, Sanchez, Zerola, Marc. Ant., Genuens., Quaranta, Garcia, Ragus. ibi citatis, *Ventriglia in praxi tom. II. adnotat. 8. num. 8.*, *Reiffenstuel. lib. III. decret. tit. 12. n. 64.*, *Pirrhing. lib. III. decretal. tit. 5. n. 207.* et alii.

g) Causae concedendi.

Vd. *Beneficium* (unio concessa; non concessa, conditiones.) *Commutatio ultimae voluntatis.*

Sutrina.

Justam unioni beneficiorum piorumque operum causam praebent *necessitas, ecclesiae utilitas, major commoditas, interesse habentium consensus; Monet. de commut. volunt. cap. 6. num. 83.*, *Amost. de caus. piis lib. 1. cap. 14. num. 32.*,

Die 31. Julii. 1710.

Perusina.

Tenuitas urget parochialium redditum ecclesiae s. Angeli, quae rationabilem inducit necessitatis atque utilitatis causam, ex qua simplicium etiam beneficiorum unionem permittit Honorius III. *in cap.: Exposuisti de praeben.* et Tridentina Synodus *in sess. 21. cap. 5. de refor.*

Die 18. Decbr. 1790.

Sarsinaten.

Ex tribus beneficiis fundatis a Bernardina Almerigi in ecclesia priorali oppidi Fori Saraceni duo possidet Petrus Antonius Mami, alterum Julianus Mami Canonicus coadjutor ecclesiae cathedralis. Eorumdem beneficiorum compatroni exorarunt S. C. pro unione dictorum beneficiorum in favorem dicti Antonii, ita ut omnia ad unum redigantur. Episcopus de *redditum tenuitate* retulit et S. C. gratiam concessit.

Die 29. Julii 1786.

Alexandrina.

Johannes Jacobus Columbus mandavit, ut ex universa haereditate bina sub canonicatum nomine laicalia erigerentur beneficia, unum in ecclesia s. Caroli, alterum in ecclesia s. Jacobi. Tot cuilibet beneficiato praescripsit missas, quot ad rationem obul. 20 pro qualibet redditus ferrent. Johannes Andreas Piccionius haeres animadvertens redditus omnium bonorum annuam attingere summam scut. 70 circiter summum Pontificem Pium VI. adiit postulans, ut beneficia praefata ad unum cum onere missae quotidianae redigerentur; hujus rei causa quaestio orta est:

An, quot et quomodo beneficia erigenda sint?

responsum fuit: Affirmative juxta votum Ordinarii facto verbo cum SSmo.

Die 8. Aug. 1789.

Lucana.

Beneficium redditus scut. 20. cum onere 14 missarum erectum in ecclesia cathedrali sub titulo s. Hieronymi de *consensu congregationis Matris Dei patronae* unitur cum omnibus oneribus domui piae mulierum poenitentium Lucae ob *gravem ejus paupertatem.*

Die 16. Martii 1793.

Eugubina.

Tridentinum *sess. 24. cap. 33. de reform.* probat, ut *inopiae parochiarum* succurratur per beneficiorum unionem. De jure autem unio perficitur, cum subest *necessaria causa* et *consensus eorum*, quorum interest, ut ex authoritatibus superius allatis in *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis §. Quatenus et sequen.*

Die 19. Decbr. 1801.

Amerina.

Quando unio repugnat voluntati eorum, qui beneficia erexerunt, ea servari debet, quoad fieri potest, incolumis, *can. Ultima voluntas quaest. 13.* Verum Tridentinum in *sess. 7. cap. 6. de reform.* permittit uniones ex justa et rationabili causa et auditis quorum interest. Compertum autem est causas hujusmodi referendas esse ad necessitatem et utilitatem ecclesiae ex *text. in cap.: Exposuisti de Praeb.*, *Barbos. ad Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 6. num. 11.*, *Rebuff. t. 1. de Union. num. 38.* et in *Legionen. Unionis 24. Aprilis 1723.*

Die 12. Febr. 1803.

Spoletana.

Duo de jure requiruntur ad unionem beneficiorum perficiendam, scilicet *necessaria causa et consensus eorum*, quorum interest, *ut ex cap. 49. caus. 26. quaest. 1, cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Prael.* tradit s. Congregatio in *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis 19. Decembris 1801* et in *Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.*

Die 12. Maji 1804.

Tolentinaten.

Unio *utilis* vel *necessaria* esse debet, cum deficiente utilitate vel necessitate s. Congregatio has uniones reprobavit, ut ad *text. in cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* tradit *s. Congregatio in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802* et in *Spoletana Unionis 2. Junii 1824.*

Die 17. Decbr. 1808.

Eugubina.

Tridentinum *sess. 23. cap. 13. de reform.* probat, ut *inopiae paroeciarum succurratur per beneficiorum unionem.* De jure autem unio perficitur, cum subest *necessaria causa et consensus eorum*, quorum interest, ut in *Forosempronien. Translationis paroeciae et applicationis §: Quatenus et sequen.*

Die 18. Mart. 1815.

Fesulana.

Beneficiorum unio, quae secumfert voluntatis commutationem, ex censura Tridentini non alio modo concedenda est, quam si constiterit de *rationabili causa*, quae aut *necessitatem vel utilitatem ecclesiae* respiciat, et *auditis quorum interest*, ne in alterius detrimentum cedat, ut ad censuram *text. in cap.: Exposuisti de praeben.* et *cap. 1. de reb. eccles. non alienan. in 6.* et *Tridentini sess. 7. cap. 6. de reform.* tradunt *Reiffenstuel in Jus can. lib. 3. tit. 10. §. 3. num. 71. et 74*, *Garz. de benef. part. 12. cap. 2. num. 202.* et s. Congregatio *in Firmana Translationis et unionis 26. Junii 1799.*

Die 13. Jan. 1816.

Novarien.

Unio beneficiorum fieri debet ex necessaria causa et consentientibus iis quorum interest ut *ex can. 49. Caus. 26. quaest. 1. cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* tradidit semper s. Congregatio in *Forosempronien Translationis paroeciae et applicationis 19. Decembris 1801 et in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.*

Die 27. Apr. 1826.

Anagnina.

Unio sane facienda est ubi concurrat justa et necessaria causa et ecclesiae utilitas, ut passim tradidit s. Congregatio et praecipue in *Maceraten. Unionis 13. Julii 1789* et in *Romana Unionis 7. Maji 1806.*

Die 25. Maji 1816.

Ravenaten.

Inquirendum est, an *legitima et rationabilis concurrat unionis causa*; qua deficiente Trident. *s. 7. c. 6. de refor.* uniones fieri vetat.

Die 1. Mart. 1817.

Ampurien.

Unio nonnisi ex *necessaria causa* fieri potest, ut ex *cap.: Nuper de his, quae fiunt a praelatis* tradidit semper s. Congr., praecipue in *Spoletana Unionis 12. Maji. 1804.*

Die 14. Junii 1817.

Reatina.

Sane *a cap.: Nuper de his, quae fiunt a Praelatis, Clem. Si una, 2. de reb. eccl. non alienan.* et a *Concilio Tridentino sess. 7. cap. 6. de ref.* vetantur uniones beneficiorum absque legitima et rationabili causa. Verum rationabilis et legitima causa ab eodem Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.* habetur *tenuitas congruae parochialis,* cui succurri vult beneficiorum unione.

Die 19. Decbr. 1818.

Civitatis Castellanae.

Quamquam a jure expresso *in cap.: Ex parte 12. de constit.* prohibita sit praebendarum suppressio et unio, quia importat totalem praebendae extinctionem ac proinde cultus divini imminutionem, attamen justis concurrentibus causis permittitur suppressio ac unio, ut docent *Garc. de benef. part. ultima cap. 1., Reiff. in lib. 3. decretal. tit. 12. §. 3. num. 31. et seq.* Inter justas causas recensetur a Tridentino *tenuitas praebendarum*, quod tunc Episcopis facultatem concedit cum *consensu capituli et patronorum,* si praebendae sint jurispatronatus, reducendi has ad minorem quantitatem ac superextantibus uniendi suppressarum redditum, *sess. 24. cap. 15. de reform.;* s. Congregatio hac ipsa de causa, ut in *Urbevetana Reductionis et applicationis die 6. Martii hujus anni ad 1. dub.* concessit reductionem.

Die 20. Novbr. 1819.

Spoletana.

Justam unioni causam praebere beneficiorum animarum *paupertatem* statuit *s. Trident. synod. sess. 21. cap.: 5. de ref.,* quod quidem jam antea constituerat *s. Gregorius Magnus lib. 2. epist. 50. ad Joan. Episcopum Veleter. op. 2. col. 614. edit. Paris.*

Die 22. Decbr. 1821.

Usselen.

Primum quod de unione inquirendum venit illud est, utrum ad juris formam peracta ab Episcopo fuerit. Ad formam autem juris eadem facta intelligitur, si legitimae ejusdem peragendae causae intercesserint, si Capituli consensus eorumque, quorum interesse potuit, intervenerint. Atqui nihil horum in peracta ab Episcopo unione desideratur. Quod enim ad causas attinet scitum est, easdem ejusmodi esse debere, ut vel necessitatem utilitatemque aut dignitatem ecclesiae respiciant. Jus enim novissimum Trid. Conc. *sess. 21. cap. 5. et sess. 24. cap. 15.* hanc *Episcopis facultatem faciens* ex causa necessitatis propter praebendarum paupertatem vel utilitatis ecclesiarum cathedralium et collegiatarum insignium ad eamdem exercendam impelli eos vult. Quoties igitur casus incidat, ut adeo tenues capitulares sint praebendae, ut sustinendo decenti Capitulorum statui pro loci et personarum qualitate impares inveniantur, occurrere huic incommodo Episcopus valet accessoria singulis capitularibus praebendis facta alicujus simplicis beneficii unione.

Die 23. Aug. 1834.

Narnien.

Beneficiorum dismembrationes ac uniones

passim reprobantur, quia quamdam praeseferunt jurium ecclesiae alienationem. Verum si justa intercedat causa necessitatis vel utilitatis ecclesiae, eas concedi solere docent *Pyrr. Corrad. in prax. benefic. lib. 2. cap. 8. n. 13.* et *Reiffenstuel. lib. 3. decretal. tit. 12. num. 33.* cum aliis communiter. His autem justis causis accensetur inprimis tenuitas et insufficientia reddituum: qui enim altari inservit de altari vivere debet. Quapropter post glossam in *cap.: Cum accessissent de constitution.* Tridentinum ita sancivit *sess. 24. cap. 15. de reformat.:* »In ecclesiis cathedralibus et collegiatis, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loco et personarum qualitate non sufficiant, licet Episcopis cum consensu Capituli aliquot simplicia beneficia iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis . . . . . quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.«

Die 13. Sept. 1834.

Nullius trium font.

Ad unionem beneficiorum perficiendam duo intercedant necesse est, nimirum *consensus eorum,* quorum interest, et *necessaria causa, cap. 49. caus. 26. quaest. 1., cap.: Tua nuper de his quae fiunt a Praelat., Concil. Trid. sess. 7. cap. 6. de reform.* et *s. Congregatio in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802. §. Tridentinum . . . .*

Nulla alia quidem *augendi tenuissimas* quatuor capellaniarum Collegiatae Orbetelli *praebendas* subest ratio, nisi unio simplicium beneficiorum et legatorum, quorum fructus inter capellanos dividantur, quemadmodum in similibus necessitatis casibus censuit s. Congregatio *in Albanen. 18. Junii 1808, in Urbevetana Suspen. 7. Maji 1808.*

Die 17. Maji 1828.

Romana.

Si et *consensus eorum*, quorum interest, et *legitima quaedam utilitatis aut necessitatis* ratio intercesserint, compertum exploratumque est beneficiorum unionem perfici posse, ad *text. in cap. 49. caus. 26. quaest. 1., cap.: Tua nuper de his quae fiunt a Praelat., Concil. Tridentinum sess. 7. cap. 6. de reform., s. Congr. in Nullius trium fontium Unionis beneficiorum et reductionis missarum 17. Maji 1828. §.: Ad.*

Die 14. Apr. 1832.

Viterbien.

Ad uniones beneficiorum decernendas duo habeantur necesse est, *consensus nimirum eorum,* quorum interest, et *necessaria causa cap. 49. caus. 26. q. 1., cap.: Tua nuper de his quae fiunt, Conc. Trid. sess. 7. cap. 6. de reform.*

Die 26. Jan. 1833.

Brictinorien.

A beneficiis abrogandis delendisque abhorrent jura, *cap.: Cum accepissent* et *cap.: Ex parte de const.* Interest enim ecclesiae clericos censu ad se alendos necessario fultos esse, ne si careant redditibus, qui ad vitam sustentandum commode sufficiant, adigantur *indecoris inhonestisve muneribus vel corrogata cum mendiculis stipe cum probro atque dedecore victum sibi et cultum quaeritare.* Ubi tamen de gravi causa constiterit, quae vel *necessitatem vel utilitatem ecclesiae* respiciat, *iis auditis* quorum interest uniri interdum beneficia ipsorumque redditus in hujuscemodi causas addici probatum jure est, *Trid. sess. 7. cap. 6. sess. 23. cap. 18. de ref. sess. 24. cap. 15. de reform., cap.: Exposuisti de praebend., s. C. Firmana 26. Junii 1779, Eugubina 23. Jan. 1802.*

Die 25. Maji 1833.

h) Concessa.

I. *In augmentum congruae parochi.**)

Vd. *Benef.* (unio concessa in commod. ecclesiae etc.; translatio p. 932.; suspensio p. 914.; unionis causae etc. p. 962.); 933. c.

Burgi s. Donnini.

Archipresbyter parochialis ecclesiae ss. martyrum Gervasii et Protasii oppidi *Zibelli* Franciscus Agnesetti postulat unionem beneficii (cum primum vacare contigerit) sub nuncupatione s. Ferdinandi in rurali oratorio intra limites illius paroeciae erecti, ut ex hujus redditibus congrua parochialis augea-

*) Vd. *Congrua.*

tur. *Ex informatione* Vicarii capitularis haec colliguntur:

Beneficium s. Ferdinandi anno 1796 erectum canonice fuit ad formam piae voluntatis *Joannis Baptistae Baroni*, qui rectori onus injunxit celebrandi missas singulis diebus dominicis et geminas alias infra hebdomadam et officium defunctorum infra annum et celebrandi festum s. Ferdinandi. Voluit praeterea, ut *Rector pro tempore inhabitare teneretur domum in dotem beneficii* (ultra duos fundos rusticos) *assignatam ac celebrare missas ut supra ordinatas per se, numquam vero per impositam personam, excepto casu infirmitatis.* Primos rectores nominavit sacerdotem Joannem Greppi, qui jam beneficium possedit et occubuit, et sacerdotem Franciscum Stringhini, qui nunc rector est. Hoc deficiente nemo alius nominatus fuit personaliter, sed juspatronatus ac jus eligendi rectorem, quotiescumque vacare contigerit, spectat ad *Archipresbyterum pro tempore Parochialis Zibelli, qui semper ac omni in casu vacationis teneatur eligere in rectorem sacerdotem magis pauperem ab eo existimatum, qui ortus sit in dicta terra Zibelli, teneatur nominare alium sacerdotem sibi benevisum, qui nihil ultra possideat quam purum ecclesiasticum patrimonium.* Hujus beneficii redditus prout referunt periti a Vicario capitulari deputati attingunt annua scuta 113. 8. et deductis oneribus in summa scutor. 45. libera supersunt annua scuta 68. 6.

Redditus vero parochiales juxta assignationem ab Archipresbytero Agnesetti factam ascendunt ad scuta annua 147. comprehensis incertis scutorum 50. Onera vero requirunt scuta 125, scilicet scuta 115 pro stipendio, victu et habitatione coadjutoris capellani, cujus opera necessaria est in paroecia, quae in agrum protenditur et numerosa est ad capita bismille, et scuta decem pro distributione cerae in die festo Purificationis. Quibus oneribus deductis libera Archipresbyter consequitur annua scuta 22. Periti vero deputati deductis vectigalibus et incertis casibus annuum redditum constituunt in scutis 97. 09. non comprehensis incertis, quae cum fatente Archipresbytero assurgant ad scuta 50; redit fere quantitas reddituum ab ipso Archipresbytero assignata in scutis 147. Expensam tamen pro capellano curato Vicarius capitularis reducendam putat ad scuta 103. et ita detractis oneribus in scutis 113 congrua constituitur in scutis 34.

Tenuem vero esse hanc congruam idem Vicarius putat praecipue cum in paroecia centum familiae indigentes reperiantur. Nulla alia sunt media ad eam augendam, cum nec decimis nec symbolis parochiani subjici nec confraternitates et loca pia, quae vix oneribus ferendis sunt paria, opem aliquam paroeciae suppeditare possint. Qua de re concludit, *firmis remanentibus oneribus a testatore ordinatis in oratorio exequendis annuatim solemnizandi scilicet festum s. Ferdinandi, anniversarium defunctorum adimplendi missasque ibidem injunctas statutis diebus celebrandi per alium simplicem sacerdotem a parocho designandum loco beneficiati pioque, et si laico, per eum constituendo custode, qui continuo aedes beneficiales ad earumdem tutamen et oratorii curam inhabitet, opportuna videretur memorati beneficii adveniente vacatione unio de qua agitur ecclesiae parochiali; ex ea siquidem testatoris voluntas firma quoad substantiam maneret, parochus levamen reportaret et spirituali bono prospiceretur parochianorum.*

Permittit Tridentinum *sess. 24. cap. 13. de reform.*, ut parochialibus ecclesiis quorum fructus tenues sunt per unionem beneficiorum simplicium succurratur. Atque in hoc concurrit necessaria illa causa, quae requiritur, ut una cum consensu interesse habentium uniones perficiantur, ut ex *can. 49. caus. 26. quaest. 1., cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* tradit s. Congregatio in *Spoletana Unionis 12. Maji 1804.* Archipresbyter ecclesiae Zibelli, cui juspatronatus pertinet et praecipuum interesse habet, nedum assentitur, sed unionem postulat. Praejudicium tamen infertur pauperibus sacerdotibus illius oppidi, qui passivam habent vocationem. Praeterea dubitari potest, num agatur de beneficio residentiali. Nam fundator jussit, ut rector habitaret in aedibus apud oratorium, ut hoc custodiret missasque in eo celebraret. Quare haec unio secumferret commutationem voluntatis fundatoris et vergeret in damnum ipsius oratorii, quo in casu s. Congregatio uniones rejecit, ut in *Leopoldien. 1. Septembris 1736.*

Videant tamen EE. PP.: num *potior sit causa paupertatis* paroeciae. Nam pauperes sacerdotes, quibus ex hac unione praejudicium infertur, incerti sunt atque iis committi poterit celebratio missarum. Custodiae vero oratorii provideri posse putat Vicarius capitularis per laicum, qui illius curam suscipiat. Residentia vero est impropria, utpote a fundatore praescripta, non ex ipso officio derivans. Quoties vero omnia onera impleantur ad formam fundationis, levis fieri deberet voluntatis commutatio.

Haec secum reputent EE. PP. simulque perpendant, num re ipsa Parochialis paupertate laboret. Nam habet annuos redditus in annuis sc. 147. Excessiva vero nimis videtur impensa pro capellano coadjutore in annuis scutis 115 nec verosimile esse, ut Archipresbyter hactenus curam exercuerit pro tenui congrua scutorum viginti, quin unquam reclamaverit. Nihilominus Vicarius capitularis affirmat pro hac impensa requiri saltem scuta 103 et congruam ab oneribus immunem annua scuta 34 non excedere. Quare putat faciendam esse unionem, impletis tamen omnibus oneribus ad formam fundationis et deputato laico custode, qui oratorii aedes inhabitet.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus unioni in casu?

S. C. resp.: Affirmative favore parochi cum onere deputandi ex pauperioribus presbyteris custodem oratorii, qui inhabitet et omnia onera adimpleat ad formam fundationis et in reliquis juxta votum Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.

Die 9. Aug. et 20. Septbr. 1817.

Camerinen.

Ad augendos inopis parochi redditus locus est unioni beneficiorum, *per Tridentinum ipsum Concilium sess. 24. cap. 13. de reform.* et quandoque sacra haec Congregatio piorum legatorum unionem decrevit, ut in *Forolivien. 13. Junii 1789.* et in *Veliterna Suspensionis Missarum 18. Septembris 1790.*

Die 18. Novb. 1797.

Reatina.

Duodecim in ecclesia parochiali s. Flaviani oppidi Capitignani Reatinae dioecesis et in Neapolitana ditione positi extant beneficia, de quorum erectione et vera qualitate nihil statui certo potest. Licet enim canonicatuum nomine apellentur, nihil tamen de residentia et adnexis oneribus statuere certo potuere in sacris visitationibus defuncti Episcopi tum Marini tum Fioravanti; quin imo tamquam simplicia a Sede apostolica et Ordinario Reatino pro mensium viversitate collata reperiuntur. Unicum dumtaxat divinae psalmodiae vestigium remansit, quae festivis diebus a parocho et sacerdotibus Capitignani commorantibus canitur, pro quo servitio massa extat scutorum duodecim inter praesentes distribuenda, cum distinctione pro parocho assignationem duarum portionum.

In praeterita rerum publicarum eversione laica tunc dominans in Neapolitana ditione potestas fisco addixit, quae ex iis vacabant beneficia legemque addidit, ut uniuscujusque parochi congrua annua scuta centum viginti pertingere deberet. Factum hinc est, ut ad propriae congruae parochialis tenuitatem subveniendam duo ex laudatis beneficiis sibi uniri postulaverit Dominicus Cavalli parochus oppidi Pelliscriptae ejusdem dioecesis, cujus secutus est exemplum Hieronymus D. Andreas parochus Capitignani, qui tria ex iis obtinuit. Praeterea Dominicus Cavalli a fisco accepit et aliud beneficium s. Mariae Gratiarum in loco Maranae erectum et aliud Hieronymus de Andreis sub titulo s. Pauli ad Nurum fundatum in ecclesia s. Petri oppidi Sivignani ejusdem dioecesis. Uterque parochus sacram adiit pacatis rebus Congregationem, ut apostolica auctoritate firmarentur illegitimae hujusmodi uniones. De parocho Cavalli, qui elapso anno diem obiit supremum, nedum inferius sed et in sequenti causa redibit sermo. Nunc ergo de parocho de Andreis.

Ut tuta ipse conscientia beneficiorum hujusmodi redditus percipere posset illico non obstante temporum illorum adversitate curavit apostolicum indultum quod voce tantum obtentum fuisse ostendit quaedam ejus Agentis epistola Episcopo deinceps ab oratore exhibita, in qua tum concessa facultas legitur tum adjecta omnium onerum satisfactio, unusque ad s. Sedem recursus praescribitur mutatis circumstantiis pro confirmatione concessionis. Novus hic recursus impeditus fuit ab ea tempestate, quae in Neapolitana et Romana ditione excitata est anno 1814, quae tamen Deo favente illico sedata est. Pacatis itaque rebus nedum petiit obtenti indulti confirmationem sed ut et alia duo beneficia s. Flaviani a laica potestate Dominico Cavalli

adscripta canonice unirentur suae paraeciae, quae octingentis conflatur animabus, exiguam probans parochialem congruam, quae est scutorum 55 et obul. 45 detractis oneribus, adeo ut impar sit ad coadjutoris onus ferendum. Resignare autem paratus est enunciatum beneficium s. Pauli ad Nurum.

Agitur in I. dub.:

An et quomodo sit concedenda unio et quibus beneficiis augenda sit congrua parochialis?

Sane *a cap.*: *Nuper de his, quae fiunt a Praelatis, Clem. Si una, 2. de reb. eccl. non alienan.* et a *Concilio Tridentino sess. 7. cap. 6. de ref.* vetantur uniones beneficiorum absque legitima et rationabili causa. Verum *rationabilis et legitima causa ab* eodem Tridentino *sess. 24. cap. 13. de reform.* habetur *tenuitas congruae parochialis*, cui succurri vult beneficiorum unione. Paraecia Capitignani octingentas enumerat fidelium animas, quibus omnibus opem se ferre non possit ait Archipresbyter, et confirmare videtur Episcopus. Teneretur ergo parochus coadjutorem sibi sumere eique idoneam sustentationem praebere, quod certe non patitur parochialis congruae angustia. Redditus enim paraeciae, licet summam conflent scutorum 90., attamen si pro oneribus vectigalium, procurationis synodaticae, taxae pro seminario, cathedratici et missarum scuta 34. et obul. 55 demantur pro parocho libera vix remanent scutata 55 et obul. 45, ut testatur Episcopus. Obstare quidem posset unioni ea beneficia *canonicatus* vocari necnon enunciata superius officiatura, quae festis peragitur diebus, quae certe detrimentum patietur, si beneficiatorum numerus minuatur.

Huic tamen objectioni respondit Episcopus in suo voto, qui dum unionem non reprobat ejus tempus et quod parocho injungendum sit Vobis EE. PP. indicat: »Etsi (inquit ipse) ob petitam unionem cultus divinus non minuatur ex eo quod praedicta beneficia uti simplicia jam essent ultimis vacationibus collata, tamen non in omnibus putarem assentiendum oratori parocho, sed unionem pro nunc concedendam, ut bona praedicta serventur *penes ecclesiam*, sed ipsa cum lege, ut ipse orator *teneatur assumere coadjutorem* in exercitio curae . . . . Jurgia vero ne oriantur inter parochum et coadjutorem sapientissimo judicio ab EE. VV. consulendum, quod ex parte forsan obtinebitur, si coadjutor tantum exerceat munera stricte parochialia dependenter a parocho, at non ita, ut parochus possit absolute coadjutorem privare sine Ordinarii approbatione, a quo etiam deputatio coadjutoris videtur confirmanda.« Quae tamen omnia sapientiae et prudentiae Vestrae submittit.

Quod si EE. PP. in Episcopi sententiam descendant unionemque necessariam ducant, tunc statuere debebunt quaenam sint ecclesiae parochiali beneficia unienda ad parochi congruam augendam. Archipresbyter de Andreis dum a resignatione non abhorret praefati beneficii s. Pauli ad Nurum postulat, ut suae paraeciae uniantur nedum tria beneficia s. Flaviani sibi illegitime concessa et apostolico indulto sanata, sed et alia duo sub eodem titulo s. Flaviani, quae Archipresbytero Pelliscriptae Dominico Cavalli ab eadem laica potestate adscripta fuere. In duplici, quam Episcopus dedit, informatione refert ex hisce beneficiis annuatim percipi frumenti rubra 14 et mensuras duas; unde constituto pretio scutorum septem pro quolibet rubro frumenti adjectoque tenui redditu in pecunia numerata, annuus fructus constituitur in scut. 119. Ab hoc tamen redditu cum demenda sint onera procurationis synodaticae, cathedratici, taxae pro seminario et quintae partis totius redditus pro vectigalibus, remanent scuta circiter centum libera. Vestrum nunc erit perpendere, an scuta centum requirantur pro substentatione coadjutoris parochi, vel potius minori etiam stipendio satis provisum sit necessitati et aliquid relaxandum sit Archipresbytero de Andreis, qui resignationem spondet beneficii s. Pauli ad Nurum quique ex sua congrua detractis oneribus annuatim percipit scuta quinquaginta sex. Licet enim difficile sit generice statuere, quae congrua exigua quaeque pinguis dici possit cum *temporum conditio* sit potissimum inspicienda ut colligitur ex *Rota decis. 374. num. 2. part. 18. recen. decis. 342. num. 1. coram Emerix* et ex sacra Congregatione *in Sabinen. Congruae 17. Junii 1807*, attamen haud difficile suasuerit, tenuem dici posse congruam, quae nec ad annua scuta sexaginta assurgit. Episcopus in ea est sententia, ut assignentur duae ex tribus partibus totius redditus beneficiorum unitorum favore coadjutoris posteaquam onera omnia fuerint soluta; nam unio petitur ob impossibilitatem

Parochi unius curam animarum exercendi; et ita etiam augeantur redditus parochi, onere etiam ambobus imposito Divinis interessendi diebus festivis, uti parochus nunc tenetur. Videtur tamen injungendam esse parocho dimissionem alterius beneficii sub titulo s. Pauli ad Nurum, cujus redditus sunt rubri unius circiter frumenti. Obstare quidem omnium s. Flaviani beneficiorum unioni posset, duo ex his jam esse penes ecclesiam Pelliscriptae ob ipsorum collationem parocho Cavalli factam, quam quidem collationem praecessit informatio Vicarii generalis dioecesis Reatinae. Verum enimvero haec unio peracta fuit a laica potestate nulla legitima fulcita auctoritate, quae nudam dumtaxat et simplicem informationem de tenuitate congruae parochiae Pelliscriptae requisivit; nullus autem adfuit vel Vicarii generalis vel alterius legitimae auctoritatis ecclesiasticae quoad unionem consensus.

Utrum et quomodo sit concedenda absolutio respicit II. dubium. Archipresbyter de Andreis sollicitus fuit de apostolico indulto obtinendo, quo illegitima peracta unio sanaretur fructusque beneficiorum absque ullo suae conscientiae discrimine percipere posset. Ejus in Urbe procurator indultum obtentum fuisse respondit, non quidem scripto sed voce dumtaxat, sub hac formula: »*Pro gratia adimpletis oneribus missarum si quae sint et aliis oneribus beneficii adnexis*,« adjectaque fuit conditio novi ad s. Sedem recursus mutatis illorum temporum circumstantiis. Hujusmodi agentis epistolam, in qua haec omnia continentur, se inspexisse testatur Episcopus. Verum quia nulla authentica forma munitum fuit indultum et dubitari forsan posset de asserta concessione videant EE. utrum ad cauthelam saltem sit concedenda absolutio.

Dubia igitur erunt:

I. *An, quomodo et quae beneficia sint unienda paraeciae s. Flaviani in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda absolutio in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi Fioravanti, dimisso beneficio s. Pauli ad Nurum.

Ad II: Affirmative ad cauthelam facto verbo cum SSmo, docto de adimplemento onerum.

Die 19. Decbr. 1818 et 16. Jan. 1819.

Reatina.

Petiit a s. Congregatione parochus Pelliscriptae Dominicus Cavalli, antequam e vita migraret, unionem suae paraeciae nedum beneficii s. Mariae Gratiarum loci Marani sed et duorum beneficiorum sub titulo s. Flaviani existentium in parochiali ecclesia sub ejusdem invocatione oppidi Capitignani. Haec beneficia sibi a demanio adscripta usque ab anno 1812 retinuisse Vobis praecedenti causa narravi absque ullo ecclesiasticae auctoritatis assensu tum quoad actum unionis tum quoad fructuum perceptionem, quia haec omnia praecessit simplex Vicarii generalis informatio a *Cultuum*, ut vocabatur, *Ministro* Neapolitanae ditionis requisita dumtaxat super redditibus paraeciae Pelliscriptae. Parochi de Andreis, qui ab eo usque anno sollicitus fuit de apostolico indulto obtinendo, exempla sequutus non est parochus Cavalli, qui non prius quam post compositas res publicas illud postulavit.

Non haec solummodo illegitime retinuit simplicia beneficia, sed et alterum sub titulo s. Antonii Patavini in suamet parochiali Pelliscriptae ecclesia erectum, cujus redditus ipse computat ad scut. undecim et obul. 93. ob onus celebrationis 60 missarum ad rationem obul. 16. et ob vectigalia scut. 2. ob. 33. At Episcopus ait ex publici catastri copiis redditus beneficii immunes a vectigalibus ascendere ad scut. 22, a quibus tamen demenda est celebratio 60 missarum. Huic flagitanti, quo jure ipse beneficium istud retineret, respondit parochus: de auctoritate praedefuncti Episcopi Marini. Fraude postea detecta confiteri coactus est, collationem nunquam habuisse, sed tantum voce ipsi permissam fuisse retentionem a praefato Episcopo Marini nec ullam populi nominationem, cui jus praesentandi competit, apud acta curiae episcopalis exhibuisse.

Quaeritur primum: An beneficiorum unio sit concedenda? Postulabat parochus Cavalli ut suae paraeciae Pelliscriptae canonice unirentur tum duo beneficia s. Flaviani fundata in ecclesia parochiali sub ejusdem Sancti invocatione oppidi Capitignani tum alterum s. Mariae Gratiarum. Nulla est peracta unio a laica potestate, quae praeterea in praesenti causa nullo apostolico beneplacito deinceps sanata est. Prima siquidem solemnitas ad validitatem unionis est legitima uniendi potestas, qua deficiente unio nulla est. Nihilo-

minus conscientiae stimulis agitatus sanationem petebat parochus restitutis rebus dum adhuc vita frueretur. Quae causae ad uniones beneficiorum perficiendas requirantur in superiori causa retuli, ac proinde ne actum agere videar ab iis me consulto abstineo. Tota ergo res ad factum reducitur. Paraecia Pelliscriptae 150 complectitur capita; redditus a parocho computantur in scutatis 27 circiter et onera in scut. 21, at Episcopus refert ex *catastro* redditus paraeciae liberos a vectigalibus esse circiter scut. 40, quibus addenda sunt incerta stolae. Videant EE. Patres, an adeo tenuis sit haec congrua, ita ut per beneficiorum unionem sit augenda, juxta ss. Concilii Tridentini sanctionem, de qua in superiori causa.

Si affirmativa arrideat sententia quaerendum erit quaenam beneficia sint unienda, nimirum an omnia, quae ab illegitima authoritate postulavit recepitque parochus, an unum alterumque dumtaxat. Episcopus in votis erat, ut duo beneficia sub titulo s. Flaviani unirentur pro nunc paraeciae Capitignani, in qua fundata sunt, ut illius oppidi parochus sacerdotem adjutorem sibi sumere possit, ut in superiori causa memini, beneficium vero s. Mariae gratiarum in loco Maranae erectum paraeciae Pelliscriptae pro *nunc* uniretur, itaut non penes parochum sed ecclesiam remaneat. Redditus beneficii hujus est scut. 5. et obul. 47, a quo pro vectigalibus demendum est scutum unum cum obulis 4.

Restat ut EE. Patres decernant, quid agendum sit quoad alterum beneficium s. Antonii Patavini in eadem parochiali ecclesia Pelliscriptae erectum cujus nominatio competit populo; utrum nimirum debeat in suo veteri statu remanere et praesentatio fieri a populo debeat paraeciae, cum ejus tenuitati subveniri plene non possit unione beneficii s. Mariae Gratiarum. In hoc casu exquirendus videtur consensus populi tamquam *patroni*, *ex Conc. Trid. sess. 24. c. 15. de reform.*, quia durante unione cessat jus praesentandi ad trad. per *Garziam de re benef. part. 12. n. 202. et seqq.*

Dubium erit:

An et quae beneficia unienda sint paraeciae Pelliscriptae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative quoad beneficium s. Mariae Gratiarum et etiam alterius beneficii s. Antonii Patavini tantum *reportato tamen consensu patronorum.*

Die 19. Decbr. 1718 et 16. Jan. 1819.

II. *Cum beneficio alterius dioecesis.*

Unio bonorum duorum simplicium beneficiorum domui nuncupatae Recogidas della Corte in regno Hispaniarum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. Nuper Nobis pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi Hispaniarum regis catholici expositum est, quod, cum quoddam stabilimentum domus de Recogidas della Corte nuncupata ob suorum reddituum diminutionem minime possit suis necessariis obligationibus sive oneribus satisfacere, duo beneficia simplicia, quorum unum actu vacans per obitum bo. mem. Michaelis Ortiz de Moya et vulgo appellatum Servidero de Pennalver in dioecesi Toletana extat erectum, et alterum de san Gines de Padrinan nuncupatum actu pariter vacans per promotionem dilecti filii Mathiae Vinuesa ultimi illius possessoris ad archidiaconatum ecclesiae Tirasonensis in dioecesi Compostellana fundatum existit, praedicto stabilimento aggregare ac perpetuo unire intendit, ut illorum fructibus, detractis oneribus, divini cultus conservationi in *illius ecclesia ac honestae sustentationi duorum presbyterorum*, qui spiritualia auxilia praedicti stabilimenti communitati de Recogidas praebent, consulere valeant, si Nostra et hujus sanctae Sedis ad id facultas accedat, Nobis propterea ipsius Ferdinandi regis nomine supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ejusdem Ferdinandi regis votis quantum cum Domino possumus obsecundare volentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut praedicta duo beneficia simplicia, dummodo ad patronatum laicorum excepto tamen regio non pertineant, memorato stabilimento domus de Recogidas della Corte nuncupata aggregari ac perpetuo uniri illorumque fructus, redditus et proventus exigi ac percipi dictosque in usus converti, cum obligatione tamen satisfaciendi omnibus et singulis oneribus iisdem beneficiis adnexis, libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium permittimus atque concedimus.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem die 24. Septembris 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV. p. 238. Edit. Romae.)

III. *Beneficii alterius dioecesis in commodum mensae capitularis collegiatae et praebendarum theologalis et poenitent.*

Approbatio gestorum ab Archiepiscopo Goritiensi tamquam apostolico delegato circa unionem unius beneficii Labacensis dioecesis, cum adjectione nonnullorum onerum.

Clemens PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Omnium ecclesiarum sollicitudo divinitus Nobis commissa id etiam exposcit, ut divinorum ministrorum, qui in sacrario operantur atque deserviunt altari, temporalibus indigentiis prospiciamus et ab Episcopis fratribus Nostris in ejusdem sollicitudinis partem vocatis proposita media excipientes supremae auctoritatis Nostrae vim juxta eorum vota adhibeamus.

§. 2. Nuper siquidem Nobis pro parte venerabilis fratris Nostri Caroli Michaelis moderni Archiepiscopi Goritiensis expositum fuit, quod ad occurrendum indigentiis mensae capitularis collegiatae ecclesiae sancti Nicolai oppidi Novae seu Rudolphsmerthi in Carniola Goritiensis dioecesis et praecipue praebendarum nimirum theologalis et poenitentiariae ejusdem collegiatae ecclesiae, cujus praeposituram dignitatem innibi principalem existentem dictus Karolus Michael ex dispensatione apostolica obtinet, utque dilecti filii Petrus Andreas Soriliorssi archidiaconus Flaminensis et Bertholdus ab Hoffern olim in Nacessenfress nunc Runè rectori modicis ad eorum substentationem gaudentes redditibus aliquos susciperent, levamen pium munificemque animum carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Theresiae imperatricis viduae ac Bohemiae, Hungariae reginae apostolicae paratum moverat ad consentiendum unioni cujusdam perpetui simplicis beneficii ecclesiastici sub invocatione seu ad altare sanctae Catharinae virginis et martyris in Leess Labacensis dioecesis, quod de jurepatronatus dictae Mariae Theresiae reginae tamquam comitissae Carniolae ex fundatione vel dotatione seu privilegio apostolico, cui non hactenus in aliquo derogatum esse dignoscitur, quodque per ultimi illius possessoris obitum vacabat.

§. 3. Propterea idem Carolus Michael Archiepiscopus Nobis supplicavit, ut et ipsius precibus et magnanimis quoque dictae Mariae Theresiae reginae votis obsecundare dignaremur.

§. 4. Nos autem perspectam alias habentes eximiam dicti Caroli Michaelis Archiepiscopi fidem, ob quam urgentes causas, quae dicti beneficii extinctionem suadere possunt, debitae indagini minime obnoxias esse arbitrati fuimus, quinimo aliquas attendentes circumstantias, quae animum Nostrum digne moverunt, eidem Carolo Michaeli Archiepiscopo per simplex rescriptum Nostrum dedimus in mandatis, ut ipse tamquam delegatus Noster dictum beneficium, *etiamsi in dioecesi Labacensi consistens*, mensae capitulari collegiatae ecclesiae praedictae in augmentum illius reddituum perpetuo unire et adnectere valeret eodemque tempore ex redditibus illius beneficii injungeret onus solvendi singulis annis binas fructuum ratas ab eo praefigendas praedictis Petro Andreae et Bertholdo, addita conditione, postquam praemissa adimpleverit, per publicum documentum Nos certiorandi de iis, quae dicti rescripti vigore peregisset, ut ea a Nobis probari possent. Mandavimus quoque, ut diligenter consuleret, ne propterea dictum beneficium debitis fraudaretur obsequiis, sed ejus congrue supportarentur onera consueta. Cujus quidem rescripti vigore dictus Carolus Michaelis Archiepiscopus *de praedictae Mariae Theresiae reginae speciali consensu* idem beneficium dictae mensae capitulari sub infrascriptis conditionibus univit et per publicum documentum ab ipso tamquam delegato Nostro subscriptum de omnibus et singulis ab eo gestis Nos certiores reddidit.

§. 5. Tenor autem conditionum in actu unionis dicti beneficii talis est, videlicet:

Primo, quod capitulum et Canonici in loco dicti beneficii idoneum pro beneficiati vices gerente sacerdotem, qui non sit de gremio capituli, curatum ab Ordinario loci approbatum et approbandum, cum congrua fructuum assignatione pro beneficii, ecclesiae ac populi servitio, ut antea moris est et obligationis erat, praestando exponerent,

Secundo, tum reverendo Petro Andreae Sorilicossi Flaminensi archidiacono tum reverendo Bertholdo ab Hoffern olim in Naaessenfress nunc Runè parocho annuos ad dies vitae florenos Rhenonses centum exsolvere,

Tertio, inter canonicales jam existentes praebendas theologalem etiam florenor. simil. quinquaginta, ac poenitentialem floreno. triginta, pariter annuatim, quae in hodiernum usque diem apud capitulum praefatum desiderantur, constituere et stabilire teneatur ac teneantur,

Quarto: Residua tandem, quae ex supra allatis assignationibus et dispositionibus caeterisque quibuscumque ac sub quorumque titulo impendendis supererint, Canonicis collegiati capituli ita applicentur, ut per aequales Canonicis partes, Decano vero obventura portio in duplum, attribuantur et attribui debeant.

§. 6. Cum itaque singula a dicto Carolo Michaele Archiepiscopo peracta juxta expectationem et vota Nostra adimpleta fuerint et approbatione Nostra digna compererimus, motu Nostro proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine unionem dicti beneficii praedictae mensae capitulari cum conditionibus praemissis praesentium literarum Nostrarum serie et vigore in perpetuum confirmamus et approbamus et, quatenus opus sit, idem beneficium de dicto jurepatronatus, ut praefertur, existens, et cujuscumque annui redditus sit, cum omnibus et singulis illius bonis, fructibus et proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis, praevia tamen illius tituli collativi extinctione ac sub conditionibus praemissis et praeinsertis, dictae mensae capitulari de novo unimus, adnectimus et incorporamus.

§. 7. Atque unionis hujusmodi causa eamdem mensam capitularem a debita quindenniorum solutione camerae nostrae apostolicae ex speciali gratia penitus et omnino eximimus et liberamus.

§. 8. Decernentes praesentes literas et in eis contenta semper firmas, validas et efficaces existere et fore suumque plenarium et integrum effectum sortiri et obtinere debere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 31. Mart. 1770.

(Bull. r. Contin. t. IV. p. 153. Edit. Romae.)

IV. *Beneficiorum variarum ecclesiarum cum beneficiis Cathedralis.*

Veronen.

Species praesentis controversiae cum opportunis juris animadversionibus exhibetur in voto, quod pro ea, qua praestat juris utriusque prudentia exaravit Emus ac Rmus D. Cardinalis Serafini. Meum est EE. PP. oculis illud subjicere, ut duo, quae ad calcem proponuntur, dubia dirimere valeant. Veronensis cathedralis ecclesiae, cui praeerat anno 1805 Marcus Corner S. R. E. Cardinalis, chorale servitium penitus antea neglectum in pleno sui vigore restituit mensam de novo instituendo eique plures anniversariorum, piorum legatorum ac portionum »di varie pievi chiericali« redditus in unum copulatos adjungendo. Mensa haec a Corner fundatore appellata fuit Cornelia et satis tunc erat ad congruam septuaginta clericorum (sive capellani fuerint sive mansionarii) sustentationem. Verum temporis lapsu atque injuria vel negligentia administratorum tales subiit deinde vicissitudines circa redditus, ut vix duobus mansionariis et quatuordecim capellanis »centesimi 38 al giorno« praeberet.

Apprime haec noscens alter Veronensis Antistes Grosser praedictae mensae Corneliae alia univit beneficia, ita ut uniuscujusque portio pertingat ad »centesimi 55 al giorno.«

Verum animadvertit hodiernus Episcopus Petrus Aurelius imparem adhuc esse redditum ad beneficiatorum alimoniam et arduam rem esse post aliquorum obitum et praecise duodecim beneficiatorum, qui annos ultra 70 nati sunt, alios invenire successores; insuper animadvertit, quod sexdecim beneficiati satis non sunt ad plenius chorale servitium peragendum, ideoque proponit constituere alia octo beneficia, scilicet in totum 24 beneficiatos, quos sufficientes esse ait. Ad haec obtinenda supplex adiit sacratissimum Principem, quo sospite laetamur, et precibus ad sacram Concilii Congregationem ablegatis, antequam judicium prodiret, placuit EE. VV. mihi committere, ut rem perpenderem meumque votum aperirem.

Ad viginti quatuor beneficia constituenda Veronensis Episcopus proponit redditus desumere ex praedicta mensa Cornelia, ex beneficiis in eodem cathedrali templo existentibus, illis non exceptis jam prius ab Episcopo Grosser eidem mensae adjunctis, ex beneficiis ad alias civitatis Veronensis ecclesias pertinentibus. Pro beneficiis illis vero, quae sunt de jurepatronatus, libenter *patroni jam praebuerunt assensum.*

Horum autem omnium beneficiorum redditibus conjunctis Episcopus statuit viginti quatuor beneficia residentialia.

Primo loco haud esse praetereundum puto quod sacra haec Congregatio sub die 6. Decembris 1845 nuper elapsi nonnullos canonicatus Veronensis Cathedralis supprimi posse rescripsit, eam etiam ob causam, quia ex folio illius diei apparebat in pag. 48. ab animadversionibus factis a capitulo satis provisum fore chorali servitio, si viginti residentialia beneficia constituerentur. Hinc inquam videri esse EE. VV. propensas circa augmentum beneficiorum in ea cathedrali ecclesia, ideoque de hac re dicere praetermittam. Illud sed videndum est, num scilicet copulari possint duo beneficia quae seorsim satis non sunt ad alimoniam duorum capellanorum, et an adjici possint mensae Corneliae beneficia vel in Cathedrali quae jam existunt vel in aliis ecclesiis; an quatuor beneficia non residentialia, effici possint residentialia commutatione facta onerum missarum in chorale servitium; tandem cum fere omnia beneficia et ipsa mensa Cornelia quidem pluribus graventur missarum oneribus ob reddituum tenuitatem et commutationem in chori servitium, an ea possint reduci.

Et ad primum quod attinet, quamquam haud inficias mentem ecclesiae eam semper fuisse, ut quam maxime a plurium beneficiorum unione abhorreat, nec diversam fuisse praxim hujus sacrae Congregationis in *Pisana Canonicatus 14. Aprilis 1738.*, in *Regien. Unionis 4. Maji 1737*, ea potissima ratione ut non praejudicetur ecclesiasticis personis, quibus provisiones auferuntur, tamen ex ss. canonibus potest tunc unio fieri cum *ecclesiae sit necessitas et justa adsit ac rationabilis causa necnon legitimi superioris accedat auctoritas.* At in themate de omnibus hisce apprime constat, prout Episcopus exponit; nam ut de reliquis sileam causa rationabilis et justa manifestissima elucet in beneficiis, constat enim quod non sint satis ea seorsim habentibus, ut decenter alantur, et elucet quoque in ceteris beneficiis, cum ob tenuitatem sexdecim beneficiorum existentium difficile sit invenire clericos, qui ea assequantur, ita ut chorale servitium ecclesiae cathedralis esset penitus neglectum. Eadem sacra Congregatio in praelaudata Congregatione diei 6. Decembris anni nuper elapsi hanc rationabilem causam agnovit in reductione canonicatuum ejusdem Veronensis ecclesiae et in *Papien. Unionis 16. Januarii 1751.* Quaevis ergo exulat in themate ambiguitas circa petitam unionem. De auctoritate legitimi superioris non loquor, cum Episcopus in praesenti sit adprecatus. Dumtaxat quaeri posset, qua ratione beneficiorum annuus redditus sit imminutus, ut modo satis non sit pro alimonia beneficiatorum? At jam declaravit Episcopus ipse reddituum diminutionem. Emicat ergo necessitas et utilitas, ut preces Episcopi in hac parte excipiantur.

Quoad vero beneficia relata quae cum non sint residentialia, talia petit Episcopus ut efficiantur, cum redundaret commutatio in augmentum divini cultus et in ecclesiae Veronensis cathedralis decus atque ornamentum, hinc non dubitarem quin residentialia illa fieri possint, *praesertim cum accedat patronorum consensus.*

Verumtamen quemadmodum facta commutatione in residentiale onus istorum beneficiorum impares evenirent redditus ad beneficiatorum sustentationem habito respectu ad chori servitium, nisi missarum onera reducantur, hinc videndum an reductio haec concedi possit, prout petit Episcopus, pariter et aliarum missarum, quibus onerantur mensa Cornelia et beneficia Cathedralis aliarumque ecclesiarum, quae juxta Episcopum eidem mensae essent unienda; ac tandem cetera beneficia relata. Sacra Congregatio pluries et praesertim in *Novarien. Reductionis et commutationis voluntatis 10. Februarii 1791* vel ipsum potius chorale munus quam missas reducendas esse sentiit, nam defunctorum animae ex missae sacrificio uberiorem fructum percipiunt quam ex quavis alia oratione ceterisque piis operibus, etenim »Christus ipse Dominus qui exauditur a Patre pro sua reverentia in missa veniam luentibus poenas apprecatur,« veluti theologi cum Patribus conveniunt et *Fagnanus in cap.: Ex*

Secundo, tum reverendo Petro Andreae Sorilicossi Flaminensi archidiacono tum reverendo Bertholdo ab Hoffern olim in Naaessenfress nunc Runè parocho annuos ad dies vitae florenos Rhenonses centum exsolvere,

Tertio, inter canonicales jam existentes praebendas theologalem etiam florenor. simil. quinquaginta, ac poenitentialem floreno. triginta, pariter annuatim, quae in hodiernum usque diem apud capitulum praefatum desiderantur, constituere et stabilire teneatur ac teneantur,

Quarto: Residua tandem, quae ex supra allatis assignationibus et dispositionibus caeterisque quibuscumque ac sub quorumque titulo impendendis supererint, Canonicis collegiati capituli ita applicentur, ut per aequales Canonicis partes, Decano vero obventura portio in duplum, attribuantur et attribui debeant.

§. 6. Cum itaque singula a dicto Carolo Michaele Archiepiscopo peracta juxta expectationem et vota Nostra adimpleta fuerint et approbatione Nostra digna compererimus, motu Nostro proprio et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine unionem dicti beneficii praedictae mensae capitulari cum conditionibus praemissis praesentium literarum Nostrarum serie et vigore in perpetuum confirmamus et approbamus et, quatenus opus sit, idem beneficium de dicto jurepatronatus, ut praefertur, existens, et cujuscumque annui redditus sit, cum omnibus et singulis illius bonis, fructibus et proventibus, juribus, obventionibus et emolumentis universis, praevia tamen illius tituli collativi extinctione ac sub conditionibus praemissis et praeinsertis, dictae mensae capitulari de novo unimus, aduectimus et incorporamus.

§. 7. Atque unionis hujusmodi causa eamdem mensam capitularem a debita quindenniorum solutione camerae nostrae apostolicae ex speciali gratia penitus et omnino eximimus et liberamus.

§. 8. Decernentes praesentes literas et in eis contenta semper firmas, validas et efficaces existere et fore suumque plenarium et integrum effectum sortiri et obtinere debere.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 31. Mart. 1770.

(Bull. r. Contin. t. IV. p. 153. Edit. Romae.)

IV. *Beneficiorum variarum ecclesiarum cum beneficiis Cathedralis.*

Veronen.

Species praesentis controversiae cum opportunis juris animadversionibus exhibetur in voto, quod pro ea, qua praestat juris utriusque prudentia exaravit Emus ac Rmus D. Cardinalis Serafini. Meum est EE. PP. oculis illud subjicere, ut duo, quae ad calcem proponuntur, dubia dirimere valeant. Veronensis cathedralis ecclesiae, cui praeerat anno 1805 Marcus Corner S. R. E. Cardinalis, chorale servitium penitus antea neglectum in pleno sui vigore restituit mensam de novo instituendo eique plures anniversariorum, piorum legatorum ac portionum »di varie pievi chiericali« redditus in unum copulatos adjungendo. Mensa haec a Corner fundatore appellata fuit Cornelia et satis tunc erat ad congruam septuaginta clericorum (sive capellani fuerint sive mansionarii) sustentationem. Verum temporis lapsu atque injuria vel negligentia administratorum tales subiit deinde vicissitudines circa redditus, ut vix duobus mansionariis et quatuordecim capellanis »centesimi 38 al giorno« praeberet.

Apprime haec noscens alter Veronensis Antistes Grosser praedictae mensae Corneliae alia univit beneficia, ita ut uniuscujusque portio pertingat ad »centesimi 55 al giorno.«

Verum animadvertit hodiernus Episcopus Petrus Aurelius imparem adhuc esse redditum ad beneficiatorum alimoniam et arduam rem esse post aliquorum obitum et praecise duodecim beneficiatorum, qui annos ultra 70 nati sunt, alios invenire successores; insuper animadvertit, quod sexdecim beneficiati satis non sunt ad plenius chorale servitium peragendum, ideoque proponit constituere alia octo beneficia, scilicet in totum 24 beneficiatos, quos sufficientes esse ait. Ad haec obtinenda supplex adiit sacratissimum Principem, quo sospite laetamur, et precibus ad sacram Concilii Congregationem ablegatis, antequam judicium prodiret, placuit EE. VV. mihi committere, ut rem perpenderem meumque votum aperirem.

Ad viginti quatuor beneficia constituenda

Veronensis Episcopus proponit redditus desumere ex praedicta mensa Cornelia, ex beneficiis in eodem cathedrali templo existentibus, illis non exceptis jam prius ab Episcopo Grosser eidem mensae adjunctis, ex beneficiis ad alias civitatis Veronensis ecclesias pertinentibus. Pro beneficiis illis vero, quae sunt de jurepatronatus, libenter *patroni jam praebuerunt assensum.*

Horum autem omnium beneficiorum redditibus conjunctis Episcopus statuit viginti quatuor beneficia residentialia.

Primo loco haud esse praetereundum puto quod sacra haec Congregatio sub die 6. Decembris 1845 nuper elapsi nonnullos canonicatus Veronensis Cathedralis supprimi posse rescripsit, eam etiam ob causam, quia ex folio illius diei apparebat in pag. 48. ab animadversionibus factis a capitulo satis provisum fore chorali servitio, si viginti residentialia beneficia constituerentur. Hinc inquam videri esse EE. VV. propensas circa augmentum beneficiorum in ea cathedrali ecclesia, ideoque de hac re dicere praetermittam. Illud sed videndum est, num scilicet copulari possint duo beneficia quae seorsim satis non sunt ad alimoniam duorum capellanorum, et an adjici possint mensae Corneliae beneficia vel in Cathedrali quae jam existunt vel in aliis ecclesiis; an quatuor beneficia non residentialia, effici possint residentialia commutatione facta onerum missarum in chorale servitium; tandem cum fere omnia beneficia et ipsa mensa Cornelia quidem pluribus graventur missarum oneribus ob redditumm tenuitatem et commutationem in chori servitium, an ea possint reduci.

Et ad primum quod attinet, quamquam haud inficias mentem ecclesiae eam semper fuisse, ut quam maxime a plurium beneficiorum unione abhorreat, nec diversam fuisse praxim hujus sacrae Congregationis in *Pisana Canonicatus 14. Aprilis 1738.*, in *Regien. Unionis 4. Maji 1737*, ea potissima ratione ut non praejudicetur ecclesiasticis personis, quibus provisiones auferuntur, tamen ex ss. canonibus potest tunc unio fieri cum *ecclesiae sit necessitas et justa adsit ac rationabilis causa necnon legitimi superioris accedat auctoritas.* At in themate de omnibus hisce apprime constat, prout Episcopus exponit; nam ut de reliquis sileam causa rationabilis et justa manifestissima elucet in beneficiis, constat enim quod non sint satis ea seorsim habentibus, ut decenter alantur, et elucet quoque in ceteris beneficiis, cum ob tenuitatem sexdecim beneficiorum existentium difficile sit invenire clericos, qui ea assequantur, ita ut chorale servitium ecclesiae cathedralis esset penitus neglectum. Eadem sacra Congregatio in praelaudata Congregatione diei 6. Decembris anni nuper elapsi hanc rationabilem causam agnovit in reductione canonicatuum ejusdem Veronensis ecclesiae et in *Papien. Unionis 16. Januarii 1751.* Quaevis ergo exulat in themate ambiguitas circa petitam unionem. De auctoritate legitimi superioris non loquor, cum Episcopus in praesenti sit adprecatus. Dumtaxat quaeri posset, qua ratione beneficiorum annuus redditus sit imminutus, ut modo satis non sit pro alimonia beneficiatorum? At jam declaravit Episcopus ipse redditum diminutionem. Emicat ergo necessitas et utilitas, ut preces Episcopi in hac parte excipiantur.

Quoad vero beneficia relata quae cum non sint residentialia, talia petit Episcopus ut efficiantur, cum redundaret commutatio in augmentum divini cultus et in ecclesiae Veronensis cathedralis decus atque ornamentum, hinc non dubitarem quin residentialia illa fieri possint, *praesertim cum accedat patronorum consensus.*

Verumtamen quemadmodum facta commutatione in residentiale onus istorum beneficiorum impares evenirent redditus ad beneficiatorum sustentationem habito respectu ad chori servitium, nisi missarum onera reducantur, hinc videndum an reductio haec concedi possit, prout petit Episcopus, pariter et aliarum missarum, quibus onerantur mensa Cornelia et beneficia Cathedralis aliarumque ecclesiarum, quae juxta Episcopum eidem mensae essent unienda; ac tandem cetera beneficia relata. Sacra Congregatio pluries et praesertim in *Novarien. Reductionis et commutationis voluntatis 10. Februarii 1791* vel ipsum potius chorale munus quam missas reducendas esse sentiit, nam defunctorum animae ex missae sacrificio uberiorem fructum percipiunt quam ex quavis alia oratione ceterisque piis operibus, etenim »Christus ipse Dominus qui exauditur a Patre pro sua reverentia in missa veniam luentibus poenas apprecatur,« veluti theologi cum Patribus conveniunt et *Fagnanus in cap.: Ex*

parte tit. de constit. Hinc inquam videri petitam reductionem missarum esse denegandam. Verum quoad beneficium alterum sicut constat a patrono nuper scilicet anno 1855 de novo fuisse restitutum posse arbitror concedi reductionem, quippe reductio isthaec fieret non contra fidelium legata relinquentium voluntatem, cum ipsemet patronus redditus, quos de novo assignavit, vellit quod erogentur in quotidianas distributiones potius quam in missarum celebrationem. Item et reductionem concedendam esse arbitror illarum missarum, quibus gravantur et mensa Cornelia et beneficia relata, siquidem hujusmodi beneficia erexerunt fundatores non modo ad missarum celebrationem, verum etiam ad chori servitium adimplendum; redditus praeterea illorum valde sunt imminuti, ita ut initio anni 1700 pro distributionibus tantum inter praesentes ascenderent in unoquoque anno ad libellas 7000 circiter, et nunc vero temporis sunt tantummodo pro iisdem distributionibus libellae 2226 : 93, prout liquet ex ulteriori Episcopi petita declaratione. Sacrorum crevit eleemosyna et haec causa sufficiens est pro reductione missarum, ut pluries censuit sacra Congregatio, et recenter in *Civitatis Castellanae Absolut. et reduct. 22. Januarii 1842* praesertim cum nedum ad praescripta missarum onera implenda, sed ad ferendum quoque chorale servitium et ad decentem vitae alimoniam teneantur clerici, ut in *Senogallien. Reductionis onerum 28. Aprilis 1827* et in *Brugnaten. Reductionis 27. Augusti 1831.* Haec rationum momenta valeant quoque in aliis beneficiis adnotatis pro quibus onera missarum deleri postulat Episcopus; constat enim illorum redditus fuisse imminutos. Aliqua ambiguitas remanet circa tria illa beneficia et beneficia simplicia, quae existunt in Cathedrali aliisque in ecclesiis. At sentio etiam in his beneficiis fieri posse reductionem missarum; concurrit enim gravissima causa, quae consistit in eo, quod, nisi reductio missarum locum haberet, chorale servitium penitus deficeret in ecclesia cathedrali, in qua necessario singulis diebus horae canonicae sunt psallendae, ita ut nequidem possint beneficiati abesse, sed ibi immorari, prout docet *textus in cap.: Licet de praebendis, cap.: Inter quatuor* et *cap. fin. de clericis non resident.* et renovat *Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform.* Neque huic opponitur *Bened. XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. ult. num. 3.*, quia non deterrentur fideles ab iis piis relictis, cum ex reductione missarum assentiant etiam patroni. Neque ab ea abhorrere debet s. Congregatio, cum etiam in *Placentina Reduct. et absolut. 14. Decembris 1844* reductionem onerum assentita est commutata decedentium voluntate.

Ultimo loco animadvertam quod, ut supra notatum volui, cum appareat in folio Congregationis diei 6. Decembris 1845 satis esse ad chori servitium viginti beneficiatos, erit EE. PP. utrum velint erigere in residentialia 20 vel potius 24 beneficia. Si placuerit constituere 20, tunc haud faciendam esse unionem mensae Corneliae censeo illorum beneficiorum, quibus praesertim plurima inhaerent missarum onera explenda in aliis ecclesiis, *ad utilitatem et populi commodum*, qui ad illas accedere solet, veluti scatet ex folio ab Episcopo adducto.

Haec retulit Eminentissimus. Ut autem prae oculis habeant EE. VV. tum praesentem mensae Corneliae statum tum quae ab Episcopo Veronensi proponitur missarum reductionis beneficiorumque unionis methodus, tabulas seu notulas, quas ipsemet Episcopus misit, mihi visum est eodem, ut sesequitur, ordine typis committere, ut tutius resolvant

Dubia:

I. *An et quomodo sit locus unioni beneficiorum in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An, quomodo et super quibus beneficiis sit locus reductioni missarum in casu?*

S. C. resp. Ad I. et II.: Affirmative in omnibus juxta votum Emi Relatoris et Episcopi Veronensis, demptis capellaniis aliisque piis relictis, quae in aliis ecclesiis instituta referuntur, facto verbo cum SSmo.

Die 30. Maji 1846.

V. *Cum Canonicatu alterius dioecesis.*

Vd. *Benef.* (unio non concessa cum beneficiis alterius dioecesis.); p. 970. II. p. 971. III.

Ariminen.

Extat in oppido Verucoli dioecesis Ariminen. publicum oratorium divae Agneti dicatum ibique cum onere missarum erectum sub eodem titulo beneficium jurispatronatus Comitis Caroli Aemilii Belluzi Pisauren., qui

in universa haereditaria bona praedefuncti patroni Baronis Pergami successit. Usque ab anno 1837 ad preces ejusdem Pergami onera missarum huic beneficio inhaerentia rescripto H. S. Congregationis translata ad sexennium fuere ad aliud oratorium situm in fundo Villa Amalia nuncupato, qui in ejus bonis erat, idemque indultum, instante Theresia Savorelli usufructuaria haereditatis Pergami, ad aliud sexennium prorogatum fuit. Occasione autem hujusmodi temporaneae translationis missarum constat praedictum oratorium s. Agnetis clausum fuisse ac deinde ad profanos usus conversum absque ulla ecclesiasticae auctoritatis venia a patrono Pergami. Jam vero Comes Cajetanus Belluzzi pater et tutor Caroli Aemilii, cum ad aes alienum dimittendum domum oratorio s. Agnetis adnexam vendiderit et ipsum oratorium vendere cupiens supplici dato libello sui filii nomine postulavit ab H. S. C., ut profanationem oratorii s. Agnetis auctoritate sua confirmaret ac onera missarum beneficio inhaerentia ad aliud oratorium ruris Amalia perpetuo transferri ibique in posterum adimpleri indulgeret.

Precibus ad Episcopum pro informatione ac voto remissis, utque audito praesertim parocho intra cujus fines est ecclesia s. Agnetis referret, an sit periculum scandali in populo et de legitima causa prorogationis translationis, haec ab eo accepi: »Parochus s. Martini de Verucolo intra cujus fines extat fabrica oratorii s. Agnetis a me requisitus respondit, oratorium praefatum sine populi scandalo vendi posse, cum in dicta terra aliae habeantur ecclesiae pro fideli populo. Quod autem in oratorio B. V. in Villa Amalia utiliter possit transferri beneficium s. Agnetis cum missarum oneribus ipsi addictis constat ex eo quod familiae rurales dicto oratorio propinquae hiemali tempore commodius missam audire valeant diebus festis, cum ab aliis ecclesiis longe distent. Ast ne populi ibi accurrentes verbi Dei praedicatione et christianae doctrinae rudimentis careant, opus esset, ut rector beneficii vel capellanus ad celebrandam missam diebus festis deputatus doctrinae pabulo fideles recrearet et maxime pueros. Haec est, ut mihi videtur, causa legitima translationis oneris missarum. Quoad missas vero beneficio annexas crederem opus esse congrua reductione, cum eleemosyna pro diebus festis sacerdoti tribuenda duplo major sit illa quae feriatis diebus dari consueverat pro celebratione in oratorio b. Agnetis. Juxta fundationem autem beneficio s. Agnetis onus inerat celebrationis missarum 260 per annum, quae tamen per generalem reductionem hac in dioecesi ab anno 1803 invectam reductae fuerunt ad numerum 172 singulis annis. Quibus expositis EE. VV. erit judicare an pretium ex venditione oratorii retrahendum applicandum sit haeredi petenti vel potius in parte saltem ad piam causam. Accepta hac relatione eidem Episcopo rescriptum fuit, ut aestimata prius ejus oratorii fabrica et area referret, cur pretium investiri non debeat in augmentum beneficii. Hisce mandatis obsequens Episcopus retulit: Oratorii fabricam et aream a publico perito aestimatas fuisse valoris scut. octoginta novem et obul. triginta quatuor. Hanc autem pretii summam posse quidem investiri favore beneficii, sed quoniam in Terra Verucoli extat ecclesia collegiata vetustate fatiscens, cujus reparationi capitulum providere nequit ob suorum tenuitatem reddituum, valde congruum fore summam praedictam favore fabricae ecclesiae collegiatae Verucoli applicari, ut oppidum, quod oratorio s. Agnetis fruebatur quodque jam deperdidit, ecclesiam saltem collegiatam servare possit. Nondum autem nova Episcopi relatio advenerat, cum alterum ex parte ejusdem Comitis Belluzzi supplicem accepi libellum in quo, ne deterior ex translatione beneficii s. Agnetis fieret conditio cleri oppidi Verucoli, proposuit ac petiit, ut alterum beneficium sub invocatione ssmae Virginis Lauretanae erectum in cathedrali ecclesia Caesenatensi, cujus etiam patronatus jure potitur filius Carolus ex successione ad haereditatem Pergami perpetuo, cum primum vacaret, uniretur uni ex canonicatibus Collegiatae Verucoli »con diritto di alternativa nomina, ferma però sempre la soddisfazione delle messe all' altare posto nella Cattedrale di Cesena in onore della B. V. di Loreto.« Huic petitioni accesserunt etiam preces capituli ecclesiae collegiatae Verucoli.

Super novis hisce precibus auditi fuerunt tum Episcopus Ariminen. tum Episcopus Caesenaten. Primus autem ad rem haec habet: »Vigore literarum apostolicarum s. m. Pii Papae VI. de anno 1794 ex praebendis quatuor tunc extinctarum ecclesiarum parochialium erectum fuit capitulum

collegiatum in Terra Verucoli hujusce dioecesis.

Duae dignitates, videlicet archidiaconatus et archipresbyteratus cum animarum cura, ac sex Canonici praefatum capitulum constituunt. Redditus archidiaconatus et archipresbyteratus assurgunt ad scut. nonaginta circiter singulis annis, computatis etiam distributionibus quotidianis: redditus duorum ex sex canonicatibus ad sexaginta scutata inclusis distributionibus choralibus computantur, hisce enim duobus incumbit Archipresbytero in cura animarum auxiliari: quatuor reliquis canonicatibus scutata triginta attribuunt quotannis. Quapropter hi postremi quatuor canonicatus pauperiores sunt et in posterum ob penuriam clericorum in dicta terra vix invenientur, qui eos optent. Nec spes adest redditus praebendarum augendi, cum terricolae maxima ex parte bonis careant. Perutilis porro foret uni ex quatuor canonicatibus pauperioribus unio beneficii sub titulo B. M. V. Lauretanae de jurepatronatus Comitis Aemilii Belluzzi, quo primum vacat. Hanc autem summopere exoptat unionem capitulum praedictum. Comes Cajetanus Belluzzi curator legalis filii sui Aemilii assensum praebet unioni supradictae salvo jure alternativae praesentationis. Canonicatus autem omnes collegiatae ecclesiae Verucoli liberae sunt collationis, unde non habent patronum de alternativa rogandum. Ipse autem in quantum ad me spectare potest non dissentirem nominationi alternativae, quia vix conferri poterint tam tenues praebendae canonicales nisi earum dos augeatur. Quod si fieri contingat, per unionem supradictam spes affulgebit conferendi canonicatum et beneficium sacerdoti qui et Episcopo et fidelibus in dicta terra condigne in ecclesiasticis inserviat ministeriis; de quo cum in praesenti tum in futuro maxime opus erit.«

In aliam vero sententiam concedit Episcopus Caesenae, qui capitulo suae Cathedralis, in qua erectum est beneficium, non dissentiens imploratam beneficii unionem concedendam non esse opinatur. Refert autem, hujusce beneficii onera esse missas octoginta in cathedrali ecclesia celebrandas, redditus vero annua scutata circiter quinquaginta.

Quae cum ita sint, primo de implorata oratorii profanatione tum de missarum translatione ac demum de unione beneficii B. M. V. Lauretanae agendum. Ad primum quaestionis caput quod attinet, prae oculis habenda sunt ea, quae statuit sacrosancta Tridentina synodus *sess. 21. cap. 7. de ref.*: »Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt temporum injuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, Episcopi etiam tamquam Sedis apostolicae delegati transferre possint beneficia simplicia etiam jurispatronatus ex ex ecclesiis quae vetustate vel alias collapsae sunt et ob earum inopiam nequeunt instaurari, vocatis iis quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum, arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub iisdem invocationibus: vel in jam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis . . . . cum facultate . . . . ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos erecta tamen ibi cruce convertendi.«

Ad rem autem observat *Card. de Luca Concil. Trid. disc. 17. num. 7.*, quod nimirum »quandoque cessantibus etiam causis in isto conciliari decreto consideratis adhuc ex prudentibus provisionibus s. Congregationis Immunitatis sive illius Episcoporum aliquarum ecclesiarum, quamvis alias bene ac decenter constructae sint neque alia indigent refectione, demolitio vel profanatio damandari solet.« Siquidem idem est quod ad usus convertatur profanos ecclesia quae reparari nequit vel quando justae legitimaeque concurrant pro ejusdem profanatione ac demolitione causae, quamvis bene constructa fuerit ac nulla reparatione indigeat. Ubi autem profanatio vel demolitio decernatur, missarum onera cum sacris imaginibus ex justa causa decentioris cultus transferenda esse, ex mente sacri Concilii Tridentini cit. loc. tradit *Panimoll. decis. 11. num. 17.* et s. *Rota in Romana Translationis imaginis 25. Junii 1742* §. *6. coram Calcagnino*. Porro sacra haec Congregatio, pro casuum varietate ac majori vel minori gravitate rationum, quamvis de ecclesiis ageretur decenter exstructis, aliquando earum profanationem ac translationem onerum permisit, ut in *Leopolien. 30. Julii 1753* et in *Terracinen. 14. Aprilis 1764**), aliquando vero denegavit, uti in *Ravennaten. 8. Julii 1775* et in *Parmen. Demol. oratorii et transl. benef. 17. Sept. 1796.*

*) Vd. *p. 945*.

Quibus positis cum dubium non sit, quin ecclesia profanata vendi possit, quia tunc desinit esse ecclesia, *d. Thomas 22. quaest. 106. art. 4. ad 2.*, videndum superest, num justae sint ac rationabiles causae quae afferuntur ut profanatio oratorii s. Agnetis quae facto defuncti patroni Pergami pluribus abhinc annis jam contigit confirmetur. Decernendum praeterea num pretium ex venditione retrahendum ipsi patrono pro parte saltem adjudicandum sit vel potius in utilitatem ecclesiae sit convertendum juxta resolutionem s. Congregationis in *Mediolanensi 24. Jan. 1573. apud Pignatelli Cons. canon. tom. 8. cons. 60. num. 19.* et fabricae ecclesiae collegiatae attribui debeat uti vellet Episcopus vel oratorio rurali ruris Amalia et in augmentum beneficii s. Agnetis applicari, quod menti Concilii Tridentini consentaneum magis videretur.

Quatenus judicaverint EE. PP. confirmandam non esse praefati oratorii profanationem, decernent etiam an saltem annuendum sit quoad petitam translationem onerum missarum ad aediculam ruris Amalia. Quamvis enim hujusmodi translationes concedi non soleant, ceu tradit *Ricc. in praxi part. 4. resol. 96*, *Pax Jordan. tom. 1. variar. resol. lib. 4. tract. de sacrif. missae num. 450* et passim s. Congregatio uti in *Vicen. Transl. oner. miss. 19. Aprilis 1766* et in *Patavina Translationis missae 18. Nov. 1802*, attamen si concurrat publica vel necessitatis vel utilitatis causa fieri potest translatio missarum, uti sentiunt *Pirhing. lib. 3. tit. 7. sect. 2. n. 6.* et *Reiff. in lib. 2. decr. tit. 4. num. 37.* et firmat s. Congregatio in *Placentina Translat. et Commut. oner. 21. Junii 1794.* Hujusmodi autem translationis utilitatem ac necessitatem in themate jam alias agnovit probavitque s. Congregatio; quamobrem cum eadem rerum adjuncta hactenus perdurent indulti prorogatio denegandа non esse videretur, eo vel magis, si praeter missae celebrationem explanatio doctrinae christianae capellano demandetur, ceu proponit Episcopus.

Ad unionem denique beneficii B. M. V. Lauretanae uni ex canonicatibus Collegiatae Verucoli quod attinet, quamvis justam unioni causam praebere posset tenuitas praebendarum ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 15. de reform.*, attamen cum de beneficio quod in aliena dioecesi institutum est agatur obstare posset id quod ab eodem Concilio Trid. *sess. 14. cap. 9. de reform.* statutum fuit: »Et quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae . . . ut . . . una eademque ecclesia duarum quodammodo dioecesum non fiat, non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint beneficia unius dioecesis, etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia seu praestimonia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur, decretum hujus sanctae synodi super hujuscemodi unionibus in hoc declarando. Et accedit Episcopi et capituli Caesenaten. dissensus.

Nec minus animadvertunt ulterius, hanc unionem detrimento futuram Episcopis pro tempore Caesenaten. ecclesiae, quippe qui jus amitterent collationis beneficii in casibus a jure praevisis ac institutionis canonicae ad patronorum praesentationem. Atqui deficiente consensu interesse habentium unio beneficiorum permitti non solet, arg. *text. in cap. Exposuisti 33. de praeb.* et in *cap. Pastoralis 7. de Donat.*, tradunt *Reiff. lib. 3. decretal. tit. 10.* §. *3. num. 71.*, *Pirhing. cod. loc. num. 211*, *Garz. de benefic. part. 12. cap. 2. num. 202.*, maxime si per unionem tertio praejudicium inferatur, s. Congregatio in *Legionen. Unionis 24. April. 1723* et in *Firmana Translationis et unionis 17. Julii 1779.*

Quibus perpensis supersunt diluenda

Dubia:

I. *An et quomodo sit locus profanationi oratorii s. Agnetis in casu?*

II. *An et quomodo sit locus translationi beneficii ejusdem tituli in casu?*

III. *An et quomodo sit locus unioni beneficii B. M. V. Lauretanae in casu?*

S. C. resp. ad I. et II: Dilata et exquirantur ab Episcopo tabulae fundationis.

Ad III: Negative in omnibus.

Die 20. Maji 1854.

Continuatio.

Ad tramites hujus decreti transmisit Episcopus binas fundationis beneficii s. Agnetis particulas ac adjecit etiam exemplar decreti translationis ejusdem beneficii ab

oratorio ssmi Sacramenti ad oratorium s. Agnetis, quae heic exscribo: Haec est copia cujusdam legati facti in testamento per Illmum Dominum Julium Nuccinum de Verucchio peracta etc. sub die 26. Aprilis 1677 in hoc archivio Veruchii existen. per me Not. infrascriptum extracta ex suo originali de verbo ad verbum.

Decretum translationis.

In Dei Nomine: Amen.

Anno Domini millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, indictione X., SSmo D. N. D. Innocentio XI. Sedente, die vero 12. Marti.

Coram Illmo et Rmo D. Vic. gen. capitulari Ariminen. etc.

Pro D. Juliano Nuccio de Verucchio.

Contra quoscumque. — Comparuit D. Franciscus Antonius Bullus ejus intercessor, et in termino etc. repetendo preces porrectas D. V. Illmae ac attestationem Adm. etc. D. Petri Pauli Ricci etc. instetit benefic. de jurepatronatus dicti sui Principalis, et qu. D. Gentilis illius uxoris erect. sub die 4. mensis Novembris anni 1678 in ecclesia s. Mariae Servorum Terrae Verucchii hujusce dioecesis et de anno 1680 a praedicta ecclesia segregata ac asportata et aggregata ad oratorium ssmi Sacramenti in altare B. M. V. de Laureto ejusdem Terrae Verucchii de ordine et mandato Emi et Rmi Cardinalis Galli, olim Episcopi Ariminen. etc.; denuo per praesentem actum instetit a dicto oratorio segregari et transferri et aggregari ad ecclesiam s. Agnetis in foro Veruchii de juribus DD. ejus principalis pro majori commoditate populi, cum oneribus et conditionibus in dicta erectione appositis non solum etc. sed et omni etc.

Qui Illmus et Remus D. Vicarius gen. capitulariis visis et praesertim visa facultate relicta DD. Juliano p. p. de Gentilis ejus uxori petenti translationem et aggregationem uti jurispatronatus ad aliud altare eidem D. Juliano benevisum, visaque licentia data per R. D. Patrem Paulum Riccium rectorem ejusdem beneficii jurispatronatus d. oratorii sanctissimi Sacramenti aliisque visis videndis et consideratis considerandis praedictum beneficium jurispatronatus DD. Nucci segregavit ab oratorio praescripti sanctissimi Sacramenti, in quo de praesenti reperitur erectum, illudque transtulit et aggregavit respectivae ecclesiae s. Agnetis in foro Verucchii et pro segregato, translato et aggregato ut supra haberi voluit et mandavit justis de causis cum oneribus ac honoribus et conditionibus in erectione praedicta appositis, et non solum etc. sed et omni etc.

Comes Belluzzi nihil de tertio dubio sollicitus instantius postulat propitium sibi ad duo priora dubia responsum. Et quo faciliores ad suas habeat preces EE. VV., ob oculos ponit actualem oratorii conditionem ac statum, quod non sine gravi oratoris dispendio ad divinum cultum restitui posset, ceu constat ex peritorum virorum testimonio.

Quibus positis rogantur EE. PP. benigne reassumpto folio in prima causae propositione distributo reponere ad duo, quae supersunt

Dubia:

I. *An et quomodo sit locus profanationi oratorii s. Agnetis in casu?*

II. *An et quomodo sit locus translationi beneficii ejusdem tituli in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative in omnibus juxta votum Episcopi, ita tamen ut locus non convertatur in sordidos usus.

Ad II: Praevia, quatenus opus sit, absolutione a caducitate, affirmative, facta Episcopo facultate reducendi proportionaliter missarum onera ad effectum augendi eleemosynam pro diebus festis juxta morem regionis, ac injuncto capellano onere juxta votum Episcopi, facto super omnibus verbo cum SSmo.

Die 26. Aug. 1854.

Fesulana.

Ubi agitur de simplicibus beneficiis, quae nullum habeant praeter celebrationem Sacrorum aliud onus annexum, facilius conceditur unio et Tridentinum eas permittit ad augendas tenues praebendas Cathedralium vel Collegiatarum, *sess. 24. cap. 15. de reform.*

Die 13. Jun. 1816.

VI. *In commodum beneficiati.*

Vd. *Benef.* (unio concessa cum benef. alterius dioecesis p. 970. II.)

Signina.

Pertinent ad patronatum fratrum Lauri nempe sacerdotis Laurentii, Octavii et Gregorii quatuor capellaniae sive simplicia beneficia in cathedrali ecclesia Signina erecta, quorum alterum nuncupatum s. Bernardino et s. Mariae Angelorum, alterum divo Hieronymo possidetur a sacerdote Laurentio, tertium vero sub invocatione s. Joannis Baptistae et quartum s. Joseph tenet clericus Marianus dictorum fratrum Lauri nepos. Horum beneficiorum latet fundatio inter antiquitatis tenebras, cum ante annum 1500 jam erecta fuisse constet et incenso publico tabulario fundationes perierunt, inde ignoratur, qui fundi ad singulas capellanias addicti essent. Ex praediis tamen, quae indiscriminatim pertinent ad haec beneficia, redeunt annua scuta 62 et ex his implenda sunt onera missarum 299 et alia quatuor cum cantu; praeterea vectigalia persolvi debent et expensae pro manutentione capellarum. Cum redditus impares essent oneribus, fratres Lauri postularunt tum reductionem onerum tum etiam, ut duo beneficia s. Bernardini et s. Hieronymi unirentur beneficio s. Joannis Baptistae, quae duo beneficia unienda cum possideantur a sacerdote Laurentio Lauri, *hic assentitur unioni*, dummodo post sui obitum effectum habeat. Episcopus narrata confirmans utriusque instantiae suffragatus est. Itaque die 17. Decembris 1807 rescriptum prodiit: *Pro gratia reductionis arbitrio et conscientiae Episcopi ad taxam Concilii romani, et ponatur in tabella; quo vero ad unionem ponatur in folio.*

De unione nunc tantum quaeritur. Obstare quidem ei videtur juris dispositio, quae ad perficiendam beneficiorum unionem requirit causam necessariam et utilem et consensum eorum, quorum interest, ut post *tex. in can. 49. caus. 26. quaest. 1., cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* definivit *s. Congregatio in Forosempronien. Translationis paraeciae et applicationis 19. Decembris 1801.* et in *Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.* Quamquam in re nostra *unioni assentiantur tum beneficiati tum patroni*, attamen *nulla subest necessaria causa et utilis ecclesiae, cum unio petatur in commodum beneficiatorum*, et eam s. Congregatio rejecit *in Leopoldien. Unionis 1. Septembris 1736.* Verum agitur de *tenuissimis beneficiis*, quae majoribus, quam par sit, gravantur oneribus, ut difficile sit invenire, qui ea consequi velit. Nullum porro praejudicium fit ecclesiae cum non agatur de beneficiis residentialibus sed mere simplicibus, quorum possessores nullum servitium praestant ecclesiae; nil certe ex unione ecclesia amittit, cum onera missarum beneficiis inhaerentia aeque implenda sint. Quatenus EE. VV. placeat unionem decernere, tum modus adjiciendus erit, ut locum habeat post obitum vel renunciationem possessoris, et

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus unioni in casu etc.?

S. C. resp.:

Affirmative post obitum vel resignationem sacerdotis Laurentii Lauri firmis omnibus oneribus ad formam fundationum et rescripti diei 17. Decembris 1808.

Die 18. Mart. et 27. Maji 1809.

Sarsinaten.

Bernardina Almerigi de Foro Saraceno dioecesis Sarsinaten. jussit in suo testamento anni 1736 tria erigi beneficia simplicia in ecclesia priorali dicti oppidi imposito onere capellanis, quod praeter festum s. Sebastiani cum assistentia octo sacerdotum celebrandum et solutionem scuti unius sacrario ecclesiae praedictae pro utensilibus singuli missam qualibet die dominica ac Natali D. N. I. C. in designatis respective altaribus celebrarent.

Pro dote vero eorumdem fructus assignavit praedioli nuncupat. Sorivolo ac nonnullos census in calce dicti testamenti adnotatos, quibus in partes tres divisis cuilibet capellano summa obtigit sc. 268. 50 non comprehensa vini ac frumenti una vel altera salma, quae ex d. praediolo percipiebatur.

Duo ex dd. beneficiis modo possidet Julianus Mami Canonicus coadjutor ecclesiae cathedralis Caesenaten., qui anno 1782, cum unum ex dd. beneficiis haberet, facultatem ad triennium obtinuit ab hac sac. Congregatione, ut missae, quae praescriptis diebus celebrandae erant, etiam extra dies designatos dicerentur; inveniri enim non poterant sacerdotes, per quos fieri huic oneri posset satis.

Post haec tam Petrus Antonius Mami tunc possessor duorum dd. beneficiorum una cum praedicto Juliano Mami alterius beneficii detentore quam eorumdem compatroni preces obtulerunt SSmo Domino Nostro *pro unione dd. beneficiorum in personam d. Antonii Mami* ac pro reductione missarum

cum facultate eas celebrandi aliis quam a testatrice praescriptis diebus. Examen ad hanc sac. Congregationem est ablegatum, quae Ordinarii de more sensum exquisivit.

Episcopus in prolixa sua informatione haec in summa refert: unumquodque ex his beneficiis dotem habuisse in rata censuum ad sc. 268. 50. ascendente et tertia parte antedicti praedii Sorivolo. Cum census essent partim superiori saeculo constituti cum usura septem vel octo in singula centum partim ab ipsa testatrice acquisiti, facile creditu est annuum censualem fructum scuta circiter viginti attigisse quibus addendi erant praedii redditus.

Narrat decursu temporis factum esse ut censurarii aliqui debitores decoxerint, aliorum difficilis exactio evaserit, aliquorum restituta sorte sub minori faenore implicari pecunia debuerit. Praediolum vero ex natura loci, praecipiti saxorum lapsu, subterranearum aquarum copia in eam incidisse sterilitatem quae nulla reparari industria potest; ita ut non deductis oneribus vix ad annua scuta octo cujusvis beneficii redditus efferatur. Concludit opportunum sibi videri tum quod tria haec beneficia uniantur et redigantur ad unum, tum quod minuatur Sacrorum onus illudque limitetur ad unam missam qualibet dominica die in ecclesia parochiali ad festum s. Sebastiani modo a testatrice praescripto, ad contributionem scuti unius sacrario pro utensilibus, quatenus capellanus sua non habeat aut deferat. In his *assentiri beneficiatos, patronos et qui in patronatu substitutus et ecclesiae rectorem.*

Prima sane quaestio quae unionem respicit trium beneficiorum non incongruae nititur causae *tenuitati nimirum reddituum eorumdem beneficiorum.* Longe hinc absunt disputationes DD. de adempta per Concilium Tridentinum *Episcopis facultate uniendi inter se beneficia simplicia* deque ea solum ampliori modo concessa cum unio facienda est ad cathedrales ecclesias et insignes collegiatas aut parochiales juxta ea, quae leguntur *sess. 21. cap. 5. de reform. et sess. 24. cap. 13. de reform. et adnotat. Barbosa in collect. ad Conc. Trid. sess. 21. cap. 6. num. 11.*

Unio quippe postulatur a summo Pontifice, cui oblatae fuerunt preces et a quo per organum Emi Datarii ad hanc sac. Congregationem remissae fuerunt. Jam vero *fructuum paucitas eorumque omnimoda imparitas ad beneficiatum* exhibendum unionis fundamentum praebet, *cap.: Exposuisti 33. de praebendis; patroni assentiuntur*, etiam ii, qui in spem remotissimam substituti sunt, ad *text. in cap.: Suggestum 20. de jurept.* et *Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 15: rectores beneficiorum*, quorum nec exquirenda consensio est, cum post eorum obitum unionis effectus differatur, *Clement. si una 2. de rebus eccl. non alienand.*, quoniam hodie peragenda haec unio est, *non tam assentiuntur quam ii ipsi eam impensissime efflagitant.*

Neque obesse potest animadversio quod testatrix, cum tria respective altaria pro dd. tribus beneficiis designavit, professa sit *ha deliberato di dotare coll' infrascritta dote ogn' un di essi.* Praeterquam enim concessa etiam unione nil vetaret imponi beneficiato onus manutentionis reliquorum altarium refert Episcopus, quod duo ex iisdem altaribus *sua habent confraternitates, a quibus manuteneri debent et alterum idoneum abunde habet patronum, ita ut notarii ignorantiae tribuatur quod eadem altaria dotare voluerit testatrix cum praescripto capitali.*

Secunda quaestio reductionem onerum respiciens quamvis regulam offendere videatur a sac. Congregatione tam saepe laudatam ea scilicet non minuendi quoties de oneribus agitur jam acceptatis et per exequutionem emologatis, atque aliunde manualis pro Sacrorum numero eleemosyna non deest: expendendum tamen est: an huic regulae quae sine contradictore recipitur cum de legatis agitur missarum etiam tunc locus esse debeat quando scilicet res est de Sacris beneficio adnexis. In iis enim redditus a fundatoribus tribuuntur non pro sola Sacrorum eleemosyna sed etiam pro capellani exhibitione, proindeque iniquum videri potest atque a mente fundatorum alienum eam reddituum partem quae sustentationi capellani destinata est integre in eleemosynam Sacrorum convertere nilque relinquere pro beneficiato in correspectivitatem onerum eidem incumbentium et praesertim diurnae obligationis recitationis officii, *Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 4. num. 31. Nam excessus* (supra eleemosynam missarum) *non pro missa conceditur sed ratione dignitatis et sustentationis, Piton. de contr. patron. alleg. 67. num. 9. Verius est quod in capellaniis seu missis fundatis majus stipendium ultra taxam missarum manualium non datur ratione sacrificii sed ratione sustentationis capellani.*

Quinimmo in ipsis quoque legatis missarum, quando exploratum est detrimentum annuorum reddituum, demonstrata naturalis eorumdem imminutio, certus in loco sacerdotum defectus, per quos cum manuali eleemosyna impleri celebratio aut nullo modo aut perraro vel difficillime potest, etiam post accceptatum emologatumque onus reductioni ad taxam perpetuae locum esse censuit sacer hic Senatus in *Anconitana Missarum 16. Martii 1782. resolut. 20. Aprilis dicti anni* et in folio allegantur concordantia s. Congregationis responsa.

Neque momentosa videtur singularis devotio testatricis erga altaria sub quorum invocatione beneficia erigi mandavit: *E perche ha in gran venerazione gli altari del ssmo Sacramento etc. eretti nella suddeta chiesa ha deliberato di dotare coll' infrascritta dote ogn' uno di essi.«* Confestim enim addit: *»In suffragio della di lei anima, e di tutti li defonti della medesima testatrice«*, ita ut pro dimentienda Sacrorum reductione sola obstare videatur suffragiorum diminutio in expiationem animae fundatricis ejusque conjunctorum quae in omnibus reductionibus timenda est. Ad rem Episcopus: *In districtu ejusdem parochiae sive in eodem oppido non deest missa altera in alia ecclesia nec populi commoditatem respexit testatrix ipsa in ejus exposita voluntate.*

Definiendum est:

I. *An sit locus unioni beneficiorum in casu?*

II. *An et quomodo sit locus reductioni missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Affirmative juxta modum nempe celebrata una missa singulis diebus dominicis et festis de praecepto et adimpletis aliis oneribus a testatore praescriptis.

Die 8. et 29. Julii 1786.

Amerina.

In relatione status ecclesiae Amerinae a moderno Episcopo transmissa pridie nonis Decembris nuper elapsi anni 1802 hoc EE. VV. postulatum proponitur:

Chorales Cathedralis capellanias septem esse dixi. Harum autem tres esse vacantes tribus abhinc annis, scilicet vacant illae duae, quae col. mem. Episcopus Consoli praedecessor meus erexit. Cum enim redditus ipsarum sint fructus Montium ex duabus quintis partibus, quae modo solvuntur, habet unaquaeque in fructum scutorum decem, tertia autem scutorum decem octo, *ideoque ob hujusmodi tenuitatem nullus ad eam obtinendam concurrit*, ergo longo abhinc tempore quatuor dumtaxat sunt beneficiati chorales, quod ipsis gravamen affert, servitii chori detrimentum et decus minuit ecclesiae sacrarumque functionum. Quamobrem etiam atque etiam rogo EE. VV., ut facultatem dignentur mihi concedere tres praedictas capellanias in una simul uniendi quousque Montes restituantur in pristinum aut omnium trium introitus ad sc. 60. veniat. Tunc enim ex tribus duae efformabuntur, alias, uti nunc, semper vacantes erunt.

Praestat nunc exploratum facere EE. VV. a quibus capellaniae hujusmodi fundatae sint, quae onera praeseferant quosque habeant fundos et redditus.

Quae omnia patent ex documentis ab Episcopo transmissis in sua posteriori informatione. Duas itaque capellanias in postremis tabulis scriptis anno 1769 instituit Praesul Jacobus Philippus Consoli Episcopus Amerinus. Hic considerando »e volendo noi stabilire a pro dell' anima nostra un perpetuo suffragio, e considerando, che nel dar luogoalla nostra mente pensiamo nel tempo stesso con decorare la nostra Cathedrale con l'ammento dei ministri al servizio di Dio,« jussit, ut duo erigerentur capellaniae »con l'obligo alii capellani di servire in coro in chiesa nel modo che sono in obligo di servire li quattro capellani corali niente escluso se non l'obligo della messa conventuale alla quale saranno tenuti li soli quattro antichi capellani.« Pro fundo tandem hisce capellaniis assignavit loca viginti Montium, ex quibus olim cedebant annua scuta sexaginta partienda inter duos capellanos, qui praeterea gravantur onere missarum 150 pro unoquoque in annos singulos. Tertia vero capellania erecta est ex simplici nullisque oneribus obnoxio beneficio, quod erectum erat sub nomine canonicatus in ecclesia s. Secundi, quod extat in suburbio

Ameriae. Etenim anno 1786 unitum fuit capellaniis choralibus cum onere residendi apud ecclesiam majorem et inserviendi in choro et aliis ecclesiasticis functionibus, ut ceteri capellani chorales. Huic capellaniae nunc redeunt sc. duodeviginti. Episcopus affirmat: »Nullus neque patronus neque alius adest, qui teneatur ad supplementum et *Capitulum Cathedralis unioni consentit.*«

Unio sane repugnat voluntati eorum, qui beneficia erexerunt, quae servari debet quoad fieri potest incolumis, *can. Ultima voluntas quaest. 13.* Verum Tridentinum in *sess. 7. c. 6. de reform.* permittit uniones *ex justa et rationabili causa auditis quorum interest.*

Compertum autem est causas hujusmodi referendas esse ad necessitatem et utilitatem ecclesiae ex *text. in cap. Exposuisti de praeben., Barbos. ad Concil. Trident. sess. 7. de reform. cap. 6. num. 11., Rebuff. tit. de union. num. 38.* et in *Legionen. Unionis 24. Aprilis 1723.* Cum vero ex imminutione redditunm abhinc triennium vacent capellaniae, *quarum diminutis redditibus nemo velit acceptare emolumentum impar oneribus,* videtur sane necessarium, ut unio perficiatur et unus saltem sit qui onera et servitium chori praestet. Hinc etiam ecclesiae utilitas emergere videtur. Nam capellaniae hujusmodi idcirco fundatae fuere, ut aucto numero capellanorum choralium adaugeretur ecclesiae servitium. Quare potius utile erit unum capellanum ex redditibus trium capellaniarum constituere quam permittere ut omnes tres prorsus vacent non sine detrimento servitii choralis et gravamine caeterorum capellanorum.

Maxime cum ex hac unione fieri quodammodo satis possit voluntati fundatorum. Nam Praesul Consoli geminis capellanis a se institutis praeter servitium chori injunxit, ut missae tercentum celebrarent, tertia vero capellania tantum gravatur servitio chorali. Quare unus capellanus poterit et missas celebrare et servitium chori praestare. Ex redditibus enim trium capellaniarum habet scuta 42, scilicet scuta 24 ex duobus quintis, quae nunc solvuntur pro viginti locis Montium, et scuta 18 ex tertia capellania. Quae scuta quadraginta duo satis esse possunt tum pro eleemosyna saltem biscentum missarum, quae ad manualem nunc exigunt scuta triginta, tum etiam pro servitio chori obeundo, in quam causam supersunt scuta duodecim.

Haec pertinere possunt ad modum faciendae unionis quatenus EE. VV. haec arrideat. Haec tamen unio tamdiu perdurare petitur, quamdiu augeantur fructus locorum Montium: nam ut Episcopus proponit cum ex fructibus capellaniarum percipi poterunt scuta sexaginta, tum duo capellani erunt instituendi. Dubium est:

An et quomodo sit locus unioni in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi celebratis quotannis missis biscentum.

Die 12. Febr. et 26. Mart. 1803.

Nullius trium fontium.

Anno 1633 capitulum et Canonici Collegiatae sub titulo s. Mariae in coelum assumptae civitatis Orbetelli abbatiae Nullius Trium Fontium ad majorem domus Dei decorem promovendum quatuor capellanias instituendas curarunt congrua illis ex capituli censu tributa dote ac sibi suisque successoribus reservato jure nominandi capellanos. Hujusmodi capellaniarum rectoribus impositum fuit onus quaedam litandi Sacrificia atque insuper uti bini qualibet hebdomada choro interessent et altari inservirent.

Temporum tristitia factum est, ut capellaniarum redditus valde decreverint et in praesens annuum insimul afferunt fructum scut. 69. 80, non subducto onere missarum quinquaginta quinque per quatuor capellanos insimul celebrandarum. Quocirca tres capellaniae dudum suo carent rectore et quartam possidet clericus Aloisius Bosanti; missarum celebratio non impletur et chori servitium grave patitur detrimentum.

Hisce malis remedium dari posse existimat hodiernus Abbas Commendatarius Emus Georgius ab Auria Pamphyli, si capellaniarum proventus et bona in unum congerantur eisque uniantur redditus quorumdam simplicium beneficiorum et piorum legatorum, ita tamen ut singuli capellani annuam percipiant summam scut. sex supra triginta. Beneficia, quorum proponitur unio, duo sunt, scilicet s. Antonii et s. Stephani: illius redditus pertingunt ad scut. 29, non detracto onere missarum 104, hujus vero ad scut. 23. 20. cum onere missarum 66. Legata vero sunt quinque, nempe 1, Margaritae Sebastiani 2, Catharinae Crociano, 3, Christofori Velasquez, 4, Lucae Villanizar, 5, Augustini Imperate. Haec legata annuum dant redditum scut. 23. 56, onera autem sistunt in missis 117 quotannis offerendis. Jus nominandi sacerdotem qui duo postrema impleat legata pertinet ad capitulum memoratae Collegiatae, reliqua autem legata atque etiam beneficia sunt jurispatronatus partim Emi Abbatis partim curiae abbatialis.

Cumque onera missarum capellaniis, beneficiis et legatis inhaerentia sistant in missis 342 ac propterea si cummulate forent implenda singuli capellani haud lucrarentur scut. 36, ideo Emus Abbas necessariam arbitratur eam Sacrificiorum reductionem ut quilibet ex quatuor capellanis singulis hebdomadis unam tantummodo in posterum celebret missam. Tandem ne ex proposita unione integram jurispatronatus jacturam subeat Emus Abbas, ita jus nominandi quatuor capellanos dividendum esse putat, ut dignaretur audire capitulum atque etiam Vincentium Ventura possessorem beneficii s. Antonii et legati Margaritae Sebastiani ac Vincentium Mathioli possessorem legati Christophori Velasquez, nam alterum beneficium ceteraque legata nullum habent rectorem. Emus Abbas haec respondit: »Capitularibus comitiis sub die 14. Octobris elapsi anni coactis in sententiarum discrepantia unico tantum suffragio ii vicere Canonici, qui jus nominandi ad duas capellanias minime Abbati Ordinario cedendum esse arbitrati sunt. Videant tamen in summa qua pollet EE. VV. sapientia, an revera capitularis resolutio stet pro Canonicis negantibus vel non. Ex copia enim a secretario capituli transmissa constat, Priorem capituli duo dedisse suffragia. Jam vero cum jure merito suspicari possit Priorem non modo stare cum negantibus, sed eorumdem et caput et instigatorem esse, licet aliud verbis dixerit, dempto uno ex binis nigris suffragiis a Priore datis (quod quidem jus dandi duo suffragia quomodo ipsi competat profecto non liquet) quatuor hinc inde suffragia habentur; in qua quidem suffragiorum aequalitate potius faventibus cessioni, quippe cum Ordinarii partes sequantur, quam negantibus annuendum esse videatur.

Mandarunt praeterea EE. VV., ut audirentur actuales possessores beneficiorum et legatorum, qui sunt Vincentius Mathioli et Christ. Velasquez. Atqui tamen nec primus auditus est, utpote non integre compos sui, nec alter cum non reperiatur in abbatiali cancellaria, quomodo in capellania sit canonice institutus. Quoad primam igitur capellaniam, quam possidet Ventura, cum vel pauci vitae dies superesse videantur, nunc pro tunc uniri poterit, quoad aliam vero libere poterit uniri, cum Mathioli legitimus ejusdem possessor nunquam sit habitus, sed potius administrator et oeconomus.«

Ad unionem beneficiorum perficiendam duo intercedant necesse est, nimirum *consensus eorum, quorum interest, et necessaria causa, cap. 49. caus. 26. quaest. 1., cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat., Concil. Trid. sess. 7. cap. 6. reform.* et *s. Congregatio in Eugubina Unionis 23. Januarii 1082. §: Tridentinum.*

In themate Canonici, quorum interest, unioni assentiuntur: defectui consensus Vincentii Ventura satis prospicitur per unionem nunc pro tunc, ubi primum acciderit vacatio: nec necessarius videtur assensus Vincentii Mathioli, quoniam ipse haud legitimus ac verus est legati Velasquez possessor, sed potius administrator.

Hinc inquirendum superest de necessaria unionis causa. Jam vero redditunm tenuitas legitimam suppeditat unionis causam; nam si oneribus non respondeant beneficiorum redditus aut hos augere aut illa imminuere oportet. Nulla alia quidem augendi tenuissimas quatuor capellaniarum Collegiatae Orbetelli praebendas subest ratio, nisi unio simplicium beneficiorum et legatorum, aut eorum fructus inter capellanos dividantur, quemadmodum in similibus necessitatis casibus censuit s. Congregatio in *Albanen. 18. Junii 1808, in Urbevetana Suspen. 7. Maji 1808.*

Cum vero hac beneficiorum et legatorum unione redditus capellaniarum licet ad summam scutatorum triginta sex augescerent, nihilominus valde exigui forent, si praeter chori servitium onera missarum 342 capellani subire obstringerentur; idcirco necessaria quoque videtur exorata missarum reductio ad quatuor sacrificia in singulis hebdomadis, quemadmodum saepius censuit hic sacer Ordo, ac praesertim in *Syracusana Reduct. missarum 10. Martii 1759* et in *Nucerinae Reductionis 13. Martii 1784.*

Verum pro deneganda beneficiorum et legatorum unione urget cultus divini jactura. Privatur enim hoc modo ecclesia aliis sacerdotibus, et ubi unio vertit in aliquod ecclesiae damnum, eam s. Congregatio concedere non solet, ut in *Leopolien. Unionis 1. Septembris 1736.*

Missarum quoque reductio non conceditur, ubi ea fructuum praesto sit copia, quae earum satisfactioni sufficiat veluti docet s. Congregatio *in Viterbien. 18. Augusti 1794 et in Bononien. Applicationis Reductionis 16. Septembris 1826.* In praesenti autem casu redditus beneficiorum et legatorum pares essent integro ferendo missarum numero.

Quatenus EE. VV. beneficiorum et legatorum unionem concedendam censuerint, decernere dignentur, an jus nominandi binos capellanos sit in Emum Abbatem transferendum. Etenim nedum beneficiorum sed etiam trium legatorum, quorum unio facienda proponitur, nominatio spectat ad Emum Abbatem adeoque rationi consentaneum videtur, ut haec jurispatronatus jactura rependatur jure nominandi duos ex quatuor capellanis, siquidem non incogniti juris est, *quod, si duo beneficia jurispatronatus insimul uniantur, patroni unius beneficii fiant patroni alterius, Piton. de controv. alleg. 100. n. 80., Rot. cor. Emerix. jun. decis. 87. 2. 7.* et in *Bononien. Beneficiorum 12. Decembris 1712. §: Quam, cor. Crispo.*

Animadvertendum vero *nonnullos Canonicos* huic juris nominandi divisioni *suum non praebere assensum* ac neminem invitum suo jure esse privandum, *ad text. in leg. Qui Romae §: Flavius de V. O., L. Quoties cod. de donat. quae sub modo, Card. de Luca de feud. controv., Boscol. art. 2. n. 62.* Praeterea ex unionis natura sequitur, jacturam jurispatronatus perferendam esse ab Emo Abbate, quia beneficia et legata per subjectivam unionem extinquuntur et amplius non vacant, *Garz. de re benef. part. 12. cap. 2. n. 202., Reiffenst. lib. 3. decret. tit. 12. n. 73.*

Dubia sunt:

I. *An et quomodo sit locus beneficiorum et legatorum unioni in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda missarum reductio in casu?*

III. *An et quomodo jus nominandi quatuor capellanos sit dividendum inter Abbatem pro tempore et capitulum in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative juxta resolutionem s. Congregationis diei 17. Maji proxime praeteriti et novissimum votum Emi Abbatis.

Ad II: Affirmative juxta modum, nimirum assignatis cuilibet capellano scutata triginta pro servitio chorali, Ordinarius ex superextantibus redditibus praefiniat numerum missarum ab unoquoque celebrandarum ad manualem.

Ad III: Affirmative ut in primo.

Die 17. Maji et 20. Decbr. 1828.

VII. *In commodum Canonicatus.*

Vd. *Benef.* (unio concessa in erectionem praebendar.); p. 971. n. III.

Unio trium simplicium beneficiorum canonicatui nuncupato della Torre in collegiata ecclesia castri Arguato Placentinae dioecesis.

Venerabili fratri et Episcopo Placentino.

Venerabilis frater.

Pius PP. VII.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et Canonici collegiatae ecclesiae di Castell' Arquato istius Placentinae dioecesis, quemdam canonicatum della Torre nuncupatum in dicta collegiata erectum usque a mense Augusti anni 1815 per liberam dimissionem dilecti filii Andreae Pettorelli presbyteri ultimi possessoris vacasse actuque vacare illiusque redditus, qui in choralibus tantum distributionibus consistunt, annuam summam scutatorum viginti trium monetae romanae non excedentes ita tenues esse et oneribus sustinendis quotidiani servitii choralis impares, ut nemo hucusque de illo provideri exoptaverit; ad constituendam proinde certam dotem seu praebendam pro canonicatu praedicto tria ecclesiastica beneficia simplicia nullam personalem residentiam requirentia actu possessa a dilecto filio Joanne Faustini presbytero aetate provecto, de libera, prout asseritur, collatione, quae licet sint separata per modum tamen unius concedi solent, illorumque fructus insimul computati scutata quinquaginta praedictae monetae quotannis efficiunt, eorumque tituli sunt, scilicet, rectoria beatae virginis del Mezzanino in parvo oratorio sito extra portam di Cima praedictae arcis erecta; rectoria sanctae Mariae Magdalenae poenitentis di Pantegano appellata in oratorio rurali extra arcem, tandem canonicatus sancti Nicolai olim Collegiatae dictae arcis; nunc pro tunc quando per obitum praedicti rectoris Faustini beneficia memorata vacare contigerit canonicatui praedicto della Torre nuncupato perpetuo jungi et incorporari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra induigere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta favorabili relatione tua super praemissis Nobis transmissa, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis, et si id in Domino expedire censueris, ad petitam trium beneficiorum simplicium unionem nunc pro tunc, quando ea vacare contigerit, auctoritate Nostra apostolica devenire possis et valeas, injuncta tamen obligatione possessori pro tempore praedicti canonicatus della Torre, ut non solum consueta onera hujusmodi canonicatus sed alia etiam tribus praedictis beneficiis uti supra conjunctis incumbentia satisfacere teneatur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 15. Septembris 1820.

(Bull. r. Contin. t. XV. p. 329. Edit. Romae.)

VIII. *In commodum ecclesiae inopis (parochialis.)*

Vd. *Benef.* (unio et translat. in commod. eccles.; unionis causae etc. p. 962.; unio concessa in augment. congruae parochi p. 965.)

Mutinen.

Duo ab immemorabili tempore ignotisque fundatoribus in cathedrali ecclesia Mutinensi sunt beneficia, unum annui redditus scutorum 2. 10 monetae romanae sub titulo s. Geminiani, alterum scutorum 2 sub titulo s. Domnini, utrumque cum respectivo onere missarum 36, tertium scuti unius et ob. 34. cum onere missarum trium, in parochiali est ecclesia Casinalbi sub titulo s. Sebastiani. Tria haec beneficia alterne a s. Sede et Ordinario duobus abhinc saeculis collata fuerunt; sed a nonnullis annis vacant ac nemo est, qui ea prae tenuitate accipiat. Sanctissimo igitur Mutinensis Episcopus supplicavit pro facultate applicandi illa ss. Geminiani et Domnini parochiali ecclesiae s. Pancratii tenuis redditus scutorum 20 nullis deductis oneribus, aliudque s. Sebastiani parochiae Casinalbi, cui annua tantum sunt scuta decem, reductis tamen ad aequum numerum missis.

Re ad sacram hanc Congregationem delegata ea omnia in sua informatione confirmavit Episcopus retulitque *de consensu capituli* Cathedralis et parochi Casinalbi ac de qualitate redditus cujusque beneficii quod nempe, *quum agatur de praestationibus titulo emphyteusis, potius minui quam augeri possunt. Deficiunt enim documenta indicantia qualitatem et quantitatem terrarum, quae ab immemorabili in emphyteusim concessae fuerunt particularibus personis, certo certius ante Tridentinum Concilium, et quae nunc detinetur a tribus diversis familiis cum onere dictarum praestationum.* Hisce perpensis nil unioni de sua sententia requisiti obesse ajunt ministri Datariae.

Ad *inopes succurrendas parochiales ecclesias* perpetuam beneficiorum unionem permittit *Honorius III. in cap.: Exposuisti de praeben.* et *sacr. Concil. Tridentinum sess. 21. cap. 5. de reform.* Num inopia vero laborent parochiae s. Pancratii et Casinalbi, quae diu rectores cum praesentibus redditibus habuerunt, satisque ad eas levandas sit unius et alterius scuti accessio cum onere missarum, EE. Vestrae decernent. Non sine angustia certe vivere posse videtur alter ex parochis cum annuis scutis 20, non deductis oneribus, alter cum scutis decem: et in similibus terminis perpetuam piorum legatorum unionem parochiae Meggiani concessit sacra haec Congregatio *Spoletana 18. Decembris elapsi anni 1790.*

Si in praesenti etiam casu annuere placeat unioni beneficiorum, deliberandum erit quoad missas de modo. Cum iisdem profecto fieri deberet oneribus per *text. in leg. Res quae, ibique gloss. ff. de jur. dot.*, sed ponderandum, num iis pares sint redditus. Excepto beneficio s. Sebastiani sufficientis emolumenti annua quidem scuta 2. 10. beneficii s. Geminiani et scuta duo alterius s. Domnini nec manualem attingunt, quae in Mutinensi dioecesi est *unius julii argentei pro qualibet missa, et sextae partis alterius julii pro sacris utensilibus*, Episcopo teste. Ubi impares autem sunt redditus concedi solet missarum reductio, secundum *Fagnan.*

in cap.: Cum omnes de constit. num. 31., Garz. de benefic. part. 3. cap. 2. §. 1. num. 197. et *sacra Congregatio in Urbevetana 24. Novembris 1787* et in *altera Urbevetana Reductionis missarum 16. elapsi Julii.* Post immemorabilem sane beneficiorum erectionem fieri deberet hujusmodi reductio ad manualem, ut statuit sacra Congregatio in *Fanen. Reductionis missarum 14. Februarii 1761. Reddituum vero tenuitas et parochiarum necessitas justam praebere possent causam* decernendi taxam perpetuae, ut in *Albinganen. 12. Decembris 1778,* in *Anconitana Missarum 20. Aprilis 1782* et in *Parmen. 6. Maji 1786 ad I. dubium.*

Dubium est:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro unione beneficiorum et reductione missarum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi, reductis missis ad taxam perpetuae.

Die 26. Novb. 1791.

Spoletana.

Ubi aliter succurri nequit inopi paraeciae perpetuo ei unienda sunt beneficia et legata pia ex providentia sac. Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 5. et sess. 24. cap. 13. de reform.*

Die 13. Junii 1789.

Civitatis Castelli.

Ubi tenues profecto sunt paraeciae redditus, providendum decernit Tridentina Synodus *sess. 24. cap. 13. de reform.* per abolitionem et respectivam simplicium beneficiorum unionem.

Die 19. Decbr. 1789.

Firmana.

Ut necessitati ecclesiae parochialis succurratur, permittit quidem Tridentina synodus, ut beneficia iisdem uniantur, ut *ex sess. 21. cap. 5. de reform.* Sane cum paroecia *s. Mariae delle Piagge* frequens sit capita 860 per agrum dispersa, quorum pars dissita quoque est a parochiali, satis esse non potest unus parochus, qui omnibus spiritualia subsidia ministret. Etenim unicum Sacrum diebus festis celebratur, cui omnes eodem tempore interesse nequeunt, et aegrotantes aliquando carent parocho, quippe qui aliis infirmis assidere debet. Cum autem parochiani egestate laborent et parochus non habeat ex congrua, unde coadjutores sibi assumat, probanda esse videtur haec unio beneficii s. Antonii Abbatis ut hisce incommodis per capellanum curatum provideri possit.

Die 14. Jan. 1804.

Asculana.

Paupertati paraeciarum opitulari posse per beneficiorum unionem decrevit Tridentinum *sess. 21. cap. 3. de reform.* et in hanc causam unionem fieri jussit s. Congregatio *in Sabinen. Unionis 16. Junii 1788* et in *Nullius Nonnantulae Erectionis paraeciae et unionis 12. Februarii 1803.*

Die 15. Decbr. 1804.

Eugubina.

Ex Tridentino *sess. 21. cap. 3. de reform.* ad sublevandam inopiam paroeciarum fieri potest unio beneficiorum. Quamquam hic proprie de beneficio non agatur sed de legato pio, attamen s. Congregatio paraeciarum tenuitati consuluit etiam per applicationem legati pii, ut *in Cortonen. Applicationis 15. Februarii 1791, in Pisauren. Applicationis haereditatis 23. Julii 1803* et in *Asculana Paraeciae 25. Maji 1805.*

Die 26. Maji 1808.

Florentina.

Tridentinum sess. 24. cap. 13. de reform. probat, ut inopiae paraeciarum succurratur per beneficiorum unionem, et sac. Congregatio *probata necessaria causa et concurrente consensu* unionem probavit in eadem *Forosempronien. Paraeciae et applicationis 19. Decembris 1801.*

Die 18. Mart. 1820.

Lucana.

Cum non aliunde Archiepiscopo teste subsidium animarum haberi possit, alia beneficia vel officia eidem conjungi debeant juxta Trident. *sess. 21. de reform. cap. 5.*: quod si in his casibus beneficiorum aliorum unionem s. synodus praecipit, uniones multo magis jam factae sunt confirmandae.

Die 25. Maji 1822.

IX. *In commodum pii loci.*

Lucana.

Pia Lucae est domus, in qua novem modo sunt mulieres poenitentes. Annuum ipsae habent liberumque redditum scutorum 50 ac tenues per civitatem colligunt eleemosynas, ex quibus miseram ducunt vitam. Sanctissimo igitur supplicarunt pro unione beneficii erecti in Lucensi Cathedrali sub titulo s. Hieronymi de jurepatronatus Patrum congregationis Matris Dei, ad quos jus istud delatum est hereditario titulo Catharinae Vanulli; precibusque ad sacram hanc Congregationem ablegatis retulit Lucensis Archiepiscopus, quod patribus capitulariter auditis commiserantes summam egestatem pii loci praedicti *nihil precibus opponendum censuerunt, quin lubenti animo cum voce tum suffragiis oratricibus affirmantibus assentiendum esse* decreverunt; quodque habet beneficium praedictum annuos redditus scutorum 29 circiter et onus missarum 14, quarum manualis eleemosyna pro singulis ad julium non pertingit. Atque in haec conclusit verba: Quum igitur petita unio levamen et adjumentum pio et admodum utili loco sit allatura, humillime sentirem, unionem praedictam oratricibus concedi posse nunc pro eo tempore, quo beneficium vacabit.

Archiepiscopi relationem comprobavit laudavitque procurator generalis Congregationis Matris Dei. Ministri vero Datariae apostolicae, qui auditi etiam fuerunt, carere inquiunt unionem beneficii subjecto ad eam habili, nempe ecclesiae, cui uniatur, quum, beneficii ut fructus applicentur dicto loco pio ad augendos ejus redditus vere tenues, injuncto tamen onere missarum, substantialiter sit ejusdem beneficii amortizatio et suppressio; eique obstare incertitudinem vocatorum ad beneficium, ita ut opus esset vel programmatibus, excitando interesse habentes aut habere putantes in jurepatronatus, praesertim passivo, ad deducandum jura in sacra Congregatione, vel simplici suspensione nominationis et jurispatronatus etiam passivi ad tempus aliquod a die primae vacationis, ut si quod gravamen alicui involuntarie afferretur, qui tunc reclamaret, illud facile sit reparabile. His tamen non obstantibus ita concludunt: Causa (unionis) piissima est. Archiepiscopus eam promovet et pro dicta gratia supplicat. Qui patronatum possidet, nempe congregatio Matris Dei, assentitur. Igitur ea concurrunt, quae supremam pontificiam potestatem movere ad annuentiam possunt.

Quaerendum prae omnibus, num reipsa deficiat subjectum unionis. Ob defectum ecclesiae, cui uniri solent beneficia, affirmant ministri Datariae. Altera vero ex parte notandum, quod locus pius, qualis est poenitentium domus, aequiparatur ecclesiae, ad non rare illius etiam favorem expleta fuit unio, ut favore episcopalis seminarii in *Amerina Applicationis 23. Novembris 1776. ad I. dub.* et in *Tolentina Applicationis beneficiorum 20. Martii 1790.* Nec novum, quod hujusmodi unio fiat ante vacationem beneficii, salvo jure possessoris. Ita enim in *Amerina Erectionis parochiae 18. Septembris 1790.* Quantum vero ad possibilem vocatorum existentiam, ob quam ministri Datariae proponunt edicta, adverti posset, quod testimonio Archiepiscopi deficiunt fundationis beneficii tabulae, nec facile idcirco passivum ostendi valet juspatronatus; quodque ad cautelam addi posset gratiae clausula: sine praejudicio juris alteri quaesiti.

Quatenus igitur EE. Vestrae obesse non censeant extrinseca haec impedimenta, deliberandum ab intrinseco de unione. Eam porro *ex necessitate vel utilitate permittunt* Honorius III. *in cap.: Exposuisti de praeben.* et sacrum Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 5. de reform. Necessitatem* in nostro themate *inducere videtur tenuis poenitentium census,* ut monet *Gibert. in jus canon. de benefic. ecclesiast. tit. 11. sect. 2. §. 6. tom. 3., utilitatem qualitas operis pii,* quum institutum sit ad servandas poenitentes mulieres a nova occasione peccandi. *Consensus accedit patronorum,* ob quem facilius sac. Congregatio plurium capellaniarum unionem concessit in *Derthonen. 22. Maji 1764.* Et votum postremo Archiepiscopi, qui rem habet praesentem. In casu autem unionis statuendum etiam esset modus, num fieri nempe deberet cum eodem missarum onere, quo gravatur beneficium, ac per simplex rescriptum, ut prae earum paupertate flagitant oratrices.

Proponitur itaque:

An et quomodo sit consulendum SSmo pro unione beneficii in casu?

S. C. resp.:

Affirmative, adimpletis oneribus juxta votum Archiepiscopi.

Die 23. Febr. et 16. Mart. 1793.

X. *In commodum rectoris ecclesiae xenodochii.*

Vd. *supra n. IX.*

Asculana.

Alexander Cocci scripto testamento anno 1707 haeredem nuncupavit sodalitium sanctissimae Trinitatis Ophydae, ut ex fundis haereditariis beneficium erigeret ad altare s. Caroli in ecclesia sodalitii.

Cum ex decreto s. visitationis anni 1796 restitutum fuerit xenodochium in oppido Ophydae collatis redditibus tum sodalitii sanctissimae Trinitatis tum operis pii s. Antonii Abbatis, cujus patronatum habet communitas, hinc tum publici repraesentantes tum confratres sanctissimae Trinitatis postulant, ut commutata testatoris voluntate beneficium Cocci xenodochio applicetur, ut facta missarum reductione illud convertatur in stipendium rectoris, qui curam infirmorum hactenus a parocho gratis exercitam gerat. Unus superest ex consanguineis testatoris sacerdos Joannes Carloni, qui huic commutationi voluntatis assentitur. Confratres et communitas, cui reservatum est beneficii juspatronatus, hanc probant commutationem voluntatis, dummodo firmum maneat juspatronatus beneficii, quod habent ex testamento Alexandri Cocci, et s. Congregatio B. Regiminis resolutionem communitatis confirmavit. Canonici Collegiatae primum huic commutationi repugnare visi sunt, cum eorum procurator in nostra secretaria interposuerit: *Nihil Transeat*, sed postea novo mandato procurae consensum praestiterunt lacerationi: *Nihil Transeat*, dummodo favore Canonicorum praeservatum esset juspatronatus.

Vicarius porro capitularis, qui haec omnia refert, praeterea affirmat: »*Deesse nunc alia media ad honestum et congruum stipendium assignandum huic capellano sive rectori xenodochii; patroni enim, quorum opibus haec institutio facta est, multis abhinc annis occupati reperiuntur in insignibus aedificiis construendis, alter novae ecclesiae, quae collegiatae adhaeret, alter novi xenodochii, multoque aere alieno praemuntur. Praeterea satisfactis oneribus inhaerentibus iisdem locis piis vix ad infirmorum honestam et congruam sustentationem et curam eorum redditus sufficere mihi comprobarunt. Mature enim desumpti redditus beneficii seu capellaniae ex statu decennali, deductis oneribus realibus fundis inhaerentibus, ad summam ascendunt scutorum septuaginta, ex quibus assignatis pro stipendio capellani xenodochii scutis quinquaginta missae duae hebdomadales forent celebrandae facta prius earum reductione, et aliae missae triginta tres quolibet pariter anno firmo tamen remanente onere celebrationis in ecclesia a pio testatore praescripta.*

Cum voluntates defunctorum sancte servandae sint, *canon*: *Ultima voluntas quaest. 13.*, tum nonnisi ex necessaria vel saltem utili causa commutandae sunt, ut passim definivit s. Congregatio et praecipue *in Asculana Commutationis voluntatis**) *20. Februarii 1802.* Certe quidem utile videtur, ut hoc beneficium applicetur hospitali, ut assignari possit in stipendium rectoris, qui infirmorum spiritualem curam gerat. Maxime cum non adeo derogetur fundatoris voluntati. Nam firmum manet juspatronatus quo ex testamento Alexandri Cocci fruitur communitas et sodalitium sanctissimae Trinitatis, qui patroni habent quoque jus nominandi rectorem xenodochii. Eo itaque redit commutatio voluntatis, ut reductis missis gravetur beneficiatus cura infirmorum. Profecto si intimius fundatoris voluntas scrutetur, ipse quidem videtur ignorasse, quod ex fundis pro dote assignatis rediissent annua scuta septuaginta. Nam jussit ut celebrarentur tot missae ad eleemosynam obolorum quindecim, quot redditus responderent. Atqui ad hanc normam ex redditu scutorum 70 celebrari poterant Sacra 460. Verosimile porro non est, ut qui non legatum missarum sed capellaniam et beneficium erigere voluit majora missarum onera injunxerit, quam capellanus sive beneficiatus per se praestare posset. Ergo verosimilius est, quod ipse fundator voluerit, ut missa quotidiana celebraretur et superextantes fructus cederent in utilitatem capellani. Ergo ab ejus mente non alienum esse videtur, ut hoc beneficium applicetur rectori hospitalis, ut impletis missarum oneribus subsidium aliquod percipiat ex fructibus superextantibus beneficii et pro novo onere habeat emolumentum.

De modo potius quaerendum videtur.

Nam poscitur reductio missarum, quae ex fundatione tot erant celebrandae, quot redditibus responderent ad eleemosynam obolorum quindecim. Ex beneficio autem redeunt annua scuta 70 itaut celebrandae forent missae quatuorcentum et sexaginta. Modo postulatur, ut scuta quinquaginta assignentur pro stipendio rectoris, reliqua vero viginti in celebrationem missarum quae ad eleemosynam obolorum *quindecim* a fundatore praescriptum darent annuas missas 137 sive geminas hebdomadales et praeterea triginta tres singulis annis. Ad levandam inopiam hospitalis legata missarum suspensa fuere *in Sarsinaten. Suspensionis missarum 22. Novembris 102.* Videant igitur EE. PP. num indulgenda sit ex hac causa reductio et pro quo missarum numero, quarum celebratio praestanda semper erit in ecclesia a testatore designata.

Observandum tandem propono, quod Canonici consenserunt huic commutationi, dummodo ipsis salvum esset juspatronatus. Contendunt enim quod si plures ad hanc capellaniam a communitate et sodalitio nominentur tum Canonicis jus sit praeeligendi inter plures nominatos. Sed ex particula testamenti a Vicario capitulari transmissa hoc jus Canonicorum non constat.

Dubium proponitur:

An et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro commutationi voluntatis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative pro unione beneficii firma remanente celebratione missae quotidianae.

Die 16. Aug. et 13. Septb. 1806.

XI. *In commodum seminarii.*

Vd. *Missa fund.* (commut. in bonum seminarii decr. *Paderborn.* §. *Hanc siquidem etc.*; §. *Concilium*; §. *Remedium*); *Seminar. Cleric.* (contributio). *Beneficium* (applicat. etc. p. 374, 381; mutatio in capellanias p. 617.; unio cum beneficiis alterius dioec. non concess. decr. *Vico-Equensis.*

Signina.

Ut consultum foret seminario dioecesano, quod anno 1710. Episcopus Ellis ad normam Tridentinarum sanctionum erexit in civitate Signina, duo simplicia beneficia in ecclesia s. Marci ejusdem civitatis instituta eidem inivit tum cum essent primo vacatura. Alterum ex hisce beneficiis tempore decretae unionis possidebat Paulus de Felicibus, qui anno 1733 mortuus est. Vacans tum beneficium collatum fuit Nicolao Antonelli a Sede apostolica penitus ignara, quod esset seminario unitum. Hinc lis inter seminarium et Antonellum novum provisum, quorum illud exequutionem unionis, hic exequutionem apostolicae *provisionis* urgebat. Controversiam omnem diremit s. Congregatio particularis a Sanctissimo deputata super seminariis die 5. Maji 1735. edito rescripto: *Constare de validitate unionis, sed in casu de quo agitur non esse exequendam pro praesenti vacatione.* Quare Antonellus quamdiu vixit beneficium retinuit eoque defuncto seminarium in vim unionis possessionem beneficii nactum est semperque retinuit.

Alterum vero beneficium seminario unitum possidebat Dominicus Lodi. Secordia vero eorum qui rebus seminarii praeerant factum est, ut eo defuncto perierit. Semper enim deinceps collatum fuit beneficium et modo vacat e vivis sublato sacerdote Marcello Petronselli postremo possessore. Itaque modernus rector seminarii obstitit apud *Datariam apostolicam*, ne collatio beneficii fieret attenta canonica unione jam edicta *anno* 1770. Sed contradictores insurrexerunt PP. Minores conventuales civitatis Signinae, qui ex titulo antiquae cessionis *anni* 1460 haec duo beneficia sibi applicata fuisse contendebant. Eminentissimus Pro-Datarius coram quo institutum fuit vadimonium *mandavit partes uti jure suo in s. Congregatione Concilii suspensa interim collatione.* Auditus hinc est Episcopus, qui exposita opportunis transmissis documentis confirmat additque: *Moniti a me PP. Minores conventuales hujus civitatis ad deducenda jura sua infra mensem apud istam s. Congregationem, in se ipsos forsitan reversi ac rationibus suis nullius roboris esse consideratis renunciationem hujusce causa (quam renunciationem annecto) mihi praesentarunt, adeoque sum in voto, quod preces rectoris seminarii exaudiri mereantur.*

De exequutione quaeritur unionis jam ab anno 1710 ab Episcopo Signino Ellis decretae, ut seminario dioecesano consuleretur. Hanc unionem canonice factam fuisse constat ex rescripto hujus s. Congregationis diei 5. Maji 1735. Nam cum in controversiam venisset, num alterius beneficii unio esset exequenda, s. Congregatio censuit: *Constare de validitate unionis, sed in casu de quo agitur non esse exequendam pro prae-*

*) Vd. *Commutat. ultimae volunt.*

senti vacatione. Reque vero nunc non dubitatur num rite necne facta fuerit unio, sed num fieri potuisset ex eo, quod ex antiqua cessione anni 1460. PP. Minoribus conventualibus civitatis Signinae haec beneficia essent applicata. Id sane opponebant PP. conventuales, sed nunc emissa renunciatione a lite recedunt, nam si ab anno 1460 facta dicitur haec cessio et applicatio, quae tamen non profertur, certe effectu caruit per tria ferme saecula cum semper beneficia hujusmodi collata fuerint. Quare aut haec applicatio non subsistit aut in tanto temporis spatio aliquem superaccessisse titulum praesumendum est, quo haec applicatio irrita facta sit.

Dubium proponitur:

An sit locus exequutioni unionis in casu?

S. C. resp.:

Affirmative.

Die 8. Mart. 1806.

XII. *In erectionem Canonicatus curati.*

Erectio alterius canonicatus curati in ecclesia episcopali Ussellensi facta ex unione duorum simplicium canonicatuum ipsius capituli.

Venerabili fratri
Episcopo Ussellensi.
Gregorius XVI.
Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Super universa gregis Dominici cura humeris Nostris a Christo Jesu pastorum animarum principe licet immerito commissa vigilantes illud maxime intueri Nos convenit, ut animarum hujusmodi cura iis committatur pastoribus, qui eas caelesti pabulo assidue pascant atque enutriant. Quapropter satis compertum habentes quanta eveniant mala animabus ipsis ex eorumdem pastorum ignavia, recta officii Nostri ratio a Nobis expostulat, ut in ecclesiis praesertim cathedralibus, quae hujusmodi incommodo obnoxiae esse noscuntur, per ministerium erectionis novus instituatur atque praecipuus pastor, qui cum aliis ei adjunctis cooperatoribus vineam Domini valeat simul excolere et in ea facilius ac salubrius elaborare.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod cum in majori ecclesia Ussellensi, cujus capitulum decanatu dignitate inibi post pontificalem majore et unica existente ac octodecim canonicatibus totidem praebendas adnexas habentibus necnon quindecim constat perpetuis simplicibus personalem tamen residentiam requirentibus ac servitium chori adnexum habentibus beneficiis ecclesiasticis, beneficiatis nuncupatis, quae de jurepatronatus laicorum ex fundatione vel dotatione existant, habitualis parochianorum ejusdem majoris, quae etiam parochialis existit, ecclesiae animarum cura sit penes pro tempore existentem Episcopum Ussellensem, actualis vero per binos ex beneficiatis, qui per ipsum Episcopum electi ex veteri consuetudine nulli subjiciuntur examini, exerceatur, experientia compertum est illos, liceat aliunde ad chori servitium idoneos, concreditae tamen animarum curae ea qua decet scientia et assiduitate impares esse. Si autem, sicut eadem petitio subjungebat, alter primo vacaturus ex infrascriptis duobus canonicatibus dictae majoris ecclesiae, qui dum illi pro tempore vacant ad liberam pro tempore existentis Episcopi Ussellensis praefati collationem, cessantibus tamen reservationibus et affectionibus apostolicis, spectant et pertinent, uno videlicet cum di Baressa per Michaelem Azzei, alio vero cum di Sinie Baradilli respective nuncupatis praebendis ejusdem majoris ecclesiae per Josephum Aloisium Schirru presbyteros dd. ff. respective nunc obtentis, ex nunc prout ex tunc et e contra infrascriptum tamen eventum in canonicatu curatum, quem pro tempore obtinenti memoratae animarum curae onus incumbat, eique duo presbyteri seculares adjutores adjiciantur, perpetuo erigeretur et institueretur, aliqua infrascripta etiam juxta approbationem Metropolitani Antistitis Arborensis per Nos et Sedem apostolicam fierent et ordinarentur, hoc sane modo ejusmodi damno foret opportune consultum. Quare pro parte tua fuit humiliter supplicatum quatenus piis eorum votis et desideriis divini cultus augmentum potissimum respicientibus hac in parte favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur tuis votis hac in parte favorabiliter annuere teque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis omnibus qui, fuerint

ad id vocandi, alterum ex supradictis duobus canonicatibus, cujus vacatio primum contingat, ex nunc prout ex tunc et e contra cum primum illum per cessum etiam ex causa permutationis vel decessum sive privationem aut quamvis aliam dimissionem, amissionem seu religionis ingressum et professionis in ea emissionem Michaelis aut Josephi Aloisii praedictorum, sive alias quovis modo etiam apud Sedem apostolicam praefatam vacare contigerit, in canonicatum curatum de quo in futuris illius vacationibus prima tantum vice excepta praevio concursu desuper habendo disponi, et quem pro tempore obtinens tamquam ipsius majoris ecclesiae Canonicus curatus nuncupandus, praeter illius chori servitium aliorumque eidem primo vacaturo canonicatui inhaerentium obligationum adimplementum, munia quoque et officia parochialia vice et loco dictorum duorum beneficiatorum, quorum deputatio in eventum praemissum illico cesset, jus vero illos eligendi perpetuo abrogatum remaneat, exequi et explere necnon Canonici simul et parochi juribus, honoribus et privilegiis uti et potiri, ac quotiescumque in exercitio praefatae curae occupatus fuerit tamquam in choro jus habere debeat auctoritate Nostra perpetuo erigas atque instituas. Et ad hoc ut cura praedicta diligentius exerceatur, praedicto Canonico curato duos presbyteros dioecesanos viceparochos nuncupandos, qui ad nutum ipsius Canonici curati pro tempore existentis amovibiles per eum eligantur et ab Ordinario loci, praevio examine ad curam hujusmodi exercendam, approbentur ac eidem Canonico curato in singulis parochialibus officiis obeundis auxilientur, auctoritate Nostra addas et adjungas, necnon Canonico curato omnia et singula bona, res, proprietates, fructus, redditus et proventus ex dictis canonicatibus primo vacaturis quovis modo spectantes et pertinentes, presbyteris vero viceparochis praefatis pro eorum congrua substentatione ac onerum illis incumbentium supportatione summam biscentum scutatorum monetae Pedemontanae per pro tempore existentem Episcopum Ussellensem ex illius mensae proventibus quolibet anno in perpetuum persolvendam ac aequaliter inter eos dividendam, praeter emolumenta stolae ab exercitio curae praedictae provenientia, simili auctoritate Nostra etiam perpetuo tribuas et assignes.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 19. Febr. 1831.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 170. Edit. Romae.)

XIII. *In erectionem Coadjutoriae.*

Reatina.

Paroecia sanctorum Leopardi et Laurentii Reate constituta 1600 hominibus constat: horum biscentum degunt vitam rusticanis domibus per Reatinum agrum late per quatuor et quinque milliarios lapides dispersis, ad quas hiberno tempore difficilis patet excessus per vias aspersas limosasque. Ita fit quod parochus munere suo fungi plene non valeat tum quoad administrationem Sacramentorum cum quoad divini verbi instructionem, quae pernecessaria huic populo eo magis esset, quod missis paucis caeteri omni doctrina carentes rudibus artibus et agrorum culturae incumbunt. Itaque sacerdos Augustinus Ciani illius ecclesiae parochus hodiernus, ut gregis sibi commissi consulat utilitati, coadjutorem sibi in praefata paroeciae procuratione adsciscere in animum induxit. At quoniam ordinariis destitui mediis ejus sustentationi opportunis est arbitratus, unionem ad id opus proposuit trium beneficiorum Reate existentium, quorum alterum annuo potitur redditu scut. circiter triginta et in ecclesia s. Petri erectum a s. Caecilia titulum mutuatur; bina alia a s. Joanne in Statua et a s. Rupho nuncupata ac in respectivis ecclesiis in honorem eorumdem Sanctorum dicatis sita complexivum suppeditant proventum scut. circiter decem et octo: sic enim praesto essent in capellani coadjutoris alimoniam redditus scut. fere 48. Ut autem propositio haec apostolica donetur approbatione cum clausula: nunc pro tunc, scilicet executionem habitura, quando actuales eorumdem beneficiorum possessores ea relinquerent, a sacro hoc ordine postulat parochus praefatus unionem.

Oratoris intentioni plaudit Episcopus. Is duplicem transmittit statum paroeciae; alterum nempe ex decennio depromptum ab a. 1831 ad annum 1840: ac ex eo redditus exurgit annuus in scut. 137. 47, exitus in scut. 120. 91. adeo ut rectori supersit annuus census ab omni onere purus scutatorum 52. 56; alterum ex hodiernis locationibus desumptum, quae post expletas insignes meliorationes initae sunt super uni-

versis fere paroeciae bonis; et ex hoc annuus proventus patet in scutatis nummis 218, expensum in scut. 114. 91, comprehenso quidem onere missarum 265 paroeciali praebendae adnexo, quod argenteos absorbet 40: at omissis stolae incertis; siquidem ex nimia paroecianorum inopia vix computari potuisse feruntur ac compensari expensae cerae et sacrorum utensilium asservationes, quae in passivo statu descriptae non sunt: subinde ita animi sui sensum manifestat: »Veritati prorsus congruit, quod parochus ait de mille et sexcentis animabus sibi subjectis ac de distantia et dispersione domorum ruralium eas recipientium. His poro certis habitis facile intelligetur unum tot animabus tamque a paroecia remotis fidei rudimenta tradere ac sacramenta ministrare non posse. Cum nemo ad beneficia memorata jus habeat et aliunde auxilium parocho suppeditari nequeat, petitam ab eo unionem concedendam puto.«

Hisce praehabitis placuit ministros Datariae apostolicae sententiam rogare super oblatis precibus.

Quod parocho, qui per se par non est universae paroeciae procurandae, debeat adjungi coadjutor, est exploratum in jure. Et sane per Conc. Trid. *sess. 21. c. 4. de reform.* Episcopi tamquam Sedis apostolicae delegati debent adigere parochum ut suis expensis sibi coadjutorem adsciscat, *si populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere.* Consonant alia jura collecta *per Fagnanum in cap.: Ad audientiam n. 24. de ecclesiis aedificandis, Pignat. consult. can. t. 4. consult. 230. num. 13. et Rota cor. Dunozet. jun. dec. 572. num. 1.* In themate, si populus capitum numero inspecto nimius fortasse non esset, talis tamen ab ipso Antistite dicitur attenta locorum distantia viarumque asperitate. Fit enim exinde, ut unus ovibus universis adesse pastor minime valeat.

Ubi vero coadjutores adsciscere opportunum in themate statuatur, non illegitima videretur piorum legatorum applicatio aut beneficiorum unio pro tenenda ejusdem alimonia. Eadem namque Tridentina synodus, quae praefata *sess. 21. cap. 4.* coadjutorem sibi assumere mandat parocho in praedictis adjunctis, mox *sess. 24. cap. 13.* ad augendas tenues paraeciarum congruas beneficiorum unionem permittit et s. haec Congregatio ejusdem sacrosanctae synodi fidelis interpres nedum Sacrorum suspensionem persaepe largita est similibus in casibus (in *Viglevanen. 4. April. 1793* et *Novarien. Red. Miss. 23. Nov. 1793*), sed in capellani curati exhibitionem examussim pro unione beneficiorum rescripsit in *Florentina Unionis et reduct. 26. Augusti 1820* et pro applicatione, *Forosempronien. Applicat. 9. Septemb. 1797.* et nuper in *Nursina Capellani curati*, quae in hodiernis comitiis iterum proponitur.

At priusquam ad extraordinaria hujusmodi remedia deveniatur, recolere est exhaurienda primum fore, quae ordinario jure constituta sunt quaeque indigitat ipsa Tridentina synodus eadem *sess. 21. cap. 4. de ref.* per ea verba: »*Illis autem sacerdotibus, qui erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodolibet pertinentibus, et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam,*« quare consulendum capellani stipendio primum sumptibus ipsius parochi, salva eidem congrua paroeciali, ac ex fructibus quibusque ad ipsam ecclesiam paroecialem pertinentibus ac demum ex populi contributione tradunt doctores. Viderit itaque EE. VV. sapientia num aliquam in themate admittere valeat imminutionem redditus parochiae, de qua agitur; congrua paroecialis generatim praescripta est a s. Pio V. in constitutione: *Ad exequendum,* nec minor scutor. 50 nec major scutor. 100: at in ejusmodi re tutius praefinienda perpendendas esse rite circumstantias loci, onerum, beneficii et personae rectoris monuit s. Congregatio in *Nepesina Restaurat. eccl. 30. Maji 1772 §. 9.* Viderit etiam num contribuere aliquid teneantur paroeciani, qui pauperes universim renunciantur, et dirimat

Dubium:

An et quomodo sit locus unioni beneficiorum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative quoad beneficia s. Joannis in Statua et s. Rufi nunc pro casu vacationis supportatis oneribus et Episcopus curet in reliquis de redditibus paroeciae suppleri pro congrua coadjutoris, et ad mentem, facto verbo cum SSmo et notificetur ministris Datariae apostolicae.

Die 4. Junii 1842.

Unionis Capellaniarum.

In oppido quodam dioecesis N. extat archipresbyteralis ecclesia cum cura animarum; ea sex et amplius paroecianorum millia continet in amplissimo territorio quod ad sexdecim passuum millia protenditur per loca hyemali tempore altis nivibus obsita nec levibus inter montes asperitatibus interclusa: in dicta ecclesia quatuor sacerdotes coadjutores constituti sunt, qui cum Archipresbytero ministerium curae animarum exercent.

In eadem ecclesia duae extant piae fundationes: namque anno 1746 pius sacerdos Paulus Variente ex suis bonis haeredem instituit scholam s. Rochi in dicto oppido existentem, cum obligatione (ex redditibus locationis cujusdam domus et ex quodam annuo canone 62 libellarum venetae monetae) constituendi *mansionariam* seu patrimonium ecclesiasticum favore clerici, qui pauper esset, ab ipsa schola eligendi, quique tot missas per hebdomadas distributas celebrare deberet, quot dici possent ex redditibus locatitiae domus, adsignata pro quavis missa eleemosyna libellae venetae 1, 4; libera eidem mansionario manente perceptione canonis. Voluit praeterea idem pius testator, ut, tempore vacationis mansionariae, omnes redditus in missarum celebrationem erogarentur.

Progressu temporis dicta mansionaria plures vicissitudines passa est, donec ob reipublicae Venetae leges, vendita domo et redempto canone, anno 1762 integra summa lib. ital. 2274 apud montem pietatis deposita est, quae usque adhuc ibidem servata est. Contigit etiam ut Mons Pietatis in jus eligendi mansionarium successerit. Serius vero ex donatione cujusdam mansionarii dicta summa aucta est libell. ital. 110.

Ejusmodi redditus in praesentia ita distribuebantur, ut, firma manente dispositione testatoris tempore vacationis, mansionarius perciperet fixum redditum libell. ven. 62, reliquos vero in tot missas erogarentur cum eleemosyna obol. 50. juxta taxam dioecesanam vigentem.

Eques Silvester Camerini alterum pium legatum reliquit anno 1861 annuum redditum constituens libel. Austr. 165, quo compleri posset aliquod patrimonium ecclesiasticum ab Archipresbytero pro tempore assignandum ei quem ipsemet eligere maluisset cum obligatione docendi catechismum.

Redditus utriusque piae fundationis pro patrimonio ecclesiastico mox ab uno clerico N. percipiebantur, qui ad sacerdotium promotus illis relictis aliam praebendam obtinuit.

Vacantibus itaque dictis fundationibus Archipresbyter unionem earum perpetuam postulavit sub titulo capellaniae Variente-Camerini, reservato jure electionis alternis vicibus exercendo inter Archipresbyterum et Praesides Montis Pietatis, sublata quacumque missarum obligatione, excepto vacationis tempore. Hujus postulationis causas exposuit, quae sunt hujusmodi: necessitas scilicet prospiciendi sacerdoti, qui doctrinam christianam pueros doceret, eos convocans singulis diebus festis in templum quoddam intra paroeciae fines existens, ut eos etiam pietate et religione imbueret èt quosdam eorum coleret ad sacerdotium: exponebat insuper idem Archipresbyter ob amplitudinem paroeciae necessarium esse in sex distinctis locis doctrinam christianam doceri; et quinque tantum esse sacerdotes: unde consequebatur aut unum locum esse relinquendum non sine gravi religionis, praesertim his temporibus, detrimento, aut alteri sacerdoti esse prospiciendum, qui in exercitio curae animarum operam conferret.

Episcopus preces Archipresbyteri commendavit, accuratius determinans onera novi capellani: quinimo omnes quorum id intererat audivit, qui unioni fundationum consenserunt.

Animadversiones ex officio.

Nonnulla prout moris est adnotabantur *ex officio*, nimirum uniones beneficiorum seu piarum fundationum in jure odiosas reputari ideo quia immutatur status eorumdem, subvertuntur fundatorum dispositiones, imminuuntur sacra patrimonia, quae quidem cedere solent in detrimentum divini cultus: proindeque nonnisi ex necessitate vel evidenti utilitate uniones perpetuas esse decernendas, *cap. Exposuisti 23. de praeb. Concilium Trid. sess. 21. c. 5. et sess. 24. c. 15. de reform.*

Attamen in praesenti themate, observabatur, duas fundationes pro constituendo patrimonio relictas modo non amplius ad ecclesiasticum patrimonium sufficere ideoque imploratam unionem non procedere adver-

sus fundatorum mentem, et contra in cultus divini augmentum cedere ob obligationes quas juxta votum Episcopi sacerdos assumere debuisset.

Quamvis autem haec unioni favere viderentur, nihilominus non videbatur congrua propositio Archipresbyteri qui rogabat deleri missarum obligationem: id enim esse nimis alienum a voluntate testatoris. Quod si aucta synodali taxa ad obol. 50, scilicet plus quam duplo primitivae eleemosynae, missae a fundatoribus relictae auctoritate apostolica reduci possint, absonum tamen esse a disciplina canonica, ut impositum missarum onus prorsus deleretur: namque etsi a s. Congregatione concedi soleat Episcopis facultas reducendi missarum legata quando eleemosynae statutae nimis tenues ratione temporum evaserint vel ob defectum reddituum vel ob augmentum taxae synodalis, nihilominus quosdam limites sive quoad tempus sive quoad numerum assignari consuevisse, prout praescribitur in instructione, quae de hac re solet dari.

His aliisque animadversis, propositis precibus s. Congregationi Concilii die 30. Martii 1867 rescriptum prodiit: *Praevia absolutione quoad praeteritum pro gratia perpetuae unionis utriusque causae piae ac assignationis favore capellani parochialis juxta votum Episcopi et reductionis ad decennium missarum ad medietatem, reservato alternativo jure nominandi capellanum Archipresbytero ac Praesidi Montis Pietatis ab Ordinario adprobandum, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colligi potest:

I. Quamvis unio realis et perpetua beneficiorum necnon legatorum piorum prohibita generatim sit a ss. canonibus, nihilominus interveniente canonica causa s. Sedem hujusmodi unioni non abnuere.

II. Causas canonicas esse necessitatem vel evidentem ecclesiae utilitatem.

III. In unione tamen decernenda fundatorum voluntatem servandam esse quantum servari possit.

IV. Colliges demum, quamvis taxa pro eleemosynis missarum ab Ordinariis juxta locorum indigentias et consuetudines augeatur, tamen reduci juxta taxam legata missarum non posse sine apostolica facultate.

XIV. *In commodum servitii chori.*

Vd. *Benef.* (unio, causae p. 962., in commod. beneficiati, decr.: *Sarsinaten.* p. 979., *Amerina* p. 981; *Nullius trium fontium* p. 982; unio beneficior. variarum ecclesiarum etc. p. 962; non concessa in commod. benef. et ecclesiae decr.: *Civitatis Castellanae.*

XV. *In commod. praebendarum theol. et poenit. Cathedralis.*

Vd. *Benef.* (unio et translatio decr.: *Forosempronien*); Praebenda theol. et poenit.

Cajetana.

In cathedrali ecclesia Cajetana anno 1746 erecta fuit praebenda theologalis, anno vero 1749 poenitentialis praebenda juxta Concilii Tridentini dispositionem fuit instituta. Cum tamen omnes capituli redditus ex unica massa proveniant, ex qua tum fructus canonicatuum tum distributiones detrahuntur, et inter omnes aeque partiuntur, idcirco Canonici Theologus et Poenitentiarius nil ultra lucrantur, quam quod ab aliis omnibus percipiatur. Hac de re supplicem illi obtulerunt libellum Episcopo Cajetano pastoralem agenti visitationem relataque aequali inter omnes Canonicos fructuum partitione asseruerunt, nullum omnino stipendium fuisse ipsis constitutum ratione muneris explicandi sacram scripturam et excipiendi fidelium confessiones, sed ea tantum fructuum quantitate contentos esse debere, quae aliis assignatur. Praeterea exposuerunt annuos redditus, comprehensis etiam distributionibus, non excedere summam ducatorum 60 pro quolibet, quae ad onera canonicalia obeunda vix pares esse noscuntur, cum praesertim detrahenda ex ea summa sit eleemosyna pro missis 300, quae ab unoquoque singulis annis celebrari debent.

Hisce ergo de causis Episcopum rogarunt pro assignatione peculiaris praebendae conficiendae ex unione simplicium beneficiorum, quae primo forent vacatura. Episcopus vero ne quid ageret inconsulta Sede apostolica rem totam narravit sac. Congregationi, asserens petitionem Canonicorum Theologi et Poenitentiarii veritati ac rationi consonam comperiisse. Veritati quidem, cum praebendarum erectio peracta fuerit modo superius exposito. Redditus vero ascendant ad ducata 60, ex quibus detrahenda sunt ducata 57 pro aliorum onerum implemento, prout ex libris ecclesiae et ex processu exarato occasione erectionis praebendarum resultare testatur.

Rationabilem quoque retulit Oratorum petitionem, cum aequum sit, ut qui laboribus supra ceteros gravantur pinguiori etiam praebenda seu patrimonio fruantur. Praeterea advertit, Canonicos Theologum et Poenitentiarium juxta dispositionem Concilii Tridentini *sess. 5. cap. 1. de reform.* ad propria munera adamússim exequenda per súbtractionem fructuum fore cogendos, id tamen fieri non posse in Cathedrali ecclesia Cajetana, in qua iidem Canonici nil aliud lucrantur, quam fructus, qui pro servitio chori et celebratione missarum ab omnibus aeque percipiuntur. Hinc si Canonicos Theologum et Poenitentiarium desides agnoverit in legendo sacram scripturam aut excipiendis confessionibus, ex alia vero parte quoad chorum et celebrationem missarum diligentes compererit, qúomodo in hisce circumstantiis se gerere debeat Episcopus, prorsus ignorat.

Addidit fuisse a Concilio Tridentino tributas Episcopis facultates uniendi simplicia beneficia praebendis theologali et poenitentiariae non solum, ut ipsae erigantur, sed etiam, ut earúm redditus, si post erectionem tenues comperti fuerint, augeantur; atque idcirco Canonicis Theologo et Poenitentiario in omnibus Cathedralibus peculiare stipendium assignatum inveniri, de quo tunc solum participent, quando onera ipsis inhaerentia adamussim adimpleverint. Haec Episcopus animadvertenda censuit; caeterum sapientissimum EE. VV. judicium expectat. Summorum Pontificum Conciliorumque decretis inhaerens s. Tridentina synodus *sess. 5. cap. 1. de reform.* de praebenda theologali pro lectore s. scripturae haec habet: *In ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus, si civitas insignis vel populosa fuerit . . . . ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocunque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto constituta et deputata intelligatur, et quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii ejusdem tamen debitis supportatis oneribus vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et dioecesis vel alias, prout commodius fieri poterit, de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae scripturae lectio habeatur.* De Poenitentiario verum *sess. 24. cap. 18. de reformat.* statuit *ut in omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proximo vacaturae ab Episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor . . . ; qui dum confessiones in ecclesia audit, interim praesens in choro censeatur.*

Quia vero Concilium Tridentinum non absolute facultatem tribuit Episcopis assignandi lectori s. scripturae simplex aliquod beneficium sed *quatenus in ipsis ecclesiis nulla vel non sufficiens praebenda foret,* Canonico autem Poenitentiario jussit praebendam tantúm proxime vacaturam assignari idcirco doctores nonnulli inferunt non licere Episcopo ad instituendam theologalem vel poenitentiariam praebendam simplicia beneficia unire, quando praebendae vel canonicatus adsint; idque decisum ab hac s. Congregatione fuisse tradunt *Pignatell. consult. canon. 62. num. 17. tom. 3., Barbos. in d. cap. Concil. Trident. num. 16., Card. Petra ad constitut. 11. Innocent. VI. num. 12. tom. 4.*

Quod si in Cathedrali nullae adsint praebendae fructusque omnes in quotidianis distributionibus consistant, assignari poterunt hujusmodi distributiones, quae loco praebendae succedant, quemadmodum a sac. Congregatione definitum referunt *Garz. de benef. part. 5. cap. 4. num. 128., Çorrad. loc. cit. num. 13. et 14., Barbos. de Canon. cap. 27. n. 7., Pignatell. loco pariter cit. num. 20.*

Sane *in lib. 28. decret. fol. 331.* legitur casus sac. Congregationi propositus in *Anagnina Theologalis 23. Julii 1674* his verbis expressus: *Canonicus Theologus Cathedralis nullos redditus habens praeter simplices distributiones quotidianas pro divinis officiis, quas habent alii etiam Canonici non excedentes scuta 60, supplicat declarari, an ei pro onere lecturae, quod subit singulis hebdomadis, assignandum sit aliquod stipendium particulare?*

Sacra Congregatio respondit: *Negative.* Accessit tamen notissima constitutio s. mem. Benedicti XIII. incipiens: »*Pastoralis Officii*« 14. Calend. Junii 1725, ubi in §.: *Caeterum* praeter alia statuitur: »*tertiam partem proventuum d. praebendae theologalis ab Episcopo distribui et proportionabiliter applicari singulis lectionibus s. scripturae, quae a praebendato proscriptis diebus et horis totius anni habendae erunt, ita ut si praebendatus universas lectiones habuerit assignatus dis-*

tributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in sacristiae ecclesiae beneficium cedant et erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati liceat Episcopo deputare alium Theologum sacerdotem saecularem vel regularem, qui jugiter supplendo ejusdem praebendati vices praefatis distributionibus potiatur.«

Verum laudatus Pontifex accurate providit simulque opportune consulere voluit tenuitati praebendae theologalis. Quare in §.: *Quoniam* memoratae constitutionis mandavit, *quod ubi praebenda theologalis computatis etiam distributionibus quotidianis ad annuum saltem redditum scut. 60 monetae romanae non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem Episcopi unire possint et debeant eidem praebendae aliquod simplex beneficium, cujus supplemento praedicta summa conficiatur.*

Ac tandem §: *Postremo* haec addidit: *Postremo quaecumque hactenus de praebenda theologali et sacrae scripturae lectione sancimus, extendimus et adamussim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus ejusque honestam sustentationem, concursum, deputationem omniaque alia ad illius officium pertinentia et praeter illa quae a Nobis superius disposita sunt ea insuper, quae Tridentina synodus cap. 5. sess. 24. de reform. de huius Ministri qualitate, aetate et exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus.*

Hac itaque stante Benedictina constitutione controversia orta est, an pro constituenda congrua scut. 60 Canonicis Theologo et Poenitentiario detrahenda forent onera; propositoqúe s. huic Congregationi dubio in *Camerinen. Praebendae theologalis et poenitentiariae: An congrua favore praebendarum theologalis et poenitentialis ecclesiae cathedralis ad tramites Concilii romani tit. I. cap. 6. supplenda usque ad summam scut. 60 sit computanda deductis oneribus dictarum praebendarum et respective beneficiorum uniendorum in casu etc.?*

responsum fuit *die 3. Decembris 1735: Affirmative.* Dubitatum praeterea fuit an in unione simplicium beneficiorum juxta mentem Benedictinae constitutionis praebenda theologalis seu potius Poenitentiaria praeferri deberet, discussoque dubio in eadem *Camerinen:*

An praebendae theologali seu potius poenitentiali competat praelatio in unione dd. beneficiorum in casu etc.?

sequens prodiit resolutio: *In casu de quo agitur unienda esse unicuique pro medietate et amplius.* Prostat utrumque decretum *in lib. 85. decret. s. Congregationis pag. 451.*

Perpensis itaque tum juris tum facti circumstantiis EE. PP. dijudicabunt:

An et quomodo sit providendum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative et esse providendúm per unionem beneficiorum usque ad summam scutorum sexaginta ad formam constitutionis san. mem. Benedict. XIII: *Pastoralis officii,* deductis oneribus.

Die 22. Jan. et 26. Febr. 1774.

Regien.

Capitulum Cathedralis Regien. tresdecim constat Canonicis, quos inter quinque dignitatis praerogativa augentur ac sunt Archipresbyter, Archidiaconus, Majuscola, Theologus ac Poenitentiarius. Apostolicae Sedis auctoritate dignitates archipresbyteralis et archidiaconalis anno 1806 Canonicorum collegio aggregatae fuerunt, cujüs antea pars non erant, licet ipsi praeessent; simulque decretum, ut dignitas Archidiaconi, cum primum qui ea insignitus tunc temporis erat obiret, extincta maneret. Major omnium dignitas et collegii caput Archipresbyter est, qui distincta ac prae ceteris pinquiori frúitur praebenda: discretas pariter ac fixas habent praebendas Theologus et Poenitentiarius, qui ab eodem anno 1806 usque in praesens uti verae dignitates habiti sunt ceterisque simplicibus Canonicis in chorali sede ac in processionibus semper praecesserunt. Reliqui decem Capitulares aequales ex communi massa redditus percipiunt. Archidiaconi dignitas jamdiú suppressa anno 1818. apostolico brevi s. m. Pii VII. iterum restituta fuit, antiquiori Canonico uti secunda in ordine dignitatum conferenda. Majuscula renunciatur qui antiquiori Canonico proximior est jure possessionis. Praeter nudum titulum ac praebendam canonicalem

nullum peculiare emolumentum constitutum est Archidiacono et Majuscolae, qui insuper vacatione contingente ipso facto absque bullarum expeditione ad hujusmodi dignitates assumuntur.

Ex hac ratione rerum plures inter Capitulares contentiones oriri ab aevo solent.

Quamvis enim Archipresbyter sit prima dignitas et collegii caput, ei tamen jus denegatur convocandi capitulum, quod sibi arrogat ejusdem collegii Decanus; et quamvis digniorem in choro et processionibus locum occupet, in comitiis tamen capitularibus post omnes antiquiores Canonicos sedet. Eodem antianitatis ordine sedent in capitulo Theologus et Poenitentiarius, licet in chorali stallo et processionibus a ceteris Canonicis praeeminentiam obtineant.

Episcopus itaque Regiensis omnem dissidiorum causam e medio auferre et aequiorem ac stabilem rerum ordinem in suo capitulo invehere cupiens, praesertim cum nova nunc conficienda sint capitularia statuta, hosce articulos jam a capituli pluralitate suffragiorum probatos s. Sedis auctoritate confirmandos proponit.

Ad primum quod attinet articulum, quod ibi disponitur, adeo ecclesiasticae disciplinae ac juri consentaneum videtur, ut vix disputatione indigeat. Quamvis enim iis quae bene constituta sunt contrariis non sit detrahendum ordinationibus, ceu monet Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 5. de reform.,* nec eamdem in omnibus ecclesiis dignitatum rationem esse oporteat, sed in hoc praecipue consuetudo vel peculiares ecclesiarum leges spectandae sint, attamen cum ex statuto rerum ordine scandala et contentiones oriri contingat, expedit omnino ab invecta deflectere methodo resque ea ratione componere, quo integris quoad licet cujuslibet reservatis juribus omne perniciosae aemulationis argumentum arceatur. Eo autem vel magis hujusmodi profecto ratio adhibenda est, siquidem statutum vel consuetudo generalibus juris dispositionibus et ecclesiasticae disciplinae repugnet. Jam vero non ambigitur agi in casu de dignitatibus, uti saltem semper in capitulo Regiensi sunt habitae, easque ejusdem capituli partem constituere, quibus nempe jus est nedum sacris functionibus, sed comitiis etiam capitularibus interesse. Atqui dignitas sine praecedentia nec esse nec concipi potest, ceu docet *Barbosa in collect. DD. ad lib. 2. Decret.* et in *Comment. ad tit. de praeb. et dignit. in proemio num. 13., Fagn. in comment. ad eumd. lib. et titul. cap. ad haec. num. 1. et 31.* Repugnat enim sedem inferiorem tenere ac in dignitate esse, cujus est anteire, uti inquit *Aretinus cons. 24. numer. 6.* Quamobrem cum unum idemque sit collegium quod sacras peragit functiones et ad capitularia comitia convenire solet, ceu perpendit Episcopus, nulla subest ratio cur alterum in choro, alterum in comitiis aliisque capitularibus actibus ordinem praecedentiae servari oporteat. Absurdum porro est in eadem ecclesia juris sanctiones difformiter inter easdem personas ex arbitrio discrepare, quemadmodum ad rem monet *Gratian. discept. 70. num. 79.* et *Rota coram Lancetta dec. 998. num. 13.* Ceterum haud unius alteriusve Capitularis hac in re dissensus difficultatem ingerere posse videretur; quod enim statuitur a majori parte in capitulis, id licet alii repugnent pro lege haberi debet juxta text. in *cap.: De his quae fiunt a major. part.* praesertim cum de negotio agatur quod ad universum potius collegium quam ad Canonicos uti singulos pertinere videtur, quo quidem in casu paucorum irrationabilis dissensus posthabendus est.

Quoad secundum: quamvis ex iis quae enucleata sunt, prima sedes Archipresbytero uti in choro ita et in capitulo competere videatur, perpendendum tamen utrum aeque ipse condicere sibi valeat jus convocandi capitulum, quod quidem Decanus perpetuo exercuisse non dubitatur. Non pugnat enim ut alteri quam dignitati jus sit indicendi capitulum, ceu evincunt constitutiones plurium ecclesiarum atque etiam Collegiatarum Urbis. Consuetudo igitur, quae in ecclesia Regiensi dudum invaluit, ut Decanus hoc potiatur jure, custodienda videretur, ceu pluries docuit haec s. Congregatio, praesertim in *Marsorum Jurium parochialium 30. Januarii 1830, ubi ad I. dubium* hisce conceptum verbis:

*An et ad quem spectat jus convocandi**) *capitulum contradicente incassum Abbate qui prima Dignitas erat?*

responsum fuit: Affirmative ad procuratorem capituli.

Aliunde vero tralatitium in jure est,

*) Vd. *Capitulum* (convocatio).

consuetudine praetermissa, digniori jus esse absente Episcopo convocandi capitulum ex *cap.: Postulasti de concess. praebendae* et *cap.: Collatione de appell. in 6., Piton. discept. eccles. 23. num. 2.* Quia convocatio capituli est actus jurisdictionis seu praeeminentiae quae nullatenus competere potest inferioribus seu membris in concursu Superioris sive capitis, ceu docent *Ursaya t. 8. part. 1. disc. 37. num. 13., Barbosa in summa const. apost. collect. 40. num. 13., s. Rota in recent. part. 9. t. 1. dec. 257. num. 16.,* s. Congregatio in *Imolen Juris convoc. capitul. 11. Maji 1779 ad I. dubium.* Posthabenda autem videtur in themate consuetudinis ratio, ex quo non de pristina vindicanda sed de nova inducenda methodo capitulo consentiente agatur, quae nimirum ejusdem Capituli rationibus opportunior sit et generalibus juris sanctionibus magis consentanea. Demum etsi Archipresbytero jus convocandi capitulum denegaretur, huic saltem jus eidem praesidendi ceterosque jurisdictionales actus exercendi tribuendum foret, quod quidem a suae Dignitatis ratione omnino dimanat.

Quoad tertium et quartum articulum, *ad simplicium unionem beneficiorum* quod attinet, notum est sacros canones a hujusmodi beneficiorum unione generatim abhorrere, *cap.: Ex parte 12. de const.*, quae nimirum suppressionis quamdam speciem praesefert, ut perpendit *Engel. jus canon. lib. 3. tit. 12. num. 2.* Hinc enim imminutionem ac detrimentum patitur divinus cultus, hinc redditus minuuntur pro alendis clericis pauperibus qúi in spem ecclesiae succrescunt. Quare s. Congregatio his innixa rationibus beneficiorum unionem saepe denegavit, uti patet ex *Melphiten. 3. Decem. 1640.* et ex *Sarnen. 20. Maji 1747.*

Verum si justa intercedat causa necessitatis vel utilitatis ecclesiae eam concedi solere docent *Pyrr. Corrad. in prax. beneficiorum lib. 2. cap. 8. num. 13.* et *Reiffenstuel lib. 3. decretal. tit. 12. num. 33.* cum aliis communiter.

Videant itaque EE. VV. an rationes quas affert Episcopus ejusmodi sint ut propositae uniones simplicium beneficiorum jure permitti valeant: profecto jure novissimo Concilii Tridentini *sess. 21. cap. 5. et sess. 24. cap. 5.* licet Episcopis simplicia *beneficia cum consensu capituli unire praebendis quae in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis sustinendo decenti capitularium gradui pro loci et personarum qualitate pares non sint.* Perpendant autem in casu non pro reddituum tenuitate, quam non allegat Episcopus, sed solum ut graduum distinctioni ceteros Canonicos inter ac Dignitates consultum sit, praefatam unionem postulari; re enim vera expedire videretur, ut qui dignitatis praerogativa ceteris praecellunt, quam longioris servitii ac laboris merito adepti sunt, majori etiam emolumento augeantur. Quod quidem cum aliter obtineri nequeat, nisi proposita beneficiorum unione (injuria enim aequalis communis massae distributio ad quam quisque Canonicus quaesitum jus habet ad hunc finem everteretur) hinc ubi expensae ab Episcopo causae rationabiles videantur, ejus petitioni annuendum esset quoad unionem tum beneficii, de quo in tertio articulo agitur, quod liberae collationis et vacans edicitur, tum alterius de quo sermo est in quarto articulo, dummodo interesse habentium consensus accedat; cauto tamen pro utroque, ut si quae sint adjuncta eisdem onera sarta tecta maneant, quorum quidem in unione perficienda ratio habenda est, s. Congregatio in *Lycien. 11. Januarii 1698, Rigant. ad reg. 13.**) *canc. num. 138.*

Quoad praeeminentiam vero tum Archidiacono tum Majuscolae debitam res a primi dubii definitione pendet. Collatio autem in forma canonica harum dignitatum, cum ecclesiasticae disciplinae sanctionibus cohaereat nec juri eas ratione antianitatis optandi quod in capitulo Regiensi viget adversetur, nullo negocio induci posse videretur.

Ad quintum: nemo nescit, dignitates in ecclesiis praesertim cathedralibus ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam erigi, Concil. Trid. *sess. 24. cap. 12. de reform.* Et quamquam decretales recenseant potissimum inter Dignitates Archipresbyterum, *cap. 1. de offic. Archid.* et *cap. 1. offic. Archip.*, attamen nullibi cautum reperitur, ne aliae quoque praebendae ad dignitatem evehantur, id quod a peculiari locorum consuetudine ac statutis omnino dependet, ceu perpendit folium s. Congregationis in causa *Imolen. Dignitatum 20. Novembris 1830* §.: *Illis*, ubi ad rem notatur etiam, quod etsi ex canonum jure neque Theologus neque Poenitentiarius dignitatis praerogativa fruatur et unusquisque sedere debeat in choro servato ordine possessionis, cum merum officium exerceant, ut respondit s. Congregatio in *Murana 11. Aprilis 1699* et in *Senen. Poenitentiariae 16. Aprilis 1691*, nihilominus in quibusdam locis utrumque eorum dignitatem habere vel novissimum inter dignitates locum obtinere testantur, *Concil. Mediol. XI. tit. monit. exec. decret. pag· 415, Rota decis. 353. numer. 14. coram Ansalto,* s. Congregatio in *Mediolanen. Praecedentiae 19. Septembris 1761.* Hinc impedimento nihil esse videtur, quominus Theologus et Poenitentiarius ad instar dignitatum in Regiensi capitulo, uti antea, censeantur, ac ideo ceteris Canonicis in choro et in capitularibus comitiis antecellant.

*) Vd. *supra p. 823.*

Ad sextum: Episcopi petitio quoad distributiones quotidianas pro Archipresbytero, Theologo ac Poenitentiario, qui illis destituuntur, instituendis consona est menti Concilii Tridentini, ita enim magis excitarentur ad Laudes divinas rite solliciteque in choro absolvendas.

Ad modum autem quod spectat, Concilium Tridentinum *sess. 21. cap. 3. de reform.* mandat, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes et ceteros Divinis interessentes proportionabiliter dividantur. Hinc cum Archipresbyter pinquiori fruatur praebenda, quod et de Theologo ac Poenitentiario facile praesumendum est, plane ubi ratio ab Episcopo proposita excipienda foret sequeretur minus tertia parte ab iisdem fortasse conferri. Ceterum si collata haec tertia reddituum pars aliorum distributiones superet, aequitas postularet ut eadem proportione plus ipsi perciperent. Qui plus enim conferunt plus etiam percipere debent, *Garz. de benef. part. 3. cap. 2. num. 460., Monet. de distrib. quotid. part. 2. quaest. 4. num. 5.,* s. Congregatio in *Imolen. Distributionum 8. Maji 1773 ad I. dubium.* At vero ne haec distributionum inaequalitas confusionem pariat, permitti sane posset ut tantum pro sua parte ipsi conferrent, quantum conferre ceteri solent, ceu postulat Episcopus.

Sequuntur dubia:

I. *An idem ordo praecedentiae, qui servatur in choro ac processionibus aliisque ss. functionibus a Dignitatibus et Canonicis Cathedralis Regien., servari etiam debeat in comitiis capitularibus in casu?*

II. *An Archipresbytero addicendum sit jus convocandi capitularia comitia illisque praesidendi in casu?*

III. *An et quomodo probanda sit proposita unio simplicium beneficiorum praebendis Archidiaconi et Majuscolae et respectiva canonica institutio earumdem praebendarum in casu?*

IV. *An Canonici Theologus et Poenitentiarius habendi sint tamquam verae capituli Regiensis dignitates et quae praecedentia sit eisdem tribuenda in casu?*

V. *An et in qua summa Archipresbyter et Canonici Theologus et Poenitentiarius conferre debeant in massam communem ratam pro distributionibus quotidianis in casu?*

S. C. resp.

Ad 1: Affirmative.

Ad 2: Affirmative in omnibus, accedente tamen consensu actualis Canonici Decani.

Ad 3: Aff. Servatis de jure servandis.

Ad 4. et 5: Aff. in omnibus.

Die 22 Decb. 1855.

XVI. *Cum mensa capitulari ejusdem dioecesis.*

Vd. *Beneficium* (unio et transl. decr.: *Fesulana.*)

XVII. *Cum mensa capitulari alterius dioecesis.*

Vd. *Benef.* (unio in commod. mensae etc. p. 971. III.)

XVIII. *Cum mensa capituli Canonicorum et Canonicarum.*

Vd. *Beneficium* (suppressio, suspensio.)

Instante Abbatissa capituli de Nevenheerse Paderbornensis dioecesis uniuntur duo beneficia ejus mensae capitulari.

Venerabili fratri Friderico Willelmo

Episcopo Paderbornensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Ad ecclesiarum omnium statum salubriter et utiliter providendum paterna sol-

licitudine vigilantes illa eis favorabiliter concedimus, quae eorum necessitatibus fore conspicimus opportuna.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia baronissa cognominata de Dalwegh moderna Abbatissa collegii seu capituli utriusque sexus de Nevenheerse tuae Paderbornensis dioecesis, quod, cum sua ecclesia de Nevenheerse tuae Paderbornensis dioecesis, vetustate fatiscens, promptis ac sumptuosis reparationibus indigeat, mensa communis seu capitularis *impar omnino est necessarios ad id sumptus sustinere tum ob suorum redditum tenuitatem tum maxime ob aes alienum alias ad reparanda damna ex bello germanico anni MDCCLVI. sibi allata contractum*, quo adhuc gravata reperitur, quamobrem si nova nomina essent facienda adeo annuus suus census extenuaretur, ut quae ad ipsius ecclesiae servitium necessaria forent prorsus quasi deessent, sicque paullatim ex divino cultu in dicta ecclesia multum derogaretur. Itaque desiderans memorata Abbatissa decori et necessitati suae ecclesiae provide consulere ac nolens nova onera suis capitularibus imponere ad procurandas vias omnes magis accomodatas et ad optatum finem conducentes animum suum adjecit; et quoniam capitulum seu collegium praedictum nedum constat ex undecim Canonissis praeter Abbatissam et aliis duobus Canonicis, qui curam animarum in pago de Nevenheerse gerunt, verum etiam eidem capitulo seu collegio alii quatuordecim vicarii seu beneficiati adsunt, qui alternatim missam conventualem in praedicta ecclesia celebrando ac diurnas et vespertinas preces in diebus festivis canendo ecclesiae hujusmodi inserviunt quique praeter assignatam portionem ex communi seu capitulari mensa persolvendam suas etiam habent peculiares praebendas a piis fundatoribus erectas, quarum collatio, ut asseritur, dum vacant, quomodocumque ea vacent, ad Abbatissam pro tempore existentem dicti capituli seu collegii libere semper spectat, provide idcirco considerans praedicta abbatissa, quod si suppressis duobus ex dictis quatuordecim vicariis seu beneficiis primo vacaturis bona ac reddituś ad illa quomodolibet spectantia in hanc causam applicarentur, non solum praesentibus sed etiam futuris praedictae ecclesiae necessariis reparationibus optime consultum esset, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. Nos igitur reparationi ac decori dictae ecclesiae illiusque mensae capitulari necnon divino cultui consulere memoratamque exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes supplicationibus hujusmodi inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus ac mandamus, ut veris existentibus narratis duas primo vacaturas vicarias seu beneficia ex quatuordecim vicariis seu beneficiis in dicta ecclesia de Novenheerse ut praefertur fundatis, dummodo tamen tempore datae praesentium nemini sit in eis specialiter jus quaesitum, auctoritate Nostra apostolica nunc prout ex tunc, dum scilicet ea vacare contigerit, supprimas et extinguas ac suppressa et extincta esse et fore decernas atque declares, ita ut vicariae seu beneficia hujusmodi ex nunc collativa esse desinant et de caetero uti talia in titulum collativum quavis auctoritate conferri seu de illis disponi amplius nequeat, et si illa deinceps conferri aut impetrari aut alias de illis disponi contingat, collationes, provisiones et aliae quaevis dispositiones de illis quomodolibet faciendae nullae et inanes nulliusque roboris et momenti existant nullique suffragentur nec colloratum titulum possidendi cuiquam tribuant.

§. 4. Insuper omnes et singulos dictarum vicariarum seu beneficiorum primo vacaturorum, ut praefertur, supprimendorum et extinguendorum fructus, redditus et proventus certos et incertos, jura, obventiones et emolumenta quaecumque ac distributiones festivas ac quotidianas, si quae sunt, ad easdem vicarias seu beneficia hujusmodi seu ad illorúm possessores pro tempore existentes spectantia et pertinentia et in quibusvis rebus consistentia et undecumque provenientia mensae communi seu capitulari dictae ecclesiae de Novenheerse in reparationem et fabricam ejusdem ecclesiae aliasque necessitates omnino erogandos, ita ut postquam unum aut utrumque ex beneficiis seu vicariis hujusmodi primo vacaverit dictae modernae et pro tempore existentes Abbatissa, capitulum seu collegium ac Canonissae et Canonici omnes et singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta et distributiones etiam quotidianas et festivas, si quae sunt hujusmodi beneficiorum seu vicariarum, per te, ut praefertur, supprimendorum et extinguendorum percipere, exigere et levare ac supportatis tamen prius per dictam mensam communem seu capitularem eorumdem beneficiorum seu vicariarum ut praefertur supprimendorum et extinguendorum missarum aliisque, si existunt, piis oneribus in dictam causam erogare libere ac licite possint et valeant, auctoritate praedicta perpetuo unias, applices et appropries ac nunc prout ex tunc unita, applicata et appropriata esse et fore mandes ac statuas.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 20. Junii 1788.

(Bull. r. Contin. t. VIII. p. 151. Edit. Romae.)

XIX. *Pro mensa episcopali.*

Vd. *Benef.* (suspensio p. 914.; suppressio p. 888.; applicatio bonor. p. 373. c.)

Ad succurrendam mensae episcopalis tenuitatem beneficia uniantur, ut tradit *Gonzalez in cap. I. num. 3. de Excess. Praelat.*, *Turricell. de union. benefic. cap. 8 num. 4.* et *Reclusio de re parochial. part. I. tit. 10. num. 4.*, *Rota decis. 337. num. 35. part. 9. recen.*

XX. *In titulum Ordinationis.*

Novarien.

Defuncto anno 1810 Canonico Bernardo Martelli duo vacarunt simplicia beneficia, quae erecta sunt in collegiata ecclesia Ossulae quaeque ad patronatum Gentis Pattaroni pertinent. Habita diligenti perquisitione in ecclesiae libris, tabellis atque in decretis ss. visitationum delitescit omnino fundatio utriusque beneficii nec certo sciri potest, quae onera fuerint in fundatione infixa quique assignati redditus.

Pro praesenti rerum statu haec comperta sunt. Beneficium nuncupatum d. Laurentii habet redditus, qui vix summam scutorum viginti sex et obolos quinquaginta attingunt. Ex libris vero sacrarii adnotata est ex hoc beneficio celebratio geminae missae hebdomadalis singulis feriis III. et IV.

Alterum vero beneficium ad altare s. Joannis Baptistae erectum vix habet scuta annua tresdecim. Nam Athosonis flumen Ossulam interfluens agros beneficii avulsit. Hinc quaquam veteres libri ecclesiae celebrationem trium Sacrorum in singulas hebdomadas huic beneficio adscribant, attamen sequiori tempore reductam fuisse traditur ad ratam reddituum. Postremus hujusce beneficii possessor Canonicus Martelli timoratae conscientiae vir numquam pro hoc beneficio celebravit, sed choro diebus tantum festis interfuit. Nam a quodam Joanne Pattaroni altero ex compatronis (cujus frater in utroque beneficio praedecessor fuerat Martellio) acceperat, nullum huic beneficio missarum onus sed chori servitium impositum fuisse. In hac incertitudine sacerdos Joseph Piroja et Pattaroni, qui patronatu beneficiorum fruuntur, postulant ab hac s. Congregatione horum beneficiorum unionem, ut pro titulo ad ss. ordines concedi possint, simulque ut certus statuatur missarum numerus celebrandarum ad altare maximum Collegiatae Ossulae. De his omnibus rogata est sententia Vicarii capitularis, ex hujus informatione, quae hactenus sunt exposita, deprompsi.

Addit praeterea: »*Necessariam video unionem: utriusque enim beneficii exigua dos est nec satis tuta cum ex minusculis rebus conficiatur; verendum, ne tractu temporis, prout jam contingit, in deterius ruat. Haec autem unio ipsimet ecclesiae beneficio perutilis evadet, si moderatis oneribus sufficiens inde titulus ad s. ordines exurgat. Dioecesana lex est, ut deductis oneribus scuta viginti ad minus monetae romanae supersint ad sustentationem promovendorum. Ex duobus beneficiis simul sumptis habemus scuta circiter triginta novem. Ad casus incertos ac fortuitos quatuor ad minus sunt deducenda, eo vel maxime quod non facilis exactio dignoscatur. Hinc propono, ut insuper habito chori servitio, cui obstant patroni, missae centum duodecim per annum celebrandae in ecclesia collegiata statuantur, quarum synodalis eleemosyna scuta quindecim superextantia requirunt. Nec nimium amplam censuerim hujusmodi onerum moderationem, quae vix sufficientem titulum ad ordines efformat.*

Cum unio beneficiorum fieri debeat ex necessaria causa et consentientibus iis, quorum interest, ut *ex can. 49. caus. 26 quaest. 1., cap.: Tua nuper de his, quae fiunt a Praelat.* tradidit semper s. Congregatio in *Forosempronien. Translationis paraeciae et*

applicationis 19. Decembris 1801, in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802, cumque ipsi patroni pro unione supplicent, quibus tantum interest utrumque beneficium, quod nunc vacuum est, uniri, hinc controversia in I. dubio ad necessitatem redit. Sane utrumque beneficium per se stare potest. Nam alterum habet redditum scutorum 26, 50 et onus geminae missae hebdomadalis sive 104 missarum annualium, quod onus redditus quidem non excedit; alterum vero s. Joannis Baptistae pussillo fructu dotatum est scutorum *tresdecim*, sed incertum habet missarum onus. Hinc inapplicabilis fieri posset sanctio *Honorii III. in cap.: Exposuisti 33. de praebend.* ubi ex reddituum inopia justa unionis simplicium beneficiorum causa desumitur. Nihilominus Vicarius capitularis putat *necessariam esse unionem, tum quia ex minusculis redditibus dos utriusque beneficii coalescit* et verendum est ne tractu temporis, prout antea contigit, in deterius ruat, *tum quia ex unione exurget titulus ad s. ordines consequendos.*

Quatenus EE. PP. sententia in unionem incliuet, tum de modo quaerendum erit, quo haec ipsa unio perficiatur. Eo autem spectat controversia omnis, utrum pro beneficio s. Joannis Baptistae praestandum sit onus servitii chori in diebus festis. De hoc onere nullimode constat ex codicibus ecclesiae, qui praeseferunt aliquod tantum onus missarum huic beneficio infixum. Unus Joannes Pattaroni patronus affirmat se accepisse a fratre suo, qui hoc beneficium tenuit, onus servitii chori diebus festis praestandum esse atque hujus testimonio motus Canonicus Martelli postremus beneficii possessor servitium chori praestitit. Vicarius capitularis unius testis assertioni praehibendas esse putat librorum ecclesiae adnotationes, quae onus tantum missarum praeseferunt. Vestrum erit judicium EE. PP.: num retinendum an vero rejiciendum sit hoc servitii chori onus, de quo delitescente fundatione prorsus non constat. Pro retentione facit ultimus status seu chori servitium praestitum diebus festis a Canonico Martelli, fretus, ut innui, asservativae patroni; *contra* vervo, si ne fides quidem habenda ecclesiae tabellae, in qua sint onera descripta, *nisi concordat cum publico dominico, in quo pius fundator suam voluntatem expresserit, ex doctrina Benedicti XIV. de synod. dioeces. lib. 73. cap. ultim. n. 4.* eo unius simplici asservativae acquiescendum videtur, quam nulla scriptura aut documentum coadjuvat.

In II. dubio statuendus erit numerus missarum, quae pro utroque beneficio erunt celebrandae. Ubi enim incertum est quot ex fundatione praestare oporteat, s. Congregatio certum numerum praefinire solet. Ita sane ceteris omissis statuit *in Fanen. Legati missarum 10. Septembris 1802, in altera Fanen. Missarum 18. Julii 1807.* Pro beneficio s. Laurentii geminam missam hebdomadalem singulis feriis III. et IV. celebrandam esse indicant libri ecclesiae, quae annuas centum et quatuor conficiunt. Pro altero beneficio s. Joannis Baptistae in veteribus ecclesiae codicibus adnotata erat celebratio trium missarum in singulas hebdomadas. Sed postea diminutis redditibus latet quot missae celebratae fuerint. Postremus possessor numquam pro hoc beneficio celebravit, ea opinione ductus, quod servitium chori praestandum esset. Vicarius capitularis proponit, ut centum duodecim missae pro utroque beneficio celebrentur. Nec amplam esse putat hanc onerum moderationem. Ex utroque beneficio redeunt annua scuta triginta novem: ex his demantur annua scuta quatuor pro casibus incertis et fortuitis et pro difficili exactione; jam supersunt scuta triginta quinque. Ex his scuta viginti libera relinquenda sunt ab oneribus ex lege synodali, ut beneficium utrumque unitum pro titulo promovendorum stare possit. Quae supersunt scuta quindecim ex taxa synodali satis sunt pro eleemosyna centum duodecim missarum.

At vero ita rebus compositis pro beneficio s. Joannis Baptistae, cui ex veteribus ecclesiae libris onus inesse constat trium missarum hebdomadalium inde reductum juxta ratam reddituum, pro annuis scutis tresdecim rectori octo tantum missarum annua celebratio adjungeretur, dum supra octoginta ad eam synodalem taxam essent celebrandae. Quod si ex lege synodali scuta viginti libera supersint oportet beneficiato quotannis, ut ad ss. ordines ejus beneficii titulo promoveri queat; nulla tamen lex, quam sciam, in redditu scutorum triginta novem detractionem admittit in praejudicium missarum scutorum quatuor vel pro difficultate exactionis vel pro casibus fortuitis, qui extraordinarii cum sint extraordinariam mereri possunt providentiam. Ideo si haec reprobetur deductio aliae saltem viginti sex missae annuae essent adjungendae. Hisce ponderatis statuere poterunt EE. VV. missarum numerum simulque num pro celebratione destinandum sit altare maximum collegiatae ecclesiae Ossulae, quemadmodum patroni oratores supplicant.

Duo proponuntur dubia:

I. *An et quomodo sit facienda unio utriusque beneficii s. Laurentii et s. Joannis Baptistae in casu?*

II. *An et in quo numero et altare sint annuatim celebrandae missae in casu?*

S. C. resp.

Ad I: Affirmative dempto onere servitii chori, dummodo alia lege non teneatur.

Ad II: Affirmative juxta votum Vicarii capitularis celebratis annuis missis in ara maxima Collegiatae juxta mentem fundatoris.

Die 27. Apr. et 25. Maji 1816.

Unio duorum simplicium beneficiorum, alterum sub invocatione beatae Mariae virginis, alterum sancti Michaelis Archangeli erectorum in ecclesia parochiali sancti Michaelis Archangeli civitatis Volaterrarum, cum imminutione onerum eisdem annexorum.

Venerabili fratri

Josepho Cajetano

Episcopo Volaterrano.

Pius PP. VIII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Parochialis ecclesia sancti Michaelis Archangeli istius urbis Volaterrarum, quemadmodum Nobis exponendum curasti, praeter alia duo simplicia possidet beneficia regii jurispatronatus, alterum a Maria virgine nomen adeptum, ex quo percipiuntur quotannis librae circiter quinquaginta septem monetae Etruscae, quae obveniunt a canone cujusdam domus, oneri unius sacrificii in singulos menses obnoxium praeter vectigal seminario pendendum; alterum vero sancti Michaelis Archangeli, annui fructus nummorum scutatorum circiter viginti ejusdem monetae, qui proficiscuntur ex quibusdam censibus ac paucis praediis, cujus rector oneri subjicitur peragendi tria sacrificia alternis hebdomadis, quorum unum die dominico: sacrificia sex pro quolibet anno totidem diebus festis in illis hebdomadis, quibus tria commemorata Sacra a rectore facienda sunt: itemque celebrandi festum sancti Michaelis die octava mensis Maji, quinque peractis sacrificiis, et post idem festum quatuor piacularia Sacra pro defunctis applicandi. Ipse praeterea rector persolvere tenetur ecclesiae sancti Augustini certam olei mensuram ibique peragere seu peragenda curare viginti triginta Sacrificia diversis diebus festis necnon solvere illius ecclesiae sacrario binas libras ac seminario vectigal. Quum autem utriusque beneficii redditus valde sint tenues suppliciter a Nobis postulasti, ut eadem ipsa beneficia in unum tantummodo jungere velimus, imminuto etiam missarum numero.

§. 2. Nos igitur preces tuas Nobis oblatas benigne excipere volentes, quoniam Nobis significaveris, dilectissimum in Christo filium Nostrum Leopoldum II. magnum Etruriae ducem eorum *patronum id assentiri*, tibi, venerabilis frater, facultatem facimus, cujus vi tum beneficium b. Mariae virginis tum aliud sancti Michaelis, de quibus habita est mentio, auctoritate Nostra apostolica perpetuo unias ac jungas jubeasque in unum coalescere, unde patrimonium magis idoneum constituatur clerico ad sacros ordines promovendo. Missarum autem onera, ut ei leviora fiant atque ex hujusmodi beneficii redditibus plus emolumenti ferat, eadem auctoritate Nostra sacrificiorum numerum, quae juxta indictam a fundatione legem fieri plura deberent, pro tuo arbitrio ad minorem numerum redigas.

§. 3. Haec concedimus atque praecipimus decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et memoratae perpetuae unionis causa hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 2. Aprilis 1830.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 100. Edit. Romae.)

i) Non concessa.

I. *Cum beneficiis alterius dioecesis ad constituendam massam distributionum.*

Vd. *Benef.* (unio concessa cum canonicatu alterius dioecesis. p. 974 V.)

Vico-Equensis.

Episcopus Vico-Equensis in prima sua relatione de statu ecclesiae ad tramites Xistinae constitutionis »*Romanus Pontifex*« et instructionis a sacra Congregatione editae jussu sa. mem. Benedicti XIII. exposuit, ob defectum massae distributionum haud parum in cathedrali ecclesia negligi chori servitium a Capitularibus praestandum. Huic autem malo cum occurri non possit ordinariis sacri Concilii Tridentini remediis, nimirum suppressione praebendarum, quae tenuissimae sunt, sive beneficiorum suae dioecesis unione, quae aut non sufficiunt aut in graviorem causam cedere debent, censuit proinde, supplicandum esse Sanctissimo, ut beneficia alterius dioecesis unirentur pro sufficienti distributionum massa constituenda. Verum sacra Congregatio pleniorem ab Episcopo circa hujusmodi postulatum petiit informationem, quam valde accuratam sollicite transmisit una cum statu activo et passivo cujuslibet canonicatus et typis a capitulo una cum suis juribus impressam.

In hac retulit Episcopus, olim capitulum ex binis dignitatibus et octo canonicatibus liberae collationis constitutum fuisse, quorum omnium redditus omnino tenues et exigui sunt. Postea vero adjunctas fuisse alias quinque dignitates et sex alios canonicatus jurispatronatus diversarum familiarum. Hisce autem dignitatibus vel nullam vel modicam adnexam esse praebendam solumque onus inesse assistendi Episcopo Pontificalia celebranti: aliis vero sex canonicatibus aeque tenuissimum redditum assignatum fuisse.

Necessitatem idem urgere, ut huic adeo gravi inopiae occurratur, praesertim pro conflanda massa distributionum, ut inde servitium chori frequentetur. Porro occurri non posse retulit vel aliquorum ex eisdem beneficiis et dignitatibus facienda suppressione, cum nonnisi tenuissimum ex ea compendium haberi posset penitus impar ad congruas parandas distributiones, vel beneficiorum dioecesis unione, cum dempto altero sub invocatione s. Andreae jam usque de anno 1725 unito praebendae theologali vix alia quatuor supersint in totum annui redditus ducatorum 71 pernecesse unienda seminario pro istius manutentione et conservatione. Concluditque opus esse confugiendi ad extraordinarium remedium unius vel alterius beneficii exterae dioecesis, ut massa distributionum haberi queat. Episcopi voto et informationi famulatur capitulum ex juribus circumferendis. Inquit enim juri consonum esse, quod favore divini cultus multa fieri permittantur, quae alias fieri non permitterentur ad *text. in cap. 2. de apostat.* et *cap. 1. de fil. presbyt.* Deficientibus ideo ordinariis sacri Concilii remediis necessarium esse, ut extraordinarium sistens in beneficiorum exterae dioecesis unione concedatur. Idque pluribus exemplis tum extra tum intra Neapolitanam ditionem confirmat. Addit: devacare contigerit vel per modum unionis vel per viam reservationis perpetuae pensionis bona annui redditus ducatorum regni 287. spectantia ad Franciam seu capellam ibidem erectam sub titulo divi Jacobi ad Crapolam, quae tamen unita est vel dependens ab abbatia sub titulo s. Petri ad Crapolam existente in contermina Surrentina dioecesi.

De necessitate instituendi massam distributionum expressa lex est et Tridentini Concilii *in cap. 3. sess. 21. de reform:* »*Statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti.*« Praevidens autem sancta synodus, quod adeo tenues forent praebendae redditus, ut inde congruae distributiones haberi non possent, statuit *in sess. 24. cap. 15. de reformat:* »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel, si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quorum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.*

Duo itaque sunt ordinaria remedia a sacro Concilio inducta, alterum suppressionis alicujus ex dignitatibus vel canonicatibus, alterum vero unionis beneficiorum dioecesis. Haec sane remedia prius discutienda sunt, antequam procedatur ad extraordinaria.

Perpendendum hinc est, an alterutrum ex ordinariis praesto esse possit. Sane binae sunt antiquae dignitates et sex canonicatus liberae collationis, sed adeo tenuis redditus, ut nihil auxilii sperari possit. Aliae vero dignitates et canonicatus sunt jurispatronatus laicorum, ita ut juxta concilii legem *absque patronorum consensu* supprimi nequeant, quinimo ob inopiam et tenuitatem reddituum etiam impares sunt ad congruas parandas distributiones.

Quaerendum ideo superest de unione beneficiorum dioecesis. Quatuor haec remanent in totum annui redditus ducatorum 71. Tria tamen notanda sunt:

Primum: an menti sacri Concilii consonum sit omnia unire, dum permisit dumtaxat aliquorum unionem.

Secundum: an ex hac unione haberi possint congruae distributiones pro omnibus Capitularibus vel saltem pro iis, qui sunt liberae collationis.

Tertium demum: an potius expediat ea unire seminario, cujus redditus jam ascendunt ad annua ducata ter centum et cui occurri potest aliis remediis a sacro Concilio praescriptis in *sess. 25. cap. 18. de reform.* et in constitutione *san. mem. Benedicti* XIII., quae incipit: *Credite nobis.*

Deficientibus vero conciliaribus remediis pro distributionibus constituendis, prae oculis habenda est conciliaris sanctio *in sess. 14. cap. 9. de reformat.: Beneficia unius dioecesis etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia seu praestimonia aut praestimoniales portiones fuerint etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur.*

His igitur stantibus onus erit EE. VV. decernere:

An et quomodo consulendum sit distributionibus in casu?

S. C. resp.:

Quoad unionem beneficii extra dioecesim positi negative, et amplius, in reliquis pro gratia unionis quatuor beneficiorum simplicium suae dioecesis pro massa distributionum.

Die 10. Maji et 7. Junii 1777.

Gracovien.

In petitione unionis hujus duae sacri Concilii Tridentini dispositiones observantur: nimirum *in sess. 14. cap. 9. de reform.*, in quo uniones vetantur beneficiorum in una dioecesi existentium cum beneficio alterius dioecesis, ne ordo ecclesiasticus perturbetur, et *in sess. 24. cap. 13. de reform.*, ubi hujusmodi ecclesiarum parochialium uniones generaliter prohibentur; et canonistae communiori calculo illas odiosas esse conveniunt, *Fagnan. in cap.: Exposuisti de praeben. num. 19., Turricell. de unione benefic. quaest. 882. num· 2., Card. de Luca de benef. disc. 19. num. 13.*

Die 21. Jan. 1786.

Spoletana.

A Tridentino Concilio statutum fuit *sess. 14. cap. 9. de ref.:* »*Et quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae . . . ut . . . una eademque ecclesia duarum quodammodo dioecesum non fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, beneficia unius dioecesis, etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia seu praestimonia aut praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur.*«

Die 22. Decbr. 1821.

Lunen. Sarzanen.

Extat in cathedrali ecclesia Sarzanen. beneficium simplex titulo d. Thomae a cl. me. Card. Calandrini erectum anno 1456. in capella magnifice extructa a praefato Card. ad perpetuandam memoriam uterini fratris sa. me. Pont. Nicolai V. olim Thomae Parentucelli necnon communis matris Andreolae de Verrucula, cujus ossa ibi quiescunt

in eleganti tumulo condita. Hujusce beneficii redditus scutata fere sexcenta pertingunt, deque eo juspatronatus collatum primitus a fundatore in familiam Parentucelli ejusque successores migratum hodie reperitur in marchiones de Fornari Jannenses; jus autem instituendi manet penes capitulum praefatae Cathedralis, in quod fundator ipse contulerat.

Extat item in ecclesia s. Mariae d'Albaro ex dioecesi Januensi beneficium simplex, ab anno 1816 titulo abbatiali auctum, cujus juspatronatus spectat pariter ad eosdem marchiones de Fornari. Unum et alterum beneficium insimul subjective uniri obtinuit anno 1818 eorum patronus Joannes de Fornari una cum rectore presbytero Martini, qui tum temporis utriusque beneficii possessor reperiebatur, sub his tamen conditionibus dummodo fundus fructifer ex bonis beneficii praedicti de consensu Ordinarii Lunen. Sarzanen. a rectore et patrono assignetur Capitulo vel fabricae ecclesiae cathedralis praedictae pro manutentione capellae et altaris, ubi beneficium s. Thomae extabat erectum, et pro aliis solitis et consuetis oneribus hucusque per beneficiatum in dicta Cathedrali seu capella supportatis; necnon titulus memorati beneficii ad unum ex altaribus ecclesiae abbatiae praedictae ad libitum Abbatis transferatur: cui rei suum dederat suffragium illius temporis Episcopus eaque super literae apostolicae in forma brevis expeditae sunt Ordinario de more pro exequutione commissae.

Contingit autem ut capitulum et fabricae ecclesiae Sarzanen. curatores, vix resciverunt pontificiam concessionem, gravate ferentes eos super impertita gratia haud fuisse requisitos, ac praeterea conquesti de ingenti damno quod ecclesiae ac dioecesi ob hujusmodi unionem obveniebat, pro viribus obstiterint quominus exequutioni apostolicae literae committerentur, ita ut reapse ad praesentem usque diem absque legitima exequutione remanserint.

Nihilominus, quum vacasset superiori anno per obitum praefati Martini utrumque beneficium, ulla absque haesitatione idem patronus de Fornari praesentavit ad utrumque, unicum vi praefati apostolici brevis effectum, presbyterum Franciscum Poggi, postulans ut sub unica bullae expeditione praesentatus utroque beneficio provideretur. At obsistente acriter capitulo appositaque inhibitione quae audit »*Nihil transeat*«, tum quod breve illud unionis nullum initio diceret utpote obreptitium et capitulo inaudito editum, tum quod, etsi principio validum, tamen absque effectu et inutile postea evasisset, uti exequutioni nunquam commissum, *vi reg. 13**) *cancell.* apostolicae, qua uniones omnes irritae declarantur et nullae, quae exequutioni commissae non fuerint durante vita Pontificis concedentis, qua de re acris exarsit controversia, cujus tandem exitus fuit, ut duplici formali decreto apostolica Dataria firmum retinuerit appositum impedimentum et duplici literarum expeditioni locum esse debere judicaverit, veluti super bino distincto beneficio.

Tunc e re sua censuit patronus ad brevium secretariam confugere, postulans alterum unionis breve expediri, prout expeditum fuerat anno 1818. Verum quum et huic petitioni restiterit capitulum, exhibitis appositis animadversionibus factum est, ut Pontifex sacratissimus, quo sospite laetamur, rem omnem ad s. hunc Ordinem ablegaverit rescripto diei 13. Aprilis superioris anni: Utantur jure suo coram s. Congregatione Concilii.

Habitae sunt ab Antistite Sarzanen. de de more rogato contendentium deductiones una cum ejus voto, quo acriter protuetur capituli partes, affirmans nullam adesse causam petitae unionis absolvendae, quae et capitulo et dioecesi gravis praeterea foret detrimenti. Quibus id rationibus probet patebit inferius.

Jam vero instat patronus et Franciscus Poggi ad utrumque beneficium nominatus beneficiorum unionem de jure concedendam esse quoties justae causae id exigant, necessitatis nempe et utilitatis et consentiant ii quorum interest. *Cap.: Exposuisti 33. de praeb.*, s. Congr. in *Fesulana Unionis 13. Januar. 1869.* §.: *Beneficiorum* et in *Novarien. 27. Aprilis ejusd. anni* §.: *Cum unio.* Nihil refragante synod. Tridentina *sess. 14. cap. 9. de ref.*, quae si beneficia in distincta dioecesi posita quominus uniantur prohibet, id sane Episcopis tantummodo vetat, non autem Pontifici, quod omnino esset absurdum.

*) Vd. *supra p. 823.*

Utramque autem in themate extitisse causam de anno 1818 et perseverare adhuc contendunt, tum quod abbatiali ecclesiae s. Mariae d'Albaro congrua aliunde sustentatione deficiente ita provideretur tum quod divinus cultus in praefata ecclesia valde augeretur.

Ad probandum vero divini cultus augmentum perpendit, quod ex tempore quo in eadem persona unita fuere beneficia, aucta sunt in abbatiali ecclesia sacrae functiones et Divina inibi diligenter sunt procurata. Exhibet in id fidem rectoris paraeciae intra cujus limites ecclesia sita est, quae sic se habet: Haec ecclesia ab anno praesertim 1818 usque in praesens magnae utilitatis spiritualis populo mihi concredito aliisque finitimis fuit, cum in ea diebus festis populi frequentia ecclesiasticae functiones peragantur, plures missae celebrentur, conciones evangelicae habeantur, sacramenta poenitentiae atque eucharistiae administrentur, ita ut omnes summopere cupiant tam laudabiliter mos ibi inventus perduret in posterum.«

Nec ullum exinde pergunt damnum capellae aut ecclesiae Sarzanensi obventurum erit, imo majorem fortasse utilitatem, quia ecclesia ipsa, assignato semper idoneo tutoque fundo ad sustinenda onera omnia quibus antehac beneficiatus tenebatur, perpetuo ac sine ambage exsequeretur id quod beneficiatus ipse vel quandoque non praestitisset, si pecuniae cupidus, vel sero et quandoque etiam nonnisi coacte per judiciales actus.

Et ita pariter nullam exinde jacturam illatam iri, instant, nec juribus capituli, cui institutio ad Sarzanense beneficium nullius sane est emolumenti; eo vel magis quod nullum probare legitime potest super praefato beneficio juspatronatus, licet illud sibi vindicare conetur pro medietate. Caeterum dissensum capituli et cujusque alterius interesse habentis ab Ordinario suppleri posse, ubi sit irrationabilis, non ambigitur, cum in capituli potestate minime sit unionem a jure adeo provide demandatam vel impedire vel retardare, ut prae caeteris sentit *Rigant. ad reg. 22.**) *cancell. numer. 143.* Eoque minus vero attendendus quando unio a Papa perficitur; tunc enim evanescit prorsus etiam interpellationis necessitas, quae, uti ait *Lotter de re benef. lib. 1. quaest. 28. numer. 160*, singulariter Papam nullo modo tenet, etiamsi gratia ipsius alteri praejudicium inferat, propter absolutam ejus auctoritatem.

Immo nec vel minimum obesse potest civitati aut dioecesi, quia nullum institutum extat juspatronatus passivum eorum favore, et liberum est patrono nominare quemcumque, etiam extra dioecesim.

Demum haud parvi pendendam esse ajunt extrinsecam rationem ex concessione anni 1818 reportata depromptam; siquidem ex ea certum sit et Pontificem concedentem et Antistitem qui voto suo favit rationabilem omnino ac justam impetratam gratiam agnovisse, nec est cur modo de ea consilium mutandum sit: decet porro beneficium Principis esse mansurum.

Contra vero vehementer instat Sarzanense capitulum contenditque multas easque per graves rationes et impedimenta petitae gratiae obstare nullamque legitimam causam eam suadere, quod voto a jure consulto elucubrato demonstrat.

Sane si ex parte juris et aequitatis canonicae eadem inspiciatur, clamant textus in *cap.: Cum accepissent* et *cap.: Ex parte de constitut.* uniones esse omnino odiosas, quia per eas institutorum voluntates pessumdantur, divinus cultus imminuitur, sacra patrimonia et ecclesiasticae provisiones resecantur. Sacra Congregatio in una *Brictinorien. Unionis 25. Maji 1832.* §.: *Hisce.* Uniones vero beneficiorum, quae sunt in distinctis dioecesibus, quominus fiant apertissimis verbis prohibet fieri Tridentina synodus *sess. 14. c. 9. de ref.* »Et quia jure optimo distinctae fuerunt dioeceses et parochiae ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut ordo ecclesiasticus non confundatur aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, beneficia unius dioecesis, etiamsi parochiales ecclesiae, vicariae perpetuae aut simplicia beneficia, . . . etiam ratione augendi cultum divinum aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius dioecesis beneficio aut monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur,« decretum hujus s. synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando.

Esto quidem, quod praefata Tridentina dispositio Episcopis utique unionem prohi-

*) Vd. *supra p. 826.*

buerit, quin tamen Pontifici manus ligaverit, semper tamen prohibitionis ratio »ut ordo ecclesiasticus non confundatur aut una et eadem ecclesia duarum quodammodo dioecesum fiat« firma viget et hujusmodi unionibus obstat quisquis demum sit qui eam impertiri valeat. Quare etsi in Pontificis potestate sit hujusmodi gratias largiri, tenendum tamen est, nonnisi gravissimis urgentibus causis eum hac potestate uti debere ceu reapse uti non solet Tridentinae sanctioni inhaerens, ut docet S. C. in una *Lancianen. Unionis 11. Junii 1825*, §.: *Exploratum est.* Item dicas si petita unio ex parte voluntatis fundatoris spectetur, siquidem quin ea praesumi possit petitioni propitia, expresse potius eidem adversa esset retinenda.

Defunctorum voluntates sancte servandas esse clamat jus utrumque »nec unquam supremus Pontifex solet qualitatibus et conditionibus adjectis in fundatione utendo sua suprema potestate contraire« ut ait S. C. in una *Guastalen. Canonicatus 31. Maji 1894.* §.: *Mutato.*

Si demum inspici velit petita unio ex parte juris tertii, eam omnino recusandam esse affirmat capitulum, quia et capitulo ipsi et Sarzanensi cathedrali ecclesiae et universae civitati ac dioecesi detrimentum affert. Capitulo primum quia sic jus conspicuum amitteret instituendi ad idem beneficium necnon medietatem jurispatronatus, quam etsi in continenti probare nequeat ob subtractas, ut ait, fundationis tabulas, tamen in procinctu est formali judicio vindicandi.

Nam per unionem subjectivam beneficia extinguuntur et beneficium ipsum suppressum desinit esse beneficium ejusque bona praedium evadunt ejus cui uniuntur, S. C. in *Ferentina Fabricae 22. Novbr. 1828.* §.: *Communitas.*

Ecclesiae porro, cui non parum decoris affertur ab existentia hujusmodi beneficii, origine sua admodum honorifici, et in cujus utilitatem fieri nequit quin convertatur aliquid ex pinguis beneficii redditibus, uti saepe reapse conversum est ex liberalitate et grato rectorum animo erga insignem capellam, cujus ipsi peramplis sane redditibus fruebantur. Posita autem semel petita subjectiva unione nec titulus quidem beneficii remaneret et tantae munificentiae memoria penitus exolesceret.

Civitati demum ac dioecesi universae, quia sic utraque ecclesiasticam provisionem amitteret eamque forsitan ex pinguioribus quas possident.

Quin dici possit satis capellae provisum iri per idonei fundi assignationem; hujusmodi enim remedium compensare nec leviter valeret jacturam decoris quod ab existentia beneficii recipere capellam imo ipsam ecclesiam jam supra demonstratum est, et quae prae caeteris cordi esse debet capitulo. Praeterea nec expensas conservationis rependeret, quam nihil etiam in hodierno beneficii statu ipsius capellae decori deesse posset, ac teneretur beneficiarius eam, prout decet, omnino providere et tueri, et juris remedia semper praesto esse possent, ut ad id oneris adigeretur.

Nec pariter referret libera patroni facultas nominandi etiam extradioecesanum. Quousque enim beneficium in Sarzanensi ecclesii perstiterit, facilius semper cives vel dioecesani ad eum assequendum nominarentur, prout revera accidit per saecula, dum contra eo semel in Januensem dioecesim translato vel ipsa spes eidem deficeret illud aliquando assequendi. Idque profecto eo magis tenendum esset ubi capitulum de jurispatronatus quota parte, quam suam esse ait, vindicias ferret.

Hinc narrat Episcopus: »perpetuam unionem beneficii s. Thomae, utpote grave damnum afferentem cathedrali ecclesiae et clero hujus civitatis, ab omnibus tam clericis quam laicis gravi cum moerore auditam fuisse.«

Addit capitulum, inter eos quibus petita gratia praejudicium inferretur et ipsos hodierni patroni descendentes recensendos esse, quibus nominandi facultas ad unum beneficium post unionem arctaretur et quos (ceu prosequitur praefatus Episcopus) petita gratia bono jure privat duo membra de familia in statu clericali viventia congrue providendi.«

Porro sciunt omnes Pontificem cujusque generis gratias non impertiri cum praejudicio juris tertii, et amussim in themate unionis beneficiorum inter necessarias solemnitates censeri consensum eorum quorum interest tradit post *cap. 49. caus. 26. quaest. 1.* et Conc. Trid. *sess. 7. cap. 6.* s. Congr. in *Nullius trium fontium Unionis 17. Maji 1828.* §.: *Ad unionem*;*) quia nempe nemo est invitus suo jure privandus ad *text in leg.*

*) Vd. *983.*

Quia Romae s. Flavius de verb. oblig. Qui consensus etsi suppleri quandoque valeat a Pontifice ex plenitudine potestatis, id tamen nunquam fit nisi dissensus ipse fuerit irrationabilis, quod sane ex deductis et inferius deducendis non comprobatur in themate.

Post haec causas inquirens capitulum, cur communis juris censurae, fundatoris voluntati et tertii juribus praejudicium afferri valeat, nullam prorsus contendit sese exerere in themate nec urgentem nec adaequatam.

Si necessitas inspiciatur ex adverso allata consulendi congruae abbatialis ecclesiae D' Albaro, annotat primum, beneficium illud nec paroeciale esse nec canonicale, sed simplex dumtaxat specioso Abbatis titulo auctum ab anno 1816; nulla autem lex est, quae congruam praefiniat pro simplicibus beneficiis, quae quum gratuitam omnino provisionem constituant, quantumvis exiguam, nullum rectori jus tribuunt ad petendum augmentum. Negat subinde capitulum ipsum, Abbati seu rectori ecclesiae D'Albaro deesse congruam sustentationem; siquidem sumptio stet in contrarium. »Re enim vera (inquit Episcopus) ecclesia s. Mariae d' Albaro erecta fuit in ecclesiam abbatialem anno 1816, dum prius nullis gaudebat privilegiis, simplexque stabat beneficium sicut illud sancti Thomae: ex hoc facto ineluctabiliter eruitur praedicto anno sufficienter provisam extare dictam abbatiam ad onera sibi inhaerentia sustinenda, alioquin erecta non fuisset in abbatiam. At ex anno 1816 quo pro unione preces sanctissimo Domino Papae Pio VII. porrectae sunt nullam reddituum pati potuit jacturam, cum temporum calamitates desierint.«

Quod si gratuitae patroni assertioni fides adhiberi vellet, quae redditus ad scutata annua 170 cobibet et fere centum pro ecclesiae impensis affirmat insumi, residuam summam scutator. 70 congruam omnino putat sustentationi rectoris simplicis et filialis ecclesiae. Caeterum perperam hic recenserentur expensae pro sacris nonnullis functionibus necessariae; ait namque idem Episcopus »perplures sacras functiones quae in praedicta ecclesia fiunt introductas fuisse ab Abbate Aloisio Martini moderni electi Abbatis immediato antecessore et potissimum s. Evangelii explanationem, quae omnia munera cum sint penitus voluntaria nec ab ulla fundata obligatione fluant afferri omnino non possunt ad adstruendum necessitatem subveniendi abbatiae.« Rursus, in hypothesi etiam quod rectori abbatiae congrua aliqua tribuenda foret, sustinet adhuc capitulum eam supplendam esse a patrono, nisi juspatronatus amittere velit, sac. Congr. in una *Caven. Unionis 23. Aprilis 1831.* et in *Tiburtina Restaurat. eccl. paroch. 15. Decembr. 1827. ad 1. dub.*, vel saltem exhaurienda essent alia juris remedia minus extraordinaria, antequam ad jura tertii destruenda et fundatorum voluntatem infringendam deveniretur, uti essent unio vel suspensio beneficiorum ejusdem dioecesis, juxta praescriptum Trident. *sess. 24. cap. 3. de ref.*

Haec quoad necessitatem. De asserta autem utilitate, quae sane talis esse deberet in themate ut aequivalere posset necessitati, sine qua Pontifex legis et hominis dispositioni et tertii juribus non derogat, haec perpendit capitulum cum Episcopo Sarzanensi.: Nulla praeterea necessitas vel utilitas aderat ex parte cultus divini praestandi in dicta ecclesia abbatiali, nam cum sit contermina ecclesiae parochiali s. Francisci solaque via publica ab eadem sejungatur, functiones sacrae quae in ipsa peraguntur inutiles spirituali populi illius loci bono censendae sunt.

Et quamvis concederetur quod ipsae majori commoditati inserviant, tacendum tamen non est quod saepe saepius dissidia perturbationesque creare lapsu temporis possint.

Quinimo addit capitulum, hujusmodi functiones exitiosas potius esse parochianis, quia sic a paraeciali ecclesia, contra canonica statuta, alienantur.

Perperam post haec confugeret patronus de Fornari ad extrinsecum argumentum desumptum a gratia, quam Pontifex anno 1818 signaverat, perinde ac si ideo illam justam ac necessariam agnoverit, maxime quum Episcopus ejus temporis sua favorabili commendatione illam fulsierit. Repetit namque capitulum, gratiam illam ad leves prorsus abiisse auras, nec unquam caeteroquin probaret de Fornari Pontificem justam eam agnovisse, quia ex ipsa brevis lectione liquet, plura reticita ipsi fuisse, quae pandere omnino opus erat.

Sane haud imo tuere concedenti Pontifici jura capituli, secus enim iis derogare debuisset, quod neutiquam fecit: haud pa-

riter ipsi innotuit spiritus fundationis, quam nec leviter attigit neque ei derogavit: uno verbo celatum Pontifici fuit quidquid poterat obicem gratiae parare, ut neque capitulum fuerit auditum, prout juratis testificationibus innixus refert hodiernus Episcopus.

Quoad vero Episcopum ejus temporis Pallavicinum, nil mirandum; instat capitulum quod in decrepita, qua versabatur, aetate in errorem induci ab iis potuerit, quibus maxime intererat ut negocium omne clauculum absolveretur. Caeterum et ipsum dictis factisque fraudem vix agnitam retractasse ultimis vitae suae diebus, apte asservat laudatus Episcopus: »Ad agnoscendas (sic ipse) rationes ob quas Episcopus Pallavicinus capitulum non audiverit, prout erat de jure, et quare favorabiliter inclinaverit instantiis patroni pro perpetua unione, opportunas diligentias non praeterivi, sed nusquam in earumdem notitiam perveni, easdem vero supremi numinis judicio relinquens, qui cordium et renum est scrutator, indubia res est postremis vitae suae diebus sententiam mutasse ac favorabilis relationis pro antedicta unione missae poenituisse, idque luculenter comprobante facto non exequutionis Brevis apostolici.«

Hisce disputatis dignentur EE. PP. dirimere

Dubium:

An sit annuendum precibus quoad unionem beneficiorum in casu?

S. C. resp.:

Negative.

Die 26. Febr. 1848.

II. *Beneficiorum saecularium cum regularibus.*

Vd. *Beneficium* (unio non concessa, decr.: Vico-Equensis §. *De necessitate* p. 1004.); *Benef.* (saeculare p. 868; regulare p. 803.)

S. Tridentina synodus *sess. 24. cap. 15. de reform.* hac de re sapientissime decrevit: »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sint praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel si hac ratione provideri non possit aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere, ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.*«

S. Severini.

Quid si monachi essent Septempedani, nunquam capellaniis illis frui posse, tum quia testator non *monachos sed sacerdotes* vocavit, et quidem *cives*, tum quia cum hic agatur de beneficiis sive capellaniis saecularibus certissimum est ex sacris canonibus beneficia saecularia regularibus nec regularia saecularibus concedi posse, *text. express. in can. Cum Causam 27. de elect. etc.* et *Card. de Luca de benefic. disc. 75. num. 19*, *Rigant. in reg. 43.**) *cancell. num. 25.* et *Rota cor. Seraph. decis. 1165. num. 12.*

Si vero dicatur dispensationem monachos obtinuisse vigore literarum apostolicarum, res in idem reincideret; nam si illae fuerint obreptitiae et subreptitiae, dispensatio illis inhaerens tamquam haud concessa censeri deberetur.

Die 16. Jan. 1819.

III. *In commodum beneficiati et ecclesiae.*

Vd. supra p. 978. VI.

Civitatis Castellanae.

Petrus Ciani in testamento condito anno 1756. haeredem universalem scripsit ecclesiam B. Mariae Virginis *del Ruscello*, quae extat prope oppidum Vallerani in dioecesi Civitatis Castellanae, relicto usufructu, quoad viveret, uxori suae Paulinae. Post uxoris mortem jus nominandi tribuit suo exequutori testamentario Dominico Manfredi ejusque filiis, quibus substituit Bonaventuram Floridi. Attenta renunciatione tum Dominici Manfredi approbata per rescriptum s. m. Pii VI. tum Bonaventurae Floridi jus hoc nominandi capellanum devolutum est ad ipsam ecclesiam B. Virginis *del Ruscello* haeredem proprietariam.

Sunt in hac ecclesia quatuor capellani cum onere choralis assistentiae singulis sabbathis ac diebus festis et celebrandi 152

*) Vd. *supra p. 832.*

missas pro unoquoque absque designatione ecclesiae; quorum primus, qui etiam sacristiae et custodis ecclesiae munere gravatur, habet annuum redditum scut. 52. 40, pro quolibet. Quartus denique cui nocturna ecclesiae custodia concredita est scut. 56. 40.

Prior et officiales praedictae ecclesiae postularunt a SSmo, ut in proxima capellaniae Ciani vacatione fieret illius perpetua unio quatuor supra memoratis capellaniis, inter quas tum onus missae et anniversarii tum redditus sc. quinquaginta in hanc causam legatus divideretur, ut ita aucto singulis emolumento scut. 12. 50. et obligatione celebrandi missam quotidianam in ecclesia B. Mariae Virginis magis accuratum et assiduum illius templi servitium praestarent.

Plura postulata sunt ab Episcopo in duplici requisita informatione, ex quibus eruitur neminem esse patronum, cujus juri nominandi praejudicium inferatur, sed in vim renunciationum tum Manfredi tum Floridi jus omne ad officiales ac moderatores praedictae ecclesiae, qui unionis gratiam implorant, spectare. Retulit etiam Episcopus transmisso decennali statu introitus et exitus ex redditibus ecclesiae non posse ullo pacto capellanorum augeri assignamentum. Hinc ita concludit in postrema informatione: *Unio itaque hujus capellaniae post mortem Victoris Purchiaroni sacerdotis prope octogennarii actualis capellani non exiguae utilitatis ecclesiae et capellanorum dignoscitur. Enimvero sacerdotes facilius ad dictas capellanias concurrentes invenientur, quod ad praesens non verificatur, promptiores ad chori servitium erunt ac missae capellaniae Ciani inter ipsos ratatim distributae in eadem ecclesia celebrabuntur. Ideoque petitam unionem concedi posse puto juxta praecedentem meam relationem.*

Verum enimvero defunctorum voluntates religiose sunt custodiendae easque servari, non quavis ex causa commutari debent, *can. Ultima Voluntas 13. quaest. 2. et leg. omnium cod. de testamentis.* Porro in casu aliqua commutatio fieret voluntatis Petri Ciani, si petita indulgeatur unio. Nam licet eadem celebrarentur suffragia in praescripta ecclesia *del Buscello*, tamen novus capellanus a testatore volitus supprimeretur, qui cum sciret quatuor jam adesse capellanos in eadem ecclesia nihilominus eos non vocavit ad celebrationem quotidianae missae, sed jussit alium designari capellanum ab iis, quibus nominationis jus tribuit.

Sed e contra plura afferri possent exempla, in quibus juxta etiam *Trident. Concil. sess. 23. cap. 6. de reform.*, si *justa et necessaria causa concurrat*, facta est commutatio voluntatum, ut praesertim censuit s. Congregatio in *Forosempronien. 4. Maji 1771.* Certe in praesenti casu nulli infertur praejudicium, quia ob emissas renunciationes nemo est, qui ex activo jurepatronatus nominationis honore fruatur. Non praejudicium infertur ecclesiae, cum eodem numero Sacrificia in ea quotannis offerantur quin interesse possit num ab uno vel ab alio sacerdote celebrentur. Immo putat Episcopus, utile futurum ipsi ecclesiae, si magis assiduum eidem praestent servitium. Nulla demum in substantia legati fit commutatio voluntatis, statim ac servatur numerus et locus missarum celebrandarum. Nec praetereundum est nullam in testamentariis tabulis inveniri prohibitionem ne a capellanis jam existentibus adimpleri posset legatum.

Videant ergo EE. Patres: utrum ex iis quae ab oratoribus adducuntur et ab Ordinario confirmantur probari possit *necessitas* augendi capellanis stipendium, *utilitas* ecclesiae designatae, unde legitima commutandae voluntatis causa emergat.

Dubium erit:

An sit consulendum SSmo pro perpetua unione capellaniae in casu?

S. C. resp.: Negative.

Die 2. et 30. Maji 1818.

IV. *In commod. ecclesiae parochialis.*

Vd. p. 372. b.; p. 370. a.

Anno 1737 quidam Marcus Leonardi capellaniam fundavit his legibus: »Capellaniam mere laicalem erexit in ven. ecclesia SSmae Annuntiatae. Pro dote autem et fundo dictae perpetuae capellaniae constituit et assignavit loca quindecim Montis s. Petri... cum assignatione et reservatione fructuum Capellano pro tempore, qui tenetur celebrare seu celebrari facere missas viginti septem quolibet mense . . . quae loca montium perpetuo stare debeant subjecta et obligata et hypothecata pro fundo et dote dictae capellaniae, ita ut nullo unquam tempore, quovis sub praetextu et causa, vendi et alienari possint.

Pro primo capellano ad celebrationem dictarum missarum nominavit ac nominat R. D. Silvestrum de Salvis ejus vita naturali durante, cum omnibus honoribus, praerogativis etc.; cui etiam tribuit facultatem nominandi *post ejus obitum* alium capellanum, ... ac dictus capellanus ab ipso nominandus valeat et possit nominare *post illius obitum* alium capellanum cum onere semper celebrandi etc.

Postmodum vero defunctis dictis tribus capellanis . . . d. Marcus vult quod jus nominandi alios capellanos pro tempore spectet et pertineat ad haeredes et successores ipsius d. Marci durante eorum linea tam masculina quam feminina, et in casu expirationis ejusdem lineae vult et mandat, quod jus nominandi redeat ad domum ipsius R. D. Silvestri de Salvis etc.«

Constituit denique, ut capellanus pro tempore fructus locorum montium pro dote assignatos posset »cum fide nominationis ad capellaniam praefatam exigere libere absque etc.

Secundum pii fundatoris votum res optime vertit donec in primordiis hujus saeculi politicae vicissitudines quindecim montium loca ad quinque reduxerunt; quibus praeterea hoc vertente tempore ob patronorum negligentiam fabrica s. Petri fruita est, quousque non fuerint vindicata.

Episcopus anno 1826 in actu s. visitationis inveniens vacantem capellaniam neque sciens, an existerent haeredes fundatoris, ignorans quoque fundationis leges, eam tribuit parocho loci *Pasciano* hac conditione adjecta »*quousque non patefiat documentum fundationis quo jus dignoscatur.*«

Anno insequenti quidam prodiit patronus, qui nominavit ad capellaniam eundem parochum, qui jam eam possidebat, adjecta conditione ut *ea fruatur quousque exerceat parochi officium in Pasciano.*

Mortuo hoc capellano parochus qui successit, Benedictus N., petiit capellaniae fructus titulo parochi ejus loci, sed invenit quemdam oppositorem ob eam rationem, quod non posset capellania considerari unita paroeciae contra fundationis tabulas; eam tamen obtinuit per nominationem patroni, qui per publicum tabellionem et hanc adjecit in actu nominationis clausulam: *quousque ipse parochus erit loci Pasciano, quo munere parochi cessante succedet in capellaniam novus parochus loci ejusdem in infinitum.*

Hic parochus Benedictus N. postea canonicatum est assecutus atque ideo dimisit capellaniam cum parochus esse cessasset.

Successit in paroeciam Pasaiano presbyter Silvester, qui, existimans capellaniam esse vere perpetuoque unitam paroeciae, sibi fructus illius quaesivit: sed contrarium existimavit Benedictus N, qui capellaniam dimiserat, et sibi consentientes habuit id temporis patronos. Immo iidem patroni per acta tabellionis iterum in capellanum nominarunt Benedictum N, ejus vita naturali durante, sibique suisque haeredibus et successoribus reservantes post ejus mortem liberam capellaniae nominationem.

His factis non acquievit Silvester atque inde quaestiuncula orta est inter Benedictum et Silvestrum et coram S. C. C. proposita.

Rogatus Ordinarius, qui adhuc ignorabat fundationis legem, in ea fuit opinione ut servaretur decretum factum in actu s. visitationis, donec non patefieret lex fundationis. Immo adjiciebat non constare eos, qui hactenus ad capellaniam nominaverant, descendere ex linea fundatoris ideoque non constare eos esse capellaniae patronos.

Huc re perventa de more in secretaria S. C. C. decretum prodiit: *ponatur in folio*, atque rescriptum est Ordinario, ut partes moneret ad deducenda sua jura coram S. C. C.

Jura Patronorum.

Patroni et capellanus Dominicus jura sua per causidicum deduxerunt, quae raptim innuam, cum de quaestione agatur, quae facilis solutionis est postquam lex fundationis patefacta fuit a patronis quam initio exposui.

Patroni itaque jus nominandi sibi vindicabant ex ea gravi ratione, quod nemo unquam inficiatus fuerit eorum originem a fundatore Leonardi, et quod impossibile esset, ut ejusmodi jus nominandi per tot annos atque per nominationes in familia exercitum nunquam invenerit reclamantem.

Quod attinet ad clausulam repetitam, quam in actu nominationis apposuerunt, quo nominantes parochum Pasciani adjecerunt: *quousque exerceat parochi officium vel durante parochi munere, quo cessante succedet in capellaniam novus parochus in infinitum*, inquiebant non eo animo haec scripta esse, ut uniretur capellania paroeciae, nec si vellent facere potuissent, cum patroni non possint mutare naturam jurispatronatus et evertere legem fundationis, *Clementina 2. de religios. domibus*, et *Concil. Trid. sess. 25. c. 5. de reform.*

Neque obstare textus, qui explicite tradunt, juspatronatus posse donari, cap. *Suggestum de jurepatr.*; ejusmodi enim textus locum habere, quando non obstet lex fundationis: ut enim ponderavit s. Rota in *Pistorien. Jurispatronatus coram Merlino* die 31. Martii 1628 §. 6: »Amplius aliqui ex dominis dubitabant, an Jacobus, etiamsi voluisset, potuerit immutare naturam et statum jurispatronatus . . . et sic evertere voluntatem fundatoris . . . et in his terminis non posse patronum late tradit Ferret. consil. 134.« Atque iterum *ibidem* §. *6*: »Ratio qua non possit per successores immutari status praescriptus a fundatore in jurepatronatus tota posita est in defectu potestatis, cum heres nec etiam de consensu Ordinarii possit alterare voluntatem fundatoris, sed tali casu opus esset dispensatione apostolica.«

Parochi jura.

Planum esse dicebatur, Ordinarii decreto capellaniam fuisse datam ecclesiae paroeciali Pasciano, et quamvis adjecta fuerit limitatio: *quousque non patefiat documentum fundationis, quo jus dignoscatur*, hanc tamen adjectam conditionem cessasse, quando patroni suis juribus renunciarunt per clausulas duabus nominationibus adjectas, in quarum secunda adjiciebatur verbum *in infinitum:* camque renunciationem vel donationem in acceptis habitam fuisse a parochis, ita ut missae celebrandae in catalogo missarum paroeciae inscriptae fuerint, et administrationem capellaniae redditum penes parochos fuisse, quas ope paroeciani cujusdam vindicaverant a fabrica s. Petri. Quae cum ita sint, veram peractam esse unionem capellaniae cum ecclesia paroeciali neque amplius dari posse poenitentiae locum. Notum enim esse in jure, ejusmodi uniones sustineri, maxime si de re laicali agatur, cujusmodi est in themate capellania, quae cum reducatur ad pium legatum neque indiget juris solemnitatibus, idest consensu Episcopi, qui necessario requiritur in unionibus ecclesiastici beneficii jurispatronatus.

His aliisque similibus animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. An constet de vera et perpetua unione capellaniae Leonardi favore ecclesiae parochialis Pasciani in casu?

Et quatenus negative,

II. An sustineatur nominatio et possessio ejusdem capellaniae favore sacerdotis Benedicti in casu?

S. Congregatio Concilii causa cognita die 15. Decembris 1871 respondere censuit

Ad I.: *Negative.*

Ad II.: *Affirmative.*

Ex quibus colliges:

I. Quamvis in jure certum sit, posse patronos laicos juspatronatus donare alicui ecclesiae, interveniente Episcopi consensu: non posse tamen donationem facere si donatio evertat fundationis legem*).

II. Haec referri etiam ad capellanias laicales, quae in mera legata pia facile resolvuntur, quamquam pro ejusmodi cessione juris neque requiratur Episcopi consensus.**)

*) Quod patroni laici possint juspatronatus alicui donare cum consensu Episcopi plana res est in jure, ut videre est in cap. *Illud 8. de jurepatron.*, cap. *Quod 5 h. t.*, cap. *Cura 11. h. t.* cap. *Suggestum 20 h. t.* etc. Ecclesia vero vel monasterium habens juspatronatus potest illud alteri ecclesiae donare, sed cum debitis solemnitatibus ad alienationem rerum ecclesiae requisitis, quia jura ista incorporalia rebus immobilibus fere accensentur, de qua re agunt auctores in titulo *de rebus ecclesiae non alienandis.* (Vd. t. I. p. 420 : *Alienatio.*)

Non possunt tamen patroni laici juspatronatus ecclesiae donare etiam cum consensu Episcopi, si lex fundationis et voluntas fundatoris per ejusmodi donationem everteretur; hoc enim in casu subintrant omnes juris dispositiones, quae praecipiunt fundatorum voluntates esse adamussim exsecutioni mandandas, quarum Episcopi sunt exsecutores nati.

**) Sic inter ceteros scripsit Card. de Luca *discur. 53. de jurepatronat. n. 2*: »Dicebam injustam esse oppositionem, quoniam circa donationem juris praesentandi seu deputandi capellanos tunc intrarent ea quae ex adverso deducebantur super prohibita donatione jurispatronatus sine consensu Ordinarii (adeo ut neque sufficiat illa Vicarii generalis absque speciali mandato), quando ageretur de beneficiis vel capellaniis cum Ordinarii auctoritate formiter erectis in titulum collativum, secus autem in hujusmodi capellaniis manualibus, dictam erectionem non habentibus magisque redolentibus simplex pium legatum habens onus adnexum celebrationis missarum, cum tunc regulae beneficiales non

III. Quoties enim ex donatione vel cessione jurispatronatus evertatur lex fundationis patronos, etiamsi interveniat Episcopi consensus, frustra agere.

IV. In themate autem omissis ceteris, quae considerari possent, patronos, si jure personali se expoliari forte potuissent, non tamen in damnum successorum, quos fundator vocaverat, potuisse jus nominandi capellanum ecclesiae paroeciali renunciare.

V. Neque Benedictum, semel ad capellaniam nominatum, potuisse ea privari, quamvis parochus esse cessaverit; cum capellania non esset ex voluntate fundatoris ad nutum amovibilis sed perpetua.*)

V. *In erectionem parochiae.*

Vd. p. 990. XII.

Firmana.

Sacerdos Franciscus Discreti parochus ecclesiae s. Mariae de Puteo sitae in oppido Montis s. Martini Firmanae dioecesis postulat ac sustinet, ejus parochialem ecclesiam transferendam esse ad ecclesiam s. Joannis ejusdem oppidi in solo Lateranensi fundatam erectamque in titulum beneficii perpetui ex testamento cujusdam Sanctis quondam Francisci usque ab anno 1491 de jurepatronatus, ut asseritur, communitatis dicti oppidi una simul cum sodalitio sanctissimi Sacramenti in eadem ecclesia s. Joannis existente, postulatque pariter hujusmodi beneficium post obitum moderni illius rectoris uniendum esse parochiae illiusque redditus esse parocho pro tempore existenti ad congruam illius sustentationem adjiciendos.

Ait enim, parochialem ecclesiam s. Mariae de Puteo deformam esse, attritam, collabentem nec ullam vel minimam reparationem admittere. Hanc transactionem ecclesiae et unionem beneficii Firmanum Archiepiscopum anno 1765 in actu sacrae visitationis dictis de causis fieri decrevisse, reservato patronatu tam favore communitatis quam antedicti sodalitii eorumque jure nominandi in qualibet futura vacatione tres idoneos sacerdotes, ut eorum unus in concursu ab eodem Firmano Archiepiscopo approbaretur et praeligeretur, qui aptior et dignior fuerit ad animarum curae exercitium. Addit, huic petitae translationi et unioni assentiri dictam communitatem praefatumque sodalitium uti patronos ecclesiae s. Joannis, ad quam est parochialis ecclesia transferenda, tum etiam assentiri capitulum Lateranense demumque accedere Eminentissimi Cardinalis ejusdem capituli Archipresbyteri votum ab hac sacra Congregatione requisitum, maxime quia idem parochus s. Mariae de Puteo usque et ab anno 1597 propter incapacitatem ejus ecclesiae pro animarum curae exercitio retinuerit prout adhuc retinet in ecclesia s. Joannis augustissimum Eucharistiae Sacramentum sacrumque oleum infirmorum; idcirco his aliisque juribus, quae ab ipso circumferuntur, perpensis sustinet esse petitam translationem parochialis ecclesiae ac unionem beneficii concedendam.

At e converso propugnat sacerdos Achilles Urbani docetque ope depositionis sacerdotum, fabrorum, murariorum aliorumque testium parochialem ecclesiam s. Mariae de Puteo aequalem esse ecclesiae s. Joannis, uno tantum excepto palmo longitudinis et latitudinis illamque nec indecentem esse nec deformem nec collabentem, quinimo stabilem firmamque a peritis in arte fuisse recognitam illamque parochianis commodam, incommodam vero esse alteram ecclesiam s. Joannis, docetque pariter, Archiepiscopum Borgia in sacris suis visitationibus parochialem ecclesiam numquam minantem ruinam, imo .nec reparationibus indigentem

intrent, adeo ut hujusmodi capellaniarum nedum laici sed etiam mulieres et infantes sint capaces ex deductis *apud Buratt. decis. 1.; decis. 224 Dunozet.;* etc. Et in specie donationis vel alterius concessionis juris deputandi hujusmodi capellanos, quod non intrent regulae beneficiales, Garzias *part. 1. c. 1. n. 102* «

Garzias autem *loc. cit. de Benefic. eccles. part. 1. c. 1. n. 102.* haec scribit: »At capellaniae etiam perpetuae fundatae et ordinatae sine auctoritate Ordinarii, quae non sunt ab eo adprobatae et spiritualizatae, non sunt beneficia ecclesiastica nec ab Ordinario conferri possunt, sed sunt sub pia dispositione fundatoris et ejus haeredum seu successorum, qui possunt tales capellanias donare sine Episcopo, quibus voluerint, dummodo sint idonei juxta dispositionem fundatoris.

*) Puto enim priorem nominationem factam favore Benedicti, quando parochus erat, in suo valore permansisse, etsi parochus esse cessaverit: conditio enim apposita, *donec parochus permaneret*, erat conditio contra vel saltem praeter legem fundationis: et in potestate patronorum non erat hanc conditionem apponere, cum capellania ex lege fundationis esset perpetua. Cum ergo ea conditio esset ex errore apposita et ex errore acceptata, errore detecto nominatio in suo integro valore permanere debebat.

agnovisse nec descripsisse. Itemque docet, eumdem eminentissimum Firmanum Archiepiscopum a decretis in sacra visitatione justissimis de causis sibi prius ignotis recessisse et quousque vixit nec parochum nec communitatem nec sodalitium hanc translationis et unionis instantiam unquam promovisse.

Contendit itidem Urbanus, nullam justam, necessariam et urgentem transferendi et uniendi causam concurrere nulliusque ponderis esse consensus praestitos ab interesse habentibus ex geminis facti circumstantiis: primo, quia suppositum fuit, parochialem ecclesiam labentem esse, quod prorsus excluditur, et secundo, quia illi praestiti fuerunt in executionem decreti eminentissimi Archiepiscopi, reticita ejusdem decreti facta ab eodem Archiepiscopo revocatione, ne parochialis ecclesia, quae libera est, tum patronorum tum etiam Lateranensis capituli subdita efficeretur nullamque probationem constituere retentionem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti et olei sacri ab anno 1597 in ecclesia s. Joannis, quia id agit indebite parochus pro sui tantum commoditate, non autem propter incapacitatem ecclesiae s. Mariae de Puteo ruinam minantis, quoniam si haec vera essent dicta ecclesia ab anno 1597 usque ad hodierna tempora jam corruisset. His igitur et aliis perpensis, quae ab ipso tam in facto quam in jure proponuntur in ejus circumferendo libello, propugnat idem Urbanus, instantiam translationis et unionis, de quibus agitur, esse penitus rejiciendam.

Auditus Vicarius capitularis Firmanae dioecesis sentit pro executione decreti a defuncto eminentissimo Archiepiscopo lati in sacra visitatione, nulla tamen facta mentione de illius recessu multoque minus de insubsistentia causarum, ob quas mandavit idem Archiepiscopus alia media esse proponenda ad occurrendum ecclesiae necessitatibus, posthabita illius translatione et unione beneficii tamquam libertati parochialis ecclesiae ejusque et Ordinarii juribus apprime contraria.

Multoties transactionis ecclesiarum et unionis beneficiorum causas disceptari contigit in hac sacra Congregatione. Pluries enim eas admisit, *justa tamen et necessaria concurrente causa et accedente simul vel patronorum vel omnium interesse habentium consensu*, ut videre est in *Melevitana Seminarii 29. Julii 1725*, in *Pacten Confraternitatis 5. Junii 1734*, in *Cassanen. 26. Novembris 1763* et in *Comen. Translationis missarum 24. Novembris 1764*, et aeque pluries eam negavit iis requisitis vel eorum aliquo deficientibus, maxime definivit *in Ariminen. Translationis capellaniae 20. Decembris 1732., in Neapolitana Commutationis voluntatis 7. Februarii 1733, in Panormitana Translationis oneris missarum 19. Aprilis 1723., in Frisingen. Permutationis seu unionis 18. Junii 1735.* et in *Sabinen. Unionis 18. Septembris 1745.*

Verumtamen plura sunt in causa ponderanda:

Primum, quod contenditur parochialem ecclesiam s. Mariae de Puteo perpetuo transferri et uniri ecclesiae s. Joannis a Sancte quondam Francisci; videtur enim haec unio expresse vetita a sacrosancta Tridentina Synodo in consultissimo decreto edito sub *sess. 24. cap. 13. de reform.*, cujus haec sunt verba: »*In unionibus vero quibuslibet ex supradictis seu aliis causis faciendis ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisque non uniantur.*«

Secundum, quod in una eademque ecclesia s. Joannis duo sunt parochi, qui sua respective exercent parochialia munia et eorum quilibet Sacramenta subministrat propriis parochianis, parochus scilicet parochialis ecclesiae s. Mariae de Puteo et parochus alterius parochialis ecclesiae s. Augustini. Non enim videtur, duos parochos diversae paroeciae in una ecclesia stare posse etiam quoad unicum animarum curae exercitium, ideoque in casu faciendae translationis ecclesiae parochialis s. Mariae de Puteo ad ecclesiam s. Joannis audiri citarique deberet parochus s. Augustini, cujus interest; ignoratur tamen quo jure, quo titulo quave consuetudine, Sacramenta parochianis suis in eadem ecclesia ministrandi, quemadmodum sacra Congregatio omnes jus et interesse habentes audiri, citari et assentiri mandavit *in Asculana Reductionis onerum 14. Februarii superioris anni 1778* et in *Abulen. Anniversariorum 30. Maji ejusdem anni 1778.**)

Tertium denique, quod tam consensus petitae translationi et unioni praestitus a Vicario capitulari in sua informatione et voto quam alii praestiti a capitulo Lateranensi et a communitate Montis s. Martini con-

*) Vd. *t. I. p. 524.*

ditionales sunt, adjectis conditionibus inter se directe pugnantibus, ideoque dissensus potius quam consensus vocari possi videntur. Fuit enim assentitus Vicarius capitularis.

Lateranense vero capitulum non aliter consensum praestitit, quam excepta tantum jurisdictione ab Archiepiscopo exercenda in iis omnibus, quae ad curam animarum et parochialia jura pertinet, quod novus parochus ad communitatis et sodalitii ssmi Sacramenti nominationem et praesentationem electus petere et obtinere teneatur institutionis literas a capitulo pro beneficio, post tamen obitum hodierni illius rectoris uniendo, nec — non eidem capitulo annuum solvere canonem et cum reservatione juris favore ejusdem capituli *visitandi jure ordinario per Vicarium Lateranensem ecclesiam s. Joannis sacrasque supellectiles cum obligatione parocho pro tempore reddendi rationem eidem visitatori Lateranensi satisfactionis onerum supradicto beneficio impositorum.*

Communitas autem in comitiis habitis mense Junii 1770. suum praestitit assensum.

An igitur hujusmodi consensus inter se conveniant seu potius laedant ordinariam liberamque jurisdictionem Archiepiscopi et an illi esse possint dissidiorum et litium origo Archiepiscopum inter, capitulum Lateranense et communitatem Montis s. Martini ipsi viderint eminentissimi PP., dum quaeritur:

I. *An sit locus translationi parochiae s. Mariae de Puteo ad ecclesiam s. Joannis Terrae Montis s. Martini in casu?*

Et quatenus affirmative,

II. *An sit locus unioni beneficii erecti in dicta ecclesia sancti Joannis sub invocatione s. Mariae, s. Joannis et omnium Sanctorum redditibus ejusdem parochiae?*

S. C. resp:

Negative ad utrumque et ad D. Secretarium in mentem; et mens est, quod Vicarius capitularis curet restaurationem ecclesiae ad formam Conc. Trid. sess. 21. cap. 7. de reform., et subinde, ut in eadem parochiali ecclesia s. M. de Puteo reponatur SS. Eucharistiae Sacramentum et oleum sanctum, ita ut in eadem parochus Sacramenta ministrare possit.

Die 26. Junii et 17. Julii 1779.

VI. *In levamen parochi pro alendis pauperibus parochianis.*

Spoletana.

In collegiata ecclesia Montisfalchi Spoletanae archidoecesis erecta est paroecia sub invocatione s. Bartholomaei constans fidelibus bis mille et quingentum, quorum major pars hac illac dispersa jacet per agrum satis amplum et gravissima obruitur egestate. Hodiernus parochus Petrus Mondi, a quo sui fideles stipem quaeritare saepius coguntur, quin tamen ipse eorum indigentiis praesto semper esse possit, supplere petit ab EE. VV. ut suae parochiali praebendae uniatur simplex beneficium sub nomine s. Stephani, quod nunc possidet sacerdos Joannes de Bonis, aetate jam confectus, utque ejus unio modo decernatur exsecutioni vero tradatur quum professor decesserit. Redditus enim suae paraeciae solutos omni onere constituendos esse in annuis scutatis nummis quinquaginta quinque et obolis septuaginta 'octo, beneficii vero in scutatis novemdecim et obolis nonaginta octo, detractis item oneribus.

Archiepiscopus sententiam rogatus haec refert: »Simplex beneficium sub invocatione s. Stephani, quod suae praebendae priorali uniendum nunc pro tunc exorat praefatus Prior Mondi, mòdo pacifica possessione regitur a sacerdote Joanne de Bonis, ex quo annuum fructum percipit, detractis oneribus tributi et census, scutorum novem viginti et obolorum nonaginta octo, ut liquet ex peritia Angeli Valentini.

Capitulares evehunt praebendae prioralis redditus ad scutata centum viginti, subductis vero oneribus et solitis tributis ad scutata sexaginta, a quorum sententia abhorret ipse Prior Mondi, qui redditus annuos omni onere exemptos ad scutata quinquaginta quinque et obolos septuaginta octo coercet.

Prioralis paroecia ingenti exundat pauperum turba, quae tertiam ferme parochianorum partem exsequat quaeque, ut egenorum mos est, priorem queribunda et clamosa circumstat, ab eoque quotidianam stipem quaeritet, unde fit, ut nisi necessaria, opportuna saltem et ad sublevandam inopiam exoptanda esset praedicti beneficii unio expetita. Nemini infertur praejudicium, cum omnino sit liberae collationis omnique expers jurepatronatu tam activo quam passivo. Irrito conatu, quamvis solerti usus diligentia

perquisivi in hoc cancellariae archiepiscopalis archivio et Montis Falchi praefati beneficii fundationis instrumentum. Extant tantum processus et bullae collationum, quae nullum tradunt fundatoris indicium. Cumque de re agatur admodum antiqua, excedit omnino ex hominum memoria. Quibus expositis mentis meae sensum obsequentissime aperiendo Prioris Mondi preces exaudiendas et unioni beneficii indulgendum censeo, statuta tamen lege, ut onus Priori et successoribus injungatur distribuendi quotannis pauperibus parochiae familiis pro eleemosyna aliquam pecuniae summam non minorem scutorum decem juxta prudens ejus arbitrium et conscientiam, cujus erogationis reddenda Archiepiscopo pro tempore ad ejusdem nutum fidelis ratio expressis inopum nominibus, quibus fuerit collatum subsidium.

Quumque per errorem parochus dixerit in precibus beneficium erectum esse in ecclesia collegiata, hinc Archiepiscopus capituli sententiam exquisivit. Capitulum confirmans tenuitatem reddituum parochiae magnumque numerum egenorum, quibus ea redundat et quibus pastor opis aliquid afferre necessario debet, addit hoc beneficium non esse fundatum in sua Collegiata neque certo sciri ubi id factum sit, se autem assentiri ut petita unio concedatur, quum ex ea nemini praejudicium irrogetur.

Demum Datariae apostolicae ministri, quorum sententiam sciscitatus est egregius decessor meus nunc in amplissimum hunc senatum meritissimo adscitus, declarant, hoc beneficium simplex esse et liberae collationis, unioni tamen dissentire videntur, quia hujusmodi beneficia in immensum nunc sunt imminuta.

Agitur de unione beneficiorum a qua generatim abhorrent sacri canones, *Cap. 1. Ex parte 12 de constit.* quum, ut bene advertit *Engl. jus canon. lib. 3. tit. 12. num. 9.*, suppressionis quaedam species sit unio beneficiorum, nam facta alteri accessorie et perpetuo operatur exstinctionem et suppressionem nominis et tituli beneficii uniti. Hinc imminutionem ac detrimentum patitur cultus divinus: hinc redditus minuuntur pro alendis clericis pauperibus, qui succrescunt in spem vineae Domini excolendae. Quod sane incommodum post anteactas calamitates in immensum excrevisse omnes norunt. Quare s. Congregatio his insistens principiis beneficiorum unionem saepe denegavit, ut videre est in *Melphiten. 3. Dezemb. 1740* et in *Sarnen. 20. Maji 1747.*

Ceterum ob congruae parochialis tenuitatem s. Congregatio concessit hanc unionem in *Reatina 16. Jan. 1819.**) In qua autem summa sit determinanda haec congrua Concilium Tridentinum non definivit, sed eam Episcopis taxandam reliquit. S. Pius V. constitutione: »*Ad exequendam*« edita die 1. Nov. 1567 jussit, ut pro Vicariis perpetuis non foret minor scutatis quinquaginta neque major scutatis centum, quam constitutionem pertinere dumtaxat ad Vicarios perpetuos illarum ecclesiarum parochialium, quae aliis ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis unitae sint, declaravit Innocentius XIII. constit. »*Apostolici Ministerii*« confirmata a Benedicto item XIII. et inserta in concilio romano *appendice num. 16. fol. 220 §. 10.* Sacra vero Congregatio, licet plerumque parochialem congruam in scutatis centum definiendam dixit, ut in *Civitatis Çastellanae 24. Novembris 1821*, tamen constanter tenuit, antequam de insufficientiae congruae parochialis feratur judicium, prae oculis habendas esse circumstantias loci, onerum, numerum animarum et consuetudines regionis, et coercendam intra limites moderatae tantum honestaeque conservationis, ut todidem verbis rem explicat in *Tusculana 21. Julii 1827*, idemque jam declaraverat in *Nepesina Restaurationis ecclesiae 31. Augusti 1721. § 9.***)

Jam vero parochia Montisfalchi posita est in regione montana constatque incolis bismille quingentum, quorum plerique adeo sunt pauperes ut parochum queribundi et clamosi circumstent ab eo quotidianam stipem quaeritantes: utor verbis Archiepiscopi. Tam magnus animarum numerus ac necessitas iis subveniendi non levis momenti ratio esse videtur quapropter beneficii unio concedatur ad congruam augendam et tot egenorum inopiam sublevandam. Praesertim quia ex hujus beneficii unione nemini praejudicium irrogatur, quum illud simplex sit ac liberae collationis.

Si petitae unioni annuendum censeant EE. VV. illud erit perpendendum, num probari debeat conditio ab Archiepiscopo proposita, videlicet ut parocho et successoribus injungatur onus distribuendi quot-

*) Vd. *p. 967.*
**) Vd. *Congrua.*

annis pauperioribus paraeciae familiis pro eleemosyna aliquam pecuniae summam non minorem scut. decem juxta prudens ejus arbitrium et conscientiam, cujus erogationis reddenda sit Archiepiscopo pro tempore ad ejusdem nutum fidelis ratio, expressis inopum nominibus, quibus fuerit collatum subsidium.

Hinc dirimere dignabuntur

Dubium:

An et quomodo indulgenda sit unio beneficii in casu?

S. C. resp.:

Consulendum SSmo pro unione.

Ex Audientia SSmi 20. Decembris 1834.

SSmus mandavit: Non expedire et notificatur ministris Datariae apostolicae.

Die 20. Dec. 1834.

VII. *Cum monasterio Monachorum.*

Vd. *Benef. saeculare* p. 868; supra n. II. p. 1018.

Aurien.

Extat in civitate Aurien. collegium societatis Jesu aeque necessariis aedificiis ac redditibus destitutum, ut ne vix hi quidem expleant annuam summam ducatorum 300 auri de camera aegre sufficientem septem alendis presbyteris, quorum dumtaxat duo grammaticis praeceptionibus instituendae juventuti operam navant, deficiente theologiae moralis institutore prout et aliis operariis sacrarum missionum, cum non levi detrimento cultioris disciplinae.

Ad hujusmodi autem indigentiam depellendam exoptarent PP. dicti collegii eidem uniri bina curata beneficia sita in eadem dioecesi, cum primum per cessum vel decessum obtinentium vacare contigerit, alterum sub invocatione s. Christophori de Scuto, quod detractis oneribus annuis potitur certis redditibus ducatorum 110 auri de camera ac 128 computatis incertis, quodque nunc obtinet Emanuel Barela, alterum vero s. Mariae de Corvillon et s. Andreae de Laxcracos illi annexo, cui quidem certi sunt redditus ducatorum 172, si qui incerti numerentur, constant ducatos 172 coaequalis monetae, cui praesens rector est Ferdinandus de Arauxo. Utrumque vero de jurepatronatus laicali comitum de Maleda et Eabada eorumque majoratibus perpetuo incorporatum.

Exercitium autem curae animarum in utroque illorum distinctim praestandum ducerent PP. antedicti per duos saeculares presbyteros vicarios perpetuos seu juxta assertum dd. patronorum praescriptum ad nutum pro tempore existentis rectoris dicti collegii amovibiles cum congrua arbitrio Ordinarii designanda ad formam constitutionis Pii V. hac de re editae, necnon onere injuncto ipsi collegio mittendi in singulos annos missionarios alternatim ad loca dd. comitum illorumque successorum in majoratibus, eisdemque eos honores et praeeminentias exhibendi, quas caeteri patroni ab hujusmodi collegiis illarum partium exigere solent.

His autem omnibus, quibus Ordinarius informare requisitus apprime suffragatur, relatis per summarium, instantibus PP. saepedicti collegii atque eisdemnet patronis visum fuit sacrae Congregationi semel et iterum instantiam rejicere.

Sed mox oratores ipsi obtinuerint causam describi in folio, quae hodie proponitur, quo EE. PP. dignentur resolvere:

An oratorum precibus sit annuendum in casu?

Sacra Congregatio distulit propositionem; die vero 26. dicti mensis respondit: Negative et amplius.

Die 12. Febr. 1707.

k) Conditiones.

Vd. *Beneficium* (unio — causae concedendi p. 962.)

Cf. Ferraris.

Ad faciendam beneficiorum unionem, praeter legitimam facultatem, requiruntur tres praesertim conditiones:

Prima conditio requisita ad faciendam legitimam unionem beneficiorum est *causa justa et praevia cognitio de ejus veritate*, *arg. cap.: Exposuisti 33 de praebend. et Clement. Si una 2 de rebus eccles. non alienand.* juncto concilio Trident. *sess. VII. de reform. cap. 6*, ubi expresse dicitur, quod uniones perpetuae . . . quae deinceps ad cujusvis instantiam fierent, nisi eas legitimis alias rationabilibus causis coram loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur ac propterea nisi aliter a Sede apostolica declaratum fuerit viribus omnino careant. Et sic tenent passim doctores.

Justa causa uniendi beneficia est ecclesiae *necessitas vel ipsius utilitas*, *cap. Exposuisti 33 de praebend.* ibi: »Si evidens necessitas vel utilitas exigat, praebendas ecclesiae tuae poteris de capellis in perpetuum annectendis eidem augmentare« et concordat *cap: Dudum 1 de rebus eccl. non alienand. in 6.*

Necessitas autem ecclesiae tunc censetur intervenire, quando praebenda, cui unio facienda est, caret sufficientibus redditibus ad alendum ministrum, cit. *cap.: Exposuisti*, ibi: »De redditibus praebendarum suarum nequeunt sustentari«: Concil. Trident. *sess. XXI. de reform. cap. 5.* ibi: »Propter eorum paupertatem.« Item, quando ecclesia est destructa ab hostibus vel desolata, *cap: quia monasterium 8 de religiosis domibus*; item quando ecclesiae sunt vicinae et restant pauci de populo, aliis mortuis, et probatur in *cap: Et temporis 16, q. 1.*

Utilitas vero tunc intervenit, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei ad deserviendum, ut habetur ex cit.: *cap.: Exposuisti 33, de praebendis.* Sic expresse tradunt *Barbos. cit. alleg. 66, n. 15 et 16; Ventriglia Prax. tom. III. annot. 8. § 2 num. 23 et alii.*

Si autem unio beneficiorum fiat sine causa vel ex causa falsa, tunc quamvis caeteroquin servata sit forma juris ipsa vel est nulla ipso jure, ut volunt probabilius *Garcias de beneficiis part. XII. c. 2. n. 113; Hojeda Tractatuum tom. XV. tract. de benefic. incompat. part. II. cap. 3. n. 16 et 19; Bursat. cons. 185 n. 13. lib. III; Barbos. cit. alleg. 66 n. 16; Reiffenstuel loc. cit. 31; Ventriglia loc. cit. n. 24* allegans Rotam et alios ac testans sic velle omnes; vel saltem irrita est ope exceptionis sicque declaranda nulla, ut tenent Marian., Socin., Rebuff., Azor et alii plures, quos refert et sequitur *Sanchez lib. VII. decal. c. 29 n. 175*, quique volunt quod Episcopus successor non possit conferre beneficium taliter unitum ante dictam declarationem.

Secunda conditio requisita ad legitimam beneficiorum unionem est, quod citentur omnes interesse habentes in dicta unione facienda eorumque consensus requiratur: Clementin. Ne in agro 1. §: Ad haec de statu monach., concil. Trident. cit. sess. VII. de reformat. cap. 6, ibi: »Vocatis quorum interest«; *Rota decis. 133. n. 4. part. 1. divers.; Seraphin. dec. 1608; Sanchez. loc. cit. n. 72* et alii passim.*)

Unde si ecclesia sit subjecta Abbati aut alii inferiori praelato non potest Episcopus eam unire absque illius consilio et assensu; *cit. Clement. Nec in agro §: Ad haec*, ibi: »Cum consilio et assensu Abbatum per locorum ipsorum Ordinarios uniantur;« *Marian. Socin. in cit. cap.: Sicut unire art. 4 quaest. 5. n. 62; Barbosa loc. c. n. 81; Reiff. l. c. n. 72* et alii passim.

Item si beneficium uniendum pertineat ad collatores vel electores Episcopos inferiores, etiam istorum consensus requiritur, quia istis grave damnum in suis juribus infertur, cum beneficium post unionem non sit amplius vacaturum, sicque ipsi amittant jus conferendi seu eligendi ratione talis unionis: *Garcias loc. cit. p. 12 cap. 2 n. 202; Rebuffus in praxi benefic. tit. Regula de unionibus, gloss. 11 n. 1 et 7; Reiffenstuel loc. cit. n. 73* et alii communiter per *text. concil. Trid. loc. cit.* ibi: Vocatis quorum interest.

Item si beneficium uniendum sit de jurepatronatus alicujus, requiritur pro tali unione facienda consensus patroni: *Communis per text. in cap: Suggestum 20 de jurepatron.* ibi: »Cum assensu patroni . . . consensu domini fundi,« *c. Patronalis 7 de donationibus* juncto Concilio Trident. *sess. VII. de reform. c. 6,* ibi: »Vocatis quorum interest,« et *sess. XXIV. de reform. c. 15,* ibi: »Cum patronorum consensu.«

Talis consensus patroni de jure communi requiritur, sive patronus sit laicus sive ecclesiasticus, ut docent communiter doctores per citata jura: aliqui tamen negant, requiri consensum patroni ecclesiastici vigore concilii Trident. *sess. XXIV. de reform. cap. 15*, nam ibi dicit: »Cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint«; per quae verba concilium a sensu contrario videtur concedere unionem posse fieri per Episcopum sine consensu patroni ecclesiastici, ut recte advertunt *Sanchez.*

*) Vd *p. 417. V.; p. 1024 II.*

cit. cap. 29. n. 185; Barbosa cit. allegat. 66. n. 31; Reiffenstuel loco cit. n. 45 et alii. Et id etiam habetur ex novissima constitutione *Benedicti XIII. incip. Creditae § 4*, ubi statuit quod »Ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint ac debeant beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam jurispatronatus ecclesiastici.«

Non requiritur tamen ad talem unionem faciendam consensus rectoris ecclesiae vel ea vacaute consensu defensoris, ejusdem textu claro in *Clementina. Si una 2 de rebus eccles. non alienand.*, ibi: »Si una ecclesia alteri ecclesiae seu dignitati alicui vel praebendae per Episcopum, suo consentiente capitulo, uniatur aut religioso loco donetur, ex eo quod rector ipsius ad hoc vocatus vel si vacabat defensor eidem super hoc datus non exsistit, nequamquam id poterit impugnari.

Et ratio est, quia rectori illius ecclesiae seu beneficii nullum infertur praejudicium, cum adhuc liber remaneat rector et possessor illius sicuti antea, ex quo dicta unio totalem effectum suum non sit habitura, nisi post mortem vel amotionem illius rectoris, argum. *cap. Consultationibus de donationibus* ac notant *Glossa in cit. Clementina si una*, verb.: *Vocatus;* et *Barbos. ibid. n. 4 et cit. alleg. 66 n. 20.* cum Cardinali Ancharan., Riccio, Garcia, Sanchez, Lotter ibi citatis; *Reiffenstuel loco cit. n. 791, Rota decis. 133 n. 14. part. II. diversor.*, et alii communiter teste *Ventriglia loco cit. §. 2 n. 16*, ubi n. 17 subjungit, quod si rector praedictus seu vacante ecclesia ejus defensor sponte comparuerit justam allegando causam contra unionem, sit audiendus, argum. *cap.: Si quis presbyterorum 6*, juncta *Glossa* verb.: *Personis de rebus ecclesiae non alienand.* Et faciunt dicta per *Barbosam lib. III. Jur. ecclesiast. univers. cap. 16 numer. 41; Garciam loc. cit. cap. 2. num. 219 et 220; Hojedam loc. cit. cap. 3 num. 9* et alios.

Neque requiritur pro tali unione facienda consensus plebis, quamvis, si sponte compareat et alleget rationabilem causam impeditivam talis unionis, sit audienda, *argum. citat. capit.: Si quis presbyterorum 6 juncta glossa* verb.: *Personis de rebus eccles. non alienand.* et tenent *Garias loc. cit. cap. 2 n. 219 et 220; Hojeda loco cit.; Reiffenstuel loco cit. n. 76; Ventriglia loco cit. n. 20* et alii ac *Rota in Gerunden. Unionis, 20. Martii 1690 coram D. Sacrato*, ubi fuit resolutum parochianos esse legitimas personas in hac causa, cum illorum intersit bonum habere pastorem.

Tertia conditio requisita ad legitimam unionem faciendam per Episcopum est consensus capituli. Communis, textu expresso in cit. *Clementin. Si una 2 de rebus eccles. non alienand.*, ibi: »Sed ut Episcopi donatio (seu unio ecclesiae pro loco facta) sit legitima consensus est sui capituli requirendus. *)

---

*) Necessario requiri consensum capituli cathedralis, dum per Episcopum fit unio beneficiorum, vel inde infertur, quod nempe cum maxima sit conjunctio Episcopi cum eodem ex hac quidem consideratione majoris et gravioris momenti negotia exigunt tractari cum dicto capitulo et de illius consensu expediri. Ampliatur responsio

1) Ut adhuc hodiedum, dum ex Tridentino datur facultas uniendi Episcopis tanquam Sedis apostolicae delegatis, adeoque etiam dum hi uniunt tanquam apostolicae Sedis delegati, requiratur hic capituli consensus, *Garcias de benefic. tom. II. part. XII. cap. 2 num. 157 et seq.* sic resolutum inquiens a sac. Congregat. Ita *Leurenius For. benefic. part. III. quaest. 914. num. 2.* Et revera sacra Cong. Conc. 20. Novembr. 1600 decrevit, ut sequitur: »Congregat. censuit: Episcopum in unione facienda vigore decreti concilii. *sess. XXI. cap. 5.* teneri adhiberi consensum capituli, quod si illum consensum in unione praetermiserit unionem nullam atque irritam esse.« Apud *Rigantium comment. in reg. 13 cancell. num. 141.*†)

Ampliatur responsio

2) Ita ut adhibitio hujus consensus requiratur pro forma adeoque ea omissa sit omnino nulla. ... Ac proinde jam etiam non sufficit adhibitum capituli consilium. *Leuren. loc. cit. num. 3.* Et ut habet Ventriglia citans etiam Barbos: »Ampliatur ut sine hujusmodi consensu capituli unio sit nulla tanquam facta forma non servata.« *Prax. for. eccles. part, II. adnotat. 8, num. 5.*

Et hic consensus non sufficit, si sit singulorum de capitulo, sed requiritur consensus capitulariter, *Rota decis. 484 num. 7, part. 1 in recent.* Sic idem *Ventriglia loc. cit. num 2.*

Quod in terminis docet *Leurenius*, dum ait: Ampliatur, ut non sufficiat consensus, si sit singulorum de capitulo, sed requiratur consensus capitulariter.« *Loc. cit. num. 4.* et ut habet *Schmalzgrueber de praebend. etc. § 5. num. 189.* »Hinc consensus a Canonicis praestari debet non singillatim et singulariter, sed ab iis simul in unum congregatis, praevio tractatu et discussione causae, propter quam unio fieri praetenditur.«

Ampliatur

3) Ut consensus capituli necessarius ad unionem sit expressus, ita ut non sufficiat tacitus, advertit *Fusch* ... Contra, nempe sufficere tacitum, defendit *Moneta* ... *Ventriglia* ibid. *num. 4.* Revera consensum tacitum non valere tenet *Leurenius loc. cit. num. 5* cui opinioni nos subscribimus; quippe cum agatur non de hujus aut illius, sed de plurium consensu, qui consensus pro forma requiritur necnon de gravioris momenti negotio, non videmus quomodo et quare hic collectivus consensus tacite habendus sit. Imo in hoc casu taciturnitas pro defectu consensus potius et ex quadam violentia argui posse videretur. Proindeque opinionem Monetae esse explodendam merito censemus. Declara, ut consensus capituli requiratur etiam in unione beneficii de jurepatronatus laicorum etiam postquam laici patroni consensum praestiterunt unioni, *Rota decis. 688, num. 2 part. 1 in recent.* et refert *Lotter. de re benefic. lib. 1 quaest. 8 num. 156.* Ita anted. *Ventriglia ib. num. 9.* Id quod in terminis tenet Leuren. dum ait: »Ampliatur ut etiam in unione beneficii, quod est jurispatronatus laicorum, etiam postquam laici patroni consensum suum praestiterunt, requiratur insuper consensus eapituli. *Loc. cit. num. 6.*

†) Vd. *supra p. 823.*

Si beneficium uniendum spectet ad collationem praelati inferioris, requiritur ultra consensum capituli cathedralis etiam consensus dicti sui praelati et sui inferioris capituli: *Barbos. lib. III. Jur. eccles. univers. cap. 16 n. 43*, et *cit. alleg. 66 n. 18; Sanchez loco cit. cap. 29 n. 167; Marian., Socin. in citat. cap.: Sicut unire 8 de excessibus praelat. art. 6 n. 95 concl. 4; Ventriglia loco cit. n. 14* et alii per text. in Concil. Trident. *sess. VII. de reform. cap. 6* ibi: Vocatis quorum interest.

Item si beneficium uniendum spectet ad aliquam Collegiatam, *requiritur ultra consensum capituli cathedralis etiam consensus capituli ipsius Collegiatae: Sellius in select. canon. cap. 34 n. 8; Ventriglia loco cit. n. 14* et alii passim per cit. *text in conc. Trid. sess. VII. de reform. cap. 6* ibi: Vocatis quorum interest.

Item, si beneficium uniendum sit de jurepatronatus, *ultra consensum patronorum requiritur etiam consensus capituli; Rota part. recent. decis. 688 n. 2; Lotter de re benefic. lib. 1. p. 8 n. 157; Ventriglia loc. cit. § 2 n. 9* et alii per *text. in cit. Clement. Si una 2 de rebus eccles. non alienand.* et cit. *cap.: Pastoralis 7 de donatoribus.*

Item requiritur *consensus capituli etiam pro unione beneficiorum simplicium facienda dignitatibus aut praebendis ipsius ecclesiae cathedralis; Ventriglia loco cit. n. 16. et* communis aliorum per jura supra adducta.

Si unio beneficii sit facienda seminario*), ultra consensum capituli *requiritur etiam consilium quatuor deputatorum* duorum de capitulo et duorum de clero juxta terminos concilii Trid. *sess. XXIV. de reform. cap. 18.* Sic declarasse Rotam et sacram Congregat. referunt *Riccius in praxi part. 1 resolut. 490 n. 3, Ventriglia loc. cit. n. 13* et alii asserentes sacram Congregationem expresse declarasse, Episcopum in tali unione teneri, sub poena nullitatis actus, requirere consilium praedictorum deputatorum, quamvis illud sequi non teneatur. **)

Si capitulum vel alii, quorum interest, sine justa causa consensum praestare nolint, possunt ad id compelli per superiorem, *Barbos. cit. lib. III. cap. 16. n. 43* et *de Canonicis cap. 42 n. 13; Reiffenstuel loc. cit. n. 78; Ventriglia loc. cit. § 2 n. 12* et alii passim.

Imo quando evidens causa necessitatis subest, potest talis unio fieri etiam ipsis invitis: *Sanchez. lib. VII. in decalog. cap. 29 n. 165; Reiffenstuel loco cit. n. 78; Pirrhing. lib. III. decret. tit. 5 n. 210* et alii. ***)

Non requiritur tamen, quod talis consensus necessario interveniat ante vel in unione, sed sufficit etiamsi interveniat post

---

*) Vd. *p. 989 n. XI.*

**) Ventriglia cujus opinionem fortiter tuetur *Leurenius For. benefic. part III. quaest. 914. num. 2.* utique tenet, in unione beneficiorum facienda seminario, praeter consilium quatuor deputatorum requiri quoque consensum capituli. »Declarat sic Ventrigl. quod ultra consensum capituli requisitum ad omnes uniones in unione facienda seminario requiritur etiam consilium quatuor deputatorum.« *Prax. for. eccles. part. II. annot. 8 n. 13.* At Bened. XIV. videtur sentire consensum capituli ex Tridentino non requiri, atque ad illud affert s. Cong. Concil. decretum in *Ferrarien 3. Mart. 1584*, in haec verba: »Sacra etc. censuit in unionibus beneficiorum faciendis seminario satis esse servare formam traditam a concilio *cap. 18. sess. XXIII. de reformat.* nec requiri consilium capituli,« *de synod. dioeces. lib. IX. cap. 7 n. 2.*

***) Quodsi capitulum requisitum nollet absque legitima causa praebere consensum, posset Episcopus procedere ad unionem sine illo consensu, cum Episcopus privandus non sit potestate uniendi quam habet ob contradictionem irrationabilem capituli... Quod si tamen justa est causa contradicendi Episcopo unionem molienti, unius de capitulo contradictio sufficiet ad impediendam unionem.« *Castrop., Sanchez, apud Leurenium For. benefic. part. II. quaest. 914 n. 10.*

unionem dummodo antea lis non fuerit incepta: *Barbosa de Canonicis et Dignitatibus cap. 42 n. 8* et cit. *lib. III. Jur. eccles. univ. cap. 16 n. 45 et cit. alleg. 66 n. 22* cum pluribus ibi allegatis et testans de communi *Reiffenstuel loco cit. n. 78*; *Pirrhing. loco cit. n. 210; Ventriglia loco cit. n. 8.* dicens hanc esse communem apud omnes, et alii passim, argum. *cap.: Cum nos 3 de his, quae fiunt a majori parte capituli* et *cap.: Cura pastoralis 11* de jurepatronatus.

Imo talis unio fieri potest sine requisito tali consensu, si adsit alicubi consuetudo legitime praescripta ipsam faciendi sine requisitione dicti consensus: *Fuschus de visitatione lib. II. cap. 26 sub n. 5.*; *Petrus Gregorius de benefic. cap. 20 n. 6*, *Garcias loco cit. cap. 2 n. 152 et 153; Barbosa de Canonicis et Dignitatib. cap. 42 n. 9 et cit. alleg. n. 23; Riccius resolut. 388 n. 4; Ventriglia loc. cit. n. 11.* testans ita tenere doctores communiter.*)

Ubi adest consuetudo requirendi talem consensum, si unio fiat sine requisitione consensus capituli, patronorum aut quorum interest est invalida cum in tali casu facta sit non servata forma: *Riccius in praxi cit. resolut. 388 in princip.*: *Barbosa de Canonicis et Dignitatibus cap. 42 sub n. 8*; *Garcias loco cit. n. 166 et 205 cum sequent.*; *Ventriglia loco cit. n. 5*; *Reiffenstuel l. cit. n. 74* et alii passim per text. in *cap.*: *Pastoralis 7 de donationibus* et *Clement. ultima de rebus eccles. non alienand.* et favet Concil. Trident. *sess. VII. de reform. cap. 6*, statuens quod uniones viribus omnino careant »nisi eas ex legitimis causis coram loci Ordinario vocatis quorum interest verificandis factas fuisse constiterit.« **)

---

*) Sufficit pro hujusmodi consuetudine, quod lapsum sit tempus 40 annorum, quemadmodum docent *Garcias de benefic. part XII. cap. 2 num. 156*; *Leuren. For. benefic. quaest. 914 num. 9.*

**) Dubitant DD. quisnam possit allegare hanc nullitatem ob defectum consensus capituli. Dicunt aliqui solum capitulum, cujus consensus non fuit adhibitus, posse allegare hanc nullitatem ... Nihilominus contrarium nempe, quod haec nullitas opponi possit, non solum per ipsum capitulum sed per quemlibet alium cujus interest et verior est et probatur, nam hic consensus ad unionem non requiritur ob favorem capituli, cum de ejus interesse non tractetur, sed requiritur pro solemnitate et forma . . . Et hanc sententiam secuta est *Rota decis. 247 num. 5 part. 1 divers.* et in *Vercellen. Unionis 23. Aprilis 1610 coram Cardin. Lancelloto junior.* Ita *Ventriglia Prax. for. eccles. part. II. annotat. 8 § 2 n. 6.*

Ex concilio Tridentino permissum est Episcopis unire beneficia nempe:

I. Pro erectione et sustentatione seminarii: cit. Trident. *sess. XXIII. c. 18. de reformat.* (Vd. *p. 989 n. XI.*)

II. Pro paupertate ecclesiarum parochialium aliorumque beneficiorum animarum curam adnexam habentium; ex eod. concil. *sess. XXI. cap. 5.* (Vd. *p. 965. I; 978 VI; 985. VIII.*)

III. In casu tenuitatis praebendarum simul cum distributionibus quotidianis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus: cit. concil. *sess. XXIV. cap. 15.**) (Vd. *p. 971. III; 972. IV; 974. V; 984. VII; 1004. I.*)

IV. Pro erectione poenitentiariae in cathedralibus ecclesiis. Conc. Trid. *sess. XXIV. cap. 8.* (Vd· *p. 994. XV. p. 1038 c.*)

---

*) Ad tramites hic supra recensitae conciliaris dispositionis ut deveniri possit ad beneficiorum unionem in quotidianarum distributionum augmentum requiritur copulativus concursus tenuitatis tum earumdem distributionum tum praebendarum quemadmodum clare indigitant verba illa Concil.: Tenues sint praebendae simul cum distributionibus quotidianis; nec sufficit quod distributiones sint tenues quando pinques sunt praebendae, ut ex mente s. Cong. probant *Garcias . . . Ventriglia . . . Barbosa . .* ; *Rota decis 281 n. 4 p. IX. t. I; decis. 453 n. 8 ead. part. IX.* Sed in casu, quo distributiones sunt tenues, pingues vero praebendae, tunc ad occurrendum tenuitati distributionum conc. Trid. aliud mandat adhiberi remedium, videlicet quod ex fructibus praebendarum aliorumque proventuum ecclesiae separetur per Episcopum tertia pars convertenda in earumdem distributionum augmentum, quod sane remedium adhibendum esse censuit s. Congregat Concilii in *Hieracen* . . . his verbis: Cum *sess. XXIV. cap. 5.* caveatur Episcopum cum consensu capituli, ubi tenues sunt praebendae, posse aliqua beneficia simplicia unire praebendis, an similiter possit unire aliqua beneficia simplicia, ubi praebendae sunt tenues aut nullae in capitulo, distributionibus quotidianis cum distributiones sint in ecclesia tenues? Congregatio censuit: Posse ex decr. conc. *sess. XXIV. c. 15* quando scilicet et praebendae et distributiones sunt tenues, at ubi solae distributiones sunt tenues uti dumtaxat posse remedio decreti *sess. XXI. cap. 3.* Ita *Riganti ad regul. 13. cancell. n. 147 et seq.* (Vd. *p. 823.*)

Hic nota, quodsi Collegiatae non sunt cathedrales vel insignes, non habet locum hoc cap. *(cap. 15 sess. XXIV.)* nec Episcopus (in hoc casu) vel visitator apostolicus potest exstinguere praebendas ut augeantur distributiones.« Sac. Congreg. Concil. apud *Bellarminum in declarat. ad concil. Trid. c. 15 sess. XXIV. de reformat.*

V. Pro instituenda theologali in Cathedralibus ac etiam Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido; cit. concil. *sess. V. cap. 1.* (Vd. *p. 994. XV.*; *p. 1038. c.*)

Jam vero in primis tribus casibus ex eodem Tridentino locis citat. permissum est Episcopis unire beneficia etiam apostolicae Sedi reservata vel affecta.*) At quoad seminaria secus obtinuit ex decreto *Clementis VIII. 26. Febr. 1622.* et sac. Congregat. decisionibus.

An vero pro paupertate parochialium ecclesiarum et distributionum et praebendarum in Cathedralibus et Collegiatis insignibus possit Episcopus unire beneficia apostolicae Sedi reservata vel qualitercunque affecta Rigantius, duce Fagnano, affirmativam tenet per haec verba: »Caeterum quoad uniones in duobus mox recensitis casibus explendas, sive ecclesiis parochialibus, vigore *cap. 5. sess. XXI.*, sive praebendis canonicalibus in augmentum quotidianarum distributionum, vigore alterius *capitis 15 sess. XXIV.*, salva etiam hodie remanet Episcopis facultas uniendi beneficia, unionis tempore Sedi apostolicae reservata et affecta, cum facultas hujusmodi sublata non sit per laudatum decretum Clementis VIII., quod unice prohibet uniri seminariis beneficia, quae certe sunt unionis tempore reservata et affecta, non autem in caeteris casibus a concil. permissis ut advertit *Fagnanus in cap.: Sicut unire 37 fin. de excessibus praelator. cit. Comment. ad regul. 13. cancellar. n. 162.* **)

---

*) Vd. *p. 366 n. 11.*

**) Doctissimus Giraldi de hac re dubitare sane videtur, vel potius negativam tenet. En ejus verba:

»An Episcopus vigore hujus Trident. decreti unire possit ecclesiis parôchialibus ob illarum paupertatem beneficia Sedi apostolicae reservata vel affecta: *Fagnanus in cap.: Sicut unire 8 de excessibus praelator. lib. V. decretal. a n. 22 ad 37*, solidissimis rationibus probat posse, quamvis in regestis sac. Congregationis legatur sequens quaesitum et responsum sub die 24. Augusti 1605. Quaeritur: An cum Episcopus erexit in parochialem beneficium simplex, si dictum beneficium sit reservatum Sedi apostolicae, succedente illius vacatione, erectio sortiri debeat suum effectum vel potius suspendi? Congregatio censuit: Executionem non posse suum effectum sortiri, obstante reservatione.« Ita *Giraldi Exposit. jur. pontif. part. II. sect. 57 p. 878 ad sess. XXI. concil. Trid. cap. 5.*

Quoties vero de instituenda poenitentiaria aut theologali agatur, quia concilium non indulsit Episcopis facultatem uniendi in hisce casibus beneficia reservata et affecta invaluit opinio non posse illos ad unionem praebendarum apostolicae Sedi reservatarum vel affectarum devenire, ex ratione, quod concilium, ubi voluit beneficia reservata comprehendere, expresse id declaraverit, ut in tribus casibus supra recensitis. *Rigantius loc. cit. n. 164, 167.*

Limita pro erectione hujusmodi poenitentiariae et theologalis in Cathedralibus Italiae insularumque adjacentium, ex constitutione Benedicti XIII. incip.: *Pastoralis.*

Tandem ut hanc materiam plenius persequamur quaeres an Episcopus unire possit beneficia ob ejus negligentiam Sedi apostolicae devoluta; *Barbosa Jur. eccles. univ. lib. III. c. 16 n. 31* partem affirmativam tuetur per haec verba: »Beneficia quoque suae dioecesis non exempta unire potest Episcopus, quamvis eorum collatio ob Episcopi negligentiam devoluta esset ad Papam, quod alio jure devolvatur, alio autem uniatur. Devolutio enim concernit titulum impeditque ne illud Episcopus in titulum dare valeat; unio autem respicit proprietatem.« At contra censuit sacra Congregatio Concilii, Episcopis jus non esse devoluta ad Sedem apostolicam beneficia uniendi, tanquam affecta et reservata in ipso unionis tempore. Apud *Rigantium loc. c. num. 122.**)

Hic etiam: »Quaero an ecclesiae quae noviter in parochialem erigitur possit Episcopus unire aliquem ex canonicatibus ecclesiae matricis in vim concil. *Trid. cap. 4 sess. XXI.* Decretum *dict. cap. 4* nihil de unione dicit nec sub illis verbis debet includi facultas supprimendi canonicatus ecclesiae matricis et illos uniendi Ecclesiae noviter erectae, et cum erectiones novarum ecclesiarum debeant fieri cum minori praejudicio antiquarum ecclesiarum quam fieri possit, credendum non est concilium voluisse ab ecclesiis antiquis subtrahi posse non solum partem reddituum, sed etiam titulos beneficiorum et numerum ministrorum diminui, quod tenderet ad diminutionem divini cultus.« Ita *Fagnanus ad cap: Ad audientiam de eccles. aedific. n. 56. 57.* quod ex *Trident. sess. XXIV. cap. 13* obscure colligitur.

*) Verum Leurenius cum Azor, Lotter, Garcia aliisque apud eumdem rite censet »posse Episcopum beneficia devoluta ad Sedem apostolicam unire etiam postquam casus devolutionis contingit, non quidem, ut unio mox habeat effectum suum, sed ut is suspendatur pro tempore provisi a Papa seu usque dum beneficium devolutum collatum alicui a

Jam vero, expositis causis, ob quas permittitur Episcopis a concilio Tridentino fieri beneficiorum uniones, aliae quoque exceptiones admittuntur pro ejusmodi unione legitimanda.

Nempe: »Excipiuntur uniones expletae ex causa necessaria, quales sunt illae factae ecclesiis et piis locis ob necessitatem servitii earumdem et ne propter reddituum tenuitatem debito servitio destituta remaneant.« *Riganti ibid. n. 173.* Et quidem haec praecisa necessitas requiritur quoad ecclesiam, ne propter tenuitatem reddituum deficiat, qui velit beneficium acceptare et ecclesiae deservire, non autem respectu beneficiati ejusque commodioris sustentationis; uniones enim hoc solum intuitu expletas obnoxias esse censura regulae 13.*) cancell., utpote nulliter factas tradunt DD. et Rota apud eumdem *Rigantium ibid. n. 174.*

Sic etiam legitimantur uniones in divini cultus augmentum. »Id quod (*ex eodem Rigantio l. c. n. 177* cum com. DD.) locum tantummodo sibi vindicat, dummodo augmentum cultus divini sit necessarium, ita ut aliter ecclesia debito servitio destitueretur . . . ubi quod non sufficit necessitas moralis pro ecclesiae majestate et decentiori cultu . . . Hinc, cum clar. mem. Cardinal. Jesualdus Hostien. et Veliternen. Episcopus pro servitio et decore ecclesiae cathedralis duas in ea erexisset portiones pro duobus presbyteris . . . dictisque portionibus nonnulla univerit et incorporaverit beneficia itidemque mensae capitulari alterum univerit beneficium annui redditus ducatorum quindecim pro faciliori duorum cantorum manutentione, orta fuit controversia, an praefatorum beneficiorum unio, quae ad majorem cautelam a san. mem. Clemente VIII. auctoritate apostolica approbata et confirmata extiterat quaeque suum sortita fuerat effectum, revocata remanserit per hanc regulam 13. Cancell. ita ut eorumdem beneficiorum collatio ad Sedem apostolicam spectaret? Et pro veritate consultus affirmative respondi pro unione facta mensae capitulari pro manutentione cantorum non enim expleta dici poterat in augmentum cultus divini ex causa necessaria, quia Canonici ipsi aut tenebantur per se cavere aut ex propriis redditibus musicam manutenere proindeque non resultabat ex unione praefata tale augmentum cultus divini, ut non esset locus regulae juxta punctualem decisionem 621 num. 13 et 16 coram Rembald.«

Denique illud omittendum non est, quoties Ordinarius univerit beneficia contra formam a concilio Tridentino sancitam ac praescriptam, talia beneficia remanent reservationi apostolicae obnoxiae, vigore reg. 1 cancell. apostolicae.*) Haec enim regula generaliter reservat beneficia, de quibus ordinarii collatores disposuerint et disponent et dispositum fuerit contra formam decretorum Concilii. Et ita resolutum fuit a Congregatione Datariae die 22. Dezembris 1703. *Rigantius ad regul. 1. cancell.* §. *10 n. 41, 42.*

Papa denuo vacet.« *For. benefic. p. 902. n. 2.* Quae quidem sententia utut Ventriglia refragetur, nobis placet cum nullum ex unione in hoc sensu praejudicium Sedi apostolicae afferatur.

*) Vd. *p. 823.*

*) Vd. *supra p. 818.*

l) Consensus.

I. *Capituli.*

Vd. *Benef.* (unionis conditiones p. 1020 §: *Tertia.*)

II. *Interesse habentium.*

Vd. *Beneficium* (unio, causae concedendi p. 962; conditiones p. 1019 §: *Secunda.*)

Civitatis Castellanae.

Quamquam a jure expresso *in cap.*: *Ex parte 12 de constit.* prohibita sit praebendarum suppressio et unio, quia importat totalem praebendae extinctionem ac proinde cultus divini imminutionem, attamen justis concurrentibus causis permittitur suppressio ac unio, ut docent *Garz. de benef. part. ultima cap. 1, Reiff. in lib. 3. decretal. tit. 12. § 3. num. 32 et seq.* Inter justas causas recensetur a Tridentino tenuitas praebendarum quod tunc Episcopis facultatem concedit *cum consensu capituli et patronorum si praebendae sint jurispatronatus* reducendi has ad minorem quantitatem ac superextantibus uniendi suppressarum redditum, *sess. 24. cap. 15 de reform.*, s. Congregatio hac ipsa de causa ut in *Urbevetana Reductionis et applicationis die 6. Martii hujus anni ad 1. dub.* concessit reductionem.

Die 20. Novb. 1819.

III. Patronorum.

Vd. *Benef.* (unio concessa p. 965; causae concedendi p. 962; conditiones p. 1018; unio non concessa decr.: Vico-Equensis §§. *De necessitate* p. 1004; *Duo itaque* p. 1005.

m) Consuetudo quoad unionem beneficior.

Vd. t. II. p. 1022. §: *Imo.*

n) Definitio.

Unio est beneficiorum seu ecclesiarum ab Episcopo seu alio superiore ob utilitatem seu necessitatem ecclesiae facta annexio. *Est in re communis.*

Praenestinen.

Unio beneficiorum est quaedam suppressionis species seu beneficiorum ab Episcopo vel alio legitimo Superiore facta adnexio. Per hanc unionem mutatur status et natura beneficii, adeo ut licet antea fuerit ecclesiasticum beneficium per se subsistens per unionem praedictam desinat esse tale et fiat pars alterius, cui unitum fuit; et hac ratione beneficium unitum mediante unione desinit esse beneficium atque amittit nomen beneficii et inducit naturam alterius, cui (id est Canonicatui Zancati) unitur et accrescit. *Reiffenst. de unione Benef. tom. 3 lib. 3. tit. 12* §. *3. n. 45.*

Die 25. Maji 1833.

o) Derogatio.

Vd. *Beneficium.* (reserv. SS. Pontif. juxta regulas cancellariae n. XIII. p. 823.)

p) Dissolutionis causae.*)

Maceraten.

Cum perfecta sit fabrica et expensis fere in totum satisfactis, si quae reliquae sunt insolutae adsunt media ut solvantur, omnino cessat causa, ex qua unio tum necessaria visa est. Si itaque cessante causa effectus quoque cessare debet, *cap. 6 de appellat.*, et omnis res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur, *cap. 1 de reg. jur.*, sequeretur profecto, ut quantumvis imo exequutioni demandata fuisset, attamen cessante causa quae unionem suasit haec omnino resolveretur, ut *ad tex. in cap. ultim. de paroch.* docent *Rebuff. in praxi tit. de revoc. union. num. 1 seq. et num. 16, Garz. de benefic. part. 1 cap. 2 num. 303. et 305., Pignatell. consult. 230. num. 11 in fine, Reclusio de re paroch. part. 1 tit. 12 n. 100.* Et sacra *Rota cor. Seraphino decis. 428. num. 10 decis. 185. num. 6 et 7.*

Die 25. Novembr. 1816.

Unionem beneficiorum dissolvere et revocare potest omnis, qui potuit illam facere: *Communis, argum. cap.*: *Omnis res 1, de regul. juris*, ibi: Omnis res per quascunque causas nascitur per easdem dissolvitur.

Et Episcopus dissolvere potest non solum unionem a se factam vel a suo Praedecessore sed etiam illam factam a Papa ex ordinaria potestate, non tamen factam a Papa ex plenitudine potestatis: *Garcias de benef. part. XII. cap. 2 n. 304*; *Azorius Instit. moral. p. II. lib. VII. cap. 29 p. 5 et 6; Barbosa lib. III. Jur. eccles. univ. c. 16 n. 68.*

Pro dissolvenda unione requiritur, quod cesset causa, propter quam facta fuit vel alias interveniat causa necessitatis et utilitatis ecclesiae utpote quia unio redundat in majus ejus damnum, et insuper requiritur causae cognitio, consensus capituli et citatio eorum, quorum interest unionem non revocari, *Rebuff. in praxi tit.*: *De unionis revocatione n. 6*; *Azorius l. c. p. 6; Garcias l. c. n. 308; Barbosa l. c. n. 68.*

qu) Duplex.

Unio beneficiorum est duplex *alia perpetua et alia temporalis.*

Perpetua est illa, in qua exprimitur, ut perpetuo duret, *ut cap.*: *Exposuisti 32 de praebend.*, ibi: *De capellis in perpetuum uniendis*, seu quae fit ad perpetuam rei memoriam, cum hoc idem importet ac ly in perpetuum, seu quae fit ad beneplacitum Sedis apost., quia cum Sedes apost. non moriatur, talis unio durabit in perpetuum, nisi revocetur, *cap.*: *Si gratiose 5 de rescriptis in 6.*

Unio temporalis e contra est illa, quae fit ad tempus,*) v. g. ad vitam ejus cui conceditur et fit contemplatione personae;

*) Vd. *p. 823. XIII.*

*) Vd. *Benef.* (unio temporalis.)

proinde per illius mortem exspirat, *arg. cap.: Quoniam, Abbas 14 de officio delegati* cum similibus. Et talis unio in effectu est quaedam dispensatio retinendi plura simul beneficia etiam de se incompatibilia, ut patet in Germania, ubi a Sede apostolica solet aliquibus Episcopis concedi retentio plurium episcopatuum, ut notat *Fagnan. in cap.: Dudum n. 29 de electione,* ubi sic habet: »Sic videmus in Germania cum sublimibus personis non raro dispensare super retentione plurium episcopatuum etc., ut catholicam religionem expulsis haeresibus consilio, opibus et auctoritate sartam tectam tueantur. Ex hac ratione princeps elector Coloniensis ad praesens obtinet episcopatum Coloniae et episcopatum Leodiensem, Monasteriensem, Paderbornensem et Hildasimensem.« Et plures similes dispensationes refert *Ursaga tom. V. part. I. disceptat. 6.* (Vd. *p. 614. c., 731. n. 76.*)

r) Effectus.

Beneficium legitime unitum non dicitur amplius vacare necnon conferri potest, *Ludovic. dec. 77 n. 3; Gonzalez ad regul. de mensibus gloss. 4. § 7. n. 7.* et alii passim.

Uniones legitime factae sortiri debent effectum non tantum cum unita beneficia vacare contigerit per obitum, sed etiam per resignationem, eaque de re poterit Episcopus Datariam docere, S. C. Conc. *apud Garciam de benef. p. XI. cap. 4. n. 35.* et *Barbosa Summ. apostol. decis.* verb.: *Unio n. 5.*

Unde beneficium unitum non potest resignari ad favorem, non facta mentione de unione, alias resignatio non tenet et gratia est subreptitia, *Rota dec. 3 de rerum permut., in antiquis; Oldrad. cons. 237 n. 20. et seq.; Puteus dec. 357 n. 4 lib. 1; Parisius de resignat. l. VII. p. 9 n. 41 et seq.*

s) Episcopo facultas est.

Vd. *Benef.* (unio concessa p. 965; unionis causae etc. p. 962; conditiones p. 1018.)

Nepesina.

Ex Concilio Tridentino *sess. 21. cap. 5. de reform.* haec habentur: »*Ut etiam ecclesiarum status ubi sacra Deo officia ministrantur ex dignitate conserventur, possint Episcopi etiam tamquam apostolicae Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium et baptismalium et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem et in caeteris casibus a jure permissis etiamsi dictae ecclesiae vel beneficia essent generaliter vel specialiter vel reservata aut qualitercumque affecta.*«

Die 15. Mart. 1783.

Mathelicen.

S. Tridentina synodus *sess. 24. cap. 15. de reform.* hac de re sapientissime decrevit: »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis cum patronorum consensu, si de jurepatronatus laicorum sint, quarum fructus et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere ita tamen ut tot supersint, quae divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.*

Die 22. Jan. 1820.

Episcopus potest ex legitimis causis unire beneficia et ecclesias suae dioecesis, *cap.: Sicut unire 8 de excessibus praelat.; cap.: Exposuisti 33 de praebend.; cap.: Consultationibus 4* et *cap.: Pastoralis 7 de donationibus; Clementin. Si una de rebus ecclesiae non alienand.* cum similibus.

Episcopus concurrentibus tribus requisitis conditionibus potest unire beneficia suae dioecesis: *Communis per text. in cap.: Si cui unire 8 de excessibus praelat., c.: Exposuisti 33 de praeben.; cap.: Consultationibus 4 et cap.: Pastoralis 7 de donationibus; Clement. Si una 2 de reb. eccles. non alien.* cum similibus.

Episcopus non solum potest unire ecclesiam saeculari, sed etiam potest unire religioni alicui ecclesiam seu beneficium suae dioecesis: *Clem. Si una ecclesia 2 de rebus eccl. non alien., ibi:* »Aut religioso loco donetur;« *Glossa*, ibid. verb. *Donetur; Card. ibi in princ. n. 4 nota 4 et n. 11 qu. 7; Ancharan. n. 4; Imola n. 2 et 3, not. 2 et 3; et Bonifac. n. 3; Marian. Socin. in c. Sicut unire 9 de excessibus praelat. art. 4 qu. 4, 61 et 62; Calderin. cons. 5 n. 1 de rebus eccl. non alien., Barbosa citat. alleg. 66 n. 4* et ipso teste doctores in cit. *c.: Consultationibus 4, de donationibus.*

Item potest Episcopus unire beneficium devolutum ad Papam ob non factam collationem tempore debito: alio enim jure devolvitur et alio unitur, *Marian., Socin. in cit. cap.: Sicut unire n. 67 et seq.,* et ibi: *Butrius n. 10; Abbas n. 6* et *Ancharan. n. 6; Bero dec. 346 ad fin.; Azor. Instit. moral. p. II. lib. VI. cap. 48 q. 15; Sanchez cit. cap. 29 n. 129; Barbosa cit. alleg. 66 n. 5* et supra Trident. *sess. XXI. de reform. cap. 5 n. 12* et alii contra alios contrarium sentientes.

Item potest Episcopus unire beneficia Papae reservata dummodo id faciat ante ipsorum vacationem. Sic decisum fuisse a sacra Congr. Conc. referunt *Garcias l. c. p. XII. cap. 2. n. 102* et *Barbosa*, in *Summa apostolic. decis.* verb.: *Unio num. 6.*

Potest tamen Episcopus unire beneficia curata cum aliis beneficiis curatis. Item non curata cum ipsis curatis. Sic expresse Trid. *sess. XXI. de reform. cap. 5*, ibi: »Possint Episcopi etiam tanquam apostolicae Sedis delegati juxta formam juris, sine tamen praejudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium et baptismalium et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem et in caeteris a jure permissis, etiamsi dictae ecclesiae vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata aut qualitercunque affecta.«

Potest tamen Episcopus cum consensu capituli*) etiam per viam unionis perpetuae curam animarum, quae incumbit toto capitulo, transferre in certam personam seu dignitatem ejusdem ecclesiae. Sic decisum fuisse a sacra C. Concil. die 30. Martii 1594. refert *Aldan. in Compen. canon. resolut. lib. IV. tit. 8 n. 4; Garcias de benef. p. IX. c. 2 n. 190; Barbosa super Trid. sess. XIV. de reform. cap. 15 n. 16; Ventriglia l. c. n. 16* aliique.

*) Vd. *p. 1020 §: Tertia.*

Potest Episcopus canonicatus ob tenuitatem eorum supprimere et fructus suppressorum aliis canonicatibus sive praebendis vel distributionibus ejusdem ecclesiae unire; dummodo tot canonicatus remaneant, qui divino cultui celebrando ac dignitati ecclesiae commode valeant respondere.

Communis per textum expressum in Conc. Trid. *sess. XXIV. de reform. cap. 15.*

Episcopus potest unire seminario,*) ut commode regi valeat, aliquot beneficia simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, etiamsi essent reservata vel affecta sine tamen cultus divini et illa obtinentium praejudicio. Sic expresse concil. Trid. *sess. XXIII. de reform. c. 18. vers.:* Necnon beneficia aliquot simplicia; *Barbosa ib. n. 33 et de offic. et potest. Episc. p. III. alleg. 77 n. 28 et lib. III. Jur. eccl. univ. cap. 16 n. 30; Fuscus de visit. l. I. cap. 16 num. 9; Ventriglia l. c. n. 36* et alii passim. Et sic statuit novissime Benedictus XIII. const. incip.: *Creditae § 5.*

Beneficia primo vacatura per resignationem simplicem, non autem per conditionalem, in favorem certae personae unire potest Episcopus vigore concilii *cit. cap. 13.* Sic decisum fuisse a S. C. ejusdem concilii referunt *Gonzalez ad regul. 8***) *Cancell. gloss. 14 n. 13; Barbos. supra conc. cit. cap. 18 n. 47 et in summa loc. cit. num. 2.*

t) Episcopo facultas non est.

Cf. *Ferraris.*

Non potest Episcopus beneficia unire post ipsorum vacationem et si uniat, unio erit invalida et provisi a Sede apostolica mitti debent in possessionem. Sic decisum fuisse a sacra Congreg. Conc. referunt *Garcias loc. cit. n. 102* et *Barbosa loc. cit. n. 7.*

Neque potest Episcopus unire beneficia perpetuo reservata, ut sunt primae dignitates post pontificales, beneficia collectorum, familiarium et officialium curiae, *Garcias de benef. p. XII. cap. 2 n. 93 et 106; Hojeda cit. p. II. de benef. incompatib. cap. 3 n. 8; Ventriglia l. c. §. 1 n. 30* et alii.

Neque potest unire beneficia quaecumque etiam simplicia ad tempus seu ad vitam beneficiarii, sed solum in perpetuum. *Barbosa cit. alleg. 66 n. 8* et *super Trident. sess. XXI. cap. 5 n. 10; Zerola in Prax.*

*) Vd. *p. 989.*
**) Vd. *p. 820.*

Episcop. part. 1. verb.: *Unio* § *7; Azor. l. c. lib. VI. cap. 28 q. 7; Garcias cit. cap. 2 n. 84; Sanchez. cit. cap. 29 n. 152; Ventriglia l. c.* §. *1 n. 24; Reiffenst. l. c. n. 58* et alii passim.

Neque potest unire beneficia exempta a sua jurisdictione, nam hoc ipso quod suae dispositioni subjecta non sunt, non potest illa unire Episcopus, sed recurrendum est ad summum Pontificem, *Garcias cit. cap. 2 n. 62; Sanchez. cit. c. 29 n. 151; Hojeda cit. cap. 3 n. 7; Barbosa cit. alleg. 66 n. 9; Reiffenst. l. c. n. 55* et alii communiter.

Neque potest unire beneficia suae dioecesis beneficiis, monasteriis et ecclesiis alterius dioecesis. Sic expresse concil. Trid. *sess. XIV. de reform. cap. 9,* addita ratione: Ut ordo ecclesiasticus non confundatur aut una et eadem ecclesia duarum quomodo dioecesum fiat non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint. (Vd. p. 1018. n. VII.)

Neque unire potest omnia beneficia, quamvis simplicia suae dioecesis, sed tantum aliquot. Sic decisum fuisse a sacra Congr. Conc. referunt *Garcias* et *Riccius citati a Ventriglia* §. *1 n. 23.*

Neque unire potest beneficia curata monasteriis, abbatiis, dignitatibus, praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, beneficiis simplicibus, hospitalibus et militiis. Sic expresse Concil. Trid. *sess. XXIV. de reform. cap. 13* ibi: »Ecclesiae parochiales monasteriis quibuscunque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus militiisve non uniantur.«

Et parochialis unio est ita prohibita a concilio, ut neque aliqua pars ejus fructuum uniri possit prout referunt decisum fuisse a sacra Congreg. concil. *Garcias cit. cap. 2 num. 87; Barbosa cit. alleg. 46 n. 30; Ventriglia cit.* § *1. n. 33.*

Non potest Episcopus unire ecclesiam parochialem capitulo Cathedralis ob tenuitatem canonicatuum et ob difficultatem seu impossibilitatem etiam uniendi beneficia simplicia et ob id, quod non deceat eorum numerum minui juxta mentem concilii *cap. 15 sess. XXIV. de reform.* Sic referunt decisum in una *Alexandrina 30. Martii 1594, Aldan. in compend. canon. resol. lib. IV. tit. 9 n. 3 et Ventriglia cit.* § *1 n. 15.*

Imo neque potest Episcopus unire mensae capitulari beneficia simplicia, quia concilium cit. *cap. 15 sess. XXIV. de reform.* non dat facultatem uniendi mensae capitulari, sed tenuibus praebendis singulorum capitularium, sac. Congr. Concil. apud *Gonzalez ad regul. 8.**) *canc. gloss. 37 n. 25* et *Barbosa in summa apostol. dec.* verb.: *Unio n. 1.*

Et hoc quamvis in Cathedrali vel Collegiata nullae sint praebendae distinctae, sed dumtaxat massa communis capituli, cujus proventus omnes his tantum, qui statutis horis intersint, distribuuntur. Eadem s. C. Conc. *5. Febr. 1601* apud *Aldan. in compend. resol. canonicarum lib. III. tit. 31 n. 12* et *Barbosa l. c.* (Vd. *p. 1037. b.*)

Non potest unire dignitates nec in terminis concilii Trid. *sess. XXIV. cap. 13 de reform.* Sic decisum fuisse a sacra Cong. Conc. refert *Riccius in praxi p. 1 resol. 393* vers.: *Limita quarto.* Nec etiam canonicatus, nisi per modum suppressionis ut supra *Garcias ad regul. de mensibus gloss. 5* § *7 n. 64; Ventriglia l. c. n.* 21 et alii passim.**) (Vd. *p. 820. n. IX.*)

---

*) Vd. *supra p. 820.*

**) *Leurenius For. benefic. part. III. quaest. 897* haec habet: Ad dub.:

An et a quo primae dignitates in Cathedralibus et principales in Collegiatis uniri possint?

Respoudeo: Eas uniri posse aliis sed nonnisi a Papa. Castropa., Azor....

Notat etiam *Fagnanus in c.: Cum accessisent* de constitution. n. 6 et 7 quandoquidem conc. Trid. *sess. XXIV. cap. 15* tantum faciat mentionem de suppressione cujuspiam praebendae seu canonicatus, casus autem suppressionis dignitatis sit omissus, quod idcirco ob tenuitatem reddituum non possit supprimi dignitas ecclesiae cathedralis vel collegiatae insignis absque speciali Sedis apostolicae auctoritate seu licentia. Nam salva circa hoc manet dispositio juris communis, de qua fit mentio cit. *cap.: Cum accessissent,* ubi suppressio dignitatis primiceriatus valere dicitur ex eo, quia fuit auctoritate Sedis apostolicae confirmata, et ita etiam sentit *Gloss. ibid.* v. *Confirmatum.* Atque a sacra Congregat. Concil. decisum fuisse refert *Fagnanus cit. n. 6 et 7.* Ita in terminis *Reiffenstuel ad tit. Ex. ut ecclesiast. benefic. etc.* § *2 n. 35.*

Sed lubet afferre quae habet *Fagnanus loc. cit.* in haec verba: »Nota legitimam causam esse supprimendi aliquam dignitatem in ecclesia, ut redditus convertantur in utilitatem Canonicorum, quibus proprii redditus non sufficiunt. ... Causa autem hujusmodi non esset sufficiens ad dignitatem supprimendi nisi etiam concurreret auctoritas Sedis apostolicae. (Hinc) cum capitulum et Canonici ecclesiae Elnen. qui obtinuerunt ab Ordinario uniri praeceptoriam ejus-

Neque potest unire beneficia capellaniis etiam Cathedralis, quae habent redditus tenues; quia concilium *cit. sess. XXIV. cap. 15* loquitur solum de praebendis. Item neque sacristiae neque fabricae. Sic decisum fuisse a S. Ç. Conc. refert *Garcias de benef. p. IX. cap. 2 n. 190* et *Barbosa supra conc. cit. c. 15. n. 13.* (Vd. p. 1030 §: *In oppido.* p. 1038. a.)

Neque potest unire beneficia de jurepatronatus vel spectantia ad inferiores collatores et electores nisi de expresso eorum consensu, alias talis unio esset invalida. (Vd. p. 1025 III.)

Neque potest regulariter unire beneficia liberae collationis beneficiis de jurepatronatus, ut expresse habetur ex concilio Trid. *sess. XXV. de reform. cap. 9* vers.: *Insuper accessiones*, ubi hujusmodi uniones subreptitiae declarantur et tenent *Leo Thesaur. for. eccles. part. XII. cap. 16 n. 14; Garcias de benefic. part. XII. cap. 2 n. 91; Riccius in praxi p. 1 resolut. 393* vers.: *Limita tertio; Ventriglia l. c. n. 28* et aliii ea ratione, ne beneficia libera in servitutem redigantur.

Dicitur autem notanter *regulariter*, quia in aliquibus casibus id potest Episcopus.

Et primo quando patroni renuntiant juripatronatus quod ab omnibus concedi debet, utpote carens difficultate.

Secundo quando concordant, ut beneficium jurispatronatus alternative conferatur una vice ad patronorum praesentationem et altera ad liberam collationem, uti decisum fuisse a S. C. Conc. referunt *Leo l. c. in fine; Sellius in select. canon. cap. 18 n. 24; Ventriglia l. c. n. 28 in fine.**)

Tertio quando ecclesia libera minatur ruinam et habet tenuissimos redditus, tunc enim potest uniri patronatae cum reservatione jurispatronatus et onere imposito patrono illam reparandi et dotandi in scutis 50, prout fuisse decisum in una Tridentina 23. Decembr. 1623 referunt *Aldan. in compend. canon. resol. lib. III. tit. 8. n. 17; Ventriglia l. c. n. 19.**)

Episcopus non potest unire beneficia dignitati, quae in ecclesia cathedrali vel collegiata non habet vocem in capitulo nec redditus ex mensa capitulari, licet deserviat in choro. Sic declarasse S. C. Conc. die 19. Decbr. 1854 ad dict.: *cap. 15 sess. XXIV. de reform. refert Ventriglia loc. cit. n. 34.*

Non potest seminario unire omnia simplicia beneficia, alias talis unio esset nulla quia concilium dicit solum beneficia aliquot. Et sic decisum fuisse a S. C. Concil. referunt *Barbosa supra Conc. cit. cap. 18 n. 35* et *cit. alleg. 77 n. 29* et in *Summa apost. dec.* verb.: *Beneficium Seminario uniendum vel non n. 7; Molphes. in Summa theolog. moral. tract. 6 cap. 14 a n. 60; Riccius* et alii.

Nec potest seminario unire simplicia beneficia ad collationem inferiorum spectantia neque canonicatus nec beneficia Sedi apostolicae reservata post illorum vacationem. Sic decisum fuisse a S. C. Conc. referunt *Barbosa supra Conc. loc. cit. n. 44* et in *Summa l. c. n. 6; Franciscus Leo in thesaur. fori eccl. p. II. cap. 16 n. 23; Molphes. l. c. a n. 62.*

Nec potest unire seminario canonicatus Collegiatarum, quamvis ex consuetudine non obligent ad residentiam. Sic decisum fuisse

---

dem ecclesiae, quae ibibi dignitas existit, eidem capitulo ob praebendarum tenuitatem, dubitassent an ea valida esset. . . . sac. Congregatio Concil. censuit non potuisse uniri dignitatem. Quamobrem cum casus suppressionis dignitatis sit omissus a concil. Trid. *sess. XXIV. cap. 15*, salva manet juris communis prohibitio.

*) Quod procedit etiam in beneficiis curatis. »Est notandum (sic ad rem *Vivianus de jurepatr. lib. XV. cap. 1 n. 17*) quod in praxi vidi servari, quando ecclesia patronata et ecclesia libera ex aliqua necessitate seu utilitate ad invicem uniuntur ab Ordinario cum patroni consensu et facultates ecclesiarum unitarum sint aequales, pro una vice confert Ordinarius, pro alia vice patronus praesentat. Ita contingit in Plebania s. Juliae de Caprona Pisanae dioecesis, quae est liberae collationis atque non habens redditus sufficientes fuit annexa et unita vicinae ecclesiae s. Martini de Cerspignano ejusdem dioecesis jurispatronatus haereditarii domini Leonis de Cambinis; nam pro una vice praevio concursu confert illust. Archiepiscopus Pisanus, pro alia vice praedicti haeredes rectorem praesentent, et sic alternatim proceditur.«

*) Haec porro apud *Ventriglia cit. prax. for. eccles. part. II. annot. 8* § *1 n. 29*: »Si ecclesia libera minatur ruinam et habet tenuissimos redditus potest uniri patronatae cum reservatione jurispatronatus et onere imposito patrono illam reparandi et dotandi in scutis 50, prout fuisse decisum in una Tridentina 23. Decbr. 1623, testatur *Aldan.* Haec decisio est fundata in necessitate reparandi ecclesiam minantem ruinam, unde est, quod si alia via posset reparari, cessat ratio dispositionis et proinde non est in servitutem redigenda.«

a S. C. Episc. in *Aquitana 27. Martii 1590* refert *Barbosa supra Conc. l. c. n. 36.*

Nec potest seminario unire beneficia regularia et quae commendata sunt seu monasterio unita aut annexa. Sic decisum fuisse a S. C. Conc. referunt *Nicol. Garcias de benef. part. XII. cap. 2 n. 210* et *Barbos. super Trid. l. c. n. 36 et 37* ubi asserit resolutum fuisse in *Caput. 26. Junii 1586* non posse uniri seminario beneficia regularia, sive dentur in titulum sive in commendam; secus vero si statum mutaverint.

Beneficiorum unio non potest fieri seminario nondum erecto, et in quo scholares actualiter non adsunt. S. C. Concil. apud *Gonzalez ad reg. 8*) canc. gloss. 5*; *Garciam l. c. p. XII. cap. 2 n. 193 et 194.*

Seminario uniri non possunt abbatiae, prioratus, monasteria consistorialia seu beneficia quovis modo apostolica auctoritate commendata, obtenta seu obtinenda per S. R. E. Cardinales seu veros et proprios Papae familiares, Nuntios apostolicos et secretarios congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt; sic novissime expresse statuit *Benedictus XIII. const.*: »*Creditae*« § 5.**)

In oppido C. dioecesis N. extat ruralis ecclesia, in qua erectum est beneficium simplex liberae collationis, quod pluribus abhinc annis possidet Franciscus presbyter alienae dioecesis quodque reddit annua scutata 130 vel 150.

Anno 1857 Episcopus dictae dioecesis N. ad preces Camerarii Capituli in actu s. Visitationis novit redditus sacristiae ecclesiae cathedralis sufficere quidem sustentandis oneribus et impensis consuetis, non tamen satis eos fuisse ad reparationes fabricae templi cathedralis, quibus indigebat. Exhibito itaque statu, quem ajunt, activo et passivo Sacristiae ex quo dicta indigentia ostendebatur procurator fiscalis curiae episcopalis institit, ut beneficium simplex dicti oppidi C. perpetuo uniretur sacristiae cathedralis ecclesiae, quae unio effectum obtineret cum beneficium simplex vacaret.

Quocirca Episcopo precibus annuente die 24. Martii 1857 hoc prodiit decretum:

»Visis videndis consideratis considerandis ad augendum splendorem et cultum hujus Cathedralis . . . auctoritate, qua in hac parte fungitur ordinaria, et in actu s. Visitationis omnia bona, redditus, fructus et proventus omnes supradicti ecclesiastici beneficii seu capellaniae . . . nunc pro tunc et quomodocumque vacare contigerit, perpetuo univit, adnexuit applicavit . . . praefatae sacristiae cum omnibus et singulis oneribus . . .«

Sed die 26. Julii 1861 decreto s. Congregationis consistorialis oppidum C. avulsum fuit a dioecesi N. et unitum perpetuo fuit proximae dioecesi B. Episcopus hujus dioecesis B. peragens s. visitationem in eo oppido in relatione quam transmisit ad S. C. C. haec inter cetera retulit: »In hac ecclesia fuit erectum beneficium non residentiale cujus possessor habens scutata 150 annua praeter obligationem consulendi manutentioni ecclesiae ac sacrae supellectili tenetur singulis sabbatis ibi missam celebrare. Modo hujus beneficii rector est sacerdos quidam (Franciscus alienae dioecesis), sed ex illius ministerio populus et agricolae nullum percipiunt spirituale bonum.« Cum autem nulla hic mentio ab Episcopo facta fuerit de unione illius beneficii sacristiae Cathedralis N. videtur ejus Episcopum B. et oppidanos adhuc latuisse.

Reapse statim ac ad eorum notitiam res devenit aegre audita est: atque inde nomine triginta circiter hominum ex primoribus oppidi supplex libellus s. Congregationi Concilii est oblatus, quo exponebatur, si decretum diei 24. Martii 1857 suum effectum obtineret, »in spirituale damnum gravissimum cessurum ejus infelicis oppidi, quod et ob aerem insanum et ob praebendarum raritatem non haberet residentes nisi tres solos presbyteros et populus in oppido permanens ascenderet ad mille habitantes et hiberno tempore ad tria circiter habitantium millia:« eo quippe confluunt sive ad colendos agros sive ad pascendas oves aliasque pecudes montani homines.

Hoc supplici libello habito s. Congregatio de more rogavit tum capitulum N. et Ordinarium tum Episcopum B., qui omnes suas adduxerunt rationes: illi pro decreti valore hic pro nullitate.

His relationibus habitis cum res in contentionem veniret, de more in secretaria

*) Vd. *supra p. 820.*

**) Vd. *Seminar. Clericorum* (erectio.)

S. C. C. editum est decretum: *ponatur in folio*, atque admonitae sunt partes ut ulteriora jura sua, quatenus vellent, coram S. C. deducerent: sed partes nihil aliud deduxerunt, praeter id quod ex prima admonitione deduxerant.

Hic Episcopus B. pro nullitate decreti contendens allegavit Tridentinum decretum *cap. 15. sess. 24. de reform.* affirmans, Episcopos posse quidem beneficia simplicia unire sed tantum pauperibus praebendis, quae sustinendo decenti beneficiatorum gradui pro loci et qualitate personarum impares sint; non autem posse unire beneficia sacristiae vel alteri simili religiosae causae: cum enim unio beneficiorum ad imminutionem divini cultus per se vergat facultatem a Tridentino Episcopis impertitam non posse ultra protendi, sed ad praebendas limitari.

Ita autem ferre canonicam disciplinam. Sane Gonzalez ad *reg. 8.*) cancell. gloss. 37 n. 25* referre, S. Congregationem Concilii denegare facultatem Episcopis uniendi beneficia mensae capitulari atque tantum comprobare unionem beneficiorum tenuibus singulorum Canonicorum praebendis: item Barbosam in *summa apostolic. decis. verb.*: Unio *n. 1*: atque s. Congregationem Concilii, ceu refert Aldam in *compend. resol. can. l. 3 tit. 31 n. 21*, die 5. Februarii 1601 denegasse annexionem, quando in Cathedrali nullae essent praebendae distinctae et omnes redditus in massam communem confluerent, quamvis hi redditus tenues evaserint; item s. Rotam et auctores Lotter. *de re benefic. l. 1. c. 29 n. 45*, Gallemart *ad cap. 15 sess. 24 de ref. n. 1;* Barbosam ad idem Concilii caput aliosque.

Ex his autem erui, beneficium non posse uniri sacristiae vel ecclesiae fabricae; ad rem Ferraris *Biblioth. can. verbo*: Unio *n. 60*: »Neque potest Episcopus unire beneficia capellaniis etiam Cathedralis, quae habent redditus tenues, quia Concilium Tridentinum *sess. 24 c. 15* loquitur solum de praebendis. Item neque sacristiae neque fabricae. Sic decisum fuisse a S. C. C. refert Garcias *de benef. p. 19 c. 2 n. 190.*«

Commemorans praeterea Episcopus B. *cap. 9 sess. 74 de ref.* quo statuitur, ne beneficia unius dioecesis uniantur beneficiis alterius, animadvertit, in censuram hujus capitis peractam unionem incidere, si effectum sortiretur ob dismembrationem ejus oppidi a primaeva sua dioecesi jam executioni mandatam.

Denique exposuit, ecclesiam illam ruralem magna indigere restauratione atque manutentione, quae tamquam onus ad beneficiarium pertinet, sublato autem eo beneficio eam vetustam ecclesiam in extremam ruinam prolabi.

Capitulum pro valore decreti contendens inquit eam unionem factam esse causa cognita, idest exposito statu activo et passivo, sacristiae, quo ostendebatur deesse redditus pro fabricae reparatione et pro decenti ecclesiae cultu: praesentes sacristiae conditiones easdem fere esse ac illae.

Concessionem unionis factam esse a legitima auctoritate et legitima forma ideoque ecclesiam cathedralem N. plenum jus habere in proventus ejus uniti beneficii. Eam unionem decretam esse tempore non suspecto idest quatuor annis ante dismembrationem oppidi: de beneficio agi non residentiali, ita ut ejus possessor neque in praesentia in oppido C. resideat etc.

Pro confirmanda sententia Episcopi B. relatum est decretum Tridentinum *sess. 24 c. 15 de refor.* quod his verbis est conceptum: »*In ecclesiis cathedralibus et collegiatis insignibus, ubi frequentes adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia non tamen regularia iis unire* . . .« Atque est animadversum, auctores praesertim Gonzalez *ad reg. 8 cancellariae* et Garcias *p. 12 c. 2 n. 171*, qui citat et exscribit Gonzalez, allegare quidem resolutionem quandam S. C. C. in *Caven.* anni 1601, sed eam in regestis S. C. non inveniri: quam resolutionem sic refert Gonzalez *loc. cit.*: »Ideo consului et obtinui in S. C. Concilii de mense Septembri anni 1601, quod unio facta ab Episcopo *Caven.* mensae capitulari de quibusdam beneficiis simplicibus vigore Concilii Trid. *sess. 24 c. 15 de ref.* esset nulla, quia dictum Concilium non dat facultatem uniendi mensae capitulari, sed tenuibus praebendis singulorum capitularium.«

Sed eandem resolutionem reperiri in *Caven.* die 23. Septembris 1609, in *l. 2 decret. fol. 66 a tergo*, quae sic se habet:

*) Vd. *p. 820.*

»*S. Congr. Card. Conc. Trid. interpr. declaravit decretum Concilii dicti capitis* (15. sess. 24. de ref.) *tribuere facultatem Episcopo uniendi simplicia beneficia singularum praebendarum distributionibus, non autem mensae capitulari, et idcirco unionem, ut proponitur, mensae capitulari ab Episcopo factam absque Sedis apostolicae auctoritate esse nullam.*« De qua resolutione fuse scripsit Fagnanus in *cap. Exposuisti de Praeb. et Dignit. n. 28—33.**)

Praeterea in hujus rei confirmationem allegata est causa *Aversana Nullitatis unionis* diei 12 Julii 1735 cujus haec est facti species: in cathedrali ecclesia Aversana hebdomadarii non habebant distinctas praebendas, sed percipiebant distributiones quotidianas, quae ascendebant ad annua scutata circiter triginta. Postulantibus hebdomadariis Episcopus, praevio consensu capituli, ut cultui divino magis consuleret, ipsis univit tria beneficia simplicia, quae possidebat quidam Michael ejusdem Cathedralis Canonicus: quamvis haec unio effectum sortiretur cum haec tria beneficia vacarent, tamen Michael reclamavit contendens, deesse unionis causam si juxta antiquum jus res considerata foret; deerat enim necessitas: re autem considerata secundum novum Tridentini jus non habere Episcopum facultatem uniendi beneficia nisi praebendis, quas non habebant hebdomadarii.

Causa denique deducta coram S. C. C. ad dubia:

I. An constet de nullitate unionis in casu?

Et quatenus affirmative;

II. An sit permittendum Episcopo devenire ad novam unionem in casu?

responsum prodiit?

Ad I. *Affirmative*;

Ad II. *Negative.*

Cum ergo in themate Episcopus N. simplex beneficium non univerit Canonicorum praebendis juxta normam Tridentini decreti non videri eam unionem posse sustineri.

Nihilominus e converso notatum est, dubitandi rationem oriri ex doctrina, quam tradit Garcias *de benef. part. ultima c. 2 n. 77 et seqq.*, quae propitia esset Episcopo N. Ita enim scripsit Garzias: »Et potest Episcopus facere uniones etiam monasteriis et locis religiosorum ut in dicto capite *Consultationibus*, cap. *Pastoralis* et Clement. *Si una,* Rota *decis. 2 de offic. Ordinarii in antiq.*, Felin. in cap. *In nostra n. 42 de rescript.*, etiamsi religiosi et monasteria sint exempta, Cald. *cons. 5 de rebus ecclesiae* Card. *in dicta Clement. Si una n. 11*, Caccialup. *art. 4. 4 q. et practicabilia Rotae sup. n. 1*, quamvis contra teneat Pet. de Perus. *c. 4 n. 10*; ac fabricae ecclesiae etiam Cathedralis, Imol. in dicta Clementina: *Si una n. 14* et in cap. *Cum accessissent n. 4 de Constit.* et ibidem Felin. *n. 22*, Rota *decis. 133 n. 6 p. 2 divers.*

Neque obstat sequens declaratio super dicto capite *15. sess. 24.* data Episcopo Tudertino: *Episcopus seu Ordinarius non potest simplicia beneficia unire distributionibus capellanorum ecclesiae cathedralis pro divini cultus augmento et similiter non potest eas uniones facere fabricae seu sacristiae ob ejus paupertatem ad ornatum et alia ecclesiae necessaria; etiam attento quod sufferat omnia onera dictae ecclesiae et parum possideat:* quia intelligenda est (*haec resolutio C. C.*) non posse Episcopum per illud decretum dicti capitis 15 et ex vi ejus facere istas uniones, cum loquatur solum de praebendis, non tamen negat id posse facere alias ex jure communi.

Quae intelligentia comprobatur ex alia declaratione super dicto capite 15, quae videtur eadem cum illa et sic ait: *Per hoc decretum non licet Episcopo unire beneficia capellaniis etiam cathedralibus, quae habeant redditus tenues cum loquatur solum de praebendis; item neque sacristiae neque fabricae.* Sed hoc erit intelligendum, quando talis unio fuit alicui ecclesiae seu religioso, ut in una *Burgensi Praestimonii* 27. Julii 1603 *coram de Lita.*«

Dubium:

An et quomodo sustineatur decretum unionis in casu?

S. Congregatio Concilii causa cognita in comitiis habitis die 24. Februarii 1872 respondere censuit: *Negative.*

Ex quibus colliges:

I. Decretum Tridentini Concilii, facultatem tribuens Episcopis uniendi simplicia beneficia praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae insignis, (si praebendae cum suis distributionibus quotidianis sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci et personarum qualitate non sufficiant), esse strictae interpretationis.*)

*) Vd. *p. 984. VII; 994. XV; 999. XVI. XVII. XVIII; 1004. I.*

II. Quare eam facultatem non protendi ad eas praebendas, quae fictione tantum juris dicuntur praebendae, idest quando consistunt in solis distributionibus quotidianis.

III. Neque protendi ad capitularem mensam, quamvis ex capitulari mensa Canonici redditus qui tenues existimantur accipiant. (Vd. *p. 1037. b.*)

IV. Multoque minus eam facultatem protendi ad cultum sacristiae vel fabricae ecclesiae. (Vd. *p. 1038. a.*)

V. Ideoque tantum Tridentini Concilii verba valere quantum exprimant, praesertim quum de re agatur, quae respectu beneficii uniendi odiosa sit atque speciem sapiat alienationis.

VI. Quare quoties Episcopus unire beneficia simplicia non possit vi dicti capitis 15 sess. 24. non aliam suppetere viam, quam imploratio facultatis a S. Sede obtinendae.

VII. In themate autem, praeterquam quod ex dictis esset unio nulla, concurrisse quoque circumstantiam, qua unio, non adhuc executioni mandata, in eum casum inciderat, a quo incipere non poterat, ex posteriori dioecesis dismembratione.

u) Extinctiva.

Vd. infra *Modi.*

v) A Legato a latere.

Legatus a latere in provincia sibi concredita potest unire beneficia dictae provinciae suae legationis absque tamen praejudicio Episcopi; legatus enim a latere potest in sua provincia omnia, quae Episcopus in sua dioecesi, *arg. cap. 1 §. final. de offic. legati in 6.* Sic tenet in *cap.: Sicut unire Abbas n. 5*; *Barbos. alleg. 66 n. 12* et *super Trid. sess. 7. c. 6. n. 17* cum Rebuff., Gambarupta, Hojeda, Azorio, Sanch., Garcia, Aloysio, Riccio, Ugolino, Lotterio ibi citatis Ventriglia et alii post *Rotam decis. 459 in antiquis alias 3 de officio* legati et alibi pluries.

w) Legitimatio.

Vd. p. 1024. §: *Jam vero.*

x) Modi.

Unio fit potissimum tribus modis, *Glossa in cap. 1* verb.: *Uniendo, ne Sede vacante*; *Gonzalez ad regul. 8**) *cancellariae, gloss. 5 § 7. n. 26, 27 et sequent.: Fag-*

*) Ante Tridentinum Concilium Episcopus poterat unire Canonicorum praebendis capellas seu ecclesias paroeciales, ut tradunt interpretes ex capite *Exposuisti de praebendis*, in quo Honorius III. ita respondit Episcopo Vesprimensi: »Exposuisti nobis, quod ecclesiae tuae Canonici, diminuta ipsorum provisione a tempore Concilii generalis (*Lateranensis sub Innocentio III.*), cum eis ex tunc non fuerint ad eorum sustentationem concessae capellae, sicut ante fieri consuevit, de redditibus praebendarum suarum nequeunt sustentari et infra. *Si evidens necessitas vel utilitas exigat, praebendas ecclesiae tuae poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem (sicut discretione praevia expedire videris) augmentare: reservata tamen congrua capellarum presbyteris portione.*« Revera Innocentius III. in Concilio Lateranensi non directe prohibuerat, ne ecclesiae paroeciales unirentur praebendis, sed consuetudinem reprobavit, qua congrua portio non dabatur Vicario, qui paroeciam administrabat, ut plenius videre est in cap. *Extirpandae de praebendis.*

Sed Tridentina Synodus in *cap. 13. sess. 24 de ref.* facultatem tribuens Episcopis augendi redditus ecclesiarum paroecialium districte prohibuit ne paroeciales ecclesiae unirentur praebendis: sic enim statuit: »In parochialibus etiam ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus si per beneficiorum unionem non tamen regularium id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione aut per parochianorum symbola ac collectas aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiae necessitate decenter sufficiat. *In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscumque aut abbatiis seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae . . . non uniantur . . .*«

Cum itaque Tridentina Synodus eas uniones paroeciarum cum praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae prohibuerit, quae adhuc post Lateranense Concilium sub Innocentio III. celebratum permittebantur, quando aderant canonicae causae evidentis necessitatis vel utilitatis, in *cap. 15 sess. 24 de ref.*, ut alius suppeteret modus, quo prospiceretur augmento reddituum praebendarum canonicalium, edixit: *liceat Episcopis cum consensu capituli vel aliquot simplicia beneficia eis unire* etc. Atque ita negata facultate uniendi ecclesias paroeciales, quae uniones non infrequentes id temporis erant, tradidit facultatem uniendi praebendis beneficia simplicia, quibus beneficiis tempore Tridentini Concilii ecclesia abundare visa est.

Cum itaque Tridentina Synodus peculiariter disposuisset de modo quo ab Episcopis augeri possint tenues Capitularium praebendae, eo ipso videtur decrevisse, vi tantum hujus capitis, quidquid fuerit de veteri jure, posse Episcopos unire beneficia simplicia praebendis et eo modo quo ipsa praescripsit. Quam sententiam s. Congregatio Concilii suis authenticis resolutionibus firmavit; quamquam celebris Garcias, re adhuc non omnino firma, insistens veteri jure, eas resolutiones coercere studuit.

*) Vd. *supra p. 820.*

nan. in cap.: Novit n. 2 Ne sede vacante; Barbosa de offic. et potest. Episcop. part. III. allegat. 66 n. 2: Rebuffus in prax. benefic. tit. de unionibus beneficior. n. 11 et sequenti, Reiffenstuel lib. III. decretal. tit. 12 n. 39 et alii passim.

Primo modo fit talis unio, cum ex duobus beneficiis fit tantum unum ita ut neutrum eorum uniatur alteri sed *ambo simul uniantur,* ut patet ex c.: *Decimas* §. *final. caus. 16 quaest. 1,* ibi: »Papa duos episcopatus in unum redigere potest.« Et talis unio praesertim fit cum duae parochiales ecclesiae vicinae et populo ratione belli, pestis et hujusmodi valde destitutae ita ad invicem uniuntur, ut ex duabus fiat tantummodo unica. Et tunc illa unica ex duabus sic unitis resultans retinet consuetudines ac privilegia favorabilia utriusque ecclesiae sic in unam redactae. Unde haec unio dicitur *extinctiva seu translativa,* eo quod ex duabus ecclesiis fiat unica tantum, sicque altera minus privilegiata extinguatur ac perimatur et in aliam magis privilegiatam ac potioribus juribus gaudentem transferatur ac cum ipsa omnino incorporetur; *Fagnan. in cap.: Exposuisti 34 de praebend.* et in cap.: *Novit. n. 3. Ne sede vacante; Reiffenstuel lib. III. decretal. tit. 12 n. 40 et 41* et alii, *arg. cit. cap.: Medicamentum de poenitent. dist. 1.*

Secundo modo fit talis unio, cum duae ecclesiae ita uniuntur, ut non coalescant sicuti dicto primo modo in unum corpus, sed *una sit superior et alia inferior ac accessoria superiori seu principaliori* et solet fieri pro augmento dotis alterius beneficii non habentis sufficientes redditus pro congrua beneficiarii sustentatione. Unde talis unio nuncupatur *accessoria seu subjectiva*, ut ex communi notant *Fagnan. in cit. cap.: Novit n. 3. Ne sede vacante* et *Reiffenstuel loc. cit. n. 42.* Sicque ecclesia accessorie alteri unita assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa; argument. *cap.: Recolentes 3* §. *final. de statu monachorum* et *cap.: Accessorium 42 de regul. jur. in 6* ibi: »Accessorium naturam sequi congruit principalis.«

Tertio modo fit talis unio, cum neutra ecclesia alteri subjicitur sicuti dicto secundo modo nec ipsae coalescunt in unum corpus sicuti dicto primo modo, sed *ambae ecclesiae ita aeque principaliter invicem uniuntur, ut ambae adhuc suum titulum atque honoris gradum retineant et solum ab uno eodemque rectore regantur* sicque adhuc remaneant duo beneficia omnino distincta, verb. grat. duo distincti episcopatus, quamvis sit unicus et idem utriusque Episcopus, *argument. cap. Et temporis 16 quaest. 1 juncta glossa ibidem* verb.: *Unire: Fagnan. in cit. cap.: Novit n. 4. Ne sede vacante; Garcias de benefic. part. XII. cap. 2 n. 37; Reiffenstuel loc. cit. n. 51* et alii. Et talis unio appellatur *unio aeque principaliter facta,* quae aliud non operatur, nisi ut rector unius sit etiam rector alterius, cum in reliquis utrumque beneficium remaneat adhuc distinctum beneficium, sicuti prius, cum propriis redditibus, privilegiis, honoribus etc., ut in pluribus episcopatibus aeque principaliter unitis et signanter in Nepesino et Sutrino; Viterbiensi et Tuscanensi; Hortano et civitatis Castellanae, Cortonensi et Montisflasconii, Lauretano et Recinatensi, Sulmonensi et Valvensi, Campaniensi et Patraniensi, Scalensi et Ravellensi, Melphiensi et Rapolensi, Adriensi et Pinnensi et pluribus aliis brevitatis gratia relictis.

y) A Papa.

Vd. *Benef. reserv. SS. Pont. juxta regul. cancell.* (praecipue reg. XIII. cancell. p. 823.)

Unire episcopatus ad solum pertinet Papam textu expresso in *cap.: Sicut unire 8 de excessibus praelat.* ibi: Sicut unire episcopatus atque potestati subjicere alienae ad summum Pontificem pertinere dignoscitur.*)

Papa non solum episcopatus sed etiam quaecunque alia beneficia unire potest cum in omnibus beneficiis plenariam habeat potestatem, *cap.: Licet 2 de praebend. in 6* et *Clement. 1.* § *final. Ut lite pendente.*

z) Perpetua.

Vd. p. 1025. *o.*; p. 1035.

aa) Principalis.

Vd. *Benef.* (unionis modi p. 1033.)

*) Tridentina synodus *sess. VII. cap. 5 de reform.* prudentissime cavit, ne quisquam plures metropolitanas seu cathedrales ecclesias in titulum sive commendam aut alio quovis nomine contra sacrorum canonum instituta reciperet aut retineret. Hoc tamen decreto non obstante salva restat auctoritas Sedis apostolicae, quae ut bene notat *Fagnanus in cap.: Quanto, de translat. Episcop.* potest concedere duos episcopatus uni Episcopo, prout de facto concedit etiam hodie ultra montes ex regulis prudentialibus, ut inquit *Card. de Luca in adnotat. ad concil.*

bb) Probatio.

Cf. *Ferraris.*

Unio cum sit quid facti non praesumitur in dubio, sed probari debet ab eo, qui factum asserit, *Rota dec. 577 n. 5 lib. III. p. III. divers. et dec. 223 n. 5 p. I. recent.* et doctores communiter.

Probatur autem unio pluribus modis:

I. Per authenticum instrumentum seu literas ipsius unionis, *Rota p. X. recent. dec. 351. n. 2 et p. XI. dec. 305 n. 2* et alibi.

II. Ex visitationibus Ordinarii, in quibus beneficium ut unitum visitatum fuit, *Rota p. X. recent. dec. 9 sub. n. 11 et 21 et dec. 48 n. 7.*

III. Ex enuntiativis antiquis et multiplicatis, *Rota recent. p. V. tom. II. dec. 441 n. 1; p. VII. dec. 50 n. 12; p. VIII. dec. 246 n. 9; p. X. dec. 152 n. 1 et seq.* et alibi.

IV. Per publicam vocem et famam et ex communi reputatione; *Rota recent. X. dec. 9 n. 6 et sub n. 21.*

V. Ex diurnitate temporis et ex longissima observantia, *Rota recent. p. V. tom. II. dec. 441 n. 4; p. X. dec. 48 n. 6; part. XV. dec. 215 n. 10.*

VI. Ex actibus jurisdictionalibus exercitis in beneficio, quod praetenditur unitum, *Rota recent. p. XVII. tom. I. dec. 32 n. 16.*

VII. Ex denominatione beneficii tanquam membri et pertinentiae alterius, *Rota recent. p. VII. dec. 50 n. II.*

VIII. Ex praesentationibus factis in vim tituli unionis, *Rota recent. p. IX. tom. II. dec. 330 n. 26.*

IX. Ex creatione vicarii perpetui cum assignatione congruae et onere solvendi certam portionem fructuum ipsi beneficio, cui unio facta fuit, *Rota recent. p. IV. tom. II. dec. 485 n. 15; p. V. tom. II. dec. 441 n. 3; p. X. dec. 152 n. 5.*

X. Si possessor unius ecclesiae percipit pacifice fructus ecclesiae unitae, *Rota recent. p. VI. dec. 18 n. 8.*

XI. Ex taxa annua illius ecclesiae tamquam subjectae alteri confirmata ab executore apostolico, *Rota recent. p. X. dec. 152 n. 8.*

XII. Ex domus et salarii assignatione, *Rota p. 10 dec. 48 n. 5.*

Montis Falisci.

Cum unio sit quid facti non praesumitur, sed probanda est ab eo, qui factum asserit, *Rota decis. 577 n. 5 p. 3 et dec. 223 n. 5 p. 1. Recent.*, praesertim cum eadem in jure pro odiosa reputetur, *Van. Espen. Jur. ecc. de unione, Turricella de unione benef. p. 3 qu. 88, s. Rota cor. Ansaldo decis. 403 n. 8.* Jam vero nihil solidum ad eam demonstrandum adducitur. Praeterea, ut unio beneficiorum legitima habeatur, praeter competentem auctoritatem requiritur consensus eorum quorum interest,*) *cap. 43 caus. 26 q. 1, Conc. Trid. sess. 7 c. 4 de reform. et sess. 24 c. 15, s. C. in Eugubina Unionis 23. Januarii 1802.* §: *Tridentinum,* necnon capituli ipsius ecclesiae, in qua facienda est unio, *Conc. Trid. sess. 7. c. 6 de ref., Barbosa de Can. et Dignit. c. 42 n. 8, Riccius in prax. res. 388.*

Probatur insuper asserta unio ex praesumptionibus et conjecturis, quibus vim magnam tribuit *Rota in dec. 6. cor. Falconerio tit. de union. benef. n. 1.* Harum prior sistit in pacifica possessione**) per plures annos, quae apostolicam dispensationem supponit; ex *Rota in rec. par. 14 dec. 298 n. 11*, praesertim si qui utraque beneficia assequutus est promotus subinde cum iisdem fuerit ad sacros ordines argumento ex *Rota in rec. par. 16. dec. 43 n. 6.* Altera oboritur ex assertione ipsiusmet Episcopi, a quo testes unionem rite factam fuisse deponunt. Nemo enim ignorat quantum adhaerendum sit assertioni Episcopi maxime Cardinalitia dignitate praefulgentis, ad *Rotam in decis. 365. cor. Caprar n. 6., Ferlin. ibid.;* multo minus autem praesumendum est Episcopum violare canonicas sanctiones ut ait Fagnanus *in cap.: Accepimus de aetat. et qualit. etc. n. 18* et alii ibid.

Die 7. Aug. 1841.

cc) Revocatio.

Vd. p. 823. XIII; p. 1036 ff.

dd) Ante Tridentini publicationem.

Vd. *Beneficium* (unio duplex p. 1025.); p. 1033 §: *Ante.*

Uniones perpetuae***) a 40 annis citra a publicatione concilii Trident. factae examinari possunt ab Ordinariis, et quae per subreptionem vel obreptionem obtentae fuerunt, irritae declarari debent. Sic expresse Conc. Trid. *sess. VII. de reform. cap. 6.*

*) Vd. *p. 1024. I. II.*
**) Vd. *supra n. X.*
***) Vd. *p. 1034.*

ee) Quae beneficia uniri possunt?

Vd. p. 508. *Paderbornen.*; p. 1010. n. II.

ff) Quoad regulas cancellariae.

Per regulam 13*) cancellariae ab omnibus Pontificibus fieri et publicari solitam postridie suae assumptionis ad Pontificatum revocantur omnes uniones, quae suum non sunt sortitae effectum ante publicationem dictae regulae: *Communis,* textu expresso in dicta *13. regula cancellariae.*

Dicitur autem unio sortita effectum quoad dictam 13. regulam et decretum concilii Trident. *sess. 1 de reform. cap. 6* et *sess. XXV. de reform. cap. 9* vers.: *Insuper accessiones,* quando ipsius vigore capta fuit possessio beneficii uniti ante publicationem dictae regulae, vel saltem in parte effectum sortita fuit tempore publicationis concilii: *Rota in Burgen. Unionis 26. Novembr. 1588 coram Orano* et communis doctorum.

gg) Subjectiva.

Vd. *Beneficium* (unionis modi p. 1033.)

Nullius trium fontium.

Beneficia et legata per subjectivam unionem extinguuntur et amplius non vacant, *Garz. de re benef. part. 12 cap. 2 n. 202, Reiffenst. lib. 3 decret. tit. 12 n. 73.*

Die 17. Maji 1828.

Anagnina.

Concludit capituli patronus unionem quae obtigit una cum domo parochiali et media parte beneficii s. Andreae subjectivam fuisse et extinctivam: unum ideo cum principali effectum esse beneficium subjectum communemque esse utriusque substantiam, *Reiffen. Jus. can. lib. 3 tit. 12 num. 46, Rota in Lavonen. Restaur. eccl. paroch.* §: *Quamvis coram Scotto.*

Die 7. Junii 1834.

hh) Temporalis.

Vd. *Benef.* (transl. temporanea decr.: *Ilcinen.* p. 958; unionis modi p. 1033.)

ii) A Vicario generali.

Vicarius generalis Episcopi non potest beneficia unire, nisi specialiter ab Episcopo committatur, *arg. cap. ult. de offic. vicarii in 6; Barbosa allegat. 66 n. 10* et *super Trident. n. 15,* cum Marian., Socin., Rebuff., Anton., Orch., Horjeda, Sbroz, Azorio, Petro de Perusio, Garcia, Aloysio Riccio, Gratian., Sanchez, Narbona, Lotterio ibi citatis, *Reiffenstuel, Theod. de Rubeis in singularibus Rotae part. II.* verb.; *Vicarius* §. *2 n. 112* allegans plures Rotae decisiones.

*) Vd. *p. 823.*

109) Unio et Translatio.

a) In commod. ecclesiae.

Vd. *Beneficium* (unio concessa; 'p. 965; non concessa, p. 1004.; suppressio p. 888; suspensio p. 914; p. 932 n. 106.)

Anagnina.

A pluribus annis corruit ruralis aedicula divo Sebastiano nuncupata extra muros oppidi del Piglio cui adnexa est capellania, quae nunc defuncto capellano vacavit. Capitulum ecclesiae archipresbyteralis s. Mariae illius oppidi quod gaudet jure nominandi capellanum postulat, ut hujus beneficii bona, ex quibus redeunt annua scuta viginti, uniantur sacrario propriae ecclesiae, quod inter postrema rerum discrimina depopulationem tulit. Ita autem unionem hujusmodi postulat, ut currat a die gratiae implementum onerum, quae constant duabus missis in die festo s. Titularis et infra triennium proximum sed ad altare divo Sebastiano dicatum erigendum in proxima filiali ecclesia s. Mariae delle Rose. Episcopus administrator affirmat *quod rationes a Capitularibus prolatae ad impetrandum gratiam plausu dignae videri possunt,* sed tamen ipse putat ex rationibus inferius recensendis ulteriorem esse suspensionem capellaniae ad certum determinatum tempus, ut ex ea diruta aedicula instaurari possit. Unio sane facienda est ubi concurrat justa et necessaria causa et ecclesiae utilitas, ut passim tradidit s. Congregatio et praecipue in *Maceraten Unionis 13. Julii 1798* et in *Romana Unionis 7. Maji 1806.* Huic sane unioni repugnaret, quod non in utilitatem ecclesiae, sed in commodum Capitularium cederet. Nam eo tendit ut opem ferat sacrario ecclesiae ad cujus manutentionem ipsi tenentur. Videant tamen EE. PP. num ex eo permittenda sit, quod ecclesia s. Sebastiani jam diruta est nec populo necessaria videtur cum in ea duae tantum missae singulis annis in die festo s. Titularis celebrentur. Quamquam vero capitulum teneatur ad manutentionem sacrarii attamen cum gravissimum in depretatione suppellectilium damnum tulerit in praeterito rerum tumultu cui reparando impares sunt Capitulares, haec unio certe videtur in utilitatem ecclesiae cui pro rerum circumstantiis opitulandum est.

Quae vero suspensioni capellaniae magis opitulentur circumstantiae ab Episcopo his referuntur verbis: *populi* (ait) *desiderium quoad rescire potui privatae unioni minime accedere, qui adhuc conqueri videtur ecclesiam ipsam tempore habili reparatam non fuisse antequam solo aequaretur. Ipsius populi erga inclytum martyrem devotio efflagitaret ut supradictae capellaniae collatio ad tempus suspenderetur donec pecuniae cumulus formaretur ad novam ecclesiam construendam sufficiens. Asserta sacristiae indigentia non satis comprobatur immo potius excluditur, statim ac vigore cujusdam decreti b. m. Episcopi Bassiani 1713 omnes beneficiati onere gravantur pro sacrarum suppellectilium manutentione. Insuper populi oblationes ecclesiae de qua agitur non desunt ac proinde oratorum preces pro praetensa unione, quae semper odiosa esset ac in themate ipsius populi fervorem non parum imminueret, eo respicerent ut sese a sacristiae manutentione Capitulares exonerarent. Ergo essem in sensu, ut si EE. VV. visum fuerit praetensa unione posthabita sub administratione vacans capellania per decennium poneretur. Nec mihi arridet capituli promissio aliquando ecclesiam s. Martyri reaedificandi. Ejusmodi enim sponsiones aut numquam aut saltem raro ad exitum perducuntur.*

Dubium proponitur:

An et quomodo sit locus unioni seu potius suspensioni nominationis capellaniae in casu?

S. C. resp.:

Affirmative ad primam partem impletis per capitulum omnibus oneribus ad formam fundationis in ecclesia s. Mariae delle Rose altare d. Sebastiano dicato modo et forma ab Episcopo administratore praefiniendis.

Die 25. Maji et 13. Julii 1816.

b) In commodum mensae capitularis.

Vd. *supra p. 971; 999 n. XVIII.*

Fesulana.

Cathedralis Fesulanae capitulum decem constat Canonicis, ad quorum aliquos cura pertinet animarum. Choro inserviunt clerici nonnulli, qui plerumque pueri sunt et adolescentes et exigua percipiunt incerta emolumenta. Alumni vero seminarii adsunt choro festis aliisque statis diebus et diebus feriatis missam quam vocant parvam tantummodo canunt, sed autumnalibus vacationibus cum in proprias secedant domos choro non intersunt.

Ex his videns modernus vigilantissimus Episcopus Fesulanus chori servitium non pro dignitate praestari Sanctissimo Domino nostro preces dedit, ut impetraret unionem ad mensam capitularem et translationem ad ecclesiam cathedralem octo beneficiorum, quae in aliis ecclesiis extant quaeque vel ad liberam collationem Episcopi vel ad patronatum capituli vel privatorum pertinent. Ex fructibus vero beneficiorum hujusmodi vacantium vel cum primum vacatura sint tres constituantur mansionarii, qui choro quotidie inserviant.

Multa s. Congregatio, cui preces hujusmodi delegatae fuere, percontata est ab Episcopo, quae ad rem dirimendam erant necessaria, quibus in remissa informatione factum est satis.

Ac primum quidem de qualitate beneficiorum, quorum unio et translatio postulatur. De qua quidem re Episcopus exhibet indicem.

Ex quibus redeunt annua scuta fere biscentum et decem, quae divisa pro stipendio inter erigendos mansionarios singulis darent scuta septuaginta. Confirmat praeterea Episcopus quae in precibus exposuerat additque: Haec omnia beneficia si ab ecclesiis *ad quas modo pertinent transferantur, tanti momenti damnum eventurum non esse affirmo, ut hoc ipsum attendere oporteat cum agatur praesertim de illa cathedralis ecclesiae necessitate, quam in in supplicibus literis monstravi etc., cui quidem consulendi nulla alia via patere mihi videtur. Compertum mihi certumque est neminem esse passive vocatum, qui de petita eorum beneficiorum translatione ac reductione conqueri possit.* Modum tandem suggerit, quo petita unio concedenda sit, quem inferius recensemus.

Beneficiorum unio, quae secumfert voluntatis commutationem, ex censura Tridentini non alio modo concedenda est, quam si constiterit de rationabili causa, quae aut

necessitatem vel utilitatem ecclesiae respiciat et auditis quorum interest, ne in alterius detrimentum cedat, ut ad censuram *text. in cap.: Exposuisti de Praeben. etc. cap. 1 de reb. eccles. non alienan. in 6 etc. et Tridentini sess. 7. cap. 6. de reform.* tradunt *Barbos. ibidem num. 71 etc., Reiffenstuel in Jus. can. lib. 3 tit. 10 § 3 num. 71 etc. 74, Pirhing. eod. loc. num. 211, Garz. de benef. part. 12. cap. 2. num. 202.* et s. Congregatio *in Firmana Translationis etc. unionis 26. Junii 1779.* Ubi vero agitur, prout in themate, de simplicibus beneficiis, quae nullum habeant praeter celebrationem Sacrorum aliud onus annexum, facilius conceditur unio etc. Tridentinum eas permittat ad augendas tenues praebendas Cathedralium vel Collegiatarum *sess. 24 cap. 15 de reform.*

Verum ne muneris mei partes deseruisse videar, duo EE. PP. observanda propono. Primum agi in re nostra non de augendis praebendis canonicalibus, sed de constituendis mansionariis, et propterea observandum erit, num dispositio Tridentini in *citato cap. 15* applicari possit ad casum, quo novae mansionariae erigi debent. Sane, si necessarium est servitium chori praecipue in Cathedralibus, si necessariae sunt (ut affirmat Episcopus) mansionariae in Cathedrali Fesulana, quo decentius chori servitium praestetur, justa videtur subesse necessitatis et utilitatis causa ad unionem perficiendam.

Deinde observandum est, beneficia hujusmodi simplicia, quae unienda postulantur, erecta esse in distinctis ecclesiis et praecipue ruralibus, ut proinde detrimentum aliquod eaedem ecclesiae capere videantur, si amittant celebrationem Sacrorum. Ex tenuitate tamen onerum cujusque beneficii colligitur unumquodque ad perpaucas missas celebrandas teneri, ita ut nec commodum populo ex eorum celebratione nec damnum ex omissione obveniat; unum enim s. Joseph quod plus omnium gravatur in scutis 24 ad celebrationem tenetur trium missarum hebdomadalium, verum huic difficultati occurri poterit, si in concedenda unione ea interponatur conditio, ut saltem per alios in destinatis ex fundatione ecclesiis missae celebrentur quas Episcopus necessarias populi commodo aut ecclesiarum cultui judicabit.

Quatenus EE. PP. unionem et translationem concedere putent, inquirendum de modo quo concedenda sit. Haec proponit Episcopus, ut tres constituantur capellani, qui ex redditibus beneficiorum uniendorum singuli percipiant annua scuta septuaginta. Onera vero imponenda essent: hujusmodi integrum servitium chori praestare teneantur capellani seu mansionarii, ut caeteri Canonici Fesulani residentes: solemni missae inservire in officio diaconi et subdiaconi et presbyteri assistentis atque ea omnia praestare, quae exigit sacrarum functionum necessitas et decus: eosdem demum subjici quoad residentiam et absentiam constitutionibus capituli Fesulani. Postulat praeterea Episcopus facultatem adigendi capellanos ad ea munera obeunda, quae in ipsa cathedrali ecclesia spectant ad spiritualem populi utilitatem, atque ut eidem liceat servata juris forma capellanos amovere quatenus indigni fiant aliosque substituere. Vestrum erit EE. PP. has conditiones examini subjicere et deliberare utrum sint admittendae.

Dubium:

An et quomodo sit locus unioni et translationi beneficiorum in casu?

S. C. resp.:

Affirmative juxta votum Episcopi satisfactis omnibus oneribus etiam per alios ad formam respectivarum fundationum sumptibus mansionariorum et accedente consensu patronorum.

Die 13. Jan. 1816.

c) In erectionem praebendarum theologalis et poenitentialis.

Vd. *p. 994. n: XV.*

Forosempronien.

In cathedrali Forosemproniensi ecclesia adeo tenui censu instructa est Canonici poenitentiarii praebenda, ut comprehensis quoque distributionibus quotidianis ad annuam quadraginta quinque scutatorum summam vix pertingat. Huic reddituum tenuitati aliquo incremento succurrere cupiens Episcopus ad hanc sacram Congregationem confugit suumque ea de re consilium sapientissimo Emorum Patrum judicio expendendum probandumque subjicit. Sex enim capellanias seu simplicia beneficia, quae ab eorum fundatoribus nuncupantur *Pellegrini, Bentivoglia, Zandri, Alarinelli, Giottoli, Taffajani*, Forosempronii dudum vacare enarrat. Ex iis quae supersunt monumentis constat hujusmodi capellaniis onus inesse missarum

458 in cathedrali et aliis ecclesiis quolibet anno celebrandarum. Quaenam initio fuerit cujusque capellaniae dos, in tenebris antiquitatis delitescit, illud tamen certum exploratumque est annuos earum redditus partim decrevisse, adeo ut in praesens vix scutata triginta quinque simul attingant. Hinc fit, ut capellaniae suo sint jamdudum viduatae rectore et missarum onera negligantur. Quare Forosemproniensis Antistes enixis precibus ab EE. VV. efflagitat, ut eaedem capellaniae uniantur praebendae Canonici poenitentiarii, ut onera missarum reducantur ad annua Sacra centum ac tandem ut Canonico poenitentiario facultas tribuatur easdem missas celebrandi in ecclesia cathedrali. Ceterum cum aliquot praeteritorum annorum fructus collecti exinde non fuerint hos quidem ipsos poenitentiario Canonico concedendos autumat obtestaturque Episcopus ea tamen sub lege ut ad taxam synodalem totidem ille in eadem ecclesia celebret missas.

Quae in suis precibus exposuit Episcopus eadem ex more rogatus confirmat in relatione ad hanc s. Congregationem ac se voti compotem redditum iri confidit, praesertim quia patroni quatuor capellaniarum, quae juri subsunt patronatus, suum memoratae unioni praebent assensum. Etenim praebendae poenitentialis redditus exiguos equidem esse maxime si officii gravitas inspiciatur, nemo non videt unde tam unionis quam reductionis necessitas sponte descendit, neque adest ullus, qui ad id supplere teneatur. Si enim ex Tridentino pro praebendae poenitentialis erectione praebenda proxima vacatura unienda foret, simplicia ac tenuiora beneficia pro congrua poenitentiarii sustentatione fortius unienda esse censeri mihi videtur, eo vel magis, quia in praesenti casu onerum beneficiorum, de quibus sermo est, satisfactio eorum vacatione perdurante non satis tuta haberi potest. Jam vero ut dictorum praebendae poenitentialis reddituum tenuitati sensibiliter succurratur missas beneficiorum reducere putarem, nam petita reductione ac missarum eleemosyna juxta taxam Concilii romani accepta redditus liberi ex omnibus sex beneficiis nonnisi in scut. 18, 47 saepedictae praebendae poenitentiali adduntur. Accedit, quod fructus nonnullorum censuum non facile exigi poterunt, translationem quoque missarum necessariam existimarem; fere enim poenitentiario impossibile foret ad statutas ecclesias pro earum celebratione se conferre.

Sacri quidem canones a beneficiorum unione abhorrent, ne divinus ecclesiarum cultus imminuatur, *Concil. Trid. sess. 25 cap. 5 de reform.*; verum perpetuas quoque uniones ex legitimis aut alias rationabilibus causis fieri posse tradit *Syn. Trid. sess. 7 cap. 6 de reform.*; rationabilem atque adeo legitimam in themate occurrere unionis causam suadet *tenuitas reddituum praebendae* poenitentiariae, siquidem Benedictus XII. in constitutione »*Pastoralis officii*« ad omnem de cetero penitus eliminandam excusationem dilatae erectionis praebendae theologalis aut poenitentiariae ob tenuitatem praebendarum statuit ac praecepit, quod, ubi altera ex praefatis praebendis »*computatis etiam distributionibus quotidianis ad annuum saltem redditum scutatorum sexaginta monetae romanae non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente Episcopi unire possint et debeant eidem praebendae aliquod simplex beneficium, cujus supplemento praedicta summa conficiatur primo vacaturum in quocumque mensa, qualitercumque ac quomodocumque Sedi apostolicae affectum et reservatum.*« Ejusmodi autem unionem ad redditum saltem scutatorum sexaginta aequandum ab Episcopis peragi posse etiam post praebendarum theologalis et poenitentiariae erectionem eruitur ex rescriptis hujus sacri ordinis in *Camerinen Praebendae theologalis et poenitentiariae 3. Decembris 1753* et in *Nucerina Paganorum Praebendae theologalis 1. Martii 1738.* Jam vero adeo exiguis canonicatus poenitentiarius cathedralis ecclesiae Forosemproniensis praeditus est redditibus ut annuum vix afferat fructum scutatorum quinque et quadraginta, quemadmodum refert Episcopus. Justa itaque ac legitima praesto esse videtur unionis causa.

At inutilis evaderet haec beneficiorum unio, nisi EE. VV. congruam concederent onerum reductionem. Profecto ex enarrata rerum serie aperte colligitur, annuum beneficiorum valorem ita decrevisse, ut impar omnino sit cunctis perferendis missarum oneribus, ideoque ex hujus sacrae Congregationis more ea foret indulgenda Sacrorum imminutio, quae annuis respondeat fructibus, *Benedict. XIV. de syn. dioec. lib. 13. cap. ult. n. 35, s. Congr. in Januen. Reductionis missarum 22. Aprilis 1826.* Verum in prae-

senti casu ampliorem Episcopus efflagitat onerum reductionem, *ut Canonicus poenitentiarius decenti non destituatur vitae tuitione.* Nimirum sacram hanc Congregationem ad congruam vitae alimoniam Canonicis, parochis aliisque ecclesiae ministris suppeditandam missarum onera saepius reduxisse probant 'exempla *in Massanen. Reductionis onerum 14. Decembris 1822*, in *Senogallien. 1825* et in *Nursina Onerum 19. Julii 1828.*

Translatio quoque missarum quae extra cathedralem ecclesiam forent litandae impertienda videtur. Etenim Canonicus poenitentiarius, qui divinis laudibus in choro persolvendis ac praesertim fidelium confessionibus excipiendis sedulam operam navare obstringitur, vix fieri posset, ut ad statutas ecclesias, Sacrum ibidem facturus, se conferret, quum suo aliquando deesset muneri. Rationabili autem intercedente causa concedi solet missarum translatio, nam idem animabus fundatorum obvenit suffragium sive in una sive in altera ecclesia incruentum sacrificium offeratur, *s. Congr. in Placentina Legatii pii 14. Septembris 1772* et in *Tolentinaten. Commutationis voluntatis 22. Aprilis 1826.* §.: *Nec.* Multoque magis poenitentiario facultas concedatur oportet in missarum celebrationem erogandi fructus beneficiorum superioribus annis non collectos, cum id consonum esse pateat tam fundatorum voluntati quam instituto hujus sacri Ordinis, veluti colligitur *ex Januen Commutationis voluntatis 25. Maji 1822* et ex *Tusculana Subsidiorum dotalium 16. Augusti 1828* §: *Tandem.*

Verum si Emi patres unionem beneficiorum, amplam missarum reductionem earumque translationem concedendam putarent, supremis decedentium voluntatibus vulnus aliquod infligerent. Porro qua ex caesareo, qua ex sacro jure docemur, ultimas decedentium voluntates adamussim esse servandas, *L. 1. Cod. de ss. eccl. can. ultima voluntas caus. 13. q. 2*; nihil enim est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud velle non possunt, liber sit stylus et licitum quod amplius non redit in arbitrium, *L. 7. cod. de testam., s. Congr. in Camerinen. Erectionis ecclesiae collegiatae 17. Maji 1828* §: *Hisce.*

Erit nihilominus decernere:

I. *An sit concedenda unio beneficiorum in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda missarum reductio in casu?*

III. *An sit concedenda missarum translatio in casu?*

IV. *An et ad quem usum sint convertendi fructus beneficiorum hactenus non percepti in casu?*

S. C. resp.

Ad I. II. et III.: Dilata et scribatur Episcopo, an sit alia ratio ad tramites constitutionis Bened. XIII. providendi absque diminutione missarum.

Ad IV: Affirmative in celebrationem missarum juxta votum Episcopi.

Die 24. Apr. et 22. Maji 1830.

Continuatio.

Hujus sac. Ordinis mandatis illico obsequens Episcopus haec retulit: »Constitutionem sa. me. Benedicti XIII. jam perpenderam, Emi Patres, antequam meam relationem emitterem. Verum quia nec in Cathedrali ulla praebenda nec in dioecesi hac ullum simplex beneficium aderat, sicut nec adest modo, quod poenitentiariae absque divini cultus detrimento et sacrorum onerum imminutione uniri posset, ideo unionem beneficiorum in meis precibus enunciatorum ad augendos praebendae hujus poenitentiariae fructus excogitavi.«

Pro admittenda missarum reductione juxta meum votum duo praecipue consideranda censeo:

1. Quod fructus censuum ad dicta simplicia beneficia pertinentes non absque gravi difficultate ob debitorum qualitatem exigi minime queant, ut hodiernus quoque spoliorum subcollector testatur, ita ut multarum missarum celebratio adhuc desideretur.

2. Quod cum eadem simplicia beneficia ob nimiam eorum redditaum tenuitatem nemo acceptare velit et ob id jamdiu vacent necessario, missarum satisfactio fere penitus inadimpleta remaneret. Posita igitur horum beneficiorum unione ac missarum juxta meas preces reductione tantum abest quod ultimis fundatorum voluntatibus vulnus inferretur, ut potius earumdem voluntatum observantiae et executioni eo quo fieri potest modo consuleretur.

Quare Emos Patres iterum consulere precor folium diei 24. superioris mensis Aprilis, ubi hujus prostat causae species, ac definire ea, quae denuo proponuntur

Dubia:

I. *An sit concedenda unio beneficiorum in casu?*

II. *An et quomodo sit concedenda missarum reductio in casu?*

III. *An concedenda sit missarum translatio in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative ad missas centum juxta votum Episcopi et ponatur in tabella.

Ad III. Affirmative pro translatione ad ecclesiam cathedralem juxta votum Episcopi celebrata unica missa quotannis in singulis ecclesiis, in quibus Sacrificia erant litanda, facto verbo cum SSmo quoad omnia.

Die 20. Nov. 1830.

d) In subsidium Mansionariorum.

Vd. supra decr. *Fesulana.* p. 1037; p. 929. g.

Feretrana.

Adsunt in ecclesia cathedrali Pinnae Billorum Feretranae dioeceseos binae mansionariae ab earum institutore Franctini appellatae, quarum annui redditus inter duos mansionarios aequis partibus dividendi dempta stipite pro triginta missis, quibus duae mansionariae acervatim sumptae onerantur caeterisque omnibus subductis expensis haud summam viginti scutatorum circiter excedant. Illarum autem rectores ex lege fundationis quotidianum choralis officii servitium alternis hebdomadibus perferre tenentur.

Ejusmodi redditnum tenuitate inspecta Joannes Baptista Polignani et Raymundus Besi, qui mansionarias modo obtinent, suppliciter ab hoc S. O. petierunt, ut iisdem unirentur bina simplicia beneficia, unum videlicet a titulo Boni Jesu in templo misericordia nuncupato Pinnae Billorum erectum alterum a nomine s. Mariae sub Pinna in ecclesia parochiali montis Bragine Feretranae dioecesis institutum.

Ex S. C. disciplina rogatus Feretranus Antistes, quae de utraque mansionaria narrata sunt, plene confirmavit et insuper opportunas de beneficiis conjungendis notiones exhibuit. Renunciavit enim alterum beneficium Boni Jesu a quodam Bernardino Scala Episcopo Feretrano fundatum juspatronatus de ipsius fundatoris gente esse obnoxium, exiguum scutatorum trium et obulor. sexaginta redditum ex eodem percipi, patronos ab anno 1734 suum jus non exercuisse ideoque beneficium a s. Sede ex devolutionis jure ann. 1753 fuisse collatum, ab anno 1763 suo rectore destitutum per spoliorum subcollectorem administratum esse Benedictum Forri Pergulanae dioeceseos, ad quem utpote de gente fundatoris patronatus jura pertinerent quemque hac de re auditum fuisse non constat. Ignoramus etiam quoto missarum onere praebenda gravetur. Retulit praeterea alterum beneficium a s. Maria nuncupatum de libera esse Ordinarii collatione; fundationis tamen illius nec acta nec memoriam exstare, nullum onus eidem adnexum reperiri, redditum ad scutata tria ac obulos quinquaginta pervenire, ab anno 1839 beneficium ipsum rectore viduatum subcollectoris spoliorum administrationi ut alterum Boni Jesu esse subjectum.

Hisce enunciatis ita sequitur: Ex hucusque dictis satis patet, mansionarios oratores gravibus subesse oneribus et valde tenui pollere emolumento: indeque necessitas oritur petitae unionis beneficiorum, qua prioris tantum beneficii patrono utrum praejudicium revera inferatur necne Eminentiarum Vestrarum sapientissimo judicio definiendum libenter remitto, cum illi ab annis nonaginta jus neglexerint.

Ut autem animi mei sententiam submisse proferam, oratoribus pro gratia rescribendum putarem, tum quia aequo carent emolumento tum quia modice per praefatam beneficiorum unionem augentur redditus mansionariae ab ipsis possessae. Onera autem beneficii a Scala erecti omnino reducenda mihi videntur ad missas duas quolibet anno in ecclesia misericordiae hujus civitatis celebrandas, cum bona beneficii fere omnino periisse credendum sit, ab immemorabili siquidem tempore spoliorum subcollector, qui beneficium administravit, nonnisi scutata tria cum dimidio exigere potuit.

Ut beneficiorum unio legitime absolvatur, duplex praescribitur a jure solemnitas,*) ea videlicet, quae intrinsecus et ea quae extrinsecus unionem respicit. Prima versatur in justitia causae ex *cap.: Exposuisti 33 de*

*) Vd. *p. 1018. k.*

praeb., ubi Honorius III. sic rescribebat: Si evidens necessitas vel utilitas exigat praebendas ecclesiae tuae poteris de capellis in perpetuum annectendis eisdem augmentare reservata tamen congrua capellarum presbyteris portione.« Consonat Conc. Trid. *sess. 21 c. 5 de ref.*

Ad hanc rem aútem non necessitas aut utilitas simplex satis est, sed evidens et praecisa requiritur, qua excludatur quaecunque dubietas, ita docente *Rota dec. 65 n. 17. n. 2. divers.* Hinc si probari non posset ecclesiae redditus beneficiario alendo eatenus fuisse impares, causam deficere dicendum esset, ut ait *Lotterius de re ben. L. 1. qu. 143.* Unde est, ut si propter indigentiam fiat et reddituum tenuitatem opus sit occurrere difficultati, quae oritur ex eo, quod usque tum ecclesia, cui fit unio, se substentaverit, istud enim sufficit ad evertendam causam.

Secunda solemnitas in legitima unientis aúctoritate sita est, Pontificis nimirum aut Episcpi ex *cap.: Sicut unire de excess. Prael.* Sed si unio fiat ab Episcopo insuper necessaria est discretio; ita enim in *cap.: Exposuisti* vocitatur ille modus quo disquiritur, num vere adsit canonica necessitas aut utilitatis causa; quae dispositio ex *Clem. Si una de reb. eccles. non alien.* fieri deberet in capitulo ut docet *Ferraris* verb.: *Unio n. 90.* Capituli tamen consensum suppleri solere a Sede apostolica vel s. Congregatione testatur *Devoti Inst. can. lib. 2. tit. 14 sect. 4. §. XX.* in nota ex auctoritate *Gagliardi de benef. c. 4 n. 34.* Necessaria deinde est vocatio eorúm, quorum interest et nominatim patronorum, quorum si concessio desit unionem irritam esse tradit *Lotter. loc. cit. n. 766.*

Si autem unio a Pontifice conficiatur, tunc necessaria non est inquisitio causae, etiamsi unio alteri committatur; tunc enim rescripti executor commissionis terminis adhaerere debet. *Abb. Cons. 41: n. 3. p. 1. dec. Cons. 341· v.: Sed quando.* Nec etiam necessaria est vocatio quorum interest. Haec enim necessitas: »singulariter (sic ait *Lott. loc. c. n. 160*) Papam nullo modo tenet, etiamsi gratia ipsius alteri praejudicium inferat, propter absolutam ejus auctoritatem; sufficit igitur eum habere scientiam praejudicii, quod patrono vel collatori infert.«

Quod morem respicit hujus S. C. constat pro diversa circumstantiarum varietate aliquando unionem denegatam fuisse ut in *Frisingen. 14. Jun. 1710*, in *Basilien seu Constantien. Unionis 2. Martii 1786*, aliquando etiam concessam, ut in *Compostellana Unionis 20. Sept. 1692*, *Cracovien. Unionis 5. Dec. 1739.*

Hisce in jure perpensis facile est in facto colligere decem scutatorum redditum, qui mansionariis Tranchini singulatim obtingit, ita imparem eorum sustentationi esse reputandum, ut canonicam unionis causam praebere videatur, cum praesertim beneficia conjungenda ob miserimam reddituum exiguitatem rectorem, qui eorundem possessionem adeat, minime inveniant.

At vero contra adnotandum est unionem beneficiorum odiosam in jure reputari, quippe quae divini cultus imminutionem importat. *Ferrar.* verb.: *Unio in add. ex alien. man. n. 1., Turricella de Un. ben. p. 3. p. 882.* Deinde circa beneficium Boni Jesu recolendum est, patronum non fuisse auditum. Quin possit ex adverso objici, quod ipse ob patronatum a longissimo tempore non exercitum omni jure deciderat: certum est enim in patronatu gentilitio, quo vocati proprio jure veniunt, nullum praescriptioni locum fieri, ut S. C. canonistarum doctrinam secuta in *Nursina Jurispatr.* §: *De jurepatr. 23. April. 1842* rite sancivit in Congregatione *9. Julii 1842 in eadem causa ad 3. dub.*

Circa beneficium aliud cum sit liberae collationis impedimentum oritur ex Conc. Trid. *sess. 25. c. 9.* Libera siquidem beneficia uniri beneficiis juripatronatus obnoxiis vetitum est, ne et ipsa huic servituti subjiciantur, *Devoti loc. c. n. 21.**) Cum tamen agatur de re minimi momenti videant Eminentiae Vestrae num tantus juris rigor sequendus sit; praesertim cum Pontifex, cujus nomine agit S. C., nullis solemnitatibus adstringatur.

Quodsi Emiis Vestris oratorum precibus arridere visum fuerit, dijudicent num reducendae sint missae, quibus beneficium Boni Jesu oneratur, ut habita ratione fundorum, qui deperditi sunt, autumat Episcopus; nec praxis hujus S. C. adversatur.

Hisce disceptatis definiendum restat dubium:

*) Vd. *p. 1029* §: *Neque.*

An et quomodo concedenda sit beneficiorum unio in casu?

S. C. resp.:

Affirmative accedente consensu patroni, facto verbo cum SSmo.

Die 24. Apr. et 5. Junii 1847.

110) Unitum.

Vd. *Benef.* (unionis effectus p. 1026.)

111) Vacans.

a) Collatio.

Vd. *Beneficium.* (collat. benef. non vacantis p. 398. e.)

b) Fructus cui competunt?

Vd. *Beneficium* (fructus p. 557.)

c) Sede episcopali vacante.

Vd. *p. 543. f.*; *p. 400 h. i.*; *p. 413. s.*; *p. 505 bbb.*

112) Vacatio.

a) Causae.

Beneficia ecclesiastica pluribus modis vacare possunt, quorum quaelibet vacatione secuta alteri conferri libere possunt:

1) Vacat de jure et de facto beneficium per mortem naturalem beneficiati;*) *cap. susceptum 7 de rescriptis in 6.*, Rota *p. 4. t. 1. dec. 482 num. 14.*

2) Vacat ipso jure per mortem civilem veluti per ingressum religionis professione secuta:**) *cap. Beneficium 4. de regularibus in 6.*, *Rota p. 2, dec. 543 num. 4* et *p. 4 t. 1. dec. 246 sub num. 2.* Beneficia enim religiosi professi vacant prout illa naturaliter mortui, cum in hoc mors civilis aequiparetur naturali, Rota *p. 2 dec. 431 sub num. 1.* Secus autem beneficium intra annum probationis beneficiati religionem ingressi, quia illud interim non vacat, ne egrediens de religione illo privetur; *cit. cap.: Bene-*

*) Placentina.

Cum beneficiatus quidam aetatis annorum 62 e loco residentiae ante 28 annos profectus frustra undique quaesitus neque unquam de eo habita notitia esset quaerente Episcopo, quomodo posset ad provisionem beneficii procedere? S. C. resp.: Locum esse novae provisioni ad instar vacationis per obitum.

Die 28. Aug. 1841.

Vd. *p. 800 n. 83.*

**) Beneficiorum vacatio inducitur per solemnem professionis emissionem. *Bened. XIV. tom. 2. bull. constitut. 25.* incip.: *Ex quo.*

Vd. *Clerici saecul.* (de eorum ingressu in ordin. regul.)

Lunen-Sarzanen.

Constat ob susceptum religiosae alicujus familiae habitum beneficia vacua non edici, *cap. Beneficium de regularibus in 6.* adeo ut nec si Tyro ipse beneficio se abdicaret conferri illud legitime possit collationemque differendam, donec professus is fuerit, ex Rotae placitis docent canonum doctores, *Rota in recent. part. 2 dec. 543 n. 4.*; item *Ferrarien. coram Pio 1. Jul. 1697*; *Passerinus de stat. homin. tom. 5 qu. 189 art. 10. n. 70*; *Piton. discept. 6, Giraud. Jus. eccl. 540.*

Bene vero ut professus in religione per Sedem apostolicam approbata amittat statim omnia et quaecumque beneficia sive simplicia sive residentialia jure canonum diserte cavetur cit. cap. *Benefi ium, Gonsalez. ad reg. 8 cancell.*†) *gloss. 15 n. 4*; *Murga de benef. qu. 9 n. 35, Wagnaret Jus can. tit. de praeb.*; *Suarez de relig. tom. 3. lib. 5 cap. 16 n. 32.*

Probavit quidem apostolica Sedes lectissimam oblatorum familiam, in qua id lege sancitum est ut omnium bonorum cujuslibet oblati administratio ad Congregationem pertineat ipsorumque proprietas penes oblatos semper remaneat, quin ulla de bonorum beneficiorumque abdicatione praescriptio sit. Hinc ad oratoris postulationem tuendam summus ordinis magister animadvertit, per simplicem professionem, quam oblati peragunt, non induci beneficiorum vacationem sed solum per solemnem testemque affert *Benedictum XIV.* const.: *Ex quo dilectus* §: *denique.* Refert quippe Pontifex, dubitatum fuisse an vota simplicia, quae a clericis regularibus societatis Jesu post biennium probationis emittuntur, beneficiorum vacationem inducerent, ac negativam sententiam fuisse communiter receptam. Decreverunt idcirco societatis praesides in generali congregatione quinta (can. 59.) ut completo probationis biennio, priusquam vota simplicia emittant, beneficia renuncient ejusdem tyrones, qua ex renunciatione dumtaxat vacua illa denunciantur, *Sanchez. ad praecept. dec. lib. 7. cap. 4 num. 7, Piton. disc. 126 num. 11, 12.*; *Rota in Rec. par. 4 tom.* 1 *dec. 246*, *Rigantius in reg. cancell. 46*††), *Laurentius de foro beneficiali lib. 1 qu. 52.* Iis enim in religionibus seu congregationibus inquit *Nigrius tract. de vacat. benef. cap. 8*, in quibus emittitur professio votorum simplicium et professi retinent dominium sine usu et administratione, prout est congregatio missionariorum (uti et oblatorum ex rectoris majoris testimonio) et usum sine dominio, prout est religio Jesuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia ecclesiastica. Verum intelligenda haec

†) Vd. *p. 820.*
††) Vd. *p. 833.*

ficium 4, de regul., in 6, ibi: *Beneficium illius, qui religionem ingreditur, non est infra probationis annum alicui conferendum.**) (Vd. *p. 1048 §: Mutatione.*)

3) Vacat per renuntiationem **) *cap.: Susceptum 6 de rescript. in 6*, ubi quod per renunciationem inducatur vacatio beneficii non minus ac per mortem saepius repetitur ut ibi: »Cum non per renuntiationem sed per mortem vacaverit.« Et infra: Cum beneficium cessione non morte vacaverit; et patet ex *c.: Ex transmissa 3* et *c.: Quidam 12*, cum aliis de renuntiatione: *Rota p. V. t. I. dec. 190 dec. 3.*

4) Vacat per assecutionem pacificam alterius beneficii incompatibilis; ***) *cap. De multa 28. de praebend., cap.: Quia nonnulli 3. de clericis non resident., Extravagant.: Execrabilis, §: Qui vero de praebend.*, Concil. Trident. *sess. 7. c. 4. de reformat.* Rota *part. 18. tom. 2. decis. 684. num. 1.*

5) Vacat per contractum matrimonii ****) per verba de praesenti, etiam non secuta copula, non vero per sponsalia; *cap. Si quis clericorum 1., cap. Quod a te 3. de clericis conjugatis*, Rota *part. 5. t. 1. dec. 15. num 3. et dec. 201. num. 27.* Et quidem beneficium hoc casu vacat ipso jure a die contracti ipsius matrimonii; Rota *part. 19. tom. 2. dec. 522. n. 1.* Etiamsi matrimonium sit nullum; Rota *part. 7 decis. 350. n. 21.* Ad effectum enim vacationis propter matrimonium attenditur solum factum, non autem facti validitas, ideoque probato matrimonio etiam invalido vacat beneficium ipso jure, Rota *part. 19. tom. 2. dec. 468. n. 5. et 6.*

6) Vacat ipso jure beneficium per militiam saecularem a clero minorista assumptam; clericus enim eo ipso, quod saecularem militiam assumat, videtur clericali militiae renunciasse, quia non potest simul Deo et saeculo servire; *cap.: Quicumque ex clero 6. caus. 23. quaest. 8.* et *cap. Ex multa 9. §: final. de voto.* Atque ideo extinguitur pensio ecclesiastica ob assumptionem militiae saecularis utpote incompatibilis cum clericatu; *Cardin. de Luca de pension. discurs. 47 num. 3.* Simulque clericus, qui effectus est miles saecularis, tacite seu ipso facto renunciare videtur beneficio ecclesiastico, quod obtinet; glossa *in cap. Clericos 17 de clericis non residentib. verb.: redierint; Parisius*

---

sunt de beneficiis simplicibus: si namque agatur de iis, quae residentiae legem injiciunt, tenentur professi (subdit Nigrius) libere illa dimittere in manibus Ordinarii vel alio modo resignare, quia rationi non congruit, ut per electionem status perfectionis ecclesia patiatur detrimentum in spiritualibus: aliter Ordinarius potest sic professis servatis servandis terminum competentem decernere, ut ad ecclesiam redeant seu beneficia dimittant, quo elapso potest Ordinarius beneficium alii conferre. *Tondutius de benef. cap. 42.*

Die 23. Novb. 1833.

*) Quoad religiosos societatis Jesu omnino servanda *constit. 24. tom. 2. bullar.* Benedicti XIV. *die 24 Jan. 1747.* quae incip.: *Ex quo dilectus.*

Vd. *p. 1048. §: Mutatione.*

**) Vd. *p. 805.*

***) Vd. *p. 590 n. 56; p. 731 n. 76; p. 1048. §: Vacationem.*

****) Vd. *Canonicatus* (vacatio ob contractum matrim.); *p. 1047. I.*

Brixinen.

Doctores ob matrimonium nullum praeterquam ex defectu consensus ipso jure vacare non censuerunt beneficium, eo quod clericus per hujusmodi matrimonium nec in legem nec in proprium peccat statum. Tales sunt *Schmier. in jur. can. tom. 1 de coelib. pag. 319. num. 58, Bolch. comment. jur. can. lib. 3. tit. 3 de cleric. conjug. § 2. numer. 9. et 27., Sanch. de matrim. disput. 43. num. 3., Garz. de benefic. part. 11. cap. 8. num. 15., Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 3. num. 16.* Atque hinc concluditur, non aliter vacatum dici posse controversum canonicatum quam si declaratoria in id prodierit sententia, *Barbos. in cap. 1 de homicid. in 6. num. 2, Garz. de benefic. cap. 10. de vacat. per privat. part. 11. num. 5., Pirhing. lib. 3. tit. 3. numer. 16. et seq., Murg. de benefic. quaest 3. art. 1 num. 830.*

Quatenus de simplici quoque animi destinatione intelligenda sit dispositio *cit. capituli 1.*, jam per matrimonium nullum, non tamen ex defectu consensus, ipso jure inducta dici deberet beneficii vacatio juxta *gloss.* verb.: *relinquenda* ibi: *Merito compellendi sunt, ut ea dimittant, quia vacare intelliguntur ipso jure: unde quoad factum solum sive possessionem detorquetur ista compulsio*; quam graviores sequuntur doctores, quod aeque in matrimonio valido ac nullo, non tamen ex defectu consensus, voluntas concurrit, ducendi uxorem et deserendi clericalem statum. Ita *Fagnan. in cap. Super de Bigam. num. 42, Pichler. jur. can. lib. 3. tit. 3. de cleric. conjug. n. 3., Ricciull. de jur. personar. lib. 7 cap. 2. n. 25, Lojes in 3. decretal. tit. 2. de cleric. conjug. n. 17., Tondut. de pension. cap. 75. num. 24, Capon discept. 255. num. 40., Cardinal. de Luca tract. posth. de pension. cap. 13. num 7., Rigant. ad reg. 58 cancell. num. 29.* Idemque definivit sacrum Rotae auditorium *in decis. 8. coram Lancellot. seu post Farinac. respons. crimin. tom. 2., in recen. decis. 250. num. 2. part. 7. coram Ansald. decis. 30. num. 12., in Leodien. Matrimonii 25. Februarii 1733. § Ita quidem, coram Corio.* Et sacra tandem haec Congregatio in causa: *Dubium matrimonii et resignationis beneficii 21. Julii 1674. lib. Decret. 28. pag. 340.*, in qua quum quaereretur tertio, *an Cajus*, (qui matrimonium contraxerat nullum) *resignare possit beneficium, quod obtinet in tali statu?* rescripsit: *negative et beneficium vacasse*

Die 18. Sept. 1790.

*de resignat. beneficior. lib. 1. qu. 1. num. 22, Farinacius pag. 1. Fragment. crim. lit. C. num. 182, Gonzalez ad regul. 8. cancellar.**), gloss. *14. n. 63.* Adeo ut ipso jure vacet beneficium per militiam saecularem; nam eo ipso quod beneficiarius fit miles habetur ecclesia pro derelicta, itaut Ordinarius jure possit illam alteri concedere; *Glossa in cit. cap. Clericos verb.: redierint*, ibi: *Si habet eam pro derelicta, puta quia contraxit matrimonium vel factus est miles, quum de hoc constiterit, Episcopus statim potest ecclesiam illius alii conferre; Barbosa part. 3 de offic. et potest. Episcop. allegat. 57. n. 216, Reiffenstuel. lib. 3. tit. 5. de praebend. num. 343, Azorius Instit. moral. par. 2. lib. 7. cap. 15* et alii passim.**)

7) Vacat per promotionem ad episcopatum post obtentam possessionem ipsius et secutam consecrationem vel saltem post lapsum temporis ad petendam confirmationem praefixi vacant ipso jure praehabita beneficia, *cap.: Cum in cunctis 7 de election. §. Cum vero*, Rota *part. 14. dec. 246. n. 2.* Nisi praeventiva concessa fuerit a Papa facultas ea retinendi, Rota *dict. part. 14. dec. 246. n. 3. et part. 18. tom. 2. dec. 590 n. 10. et 12.****)

8) Vacat per translationem Episcopi ad aliam ecclesiam illico prior episcopatus a die, qua ipse in curia seu in consistorio Papae absolvitur a vinculo prioris ecclesiae atque auctoritate pontificia transfertur ad aliam, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum vel adeptam possessionem secundae ecclesiae et posteaquam hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit etiam ex testimonio seu documento secretarii sacri Collegii tenetur statim abstinere ab exercitio ordinariae jurisdictionis. Sic expresse decrevit sacra Congreg. Episcop. ut refert *Barbosa lib. 3. Juris ecclesiast. univers. cap. 14 n. 25.* et in *Collectaneis ad cap. 1. num. 5 de translat. Episcop.*, ubi decretum adducit conceptum praecisis his verbis:

»Die 14. Decembris 1624. Sacra Congregatio Illustrissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum praeposita S. D. N. approbante censuit ecclesiam, a qua volens transfertur seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore, quo idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in consistorio Sanctitatis Suae, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum vel adeptam possessionem secundae ecclesiae et postquam hujusmodi absolutionis notitiam habuerit Episcopus etiam ex testimonio seu documento secretarii sacri Collegii illico teneri eum abstinere ab exercitio ordinariae jurisdictionis eamque transire in capitulum tamquam Sede vacante; et ita posse et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentini Concilii praescriptum eligere sedemque vacantem publicare.« Et sic colligitur *ex cap.: In apibus 41. §. Ecce in quibus casibus caus. 7. q. 1. cap. Si quis jam translatus 3. caus. 21. q. 2.* et *Rota part. 1. decis. 475. num. 6. et seq. ubi sub n. 16.* ostendit opinionem illorum qui dixerunt non induci vacationem episcopatus, nisi post adeptam possessionem secundi, esse erroneam veluti innixam auctoritati glossae *in cap.: Si quis jam translatus*, quae loquitur de translatione abusiva.

9) Vacat beneficium ob invaliditatem electionis vel collationis factae; *c.: Cumana 50., cap.: In Genesi 55., cap.: Ecclesia vestra 57. de electione*; Rota *part. 12 dec. 292. num. 6. et dec. 304. num. 2.*

10) Vacat ipso jure beneficium per electionis cassationem; *cap.: Consideravimus 10, cap. Super eo 12 de election.*

11) Vacat per postulationis repulsionem, *cap.: Gratum 2, cap.: Bonae memoriae 3. de postulation. praelator., Extravagant. Ex debito, §: hujusmodi de elect.*

12) Si electus intra mensem a tempore sibi praestituto non consenserit electioni, nam tunc vacat praelatura; *cap. Quam sit §: electus vero 6. de elect. in 6. Extrav.: Si religiosus eod. tit. inter communes.*

13) Si electus intra tres menses post consensum electioni praestitutum non peti-

---

*) Vd. *p. 820.; p. 1047. II.*

**) Vd. p 430: *Neapolitana.*

***) Per promotionem tamen ad cardinalatum concessa intelligitur et datur retentio ad patriarchales, metropolitanas et cathedrales ecclesias, ad monasteria etiam commendata, ad prioratus et ad caetera omnia beneficia, quae videntur convenire dignitati cardinalatus. Ad alia vero, quae videntur repugnare dignitati et gradui cardinalatus, puta archipresbyteratus, diaconatus, canonicatus et similia beneficia non extenditur, cum obtinentes hujusmodi beneficia teneantur residere in choro et habere debeant locum post Episcopum Cardinalis dignitati non convenientem. Extat de hac re consistoriale decretum incip. *Sanctissimus* sub die 16. Martii 1588 inter *constit.* Sixti V. Vide Parisium *de resign benefic. lib. 3 qu. 1. num. 66.* Vd. *p. 430. Neapolitana.*

erit confirmationem, nam ipso facto privatur jure sibi per electionem quaesito; *cit. cap. Quam sit*, §. *Caeterum 6. de elect. in 6.*

14) Quando electus vel praesentatus ante confirmationem vel institutionem per se vel alium in beneficium se ingesserit vel administraverit, nam eo ipso privatur jure sibi quaesito et beneficium vacat ut prius; *cap.: Avaritiae caecitas 5. de election. in 6.*

15) Vacat per violentam ingressionem in possessionem beneficii; perdit quisque eo ipso jus, quod ad aliud habet et vacat ipso jure, *cap. Eum qui 18 de praebend. in 6.*

16) Vacat per violationem sequestri impositi vigore sententiae definitivae in romana curia prolatae in causa beneficiali; *Clement. unic. de sequestrat. possessionis et proprietatis.*

17) Vacat ipso jure beneficium per alienationem rerum immobilium*) aut pretiosarum ecclesiae seu ipsius beneficii factam sine debitis solemnitatibus juris; *Extravagant.: Ambitiosae* §. *Inferiores vero*, *de rebus ecclesiast. non alienand.*, *inter communes.*

18) Vacat beneficium si habeatur pro derelicto per decem annos; *c. Ex par. 8. de Clericis non resident.* et glossa ibi: *Per decem annorum spatium.* **)

19) Vacat ipso jure beneficium per non ostensionem tituli seu dispensationis coram Ordinario, postquam beneficiatus fuerit monitus; *cap.: Ordinarii 3. de offic. Ordinar.* §. *Quod si forte in 6.* et ibi glossa *verb. Eo ipso* et Concil. Tridentin. *sess. 7 cap. 5.*

20) Vacat ipso jure beneficium per depositionem et privationem; *cap. Ex literis 10. et cap. Grave 25. de excessibus Praelator.****)

21) Vacat ipso jure beneficium immo et pensio clerici tonsuram et habitum clericalem non deferentis; Sixt. V. in *constit.* incip.: *Quum sacrosanctum.*****)

22) Vacat ipso jure beneficium per apprehensionem possessionis de beneficio collato a Papa ante literarum expeditionem; Julius III. in constit. incip.: *Sanctissimus.*

23) Vacat beneficium ecclesiasticum ipso jure sive per obitum, quando illud resignans non supervixit per viginti dies juxta regulam 19. cancellariae,*) quae inscribitur: *Regula de viginti*, nisi fuerit dictae regulae derogatum. *Flamin. lib. 12. quaest. 14. num. 2.*

*) Vd. *t. 1. p. 456. r.*
**) Vd. *p. 1043. Placentina*; *p. 1047. III.*
***) Vd. *p. 758. n. 80.*
****) Vd. *p. 147.* §. *1. p. 392. e.*; *p. 144. n. 16.*

24) Vacat ipso jure beneficium ob non publicationem resignationis juxta formam *constitutionis* Gregorii XIII. de publicandis resignationibus incip.: *Humano vix judicio.* **)

25) Vacat ipso jure beneficium curatum per concursum conferendum juxta Tridentin. *sess. 24. cap. 18. de reformat.* quando in ejus collatione non fuit servata forma praescripta in *constitut.* s. Pii V. incip.: *In conferendis.* ***)

26) Vacant ipso jure omnia beneficia illorum, qui ad obtinenda pro aliis beneficia seipsos fraudulenter pro illis examini supponunt aut beneficia impetrant pro aliis, ut ab iis aliquid consequantur, vel quando pro se ipsis impetrant beneficia cum intentione illa resignandi reservata sibi pensione vel ad favorem aliorum, Paul. IV. in *constit.* incip. *Inter caeteras.* ****)

27) Vacant ipso jure beneficia per confidentiam seu simoniam confidentialem, qua quis v. gr. alicui beneficium ecclesiasticum procurat eligendo, praesentando, resignando, confirmando aut alia ratione, sub certa confidentia seu pacto expresso aut tacito, ut si qui beneficium accepturus est illud ipsum sibi procuranti aut alteri sibi beneviso, v. gr. fratri, nepoti, amico, cum fructibus sive aliquam ipsorum portionem suo tempore cedat. Omnia enim beneficia per hujusmodi simoniam confidentialem quo modo recepta aut imposterum recipienda ipso jure a die receptionis vacare decrevit Pius IV. in *constitut.* incip.: *Romanum Pontificem* †) et s. Pius V. in *constitut.* incip. *Intolerabilis.* ††)

28) Vacant ipso jure beneficia retinentium indebite scripturas spectantes ad cameram apostolicam illasque non restituentium necnon scientium et non revelantium; Sixtus V. in *constitut.* incip.: *Non sine maxima.*

*) Vd. *p. 825.*
**) Vd. *p. 856. o.*
***) Vd. *p. 425.*
****) Vd. *p. 555.*
†) Vd. *p. 450.*
††) Vd. *p. 455.*

29) Vacat ipso jure beneficium propter crimen haeresis,*) *cap.: Ad abolendam 9. de haereticis*, ibi: *Totius ecclesiastici ordinis praerogativa nudetur et sic omni officio et beneficio spolietur etc., cap. Ut commissi 12. de haereticis in 6.* §. *Privandi*, ibi: *Privandi praeterea vel privatos nunciandi dignitatibus ac aliis beneficiis ecclesiasticis*, et s. Pius V. in *constit.* incip.: *Cum ex Apostolatus.*

30) Vacant ipso jure beneficia, quae fuerunt obtenta per preces haereticorum, *cap. Quicumque 2. de haereticis in 6* §. *Ad haec.***)

31) Vacant ipso jure beneficia falsariorum falsificantium literas apostolicas; *c.: Ad falsariorum 6. de crimine falsi.*

32) Vacat ipso jure beneficium ob crimen simoniae realis in ejusdem consecutione commissum; *Extravag.: Cum detestabile, de simonia, inter communes* et s. Pius V. in *constitut.* incip. *Cum primum*,***) ibi; *Qui beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, illo similiter sit ipso jure privatus.*

33) Vacant ipso jure beneficia committentium nefandum crimen sodomiae. S. Pius in *constit.* incip. *Horrendum illud.* ****)

34) Vacant ipso jure beneficia clerici ob crimen assassinii per ipsum procurati vel mandati, *cap.: Pro humani redemptione 1. de homicid. in 6.*

35) Vacant ipso jure beneficia percutientis, capientis etc. Cardinalem S. R. E., *cap.: Felicis 5 de poenis* §. *Si quis vero in 6*,

36) Vacant ipso jure beneficia occidentis vel percutientis Episcopum, intellige tamen de beneficiis obtentis in ecclesia, cui talis Episcopus praeest; *cit. cap.: Felicis* et *Clement. 2. de poenis.*

37) Vacant ipso jure beneficia occidentis rectorem aut alium clericum suae ecclesiae; intellige tamen de beneficiis obtentis in ecclesia, ubi deliquit; *cap.: In quibusdam 12. de poenis* §: *Sacri*, ibi: *Sacri nihilominus Concilii approbatione statuimus, quatenus si... beneficiati alicujus ecclesiae per se vel per alios occidere vel mutilare ausu nefando praesumpserint . . . beneficium prorsus amittant.*

**) Vd. *p. 365 n. 8.*
**) Vd *p. 419. u.*
***) Vd. *p. 452.*
****) Vd. *Sodomia.*

38) Vacant ipso jure beneficia clericorum inferiorum, qui carcerant captumque tenent clericum, donec resignaverit suum beneficium; *Clement. Multorum* §. *Quod si inferiores, de poenis.*

39) Vacant ipso jure beneficia offendentium litigantes in romana curia eorumque judices, advocatos, procuratores, notarios, testes et alios. Alexander VI. in *constitut.* incip.: *In Eminenti.*

40) Vacant ipso jure beneficia per collationem factam consanguineis aut affinibus vel familiaribus collatoris vel resignantis de beneficiis resignatis in manibus Ordinarii. Gregor. XIII. in *constitut.* incip.: *Humano vix judicio.* *)

Vacationes beneficiorum *ipso jure* ad quinque genera referri possunt:

1. Ad desertionem vel mutationem status clericalis.

2. Ad neglectam susceptionem ordinum annexorum.

3. Ad incompatibilitatem.

4) Ad impetrationem defectivam seu irritam.

5. Ad excepta quaedam crimina.

Desertione status clericalis multipliciter vacare possunt ipso jure beneficia:

I. Matrimonio licet nullo, praeterquam tamen ex defectu consensus; Rota *in Leodien. Matrimonii 25. Februarii 1733.* §. *Ita quidem, cor. clar. mem. Corio.* (Vd. *p. 1044. n. 5.*)

II. Militia; vide Cardinal. de Luca. *in adnotat. ad Concil. Tridentin. discurs. 12. num. 8*, ubi limitat si militia esset pro servitio Papae Sedisque apost. vel pro defendenda patria obsessa, et Rota *in Tarraconen. Beneficii 3. Julii 1724. cor. clar. mem. Calcagnino*, quae materiam plenius discutit. (Vd. *p. 1044. n. 6.*)

III. Dimissione habitus **) et tonsurae clericalis si standum sit constitutioni *Dum sacrosanctam* Sixti V. ***) de qua post alios agit Leuren. *For. benefic. part. 3. sect. 1. cap. 3.* §. *2. qu. 187 per tot.* Sunt tamen, qui tenent mox dictam constitutionem Sixti V. revocatam fuisse a Clemente VIII. Vide de Curt. *diversor. jur. feudal. par. 2. num. 91*,

*) Vd· *p. 856. o*; *p. 413. s. I.*
**) Vd. *p. 144. n. 16. b.*; *p. 1046. n. 21.*
***) Vd. *p. 147.* §. *1.*

de Marini resolut. jur lib. 1. cap. 56. per tot.

Caeterum quidquid hujus sit: Benedictus XIII. *in Bulla Catholicae* jussit: *) *quod Ordinarii locorum, ubi sita sunt beneficia ejusmodi, clericorum vestes laicales deferentium impudentiam canonicis remediis omnino coerceant et hunc in finem non modo possint sed etiam debeant contra ipsos procedere per citationes dimissa domi copia quatenus domicilium habeant in eorum respective dioecesibus, sin minus per citationes ad valvas; jurisque ordine caeteroquin servato sententiam declaratoriam privationis obtentorum beneficiorum in ipsos ferre et pronunciare, ita tamen ut eadem beneficia juxta constitutionem felic. record. Sixti V. Praedecessoris nostri incipientem:* Cum Sacrosanctum, *nostrae ac romani Pontificis pro tempore existentis provisioni reserventur et reservata censeantur.* Addidit etiam, quod hi clerici beneficiati habitum et tonsuram clericalem dimittentes fructus ante sententiam declaratoriam, imo ante quamlibet monitionem vel citationem amittant. Hinc autem perspicuum est, quod vacant *ipso jure* beneficia dimissione habitus et tonsurae clericalis, nam alias non sententia declaratoria sed privatoria locum haberet nec locus esse posset amissioni fructuum ante sententiam declaratoriam, tum ante quamlibet monitionem vel citationem.

Difficultas tamen adhuc superest circa probationem dimissionis habitus et tonsurae clericalis tum tempus ejusdem dimissionis. Consule pro re nata Rotam *in S. Severini Canonicatus. 3. Martii 1746. cor. clar. mem. Millini.*

Mutatione status clericalis vacant *ipso jure* beneficia, si clericus beneficia obtinens solemnem professionem emittat in aliquo ordine approbato Regularium; *c. Beneficium de regul. in 6.* Illustrat hoc argumentum Rigant. *in comment. ad regul. 46. cancell.***) *per tot.* Tenet Gagliard. *de benefic. cap. ultim. n. 8* Jesuitas per sola vota simplicia emissa completo biennio probationis non amittere beneficia, quae antea obtinuerunt. At *Rigant. loc. cit. num. 32.* haec habet: *Verum tamen est, quod ex praescripto societatis in congregatione generali 5. cap. 5. completo probationis biennio, priusquam vota simplicia praefata emittant, tenentur illius alumni beneficia quae prius habebant resignare. Unde vacant ex vi supradictae resignationis, et non aliunde.* (Vd. *p. 1043 n. 2.*)

Ex neglecta susceptione ordinum annexorum quando vacent beneficia ipso jure tradit *Leuren. For. benefic. part. 3. sect. 1. cap. 2. quaest. 185 per tot.* Vide quoque Rotam *in Monasterien. Decanatus 23. Januar. 1739. cor. bon. mem. Vicecom.**)

Vacationem *ipso jure* producit etiam ut dictum est incompatibilitas. **) De vacatione

*) Vd. *p. 149.*

**) Vd. *p. 833; p. 1043 n. 2.*

*) Vd. *236. a; p. 314; p. 351. d.*

**) Vd. *p. 1044. n. 4; p. 590. n. 56; p. 731 n. 76.* Quod ad beneficia inferiora incompatibilia spectat per assecutionem secundi beneficii vacat primum. Caeterum ambo vacant, si ambo retineantur. Per assecutionem vero secundi incompatibilis non inducitur vacatio primi, nisi *subsequuta possessione.* Simplex enim collatio, ut tribuat acceptanti jus irrevocabile quoad collatorem non tamen producit jus in re ita validum, ut operetur vacationem primi; vide Rotam *in Burgen. Canonicatus 10. Maji 1745. cor. clar. mem. Millin. et 6. Decembris ejusdem anni 1745. cor. R. P. D. Elephant. et 27. Junii 1747. cor. bon. mem. de Vais.*

Quin immo requiritur *pacifica possessio* secundi beneficii incompatibilis *per duos menses,* tam *de facto* quam *de jure,* ita ut solae molestiae judiciales vel extrajudiciales sufficiant ad impediendam hanc vacationem, Rota in *Asten. Canonicatus 4. Junii 1745. cor. bon. mem. Vicecom.,* ubi quod saltem per beneficiatum non steterit, quominus apprehenderit possessionem beneficii.

Et quod summopere notandum est, requirit insuper Rota *in Compostellana Parochialium 25. Junii 1748. cor. R. P D. Canilliac. et 23. Februar. 1750. cor. Illustris. Migazzi ultra pacificam possessionem per duos menses* secundi beneficii incompatibilis *perceptionem emolumentorum* tum primi tum secundi beneficii.

Gravis quaestio est: an ad vacationem primi beneficii sufficiat simplex collatio sine possessione, ubi non agitur de praejudicio ejus, cui fuit collatum secundum beneficium incompatibile, sed res est de duobus impetratoribus ejusdem primi beneficii, se invicem excludere satagentibus. Negativam sententiam tenuit Rota et quidem ex professo *in Monasterien. Canonicatus 9. Decembris 1712. cor. clar. mem. Aldrovand, 9. Junii 1713. cor. cl. mem. Scotto et 12. Januar. 1714. cor. bon. mem. Cerr.*

At affirmativam sententiam sequutum est idem sacrum tribunal in *Colonien. Parochialis 27. Junii 1731. §. 11. et sequent. cor. clar. me. Cincio* et recentius *in Uladislavien. Canonicatus 11. Junii 1748. §. 22. et duob. sequent. cor. Illustris. Cortad.* Hic vero non est omittendum, quod haec *ultima decisio* fuit revocata *die 24. Martii 1749* coram eodem aliis tamen ex motivis. Quoad vero praesentem quaestionem haec habentur §. *finali* dictae decisionis

vero *ipso jure* beneficiorum promoti ad episcopatum adi *Leuren. For. beneficial. par. 3. sect. 1. cap. 2. §. 4. per tot.* ubi de vacatione prioris ecclesiae per translationem Episcopi ad alteram ecclesiam.

b) Clausulae ponendae.

Vd. *regulam 56. cancellar. p. 834.*

c) Diuturna.

Vd. p. 708. u. etc.

Montis Alti.

Diuturna nominationis suspensio nondum voluntati fundatoris, sed dispositioni etiam juris adversatur, teste *Card. de Luca jurep. disc. 20. n. 12.; s. Congregatio in Collen. 30. Augusti 1788* et in *Anagnina Nominationis 25. Januarii 1823. §: Petita.*

Die 20. Decbr. 1828.

Firmana.

Diuturna beneficii vacatio juris dispositioni ac fundatoris voluntati adversatur, veluti animadvertunt *Fargna de jurep. part. 2. cas. 6. n. 4., Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. n. 12.*

Die 20. Sept. 1828.

Nullius trium fontium.

Diuturna vacatio adversatur non modo fundatorum voluntati, sed et juris dispositioni ad tradita per *Card. de Luca de jurepatr. disc. 20. num. 12; s. Congr. in Sutrina Canonicatus 27. Junii 1829 §. Petita* et in *Firmana Canonicatus 23. Aprilis 1834 §. Jam.*

Die 14. Apr. 1832.

d) In mensibus papalibus.

Vd. *Beneficium reservat. Pontifici.* (Quae non sunt hodie juxta concordata Germaniae? p. 838; quae sunt juxta regul. cancellar.? p. 817.)

e) Quando vacat si Beneficiatus intra tempus constitutum sacerdotio non est insignitus?

Vd. *Beneficiatus sacerdotio nondum etc.* (quando constat de caducitate, decr. *Caesenaten.* p. 351.)

Faventina.

Ad Faventinae Cathedralis Capitulum ex literis apostolicis de anno 1594 datis a s. m. Clemente VIII. spectat pleno jure collatio parochialium ecclesiarum s. Stephani ac s. Vitalis, s. Antonii et s. Savini civitatis Faventinae in quatuor mensibus Martii, Junii, Septembris et Decembris vacantium. Ita scilicet summus ille Pontifex constituerat concordiae ergo ut veteres praecideret controversias inter Episcopos et Capitulum super beneficiorum collatione identidem assurgentes. Contigit nuper, ut per obitum sacerdotis Covassi viduata extiterit suo rectore sub die 10. Martii 1841 ecclesia parochialis a s. Stephano nuncupata eaque pacifice, habito de more concursu, collata fuerit per Capitulum die 24 ejusdem mensis presbytero Antonio Bertoni, qui jam alia paroecia s. Savini potiebatur et qui alterius possessionem iniit sub die 3. Aprilis proxime sequuti.

Tunc autem paroecia s. Savini collata fuit ab Antistite, praevio de jure concursu, Aloysio Tagliaferri, captaque ab eo possessio die 22. Aprilis ejusdem anni, quam retinuit nemine reclamante ad diem 27. Junii 1841.

Ast ea examussim die accidit, ut Capitulum eam ingressum sententiam collationem quoque ecclesiae parochialis s. Savini vacantis ob assecutam a possessore alteram residentialem praebendam ad se spectare protestationem per acta curiae archiepiscopalis Ravennae notificari curavit.

Mox vero preces dedit principi sacratissimo. Eaeque preces ad s. hunc Ordinem remissae sunt una cum jussu, ut quaestio oeconomice et absque judicii strepitu proponeretur. Praesentibus itaque comitiis

revocatoriae: »Inutile hinc visum fuit disquirere, an dici possit sequuta canonicatus vacatio in mense Martio reservato per simplicem tunc factam collationem alterius imcompatibilis, licet provisus eo mense possessionem non apprehenderit, veluti sentit n. 14*) cum duob. sequent. firmando induci ex ipso provisionis actu vacationem quatenus agatur non cum proviso secundo, sed inter alios, quae ceteroquin sic admissa conclusio impugnabatur proponendo *Monasterien. Canonicatus etc.*

Nota demum, quod per assecutionem secundi beneficii incompatibilis vacat etiam coadjutoria, Rota *in d. Asten. Canonicatus 4. Junii 1745. coram bon. mem. Vicecom.*

De vacatione beneficiorum *ipso jure ob impetrationem defectivam seu irritam* consule Gagliard. *de Benefic. cap. ultim. a num. 19. ad plur. sequent.* tum Rotam *in Cracovien. Canonicatus 18. Martii 1746. cor. Illmo Caprara Alm. Urb. Gubernatore.*

*) Vd. *p. 1046.*

praehabitis de more scitu necessariis Sanctissimi jussui libenter obsequimur.

Quae hinc inde ab Episcopo et Capitulo in hac controversia disputantur, in id universa intendunt, ut uterque evincat in primis jus providendi paraeciam s. Savini ad se pertinuisse. Addit autem 2. Episcopus, quod etsi ceteroquin ad Capitulum hujusmodi jus pertinuisset adhuc attentis peculiaribus facti circumstantiis substinenda foret provisio per ipsum expleta.

Ad primum quod attinet, quum ejus sit de jure provisio resultans ex assecutione beneficii incompatibilis, cujus est mensis, qua vacatio contingit prioris jam obtenti, ex Rigantio *in reg. 1. cancell.**) §. *8. n. 173. 176. 178. et 184,* in eo primum quaestionis nucleum repositum esse utrique contendentes merito animadvertunt, ut de jure definiatur, a qua die beneficii parochialis s. Savini vacatio contigerit; etenim si vacatio haec a die collationis seu a die 24. Martii, qua Bertonius designatus est parochus Stephani uti magis dignus ab Episcopo reputatus, contigisse teneatur, profecto quum vacationi locus patuerit in mense Capituli ad illud collatio vacati prioris beneficii spectabit; sin vero a die sequutae possessionis idest die 3. Aprilis Episcopo reservati, quo in casu illius collatio Antistiti merito reservabitur. Quod itaque attendi debeat ad vacationis effectum mensis resolvit Rota *in Mediolanen. Optionis 3. Martii 1684 coram Ursino*, a nempe ratione, quod a facta collatione examussim de jure vacet beneficium, vacaturum postea de facto capta possessione; in concursu autem vacationis de jure et de facto semper potentior est vacatio de jure. Eandem opinionem sequuta est *in Compostellana Parochialis 27. Novembris 1690.* §. *Nec vacatio*, *coram Caccia*, *et decis. 713. num. 13. et 745 n. 5 cor. Molines.*

Huic sententiae causam dedisse colligitur caput IX. quod incipit: *literas vestras in lib. 3. decret. de conces. praeben.* ibi: *Unde cum vobis dubium videretur, utrum cum aliquis de una praebenda eligitur ad aliam statim prior vacare incipiat, an per sententiam debeat adjudicari eidem an propter confirmationem hujusmodi, quae superius est expressa, praebenda illa dici debeat non vacare, nos consulere voluistis. Cum igitur, si ita est, praebenda illa etsi non de facto de jure tamen vacare noscatur: mandamus, quatenus dictum Praepositum, ut illam sine difficultate resignet appellatione remota, cogatis, quam cum de facto vacaverit clerico memorato conferre curetis.*

Nihilominus adnotat *Rigant. in 1 part. reg. 9. cancell.***) §. *2. n. 392: Verior et in foro recepta est contraria sententia, quod ad effectum reservationis attenditur mensis, in quo adipiscitur possessio secundi beneficii, si enim adipiscitur in mense Ordinarii, tunc collatio primi ad eumdem spectat Ordinarium, si vero in mense apostolico tunc beneficium quod dimittitur remanet reservationi regulae obnoxium. Et stat in arbitrio provisi ab Ordinario de secundo beneficio incompatibili differre illius possessionem ad hoc ut primum beneficium vacat in uno potiusquam in altero mense.«* Et sane hoc sensu universi pene doctores multa disputant, ut apud *Rigan. in reg. 1. cancell.* §. *8. a num. 135 et sequen.*, *Fagnan. in cap.: de multa num. 54. de praeben.*, *Rosa de execut. lit. apostol. part. 1. cap. 7. num. 162.*, *Garzias de benef. part. 2. cap. 5. num. 100*; et mutata sententia tenuit pluries Rota praesertim in magistrali *Monasterien. Canonic. 9. Dec. 1712* §. *Confirmabatur* coram *Aldovrando confirmata die 9. Junii 1713 coram Scotto* et s. Congregatio *in Salernitana seu Caputaquen. parochialis 8. Martii 1760* §. *ult.* Et vero sententia haec magis consona est expressae juris dispositioni *in dicto capite: de multa*, ibi: *»Is quoque ad quem prioris* (beneficii) *spectat donatio illud post receptionem alterius libere conferat.«* Nomine receptionis venire possessionem seu *receptionem corporalem* explicat glossa in verbo *post receptionem* allegato capite: *si quis jam translatus 21.*, *Fagnan. loco citato n. 9.* Atque hujus capitis dispositioni instetisse patet Tridentinam synodum *sess. 7. cap. 4 de ref.* ubi praeter quamquod expresse firmat constitutionem Innocentii III., quae incipit: De multa***), eos qui plura incompatibilia beneficia *recipere ac simul retinere praesumpserint* beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure etiam praesentis canonis vigore privatos existere sancivit.

Quin obstet objecta distinctio vacationis de jure et de facto; siquidem (ita Riganti in primam partem reg. 9. cancell. §. 2. num.

*) Vd. *p. 818.*

**) Vd. *p. 820.*

***) Vd. *p. 722.*

395) *»ad effectum quod primum beneficium dici queat de jure vacare, semper est necessaria secundi incompatibilis possessio, sine qua primum nec de jure nec de facto vacare dicitur, et ad literam probat* textus *in Clement. Si plures* in fine de praeb. et dignit., ibi: *»dignitatem unicam obtinenti alia similis confertur, ejus pacifica possessione habita prima de jure vacaret.«* Cui sane textui haud contradicit caput: *literas vestras* ex adverso allegatum; in eo enim distinctio inter vacationem juris et facti haud equidem respicit collationis tempus et praesentationis sed respicit casum plane diversum id est vacationem jam de jure secutam ob retentam per annum et ultra possessionem duplicis beneficii incompatibilis, etsi de facto provisus ea non reliquisset, ut apprime patet legenti universum contextum. Consonat demum praxis Datariae apostolicae, de qua plene testatur *Rigant. in 1. part. reg. 9. cancell.* §. *2. n. 393.*

Verumtamen, etsi secundi possessio attendi debeat, ut vacatio prioris beneficii purificetur, duplicem adhuc se exerere sui favore rationem propugnat Capitulum, ut provisionis jus in casu sibi valeat legitime vindicare. Prima est, quod per provisum steterit, quominus ille possederit, ex cap. *licet Episcopus de praeb. in 6.*

Altera est, quod possessio alterius beneficii, ut prioris vacationem inducat, ex eorum quoque sententia, qui possessionem in id requirunt, debet esse pacifica, ad quem effectum exigitur ut a die possessionis pacificae secundi beneficii lapsi fuerint duo menses, qui dantur ad dimittendum primum incompatibile, tradit *Antonell. tract. de tempore legal. lib. 3 cap. 8. num. 7.* Itaque, si post assumptam a Bertonio die 3. Aprilis possessionem duo menses exspectati fuissent, jam vacatio contigisset sub mense Junio, qui reservatus est favore Capituli, adeoque huic provisio devoluta fuisset.

At licet ratiocinatio haec suis videatur suffulta juris praesidiis, viderit tamen EE. VV. sapientia num invocata juris principia locum habeant in themate. Et ad primam rationem quod attinet, declarat ad textum *Rigant. in cit. regul. IX. cancell. num. 8.* tunc ex adverso elatam juris censuram se exerere, quum *provisus de secundo beneficio incompatibili voluntarie et malitiose distulerit illius possessionem adipisci.* Itaque probe definiendum erit in themate num dolose egisse dici possit Bertonius, qui tantum se distulisse paraeciae s. Stephani possessionem declaravit.

Ad alteram duorum mensium terminus, qui ex canonica aequitate proviso conceditur antequam prius incompatibile beneficium dimittat, ad id dumtaxat elargitus est, veluti ad deliberandum, nempe ut provisus »interim experiri possit, an superveniant molestiae, ne alias dimisso primo ob molestias supervenientes super secundo periculum subsit, quod provisus utrumque beneficium amittat« ut explicat *Rigant. in reg. 1. cancel.* § *8. num. 155.* Hinc cum quilibet favori suo possit renunciare viderint PP. Eminentissimi num beneficio deliberationis praefato nuncium facto suo miserit Bertonius, dum libere permisit ab Episcopo primum, quod possideret, beneficium alteri tribui, dimissa sponte illius possessione.

Verum enimvero universa haec ad abundantiam disputari contendit Episcopus et pro regula dumtaxat in futuris vacationibus sectanda. In casu enim de quo agitur seposita gravis juris quaestione removeri non posse a parochiali jam assequuta per Tagliaferrium propugnat. Etenim ex una Capitulares omnes factam ab Antistite provisionem apprime norunt, quippe et concursus edicta ad valvas Cathedralis affixa sunt: et plures ex capitulo examinatores in secuto experimento adfuerunt: ex altera nemo unus vel minimam quaerelam admovit.

Quibus sic positis Capitulum universum facto suo expletam collationem probasse satis apparet nec amplius posse contra proprium factum insurgere, eo vel minus quia eas omisit opportunas cauthelas, quas inferioribus collatoribus erga Episcopum maximopere inculcat s. Congregatio apud *Reclus. tract. de concursibus part. 2. tit. 3. n. 43 et 44.*, ibi: *Quoties vacaverit ecclesia parochialis, cujus collatio spectat ad praepositum, debet idem praepositus curare, ut fiat instrumentum publicum, in quo sit assumptus certus dies . . . ejus tenoris videlicet, quod protestatur se in ipsa ecclesia conferenda Ordinarium Episcopum praevenire ipsamque conferri illi, quem Episcopus idoneum elegerit, et iis, quos examinatores approbaverint, et ideo se ei denunciare, ut edicta proponat et curet, ut examen suo tempore fiat.*

Qua in re paucis expendit ex adverso

Capitulum, duobus et amplius abhinc saeculis ex quo collationis utitur privilegio nunquam in more fuisse preces dare Episcopo, ut concursum indiceret, siquidem ne vola quidem excidit de his in apostolico Clem. VIII. diplomate, ex quo unice regula et termini dimetiendi sunt respective Episcopi et Capituli jurisdictionis ejusque exercitii. Perperam porro ex omissa forsan simplicis convenientiae caeremonia (uti esset ea de qua disputat Episcopus) caducitas a proprio jure in Capitulum deduceretur, quam vel bestialis ut ajunt causa valet excusare. Imo cum ex censura tremestris terminus concedatur Capitulo ad collationem explendam jam nihil esset cur praefata instantia porrigi debuerit Episcopo vix ut parochiae a s. Stephano nuncupatae facta collatio fuit: Antistitis ergo nimiae diligentiae potius quam Capituli culpae erit tribuendum, si incunctanter illa concursum ex se indixit; nec sane post haec locus fuisset Capitulo Antistiti supplicare ad rem explendam, quam suo marte jam expleverat.

Dubium:

An et quomodo substineatur collatio parochiae s. Savini ab Episcopo expleta in casu?

S. C. resp.:

Affirmative in omnibus.

Die 27. Julii et 24. Aug. 1844.

113) Valor exprimendus.

Vd. *Beneficium* (reservat. SS. Pontifici per regul cancell. — regul. 55. p. 833.)

114) Vicaria perpetua beneficium est.

Vicaria perpetua confertur cum canonica institutione seu investitura perpetua ac erectione titulo Vicariae, unde Vicarii in eisdem instituti dicuntur perpetui cum vero titulo; *cap.: Ad haec* 3. *de officio Vicarii* et dicuntur habere verum beneficium, *cap. Postulasti 27. de rescriptis*, ibi: »Non enim beneficio carere debet dici, cui competenter de perpetuae Vicariae proventibus est provisum.«

Beneplacitum Apost. quoad alienationem bonor. ecclesiast.

Vd. *Alienat. bonor. eccles.* t. I. p. 438. h.; p. 444. i.. p. 472. aa.

1) Forma commissaria.

Portuen.

Licet beneplacitum apostolicum impetratum sit ex rescripto s. Congregationis die 23. Januarii 1802, attamen cum expeditum sit *in forma commissaria* et male sit exequutum, perinde est ac si prorsus deficiat, *Card. de Luca de alienat. disc. 1. num. 58.*

Die 27. Apr. 1816.

2) Nullum quando est?

Super sanatione contractus seu concordia.

Cujusdam beneficii possessor a S. C. Ep. et Reg. supplex apostolicum beneplacitum postulaverat, ut fundum beneficialem, cujus quantitatem quinque rublos aestimatam fuisse exponebat, in emphiteusim Titio dare posset pro spatio annorum nonagintanovem, constituto canone scutatorum novem in singulos annos. Episcopus dioecesanus super veritate precum referre suamque sententiam ex instituto sacri ordinis edere jussus, inspecta fide quam curaverat idonei probique agrimensoris, (quam *peritiam* vocant) vera ab oratore exposita fuisse et contractum emphiteuticum in evidentem beneficii utilitatem cessurum esse rescripserat. Itaque S. C. die 19. Novembris anni 1829 precibus annuit edito in haec verba rescripto: *benigne commisit Episcopo, ut veris existentibus narratis et constito sibi de evidenti beneficii utilitate,*

petitam facultatem pro suo arbitrio et conscientia impertiatur. Aliae consuetae accedebant clausulae, nulla adjecta conditione experimentum praemittendi *Vigesimae* ac *Sextae*, quae eo temporis tanta cum severitate minime usitabantur; nondum enim generalia S. C. ea de re decreta adhuc sancita et edita fuerant.*)

Die 22. Decembris ejusdem anni Pro-Vicarius generalis et Cathedralis Archipresbyter memoratum rescriptum executioni mandarunt *apostolicis facultatibus* (ita ajebant ipsi) *nobis tributis utentes.* At vero ab Episcopo nullam specialem delegationem eum in finem obtinuerant, aut saltem nequaquam constabat eadem ipsos delegatione instructos fuisse. Forte iis diebus Episcopus gravissima morbi vi tenebatur qua confectus non multos post dies, eodem mense Decembri exeunte, praesentem hanc cum aeterna vita commutavit. Paulo post Titius per acta Notarii legitimum emphiteuticae concessionis instrumentum confici studuit et in utilem beneficialis fundi possessionem ingredi non retardavit.

Post haec fundum ipsum ad meliorem culturae conditionem provexit, unde uberior ex eo redditus annuus percipi coeptus est. Praeterea cum fundus ipse obnoxius esset pascuorum servituti in utilitatem hominum municipii localis, cujus vi nonnisi in tres annos culturae subjici poterat, Titius, beneficio legis edictalis publice editae usus, soluta praescriptae pecuniae summa, fundum ab omni servitutis onere liberavit; unde factum est, ut dominus pro sui arbitrio commodoque agrum illum excolere et conserere non amplius prohiberetur.

Anno 1859 Titius e vita decessit, unica filia minorenni haerede relicta additaque huic curatrice matre ipsa, tametsi haec posthac ad secunda vota, prout reapse accidit, transitum fecisset. In hoc rerum statu dubitatio exorta est, an concessio emphiteutica valida et efficax habenda foret ea de causa quod Pro-Vicarius generalis et Archipresbyter executores rescripti diei 19. Nov. 1829 speciali ab Episcopo, cui executio a S. Cong. nominatim commissa fuerat, delegatione muniti non fuisse videbantur. Itaque, curante matre ut filiae suae tutrice, novae preces S. C. Ep. et Reg. oblatae sunt, quibus exorabatur, ut omne, quod forte in rescripto memorato exequendo occurrisset, vitium apostolica benignitate sanaretur.

Rogatus de more Episcopus, qua occasione elementa conquirebat, quibuscum responsionem S. C. remittendam conficeret, deprehendit fundum beneficialem de quo agebatur non coerceri ad quantitatem enarratam in precibus anni 1829 nempe rublorum quinque, sed enimvero ad rublos decem supra tres insuper extendi. Nihilominus benigne cum pupilla agi posse autumabat dummodo canon annuus scutatorum novem congruenter ad aequitatis normam adaugeretur. Itaque sacer Ordo Episcopo in mandatis dedit, ut amicam conciliationem institueret. Beneficii administratores (quippe beneficio interim vacante fructus beneficiales per decennium cuidam religioso instituto S. Sedis venia fuerant addicti) cum ex testimoniali agrimensoris fide a toto fundo emphiteutico scutata centum percipi posse colligerent, annuum canonem ad scutata quinquaginta assurgere debere contendebant: at vero curatrix hujus agrimensoris testimonium impugnans tam opimum esse fundi beneficialis annalem fructum pernegabat; adeoque canonis augmentum ad scutata triginta offerebat. Cum vero partes inter se minime convenirent, res ad s. Congr. judicium deducta est.

Duae erant exceptiones, quae potissimum objiciebantur, nimirum intrinseca nullitas emphiteutici contractus ex precum subreptione et obreptione derivans et nullitas extrinseca decreti executorialis ex defectu potestatis in executoribus. De prima ante omnia sermo sit, in qua magnae disquisitionis opus haud erat; namque res ipsa loquebatur, in precum narratione anni 1829 falsum fuisse expositum. Et sane; fundus beneficialis mensuram rublorum quinque praeseferre dictus fuerat: at vero, rebus denique accuratius inspectis, absque omni dubitatione compertum fuerat, fundum ipsum ad rublos tresdecim ascendere.

Neque autem respondere proderat, rem hanc bona cum fide sine contradictione processisse. Nam in jure canonico incompertum est, obreptioni et subreptioni locum esse etiamsi hujusmodi vitium ignoranter acciderit: satis est enim, ut preces veritate nequaquam nixas fuisse dignoscatur. Si enim S. C. eo modo, quo vere erat, se rem

---

*) Vd. t. I. p. 448 §: *S. Congregationis.*

habere agnovisset, gratiam expetitam sine dubitatione denegasset, tam exigua praesertim annui canonis solutione praefinita: quod juxta commune SS. CC. jus et interpretum doctrinam sufficit, ut subreptio et obreptio adesse dicatur, adeoque gratia, utpote tam substantiali infecta vitio, veluti nulla radicitus habenda sit.

Tametsi vero hujusmodi difficultatem nullo in pretio habendam esse per summam liberalitatem concedere velles, altera super rescripti executionis nullitate offendebatur, quae superari nullimode poterat. Inprimis enim statuebatur hujusmodi gratiarum rescripta a sacris almae urbis congregationibus impertiri solita tum demum perfectionem adipisci, cum ab eo cujus arbitrio et conscientiae remittuntur rite executioni demandata fuerint. Interpositio enim, quae nedum permittitur executori sed et injungitur, *prudentis arbitrii et conscientiae* frustranea esset ac nugatoria. Hinc est, quod ex doctorum praesertim eorum, qui res practicas apprime callent, auctoritate ac sententia hujus generis rescripta tamquam conditionalia reputantur, quae videlicet ex conditione executionis peragendae dependent.*)

Hoc posito subsumebatur, rescriptum in casu de quo agitur imperfectum plane dicendum esse, si ejusdem executio tamquam nulla deprehenderetur: conditio siquidem isthaec substantialis adimpleta minime fuisset et quod initio vitiosum esset, non potuisset tractu temporis convalescere. Jamvero inefficacia decreti executorialis meridiana luce clarior sese prodebat. Quamvis enim executionem peregisset Pro-Vicarius generalis, cui canonica jura ordinariae jurisdictionis partem generatim loquendo ex ipsius officii vi permittunt, nihilominus huic auctorationi sui sunt certi statutique fines, quos eidem transilire datum non est.*) Hoc enim in casu ne Vicarius generalis nulliter agat, necesse est, ut Episcopus specialem eidem facultatem conferat sive generatim in literis quibus ad hoc ministerium adscisitur sive singulatim in casibus peculiaribus, toties quoties iidem supervenerint. Quod vero executio beneplaciti apostolici Episcopo nominatim commissi inter facultates Vicario generali ordinario competentes accenseri nequeat, vel ex hoc ipso arguitur, quod alienatio rerum ecclesiae neque ipsi Episcopo permissa est, utpote summo Pontifici reservata, hoc unum Episcopo integrum est, ut generalem Vicarium subdelegare non impediatur; quandoquidem ex *cap. Quoniam de off. Del.* Delegatus a principe potest subdelegare.

Porro specialis hujusce auctoritatis ab Episcopo, qui adhuc superstes erat, acceptae, nulla in decreto executoriali mentio facta fuerat, seu superius indicatum est. Neque ceteroquin pars adversa legitimis probationibus demonstrabat, expressum Episcopi mandatum nequaquam defuisse; prouti ipsi solide comprobare necessario incumbebat, quatenus actus illius robur stare voluisset.**)

Cum itaque rescriptum anni 1829 omni ex parte corrueret, implorata sanatio vel omnino pernegari debuisset, ne gratia in damnum tertii idest beneficii vergeret, vel saltem ad eam aequalitatem canon persolvendus propius referri debuisset, quam justitia hinc inde praescriberet. Neque enim recto consilio oratrici accessiones fundo factas et beneficium liberatae servitutis opponere

*) Monacellius disciplinae S. C. apprime gnarus, quippe qui per quatuordecim annos ejusdem S. Congregationis officialem egit, in suo opere *Formul. Leg. tit. 14 form. 4 n. 1* ita scribit: »Beneplacitum apostolicum super alienatione bonorum ecclesiarum et locorum piorum ecclesiasticorum, sive expediatur per Datariam sive a Congregationibus Concilii et Episcoporum ac Regularium, habet regulariter in ventre clausulas, quae reddunt gratiam conditionalem et quae inducunt formam per executorem praecise servandam ut dixit Rota.« Idem fere concinit Rigantius *reg. 52 n. 76 ac 73*, Rosa *Exec. lit. apost. cap. 13 n. 67.* Quibus addi posset romanae Rotae auctoritas in permultis cum antiqui tum recentis aevi decisionibus.

*) Certum et indubitatum est, quod per generalem Vicarii constitutionem non censetur in eum translata facultas, quae competit Episcopo jure speciali, ait Fagnanus ad *cap. Quoniam de offic. Deleg. n. 10*; namque, ut ipse subdit, »in jurisdictione delegata non fit extensio de persona in personam.« Itaque in Concilii Tridentini dispositionibus, quoties aliquid Episcopo *ex jurisdictione delegata* tribuitur, receptum est, idipsum non censeri permissum Vicario generali, si non accedat specialis Episcopi auctoratio. Vid. Leuren. *De Vic. Ap. qu. 111* et *qu. 194,* Pirhing. *de offic. vic. lib. 1. t. 28. n. 91.*

**) Ad rem tradit Monacel. *Form. leg. tit. 1. form. I. n. 32:* »Praesumptio stat pro nullitate actus, nisi probetur commissio, quam probare tenetur ipse Vicarius vel alius, qui eam supponit, ut eam in rem in individuo docent; et est generale, quod quando qualitas seu idoneitas requiritur a lege non praesumitur, sed est probanda, cum sit qualitas extrinseca, licet intrinseca praesumatur adesse.«

fas erat: quoniam Titius triginta et amplius annorum decursu naturalem fundi beneficialis fructum ex quantitate rublorum tresdecim perceperat, quando nonnisi ex quinque tantum rublis compendium illud consequi debuisset. Unde sequebatur, ut melioramenta in fundo peracta ex ipsius fundi fructibus satis superque compensata dici deberent.

Oratrix ajebat in exarandis precibus S. C. anno 1829 exhibitis normam desumptam esse ab ecclesiastico episcopalis curiae censu, in quo fundo beneficiali quantitas rublorum quinque adscribitur. Eidem se conformavit agrimensor ab Episcopo deputatus necnon et ipse Episcopus in literis S. C. remissis. Error autem, quo pro tresdecim rublis quinque tantummodo sumpti expressique fuerant ex eo certe occasionem habuit, quod octo, qui supererant rubli, in solo montibus, saxis, arena constrato positi erant, adeoque nullius fere culturae idonei, ita ut si posthac aliqua ex parte nonnihil reddituum percipiebatur, id emphiteutae industriae dumtaxat imputandum esset. Itaque si soli quantitas inspiceretur, error magnum aliquod protendere videbatur; si vero qualitas spectata fuisset errorem eumdem in accidentalibus versatum esse facile apparebat: quod juxta sententiam interpretum rerum canonicarum omnem subreptionem obreptionemque excludit. *Reiff. lib. I. dec. tit. 3. n. 189.*

Quod vero pertinet ad rescripti nullitatem ex defectu potestatis, subjiciebat oratrix Episcopum ipsum, cum adhuc sana valetudine uteretur, consuetam inquisitionem de veritate precum instituisse ac rebus cognitis pro sua conscientia S. C. retulisse, emphiteusim evidenti utilitati futuram. Quin imo Episcopus eo etiam devenerat, ut contractus ejusdem stipulationem impense commendaret. Quo posito quid pro suo arbitrio et conscientia sentiret, jam ipse satis superque patefecerat: hinc in executione rescripti non uti executorem *mixtum*, sed uti *merum* sese gessisse existimandus erat proptereaque gratiae valor a data rescripti computari debebat, minime vero a decreto executoriali. Utcunque vero se res haberet, praesumi non potest, quin ejus mandato Vicarius generalis rescriptum executus fuisset; cum praesertim Episcopus mandatum solo etiam nutu dare potuisset. Denique lapsus annorum plusquam triginta a rescripto anni 1829 ad preces ab oratrice oblatas omnem defectum ex juris principiis jam purgavisse dicendus erat.

Nihilo tamen secius oratrix aliena non erat ab aequa et rationabili aliqua transactione, in qua negabat fundi beneficialis redditum ad scutata centum ascendere: quin imo multo inferiorem eum esse demonstrabat ex syngraphis locationis tempore minime suspecto retro stipulatis. Quando itaque canonem ad scutata triginta attollere non dissentiret, conditionem certissime utillimam sese obtulisse inquiebat, si praesertim ratio haberetur melioris culturae in fundum illatae ac prae primis liberationis a servitute pascuorum, ex qua uberior fructuum recollectio ingenti non sine damno antea intercipiebatur.

Dubium:

An et quomodo concedenda sit implorata sanatio in casu?

S. C. Ep. et Reg. die 26. Febr. 1864 rescripsit: *Affirmative pro sanatione aucto tamen canone ad scut. 30 a die prima currentis anni, melioramenta comprehensa etiam affrancatione cedant favore beneficii et serventur ceterae conditiones in primo rescripto appositae, facto verbo cum SSmo.*

Ex quibus colliges:

I. Beneplacitum apostolicum ex obreptione et subreptione obtentum pro alienatione rerum ecclesiae non suffragari.

II. Obreptionem autem et subreptionem toties verificari, quoties falsitas exponitur vel veritas tacetur.

III. Id etiam accidere si ex ignorantia cum bona fide processerit, quando vitium in substantialibus versatur.*)

IV. Colliges rescripti executionem Episcopi *arbitrio et conscientiae* remissam efficere ut gratia facta non dicatur nisi accesserit executio.

V. Ad ejusmodi executionem procedere non posse Vicarium generalem, nisi huic specialis facultas ab ipso delegato Episcopo concedatur.

VI. In rebus enim ubi Episcopus ex facultate delegata procedit Vicarius generalis

*) Celeberrima est juris dispositio Innocentii III. rescriptorum obreptionem et subreptionem respiciens, quae legitur in capite 20. Decretalium.

procedere nequit sine speciali subdelegatione ab eodem Episcopo habita.

3) Praesumptio.

Ampurien.

Observantia, quae inolevit scientibus et prudentibus Episcopis, quibus maxime interest, ut seminario applicarentur portiones spoliorum, secumfert praesumptionem validioris tituli, cum ex lapsu triginta annorum generatim praesumatur apostolicum beneplacitum ut statuit *s. Rota in Sulmonen. Juris participandi 3. Martii 1752. §. 12. cor. Canilliac.* et in *Melevituna Immissionis 6. Junii 1783. §. 3. cor. cl. me. Cardinal. Flangini.*

Die 14. Junii 1817.

Bigamia.

1) Contracta ex dimisso clericatu et inito matrimonio cum vidua.

Vd. n. 2.

Terracinen.

Nicolaus de magistris a viginti annis citra conjugatus cum vidua et sic bigamus prole masculina carens ac proinde optans legitimare ad laicalium bonorum successionem filium susceptum ante matrimonium tempore quo erat simplex clericus in minoribus ordinibus constitutus merito ad propriae conscientiae quietem supplicat declarari ipsum qui ad formam sacrorum canonum et sacri Concilii Tridentini per bigamiam omnem clericatum dimisit non comprehendi sub bulla prohibitiva B. Pii V. 117. *bullarii tom. 2.* Quoniam certum est prohibitionem hujus bullae quoad bona laicalia restringi ad clericos, qui solum privantur omni facultate transmittendi bona etiam laicalia ad illegitimos seu legitimatos, ne inde oriatur ecclesiastici ordinis dedecus et scandalum prout ultra bullae lecturam declarat *Spada cons. 162. n. 6. lib. 1, Giovagnon. resp. 37. n. 10. lib. 2, Rota dec. 214. p. 2. divers. coram Par. dec. 264. dec. 82 inter consil. Farincii* et in *recent. dec. 30. p. 7.* et habetur in voto Vespignani impresso post *decisiones Remboldi vot. 10. n. 10.*

Prafatus autem D. Nicolaus, qui dimisso clericali statu transivit ad conjugalem cum vidua et consequenter bigamus fuit effectus, utique clericatum amisit atque in omnibus ad statum laicalem redivit, ita ut si vellet clericalem statum reassumere nullatenus posset juxta apertissimum textum in *cap. Unico de bigamis in 6.* »Bigamos omni privilegio clericali declaramus nudatos et coercitioni saecularis fori addictos, ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem.« Sequitur textus *in c. Quisquis 5, distinct. 84*, ubi quod bigamis tantum laica communio est relinquenda. S. Tridentinum Concilium *sess. 23 de reformat. cap. 17* et ibi *Barbosa n. 3*, ubi quod excluditur penitus a clericatu. *Bellet. disquisit. cleric. p. 1. tit. de disciplina eccles., Fagnanus in c.. Nuper a nobis n. 39. de bigamis, Paris. de resig. benef. lib. 4. n. 18*, ubi quod reputatur mere laicus.

Et quidem tali bigamo nullatenus adaptari potest ratio expressa in proemio dictae bullae, scilicet submovendi ea, quae ordini ecclesiastico noxia sunt, et scandala etc., cum enim bigamus redeat ad laicalem statum illique totaliter remaneat addictus juxta verba dicti text. in *cap. unico de bigamis in 6.* utique transmittendo laicalia bona ad legitimatum nullum irrogat dedecus et scandalum ordini ecclesiastico cui non reperitur addictus. Atque praedicta ratio est adeo necessaria ad dictae bullae applicationem ut nec quidem clericus conjugatus (qui volens potest clericalem statum profiteri) sub dicta bulla comprehendatur, ut decisum fuit per *Rotam* signanter *in decis. 487* et testatur *Cherub. in compend. bullar. ad bullam Pii V. 117, schol. 2 fol. mihi 69.*

Certius igitur et citra omnem scrupulum resolvendum venit, nostrum bigamum non comprehendi sub praefata bulla, quae utpote prohibitiva et juris communis correctoria utique nullam admittere potest extensionem sed strictam recipere debet interpretationem juxta notam regulam, quam in his terminis adducit *Spada de cons. 162. n. 8. vers.: sed respectu, et seqq. lib. 1.*

Quare etc.

Dominicus Taurusius Advocatus.

(Anal. J. P. 1865 p. 1801.)

Continuatio.

Quamvis D. Nicolaus de Magistris, dum esset clericus solius primae tonsurae, procreaverit filium naturalem, nihilominus postea dimisso omnino statu clericali transivit ad statum conjugalem cum vidua contrahendo consequenter bigamiam, in quo statu conjugali atque uti mere laicus permansit jam et permanet a viginti et ultra annis, cumque careat prole masculina et proinde exoptet legitimare ad laicalium bonorum successionem dictum filium naturalem susceptum ante matrimonium, ideo ad propriae conscientiae quietem supplicat declarari ipsum, stantibus hujusmodi circumstantiis, non comprehendi sub bulla P. Pii V. 117. bullar. *tom. 2.* prohibente clericis legitimationem filiorum naturalium, et videtur annuendum.

Quoniam dicta bulla prohibitiva legitimationis comprehendit solum illos qui actu manent in statu clericali ac vivunt in ecclesiastico ordine, non autem illos qui, licet semel clerici effecti fuerint, tamen postea dimisso clericali statu transiverunt omnimode ad statum laicalem atque totaliter in laicorum ordine vivunt, ut satis explicant verba proaemialia bullae:

Quae ordini ecclesiastico noxia esse et scandalum objicere prohibentur necesse est e medio submovere. Scandalum enim et dedecus ordini ecclesiastico per naturalis legitimationem irrogat solum ille, qui clericalem profitetur statum atque actu ecclesiasticam gerit personam, secus ille, qui mutato statu effectus fuit de laicorum ordine, merum laicum agit, prout in terminis clerici transeuntis ad statum conjugalem relicto penitus habitu et statu clericali, bene explicat *Lucidor. de illegit. cap. 28. n. 31. ad 35. et cap. 31. n. 15;* qui idem firmat etiam de habente ordines sacros et contrahente matrimonium ex dispensatione Pontificis, *Giovagn. res. 16. n. 56, vers.: nono denique et seq. lib. 2.* Et consonat *Cherubinus in compend. bullar. ad bull. Pii V. 117, schol. 2. f. mihi 69, Rota d. 487 parte 1 diversorum.*

Fortius id procedit quoad praesentem oratorem, qui non solum dimisso omnino statu clericali transivit ad statum laicalem agendo merum laicum, sed per matrimonium cum vidua effectus fuit bigamus, qui de jure etiam volens prohibetur habitum et tonsuram clericalem deferre aut in aliquo statum clericalem profiteri, et cogitur ab ipsa lege mere laicum agere per text. express. in *cap. unico de bigam. in 6 et in cap. 6. distinct. 84* ubi quod bigamo remanet solum laica communio. Concordat Conc. Trid. *sess. 23. de reformat. cap. 17.* et ibi *Barbosa n. 3. Speculat. lib. 4. de cler. conjug. n. 18., Bertach. in repert. part. 1. vers.: Bigamus dicitur saecularis; Squillant. de oblig. cler. p. 6. n. 40. et 41. f. 219, Fagnan. in cap.: Nup. a nobis, n. 39. de bigam., Spada cons. 170. n. 12. lib. 1.*, ubi quod debet vivere uti laicus; *Ric. in prax. fori eccles. p. 3. resol. 34. n. 1. et seqq.*

Atque est adeo repugnans bigamia cum statu clericali, ut nec Episcopus possit dispensare, ut bigamus exerceat aliquem ordinem prius susceptum, prout fuisse ab hac s. Congregatione decisum testatur *Genuensis in pract. cap. 113.*

Si enim bigamus, jubente lege, debet profiteri statum mere laicalem nec potest exercere statum clericalem, necesse sequitur quod facere valeat ea omnia quae laicis permittuntur, prout est legitimatio naturalium ad bona laicalia, et nimis incongruum esset affirmare, quod nihilominus subjectus remaneat illis prohibitionibus, quibus subjacent viventes in statu clericali, ut sensui patet, et si aliter diceretur, sequeretur his bigamis prohibitam esse venationem, negociationem ac alia plurima prohibita clericis, quod esset maximum absurdum. Si igitur bigami viventes ex legis praecepto in statu mere laicali possunt facere ea quae laicos decent, jam nullam irrogare possunt ignominiam

ordini ecclesiastico et sic eis nullatenus adaptari potest bulla Piana.

Non obstat quod filius modo legitimandus procreatus fuerit de tempore quo orator sequebatur statum clericalem, in quo illum non poterat legitimare, quia sufficit, quod sit in statu laicali de tempore, quo facere intendit legitimationem atque illam ad effectum perducere, cum ad validitatem cujuslibet actus considerari debeat solum habilitas de tempore actus, etiam quod antea fuerit prohibitus, prout in individuo articulo examinato respondet *Giovagn. d. resp. 16.*, *Lucidor. de illegit. cap. 28.*, ubi etiam quod per subsecutam dimissionem status clericalis et transitum ad laicalem convalidatur praecedens legitimatio facto de tempore clericatus.

Certius hic, ubi orator de tempore procreationis filii erat clericus solius primae tonsurae nec ullum habebat beneficium, qui proinde nec de eo tempore comprehendebatur sub bulla, ut firmat *Cherubinus in compend. bull. ad const. Pii V. 117. schol. 2.*, *Rota decision. 487. pars prima divers.*, *Lucidor. de filiis illeg. cap. 28.* Quare etc. (*Ibid.*)

Continuatio.

Nicolaus de Magistris clericus a 20 annis circiter matrimonium contraxit cum vidua cum qua vivit uti mere laicus; sed quoniam est destitutus filiis masculis supplicat declarari:

An possit legitimare filium naturalem, quem tempore clericatus ante matrimonium suscepit?

Sacra Congregatio respondit: Utatur jure suo.

Die 26. Aprilis 1681. (Ibid. p. 1804.)

2) Non dispensatur a bigamia vera. Prohibitio ad sacros ordines promoveri.

Vd. n. 1. p. 1056; p. 1060 n. 2.

Pisana.

Petrus Aeneas Gaeta qui antea clericali militiae nomen dederat defuncta prima uxore et post viduitatem per septennium servatam secundas iniit nuptias. Secunda uxor pariter fato cessit duas ex se relinquens filias. Unicus, quem ex prima uxore suscepit, filius in aliam receptus est familiam vitamque seorsim a parente agit.

Filiae vero, quas in secundis nuptiis procreavit, erunt in monasterio quantocitius collocandae. Notarii criminalis munere viginti annos functus est, quin tamen sanguinis sententiam dixerit vel ad eam aliquo modo operam dederit, cum poena mortis et mutilationis tunc temporis sublata fuisset per leges in Etruria vigentes.

Ob bigamiam prohibetur, quin ad sacros ordines promoveatur et adipiscatur canonicatum majoris ecclesiae Pisanae, quapropter SSmum exoravit, ut per apostolicam dispensationem clericali militiae adscribi et canonicatus potiri valeat.

Vacans canonicatus est de jurepatronatus activo et passivo familiae Gaeta et orator sub die 27. Dec. 1821. nominationem obtinuit a Francisco Gaeta sub spe obtinendae dispensationis ab omni irregularitate.

Post hanc factam praesentationem et admissam per curiam Pisanam cum consueta clausula: si et in quantum et quatenus de jure Petrus Gaeta supplex adiit summum Pontificem, ut ab irregularitatibus eum dispensaret. Hujusmodi preces ab Emo Secretario brevium remissae fuerunt die 11. Januarii 1822 nempe die 15. post praesentationem Ordinario pro informatione et voto. At comparuit die 16. Januarii 1822 in eadem curia clericus Joseph Pucciardi rogans, ut Archiepiscopus declararet, Petrum Aeneam Gaeta omni jure excidisse eo, quod ille nec intra quadrimestre spatium nec intra tempus postea sibi praefixum ab Ordinario canonicam dispensationem a SSmo obtinuisset. Hae preces et alterae Petri Gaeta a laudato Emo Secretario brevium huic s. Congregationi ex audientia SSmi die 12. Martii 1822 remissae fuerunt. Ex hac facti expositione exurgit quaestio, quam sub quadruplici dubiorum formula vobis dirimendam subjicio. In primo igitur dubio quaeritur, an orator Petrus Aeneas Gaeta propter munus Notarii criminalis, quod exercuit, in irregularitatem inciderit.

Apostolus in Episcopis et Diaconis inter caetera requirit ut non sint percussores. Quapropter is, qui in judicio criminali per capitis sententiam utcumque legitimam aut per quamlibet in judicio capitali partem notarii, assessoris, patroni vel testis poenam sanguinis quoquomodo procuraverit, irregu-

laris evadit. *Alex. III. in cap. Clerici 5. ne cler. vel monachi*, et *Innocent. III. cap. sent. Sanguinis eod. tit.*, *Innocent. I. in can. aliquantos I. dist. 55. cap. 4. de rapt.* et *cap. 10. de excess. prael.*

Hinc profecto patet, tunc tantum aliquem irregularem fieri, cum muneris sui ratione sententiam sanguinis procurarit.

Id etiam abunde colligitur ex canonibus Concilii Londinensis anni 1075, 1102. et 1175. et praesertim ex decreto Concilii Lateranensis IV. sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat aut ubi exercetur intersit. Necquisquam clericus literas scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas. Cum igitur orator Gaeta nequaquam in judicium sanguinis intervenerit (hujusmodi enim poenae per leges tunc temporis in Etruria vigentes omnino exoleverant) patet profecto, eum irregularitatem non contraxisse. At dicendum est, quod per se non stetit, si poena capitalis inflicta non sit tempore, quo notariatum exercuit. Poterant enim leges immutari et ipse tunc facillime in capitali judicio opem tunc dedisse praesertim, quia ob munus suum de atrocissimis quoque criminibus agere debebat

Secundo loco quaeritur: an sit consulendum SSmo pro dispensatione. Quoties EE. VV. putaverint, oratorem propter munus Notarii criminalis irregularem non evasisse, tunc dispensatione non indigebit. Videndum porro restat, an sit ei concedenda dispensatio ab irregularitate contracta ex bigamia. Eos, qui sacris ministeriis mancipari desiderant, aut continentiae dono insignes aut unius uxoris viros fore debere ecclesiastica regula docet; Apostolus enim in prima sua epistola ad *Timotheum cap. 3.* describens qualitates in Episcopis ac Diaconis necessarias inter caetera dicit: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum;* deinde de ministris eloquens ait: *Diaconi sint unius uxoris viri.*

In hunc Apostoli locum ita diserte ait clarissimus Estius: Est igitur hujus loci verus commentarius oportere Episcopum esse unius uxoris virum . . . Denique propter hanc apostolicam legem ecclesia bigamos a sacris ordinibus semper repulit, bigamos utique intelligens eos, qui priore conjuge mortua duxissent alteram . . . His praemissis . . . inhibitum est ne bigamus aut viduae maritus possit ad sacros ordines promoveri: quia nec illa est una unius nec iste est unus unius.

His tamen non obstantibus constans est theologorum canonistarumque sententia, romanum Pontificem in irregularitate ista dispensare posse, quia ex jure ecclesiastico fluit: sic Lucius cum perillustri canonista Archidiacono Panormitano, qui bigamus erat, dispensavit teste *Glossa in cap. Lector. 18. dist. 34.* Posita vero summi Pontificis potestate, de qua nullum excitari potest dubium, inquirendum, an justa ac rationabilis occurrat causa, ut sit SSmo pro dispensatione consulendum. Ex generali regula compertum dispensationes non concedi, nisi evidens adsit necessitas vel utilitas ecclesiae.

Porro in casu agitur de sene, aliquanto auribus capto. Agitur de eo, qui post obtentam praesentationem dimisit habitum clericalem, ex quo dubitari posset, ei deesse ecclesiasticum spiritum, quo destitutus non modo inutilis, verum etiam noxius erit ecclesiae. Timendum est etiam, ne orator aut turpis quaestus aut honoris causa ad sacra contendat ministeria

Verum animadvertendum est, an his omnibus obsistant tenuitas reddituum canonicatus, qualitas patroni activi et passivi in oratore, quo in casu saepe saepius gratias concessit haec s. Congregatio, quia jura omnia his plurimum favent, et demum defectum in auditu non esse adeo gravem, ut orator surdus omnino dici possit, nec hujusmodi est, ut eum omnino a sacerdotio arceat, nec pro praebenda, de qua sermo est, sacerdotium requiritur.

In ultima dubii formula quaeritur, an propter lapsum temporis ab Ordinario designati ad obtinendam a s. Sede dispensationem orator excidit jure suo; uti contendit Pucciardi legitime impedito tempora non currunt, idque commune est in utroque jure tum civili tum canonico.

Terminus ab Ordinario praefixus expiravit die 20. Decembris. Preces pro informatione ablegatae fuere die 11. Januarii proxime sequentis: hinc dubium remanet: an eaedem preces post lapsum termini fuerint oblatae seu potius (quod probabilius videtur) ante natalitias ferias, unde dici possit, per oratorem non stetisse, quominus dispensatio obtineretur tempore habili, sed si mora temporis intercessit, id factum est

propter ingentem negotiorum molem, quae ex omnibus mundi partibus ad sanctam Sedem confluunt.

Hisce positis satisfaciant rogo EE. PP. quaestionibus, quae proponuntur. Sint igitur

Dubia:

I. *An Petrus Aeneas Gaeta propter munus notarii criminalis irregularis evaserit in casu?*

Et quatenus affirmative;

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu?*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate ex bigamia in casu?*

IV. *An Petrus Aeneas propter lapsum temporis ab Ordinario praefixi jure suo exciderit, ita ut institutio danda sit clerico Pucciardi in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Providebitur in III.

Ad III. Negative.

Ad IV. Quoad primam partem jam provisum, quoad secundam: institutionem dandam esse clerico Pucciardi.

Die 25. Jan. et 22. Febr. 1823.

Bigamus.

1) Minister baptismi.

Baptismus a bigamo administrari non debet, etiam in necessitatis casu, si alius adsit magis idoneus.

(Epistola decret. Bened. XIV. *Postremo* §. 51. p. 88.)

2) Ordinandus non est.

Vd. p. 1058 n. 2.

Leo (I.) Ep. universis Episcopis per Campaniam, Picenum, Tusciam et per Italiae provincias universas constitutis.

Admittuntur passim ad ordinem sanctum, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas suffragatur et qui a dominis suis libertatem consequi minime potuerunt ad fastigium sacerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, provehuntur et probari Deo posse creditur, qui domino suo necdum probare se potuit. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod et sacrum ministerium talis consortii vilitate polluitur et dominorum, quantum ad illicitae usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. Ab his itaque, fratres carissimi, omnes vestrae provinciae abstineant sacerdotes, et non tantum ab his, sed ab aliis etiam, qui originali aut alicui conditioni obligati sunt, volumus temperari: nisi forte eorum petitio aut voluntas acces-serit, qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis qui divinae militiae fuerit aggregandus: ut a castris dominicis, quibus nomen ejus adscribitur, nullis necessitatis vinculis abstrahatur.

Qualis vero unicuique constitit natalium honestas et morum esse debeat sacri altaris ministerio sociandi, et Apostolo nos docente et divina praeceptione didicimus et canonum regulis, a quibus plerosque fratrum declinasse et penitus deviasse reperimus.

Nam constat ad sacerdotium pervenisse viduarum maritos: quosdam etiam, quibus fuerint numerosa conjugia et ad omnem licentiam vita liberior, ad sacrum ordinem passim patefactis aditibus fuisse permissos, contra illam beati Apostoli vocem, qua talibus exclamat dicens: unius uxoris virum. Et contra illud antiquae legis praeceptum, quo dicitur et cavetur: sacerdos virginem uxorem accipiat, non viduam, non repudiatam. Hos ergo, quicunque tales admissi sunt, ab ecclesiasticis officiis et sacerdotali nomine, apostolicae Sedis auctoritate, jubemus arceri. Nec hoc enim sibi potuerunt vindicare, cujus capaces per hoc, quod illis obsistebat, non fuerunt.

Hujus discussionis curam Nobis speciali-

ter vindicantes, ut si qua forsitan de his commissa sunt corrigantur, nec liceat ultra committi. Et ne qua excusatio de ignoratione nascatur, quanquam ignorare nunquam licuerit sacerdotem, quid canonum regulis fuerit definitum, haec ergo ad provincias vestras per Innocentium, Legitimum et Segetium fratres et Coepiscopos nostros scripta direximus: ut quae male pullullasse noscuntur, radicibus evellantur, et messem dominicam zizania nulla corrumpant. Ita enim fructum uberem quae sunt sincera praestabunt, si ea, quae natam segetem enecare consueverunt, diligentius amputentur.

Die 10. Oct. 443.

(Bull. r. t. I. p. 46. n. 1. Ed. Aug. Taur. 1847.)

Blasphemia.

(Vd. Decreta auth. S. R. C. Ed. Mühlbauer. Suppl. t I. p. 20.)

1) Poenae.

Vd. p. 454 § 10; SS. Nomen Jesu.

Pius PP. V.

Ad abolendum nefarium et execrabile blasphemiae scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, et imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem, propter nimiam judicum in puniendo segnitiem vel potius desuetudinem supra modum invaluit, Leonis X. Praedecessoris nostri, in novissimo Lateranensi concilio statuta innovantes, decernimus ut quicumque laicus Deum et Dominum nostrum Jesum Christum vel gloriosam Virginem Mariam ejus genitricem expresse blasphemaverit, pro prima vice poenam XXV ducatorum incurrat, pro secunda poena duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos solvet et ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui vero plebejus fuerit nec erit solvendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores ecclesiae constituetur per diem integrum, pro secunda fustigabitur per Urbem, pro tertia lingua ei perforabitur et mittetur ad triremes. Quicumque clericus in hoc blasphemiae crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium et quorumcumque beneficiorum suorum, pro secunda beneficiis ipsis privetur et in exilium mittatur. Quod si clericus nullum obtinuerit beneficium poena pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur et ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemaverit, pro qualitate blasphemiae atque personae arbitrio judicis puniatur.

Dat. die 1. Apr. 1566.

(Bull. r. t. VII. p. 417 Ed. Aug. Taur.)

2) Prohibitio.

Prohibitio blasphemiarum et barattariarum in alma Urbe et jurisdictio generalium inquisitorum haereticae pravitatis coercendi ipsos blasphematores ac eos scientes et non revelantes.

Julius Papa III.

Ad futuram rei memoriam.

In multis depravatis moribus vitiosisque consuetudinibus, quae in nostram hanc almam Urbem, propter ejus amplitudinem magnumque advenarum undique in eam concursum, simul cum pluribus eximiisque virtutibus atque egregiis verae pietatis exemplis, irrepserunt, ad quas Nos tollendas et extirpandas omnem aciem mentis et cogitationis nostrae intendimus, nihil est quod animum nostrum magis exulceret et confodiat quam horribilis atque impia et christianis auribus intollerabilis divini nominis blasphemia. Cum audivimus sacratissimum Dei et Jesu Christi Domini nostri nomen, quod super omne nomen coelestia venerantur, terrestria adorant, inferna contremiscunt (quod ne temere quidem a quoquam, propter ejus sublimitatem ac majestatem, usurpandum sit), passim pravorum efferatorumque hominum vocibus scindi unaque

cum ejus sanctissimae Genitricis et venerabilium Sanctorum et amicorum ipsius summi Dei nomine detestandis blasphemiis maledictisque lacerari, ut minime mirandum sit, si a christianis populis, in tantis calamitatibus constitutis, divinae iracundiae flagella non amoveantur, propterea quod juxta Sapientis dictum a viri multum jurantis domo non discedet plaga.

§ 1. Quare Nos, hujusmodi execrandum abusum simul cum ceteris omnibus, quantum, cum ejusdem Dei adjutorio, fieri poterit, extirpare volentes, ut hanc ipsam urbem domicilium ac sedem Spiritus sancti, omnibus inquinamentis mundatam ac perpurgatam Domino Deo per omnia placentem exhibeamus, in hunc, qui sequitur, modum, quoad praefatum horrendae blasphemiae crimen motu proprio et ex certa nostra scientia et voluntate, invocata Dei omnipotentis justitia, decernimus, statuimus et ordinamus:

§ 2. *Blasphemantes scilicet Deum Patrem omnipotentem vel ejus Filium unigenitum, Dominum et Redemptorem nostrum Jesum Christum seu Spiritum sanctum*, vel particulariter et explicite vel generaliter et implicite attribuendo divinae Majestati, quae illi minime conveniunt, vel removendo quae eam decent, primo convicti, si divites fuerint, compellantur ad solvendum scuta auri quadraginta; si vero pauperes, solvant decem: quae si nequeant numerare, luant in corpore. Secunda vice convictis, nobilibus, divitibus sive pauperibus duplicetur poena pecuniaria proportionabiliter ad primam hujusmodi mulctam, atque insuper incurrant infamiam et inhabilitatem ad beneficia quaecumque, ad gradus, dignitates et honores obtinendos. Vilibus convictis perfodiatur lingua. Tertia vice convictis nobilibus tam divitibus quam pauperibus triplicetur poena pecuniaria respective ut supra. Ulterius sint ipso jure privati beneficiis ecclesiasticis et officiis quibuscumque, dignitatibus, titulis, magistratibus, honoribus; sint intestabiles, tam active quam passive; sint inhabiles ad ferendum testimonium; sint banniti publice per triennium ab Urbe. Vilibus imponatur fustigatio aut deportatio ad triremes per triennium, et exulent perpetuo.

§ 3. Idem servetur contra blasphemantes ipsius Domini nostri Jesu Christi *Matrem beatissimam semper Virginem Mariam.*

§ 4. Blasphemi in *Sanctos vel Sanctas* Dei corrigantur severe, arbitrio dominorum judicum, habita ratione qualitatis et gravitatis criminis, cum ceteris circumstantiis jure attendendis.

§ 5. Volumus autem et statuimus ut omnes poenae pecuniariae exigendae applicentur tantummodo sustentationi orphanorum utriusque sexus cathecumenorum et puellarum.

§ 6. Judices vero tam horrendi et impii criminis deputamus et instituimus reverendos dominos inquisitores nostros generales, quos volumus posse addere praestitutis poenis et maxime in corpore, si modus blasphemiae ob gravitatem, impietatem vel malitiam id exposcat.

§ 7. Partes eorumdem dominorum judicum erunt declarare, si dubium occurrat, qui nobiles, qui plebei, qui divites, qui pauperes sint habendi.

§ 8. Insuper, ne sacrilega et mortifera haec pestis, si lateat, minus curari vel praecidi possit, ex omnipotentis Dei auctoritate *mandamus omnibus et singulis*, *cujuscumque sint gradus et conditionis*, *qui sciverint aliquos blasphemasse*, *ut supra*, *quod eos denuncient infra triduum reverendissimis judicibus* vel per se ipsos vel per chirographum, modo et ordine inferius exprimendo. Sicque omnes et singulos in districto Dei judicio requirimus et eorum conscientias aggravamus. Monendo tamen eos quod, si constiterit aliquem scientem noluisse denunciare, cujuscumque fuerit status, dignitatis et conditionis, praeter ultionem justitiae divinae, quam ei annunciamus, et praeter culpam mortalem, quam incurret ob inobedientiam et ob neglectum honorem Dei, punietur eisdemmet poenis, quibus blasphemi, et sic eos mulctari praecipimus; non enim solum digni sunt poena aut supplicio, qui ea faciunt, sed et qui non corrigunt facientes.

§ 9. *Cupientes denunciare secrete*, *scribant in chirographo nomen blasphemiae et speciem*, locum et diem blasphemiae, et si placuerit apponere nomen proprium, addant duos vel saltem unum testem; si vero maluerint ipsi denunciantes supprimere nomina propria, adscribent tres vel saltem duos in chirographo, qui sint testes de blasphemia, et illud per religiosam personam, per spiritualem patrem, cui confidant, mittant uni, cui voluerint, ex reverendissimis judicibus ordinariis, quibus, ita ad deferendum electis, praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, quod nemini habeant revelare denunciantes testes vel denunciatos nisi tribunali jam decreto, in quo volumus servari omnino secretos tum denunciantes *tum testes*, non secus ac servatur in causa fidei.

§ 10. In condemnando pro hoc execrabili scelere stabitur *duobus testibus fide dignis;* poterit haberi loco testis unius denuncians, si medio juramento denunciet, diligenter observata qualitate, integritate et reliquis circumstantiis tum denunciantis tum alterius testis.

§ 11. Si qui, quod Deus avertat, inventi fuerint denunciantes vel attestantes falso, subeant poenas blasphemorum et illomet ordine, et nihilominus severissimis et gravissimis poenis, etiam in corpore, affligantur ac ad triremes perpetuo deputentur.

§ 12. Blasphemis non accusatis nec denunciatis, si se ipsos humili et contrito corde accusent, si de eorum iniquitate veniam petant, condonamus omnes poenas a Nobis impositas; interim tamen lacrymis, orationibus et ceteris voluntariis poenitentiis peccatum maxime detestabile redimant in misericordia Domini.

§ 13. Quia vero compertum habemus ludos, quos barattarias vulgus appellat, praeter multas iniquitates, quibus causam praebent, blasphemiam maxime enutrire, gignere et emovere, ideo, auctoritate nostra, in spiritu Domini, praesenti decreto nostro et motu proprio amovemus, damnamus et prohibemus omnes hujusmodi barattarias, tamquam semina plurium impietatum. Et qui in posterum ausi fuerint eas manutenere vel exercere, volumus ac jubemus eos carceribus mancipari de facto et puniri poenis a jure contra aleatores statutis; et insuper arbitrio dominorum judicum praefatorum etc. mulctari gravissime pro transgressione hujus nostrae prohibitionis, a qua nullum excipimus, cujuscumque sit gradus, dignitatis vel conditionis; et pro hac causa dumtaxat cassamus, irritamus, annullamus quamcumque praetensam licentiam vel exemptionem.

§ 14. Volumus autem quod praesentium transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 1. Februarii 1554.

(Bull. r. t. VI. p. 478. Ed. Aug. Taur. 1860.)

Contra haebraeos retinentes libros Thalmudi et alios, in quibus nomen Jesu Salvatoris nostri etc. cum blasphemia aut alias ignominiose nominatur.

Julius Papa III. universis et singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis aliis locorum Ordinariis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum, sicut nuper, non sine animi nostri molestia, accepimus, licet alias venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales, haereticae pravitatis in universa republica christiana inquisitores generales, certum haebraeicorum librorum volumen Chemarot Thalmud nuncupatum nonnulla indigna et legem divinam orthodoxamque fidem offendentia continens de mandato nostro damnaverint et igne comburi fecerint, nihilominus inter ipsos haebraeos adhûc esse dicantur diversi libri diversas contra Christum Redemptorem nostrum ejus usque sanctissimum nomen et honorem blasphemias et ignominias continentes,

§ 1. Nos, in praemissis opportune providere volentes, vobis et vestrum cuilibet *per praesentes committimus et mandamus* quatenus singulis universitatibus hebraeorum, infra limites jurisdictionis vestrae consistentibus, ex parte nostra intimetis et notificetis quod, elapsis quatuor mensibus a die intimationis et notificationis *hujusmodi*, *omnes et singuli libri*, *in quibus nomen Jesu Salvatoris nostri*, *quod Jescvi Hanozri dicitur*, *cum blasphemia aut alias ignominiose nominatur, tam in eorum synagogis et locis publicis quam privatis domibus et alias ubique locorum diligentissime exquirantur*; *et qui libros hujusmodi penes se quoquo modo habere reperti fuerint*, *debitis poenis*, tam pecuniariis et confiscationis bonorum, quam. si eorum contumacia aut qualitas delicti id exegerit, corporis, etiam ultimi supplicii, ac alias prout a fide Christi apostatantes puniuntur, irremissibiliter puniantur; et nihilominus, eisdem quatuor mensibus elapsis, per vos vel alium seu alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, *libros hujusmodi cum omni diligentia inquiratis et studiose investigetis inquirique et investigari faciatis*, *et eos quos libros hujusmodi penes se habere repereritis*, *poenis*, *quibus apostatantes praefati puniuntur*, *omnino et irremissibiliter puniatis.*

§ 2. Nos permittentes de cetero eosdem hebraeos (qui, in memoriam passionis dominicae, a sancta matre ecclesia tolerantur, ut aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen divino afflante Spiritu convertantur) a quibusvis, etiam apostolica auctoritate fungentibus, occasione cujusvis sortis librorum apud eos existentium, dummodo blasphemiam, ut praefertur, non contineant, nisi de nostro expresso mandato quomodolibet et rebelles, ac vobis in praemissis non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas ac etiam pecuniarias, arbitrio vestro moderandas et applicandas, ac alia opportuna juris remedia, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas praedictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac ipsorum hebraeorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet concessis ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis; quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes etc.

§ 4. Et quia difficile foret etc.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 29. Maji 1554.

(Ibid. p. 482.)

Bona.

1) Beneficii.

a) Administratio.

Vd. *Beneficiatus* (administ. p. 133.); p. 362. n. 7.; p. 384. n. 18.

b) Alienatio.

Vd. *Alienatio bonorum*; *Beneficium* (bona — alienatio — p. 384. n. 18. a.)

c) Applicatio in varios usus.

Vd. *Beneficium* (applicatio p. 370. n. 15.)

2) Capellaniae laicalis.

(Alienatio non concessa.)

Pia mulier suo testamento anno 1749 legatum missarum instituit (ex tabellionis fide; deest enim testamenti particula) his fere verbis: »reliquit pro capellania perpetua laicali gentilitia, favore Bernardi N. ejusque filiorum, masculorum et descendentium in infinitum, fundum L., ex cujus fructibus celebrari deberent missae pro anima sua etc. constituta eleemosynae quantitate pro singulis missis; eaque capellania erigi deberet illico post suam mortem. Disposuit etiam, quod si inter Bernardi descendentes non esset presbyter vel clericus, praeferetur primogenitus aut descendens masculus laicus, qui onere earum missarum gravaretur cum determinata eleemosyna aut cum presbytero conveniret de missis celebrandis cum congrua eleemosyna: quod autem superesset sibi proprium faceret.«

Quamvis ex hujusmodi institutione in praesentia unus primogenitus frui debere videretur legato pio: attamen quattuor fratres fructus fundi L. percipiebant atque pro rata portione onera missarum erant divisa.

Quum vero tres horum fratrum maxima premerentur inopia, quorum unus innocens in vincula conjectus fuerat, contigit, ut onera missarum negligerentur. Facta autem ab usurpatore Italico Gubernio libertate redimendi fundos jurispatronatus eosque alienandi, unus ex fratribus supplicem obtulit libellum SSmo Patri petens facultatem alienandi fundum pii legati, ut succurreret maximae fratrum inopiae; simul declarans, se paratum esse ad obligationem emittendam coram suo Ordinario pro accurato implemento missarum, quae suam ratam partem respicerent, eoque a suis quoque haeredibus exigendo. Pro tribus aliis partibus quae sine spe implementi a caeteris tribus fratribus ratione inopiae omittebantur supplicabat pro congrua reductione, semet obligans suosque haeredes ad implementum harum missarum congrue reductarum.

Rogato de more Ordinario pro informatione et voto atque ut referret de annuo redditu et oneribus legati necnon de legitima petitae dispensationis causa, constitit vera esse, quae exposita fuerant, atque fundum L., omnibus subtractis oneribus, in praesentia reddere ducata 51. Suam autem sententiam Ordinarius significavit Oratori favorabilem.

Ex expositis precibus, ut patet, duplex gratia ab oratore petebatur: idest tum alienandi fundum pii legati tum habendi missas numero reductas.

Quum ad erectionem capellaniae laicalis non interveniat formalis Episcopi auctoritas, disputatum esse a doctoribus, an ejusmodi capellaniae bona alienari possint absque causis et solemnitatibus, quae in alienatione bonorum ecclesiae requiruntur. Saniori parti visum esse requiri apostolicum beneplacitum, propterea quod hisce bonis adhaeret causa pia: eaque proinde inter bona ecclesiastica fere recensita esse atque eorum alienationem prohibitam sine consuetis causis canonicis, idest sine necessitate vel evidenti ecclesiae utilitate et sine apostolico beneplacito juxta extravagantem *Ambitiosae*: quibus et altera extraordinaria causa potest accedere, quae est pietas in christianam plebem, ut tempore pestis vel famis etc.

Hisce autem positis, cum in themate neque necessitas vendendi fundum appareret neque evidens ecclesiae utilitas, concludebatur non videri locum esse alienationi fundi.

Neque causam pietatis locum habere, quum non ageretur de christiana plebe quae versetur in urgentibus rerum adjunctis, sed de patronis egenis, quibus alia ratione in jure consultum sit, idest ex redditibus, non fundorum alienatione, ceu passim tradunt doctores. Eo magis in themate, propterea quod fundi venditio quadripartita vix aliquod temporaneum levamen egenis patronis tribueret.

Haec, quae de alienatione sunt animadversa, militare quoque est notatum pro reductione missarum, ex ea praesertim ratione, quod defunctorum voluntates omnino sint

servandae, neque s. Sedem sine justa et rationabili causa eisdem derogare, *Clementina, Quia contingit 2. de religios. dom.* Conc. Trid. *sess. 22. c. 6 de ref.* Eo magis in themathe in quo agebatur de absolutione quoad praeteritas omissiones et de reductione perpetua. Unde, juxta praxim, expedire potius concludebatur, si temporanea onerum suspensio concederetur, ut in *Messanen. Reductionis onerum* 11. Januarii 1777; in *Nucerina Paganorum* 7. Septembris 1778 et passim.

Consideratum e converso est, non infimi subsellii doctores esse, qui teneant bona capellaniae laicalis aliave similia bona sine solemnitatibus canonicis posse alienari, idest sine beneplacito apostolico, immo etiam sine Episcopi venia: vid. Card. Petra *ad const. Ambitiosae sect. 3. n. 26*, quam sententiam non omnino rejectam videri a S. C. et a S. Rota, ut in *Forosempronien.* die 26. Martii 1831 §. *Quamquam*; in *Fossanen.* 18. Decembris 1847; et S. Rota in *Romana Laudi, decis. 140.* die 4. Julii 1692 §. 2. *coram Caprara*; et in *Romana seu Senen. Nullitatis contractus 3. Junii 1859 n. 12. coram Serafini.* Quamvis autem haec sententia inconsulta videri possit, ostendere nihilominus horum bonorum alienationem multo facilius posse concedi neque nimia scrupulositate de alienationis causis inquirendum, prout fieri necesse est, ubi de bonis vero sensu ecclesiasticis agitur.

Eo magis in themate, in quo ex proposita fratris obligatione, per venditionem fundi, et succurreretur patronis egenis et consuleretur satis oneri missarum, cui pauperrimi patroni, in conditione in qua versantur, satisfacere non possent.

His aliisque animadversis rebusque propositis in s. Congregatione die 18. Februarii 1871 responsum prodiit quod sequitur:

»*Quoad alienationem fundi negative; sed attentis peculiaribus circumstantiis, praevia decem missarum celebratione injunctisque judicio Ordinarii tam oratori quam ejus fratribus piis precibus per modum suffragii pro gratia absolutionis et condonationis super praeteritis missarum omissionibus; necnon pro gratia reductionis ad annuas missas viginti quatuor ad quinquennium, docto quotannis etc.*), facto verbo cum SSmo.*«

---

*) Ejusmodi clausula: *docto quotannis etc.* in

Ex quibus colliges:

I. Bona capellaniarum laicalium ecclesiastica dici non posse eo videlicet sensu, quo ecclesiastica dicuntur bona beneficiorum, episcopatuum, ecclesiarum, monasteriorum etc. et quae eisdem accedant et incorporentur.

II. In capellaniis enim laicalibus non intervenit formalis Episcopi vel s. Sedis auctoritas qua erigantur, puta per haec vel similia verba: *auctoritate nostra erigimus, constituimus hanc capellaniam eique haec et illa bona perpetuo adsignamus etc.*, quo auctoritatis decreto bona evaderent ecclesiastica: quamquam intervenire solet episcopalis auctoritas tamquam ratum habens quod pius fundator constituit.

III. Ex carentia formalis episcopalis decreti non posse deduci eadem bona pro libito posse alienari.

IV. Namque alter subintrat universalis canon: *Pias fundatorum vel morientium voluntates, tamquam supremas leges, esse sancte servandas*: ex quo alter derivat: *Episcopus est executor natus omnium piarum voluntatum.*

V. Sunt ergo bona inalienabilia non quia ecclesiastica in exposito sensu sed quia inalienabilia fundator fecit per piam perpetuam causam, cum qua sua determinata bona conjunxit.

VI. Quare, etsi ejusmodi bona non subsunt solemnitatibus extravagantis *Ambitiosae*, non possunt tamen alienari sine apostolico beneplacito ob resistentem voluntatem pii fundatoris.

3) Ecclesiastica.

I. Acquisitionis modus.

Modi, quibus ecclesia bona acquirit, varii sunt. Aliquos hic tangemus. Inter vivos acquirit bona ecclesia donatione et duplici quidem modo, vel quatenus ecclesia adhuc est exstruenda vel quatenus jam exstructa est.

Prior modus in specie dicitur *dotatio*, posterior vero *donatio*, quatenus sit ab alio quam ab ipso patrono ex libera voluntate nullo jure cogente.

Circa donationem olim hoc singulare obtinebat, quod quum aliae donationes sine insinuatione usque ad ducentos solidos tantummodo valerent *l. 34. cod. de donat.* haec cum aliis in pias causas factis etiam non munita insinuatione ad quingentos usque solidos valeret, *cit. l. §. 1. l. Illud quoque, C. de ss. Eccl.* Sed postea in *l. 26. cod. de donat.* hoc omnibus donationibus in genere tributum est, ut possint absque insinuatione fieri usque ad quingentos solidos. Hinc non immerito quaesitum est, an donatio facta ecclesiae post *hanc legem* privilegium suum amiserit nihilque amplius singulare retineat. Vide contrarias inter se opiniones apud *Harprect. in addit. ad Clar. §. donatio quaest. 17. verb.: Hodie tenendum est*, tum apud Bohemer. *in jure parochial. sect. 5. cap. 1. §. 1.*

Plura alia singularia locum habent in donatione facta ecclesiae.

I. Quod acceptationem non desideret a parte ecclesiae.

II. Dominium rerum donatarum sola donatione absque traditione in ecclesiam transeat.

III. Quod fieri ecclesiae possit donatio bonorum omnium praesentium et futurorum; *Bohemer. dicto loco §. 13.*

Quod vero concernit *dotationem*, ad eam tenetur, qui ecclesiam extruit, ita ut Episcopus consentire nequeat in extructionem ecclesiae, nisi prius constet de dote eaque ad conservationem ipsius sufficiente, *Gonzal. in cap. 8. num. 11. de consecr. eccles., Ziegler. de dot. eccl. cap. 6. §. 3.* Quod si Episcopus extructionem ecclesiae permiserit

haec verba recidit: ***docto quotannis Ordinario de celebratione hac missarum exsecutioni mandata per patronos:*** idest patroni reddere debent quotannis Ordinario rationem seu Ordinario manifestare exsecutionem praesentis rescripti.

*) Confer Barbosa *de potestate Episcopi, par. 3. alleg. 75. nn. 31. et 32.*; Card. de Luca *de alienat. disc. 1. n. 12; disc. 60. n. 3. de Jurisdictione*, cum plurimis auctoritatibus ab eis allegatis. Distinguunt hi auctores inter loca pia et loca ecclesiastica: pia tantum dicunt, quae ad piam causam destinantur, ut piae confraternitates, hospitalia, collegia etc., in quibus si non interveniat formalis Episcopi erectio, de qua supra dixi, eorum bona non censentur ecclesiastica ideoque non subsunt *quoad alienationem* extravaganti Pauli II. *Ambitiosae, de reb. eccl. non alien.* Quum autem ratio cur haec bona non subsint quoad alienationem dictae extravaganti sit carentia ecclesiasticae erectionis: majori ratione idem dicendum est de capellaniis laicalibus, quae dictam erectionem ex voluntate fundatoris excludunt.

sine congrua dote nec extruens eam praestare possit, ad ipsam tenetur ipse Episcopus; *Stryk. ad jus eccles., Brunemann. lib. 2. c. 8. §. 7.; Bohemer. d. tract. §. 15.* Dos vero ecclesiae quanta esse debeat, tum in quibus rebus consistere, alibi tradetur. Confer *Bohemer. ubi supra §. 16. et sequent.*

Per ultimam voluntatem etiam acquiruntur varie ecclesiis bona et potissimum per testamentum, quod vocatur ad *pias causas*, plura habens privilegia. Consule, si lubet, eumdem *Bohemerum pluries cit. loc. a §. 18. ad plur. seq.*

Bona ecclesiae, nisi de alio titulo doceatur, titulo dotis acquisita censentur; *Rota in Ferrarien. Decimarum 16. Aprilis 1828. coram clarae memoriae Millin.* ubi et de usu hujus observationis.

Bona ecclesiae invasa ab hostibus et a catholico rege iterum recuperata an possint ab eodem donari alteri, quam antiquo domino, maxime quando de tempore recuperationis et donationis idem antiquus dominus a fide orthodoxa discesserat? Itemque an possint applicari regio fisco et quatenus negative, an sufficiat illa donare alicui religioni? Vide *Rotam in Polocen. Bonorum 21. Januarii 1726 et 4. Decembris ejusdem anni cor. bon. mem. Cornelio.**)

II. Administratio Episcopo subest.

Vd. t. I. p. 185. n. 1. c; supra p. 389. d; infra n. 9.

Nicolaus, testamento condito anno 1859, heredem omnium bonorum usufructuarium inscripsit matrem, post cujus mortem hereditatem universam administrari jussit a leviro Philippo, injunctione facta acquirendi directum dominium cujusdam domus hereditariae et dandi portionem hereditariam fratri ipsius testatoris jam debitam: mandavit praeterea dicto administratori ut erigeret in ecclesia cathedrali canonicatum ex reliqua hereditate, quem possidere deberet Leopoldus clericus filius ejusdem Philippi administratoris.

Volvente anno 1865 testator mentecaptus decessit et eum jam morte praecesserat ejus mater. Quare Philippus A. munus haereditatem administrandi suscepit atque apparuit, proventus et bona hereditatis consistere in domo emphyteutica, quae ex utili dominio redderet scutata annua 430; item scut. 300 ex quadam hortus locatione et conductione: atque in nonnullis rebus mobilibus ad testatoris personam vel habitationem pertinentibus; ejusmodi autem proventus et bona hisce oneribus vel aere alieno gravari: id est canone dictae emphiteuticae domus solvendo scut. 55; scut. 1000 erga testatoris fratrem; debito scut. 1040 solvendo cuidam creditori viro S., quod contractum fuerat post conditum testamentum, tempore quo dementia testator laborabat; onere denique vectigalium, exactionis, reparationum scut. 43.

Multae inde exortae sunt quaestiones sive pro infirmanda testatoris voluntate sive pro consequenda parte hereditatis; quae tamen ex negativo responso S. C. cessarunt.

Sed anno 1868 civile rei mercatoriae tribunal decoctum administratorem Philippum in sua re familiari judicavit atque notum factum est, eundem administratorem obstringi debito erga praesentem causam piam scut. 203. Capitulum cathedrale e re sua duxit a s. Congreg. postulare, ut removeretur dictus administrator, ut venderetur dicta domus hereditaria ad extinquendum debitum scut. 1400, atque ut reliquum pretium investiretur in tot schedulis debiti publici vulgo *Consolidato* pro canonicatu erigendo et quatenus redditus superessent erigeretur quoque aliud beneficium.

Hisce precibus obstitit Philippus.

Rogatus de his rebus Episcopus plura testatus, quorum causa pessimam censuit administrationis gestionem; ideoque administratorem jam decoctum removendum: atque suffragatus est petitioni capituli in vendendo utili dominio dictae emphyteuticae domus ad erigendum quam citissime canonicatum; atque nonnulla alia, quae piae causae utilia existimavit, proposuit.

De more quum decretum editum sit: *ponatur in folio*, ut causa in plena Congregatione disceptaretur, tum partes causidicos constituerunt, qui ad invicem concinnarunt dubitandi formulas, quae in calce prostant, suasque allegationes exhibuerunt.

Contendit capituli defensor removendum esse ab administrandis bonis causae piae Philippum, allegato textu in cap.: *Tua nobis, de testamentis*, in quo sic Gregorius IX. rescripsit: *Tua nobis f. intimavit, quod nonnulli tam religiosi quam clerici saeculares et laici pecuniam et alia bona, quae per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Quum igitur in om-*

*) Vd. *Bona eccl.* (restitut. eorum quae ab infidelibus etc.)

nibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici; mandamus, quatenus exsecutores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter et plenarie in usus praedictos expendant, monitione praemissa, compellas:« et *cap. 8. et 9. sess. 21. Concilii Trid. de ref.* Ex his enim arguit, posse Episcopos, legitimis concurrentibus causis, administratores ab exercitio administrationis suspendere vel removere, quemadmodum removerentur tutores pupillorum et minorum curatores, quum in jure causae piae aequiparentur causis pupillorum et minorum juxta *Clement. cap.: Quia contingit,* §. *Ut autem de religiosis domibus.*

Porro legitimas causas removendi tutores deprehendi ex textu in *l. 3.* §. *5. ff. de suspectis tutor. et curat.* in qua de tutoribus vel curatoribus suspectis haec leguntur: »*Sciendum est, aut ob dolum in tutela admissum suspectum licere postulare, si forte grassatus in tutela sit, aut quod sordide egerit vel perniciose pupillo vel aliquid interceperit ex rebus pupillaribus jam tutor.*« Quod enucleatius quoque statuitur in *l. 4.* §. *4. ff. eod. tit.* in quo legitur: »*Qui nihil gesserunt, non possunt suspecti postulari, verum ob ignaviam vel negligentiam vel dolum, si dolo fecerunt, possunt removeri.*«

Hisce in jure adductis omnes causas removendi ab administratione Philippum confluere inquit defensor, tribus innixus curiae relationibus in diversis exagitatis quaestionibus; ex his enim ostendere studuit, pessimam ejus administrationem tum ob usurpationes tum ob violatam fidem tum negligentias tum denique ob ejus idoneitatis carentiam. Atque denique, tamquam harum rerum fastigium, commemorabat ejus decoctum argentum: et incivile esse concludebat, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscantur et ab aliis regantur, aliorum tutelam curamve gerere, juxta textum in *instit.* §. *13. de excusat. tutor.*

Hisce animadversis circa primum dubium gradum fecit ad alterum atque ostendere studuit, cathedralem ecclesiam, de qua agimus, indigere sufficienti Canonicorum numero et testatoris voluntatem postulare promptam canonicatus erectionem. Voluntas enim testatoris fuerat, ut extincto erga fratrem debito scut. 1000 atque, utili dominio domus emphiteuticae cum dominio directo consolidato, in erectionem canonicatus illico deveniretur.

Itaque animadvertit defensor, in praesentia utrumque ferme obtinuisse locum, quum frater creditor successisset in locationem conductionemque hortus; consolidationem autem dominii utilis cum dominio directo tamquam non scriptam habendam esse ex renuentia domini directi, qui dominium directum cedere noluerit, ac proinde impossibilem evasisse conditionem locumque ideo habere quod statutum legitur in *instit. de hered. instit.* §. *10.: »Impossibilis conditio in institutionibus et legatis necnon fideicommissis et libertatibus pro non scripta habetur.«*

Quod si adhuc maneret extinctio alterius debiti scut. 1400 erga virum S. monuit defensor, ejusmodi debiti extinctionem non fuisse a testatore praescriptam, quum hoc debitum supervenisset testamento jam confecto: atque idem defensor quendam praeterea modum indicabat, quo posset statim erigi canonicatus et extingui paullatim hoc debitum: ex quo modo proposito superfuisset semper novo Canonico summa scut. 14 singulis mensibus: atque alia proposuit, quae capitulum proposuerat.

Hisce itaque aliisque animadversis in statuta Congregatione diei 31. Julii 1869 causa fuit proposita; sed quum altera pars quaereret dilationem, ut jura sua deduceret, s. Congregatio precibus annuens rescripsit: *Dilata ad sequentem omnino et infallanter.*

Defensor administratoris ultro concedebat, deveniendum esse quamprimum ad erectionem canonicatus; statuebat tamen, non esse nunc rationem habendam de debito erga virum S. quod contractum fuerat a curatore tempore dementiae testatoris testamento jam facto; inquiebat enim hoc esse debere onus ejusdem Canonici, qui in canonicatu institueretur; et non esse confundendam erectionem canonicatus cum administratione futura.

Quod si tamen huic debito nunc fieri satis censeretur, subjunxit, non esse annuendum propositioni capituli pro venditione domus emphyteuticae ad extinguendum dictum debitum et ad investiendum quod superesset in schedulis publici debiti *consolidato.* Rejiciebat autem ejusmodi rationem investimenti in tabulis debiti publici tamquam non canonicam. Facta enim hypothesi, tutum ejusmodi investimentum esse quoad substantiam, augeri tamen vel minui posse redditus animadvertit ex ludis negotiatorum; ideoque firmam fuisse methodum juxta ss. canones praescriptam inculcatamque passim a S. C. Episc. et Reg.: *bona ecclesiastica investienda esse in bonis stabilibus tutis ac frugiferis:* ac nonnisi in subsidium dictam s. Congregationem admittere investimentum in censibus; et in extremam tandem rem, ex speciali facultate a R. Pontifice imploranda, permittere investimentum in tabulis publici debiti atque ita, ut investiantur in schedis nominalibus, exclusis illis non nominalibus, quae italice dicuntur *al Portatore.* Ideoque abnorme esse, stabilem bonamque domum vendere atque eos redditus acquirere, qui ultimo loco ad investiendum permittantur.

Quod quidem eo firmius esset tenendum, quod de vendenda domo ageretur, cui ex testamento adnexum esset missarum onus: hac de re commemoravit defensor solemnia decreta Urbani VIII. et Innocentii XII. edita die 21. Junii 1625, in quibus haec praescribuntur §. 6.: »Praeterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in illis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi cum nulla aut parva sint utilitate conjuncta, statuit atque decernit, ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, Congregationibus, monasteriis, conventibus ac locis omnibus tam saecularibus quam regularibus atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quamprimum investiendi in *bonis immobilibus fructiferis* cum expressa et individua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur.« §. 7: »Ac, si eadem bona immobilia auctoritate apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi atque *in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis* cum ejusdem oneris repetitione atque annexione converti debeat.«

Eo vel magis id in praesenti themate locum habere, quum testator statuens dictam domum pro canonicatus erectione eam adeo praedilexerit, ut liberari quoque voluerit ab annuo canone rependendo domino directo, ut libera prorsus canonicatui remaneret.

Hinc et suam defensor proponebat methodum extinguendi debitum, qua servata superfuissent novo Canonico menstrua scutata 10: 37. Hanc autem a se propositam methodum eo vel magis inculcabat, quod curandum esset, ut familia administratoris, quam modis omnibus praedilexerat testator, commodum aliquod ex institutione filii ejusdem administratoris in canonicatum persentiret.

Post haec, facta animadversione, quod per erectionem canonicatus prima dubii formula locum non amplius haberet, inde ostendere perrexit documentis adductis, Philippum non male munus administratoris gessisse.

Hisce aliisque ample disputatis proposita sunt resolvenda

Dubia:

I. An sit locus remotioni administratoris in casu?

II. An et quomodo sit locus erectioni canonicatus de quo agitur in casu?

S. Congregatio Concilii, causa cognita die 21. Augusti 1869, respondere censuit:

Ad I. *Providebitur in secundo.*

Ad II. *Affirmative juxta modum: modus est, illico erigatur canonicatus ad formam testamenti et facta quamprimum canonicatus provisione prout de jure novo Canonico assignentur pro nunc duodecim scutata quolibet mense, comprehensis missarum oneribus: ceterum Episcopus, per ecclesiasticum virum administratorem deputandum, curet meliori quo potest modo expunctionem aeris alieni, quo dotatio gravatur, firma interim provisione ab Episcopo decreta, facto verbo cum SSmo; et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. Administratorem bonorum ad piam causam relictorum subesse debere vigilantiae Episcopi, qui ipso jure executor atque vindex est omnium piarum voluntatum.

II. Negligentem vel imperitum administratorem, etsi a testatore constitutum, si tamen de cujus gravi negligentia et imperitia constiterit, ab Episcopo removeri posse ab administrandi munere. (V. *t. I. p. 219.*)

III. Non enim inferior est conditio bonorum, quae sub administratore ad causam piam sint immediate relicta, quam conditio bonorum ejus, qui sub curatore sit.

IV. Ideoque quae causae rite expellerent curatorem, eaedem expellere possunt administratorem rerum, quae pro pia causa sint destinatae.

V. Colliges praeterea, investimentum rerum ecclesiae, quod consistat in emptione redditnum, ex quovis fonte hi proficiscantur, canonicum praecipuumque investimentum non esse, quum verum investimentum consistat in collocatione pretii in rebus stabilibus et frugiferis.

VI. Quare ipsam emptionem reddituum, qui ex re stabili determinata et circumscripta percipiantur quique census appellantur, nonnisi in subsidium, id est in carentia primi verique canonici investimenti locum per se habere. *)

VII. Nonnisi tertio ultimoque loco permitti, ex venia apostolicae Sedis juxta rerum adjuncta, investimentum, quod consistat in emptione fructuum ex publico debito derivantium.

VIII. In praesenti themate nulli investimento factum esse locum, quum neque necessitas exigeret stabilis domus atque frugiferae venditionem neque evidens canonica utilitas id postularet neque voluntas testatoris id pati videretur.

Decretum Synodi dioecesanae La Crosse in America septentrionali mense Julii 1871 habitae.

De administrandis bonis ecclesiasticis.

1) In qualibet Congregatione seu Missione sacerdos missionarius duos vel quatuor viros laicos, bene catholicos, sibi adsciscat uti adjutores pro bonis ecclesiasticis administrandis, illos vel cum permissione Episcopi directe designando vel per Congregationem eligendo ex pluribus a sacerdote designatis. In locis, ubi Congregatio ex diversis nationibus constituta est, plures quam quatuor ad hoc munus adsciscere licet.

Munus eorum est, redditus ecclesiasticos, praesertim ex sedibus locatis provenientes, vel etiam ea, quae a singulis pro sustentatione sacerdotis vel pro ecclesia aedificanda seu conservanda vel pro aliis similibus scripto promissa sunt, colligere necnon adjutorium et consilium praebere sacerdoti in negotiis temporalibus ecclesiae vel cujuscunque aedis ecclesiasticae aedificandae vel reparandae vel suppellectilis seu sacrae seu profanae comparandae.

3) Absque consensu sacerdotis nihil geratur nec quidquam expendatur; ex altera tamen parte nec sacerdoti licet, adjutoribus illis non consultis et saltem dimidia eorum parte non ipsi consentiente aliquid gerere in administrandis bonis ecclesiasticis vel expendere, nisi agatur de rebus parvi momenti et ordinariis seu quotidianis.

4) Ordinariis sumptibus exceptis non licet sacerdoti, etiam cum consensu omnium erogare in ullum peculiare opus ultra ducentos nummos scutatos (Dollars), nisi Episcopus de scripto assentiatur.

5) Quotannis de cunctis redditibus et expensis Episcopo ratio in scripto reddi debet, subscripta a sacerdote et omnibus administrationis adjutoribus.

6) Stricte inhibemus, ne vestimenta sacra, statuae vel imagines Sanctorum, calices vel quodcunque pertinet ad sacra utensilia emantur in futurum, nisi *soluta* pecunia.

7) Salarium fixum sacerdotis non debet excedere sexcentos nummos scutatos, nisi necessarium habeat expensas facere pro itinere ad curandas missiones vel sibi emendo vehiculum cum equo vel alio modo; in quo casu licet exigere ducentos nummos super salarium ordinarium. Attamen si in uno vel altero loco hoc salarium ob peculiaria rerum adjuncta ad honestam sacerdotis sustentationem sufficere non videatur, res Episcopo exponatur ejusque sententiae relinquatur.

8) Bene tamen animadvertendum est, cuncta haec de administratione bonorum ecclesiasticorum constituta nullatenus derogare quidquam juri Episcopi, cui soli competit administrare bona ecclesiastica, quocirca tum sacerdotes tum ejus adjutores probe sciant sese in universis istis negotiis agere nomine et auctoritate Episcopi ejusque delegatione, qui insuper sibi hisce praesentibus expresse reservat jus et plenam potestatem, hanc constitutionem vel modificandi vel omnino revocandi, si ipsi visum fuerit necessarium id esse vel opportunum ad majorem ecclesiae utilitatem.

*) Confer, quod scripsit cl. Aloisius Trombetta in opusculo recenter edito, cui titulus *Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum*, in quo auctor exponit normas prae oculis habendas vel praescriptas per S. C. Ep. et Reg.

Gallien.

Ex historia ecclesiastica compertum exploratumque est, beneficiorum et praebendarum nomina, quibus in praesenti disciplina utimur, incognita fuisse prioribus ecclesiae saeculis, cum bonorum et redditnum omnium ecclesiasticorum cura et administratio ad solos pertineret Episcopos, a quibus statis temporibus juxta praescriptam a ss. canonibus mensuram inter clericos dividebantur, uti notat *Benedictus XIV. de Syn. dioec. lib. IV. cap. IV.* At postquam IX. saeculo omnis ruralis ecclesia suas proprias decimas et fundos obtinuit *can. 25. c. 23. q. 8.*, urbanae *quoque parochiae*, ut loquitur cl. Archiepiscopus Devoti, *camdem disciplinam postea acceperunt et tunc potissimum inducta partitione bonorum certa clericis data sunt praedia, quae ipsi administrarent et ex quibus ad vitam necessaria perciperent, Inst. can. tom. 2. tit. 14. in not. 1. ad §. 2.*

Die 2. Junii 1821.

III. Administrator Episcopo rationem reddere debet.

Vd. supra n. II.; t. I. p. 389. d. et p. 185. n. 1. c. et p. 219. a.

In abbatia N. nullius dioecesis exstat oppidum L. in quo antiquis temporibus sex existebant sodalitates, quae evanuerunt, titulis dumtaxat manentibus, quin earum indoles et natura cognoscatur. Neque enim constat, an canonice fuerint erectae, an statuta haberent, an saccum proprium sodales induerent, an morale corpus constituerent.

Certum illud est, quod onera missarum et quarumdam piarum institutionum, sub variis earundem sodalitatum titulis, superfuerunt: quae quidem onera, superexstantibus quibusdam fundis et redditibus, a presbyteris ab Abbate deputatis implebantur.

Anno 1828 ex his sodalitatibus duae, quae sub titulis s. Mariae angelorum et ssmi Rosarii veniebant, Sempronio clerico in titulum s. ordinationis cum supplemento patrimonii collatae sunt ab Abbate per bullam abbatialem his conceptam verbis: Cum capellania ad altare ssmi Rosarii in ecclesia parochiali terrae L., nostrae jurisdictionis, necnon s. Mariae angelorum ruralis ecclesiae dictae terrae, quarum collatio, provisio et omnimoda dispositio ad nos, quoties vacent, pertineat pleno jure, quas admodum rev. d. Antonius P., dum viveret, obtinebat, per illius obitum vacaverint et vacare noscantur ad praesens, nos volentes dilectum nostrum clericum *(Sempronium)* in minoribus ordinibus constitutum apud nos de sufficienti literarum scientia et morum honestate aliisque meritis commendatum, horum intuitu favore prosequi gratiae, capellanias ssmi Rosarii et s. Mariae angelorum sic vacantes, *quarum annui redditus summam in totum exaequant scutatorum triginta*, praefato clerico Sempronio *cum omnibus juribus, honoribus, oneribus ac pertinentiis suis auctoritate nostra et omni alio meliori modo quo possumus tenore praesentium conferimus*, assignamus ac providemus, donec et quousque in ecclesia parochiali ministerio, cui in sua ordinatione fuit adscriptus, inserviat. Si autem arbitratu suo alio se conferat et relicta priori ecclesia alteram assumat, statim capellaniarum possessione privatus censebitur tituloque alio pro decenti sua sustentatione tenebitur provideri.

Verum anno 1847, qui id temporis Abbas ordinarius erat, supplici oblato libello S. C. Concilii, narrato statu omnium sex sodalitatum seu potius expositis oneribus et redditibus earundem significavit hos redditus et bona passim deperire quod darentur ab Abbatibus in administrationem et presbyteris solverentur tantum eleemosynae missarum; atque tenues redditus jam non responderent oneribus. Quare consilium suum patefecit eas sic dictas sodalitates erigendi in sex capellanias ad nutum amovibiles, ab Ordinario conferendas ecclesiasticis cum jure eas administrandi et percipiendi integros redditus, conditione imposita omnia onera adimplendi, quae eisdem inhaererent. Significavit praeterea, neminem esse cujus id interesset, atque supplicavit pro apostolico beneplacito.

Ejusmodi preces accepto habitae fuerunt, ita ut s. Congregatio Concilii rescripserit, ut Ordinarius Abbas hac super re *gereret, statueret atque decerneret, quidquid pro suo arbitrio magis in Domino expedire judicaverit.*

Huic rescripto inhaerens Ordinarius, statim sodalitatum suppressione decreta, sex eodem tempore capellanias erexit ad nutum amovibiles conditionibus nonnullis appositis. In eodem enim erectionis decreto injunctum est, ut in capellaniarum utilitatem impenderentur redditus et credita anno 1847 anteriora, quae adhuc exigenda essent, ita ut capellanus nominandus tamquam ab Ordinario delegatus exigere deberet credita non adhuc exacta a die 1. Januarii 1845 et subtractis oneribus superextantes redditus erogare teneretur in refectionem fundorum vel altaris ad capellaniam spectantis, obligatione adjecta reddendi harum rerum accuratam Ordinario rationem. Pro creditis vero, quae annum 1845 antecederent, sibi reservabat Ordinarius idem peragere, ut omnes singulique proventus impenderentur in extinctionem aeris alieni atque in restaurationem fundorum vel in pios usus.

Capellanias autem s. Mariae angelorum et ssmi Rosarii, quae jam collatae fuerant, ut vidimus, Sempronio, iterum Ordinarius eidem contulit, eas amovibiles esse declarans ad suum successorumque suorum nutum, etiam sine causa.

At Sempronius, qui eas capellanias cum supplemento patrimonii in titulum s. ordinationis obtinuerat *cum omnibus juribus, honoribus, oneribus et pertinentiis*, nullum sibi praejudicium illatum fuisse nec inferri posse nova hac collatione existimasse videtur, et pro certo tenuisse, se conditionibus novae erectioni appositis obligatum non esse.

Verumtamen, qui anno 1863 Ordinarius Abbas erat, sacram visitationem peragens novaeque erectionis leges Sempronium haud exsecutum esse comperiens, administratione capellaniae s. Mariae angelorum spoliavit et bona Lucae cuidam administranda commisit.

Haec quoad capellaniam s. Mariae angelorum. Quo vero ad alteram ssmi Rosarii hodiernus Ordinarius Abbas sacram visitationem per Vicarium generalem et ipse peragens anno 1868 vidensque idem Vicarius: 1) superextantes missarum redditus suos fecisse Sempronium, quin unquam rationes redderet: 2) altare ssmi Rosarii fatiscens et indecorum factum fuisse, omniaque sacra indumenta ab usu removenda: 3) ex legibus primae et secundae erectionis scatere putans capellaniae redditum non quidem capellano administratori, sed ipsi capellaniae cedere debere; terminum Sempronio praefixit mensium duorum ad rationum redditionem exhibendam et depositario locorum piorum superexstantes redditus consignandos, secus ejus administrandi munus intelligeretur revocatum, quum tamen aliquo modo laesionem paterentur ejus jura super eadem capellania tunc acquisita cum in titulum s. ordinationis ejus favore fuit constituta.

Hisce mandatis non obtemperante Sempronio reclamationes anonymae motae sunt per quosdam oppidanos, ut videtur (qui se dicebant sodales superstites ssmi Rosarii), contra ipsum Sempronium tamquam omnia bona sibi usurpantem, quin fundos fatiscentes sacrasque supellectiles reficeret et superextantes redditus redderet adversus Ordinarii decretum.

His reclamationibus bis repetitis atque ad Ordinarium pro informatione remissis Ordinarius inter cetera sequentes dubiorum formulas s. Congregationi dirimendas proposuit: »an erectiones factae vigore facultatum anni 1847 sint capellaniae cum obligatione tot missarum quot sustinere possint redditus, ita ut superextantes redditus onerum fixorum cedere debeant capellae, seu potius sint beneficia, ita ut satisfactis oneribus reliquum cedat capellano.«

Comperti juris esse, animadvertebatur, administratores ecclesiarum atque piorum locorum administrationis rationem Ordinario reddere debere, Clementina, *Quia contigit* §. *ut autem*, *de religiosis domibus;* Concilium Trid. *sess. 22. c. 9. de reform.* atque conformem esse constantem S. C. praxim.

Administratores vero toties ab administrationis exercitio suspendi vel removeri posse quoties rationem reddere nolint vel in isto adimplendo munere ex negligentia aut dolo defecerint, de qua re sic inter ceteros scripsit Pignatelli *Consult. can. tom. 8. consult. 17 n. 9*: »Cum per s. Concilium Tridentinum *c. 9. sess. 22. de ref.* sit dispositum, quod administratores teneantur singulis annis reddere administrationis rationem Ordinario loci, sublatis quibuscumque privilegiis et consuetudinibus in contrarium, sequitur, quod si recusaverint reddere rationes vel dolose in administratione se gesserint aut neglexerint seu aliter defecerint, possit Ordinarius, ex causis a jure probatis, illos ab administratione removere, alias inanis esset facultas a Concilio Ordinariis tributa.« Item Ferraris *biblioth. can.* verbo: *Administratio.*

Ex hac ergo universali juris praescriptione jam Sempronium rationem reddere debere atque proinde eum nolentem rationem reddere potuisse removeri.

Sed praeterea teneri quoque ex eo, quod ab anno 1828 ad annum 1847 ipse considerari potuisset tamquam simplex administrator bonorum, quae pertinebant ad sodalitates, quum hae juridice non essent adhuc suppressae, necnon ex eo, quod anno 1850 decretum esset, ut quisque capellanorum librum haberet in quo bona accurate describi debuissent reddituumque status; cui s. visitationis decreto Sempronius non paruerat.

Sempronium autem non solum hujusmodi rationum redditionem numquam exhibuisse sed et in suae administrationis gestione dolose sese gessisse: legem secundae erectionis pessumdasse, juxta quam superextantes redditus in capellaniae profectum cedere debuissent: jure igitur meritoque administratione capellaniae s. Mariae angelorum expoliatum esse et altera capellaniae administratione modo privandum.

Nihil autem officere, quod capellaniae anno 1828 in titulum s. ordinationis cum patrimonii supplemento fuerint assignatae; siquidem in themate dubitari posse, an legitima fuerit ipsa hujus tituli constitutio juxta ea quae tradit Monacelli *for. leg. in app. ad 1. part.* scribens: »Quia ut plurimum dioeceses beneficiis non abundant, sed pauca vel exigui redditus habent, quaerunt saepe Episcopi, an capellaniae perpetuae, quae ex suorum disponentium legato cum sua dote et onere missarum frequenter relinquuntur absque formali erectione, cum auctoritate et decreto Ordinarii, possint dici saltem lato sensu beneficia, ad hoc, ut quis ad illarum titulum valeat promoveri, etiam necessitate ecclesiae vel commoditate non concurrente. Et videtur respondendum quod non, quia hae capellaniae dicuntur legata pia et illarum bona laicalia, ut firmavit Rota *coram Dunozzetto juniori decis. 101. n. 1. et 2.* Et ratio est, quia non dantur ut ecclesiastica bona ratione ministerii sacri et juris spiritualis, sed pro operibus praestitis et missis celebratis tamquam merces et salarium, *cap. clerici quaest. 3.*, nec requisita substantialia ad constituendum beneficium ecclesiasticum concurrunt de quibus habes apud Gonzalez *ad regul. 8., gloss. 5. n. 6. et seq.**)«

In themate autem capellanias Sempronio collatas anno 1828 non aliud fuisse quam legata pia cum onere missarum, quae olim sodalitatibus s. Mariae angelorum et ssmi Rosarii relicta fuerant.

Quare nihil obstare videri, quominus administratio utriusque capellaniae Sempronio auferretur.

Sempronius per suum defensorem monebat, esse in facto compertissimum, se anno 1828 capellaniam in titulum s. ordinationis obtinuisse: atque in hoc constituendo titulo omnia adamussim intercessisse quae ad legitimam tituli constitutionem requirantur: quum clarissime pateret, hasce vel capellanias vel pia legata, quorum fundationes in tenebris latent, ab Ordinariis ut proprie dictas capellanias perpetuas habitas fuisse, quae toties essent collatae quoties vacaverint: easdemque fuisse sibi collatas *cum omnibus juribus, honoribus et oneribus ac pertinentiis suis*: quarum integri redditus, quum ad taxam pro congrua sustentatione non assurgerent, supplemento paterni patrimonii augeri debuerint.

Hypothesi autem facta, eas esse ad nutum amovibiles, rem eandem in themate redire: quum enim omnimoda ipsarum collatio et provisio ad Ordinarium pertineret, qui easdem in titulum s. ordinationis adsignavit, eas perpetuas in themate fecisse, quum titulus s. ordinationis indole sua sit perpetuus.

Contendebat praeterea, rescriptum anno 1847 a S. C. C. subreptionis et obreptionis vitio fuisse obtentum, praesertim quod ipsemet Sempronius extaret, cujus, tamquam capellaniarum possessoris, res interesset; de quo tamen nec verbum nec volam in supplici libello significatum esse: quae quidem si nota s. Congregationi fuissent, non omnimodo Ordinarii arbitrio remissa essent: neque decretum anno 1847 ab Ordinario latum rem mutare potuisse in praejudicium juris Sempronio jamdiu quaesiti.

Neque obstare silentium vel acceptationem ejusdem decreti a Sempronio factam, quum neque ipse potuisset sua voluntate s. ordinationis titulum ex perpetuo temporaneum facere.

*) Adverte tamen, haec dici potuisse, quo tempore scripsit Monacelli: sed praesertim aetate nostra capellaniae perpetuae si adsint optime conferuntur in titulum s. ordinationis, etiam necessitate vel commoditate ecclesiae non concurrente.

Ceterum falso laborare supposito decretum Vicarii generalis in s. visitatione latum anno 1868, de onere capellanis imposito, lege novae erectionis erogandi in bonum capellaniarum quidquid detractis oneribus superfuisset; quandoquidem in eo decreto nil aliud esset praescriptum, quam in bonum capellaniarum impendere fructus, qui annum 1847 praecesserant, non adhuc exactos.

His absolutis ad diluendas accusationes defensor processit: falsum esse inquiebat sacra utensilia fuisse destructa, templum fatiscens, altare indecorum: quod si refectione indigerent, ejusmodi reparationes non a Sempronio tantum esse faciendas, sed per contributum a possessoribus quoque aliarum capellaniarum; praesertim vero ex pio quodam legato, hac de causa relicto, cujus redditus ad scutata 50 annua assurgeret.

Ceterum Sempronium plures expensas sustinuisse, ut capellaniarum fundos meliores redderet, ac non semel tribunalia adivisse, ut morosos debitores ad solvendum impelleret.

Alias vero accusationes supponere, Sempronium simplicem esse administratorem in quem incumbat onus rationem reddendi, cum e converso ipse esset omnium proventuum vere et proprie usufructuarius: hoc unum a Sempronio exigi posse, idest, plenam onerum satisfactionem, quibus duae capellaniae gravarentur; ejusmodi oneribus autem adamussim satisfecisse, quod et ipsi Ordinarii testati erant.

His aliisque deductis propositum est resolvendum

Dubium:

An decreta edita in sacris visitationibus ab Abbatibus sub annis 1863 et 1868 sustineantur in casu?

S. Congregatio Concilii, in comitiis habitis die 3. Septembris 1870 causa cognita, respondere censuit: *Affirmative juxta modum: modus est, quod Ordinarius deputet administratorem pro bonis de quibus agitur, qui, satisfactis oneribus personalibus per sacerdotem* (Sempronium) *aliisque prout de jure, superextantes redditus tradat eidem sacerdoti* (Sempronio).

Ex quibus colliges:

I. In capellaniis conferendis vel piis legatis vel quovis alio jure in fundis aut redditibus consistente, quod relictum fuerit sive cum onere missarum sive alio pio vel ecclesiastico opere, quando canonice prout de jure conferantur, capellanum vel legatarium, cui canonice titulus vel officium collatum est, jus habere ad omnia bona vel redditus, qui causa praescripti oneris relicti sunt.*)

II. Vulgati enim juris est universale principium, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*.

III. Non esse confundendam collationem canonicam, prout de jure factam, cujusvis pii legati, capellaniae vel beneficii cum traditione eorundem in administrationem: ea enim, quae non constituto capellano vel beneficiario seu usufructuario in administrationem ex aliqua urgente vel extraordinaria causa alicui oeconomo vel administratori dantur, vacare censentur, quamquam oeconomus vel administrator consulat onerum satisfactioni.

IV. Onera autem legatorum, capellaniarum vel beneficiorum, alia esse principalia quae directe incumbunt in capellanum vel beneficiarium, quorum onerum causa legata vel beneficia conferuntur, quae *personalia*, ut s. Congregatio ea dixit, appellari possunt, alia esse communia quae indirecte in capellanum vel beneficiarium incumbunt cum legato, capellania vel beneficio cohaerentia, quaeque idcirco onera *realia* possunt appellari.

V. Onera realia consistere solere in fundorum manutentione, in titulorum reddituum conservatione, supellectilium decore, altarium ecclesiarumque refectione ad normam juris.

VI. Colliges praeterea, a beneficiario, capellano vel legatario, qui dolose aut negligenter bona administret vel reddere administrationis rationem Ordinario detrectet, posse auferri administrationem.

VII. Administratione tamen sublata eidem pertinere tum redditus pro personalibus oneribus satisfaciendis, tum reliquos, qui superfuerint, satisfactis oneribus realibus atque administrationis expensis: per subtractionem enim administrationis non aufertur titulus sive legati sive beneficii.

VIII. In themate capellanias Sempronio collatas ecclesiasticas fuisse, tum quod tales jampridem consideratae essent, nullo jure laeso, per collationis bullas, tum quod novo Ordinarii decreto erectae essent *): easdemque non in administrationem, sed in titulum fuisse eidem canonice collatas.

IX. Nullam ideoque fuisse rationem, cur superflui capellaniae redditus ei denegari deberent: eo magis quod in titulum s. ordinationis capellaniae ei collatae essent.

X. Neque videri Sempronium obligatum secundo erectionis decreto in iis quae ejus jus quaesitum per bullas primae collationis laederent.

*) Dixi *canonice prout de jure:* namque canonica collatio proprie dicta locum habet, quando agitur de beneficiis, quae libere per Episcopum conferuntur, vel de capellaniis ecclesiasticis, quae beneficia imitantur: reliqua quae pertinent ad censum legatorum piorum dici possunt lato sensu *conferri canonice*, quando in his conferendis servantur quae sive ex institutione legatorum servanda sunt sive ex consuetudine sive ex quavis alia ratione; ideoque adjunxi *prout de jure*. quae verba omnia continent, quae servari in singulis casibus debeant.

*) Meo quidem judicio existimo Ordinarium non indiguisse apostolica facultate ad erigendas eas capellanias prout fecit in secundo decreto. Jam enim ea pia legata, si ita ad minimum appellari velint, ut capellaniae considerabantur et canonice collatae erant; omnem habebant capellaniae ecclesiasticae indolem. Desiderabatur quidem primaevum Ordinarii decretum: sed ad quid opus erat primaevo erectionis decreto, quando Ordinarius testabatur, legata aut capellanias, nullo laeso jure jamdiu fuisse in plena Ordinarii potestate? Testabatur quidem idem Ordinarius, eas consuevisse dari in administrationem: sed haec consuetudo mihi videtur fuisse abusus. Non enim apparet causa cur bona destinata ad pium opus darentur, non in titulum, sed per modum regulae in administrationem: hoc in potestate Ordinarii non videtur fuisse, quod si facere vellet facultate apostolica indigeret.

Erat officium Ordinarii declarare, aut si ita placet, erigere novo decreto eas capellanias, ut certa lege conferrentur earumdemque bona servarentur.

Quare mirum non est, si rescriptum, quod anno 1847 Ordinarius a S. C. C. retulit, tam amplam ei expresserit facultatem, ut scrupulus quivis fortasse removeretur.

IV. Administrator ab Episcopo amoveri potest.

Vd. p. 1067. II ; t. I. p. 219. etc.

V. Alienatio.

Vd. *Alienatio bonor. eccles.*

a) Beneplacit. apost. requiritur.

Vd. t. I. p. 438. h., p. 446. p. et p. 472 aa; *Bona eccles.* (venditio licita); p. 1064 n. 2.

Pia mulier die 19. Julii 1833 heredem universalem instituit ecclesiam N. Inter hereditatem continebatur aedificium cujus partem legavit duabus suis sororibus, onere imposito heredi seu capitulo ecclesiae N. solvendi omnia vectigalia omnesque refectionis impensas, quae pro ea parte aedificii legata faciendae essent.

Interim evenit, ut una ex legatariis sororibus monasterium s. Aegidii ingressa fuerit et, professione solemni emissa, monialis evaserit: quare monasterium, possessione ejus partis aedificii capta, dominium dimidii legati acquisivit; eandemque dimidiam partem contractu locationis-conductionis dedit alteri legatariae sorori atque legatum adhuc indivisum permansit.

Verum, quum monasterium aegre ferret inconvenientia, quae ex condominio oriri solent, vendere statuit partem eam indivisam cujus dominium acquisiverat; quod Canonici ecclesiae N. quum scivissent, curarunt sibi acquirere eam partem.

Habitae idcirco fuerunt per constitutos procuratores hac de re tractationes atque conventum est in pretium scut. 2500 et in modum solutionis faciendae postquam implorassent et obtinuissent apostolicum beneplacitum. Procurator dicti monasterii curam suscepit concinnandi preces ad beneplacitum apostolicum obtinendum, quas preces a se concinnatas tradidit capitulo ut ipsum curam susciperet beneplacitum obtinendi. Modus autem solutionis conventi pretii hac ratione faciendus erat: solvere scilicet debebat ecclesia N. scutata 1500 in ipso actu stipulationis contractus eaque deponenda in monte pietatis donec legitime investirentur; reliqua vero scutata 1000 in censu scutatorum quinque pro singulis centenis ab eadem ecclesia singulis annis monasterio pensitando constituenda erant, ita ut fundus censitus esset ipsa pars aedificii quae vendebatur.

Dum haec gesta essent, quidam Antonius consurrexit litemque movit tum in monasterium s. Aegidii tum in heredem ecclesiam N.; quum autem lis ventilaretur apud s. Rotam tractationes supradictae dispensae manserunt quae finiendae essent per stipulationem contractus post exitum litis. Interim, quum ecclesia N. jam deposuerit, uti asserebatur, summam scutator. 1500 in monte pietatis, quaedam facta est conventio inter utrumque locum pium, ut scilicet ea summa subtraheretur e deposito a Canonicis et investiretur in tot schedas nummarias debiti publici pontificii quarum fructus perciperent Canonici usquedum contractus perfici non posset; perfecto autem contractu

monasterium, loco scut. 1500, reciperet easdem schedulas nummarias quemcumque valorem sive majorem sive minorem habere reperirentur.

Perdúrante cum Antonio lite, quam dixi, isthaec conventio exsecutioni fuit mandata. At vero dum lis cum Antonio perduraret, monasterium s. Aegidii edicta publica die 11. Julii 1870 affixit pro venditione ejus partis aedificii de qua tractationes cum ecclesia N. habitae fuerant et invenit unum oblatorem, ipsum Antonium, qui pro acquirenda ea parte aedificii promisit scut. 2800; id est pretium majus scut. 300 quam illud, quod ecclesia N. promiserat. Monasterium hoc contractu sibi utili reperto beneplacitum apostolicum postulavit itemque facultatem pretium investiendi in schedulas nummarias debiti publici pontificii.

Quum haec capitulum ecclesiae N. cognovisset, obstitit apud S. C. Episc. et Regul. implorans simul, ut quod inter suam ecclesiam et monasterium conventum esset servaretur, salvo jure petendi beneplacitum apostolicum quando locus esset stipulationi instrumenti: interim iidem Canonici conquesti sunt de parte domus, quam monasterium comprehensam in parte legata existimans venditioni exposuerat; de qua re Canonici apud tribunalia litem quoque jam moverant eodem anno 1870 ut sibi, quod suum putarent, vindicarent.

Remissis precibus ad Ordinarium pro informatione et voto constitit partem aedificii quae ad monasterium spectaret a peritis ex officio deputatis aestimari scut. 2028, ita ut utraque oblatio tum capituli ecclesiae N. tum Antonii multo major esset quam valor partis aedificii vendendae: atque idem Ordinarius concludebat, se existimare probandum esse contractum inter capitulum et monasterium quum in utriusque utilitatem cederet.

Monitis itaque partibus causam in plena Congregatione esse pertractandam, sua jura utraque deduxit.

Monasterium causidicum constituit, qui sic disputavit: ea quae gesta essent inter utrumque pium locum non aliud fuisse nisi tractationes, quae ex sese haud efficaces essent ad gignendam obligationem; quod si major vis his tractatibus tribuendus censeretur, contendebat, procuratorem monasterii, qui jam decesserat, non habuisse mandatum ad contractum concludendum, prout erat ex consuetudine necessarium: et quoddam afferebat testimonium, út ostenderet hoc mandatum non solum defuisse, sed negatum quoque esse ab eo ad quem illud dare pertinuisset.

Sed hac re etiam praetermissa animadvertit, consensum alienandi res ecclesiae nullum acquirere valorem donec a s. Sede non adprobetur: hanc autem adprobationem numquam fuisse imploratam; proindeque nullam oriri potuisse obligationem.

Quin immo licet per hypothesim imploratum fuisset apostolicum beneplacitum, jus tamen monasterii a conventione recedendi denegari non posse ostendit ex praxi s. Congregationis, quod tantum negari posset si stipulatum esset instrumentum. Ideoque habita utiliori oblatione a conventione potuisse monasterium recedere eo magis, quod ipsemet Antonius adpromissor paratus semet exhibuerit ad cetera subeunda experimenta *vicesimae et sextae*, quae sunt loco privilegiorum *addictionis in diem et restitutionis in integrum*, prout competunt minoribus, quando de eorum contractibus agitur: ideoque si capitulo interesset eam partem aedificii acquirere, in ejus facultate esse experiri *vicesimam et sextam*, et si Antonium in oblationibus capitulum aequaret eam partem sibi haberet.*)

Contra vero capitulum contendit, contractum emptionis et venditionis conclusum fuisse, quum de pretio et re alienanda fuerit plene conventum in quo constitit substantia emptionis venditionis: eandemque obligationem mansisse per accidens suspensam, sed cum reservatione apostolici beneplaciti: quae quidem reservatio ex se jam importaret conditionem suspensivam ob quam nemini, altero invito, fas sit recedere, Card. de Luca *de Feudis disc. 66. n. 4. et 5.*

Eo magis monasterium a dato consensu non potuisse recedere, quod conventum quoque fuerit, ut summa scut. 1500 investiretur, cujus investimentum cessurum esset in lucrum vel damnum venditoris.

Pro utraque contendentium parte nonnullae aliae animadversiones sunt ex officio adjectae; videlicet pro capitulo consideratum est, contractum, quamvis non adhuc munitum confirmatione tutoria s. Sedis, in suo tamen robore permanere ob reservationem beneplaciti apostolici; de qua re sic cum aliis

*) Vd. *t. I. p. 446. q.*; *p. 450.* §: *Super*; *p. 453.* §: *Nota.*

tradit Ventriglia *prax. for. eccl. t. 1. adnot. 1.* §. *3. n. 12.* Limita supradicta; ut validus sit contractus alienationis salvo assensu apostolico, quando nulla possessio est tradita, quia alienatio dicitur collata ad tempus habile, si Pontifici placuerit, et dispositio facta tempore habili vel facta tempore inhabili et collata ad tempus habile a pari procedunt... Hinc videmus quotidie in praxi stipulari instrumenta concessionis rei ecclesiae ante assensum apostolicum cum clausula tamen: *reservato dicto assensu nec aliter nec alio modo* et retenta possessione rei per ecclesiam.« Item Fulgin. *de contr. emphyt. q. 16. n. 1. et seq.*

Verum quidem esse ex communi sententia, personam ecclesiae contrahentem privilegio gaudere resiliendi a consensu praestito usque dum apostolica sanctio non intervenerit. Sed in praesenti themate monasterium non videri uti posse hoc privilegio adversus capitulum, quum eodem privilegio fruatur; et adagium vigeat: *privilegiatum adversus aeque privilegiatum suo non uti privilegio*, quod arguitur ex l. *verum* §· *6. ff. de minor. 25. annor.* et ex *l. ult. C. qui potior. in pign. hab.*

Quod si etiam monasterio resiliendi privilegium competeret a conventione cum capitulo inita, quod beneplacitum apostolicum non adhuc intervenerit, dicendum tamen esse obligatione naturali monasterium adstringi in foro interno, ut cum aliis docent Navarrus *Comment. de alien. rer. eccles. n. 17.*; Riccius *prax. resol. p. 1. reg. 7. n. 4.*; Engel *tit. de rebus non alien. n. 19.*; Reiffenst. in *lib. 3. decret. tit. 13. n. 53*; Schmalzgrueb. *jus. eccl. t. 3. p. 1. tit. 13.* §. *113*: ideoque bonae fidei haud convenire, ut ob privilegium externi fori una pars, altera invita, ab obligatione suscepta subtrahatur.

Denique quavis in hypothesi praetereundum non esse, ut, quando alicui ecclesiae sit licitum ab inita conventione recedere, altera pars jus habeat agendi *pro damnis ob promissionem non adimpletam*, ut cum ceteris docet Card. Petra *comm. ad const. Pauli II. n. 45.*. et s. Rota *coram Emerix juniore dec. 1260. n. 1. et 2.* ubi legitur: »Fundamentum dominorum fuit, quod patres susceperunt mandatum ad impetrandum beneplacitum apostolicum pro celebratione contractus, si non explicite, saltem implicite; quia nempe promiserunt creare censum, qui sine beneplacito apostolico creari non poterat; et sic, quum mandatum ipsum non adimpleverint, tenentur ad fructus loco damnorum et interesse ad *textum* . . . Et in his praecisis terminis mandati ad obtinendum beneplacitum apostolicum non adimpleti firmata fuit per Rotam decisio *291. n. 17. coram Bichio*, et decisio *372. n. 5. par. 14. recent.* Non obstante quod non fuerint in mora constituti per interpellationem, quia haec non requiritur in damnis provenientibus ex conventione.«

Pro monasterio animadversum est, habitos quidem fuisse tractatus de venditione et acta esse quae proxima contractui essent, non tamen perfectum fuisse contractum: et quamvis concinnatae fuissent preces a procuratore monasterii ad obtinendum apostolicum beneplacitum, eaeque traditae fuerint capitulo, in quibus enarrabatur *contrahentes conclusisse contractum*, tamen eas preces conclusas fuisse implorando a s. Sede *opportunas facultates ut ad emptionem-venditionem deveniretur.* Notum autem esse adagium: *multa tractantur, quae postea non perficiuntur.*

Verum quidem esse, emptionem-venditionem, utpote contractum, cujus substantia in solo consensu consistat, scriptura haud indigere: attamen in praesenti themate eum perfici debuisse per publicum instrumentum; de qua re sic sanxit Justinianus *Instit. tit. de empt. et vendit.* et in *l. 17. C. de fide instrum.*: »Contractus venditionum vel permutationum vel donationum, quas intimari non est necessarium, dationis etiam arrharum vel alterius cujuscumque causae, quas tamen in scriptis fieri placuit, transactionum etiam, quas in instrumento recipi convenit, non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta subscriptionibusque partium confirmata et, si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa et postremo a partibus absoluta sint, ut nulli liceat prius, quam haec ita processerint, vel a scheda conscripta, licet litteras unius partis vel ambarum habeat, vel ab ipso mundo quod necdum est impletum vel absolutum, aliquod jus sibi ex eodem contractu vel transactione vindicare; adeo ut nec illud in hujusmodi venditionibus licet dicere, quod pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere vel id, quod emptoris interest, ei persolvere.«

Dubium:

An et quomodo concedendum sit implo-

ratum beneplacitum apostolicum favore (Antonii) vel potius exsecutioni sit mandanda alienatio favore capituli ecclesiae N. in casu?

S. Congregatio Episc. et Regul. causa cognita die 16. Septembris 1868 respondere censuit: *Dilata et reproponatur post exitum causae in sacra Rota.*

Hoc edito rescripto die 16. Novembris 1868 procurator monasterii documentum exhibuit s. Congregationi, quo Antonius ample valedixit susceptae liti. Reproposita itaque causa s. Congregatio die 5. Martii 1869 ponente Emo Card. Berardi rescripsit: *Dilata et ad Emum ponentem juxta mentem*: mens autem s. Congregationis fuit, ut audiretur capitulum, an augeret pretium ad scutata 2800, manente pariter extincta quoad monasterium per ipsum venditionis actum lite deducta anno 1867.

Denique quum capitulum paratum semet exhiberet ad propositum augmentum reproposita causa die 30. Aprilis 1869 s. Congregatio rescripsit: *Attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus et attenta conventione superventa inter capitulum et monasterium s. Aegidii juxta mentem panditam a s. Congregatione die 5. Martii 1869 Emo ponenti negative ad primam partem, affirmative ad secundam juxta dictam conventionem.*

Ex quibus colliges:

I. Privatos tractatus de rebus ecclesiae alienandis pro parte ecclesiae quae alienare quaerat vim, antequam beneplacitum apostolicum obtineatur, non habere.

II. Quare sive tractatus proximi contractui habiti fuerint sive contractus fuerit mutuo consensu*) conclusus, donec reservatum beneplacitum non superveniat, ecclesia vi antecedentis tractatus vel contractus cogi non potest ad perficiendum contractum.

III. Idque valere sive ecclesia contrahat cum civili persona sive cum alia ecclesia.

IV. Eorum veterum auctorum sententiam, qua docent, contractum conclusum cum conditione beneplaciti apostolici obtinendi validum esse, in praxi non videri receptam.

V. Immo post formam traditam a Benedicto XIV. de alienandis rebus fisci ad res ecclesiasticas quoque productam, beneplacito apostolico exsecutioni mandato favore melioris oblatoris, adhuc superesse experimenta vicesimae et sextae, quibus durantibus conditionata manet adjudicatio rei primo meliorique oblatori facta.*)

VI. In praesenti themate, rebus varia ratione implexis, aequitate suadente alienationem favore capituli faciendam esse s. Congregationem judicasse, omisssa forma a Benedicto XIV. praescripta.

*) Si contractus non solum esset mutuo consensu conclusus, sed etiam exsecutioni mandatus per traditionem rei vel possessionem, praeter nullitatem actus contrahentes in censuram excommunicationis ipso facto incurrerent, etiamsi id fecissent sub conditione beneplaciti apostolici obtinendi: agerent enim contra formam extravagantis *Ambitiosae* prohibentis sub hac poena alienationes.

*) Qui ampliora de hac re quaerat juxta vigentem praxim ss. Congregationum, consulat opusculum cl. Aloisii Trombetta: *Praxeos regulae etc.*, quod saepius laudavimus. Vd. *t. I. p. 446. q.; p. 453.*

b) Excommunicatio in alienantes, usurpantes etc. sine beneplacito apost.

Vd. t. I. p. 456. r.; vd. infra: *Bona eccles.* (excommunicatio etc. p. 1088.; poenae.)

c) Parochia vacante vel rectore bonorum deficiente alienari num debent?

In dioecesi N. duae ecclesiae parochiales initio saeculi decimi sexti inter se distinctae atque independentes lapsu temporis (ignoratur quomodo) unitae sunt, ita ut parochus ecclesiae A. utramque paroeciam regeret auxilio capellani ad nutum ejus amovibilis et tenui remunerati stipendio qui vices parochi in ecclesia B. fungeretur.

Cum ex hac unione plura et gravia incommoda originem ducerent, iisdem obviandis anno 1776 Episcopus illius temporis in actu s. visitationis decretum edidit, vi cujus capellanus, facto periculo, ad curam animarum ab Ordinario adprobandus, nonnisi ex hujus consensu removendus esset; insuper aliquot eidem ex iis quos antea parochus possidebat fundi assignati fuerunt.

Sed cum non omnia incommoda hoc decretum sustulisse videretur, parochiani ecclesiae B. initio hujus saeculi s. C. expostularunt pro dismembratione harum duarum ecclesiarum, restituta ecclesiae B. independenti animarum cura. Benigne a SSmo his exceptis precibus rescriptum prodiit die 1. Octobris 1802, pro dismembratione arbitrio

Ordinarii facienda, ita ut in ecclesia B. constitueretur parochus perpetuus eligendus per concursum ad formam Concilii Tridentini *cum assignatione respectivorum fundorum ad emolumentum, ratione praesertim habita antiquae divisionis.*

Episcopus rescriptum exsecutioni statim mandavit edito decreto ex nunc, ut dici solet, pro tunc, cum nulla ex dictis paroeciis vacaret, in quo decreto parocho ecclesiae B. assignavit non solum bona omnia et emolumenta de quibus in decreto anni 1776, sed novum etiam praedium nuncupatum *Le Case bruciate* et jus exigendi quemdam canonem.

Juxta hoc decretum res pacifice processisse visae sunt usque ad annum 1866, quo tempore parochus ecclesiae B. capta occasione vacationis ecclesiae A. supplicem libellum S. C. obtulit in quo exponet, non ex alia causa quam ex conscientiae debito, paroeciae B. pertinuisse ab initio fundum quemdam *Il fornello* appellatum, quod probari contendebat ex inventario quodam anni 1546 et ex vulgari traditione quae ex eodem inventario originem duceret; deinde vero innixus verbis illis rescripti apostolici, quod exigebat ut assignatio fundorum fieret *ratione habita antiquae divisionis*, innuere videbatur in exsecutione rescripti hanc clausulam minime fuisse servatam.

Super his precibus, prout moris est, rogatus Episcopus, ut, audito in scriptis curatore vacantis ecclesiae A. nominatim deputando, suam ederet animi sententiam, allegationes curatoris s. Congregationi transmisit.

In his ergo allegationibus curator duo illa quae a parocho B. proponebantur ita breviter refellebat: adnotabat scilicet in actu exsecutionis rescripti apertis verbis declarari opportunas assumptas fuisse notitias antequam ad paroeciarum divisionem deveniretur et unicuique proprii redditus tribuerentur: ideoque praesumendum esse id temporis defecisse argumenta ad evincendam proprietatem dicti praedii *il Fornello* favore ecclesiae B. Adnotabat praeterea, in precibus id temporis a paroecianis B. s. Sedi propositis petitum fuisse quidem praedium *le Case bruciate* et canonem de quo supra, at ne verbum quidem eos fecisse de praedio *il Fornello:* ex quo arguebat idem curator neque traditionem supra ex adverso appositam extitisse. Denique quidquid de hac re fuerit, militare in praesentia favore ecclesiae A. praescriptionem plus quam quadragenariam: quin imo etiamsi evinci posset proprietatem praedii *il Fornello* ad ecclesiam B. pertinuisse, non tamen idem restituendum esse videri ob rescripti clausulam: *habita videlicet ratione antiquae divisionis*, quae addita potius videretur ad denotandam proportionem in divisione bonorum facienda, quam ad omnia et singula reddenda, eo plane modo, quo ante unionem res se haberent.

Rescriptum: Hae preces s. Congregationis Concilii propositae in comitiis die 2. Maji 1868 negativo responso fuerunt dimissae per consuetam clausulam: *Juxta exposita: lectum.*

Ex quibus colliges:

Quaestiones, quae moveantur de juribus bonisque paroeciarum, quando suo rectore careant, non esse definiendas sine defensore ex officio deputando, qui partes suscipiat paroeciae vacantis.*)

VI. Contractus emptionis et venditionis quando validus?

Vd. *Alienatio bonor. eccles.* (oblationes t. I. p. 446 q.); vd. supra p. 385 §.: *Decretum.*

Administrator generalis locorum piorum quae in oppido A. reperiuntur a S. C. Ep. et Reg. apostolicum beneplacitum obtinuerat, ut praedium quoddam *la Clausura* nuncupatum et ad sodalitium ssmae crucis pertinens publice venumdare posset. Promulgatis itaque edictis major ac melior extitit oblator Petrus, qui pretium obtulit scutatorum 425; cum enim ex viri periti aestimatione fundus pretio scutatorum 320 valere constaret, ipse augmentum scutatorum centum supra quinque exhibere non dubitaverat. Quocirca re ad S. C. iterum delata die 30. Martii 1838 rescriptum prodiit, quo Petrus ad contractum rite ineundum auctorabatur, *salvo tamen jure vigesimae ac sextae.* Executioni rescripto demandato die 17. Augusti ejusdem anni per acta notarii venditionis instrumentum rite peractum est.

At die proximo 29. mensis ejusdem penes curiam adstitit Josephus, qui ex titulo sextae scutata 71 obtulit supra summam scut. 425 a Petro oblatam, et insuper die 7. Septembris insequentis ex titulo vigesimae (nimi-

*) Id est jure canonico expresse statutum, ut videre est in *cap. 1. de rebus ecclesiae non alien. in 6.*

rum praepostero gradu) alia scutata 25 superaddidit adeoque pretium fundi *la Clausura* ad scutata 521 extulit. Haec oblatio per publicum comparitorem Petro deliberatario denunciata fuit; sed hujus denunciationis exemplar die 29. Sept. ejusdem anni domi in manibus uxoris Petri deliberatarii, nequaquam vero personaliter in manibus ipsius relictum est. Nihil ad haec Petrus: sed Josephus supplex a S. C. deprecatus est, ut sibi fundus venderetur: quapropter sacer Ordo die 13. Julii 1840 declaravit fundum vendendum esse Josepho, hac adhibita cautione: — ***nisi Petrus augumentum ab eo*** (Josepho) ***oblatum intra praefinitum terminum a die intimationis, quae ei facta asseritur, acceptaverit.*** — Cum itaque Ordinario, cui rescriptum hoc exequendum remissum fuerat, constitisset, Petro denunciationem factam et nihil insuper ab hoc responsum vel oppositum fuisse, Josepho fundum adjudicavit; qui proinde fundum excolendum accepit, nullo tamen instrumento vel scripto super venditione confecto.

Post haec Josephus plures peregit actus, quibus jura sua super eodem fundo renunciabat sive pro homine hoc sive pro alio, dum interea fundum retineret ac sodalitio interusurium scutatorum sex in singula centena pro pretio quod fuit scutator. 521 persolveret. Superfluum ducimus in hisce actibus ulterius immorari; satis enim, quod ad rem praesentem attinet, eosdem innuisse, videtur. Rebus in hoc statu manentibus anno 1859 tum Josephus tum Petri filii et haeredes (quippe hoc intervallo Petrus ad plures abierat) separatim S. C. adierunt, ut instrumentum venditionis pro se quisque, altero repulso, stipulari permitteretur. S. C. antequam potius Petri heredibus quam Josepho ac viceversa annueret, ex more Ordinarium rogandum de veritate precum ejusque sententia existimavit. Ordinarius ea, quae gesta erant, ab initio usque ad id temporis diligenter enarrabat ac extremo loco concludebat, sodalitio fundum libere restituendum tum propter defectus ac vitia, quae in hoc negotio pertractando contigerant, tum propter jura et actiones, quas ex cessione Josephi mediate sodalitium acquisiverat. Monitis deinde partibus, quarum id interesat, ut jura quisque sua penes s. Ordinem deducerent, earum deductionibus acceptis, silente omnino sodalitio, in consultationem quaestio vocata est, cuinam permittendum esset, ut venditionis instrumentum perageret juxta dubium, cujus formula heic in calce legitur.

Joseph itaque contendebat, contractum emptionis venditionis in sui favorem fuisse perfectum; quandoquidem cum agatur de contractu consensuali, scriptura et instrumentum non ad actus substantiam, sed ad meram integritatem requiritur.*) Quod vero emptio venditio consumata fuisset ex eo demonstrabat, quod in illo negotio consensus, res et pretium non defuisset: quamvis enim hoc ultimum idem reipsa non persolvisset, attamen (id quod idem est) conventum ac determinatum fuerat, ut ejus loco Josephus interusurium scutatorum sex in singula centena pro scutatis 521 per plures annos pensitaret, quod adhuc pensitabat.

Subinde varias exceptiones quae contra forsitan objici possent fuse diluebat ac dissipabat, quas peculiariter ac speciatim hic exponere superfluum arbitramur.

Hisce praestitutis concludebat, rem dici prorsus haud posse ita integram, ut sodalitio a contractu resilire liceret. Illud enim accidit, quo ista resilitio accidere non poterat**) sine mediocri ejusdem Josephi detrimento: nam si bona fides ab omnibus tum potissimum ab ecclesia servanda est, eoque magis quando agitur de hominibus idiotis ac rusticis, (qualis erat Josephus), qui juris apices ignorant: hic porro tum administratori tum Ordinario, qui venditorem repraesentabant, sese crediderat et iis quae per illos acta fuerant plane acquieverat.

*) Ait Voetius ad *Pand. lib. 18. tit. 1. De contrahen. empt.* §. *1.*: »Emptio-venditio est contractus bonae fidei consensu constans, quo id agitur ut merx certo pretio permutetur. Cujus tria sunt requisita substantialia, consensus, merx et pretium, quorum si unum desit emptio non est.« Iisdem fere verbis utitur Peretius *instit. imper. lib. 3. tit. 24.* §. *2.*

Quod autem in contractibus consensualibus scriptura necessaria non sit, tradit Imperator *instit. lib. 3. tit. 23. de oblig.*: »Ideo autem istis modis (in emptionibus) obligatio dicitur consensu contrahi, quia neque scriptura neque praesentia omnimodo opus est, at nec dari quidquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio, sed sufficit eos, qui negotia gerunt, consentire.«

**) Comperti juris est (ait Rota *in Romana Stipul. instrum. 26. Junii 1850 coram Bonini* §. *8. in fin.*) in iis etiam contractibus, in quibus, re integra, poenitentiae sit locus, nullum amplius poenitentiae locum patere simul ac res integra esse desierit, quemadmodum docent Voet. etc.

Haeredes statuebant ante omnia *Clausurae* fundum in primis experimentis patri suo deliberatum fuisse ac propterea instrumentum per acta notarii legitime celebratum esse, cujus exemplar exhibebant. Quamvis autem non inficiarentur, vigesimae et sextae experiendae aditum utili tempore patuisse, nihilominus tuebantur id praestitum suo tempore minime fuisse. Quapropter elapso termino dierum viginti pro vigesima et mensium trium pro sexta, quin huic conditioni factum satis esset, sodalitium omni jure deciderat eadem experimenta perficiendi.

Quod autem utili tempore nec vigesimae nec sextae conditiones impletae fuissent, ostendebat animadversio, quod denunciatio, quae objiciebatur, per comparitorem facta, Petro personaliter indicta non fuerat*), siquidem domi ejus uxori tradita fuerat, et insuper nullum Petrus ipse actum ediderat, quo comprobaretur oblatio a Josepho exhibita a Petro, utpote primo deliberatario, acceptata vel rejecta fuisse.

Praeterea ad majorem jurium suorum demonstrationem subjiciebant, Josephum omnia jura sua S. C. licentia cuidam Aloisio renunciasse, hunc vero eadem jura in haeredes ipsos rite transtulisse. Itaque etiamsi nulla ratio habenda esset instrumenti a Petro anno 1838 cum sodalitio celebrati, attamen se, utpote mediatos Josephi cessionarios, in ejus jura ingressos fuisse propugnabant.

Hisce rationum momentis una cum aliis minoris pretii per partes utrinque expositis die 22. Februarii anni 1861 Emrum Patrum S. C. Ep. et Reg. judicio subjectum est

Dubium:

»An et cujus favore permittenda sit stipulatio instrumenti in casu?«

Resolutio dubii.

S. Congregatio quaestione discussa respondere censuit: *Affirmative favore fratrum* (Petri filiorum et haeredum) *pro scutatis 521, praevio novo experimento sextae.*

Ejusdem causae continuatio et exitus definitivus.

Ab hac resolutione Josephus sese gravatum fuisse censuit adeoque supplex petiit obtinuitque, ut iterum modo propositum dubium examini supponeretur. In hac itaque nova propositione, partibus acriore animarum aestu flagrantibus, duo romanae Curiae advocati, unus pro Josepho alter pro Petri haeredibus, restrictum juris et facti typis editum Emis Patribus diribuerunt.

Causa itaque in disceptationem iterum deducta s. Congregatio die 17. Maji ejusdem anni stetit in decisis, et ita ut causa non amplius reproponeretur, respondendo consueta formula: *In decisis et amplius.*

Ex iis colliges:

I. Contractum emptionis ac venditionis perfici simul ac merx, pretium et consensus una concurrerint.

II. Plures tamen requiri solemnitates ad contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos.

III. In serie actorum, quae fieri debent, antequam ad instrumentum deveniatur, si vitium aliquod vel defectus forte superveniat, S. C. rata habere ea, quae rite facta sunt ante vitium vel defectum admissum; rescindere autem et abrogare ea, quae in ipso vitio vel defectu nituntur, eaque alia, quae inde subsequuntur.

IV. Nec ecclesiae locum dari poenitentiae quando res integra esse desiverit.

V. Quamvis ex motu proprio Benedicti XIV. primo deliberatario denunciatio novae oblationis per secundum oblatorem *personaliter* facienda esse dicatur, nihilominus S. C. denunciationem veluti *personaliter* factam habuisse eam, quae per comparitorem peracta est domi in manibus uxoris copia oblationis relicta.

VI. Non tamen ratam S. C. habuisse sextam vitiose oblatam, sed eam admisisse in vigesimae augmentum.*)

Praxeos regulae circa contractus rerum ecclesiasticarum rite ineundos.

In supra relata causa *stipulationis contrac-*

*) In motu-proprio Benedicti XIV. incipien. »*Essendo ben*« 23. Novemb. 1742 legitur: »Sarà però in obbligo del secondo deliberatario riconosciuto che sia, d'intimare personalmente al primo l'aggiunta da lui fatta e l'ottenuta delibera.«

*) Inter alios defectus, qui in praesenti contractu irrepserunt, ille erat, quo statim facta est oblatio sextae loco vigesimae. Sexta autem praecedere non potest vigesimam, quia consideratur velut restitutio in integrum. Vd. t. I. p. 450.

tus, quae penes S. C. Ep. et Reg. agitata est, adnotavimus non paucos defectus et vitia in negotii, de quo res erat, pertractatione intercessisse: quos defectus et vitia saepissime et alibi passim locum habere jugis experientia demonstrat. Nos jam pag. 387 et seqq. totum dedimus Benedicti XIV. Motum-proprium diei 23. Novembris 1742 itemque t. I. p. 448. decreta generalia a S. C. Ep. et Reg. edita, quae observari debent in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum. Super hisce dispositionibus novum idemque egregium opusculum nuperrime conscripsit et in lucem edidit clarus advocatus Aloisius Trombetta, subsecretarius ejusdem sac. C., cujus opusculi titulus legitur de more in chartula, qua praesens hic fasciculus amicitur. Hujus itaque perutilis elucubrationis synopsim nostris humanissimis lectoribus heic offerimus, quod non sine magno utilitatis fructu eisdem fore nobis pollicemur.

Itaque, ut ad rem veniam, clarus auctor, postquam suo in opere per extensum praeposuerit tum celebratissimam *extravagantem* Pauli II. incipien. *Ambitiosae* tum Benedicti XIV. Motum-proprium et generalia S. C. decreta, inprimis id statuit ac firmat, hisce decretis inesse propriam ac veram obligandi vim iisque propterea sese conformare debere, tum eos, quorum est partem habere in administratione rerum ecclesiasticarum, tum etiam SS. CC. ac tribunalia. Sacra enim Congr. Ep. et Reg. cum agat nomine Papae, ut ait Card. de Luca, ab hoc auctoritatem obtinet leges etiam ferendi, cum praesertim nil, quod aliquam gravitatem habeat, sine scientia ac speciali jussu summi Pontificis agere vel jubere soleat. Hinc est, quod et S. C. Conc. et ipsum sacrae Rotae auditorium iisdem decretis pro re nata inhaerere religiosum sibi duxerint, prout ostenditur idoneis allatis exemplis.*)

Hisce in primo capite praestitutis auctor in capite secundo de publicis edictis eloquitur, quae affigi debent, antequam aliqua ecclesiastica res licitationi exponatur: quae quidem absque auctoritate a sacro ordine facta indici non posse docet; et si secus factum fuerit, s. Congreg. integrum esse admonet eam affixionem posthabere et novam praescribere, jussa nova aestimatione fundi per virum peritum ex officio eligendum, aliisque conditionibus adjectis, quae magis in rem et utilitatem ecclesiae cedere videantur; sine speciali Sedis apostolicae venia in contractibus ineundis rerum ecclesiasticarum edicta praetermitti nequeunt. Si fundum licitandum pro indiviso ecclesia cum persona laica possideat, non idcirco edictorum affixionem declinari ac negligi posse contendit. Non ex praecepto legis sed tantum ex consilio et exhortatione edicta requiri tradit in locationibus, quae intra triennium continentur, dummodo tamen etiam hoc in casu eadem ex synodali sanctione haud praecipiantur. Nullus est terminus praefixus pro primis edictis, quem tamen ad viginti vel triginta dies plus minusve prudenti Ordinariorum judicio protensum generatim sese inspexisse testatur. Quod pertinet ad edictorum pro vigesima ac sexta affixionem, hanc nec essentialem nec praeceptivam esse inquit, etiamsi consuetudo et major ecclesiae utilitas eadem non omitti suadet.

Gradum facit auctor in tertio capite ad oblationes,*) de quibus plura ad usum necessaria disserit. In primis quaestionem instituit de casu, quo duae oblationes vel plures inveniantur inter se pares. Hoc posito s. C. jubet ad se omnes oblationes remitti, ut ipsa eligere possit, quaenam oblatio inter pares quoad quantitatem sit melior quoad alias; neque enim hisce in rebus major tantum, sed et melior debet oblator attendi. Subinde enumerat conditiones, quae requiruntur, ut oblationes suum sortiantur effectum; itaque primo debent esse *legitimae* scilicet loco ac tempore factae in edictis praestituto: quod ita intelligendum est, ut nihilominus liceat nova proponere edicta, si utile id ecclesiae censeatur, et quoties res adhuc integra est, beneplacito nondum expedito nec executioni rite commisso, ac publico instrumento exarato. Secundo de-

*) Adnotamus hic, auctorem nostrum singula ea, quae asseverat in hoc capite, itemque in iis quae sequuntur quaeque nos summis labiis delibanda sumimus, idoneis rationum momentis copiose fulcire et comprobare solere. Qua in re hac idem methodo generatim usus est, ut juris civilis et canonici, quo vivimus, principia ponat ac statuat, ex iisque veluti e fonte deducat regulas disciplinae seu praxeos, quas servat servarique mandat S. C. Ep. et Reg. in contractibus rerum ecclesiasticarum ineundis: iisdem insuper quasi praesidium ac firmamentum comparat ex declarationibus, quas sacer Ordo edidit in casibus peculiaribus quaeque idem excerpsit ex authenticis regestis tabularii S. C., nec quandoque, cum res postulat, argumenta mutuari omittit sive ex declarationibus S. C. Conc. sive decisionibus s. Rotae romanae.

*) Vd. *t. I. p. 446. q.*

bent esse *certae*, videlicet in summa certa et explicita, unde rejiciuntur oblationes captiosae, incertae et ecclesiae bono adversae. Aliquando fit, ut aliquis oblator praeter propriam oblationem addat augmentum supra quaslibet alias oblationes: hoc in casu augmentum oblationi propriae addici debet non alienae; ex. gr. si Titius offerat centum et addat scutata decem supra quaslibet alias oblationes, quae propriam exsuperent, oblatio recipitur in scutatis centum ac decem. Si oblationi inhaereat aliqua conditio, eadem tanquam incerta repudiatur. Tertio loco debent esse *evidenter utiles*; namque ecclesia ad alienationem non procedit, nisi cum evidenti sua utilitate juxta privilegia, quae communia habet cum pupillis et minoribus; itaque ecclesiae utiles minime reputantur eae, quae pro persona nominanda exhibentur, nam si persona, cum qua contrahendum est, cognita plene non fuerit, de utilitate evidenti judicium proferri nequit; deinde persona ista nominanda sanguine conjuncta cum ecclesiae administratore facile esse potest: atqui vetitum est contractus inire cum his circa ecclesiae administratae res; circa personam nominandam excipitur casus, quo illico et in continenti declaratur, quaenam speciatim ista persona sit; tunc enim exulant ea quae metuuntur incommoda. Dein ratio discriminis adsignatur, cur obligationes pro persona nominanda admittantur in foro civili ac rejiciantur in foro ecclesiastico: quae ratio in eo sita est, quod evidenter non apparet, an contractus, de quo res est, cum persona innominata utilitatem ecclesiae sit allatura necne. Sed nec utiles reputantur oblationes, quae continent aliquam summam titulo ingressus, vulgo *di prima entratura*, aut alio quocumque nomine vocitetur, nisi ea summa favore eccl. ipsius investiatur. Denique oblationes esse debent *idoneae*, ab iis nempe exhibitae, qui sint solvendo pares vel alias, quae necessariae sunt, cautiones praestare valeant: si secus fortasse fiat, oblatori certus terminus praefigitur, ut cautiones ipsas sibi comparet et exhibeat: quo inutiliter elapso aliis, licet minoribus, oblationibus recipiendis aditus aperitur. Semel traditis rite oblationibus quaestio suboritur, an locus sit poenitentiae ita ut oblatores factum suum retractare queant. In quo distinguenda sunt edicta *deliberatoria* et edicta *invitatoria*: deliberatoria ea dicuntur, quae promissionem continent rem deliberandi favore majoris oblatoris; invitatoria audiunt, quibus expresse monetur, quod oblationum ratio habebitur, quod italice dicitur *saranno prese in considerazione*. Ad prima quod attinet, regula statuitur easdem oblationes esse obligatorias; namque oblatio promissionem involvit, quae simul ac facta fuerit ex lege naturali ac civili servanda est. Hanc thesim auctor cum fuse tum solide comprobat. Si vero agatur de edictis invitatoriis regula generalis est, ut ea obligandi vim non habeant, dummodo tempus non sit praefinitum, quo liceat oblationes cernere et arbitrium interponere, an spernendae vel accipiendae sint: at hoc termino elapso potest oblator oblationes suas revocare et ab iis resilire. Verum cum agitur de contractibus cum ecclesia idem adnotat auctor, eas quoque oblationes ex praxi s. C. Ep. et Reg. uti obligatorias semper fuisse habitas, atque omnia argumenta recenset, quibus praxis ipsa fulcitur.

In quarto capite de vigesima ac sexta speciatim dicendum suscipit auctor easque inductas fuisse tradit ad instar privilegii, tum *addictionis in diem* circa vigesimam, unde sequitur, quod venditio ea lege facta censeatur, ut firma fiat vel firma remaneat, si alius intra certum tempus meliorem non obtulerit conditionem, tum instar *restitutionis in integrum* circa sextam, cujus vi aliquis in pristinum statum reponitur et negotium instauratur. Vigesimae ac sextae experimentis locus esse nequit, nisi postquam beneplacitum apostolicum per Ordinarium decreto, quod vocant, executoriali munitum fuerit. Eadem vigesimae ac sextae experimenta nullitatis quoque vitio laborant, si peracta fuerint ante literarum apostolicarum expeditionem in iis contractibus emphiteuticis, pro quibus literarum apostolicarum expeditio praescribi solet. Vigesimae duratio ad viginti dies protenditur ejusque terminus decurrere incipit a die, quo ab Ordinario executoriale decretum appositum fuerit; duratio vero sextae trium est mensium. Porro vigesimae et sextae termini neque prorogari neque contrahi possunt ab Ordinariis: Sacra vero Congregatio potest quidem terminos contrahere, minime vero prorogare. Ea oblatio vigesimae ac sextae, quae major reperta fuerit, deliberatario sub poena nullitatis denuncianda est. Vigesimae ac sextae oblatio potest esse major quantitate praescripta, idest major parte vigesima pro una,

major sexta parte pro altera: neutiquam tamen potest esse minor. Quod pro vigesima dispositum fuit, idem, congrua congruis referendo, pro sexta dispositum fuisse censendum est.

De apostolico beneplacito quinto in capite sermo instituitur idemque non requiri in locatione triennali ostenditur, itemque nec in contractibus, in quibus Ordinarii facultatem habent vi canonis *Terrulas*. In hoc articulo exponendo declaratur, valoris modicitatem, qua concurrente ejus canonis applicatio locum habet, determinari a consuetudine locali, ita ut valor modicus etiam censeatur, qui scutata quinquaginta monetae romanae non excedat, ubi praefata adest consuetudo, secus modicus dumtaxat dicendus erit, qui ducata viginti quinque de Camera (quae aequivalent scutatis romanis quadraginta) non superet. Excipiuntur concessiones emphiteuticae perpetuae rerum valoris etiam modici, pro quibus apostolicum beneplacitum requiritur, nec Episcopi auctoratio sufficit. Quamvis olim sine novo beneplacito liceret res emphiteusi dari solitas, devolutione adveniente, iterum in emphiteusim concedere, hodie tamen sancitum ac receptum est, ut novum beneplac. semper omnino requiratur.

Circa rescripta eorumque executionem versatur caput sextum. Porro rescripta alia sunt in forma gratiosa, quibus videlicet gratiam summus Pontifex per se immediate impertitur, quin ab aliquo retardari queat; ac talia sunt ea etiam, quae clausulam continent: *arbitrio* Episcopi aut alterius executoris: haec enim apposita dumtaxat censetur ob reverentiam in executorem, ideoque eadem executorem mixtum haud facit. Rescripta in forma commissaria ea dicuntur, quibus Pontifex gratiam per se ipsum non facit, sed committit sive mandatum dat alicui, puta, Ordinario, ut eam impertiatur certis observatis conditionibus, quas auctor enucleat. Delegatio s. Sedis in Ordinarium collata extenditur etiam ad Vicarium generalem, minime vero si facta fuerit Episcopo nisi in vim delegationis. Quod si facta fuerit Vicario, non potest eam exequi Episcopus, nisi Vicarius ei subdelegare velit: quae tamen subdelegatio fieri nequit in casu, quo electa omnino fuerit industria personae. Rescripta gratiae dumtaxat in forma commissoria impetrata per mortem Pontificis expirant.

Septimum caput aditum aperit quaestionibus agitandis ac resolvendis, quae pretii, quod ex alienatione retrahitur, investimentum respiciunt. Investimentum definit auctor legitimam pecuniae collocationem in praediorum emptione vel in juris percipiendi fructus comparatione: ex qua definitione idem infert, quod investimentum non consistat in censuum vel debiti extinctione nec in meliorationibus fundorum et multo minus in eorumdem instaurationibus, nec est verum investimentum domum construere in fundo quem jam antea ecclesia possideat. Sed investimentum fieri debet in fundis stabilibus tutis atque fructiferis; et quaenam praedia sint praeferenda, auctor indigitat. Investimentum in censibus *per posterius et in subsidium* solummodo permittitur, quando nempe praedia stabilia comparari nequeant. Excipitur investimentum, cujus fructus erogandi sunt in missarum celebrationem: hoc enim in casu census non reputantur idonei, sed omnino praedia stabilia requiruntur. Investimentum fieri nequit sine apostolica venia (quae tamen per sacras Congregationes in praesenti rerum statu pro debito publico pontificio passim conceditur) in comparatione schedularum super debito publico vulgo *consolidato*. Multoque minus in aliis publicis capsis praesertim in parsimoniali, *cassa di Risparmio*.

Ad octavum caput quod attinet, ubi de actis agitur, quae in contractibus rerum ecclesiasticarum peragi debent, hanc ipse regulam praestituit, ut ea, quae licitationem respiciunt, a curiis ecclesiasticis absolvi debeant; ad eas itaque sive ad earum officiales pertinet peritorum deputatio ex officio facienda pro aestimatione fundi, qui alienari debeat; edictorum affixio; schedarum, quibus oblationes describuntur, aperitio; actus, quo fundus majori oblatori deliberatur, ut nihil dicam de executione rescripti, quae ei competit, cui ab apostolica Sede commissa fuerit. Contra vero acta, quae ad instrumenti confectionem referuntur, qua alienatio perficitur, a publico tabellione stipulanda sunt; adeoque cancellarii episcopales, si tabellionatu careant, eadem peragere prohibentur. Tabelliones autem simplex instrumentorum exemplar curiae tradere tenentur.

A quo subeundae sint expensae pro hujusmodi actis necessariae, expendit nonum caput; in quo regula generalis est, sufferri

debere ab iis, quos ad eas teneri in edictis proclamatum fuerit ceu fere evenit, atque adeo ad vitandas lites fieri admodum expedit. Si vero nihil conventum appareat, tum juxta adagium, ut ille sentiat incommodum qui commodum sentit, pro dimidio ab ecclesia, pro dimidio ab alienatario expensae sufferendae sunt. Si tamen acta, de quibus agitur, utilitatem alienatarii et non ecclesiae respiciant, qualia sunt censuum aliorumque creditorum extinctio, rescriptorum ob extinctionem expeditio et executio, hypothecarum deletio, publici regesti taxa aliaque id genus, quae ad debitoris utilitatem spectant, expensae, quibus eas in causas opus est, non ab ecclesia, sed solummodo a debitore persolvendae sunt. Et quidem viceversa ab ecclesia subeundae sunt, si de ejusdem utilitate solum agatur.

Denique ut argumenti ab auctore suscepti pertractatio numeris omnibus absolvatur, in decimo et ultimo capite de mobilibus ecclesiae rebus et suppellectili sacra alienandis quaestiones saepius oriri solitae disceptantur. Ad quaslibet hac super re controversias amputandas auctor duo lemmata statuit; primum est, quod bona ecclesiae mobilia pretiosa quae servando servari possunt aequiparentur bonis immobilibus circa solemnitates pro alienatione praescriptas; alterum est, ut, cum agitur de supellectili sacra, quae ex viri periti aestimatione vigintiquinque scutata aurea excedat, non possit a clericis alienari vel oppignorari sine beneplacito apostolico: neque pariter sine expressa licentia Ordinarii si agatur de supellectili sacra, cujus valor infra vigintiquinque scutata aurea aestimatus fuerit. Quaeri potest, an in hujusmodi alienationibus necesse sit servare leges pro licitatione rerum immobilium praescriptas? Cui quaestioni auctor negativam responsionem reddit; dedecet enim res sacras publice venumdari cum periculo, ne in manus profanorum perveniant. Sed tamen nihil diligentiae praetermittendum est, ut recta ac fidelis aestimatio sacrae supellectilis alienandae habeatur ex fide viri periti eaque illi adjudicetur qui majorem summam obtulerit.

Cursim nos haec attigimus: qui vero rem penitius et clarius nosse cupiat, opus ab auctore tam bene elaboratum atque perfectum adire ne gravetur.

VII. Divisio non concessa.

Monopolitana.

Capitulum Cathedralis Monopolitanae, quod viginti tribus constat inter Dignitates et Canonicos duodecim portionariis totidemque capellanis seu numerariis, praeter praebendas ac portiones cuilibet separata administratione attributas possidet communem bonorum massam, quorum redditus in tot missarum celebrationem juxta piorum benefactorum mentem impendi debent. Bona haec communi administrationi subjacent, cui unus ex Capitularibus biennio quolibet adlectus praeficitur ac partitarius appellatur. Experientia autem uti asserunt docti Capitulares hujusmodi administrationis rationem in detrimentum cedere totius capituli; siquidem compertum habuere unius administratoris curas satis esse non posse manutentioni et culturae, jamdiu pessumdatae, fundorum invigilandae, qui hic illic siti ac dispersi amplo territorio continentur, cujus fines ad trigintà et amplius milliaria patent, rem sibi utilem gerere putarunt si fundos praebendarum ad instar dividerent totidemque portiones quot sunt participantes constituerent ac praeterea certum missarum numerum praefinirent, ut quilibet portionem suam possidere et administrare posset ac determinatum missarum onus impleret.

Hujusmodi consilium cum propositum fuisset in capitularibus comitiis diei 11. Novembris 1850 ac unanimi consensione probatum, supplicem Capitulares sacro huic Ordini dedere libellum, ut proposita divisio bonorum ac missarum definitio apostolica auctoritate confirmetur.

Animadvertunt missas celebrandas esse ad rationem reddituum, quarum ideo numerus ob imminutionem vel augmentum reddituum eorumdem variationi quoque anno obnoxius est. Tribus jam vicibus ac ultimo anno 1793 auctis eleemosynis missas fuisse reductas in singulis legatis, iis tantum exceptis, quae certis constabant redditibus ac reductioni diserte obstabat fundatorum voluntas, ita tamen, ut omnibus eleemosynis insimul sumptis ac integra exinde quae conflatur summa ratione numeri missarum dispertita pro qualibet missa eleemosyna media 40 circiter gran. haberetur.

Episcopus ad supplicis libelli calcem vera esse exposita confirmat suasque pro hujus-

modi propositionis confirmatione commendationes addit.

Cum ita se res haberent, alterum accepi supplicem libellum ex parte nonnullorum ex Capitularibus, in quo exponunt se malis deceptos artibus in primo capitulari conventu bonorum divisioni assensos fuisse, re autem postea melius perpensa praestitum se revocasse consensum ac nullum non movisse lapidem ne inceptum perficeretur, quod non oeconomiae rei capitulari, ut sibi antea videbatur, prodesset, sed valde noceret; hic demum, quamvis hujusmodi consilium in prima capitulari sessione in genere tantum probassent, attamen, cum de modo rei componendae in aliis sessionibus postea habitis actum est, numquam ipsis adversantibus propositiones convenisse. Quamobrem postulant, ut proposita divisionis ratione rejecta s. Congregatio omnia quae in rem provide a majoribus instituta sunt sarta tectaque in suo statu manere velit ac jubeat.

Pluribus rationum momentis rem conficere satagunt contradictores Capitulares, quorum haec summa est: Bona communis massae institutione sua divisionem non pati; quae quidem a piis benefactoribus ecclesiae, non singulis participantibus, relicta sunt ut in ejus essent dominio ac possessione et juxta eorum redditus Sacra litarentur. Hinc cum anno 1606 ex constitutione s. m. Pauli V. incipien.: *Cum sicut accepimus* mensa capitularis in tot praebendas ac portiones singulis in possessionem ac administrationem attributas divisa est, dato tamen quolibet decennio jure optionis integra servata est communis legatorum massa ejusque administrationis ratio quae invecta ab initio fuerat.

Alienationem vero sapere concessionem ususfructus bonorum ad vitam Capitularium, contra censuram Extravagantis *Ambitiosae de rebus ecclesiae non alienandis.* Id quidem impermissum non esse consulta s. Sede; hanc vero, nisi evidentis utilitatis aut necessitatis urgente causa, contrariis ordinationibus detrahere numquam solere iis quae vel juxta generales sacrorum canonum sanctiones vel peculiarem cujuslibet ecclesiae disciplinam bene ordinata et constituta sunt.

Porro nullam commutationis inducendae suppetere causam. Quae enim de male fundorum administratione ac neglecta cultura ex adverso asseruntur, vel omnino falsa vel exaggerata, sin minus non plane communis massae rationi tribuenda esse. Omnia enim ad rectae administrationis regulas exiguntur. Adest partitarius ex tribus participantium ordinibus biennio quoque adlectus, penes quem totius negocii summa est; adsunt duo alii participantes, quos Cavalcatori appellant, quorum munus est quolibet anno fundos invisere ac de eorum statu capitulum certius facere, ut quae sunt opus provideat et curet. Adsunt custodes rurales, quibus fundorum manutentio peculiariter commissa est. Duo quotannis eliguntur Capitulares ad redditionem rationum excipiendam, quibus confectis ac in tabulis accepti et expensi relatis prius capitulo deinde Episcopo in actu s. visitationis approbandae deferuntur. Ceterum deteriorem esse fundorum praebendalium conditionem, quamvis separata administratione regantur, ceu omnibus compertum est. Facile autem occurri posse reparationibus necessariis ex redditibus communis massae, uti aliquando factum est, quin fundorum divisione ac diversa administrationis methodo opus sit.

Perperam hinc spem esse conceptam fore, ut ex hac divisione fundi meliores reddantur, cum diuturna satis experientia constet bona ecclesiae privatae clericorum administrationi subjecta persaepe negligi; qui enim gravissimis ecclesiasticis obeundis ministeriis addicti sunt vix ullam temporis partem in hujusmodi negociis curandis impendere possunt. Nec satis imo in tuto posita exinde esse ecclesiae jura. Perpendunt enim, fere omnes de clero monopolitano fundos possidere illis proximos cum onere unius alteriusve servitutis; facile hinc contingere posse, ut in una eademque persona fundorum possessione manente nedum hujusmodi servitutum jura amittantur, sed novissimo servitutibus subjiciantur ecclesiae fundi ab iis qui propriis suis rebus lucrum cum ecclesiae damno captare non verentur, ceu factis comprobant. Praeterea, cum confina plurium fundorum, deperditis pristinae acquisitionis titulis, non alia ratione constituta dignoscantur quam sepibus aut lapidibus aliisque agrariis signis, haec facile dimoveri possent si quem familiares terras augendi libido coeperit.

Addunt chorali etiam servitio jacturam inferri. Postrema enim missarum reductio concessa est sub conditione, ut omnes missae in posterum in cathedrali ecclesia celebrentur, comminata poena choro non interessentibus.

Decreta autem bonorum divisione vix fieri posse ut emolumenta haec negligentibus auferantur, qui bona possident et administrant fructusque jam suos fecerint atque consumpserint.

Ob eamdem rationem nec tuta esse animarum suffragia. In praesens enim cuilibet emolumenta a partitario persolvuntur ad rationem numeri missarum, quas celebraverit; divisis at vero bonis verendum esset, ne quis omnia sibi injuncta missarum onera non impleret ac nihilominus respondentem ommissioni quotam emolumenti quod jam suum fecit ac fortasse consumpsit, restituere vel non posset vel non vellet.

Hisce demum addi fidelium querelas, qui aegre ferunt supremas suorum majorum voluntates exinde violari, qui bona haec ecclesiae donata voluere ut suffragiis a purgatorii levarentur poenis, non ut in turpem paucorum quaestum conferrentur.

Post haec nonnulla in jure notanda sunt. Ac primo ad extrinseca quod attinent, perpendendum num aliquorum Capitularium dissensus petitae divisioni obstare possit. Porro cuique notum est capitulo potestatem inesse condendi leges quoad ea quae regimen respiciunt et administrationem rerum quae ad integrum capitulum pertinet ut ex *cap. 2.* §. *Ceterum,* ibique *Gloss.* verb. *statut. de verb. signif.* tradunt *Genuen. in pract. eccles. quaest. 675, Rota coram Seraph. decis. 807. num. 4. coram Gregor. decis. 66. num. 11.* Unde et veteres etiam sancitas leges abrogare potest et temporibus accommodare, juxta ea quae tradit Bartol. in *Leg. Omnes populi quaest. 3. num. 33. de just. et jure* et *Rota decis. 34. num. 1. et seq. part. 17. Recen.* In jure autem cautum est, ut quod in capitulis statuitur a majori parte, id licet alii repugnent pro lege haberi debeat, ut ex *cap. 1. de his quae fiunt a major. part. capit.* et *Rota decis. 76. num. 15. coram Ansald. et decis. 809. num. 1. coram Buratto.* Hinc videretur paucorum dissensum in casu posthabendum esse.

Nihilominus notandum, in controversa resolutione capitulari actum fuisse de re, quae singulos aeque Canonicos ac participantes attingit, atque de negocio, quod non ad capitulum et clerum uti corpus, sed ad universos uti singulos pertinet: quamobrem suis non consistere viribus videtur lex quae ad singulorum interesse pertinet, nisi universorum consensus et suffragium accedat. Etenim quod omnes attingit debet ab omnibus approbari inquit *Bonifacius VIII. in cap. 29. de R. I. in 6.* et tradunt hanc sententiam *Barbosa de Canon. et Dignit. cap. 28. num. 13., Card. Petra ad const. apost. tom. 1. const. 1. sect. 2. num. 27., Rota in Leodien. Spolii super Reces. capitular. 16. Martii 1760. §. 5. coram Paracciano.* Praesertim in casu, quia cum agatur de actu capitulari voluntario et non necessario et contra antiquam consuetudinem, videtur non majoris partis capituli, sed omnium Canonicorum concordem requiri voluntatem, ceu docet *Rota part. 6. Recen. decis. 20. num. 5. part. decis. 244. num. 25.* Jam vero nedum aliqui ex Capitularibus propositae divisioni bonorum nunc refragantur et ejus perficiendae rationi semper adversati sunt, verum etiam non docent oratores an ad capitulum acciti fuerint ceteri omnes participantes, qui in negotio quod eorum etiam intererat audiendi et ad suffragium admittendi erant.

Ceterum quoad Capitulares dissentientes praetereundum non est, eos ceterorum consilium in capitularibus comitiis in genere saltem approbasse, quamvis se fraude deceptos asserant ac deinceps consensum revocaverint.

Ast dolus et fraus non praesumitur, sed probari debet; et quod semel placuit amplius displicere non potest; nec ratio habenda fortasse erit de paucorum dissensu quoad rei perficiendae modum, cum in rem jam convenerint ac dissensus legitimo fundamento minime nitatur. Quoad ceteros participantes, portionarios videlicet ac numerarios, cum hi quesiti non fuerint, nuncium juribus suis mittere ac rata firmaque omnia quae gesta sunt habere silentio suo viderentur.

Perpendendum praeterea, an proposita divisionis methodus testatorum voluntati ac ss. canonum sanctioni de rebus ecclesiae non alienandis repugnet, quum ab iis recedere non liceat quae per apostolicas constitutiones et per fundationis legem constituta sunt, ceu monet *Conc. Trid. sess. 25. cap. 7. de reform.* Verum quoad primum nulla testatorum dispositio profertur, qua

id vetitum sit; nec plane pia illorum voluntas violata videtur si bona quae ecclesiae donata voluere pluribus in administrationem dispertita tradantur, dummodo redditus in alios quam qui praescripti sunt non convertantur usus. Quoad alterum, quamvis pactio quaevis quoad ecclesiae bona quae alienationem sapit inconsulta s. Sede prohibita sit, nihilominus non desunt doctores qui tradunt haud esse necessariam s. Sedis veniam pro ineunda pactione inter clericos ejusdem ecclesiae super modo gaudendi fructibus et emolumentis communis massae cum nulla intercedat abdicatio aut translatio dominii vel jurium ab uno corpore in alterum. *Card. de Luca de Canon. disc. 30. num. 19.* et *de alien. disc. 54. num. 8., Scarfant. ad Ceccop. Lucubr. can. lib. 4. tit. 15. num. 64.*

At vero, etiamsi fundatorum voluntas et juris dispositiones obsisterent, ubi tamen de vera necessitate ac evidenti divisionis bonorum utilitate constet, apostolicae sanctionis auctoritas deneganda non esset, uti nec nonnullorum hoc in casu Capitularium irrationabilis dissensus officeret. Hisce enim concurrentibus causis bonorum massae communis divisionem sub certis conditionibus probavit s. Congregatio in Alatrina 23. Decembris 1826, deficientibus improbavit, uti in altera *Alatrina 28. Aprilis* sequentis anni 1827. Legitimas adesse causas contendunt oratores, ex quo unus administrator non sufficiat manutentioni et culturae procurandae tot aegrorum qui vastissimo territorio continentur; unde ex divisione uberiorem etiam fructuum perceptionem sibi pollicentur; nam singuli participantes spe ducti majores ex propria portione colligendi fructus diligentiorem culturam adhibebunt.

Sed animadvertere praestat, quod si haec momenta rationum valerent, jam omnes destruere oporteret communes capitulorum mensas, quas in ecclesia vetustissimas ostendit *cap. cum M. Ferrariensis 9. de constit.*, quaeque etiam nunc vigent in pluribus capitulis. Quin imo massae communio utilior fortasse videretur tum participantibus ipsis qui liberantur ab omni sollicitudine administrationis tum ecclesiae servitio, dum ipsi diligentiores esse poterunt si uni cura procurationis conferatur, tum etiam bonorum conditioni; siquidem majori agrorum cultioni agendae expeditus prospicitur ex fructibus mensae communis, quam ex symbola a singulis portionariis conferenda. Prae oculis etiam habenda mala quae oppositores Canonici obventura lamentantur: quae si consistant justam ipsi haberent repugnandi causam nec nova probanda esset lex quae auget potius quam minuit incommoda quae ex veteri exoriri asseruntur. Hinc s. Congregatio propensiorem semper se exhibuit in unione, quam in divisione bonorum admittenda, uti patet in *Maceraten. Massae communis* et *alienat. 25. Januarii 1806.*

Ceterum incommodis quae objiciuntur occurri fortasse poterit per deputationem plurium administratorum qui diligentia ac peritia concreditum munus rite obire valeant.

Quatenus vero divisionem probandam censuerint EE. PP., quoad modum videant, an ratio a Canonicis proposita omni ex parte confirmanda sit. Aliquid fortasse difficultatis facessere potest onerum missarum praefinitio; quamvis enim hac ratione certus perpetuo et a reddituum variatione independens haberetur missarum numerus a quolibet ex participantibus implendus, attamen id mutationem in testatorum dispositionibus induceret, qui missas juxta redditus celebrandas jussere, ut adeo redditibus aliquando auctis debita suffragiorum parte privarentur.

Sed quid consilii hac in re capiendum sit definient EE. VV. Quibus resolvenda propono

Dubia:

I. *An et quomodo probanda sit proposita bonorum divisio in casu?*

II. *An et quomodo probanda sit praefinitio numeri missarum in casu?*

S. C. resp.

Ad I. et II.: Negative in omnibus et amplius.

Die 28. Apr. 1855.

VIII. In Emphiteusim quando et quomodo danda?

Vd. *Emphyteusis.*

IX. Episcopi jus circa ea.

Vd. *t. I. p. 187 n. 3.*; supra n. 2. p. 1064 ; n. 3. p. 1066.; supra p. 185. c.

X. Excommunicatio in alienantes, usurpantes etc. sine beneplacito apost.

Vd. t. I. p. 456 r.; vd. *Bona eccles.* (alienatio — beneplacit. apost. p. 1075. a.; poenae.)

Excommunicationem latae sententiae romano Pontifici reservatam incurrunt omnes, qui excommunicatione mulctantur in constitutionibus s. Pii V.: *Admonet nos* quarto Calendas Aprilis 1567, Innocentii IX.: *Quae ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, Clementis VIII.: *Ad romani Pontificis curam* 26. Junii 1592 et Alexandri VII.: *Inter ceteras* nono Calendas Novembris 1660 alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octobr. 1869.)

Excommunicationem latae sententiae Nemini reservatam incurrunt:

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico, ad formam *Extravagantis: Ambitiosae* de reb. eccl. non alienandis.

(Constit. Pii IX. 4. Id. Octobr. 1869.)

Excommunicationem latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatam incurrunt:

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octobr. 1869.)

Excommunicationem latae sententiae speciali modo romano Pontifici reservatam incurrunt:

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad ecclesiam romanam pertinentia vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis necnon ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

(Constit. Pii IX. 4. Idus Octobr. 1869.)

XI. Investiendi modus.

Vd. p. 1068. §:. *Quod si tamen*; p. 1070. n. V.—VII.; p. 1084. §.: *Septimum.*

XII. Licitatio.

Vd. *Bona eccles.* (venditio etc.); p. 1075. a.; p. 1079. VI.

Inter bona quae possidebat pium dotale institutum recensebatur rustica quaedam domus quam pii instituti administratores in perpetuam emphyteusim dare statuerunt. Eadem rustica domus aestimata fuerat scut. 120

Edictis publice affixis juxta morem quibus invitabantur ii, qui eam affectarent, Titius obtulit canonem annuum scut. 12. et inde imploravit beneplacitum apostolicum cum gratia omittendi reliquas licitationes, quae appellantur *experimenta vigesimae et sextae.**) Quod quidem ex venia apostolicae Sedis obtinuit.

Cum autem Ordinarius rescriptum exsecutioni mandaret et Titius insisteret pro instrumenti stipulatione gravis orta est difficultas; namque unus ex administratoribus pii instituti denunciavit, preces s. Congregationi oblatas ad illud obtinendum rescriptum fuisse obreptitias, cum eadem rustica domus aestimanda esset non quidem scut. 120, sed scut. 192.

Quae cum ita essent, Ordinarius novam ex officio fieri jussit aestimationem, quae pretium eidem domui tribuit scut. 184; ideoque novis edictis publice affixis domus novae licitationi fuit proposita et septem invenit licitatores quorum major obtulit scut. 18. Titius interea agebat ut eam domum habere posset non titulo emphiteusis sed titulo emptionis oblato pretio sc. 300: cum haec cognosceret ille qui major inter licitatores extiterat, hisce tractationibus refragratus est, semet paratum demonstrans hoc in casu emendi eam domum scut. 350.

Cum haec omnia s. Congregatio rescivisset, die 4. Julii 1864 rescripsit: *Attenta nullitate omnium actorum hucusque gestorum pro contractu emphiteusis, ac praevia reportatione praecedentis rescripti . . . iterum affigantur edicta pro emphyteusi . . . super canone non minori scut. 18, et Emus Episcopus de resultantibus certioret hanc S. C. pro beneplacito favore majoris ac melioris oblatoris.*

Itaque ex integro licitationi domo exposita eam duo affectarunt, quorum unus obtulit canonem scut. 20: 20. Re S. C. delata rescriptum prodiit: *SSmus annuit arbitrio Emi Ordinarii . . . pro petita emphiteusi... favore* (Titii) *pro annuo canone scut. 20: 20 in omnibus juxta preces, salvo jure vigesimae ac sextae: hypothecato etc.*

Obtento hoc rescripto (quod non constat an fuerit exsecutioni mandatum) Titius ad stipulationem instrumenti non devenit, sed novas S. C. admovit preces pro oblati canonis reductione: conquerebatur enim de

*) Recolenda est constitutio Benedicti XIV. quae normam statuit hisce contractibus rerum ecclesiasticarum *t. I. p. 446. q.*, necnon decreta S. C. Episc. et Reg. *t. I.* p. *448.*

enormissima laesione; eo vel magis quod aliam pecuniae vim impendere deberet in ejusdem domus instaurationem: seque pauperem esse patrem numerosae prolis affirmabat.

His receptis precibus denuo rogatus fuit Ordinarius *pro informatione et voto, auditis omnibus interesse habentibus super noviter deductis ac praevia peritorum aestimatione referat de asserta laesione.*

Hisce aliisque notitiis habitis res in consultationem de more coram plena S. C. posita est.

Recolebatur initio doctrina, quam cl. Aloisius Trombetta exponit in recenti opusculo *Praxeos regulae circa contractus etc. c. 3.**) *p. 83. n. 33. et seqq.*, qua scilicet traditur, delatas oblationes a licitatoribus obligatorias esse, ita ut post traditam oblationis schedulam non possit licitatorem poenitere, quamvis e contra, *re integra*, ecclesia seu locus pius possit resilire: ideoque etsi beneplacitum apostolicum non fuerit exsecutioni mandatum neque confectum instrumentum, non tamen ab obligatione contrahendi Titium liberum esse.

Vigente autem hac obligatione ea principia subintrare circa canonis reductionem vel contractus rescissionem dicebantur, quae solent invocari, quando, perfecto emphyteusis contractu, emphyteuta conqueritur de magna canonis quantitate, ut penes s. Rotam in *Camerinen. Reductionis canonis 15. Mart. 1837 coram de Cursiis*, et in *Praenestina Reduct. canonis* agitata penes S. C. Concilii die 28. Januarii 1865.

In praesentia autem, habita ratione omnium aestimationum, laesionem saltem aliquam adesse videri: ac multa concurrere etiam adjuncta, ob quae, saltem ex aequitate, reductionem canonis suadere dicebantur.

Favore tamen pii instituti observabatur cum s. Rota in *cit. Camerinen. n. 12:* »Revera quamvis aequum sit subvenire venditori laeso vel decepto, ipsamet tamen aequitas haud suadet, quod suppetiae ferri debeant iis, qui postquam sibi, uti majori oblatori, licitatorum bonorum adjudicationem obtinuerunt, deinde, sub fuco, quod se deceperint in hastae calore, reductionem canonis urgeant cum manifestissimo venditorum damno, qui tali modo amittunt utilitatem, quam eisdem hastae aestus portare potuisset.« *) Eo vel magis in praesenti casu haec locum videbantur habere, quod dici non possit Titius aestu licitationis abreptus, cum id negotii a longo tempore ageretur, ac in ultima licitatione decem habuerit dies ad deliberandum juxta generalia S. C. decreta.

In iisdem autem fere adjunctis adnotabatur, s. Congregationem Concilii non concessisse reductionem canonis in *Tusculana* 8. Augusti 1863, quamvis fundus licitationi expositus fuerit aestimatus scut. 113. et canon pervenerit ad scut. 18; neque in *Praenestina cit.* in qua fundus aestimatus fuerat scut. 102 et canon ascenderat ad scut. circiter 10.

In praesenti autem casu tantam contentionem inter licitatores non esse causa destitutam, cum rustica domus repeﾭriretur in quadam via, quae in praesens ad negotia gerenda valde utilis reputari posset.

Hisce aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

An et quomodo annuendum sit reductioni canonis in casu?

S. Congregatio Episc. et Reg. re cognita die 1. Februarii 1867 respondere censuit: *negative in omnibus; et attentis peculiaribus circumstantiis, facta facultate* (Titio) *intra viginti dies recedendi ab obligatione ineundi praefatum emphyteusis contractum.*

Post hanc resolutionem Titius petiit ac obtinuit novam audientiam atque proposuit, ut omissa quaestione super laesione ipsamet domus sibi venderetur pretio scut. 300: eo vel magis, quod de hac re tractationes antea cum Ordinario coeptae essent: idque in majorem etiam operae piae utilitatem posse redundare.

Servatis itaque de more servandis, dubiis

*) Vd. p. 1082.

*) Idem animadvertit Mastrofini in italico opusculo *Della maniera di misurare la lesione enorme nei contratti, c. 16. n. 273 et 274*; hic enim auctor quamvis doceat locum dari posse laesioni in contractu rerum licitationi expositarum. tamen adnotat: probationes erroris pretii debere esse evidentissimas; cum praesumatur, pretium in aestimatione indicatum ejusdemque quantitatem in licitatione propositam proxime respondere vero pretio tempore contractus, ac subjungit: »quando plures licitatores certant, saepe pretium quam maxime augetur: sed id evenit ad objectum consequendum; ideoque locus non datur querimoniis ex laesione.«

propositis: I. An et quomodo recedendum sit a resolutione diei 1. Februarii 1867? et quatenus affirmative: II. An et quomodo annuendum sit venditioni pretio scut. 300 in casu? S. Congregatio die 13. Septembris ejusdem anni respondere censuit: Ad I. et II: *Praevio recessu a decisis ex noviter deductis affirmative pro venditione pretio scut. 300, stipulato instrumento infra duos menses, supportatis omnibus expensis per emptorem et cum facultate administratoribus operae piae venditricis investiendi pretium juxta votum Ordinarii.*

Ex quibus colliges:

I. In licitatione rerum ecclesiasticarum rite facta licitatorem, qui caeteros oblato pretio vicerit, obligatione teneri ad contractum perficiendum.

II. Neque eumdem posse conqueri de laesione post licitationem rite gestam, quamvis pretium exhibuerit, quod justo valde majus videatur.

III. Licitatores enim libere certantes ob rei sibi utilis consecutionem potius certare, quam ob realem ejusdem rei valorem.

XIII. Licitatio et emptio alieno nomine.

Ex iniqua demagogorum lege quaedam religiosa regularium domus cum adnexo praedio fuit gubernii dominio vulgo *Demanio* mancipata. Religiosi viri, qui in ea degebant, in adsignata parte domus ejusdem manserunt. Cum autem haec domus peculiari ordinis memoria esset insignis, non omiserunt regulares, eo modo quo poterant, eam ex naufragio tutam reddere. Virum scilicet Pomponium elegerunt eumque invitarunt ad instituendum ipsorum expensis collegium-convictum, dummodo hoc constitueretur in ea domo, inito quodam ut videtur societatis contractu, eamque domum locationis contractu, tempore quo fieri posset diuturniori duraturo, a gubernio acciperet, conditione ipsi Pomponio apposita coadjuvandi regulares quavis ratione ut emere dein possent domum praediumque adnexum.

At paulo post cum publicae venditioni domus proponeretur, alius contractus initus fuit, scilicet: »Superior regularium auctoritatem facit Pomponio emendi proprio nomine religiosam domum et praedium« et vicissim »Pomponius ratus eos regulares coram ecclesia et Deo dici posse dominos illius domus promittit se ipsis restituturum, tempore quo eam possidere poterunt facta sibi expensarum dumtaxat restitutione.«

His ita compositis obtentisque necessariis facultatibus ab auctoritate ecclesiastica Pomponius ad emendam domum concurrit

Inter alios, qui eam regularium domum ad rectum quidem finem affectabant, erat sacerdos quidam; qui tamen regularium suasionibus motus et noscens Pomponium inter licitatores nomine regularium agere ut domum regularibus ipsis servaret a suo proposito discessit.

Hoc obice itaque remoto Pomponius accepta a regularibus vi pecuniae libel. 25000 coram tabellione declaravit: »se paratum esse ad emendam domum proprio nomine, sed tamen ut in utilitatem cederet regularium, eamdem domum emere pretio et conditionibus quibus regularibus placuisset . . . Se eam interim ad usum et plenam dispositionem relinquere familiae regularis . . . . se suo tempore *retrocessionem* prout de jure esse facturum regularibus quando et quomodo ipsis placuerit aut convenerit.«

Cum autem non expediret ut omnes conditiones in hac publica declaratione exprimerentur, peculiaria pacta occulte inire placuit. Ideo, prout in praesens regularis Superior narrabat, parata fuit quaedam scriptura a religiosis, in qua clare elucebat, eam emptam domum esse in plenissimo regularium dominio, ita ut Pomponius simplex administrator appareret.

Sed haec scriptura in qua articuli conventionis clare erant expressi, fatente regulari Superiori, non placuit Pomponio, ideoque altera conventio intercessit in qua fuit declaratum: »Cum Pomponius non emerit sibi sed regularibus ecclesiae N., a quibus pecuniam quam solvit habuit, qui et aliam promiserunt, quam adhuc solvere debet . . . Cupientes partes, ut clara praecisaque ratione de conventione statuta constet . . . . declarant ac statuunt quod sequitur: Pomponius emit domum religiosam et praedium pecuniis a regularibus habitis ut eas pecunias administret in commodum et utilitatem eorumdem regularium et tamquam absolutus dominus coram lege: primo manente proposito, quo coram ecclesia et Deo fundi proprietas integre pertineat ad dictos regulares, et ita ut Pomponius erga eos sit simplex administrator.«

Post haec et similia cohaerentia factorum adjuncta, quae ex documentis a regularibus allegatis hauriebantur, ita negotium processisse narrabat regularis Superior: »Consilium definitorium illius provinciae erigere statuit collegium nauticum suis expensis, cujus rector, annuo honorario libell. 2400 praeter alia emolumenta, idem Pomponius esset. At duos post annos Pomponius officium simplicis procuratoris confidentialis posthabens sine regularium consensu per actum tabellionis suo fratri cessit collegii directionem et usum domus. Consilium definitorium, cum incassum cessissent quaerelae et conciliationis propositiones, audito jurisconsultorum voto, Pomponium e suo rectoris collegii officio et administratoris domus locorumque adnexorum cecidisse declaravit. Res eo usque processit ut coram civili tribunali Pomponius fuerit citatus... idemque tamquam dominus etiam coram ecclesia se gesserit innixus quibusdam theologorum opinionibus.«

Audita itaque relatione Ordinarii auditisque partibus contendentibus quaestio proposita est s. Congregationi sub dubio quod in calce prostat.

Quoniam cardo quaestionis in eo consistebat, an Pomponius regularem domum cum adnexo praedio emerit pro regularibus ita ut ipse non esset nisi simulatus emptor, observabatur ad contractus simulationem adstruendam satis esse ut constet de causa simulandi duabus praeterea vel tribus conjecturis concurrentibus ut tradunt Mascard. *de prob. concl. 438. n. 3. et seqq.*, Farinacc. *Var. quaest. de fals. simul. q. 162. n. 9.*, Rota in *dec. 262. n. 17. p. 11. rec. in Ferrarien. Immissionis 12. Januar. 1749. n. 7. etc.* Ast in praesenti themate causam simulandi adesse hinc in iniqua civili lege quae gubernii dominio aliena bona addicebat, inde vero in regularium cura et studio servandi conventum praeclarissimum: conjecturas pariter scatere ex pactis initis erigendi in ea domo collegium cujus ipse Pomponius conductor apparere debuisset, licet realiter non esset nisi regularium delegatus et procurator eorundem.

Sed haec omnia in plena luce ponebantur ex apertis variorum pactorum verbis, quibus Pomponium non aliud esse constabat, nisi emptorem, qui bona regularium acquisiverat, non sibi sed ipsis regularibus.

Pomponius conabatur regularium argumenta evertere. Quae enim emptionem praecesserant societatis contractum respicere testabatur quoad collegii erectionem: pacta vero inita circa emptionem peculiaria quidem emolumenta regularibus tribuere, minime tamen impedire quominus controversa bona religiose sibi acquirere potuisse, scilicet cum omnibus conditionibus ab ecclesia nunc temporis praefinitis, quarum vigore dominium resolubile favore religiosae familiae remaneret, quoties religiosa familia eorum bonorum possessionem habere civili lege non prohiberetur. Idest quadam abstracta seu sophistica loquendi ratione intelligebat Pomponius sibi pertinere eorum bonorum dominium, acquisitum sibi ut juvaret regulares juxta ecclesiae (ut inquiebat) spiritum, ita ut, quoties ecclesia secus non disposuerit, cum irrita et nulla sit suppressio a civili auctoritate facta, hoc tantum sensu *fortasse* posse eosdem regulares uti dominos reputari. Ita Pomponius.

His aliisque similibus adductis propositum est ex parte regularium

Dubium:

An emptio venditio sit facta favore *(Pomponii)* seu potius favore patrum *(regularium)* in casu?

Resolutio: S. Congregatio Concilii, die 16. Februarii 1866 causa cognita, respondere censuit: *Negative ad primam partem*, *affirmative ad secundam.* Reproposita causa die 25. Martii 1867 S. C. stetit *in decisis* adjecta clausula: *et amplius.*

Ex quibus colliges:

I. In publica et iniqua bonorum ecclesiae compilatione quae licitationi exponuntur posse eadem bona redimi, debitis conditionibus servatis ab ecclesiastica auctoritate impositis.

II. Non enim est illicitum, ut ille qui bona ecclesiastica jure possidet eadem e suis manibus, iniqua lege, erepta alieno nomine redimat, dummodo scandalum simulatus emptor a se avertat.

III. In hoc agendo negotio probos viros esse quaerendos, ne damnum legitimo possessori sit duplex.*)

*) Ad declinandam confusionem, quae ex variis actibus inter regulares et Pomponium gestis oriebatur, a qua confusione neque ipsa dubitandi formula a regularibus proposita videtur immunis, hic emptionis contractus potest considerari sub triplici generali ratione, 1. quatenus esset emptio religiosae domus cum praedio in licitatione facta a Pomponio ut ea bona, nulla facultate habita, sibi acquireret: 2. quatenus esset emptio cum facultate apostolica ea tantum de causa concessa ut declinentur censurae, et ad bona ecclesiastica ecclesiae ipsi tutius servanda: 3. quatenus esset emptio hac secunda ratione considerata, cui praeterea adjecta fuerint specialia pacta.

Sub hac triplici ratione emptio considerata, in primo casu praeter *nullitatem contractus* Pomponius incidisset in censuras ecclesiasticas; in secundo casu in censuras quidem non incidisset, sed simplex eorumdem bonorum custos et administrator evasisset, qui eadem bona cum suis fructibus servare ecclesiae debuisset; in tertio casu praeter haec Pomponius pacta servare tenebatur, quae in favorem regularium seu causae piae inita fuerint, nunquam vero vindicare sibi potuisset dominium, quod quidem dominium in rebus ecclesiae nemo ex contractu potest acquirere, nisi ejusdem ecclesiae interveniat specialissima approbatio; quae nunquam conceditur, nisi aequitate contractus accurate perpensa et canonica interveniente causa. Quare ipsa dubitandi formula a confusione quadam non est immunis, quae supponit emptionem fieri potuisse favore Pomponii. Quidquid itaque conventum fuerit inter Pomponium et regulares, nunquam Pomponius rerum dominium quodvis vindicare sibi poterat; eo vel magis quod ex multiplicibus actibus nihil aliud esse appareret, quam regularium negotiorum gestor vel procurator.

Caeterum cum Pomponius ad *ecclesiae spiritum* apellaverit, abs re non erit eidem commemorare, hunc esse spiritum illius qui juxta *Apoc. cap. 19. v. 11. et seqq.* est: »*Fidelis et verax et cum justitia judicat et pugnat . . . et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eas in virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris irae Dei omnipotentis, et habet in vestimento et femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.*«

XIV. Poenae in raptores etc.

Vd. *Bona eccles.* (excommunicatio etc. p. 1088); t. I. p. 456. r.

Paroecialis ecclesia A. olim inter ditiores totius dioecesis N. recensebatur. Labentibus annis ob redditum defectum parocho destituta est, qui curam ejus gereret.

Hujus detrimenti causam perquirens novus Episcopus in prima, quam obivit, pastorali visitatione eam derivare judicavit partim ex eo quod praedia nonnulla ad paroecialem ecclesiam pertinentia ad alios pervenerint turpi usurpatione, partim ex eo quod Livellarii seu qui rependere deberent annuos census vel praestationes persolvere detractarent; partim denique ex eo quod emphyteutae, inconsulto parocho, fundos alienaverint, quin laudemia solverent neque instrumenta ad recognoscendum dominium conficerent.

Episcopus ad medelam huic malo afferendam haec publice edixit: se ex novis ac vetustis documentorum locis detexisse 1º fundos nonnullos rusticos ad eam ecclesiam certo pertinentes possideri in praesentia ab extraneis sine legitimo titulo quamquam usurpatio obtecta fuerit sub colore devolutionis vel renunciationis ab eis factae qui utile prius haberent fundorum dominium: inter eos tres nominavit fundos seu praedia, scilicet praedium A., B. et C. Postea denunciavit, plures Livellarios seu qui census vel annuos canones et praestationes solvere illi ecclesiae deberent haud solvere atque fundos directi dominii variis modis libere alienare.

Hinc illegitimos possessores ac debitores ad resarcienda damna hortatus est, censuras memoriae revocando, quae legibus ecclesiasticis contra hujusmodi usurpatores constitutae sunt, monens eos omnes, qui cum dolo possiderent seu retinerent fundos ad eam ecclesiam pertinentes, in censuras ecclesiasticas incurrisse, necnon eos qui debitores essent et tamen non solverent quod deberent, omnes exhortatus est, ut quamprimum suae conscientiae consulerent atque justitiae satisfacerent.

Praeterea edixit, ut fundorum conductores praestationes annuas persolverent paroeciali ecclesiae, minime vero locatoribus; idque sub poena duplicis solutionis.

Denique indixit, ut omnes Livellarii, emphyteutae ac possessores fundorum, quorum dominium directum ad paroecialem ecclesiam pertineret, intra bimestre tempus instrumenta conficerent pro recognitione dominii et solutione laudemiorum; eoque inutiliter elapso poenam caducitatis edixit.

In hoc edicti publici contextu, quamvis nullum usurpatorum nomen evulgatum fuerit, aegro tamen animo illud tulit Antonius, qui supplicem libellum SSmo Patri obtulit, enarrans, se eodem ipso anno vendidisse Josepho per publicum instrumentum Romae confectum quaedam parva praedia gravata canone pro ecclesia paroeciali: sua interesse inquit ut publicum Episcopi monitum abrogaretur, ne ipse onera emptoris perferre cogeretur: atque enixis precibus postulavit

ut irrita declaretur injusta resolutio Episcopi non solum ut contraria legum dispensationibus, sed etiam ut excedens Episcopi auctoritatem.

Hoc accepto libello rogatus est Episcopus pro informatione et voto et ut audiret in scriptis Archipresbyterum ac transmisso exemplo decreti s. visitationis referret de primitiva impositione canonis, de transitu dominii utilis ad tertios ac praesertim de instrumento die 3. Maji ejusdem anni deque aliis omnibus ad rem facientibus.

Episcopus mandatis obsequutus, transmissis documentis, monuit se in edicto haud expressam fecisse mentionem alicujus possessoris fundorum, sed eos oppidanos omnes indistincte compellasse, ut, si aliquid ex juribus ecclesiae usurpassent, damna illata mensae paroeciali sarcirent ac suae insimul conscientiae consulerent. Quod si de nonnullis fundis expressa facta fuerit mentio, ideo id factum fuisse, quia illarum recentior et ad notitiam omnium erat usurpatio et quia tunc eo in oppido vocitabatur, talem fundorum proprietatem per contractum emptionis venditionis ad tertios possessores posse transire. Putabam enim fore, ut contrahentes, si non religione, metu saltem evictionis permoti ab iniquo pacto ineundo recederent. Eo enim tempore ab omnibus oppidanis ignorabatur, tales fundos ab Antonio jam fuisse alienatos favore Josephi sub die 3. Maji, quia instrumentum alienationis ex industria forsan ad secretum servandum Romae per acta tabellionis N. confectum fuerat.

Addidit insuper non modo potuisse, sed omnino debuisse hujusmodi edictum proponere, ut et jura ecclesiae sarta tectaque forent et quisque suae conscientiae provideret. Denique quaestionem proposuit de usurpatione fundorum quos dixi.

Rebus sic stantibus decretum de more editum est: *Ponatur in folio et notificetur Episcopo, qui moneat hac de re partem recurrentem, ut, si velit, ulterius deductiones exhibeat, id quoque curiae fiscali integrum sit.*

Duplex itaque mota atque proposita est s. Congregationi quaestio, quarum prima respiciebat fundorum usurpationem; quam omittimus, tum quia definita non fuit tum quia tota in facto consistens ex pluribus adductis utrimque disparatisque documentis implexa admodum erat indigebatque, ut in peculiari ordinario judicio, servata judicandi forma, pertractaretur; quod et Antonius postulabat. Ea tamen non omittemus quae spectant ad secundam dubitandi formulam quaeque alicujus utilitatis esse possunt.

Contendebat Antonius Episcopum non potuisse monitorium illud proponere, quin suae auctoritatis fines excederet. Id ostendere studuit ex eo, quod ejusmodi monitoria fieri possint, quando deficiant probationes et desint media, quibus illegitimi bonorum possessores cogi valeant ad restituendum quod illegitime possideant. Qua de re allegavit *cap. 3. sess. 25. de ref.* ubi legitur: *Excommunicationes illae, quae monitionibus praemissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro deperditis seu subtractis rebus ferri solent, a nemine prorsus praeter quam ab Episcopo decernantur, et tunc non alias, quam ex re non vulgari causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quae ejus animum moveat .... In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis ... ut quandocumque exsecutio realis vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tam in procedendo quam definiendo a censuris ecclesiasticis seu interdicto .... sed liceat eis, in causis civilibus, ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscumque, etiam laicos, per mulctas pecuniarias .... seu per captionem pignorum .... aliaque juris remedia procedere et causas definire. Quod si exsecutio realis vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo praeter alias poenas ferire poterit.«*

Non esse autem ejusmodi monitoria facienda nisi in subsidium, quando scilicet probationes deficiant et veritas aliunde cognosci non possit, declarasse s. Congregationem Episc. in *Savonen.* 15. Januarii 1619 *apud Nicolium in Flosculis verb.: monitorium n. 2*: idque communiter tenere doctores cum Barbosa *Allegat. 96. n. 24.*

In praesenti autem themate alia suppetere media ad detegendam veritatem colligi ex ipsa enarratione factorum ab Episcopo facta.

Sed praeterea haud esse hujusmodi monitoria facienda, quando certae sint personae, quum tunc ordinarie sit agendum et procedendum, prout docet, multis citatis auctoribus, Ferraris *Biblioth. can. verbo: monitorium n. 21.*

Quamvis autem in praesenti themate explicite nominatae non fuerint in monitorio personae, nominatos fuisse fundos quorum possessores certi essent: ideoque certas personas fuisse indicatas.

Paucis sese expedivit Episcopus in ejusmodi quaestione; animadvertit enim, aperti juris esse haec monitoria ab Episcopis dari posse ea de causa, ut qui subtractas res possideant ad restitutionem obligentur et qui certo sciant eas ab aliquo retineri ad revelationem teneantur sub excommunicationis poena.

In comperto autem esse, subtracta fuisse bona ecclesiae paroeciali de qua agimus, ita ut ecclesia illa congruis redditibus pro parocho penitus destituta manserit, quin eorundem bonorum detentores sciri possent: locum ideoque fuisse admonitioni.

Quod si in edicto tria praedia nominata fuerint id factum fuisse ob peculiares rationes supra indicatas: edictum vero fuisse generale pro reintegranda ecclesiae dote sua deperdita et subtracta.

Hisce aliisque expositis proposita sunt. Dubia:

I. An constet de validitate et efficacia contractuum Antonii in casu?

II. An gestum ab Episcopo sustineatur?

Proposita causa die Februarii 1870 s. Congregatio Concilii distulit resolutionem: responsum enim prodiit ad I. et II.: *dilata ad proximam.*

Causa reproposita in subsequenti proxima Congregatione die 9. Aprilis 1870 responsum prodiit

Ad I: *Partes utantur juribus suis prout, quatenus et coram quo de jure.*

Ad II: *Monitorium esse moderandum ad tramites juris canonici.*

Ex quibus colliges:

I. In implexa vindicatione bonorum, quae subdole subtracta alicui ecclesiae dicantur, experienda esse juris remedia per ordinarium ecclesiasticum judicium, citatis scilicet partibus, constituto ecclesiae spoliatae defensore si desit, contestata lite, etc. posteaquam ab Ordinario inquisitio facta fuerit. Maxime vero si una pars non renunciet juri suo experiendi causam in prima instantia coram ordinario judice.

II. Si detentores bonorum ignorantur vel documenta abscondita maneant ad causae cognitionem necessaria, posse Episcopum, admonitionibus praemissis, sub poena excommunicationis cogere fideles, qui id scire possint, ad revelandum.

III. Ejusmodi rationem procedendi esse distinguendam ab alia, qua usurpatores bonorum per generale edictum declarantur excommunicati: prima enim est juris remedium ad bona recuperanda; secunda est pastorale officium, ut fideles poenas jam a ss. canonibus sancitas cognoscant suaeque conscientiae et justitiae consulant.

IV. In praesenti themate intervenisse potius pastorale officium, quo censurae a ss. canonibus latae in memoriam generatim revocabantur, si nonnulla excipias, cujusmodi erat designatio quorundam fundorum.

XV. Possessor universalis est ecclesia.

Vd. p. 1098. a; p. 1099. c; p. 1108. §. 25.; p. 1109. §. 29.

XVI. Pretium solutum ex venditione propter faciendam viam ferream facta competit beneficio.

Vd. *Bona eccles.* (venditio et aquisitio etc. p. 1112.)

In instituenda via ferrea in regione N. contigit, ut ea intersecare deberet nonnullos fundos ecclesiasticos, quorum unum possidebat Canonicus Poenitentiarius A., alterum Canonicus Theologus B.

Fundus praesertim Poenitentiarii partim planus erat partim montosus: et ea pars, quae montosa erat, lapidibus, arena tofo etc. coalescebat. Cum autem institores viae ferreae hisce mineralibus materiis indigerent per magnas effossiones partem illam montosam solo fere aequarunt eas asportantes materias. Ex hac opera fundus non factus est deterior; quinimo fertilior erat evasurus.

Cum autem dicti institores omnia pecunia compensaverint, idest sectionem pro transitu viae ferreae, damna fundis illata, necnon materiam mineralem submotam, quaestio orta est circa pretium hujus materiae, an illud pertineret ad beneficium vel potius ad beneficiarium; namque de reliquis nulla quaestio.

Canonicus Poenitentiarius contendens pre-

tium illud sibi beneficii possessori pertinere non autem beneficio; proposuit s. Congregationi votum cujusdam jurisconsulti, qui haec deducebat:

Totam quaestionem pendere inquit a consideratione, utrum ejusmodi materia mineralis submota atque venumdata recenseri deberet inter beneficii fructus vel secus, si enim inter fructus recensenda esset Poenitentiario pretium illud pertinuisset.

Ut autem illud ostenderet, rem totam hac ratiocinatione perstringebat: beneficiarius est usufructuarius suae praebendae: ad usufructuarium pertinet quidquid ex fundo percipi potest sine detrimento fundi: ergo etc.

Majorem propositionem hujus sillogismi demonstratione non indigere inquiens totam orationem juris consultus convertit ad minorem propositionem, quam sic ostendebat.

Ususfructus natura jam determinata est in jure et in *l. 9. ff. de usufr. et quemad.* sic legitur: »*Item si fundi ususfructus sit legatus, quidquid in fundo nascitur, quidquid inde percipi potest, ipsius fructus est, sic tamen ut boni viri arbitratu utatur* §. *1. Et si apes in eo fundo sint, earum quoque ususfructus ad eum pertinet. Si et lapidicinas habeat et lapidem cedere velit vel cretifodinas habeat vel arenas, omnibus iis usurum Sabinus ait, quasi bonum patremfamilias. Quam sententiam puto veram* «

Neque objici posse, inquiebat, ejusmodi lapidicinas vel cretifodinas non habeant, sed in illis novae instituantur: nam usufructuarium suum facere quidquid ex fundo et ex fundi rebus percipi potest dummodo agricolturae non noceat, eamdemque legem haec pariter considerare cum sic prosequatur: »*Sed et si haec metalla post usumfructum legatum sint inventa, cum totius agri relinquatur ususfructus, non partium, continentur legato.*

Nec minus claram esse legem *5. ff. eod. tit.*: »*Inde est quaesitum an lapicidinas vel arenifodinas vel cretifodinas ipse* (usufructuarius) instituere possit? *Et ego puto etiam ipsum instituere posse, si non agri partem necessariam huic rei occupaturus est. Proinde venas quoque lapidicinarum et hujusmodi metallorum inquirere poterit. Ergo et auri et argenti et sulphuris et aeris et ferri et caeterorum fodinas vel quas paterfamilias instituit exercere poterit vel ipse instituere si nihil agricolturae nocebit.*«

Quas quidem leges per se claras sic illustrat *Voet. ad pand. lib. 7. tit. 1. n. 24*: »Metalla autem et cretam et arenam et lapides quod attinet, ita jus est, ut etiam cedant usufructuario fundi; non tamen omnia nec modo eodem, aut enim jam ruta vel caesa erant eo tempore, quo primitus nascebatur jus ususfructus, aut contra. Si jam tum ruta erant atque caesa ex fundo fuerint, nullum omnino jus usufructuario fundi in istis quaesitum videri potest, etiamsi nondum ex fundo aut fodinis educta sint; cum eo ipso quo a solo separata sunt caedendo aut eruendo desierunt pars soli esse, ac ne emptori quidem fundi cedere debeant etc. Si vero nondum ruta aut caesa sint, sed naturaliter cohaereant, *in fructu ea esse responsum est*, sive fodinae hae metalli, lapidis, cretae similiumve ante usumfructum aequisitum inventae fuerint, *sive demum usufructu jam constituto detectae appareant*... Nam et fodinas quas paterfamilias proprietarius jam instituerat exercere potest fructuarius et venas .... inquirere .... ac *ipse instituere* si nihil agricolturae noceat.«

Quaestionem praeterea movit idem jurisconsultus, quam auctores pertractant, idest, quid juris si fodinae denuo repertae aut institutae fundum deteriorem reddant? Hanc quaestionem resolvit auctoritate doctorum, *Garziae tract. de expens. et melioram. c. 22. n. 47.* ubi scripsit: »Alter casus est, ut etiamsi lapidicina, salinae, minerae, metalla, cretae, arenae, auri argentive fodinae non *sint antiquae, sed denuo repertae*, si id quod percipitur renascatur, plane ad fructuarium pertinet, vassallum, emphyteutam, praelatum, possessorem majoratus et fructuum conductorem, quia is fructus est qui renasci solet *l. fin. ff. de fund. dot.* ... Tertius casus est, si talis sit lapidicina, ... ut ex ea effossum ... non renascatur; tunc quidem in emphyteuta, vassallo, marito, Praelato, Episcopo, rectore et in aliis id genus possessoribus, qui dominium *(utile)* obtinent, ad quod non solum fructum, verum proventiones et emolumenta commodaque pertinent, dicendum est marmora illa effossa et reliqua metalla etiam non renascentia *ad eos pertinere*, qui tamen expensas de suo facient, *et si fundum fecerint pejorem de damno tenebuntur* ... In fructuario igitur recipiendam esse tertiam conclusionem existimamus .... Unde ex dicta lege *Item fundi* et *l. Usufructu legato*, juncta *l. Acquissimum*, fructuarius *facit suos lapides, arenam, cretam, aurum et argentum* etiamsi non renascatur, si utatur boni viri arbitratu, quod interpretamur ex dicta lege: *Acquissimum*, idest *si fundus melior fiat*, quantumvis lapides excavet quantumvis formam fundi mutet, si fundo prosit mutatio illa: quod si deteriorem fecerit, tunc de damno tenetur, et excavata, educta et effossa restituet ex dictis legibus, ita sentit Paulus de Castro etc.« Idem docet *Casillo de usufruc. 37. n. 7. et seq.*

Porro, prosequebatur jurisconsultus, agricolturae peritos in praesenti themathe testari, effossiones factas meliorem reddidisse fundum, cum pars fundi montosa et sterilis aequata solo fuerit, quaeque per supervenientes cretae stratus fertilis esset evasura.

Nec posse comparari, inquiebat jurisconsultus, praesentem casum cum sylva vel arboribus haud caeduis, quae in fundo sint. Namque arbores non caeduas tanquam fundos considerari ex quibus fructus percipiantur; et ideo caesionem harum arborum in fructu non esse, juxta *leg. 7.* §. *12. ff. Solut. matr.* »*Si fundum viro uxor in dotem dederit isque inde arbores deciderit .... Puto autem si arbores caeduae fuerunt vel gremiales, dici oportet in fructu cedere: sin minus, quasi deteriorem fundum fecerit maritus tenebitur.*« Haec tamen locum non habere in praesenti themate, cum agatur de fundi parte arenacea et petrosa, in qua, si arenae deductio in fructu non sit, in nulla alia re fructus posset consistere.

Nec dici posse in praesenti themate de novo fructu agi praeter consuetos fundi fructus; namque et id considerasse romanas leges superius adductas, in quibus quaesitum reperiri de novis fondinis institutis in fundo qui fortasse ad agricolturam sit destinatus, unde rationem debitandi ortam videri.

Neque praesentem casum posse confundi cum thesauro in fundo reperto, cum thesaurus pars fundi non sit: eumque juxta *l. 31.* §. *ff. de Acquir. rer. dom.* ita describi: *est vetus quaedam repositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.*

Concludebat autem jurisconsultus praesentem disceptationem allegando auctoritatem *Barbosae solut. Matr. L. Divortio* §. *Si Vir*, in qua de expensis reficiendis agitur ab eo, qui excavationes ejusmodi instituerit.

Nonnullae animadversiones prout moris est factae sunt in contrarium: animadversum scilicet est, etsi beneficiarius in multis aequiparetur usufructuario, non tamen in omnibus, de qua re eumdem Castillo e contrario allegatum ita tradere *de Usufr. c. 79. n. 8.*» Sed neque de jure communi praedicta aequiparatio usufructuarii et beneficiarii videtur secura, quoniam fructuarius libere de illis (fructibus) disponit, ut certissimum est, beneficiatus vero alio et diverso jure.«

Item excavationem de qua agimus comparatam omnino fuisse cum fodinis, quae quidem fundi destinationem immutant: in praesentia tamen fundum non immutasse destinationem, sed ex accidentali causa partes fundi sectas fuisse, ex quo dicitur etiam fundus melior factus.

Ejusmodi idcirco accidentalem sectionem materiei melius fortasse comparari posse invento in fundo thesauro, qui dicitur *fortunae donum*, quae si ita comparetur, pretium non ad beneficiarium, sed in beneficii utilitatem esse investiendum. De qua re duae recolebantur resolutiones S. C. C. idest in *Praenestina* 17. Decembris 1796, in qua agebatur de statuis magni valoris repertis in fundis canonicalibus spectantibus ad massam seu ad mensam Canonicorum antiquae erectionis; Canonici hujus antiquae massae sibi diviserunt pretium ex venditione harum statuarum. Propositis deinde dubiis:

I. An sit locus restitutioni pretii simulacrorum de quibus agitur in casu? et quatenus affirmative,

II. An, quomodo et cujus favore idem pretium sit investiendum in casu?

S. C. resp.:

Ad I: *Affirmative et ad cautelam Canonici massae antiquae consulant conscientiae suae et amplius.*

Ad II: *Affirmative favore massae antiquae et ad Emum Episcopum pro executione, et amplius.*

Item in *Romana diei 28. Januarii 1834*, cum Canonici Lateranenses indicia habuerint, in fundo capituli quaedam monumenta magni valoris recondita jacere, excavatione facta et monumentis repertis proposuerunt S. C. C. dubium:

An et cujus favore constet de pertinentia ex integro vel ex parte summae retractae ex venditione monumentorum in casu?

S. C. respondit: *Affirmative favore mensae capitularis ex integro.*

Et reapse cum thesaurus dici non possit *in fructu esse*, pertinere non debere ad fructuarium seu beneficiarium: item cum excavatio eorum de quibus agimus, in fructu esse dici non possit; quin imo, cum pars sit etiam ejusdem fundi, in fundi ejusdem utilitatem convertendam videri, quemadmodum pretium partium fundi ecclesiastici venditarum ut via ferrea aperiatur in utilitatem fundi sit investiendum, prout decisum fuit in *Hortana et Verulana Emphyteusis.*

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

An, quomodo et ad quem pertineat pretium in casu?

S. Congregatio Episcoporum et Regularium re discussa die 6. Maji 1868 respondere censuit: *Pecuniam solutam in pretium magnae et extraordinariae effossionis lapidum, arenae et cretae spectare beneficio et investiendam esse, et ad mentem.*

Mens autem S. C. fuit, ut quoad Canonicum poenitentiarium, data eidem indemnitate pro expensis factis et pro amissione fructuum naturalium, investienda essent tantum scutata sexcenta praeter scut. 25: 13 jam deposita: quo vero ad Canonicum theologum Episcopo pro taxanda summa investimenti juxta normas superius expositas.

Ex quibus colliges:

I. Quamvis beneficiarius in multis aequiparari possit ac debeat usufructuario, non tamen aequiparari posse in omnibus.

II. Fundos ad usufructuarium dari veluti ad dominum, qui tantum in sui commodum utilitatemque percipiat, quantum percipere possit, deteriori saltem non reddita fundi conditione: ad beneficiarium autem dari ad honestam sui sustentationem: quare eumdem non eodem gradu jure utendi fruendique gaudere.

III. Hinc pretium ex magna et extraordinaria excavatione partis fundi, quae per accidens fundum meliorem reddat, licet fortasse ad usufructuarium pertineret, non tamen pertinere pari jure posse ad beneficiarium: ideoque in utilitatem beneficii ejusdem esse investiendum.

XVII. **Restitutio.**

Vd. t. I. p. 467. y.

a) *Dispensatio.*

Vd. p. 1108. §. 26, 27; p. 1109. §. 28.

Dispensatio super restitutione bonorum ecclesiasticorum in regno Sardiniae tempore bellicae occupationis emptorum.

Carissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae Regi illustri.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Datis ad Nos die vicesima octava Novembris literis, in quibus et pietas tua et reverentia erga apostolicam Sedem tot Nobis jam argumentis probate et mirifice elucent, exposuisti Nobis, necesse omnino esse, ut alienationes bonorum ad ecclesiam pertinentium in ditionibus tuis peractae, cum praeteriti gubernii parerent dominationi, a foederatis principibus sancitae ratae et firmae declarentur, auctoritate tua addidisti, quod, cum bona praedicta a primis eorum emptoribus magna ex parte divendita atque ex iis plura ad alias atque alias manus tot annorum spatio transierint, invidiam, dissensiones, litigia concitari necesse esset, non sine publicae etiam tranquillitatis perturbatione, si ea bona ad pristinam essent conditionem revocanda.

Hisce praemissis adjungit majestas tua minime eam in bonis in ducatu Sabaudiae et comitatu Niciensi positis esse sollicitam, siquidem cum ad provincias etiam illas, utpote Galliarum territorio tunc temporis adjunctas, conventio inter sanctam hanc Sedem et gubernium gallicanum anno 1801 inita pertineret, circa praedicta bona provisum apostolica auctoritate fuisse non ignorat articulo ejus conventionis decimo tertio, sed quoniam conventio illa Pedemontanae provinciae et Genuesi ditioni, quae gallicano territorio minime juncta tunc fuerant, nullo modo suffragari potest, contra vero venditionum contractus in illis etiam provinciis peractos a te omnino esse sustinendos; tuque palam profiteris ad jus potestatemque tuam minime pertinere de hujusmodi rebus quidquam decernere, petiisti propterea studiose ac reverenter a Nobis, ut ad eripiendam majestatem tuam ab iis angustiis auctoritate Nostra provideamus.

Dolenda sane est adversa haec temporum ratio et misera ecclesiae conditio, cui quidem omni ex parte tanta adversantur impedimenta, ne quod suum est quodque ereptum ei fuit superiorum impetu tempestatum nec pacatis rebus repetere pro jure suo ac recuperare possit; at quoniam ita comparata sunt omnia nec aliam videre possumus rationem, a majestate tua, a magno subditorum ejus numero, ab universo denique regno, multa mala et gravia pericula propulsanda et ecclesiam ipsam et religionem ab invidia, in quam adduci posset, vindicandi justam legitimamque habere Nos causam judicamus et suprema qua in ecclesia Dei fungimur potestate, in tuum atque in istius regni tui auxilium veniamus. Neque vero ad id Nos non etiam impellit tum eximium religionis studium, quo praestas, tum praecipue quod tanta cum virtutis pietatisque tuae laude profiteris, scilicet sine pontificiae Nostrae auctoritatis assensu nullum tibi esse jus proptereaque non posse bonorum ecclesiae alienationes, prout a te petitur, confirmare; quod quidem testimonium a te veritati et successoris b. Petri potestati redditum commendari a Nobis mirifice meretur Nostrumque in majestatem tuam studium incensius propensioremque mirum in modum efficit voluntatem.

§. 2. Nos igitur tuis, quantum cum Domino possumus, votis annuere volentes hujusmodi supplicationibus inclinati ea omnia, quae articulo decimo tertio conventionis inter Nos et gallicanum gubernium anno millesimo octingentesimo primo initae circa bona ecclesiae alienata declaravimus, gravissimarum causarum intuitu, quae a te Nobis recensitae sunt, ad Pedemontanam et Genuensem provincias auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et perinde haberi volumus, ac si initio circa has quoque provincias fuissent a Nobis declarata.

§. 3. Dum tamen haec gravissimis hisce causis moti atque ad asserendam publicam ditionum tuarum tranquillitatem et felicitatem decernimus, probe intelligit majestas tua non posse omnino Nos ecclesiae causam et temporalia ejus et jura negligere, imo ex parte Nostra teneri ad rationes ejus quomodo possumus protegendas, ita ut ecclesiis, monasteriis et piis locis, ad quae bona, de quibus agitur, pertinebant, qua meliori fieri valeat ratione provideantur. Id autem omni cura ac studio praestandum fore non confidimus modo, verum etiam certos ac securos majestatis tuae aequitas ac pietas Nos reddit, in qua propterea conquiescere Nos tutissime posse judicamus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 20. Decembris 1816.

(Bull. r. Contin. t. XIV p. 261. Edit. Romae.)

b) *A non legitimo possessore sunt restituenda.*

Vd. p. 564. g.

c) *Eorum bonorum quae ab infidelibus occupata postea in christianor. potestate sunt.*

Epistola ad R. P. Nicolaum Lercari s. Congregationis de propaganda fide secretarium conscripta occasione postulatorum a R. P. Archiepiscopo Antibarensi eidem Congregationi propositorum.

Benedictus PP. XIV.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Urbem Antibarum, italice *Antivari*, eo nomine apellatam, propterea quod in ora illius regionis, quae nunc *Albania* dicitur, contra Barium Apuliae civitatem constituta sit, jamdudum, ut nosti, Othomanicae dominationis jugum premit, ab anno scilicet 1571, ut testatur reipublicae Venetae Senator Jacobus Diedo in nitida, quam nuper edidit, historia ejusdem reipublicae *tom. 2. lib. 7. pag. 261.* Neque Venetis datum est illius possessionem recuperare, magno licet virtutis conatu tum anno 1648 tum etiam anno 1717 in id incubuerint, ut idem historicus prosequitur. De hac urbe P. Daniel Farlatus *tom. I. Illyrici Sacri in prolegomenis part. 2. cap. 5. §. 3. pag. 150.* ita scribit: *Antibarium Urbs priscis ignota, quod saeculis posterioribus condita fuit, e regione Barii civitatis Apuliae, a qua denominata est, quasi contra Barium;* idemque auctor subdit, Dioclea urbe in ruinis jacente archiepiscopalem illius titulum translatum fuisse Antibarum et nomina Episcoporum suffraganeorum, qui novo Archiepiscopo assignati fuerunt, descripta legi in bulla Alexandri Papae II. Ut autem Sedes archiepiscopalis in praefata civitate collocaretur, occasionem desumptam fuisse ex infortunio, quod accidit quatuor Episcopis, Antibarensi, Catta-

rensi, Olchiniensi et Suacensi, qui, dum Spalatrum petebant, ut provinciali concilio interessent, naufragio perierunt, ut videre est *in laudatis prolegomenis part. 3. sect. 2. §. 5. pag. 308.*

§. 2. Venerabilis Frater hodiernus Archiepiscopus Antibarensis, pastoralis zeli laude magnopere commendandus, quum dioecesim suam visitasset et acta visitationis ad Congregationem de propaganda Fide misisset, super duobus sequentibus capitibus opportunum sibi lumen ab eadem praeberi et adjumenta praestari postulavit. In primo capite exponit, Turcas Albania potitos magnam partem bonorum ad ecclesias pertinentium occupasse, quorum nonnulla deinde christifidelibus divendita, alia vero eisdem ad colendum tradita fuerunt In secundo autem refert, nonnullos ex christianis, domos habentes proximas ecclesiis eversis et praedia praediis ecclesiarum contigua, areas et terras ad easdem ecclesias olim pertinentes usurpasse. Quaerit propterea quomodo in his se gerere debeat, et an hujusmodi malis remedium ullum, et quodnam sit adhibendum declarans se lumine sibi praestito usurum, ut opportunis documentis instruat confessarios, qui ea vehementer exoptant, quum aliqui sint ex hujusmodi possessoribus, qui nihil pensi habeant, alii vero propriae conscientiae stimulos cohibere cupiant atque a censuris absolvi, quas contra detinentes ecclesiarum bona statutas et latas esse non ignorant. Addit praeterea Archiepiscopus, hoc idem, quod in praefata visitatione peragenda in sua dioecesi evenire comperit, in aliis quoque Albaniae dioecesibus contingere, itaut, manibus magno operi admotis, tumultus atque discordias suscitatum iri valde pertimescat.

§. 3. Utroque capite hujusmodi in Congregatione de propaganda Fide mature discusso existimavit ipsa, debere Archiepiscopum, accitis ad se missionariis, parochis et confessariis, eisdem injungere, ut poenitentibus demonstrent, non posse eos sine propriae conscientiae damno detinere bona, quae olim ad ecclesias pertinentia, deinde a Turcis occupata, in eorum manus devenerunt, sive ea a Turcis ipsis emerint sive tamquam derelicta sibi usurpaverint; ideoque necessarium omnino esse, ut aliquem legitimum titulum habeant, quo se in eorum bonorum possessione confovere possint; tamque difficultatem in novo hujusmodi legitimo titulo adinveniendo versari. Quamobrem ipsa Congregatio proposuit, ut possessores Archiepiscopum adire debeant eique distinctam exhibere indicationem quantitatis qualitatisque bonorum, quae ex antiquo ecclesiarum censu ad eos ita pervenerunt. Ipsius autem Archiepiscopi aequitati et prudentiae permittendum, ut et ecclesiarum utilitati, quantum fas est, providere et possessoribus novum legitimum titulum procurare studeat, eos admittendo ad novos contractus, puta, emphyteuticos, tenuissimis etiam canonibus impositis, juxta facultates, quae a Nobis praefato Archiepiscopo concedi poterant. Conclusit denique, hac facilitate dumtaxat erga illos agendum, qui invitati ad praemissa praestanda accesserint, contumacibus in propria perditione derelictis. Quum vero haec omnia a te, dilecte Fili, juxta tui ministerii debitum, Nobis diligenter relata fuerint et pro opportuna facultatum concessione supplicatum, Nos vero ad rem accurate inspiciendam et perpendendam nonnihil temporis sumpserimus; nunc tandem decrevimus sententiam nostram hac super re, quae magni momenti effectus parere potest, in scriptis redigere.

§. 4. Sane a nemine in dubium revocatur, quidquid in bello justo capitur, quod ad hostem pertinebat, in victoris dominium transire, mobilia scilicet in illius potestatem, qui primus ea occupaverit, immobilia vero in dominium supremi Principis, qui bellum intulit, ut sibi pro ipsius belli expensis satisfaciat, aliquando etiam, ut majores ad defensionem vires sumat ac se futuris eventibus tueatur. Silvius *in 2. 2. quaest. 40. art. 1. quaesit. 6. conclus. 6. et conclus. 7*, Covarrruvias *in 2. part. relect. regul. possessor malae fidei* §. *11. sub num. 6.* Similiter extra controversiam est, in bello injusto totum id, quod capitur, restituendum, quum occupatio hujusmodi nihil aliud sit quam formalis rapina. Ita docet s. Thomas *2. 2. quaest. 66. art. 8. ad primum*: en ejus verba: *Circa quaedam distinguendum est: quia si illi, qui depraedantur hostes, habeant bellum justum, ea, quae per violentiam in bello acquirunt, eorum efficiuntur; et hoc non habet rationem rapinae; unde nec ad restitutionem tenentur etc. Si vero illi, qui praedam accipiunt, habeant bellum injustum, rapinam committunt et ad restitutionem tenentur.* Illustria sunt exempla veterum Romanorum, qui quum injustitiam belli suscepti agnoverunt, quicquid abstulerant, prompte restituerunt ac detrimenta, quaecumque victis et debellatis populis praeliando intulerant, summa fide repararunt. Haec in Livii historiis occurrunt; ac duo hujusmodi exempla a Valerio Maximo referuntur, alterum, quod pertinet ad Faliscos a Quinto Lutatio domitos, alterum ad Camarinos a Publio Claudio devictos atque per varias Orbis plagas dispersos. *Cum Publius Claudius Camarinos ductu atque auspiciis suis captos animadvertebat, tamen quia parum liquida fide id gestum ab Imperatore videbatur*, (Senatus) *maxima cura conquisitos redemit iisque habitandi gratia locum in Aventino assignavit et praedia restituit etc. justitiaeque promptissimo tenore effecit, ut exitio suo laetari possent, quia sic renati erant.*

§. 5. Hinc patet, quum bellum, quo Turcae Antibarum occuparunt, omni procul dubio fuerit injustum, quicquid ea occasione ab ipsis captum et occupatum fuit, sive mobile sive immobile fuerit, id eos injuste usurpasse veramque in eo rapinam commisisse; quare omnis justitiae ratio postularet, ut ab ipsis cuncta restituerentur christifidelibus, quos fortunis suis injuste spoliarunt vel, illis vita functis, eorum haeredibus et successoribus. Sed hoc non est praesentis quaestionis subjectum; et si esset, frustra de eo ageretur, quod in perditis et desperatis rebus habendum est. Quaestionis cardo vertitur circa dona, quae Turcae christianis vendiderunt et nunc ab emptoribus detinentur; quaeriturque utrum, qui ea emerint quique emptorum haeredes aut legitimi successores sunt, tuta conscientia retinere illa possint, an vero eadem legitimis dominis restituere teneantur; idque eo magis, quod agitur de bonis ad ecclesias et monasteria pertinentibus, quorum injusta detentio censurarum poena mulctatur; quodque, quum ecclesiastici, non secus ac peregrini, in bellis minime sint partes reipublicae nocentis, efflagitat ipsa ratio, ut nec illorum nec istorum personae laedantur neque bonis suis exturbentur, ut legitur in decretali: *Innovamus, de Treuga et Pace*; ubi, necessitatis publicae causa, hoc ipsum privilegium ad mercatores etiam et agricolas extenditur, ut optime ad citatum textum perpendunt repetentes. Quamquam autem id saepe saepius re ipsa non observetur: *Quos canones rationabiles ac sanctos, quantum ad id, quod positivi juris pertinet, an abusus deleverit, nescio*: verba sunt Cardinalis Cajetani *in ejus summa, verbo: Belli damna* §. *4. de damnis*; illud tamen non obstat, quominus praedictorum canonum ratio habenda sit, quoties de animarum directione in foro conscientiae agatur.

§. 6. De peregrinis, clericis et ecclesiis ad sensum laudatae decretalis, loquitur Sylvius *loco citato conclus. 5.*: *Spoliare peregrinos et hospites, qui sunt in urbe hostili, non licet, nisi constet de ipsorum culpa, quia non sunt pars reipublicae adversae: neque etiam licet spoliare ecclesias, monasteria vel ecclesiasticos, etiamsi ex causa rationabili data sit civitas praedae militum, quum neque ipsi vere sint pars populi hostilis.*

§. 7. De extensione autem hujusmodi juris ad mercatores et agricolas agit Laymann. *in commentariis ad eamdem decretalem*, ubi, postquam illud statuit, quod clerici et peregrini membra non sunt reipublicae nocentis ideoque in bellis etiam, quae jure inferuntur, nec in persona nec in rebus damnum pati aliquod debent, haec addit: *Quaedam vero personae non sunt pars reipublicae nocentis, ut mercatores et agricolae: et his parcendum est propter publicam necessitatem, ne commerciis et agricultura impeditis majus incommodum afferatur.*

§. 8. Denique quod, licet canonicae leges in praxi negligantur, earum tamen ratio necessario habenda sit ad animas conscientiasque tuto dirigendas, recte sapienterque suo more disserit Covarruvias *in 2. part. relect. regul. possessor. malae fidei* §. *11. sub num. 8.* §. *At hae leges.*

§. 9. Quaestionis statu sic constituto ideoque ad intimam illius discussionem descendentes necessarium ducimus in hac nostra epistola inserere duo decreta anni 1630 jam typis edita in operibus Peyrini *tom. 3. privileg. in addit. cap. 4. num. 30. et 31.* et auctoribus caeteroquin, qui postea scripserunt, probe cognita, ut ex infra dicendis apparebit, licet fortasse accuratam totius rei notitiam non habuerint. Nam ea omnia tamquam decreta Congregationis supremae inquisitionis et quidem a Pontifice Urbano VIII. approbata et confirmata ediderunt. Verumtamen constat, dubia, super quibus decreta emanarunt, a P. Francisco Longobardo ordinis Minimorum Tuneti missionario transmissa fuisse ad Congregationem

de propaganda Fide, quae quum a suis theologis diligenter ea examinari fecisset consilium coepit eadem ad Congregationem sancti Officii remittere. Haec autem insignium suorum theologorum ope, quorum nomina in ipsius tribunalis actis recensentur, in novum illa deduxit examen. Quindecim porro fuerunt dubia a Patre Longobardo transmissa atque ad ea omnia tum theologi Congregationis de propaganda Fide tum consultores supremae Inquisitionis sua responsa ediderunt. Verum ex iisdem dubiis aliqua relata fuerunt in Congregationibus habitis coram Pontifice Urbano VIII., ad quae pontificium adhuc exstat responsum: reliqua vero compertum minime est an coram Pontifice proposita fuerint. Inter haec autem quintum illud et sextum numerantur, quae nimirum praesentem respiciunt controversiam: itaut error facti sit, id quod auctores asserunt, responsa scilicet ad quintum et sextum dubium oraculo pontificio confirmata fuisse; quum nihil aliud revera sint quam responsa theologorum Congregationis de propaganda Fide et consultorum s. Officii, quae tamen suo robore non carent, quum a doctis viris et sacrae theologiae jurisque canonici peritissimis emanaverint.

§. 10. Proposuit igitur Pater Franciscus Longobardus sequentem quaestionem ordine quintam: *Utrum Christiani liberi qui hic* (id est Tuneti) *negotiandi gratia commorantur et alii captivi, ementes a pyratis infidelibus bona a fidelibus rapta et in hac Urbe venum exposita, vel dono ea recipientes, ut hic ad proprios usus utantur vel ad terras christianorum lucri gratia transmittant, peccent mortaliter et teneantur ad restitutionem?*

§. 11. Responsio theologorum de propaganda Fide fuit sequens: *Patres deputati existimarunt, bona christianorum a pyratis rapta posse fideles absque noxa mortali et onere restitutionis, emptione, venditione aut alio quocumque legitimo titulo sibi accipere ac in proprios usus convertere, non obstante, quod sint in bello injusto rapta.*

§. 12. Sequitur sextus casus a Patre Longobardo propositus: *Utrum antedicti, praesertim mercatores liberi, non solum peccent ratione rei male acceptae sed injustae acceptionis, tanquam rapientium receptatores et consequenter teneantur in solidum ad restitutionem non solum mercium emptarum, sed omnium praeterea damnorum christianis illatorum. Ratio dubii est, quia, ut quidam asserunt, pyratae inter depraedandum aliqua rapiunt spe vendendi dictis captivis vel liberis christianis, quae, hac spe sublata, non raperent, ut infidelibus non necessaria neque utilia. Hoc autem non semper accidit in rebus magni pretii, et ipsi mercatores liberi principaliter hic morantur, ut emant merces loci; et praeterea eorum incolatus multum videtur conferre ad miserorum captivorum redemptiones secretius, facilius et vilius faciendas, praeter quotidianas eleemosynas, quibus non solum sublevant necessitates captivorum, sed etiam suppeditant ex magna parte oratoriis et ministris divini cultus.*

§. 13. Theologi de propaganda Fide ita responderunt: *A patribus deputatis concordi voto decisum est, fidelium neminem Tuneti commorantium teneri ad restitutionem bonorum raptorum per pyratas christianis neque incurrere noxam peccati mortalis; etiamsi pyratae bona illa subripiant spe lucri ex futura venditione eisdem fidelibus facienda, alias non furaturi: licet peccare possint ex complacentia super furto rerum per pyratas christianis sublatarum.*

§. 14. A Theologis de propaganda Fide ad consultores sancti Officii translatum fuit dubiorum examen; et hi quidem sententiam illorum approbaverunt et confirmarunt: Nonnulli tamen addiderunt, ad hoc ut emptores christiani ab omni peccati nota immunes essent necessarium fore, ut animum paratum haberent restitutionem emptarum rerum, si unquam verus earum dominus compareret easque redimere vellet, soluto pretio, quod emptor Turcis in emptione numeravit. *Aliqui tamen qualificatores dixerunt, requiri animum restitutionis accepto pretio dato, si dominus rerum occurrerit.* Neque hoc ad pacandas conscientias inopportunum aut a ratione alienum est. Molina *in opere de justitia et jure tom. I. tract. 2. disput. 118. num. 15.* ita scribit: *Ad pacandas tamen conscientias illud est addendum, quando verisimile est, illas,* idest merces, quas christiani homines a Turcis aut a Saracenis emerint, qui eas per vim occupaverant, *deventuras nunquam esse in potestatem suorum dominorum, ut ordinarie eveniet, licitum esse eas emere vili etiam pretio, eo animo, ut si proprius dominus comparuerit illas accipiat pro eodem pretio, sin minus emptor illas sibi retineat. Quoniam verisimile est, eam esse praesumptam dominorum voluntatem; et quoniam quodammodo essent irrationabiliter inviti, nisi id ita vellent. Ataque ita respondi aliquibus christianis captivis, qui in Africa emerunt vili pretio a Mauris aliqua de spoliis Lusitanorum, quando rex Sebastianus occubuit.* Atque haec sententia communis dici potest; cui reliqui omnino suffragantur: Coninch. *disput. 31. de bello dub. 7. num. 126*, Reginald. *tom. 2. lib. 21. cap. 8. sect. 4. num. 117*, Decastillus *lib. 2. tract. 1. disput. 10. num. 429*, Tanner *tom. 3. disput. 2. quaest. 6. num. 76. et 77*, Fragos. *de regim. christianae reip. tom. 3. part. 1. lib. 3. disput. 5. num. 16.* Castro Palaus *oper. moral. tom. 1. tract. 6. disput. 6. punct. 5. num. 27*, Bonacina *oper. moral. tom. 2. de restitutione in genere disput. 2. quaest. ult. punct. ult.* §. *3. num. 23*, Diana *in edit. coord. tom. 7. tract. 7. resolut. 33. num. 8.* Eorum etiam aliqui, et praecipue Molina et Castro Palaus, addunt, id locum habere in sacris rebus mobilibus, puta calicibus aliisque sacris suppellectilibus. De his enim fortius procedere censenda est superius indicata praesumptio, quod scilicet christifidelibus, ad quos hujusmodi res ablatae pertinent, molestum non sit aut saltem esse non debeat, illas in dominio potius aliorum christianorum quam Turcarum et Saracenorum existere.

§. 15. Hugo Grotius *in suo tractatu de jure belli ac pacis lib. 2. cap. 10.* §. *9. num. 1.* hanc statuit regulam: *Rem alienam bona fide emptam restituendam, nec posse erogatum pretium repeti*: ac immediate sequentem addit exceptionem: *Cui regulae haec addenda mihi videtur exceptio, nisi quatenus dominus rei suae possessionem recipere sine impendio aliquo probabiliter non potuit, ut puta, si res apud pyratas fuerit; tunc enim deduci poterit, quantum dominus impensurus libenter fuerat. Ipsa enim facti possessio praesertim recuperatu difficilis est aliquod aestimabile; et in hoc dominus post rem amissam censetur factus locupletior.* Et *in lib. 3. cap. 10.* §. *6. num. 1*, postquam docuerat, quod qui detinet rem in bello injusto ab alio captam, eam restituere tenetur: *Qui damnum ipse non dedit, sed rem bello injusto captam ab alio penes se habet, tenetur eam reddere: quia cur alter ea carere debeat nulla causa subest naturaliter justa, non consensus ipsius, non malum meritum, non compensatio*: relatam paulo ante exceptionem resumit et ita prosequitur *num. 2*: *Poterit tamen, si quid sumptus aut operae impendit is, qui rem tenet, deducere tantum, quantum domino valebat adipisci desperatam possessionem, secundum ea, quae alibi explicata sunt. Quod si rei possessor culpae exsors eam consumpserit aut eliminaverit, non tenebitur, nisi in quantum censeri potest locupletior factus.* Jure civili cautum est, ut, qui alienum servum ab hostibus prius captum emerit, illius dominium acquirat, ea tamen lege, ut eum teneatur restituere antiquo domino, si hic pretium rependat, quod emptor, quamvis mancipii conditionem non ignoraret, pro illius emptione persolvit. Si autem hic eum alienum esse nescivit, statuitur, domino comparenti ac pretium offerenti restituendum, dummodo infra triennii spatium comparuerit; quo tempore elapso antiquus dominus jure redimendi cadit, ut colligitur *ex lege in bello* §. *Si quis servum ff. de captivis et postliminio reversis*, alteri conjungenda *L. Ab hostibus C. eodem tit.* Haec omnia comprobant, justum omnino esse id, quod theologi s. Officii responsis theologorum Congregationis de propaganda Fide addiderunt; eademque certiorem stabilioremque reddunt sententiam illorum, qui docent, pretium restituendum esse illi, qui numerata pecunia rem ab hostibus etiam in bello injusto captam sibi acquisivit. Quamquam enim Hugo Grotius, quod pertinet ad restitutionem pretii, cum aliis praeallegatis auctoribus non consentiat, quum tamen a domino tantum emptori reficiendum velit, quantum ipse ad rei amissae possessionem recuperandam aequo animo impendisset, si hujus aestimatio summae a forensi calculatore recte ineatur, magnum profecto erit, nisi ad eam pecuniae quantitatem pertingat, quam emptor pro rei acquisitione persolvit.

§. 16. Quae hactenus exposuimus, in rebús mobilibus tantummodo locum habent; ideoque tota disputationis difficultas nunc eo redacta est, ut videatur, an haec eadem, quae de mobilibus dicta sunt, immobilibus etiam rebus aptari possint; quandoquidem dubia, quae nunc examinantur quaeque praesenti disquisitioni occasionem praebuerunt, mobilia bona non respiciunt, sed immobilia. Porro si aliqua differentia inter mobilia et immobilia intercederet et ratio, quae pro illis valida reputatur, pro his aeque afferri non posset, vel si aliqua adesset legum dispositio, quae rerum immobilium dominis

magis faveret, facile quisquam affirmare posset, quod, licet is, qui a Turcis res mobiles in bello captas mercatus fuerit, eas tuta conscientia detinere queat, modo animus ipsi sit ad restitutionem paratus, quotiescumque dominus comparuerit et pecuniae impensae solutionem obtulerit non idem tamen judicium de emptore immobilium ferre liceret.

§. 17. Diximus autem, ea, quae superius exposita sunt, locum sibi vindicare in solis mobilibus: decreta enim anno 1630 edita de mobilibus loquuntur ac de mobilibus item disserunt supra recensiti auctores. Innuimus etiam dubitari posse, an aliqua differentia juris intersit inter mobilia et immobilia bona: atque hujus differentiae ratio a Nobis nunc exponenda est. Fundamentum, quo innititur ea sententia, quod christifideles tuta conscientia retinere possint bona mobilia, quae a Turcis emerunt, a Turcis autem in bello injusto aliis christianis hominibus ablata fuerant, in praesumpta dominorum voluntate positum est, quae scilicet aut consentit aut non dissentit omnino, ut praedicta eorum bona mobilia ab aliis christifidelibus acquirantur. Etenim ex mobilibus nullus fructus percipitur; domini autem libentiore animo aut minore certe molestia ferre debent, quod illa in christianorum potestatem deveniant, potius quam in dominio Turcarum remaneant, a quibus facilius disperderentur ut recte ponderat Molina *loco laudato* atque etiam prosequitur Verjuys *in suo pastorali missionariorum tractat. 4. art. 13. de haereticis* §. *Probatur etiam ratione.* Quoniam vero haec ratio a praesumpta dominorum voluntate desumpta ad immobilia, quae christifideles emunt, extendi nequit, tum quia domini fructus amittunt tum quia hujusmodi bonorum dispersionis timor non adest, hinc oritur indicata juris differentia, quae inter mobilium ac immobilium acquisitionem intercedit. Denique paulo ante significavimus, aliquid forsan reperiri posse legibus praescriptum, quod immobilibus non item mobilibus faveat. Sane *in L. Si quis bello ff. de re militari* sequentia verba legere est: *Si quid in bello captum est, in praeda est, non postliminio redit:* quibus verbis mobilia significantur, ut animadvertit Glossa. At vero *in L. Si captivus eod. tit.* leguntur haec alia: *Expulsis hostibus ex agris, quos coeperant, constitit, dominia eorum agrorum ad priores dominos redire nec aut publicari aut praedae loco cedere:* quae doctoribus argumentum praebent asserendi, majori privilegio in bellis gaudere immobilia quam mobilia bona. Haec enim postquam in militum manus devenerunt, licet deinde pax conficiatur, non amplius restituuntur; illa vero antiquis dominis, pace inita, illico redduntur, ut recte animadvertunt Molina *loco citato* §. *5*, Covarruvias *part. 2. relect. regul. Possessor malae fidei* §. *11. num. 7*, Diana *in Edit. coord. tom. 7. tract. 7. resolut. 33. num. 3*, Castro Palaus *tom. 1. tract. 6. disput. 5. punct. 4. num. 24.* Quibus sic stantibus conclusum superius a Nobis est, facile quempiam propugnare posse, ex rationibus adductis concedi quidem christifidelibus, ut mobilia de Turcis empta, licet ab his in bello injusto occupata fuerint, tuta conscientia retineant, dummodo ea restituere domino parati sint, qui pretio oblato redimere illa velit; at id de emptore immobilium non aeque affirmari posse. Id autem nunc, auctorum scita atque rationes ad trutinam revocando, demonstrandum aggredimur.

§. 18. Pater Leonardus Lessius obiit, antequam decreta anni 1630 emanarent, scilicet anno 1623. In ejus opere theologico in s. Thomam exhibentur resolutiones nonnullorum conscientiae casuum, in quorum sexto, verbo *Beneficium*, sequentem sibi proponit quaestionem, ordine secundam: *An catholici emere possint ab haereticis bona ecclesiastica?* atque ita respondet: *Non licet catholicis emere bona ecclesiarum vel monasteriorum ab haereticis occupata et confiscata, nisi cum animo restituendi ea suo tempore legitimis dominis, cum omnibus emolumentis et fructibus, qui inde obvenerunt: quia bona illa in specie sunt aliena, similiter fructus illorum.* Ex quibus sequitur, ut inferius ostendemus, emptorem ab ecclesiis et monasteriis nunquam repetere posse pretium bonorum hujusmodi a se persolutum. Quum autem objiciendum sibi praevideret, quod bona illa, nisi emissent catholici, remansissent penes haereticos, qui perciperent ex eis fructum, respondet id minime ad rem facere, quandoquidem haeretici quoque *ad restitutionem obligarentur.* Denique id catholicis consilii praebet, ut cum bonorum dominis agentes cum iis paciscantur ac novos contractus ineant, quorum praesidio bonorum possessionem tuta conscientia retinere valeant.

§. 19. Post decreta anni 1630 scripserunt sequentes auctores, de illis expressam

facientes mentionem, Verjuys *loco citato* a Lessii opinione recedit in eo. quod respicit restitutionem fructuum, sed cum eo sentit, quod ad fundi restitutionem pertinet, etiamsi dominus emptori solutum pretium non rependat; rationem autem sic opinandi in praesupposita bona fide collocat, quae si vere adsit possessorem a fructuum quidem, minime vero a fundi restitutione eximere potest. *Posse catholicos bona fide possidentes monasteria, domos, templa vel similia bona immobilia illa tantisper sibi pacifice retinere, quamdiu a propriis dominis occupari non possunt; nec interea obligantur ad interesse aut quidquam solvendum pro fructibus.* Arsdekinus *in sua Theologia tripartita tom. 2. part. 2. trac. 6. quaest. 10.* quaerit, *an catholici possint emere bona aliorum catholicorum injusto bello ab haereticis occupata* ac respondet, id fieri posse,

I, si dominorum voluntas in eo consentiat;

II, si Pontifex assensum praebeat, ad quod adstruendum affert citata decreta anno 1630 edita.

III, si conventionibus inter catholicos et haereticos Principes initis cautum sit, ut haeretici catholicorum bona retinere possint ac libere de illis disponere: quae omnia extra casum praesentis quaestionis versantur. Ibi autem religiosus auctor procul dubio loquitur de bonis immobilibus; inter ceteras enim sententiae suae rationes utilitatem perpendit et commodum catholicae fidei, cui magis prodesse asserit, quod bona penes orthodoxos quam in haereticorum manibus existant: *et sane plures ob causas multo conducibilius videtur, bona illa tali emptione in manus catholicorum devolvi, qui tanto potentius possunt negotium fidei protegere ac propagare, quam si ea penes haereticos perpetuo remanerent:* quae quidem raciocinatio immobilibus convenit, non item mobilibus. Verum rationes illae ab auctore indicatae et a Nobis paulo ante relatae nullius aut levis admodum roboris sunt. Etenim dum bona immobilia ad catholicos olim pertinentia illisque in bello injusto ablata orthodoxi de haereticis emunt, praesumpta dominorum voluntas adesse non potest, ut supra dictum est; decreta vero anno 1630 edita, quae de mobilibus loquuntur, ad immobilia trahi nequeunt. Denique conventiones et concordata inter catholicos Principes laicos et heterodoxos inita super possessione ac detentione bonorum ecclesiasticorum ab apostolica Sede improbantur, ut prolixe probat P. Schmalzgrueber *consiliorum tom. 2. consilio 15. quaest. 1.* et hae sunt conventiones, ad quas alludit citatus auctor. De hac materia loquitur etiam La Croix presbyter societatis Jesu *in sua theologia morali tom. 1. lib. 3. part. 2. num. 972.* ac decreta anni 1630 se probe nosse indicat: at quum nil aliud ipse faciat quam ea referre, quae a supra laudatis auctoribus dicta fuerunt, in neutram partem allegari aut proferri potest.

§. 20. Pater Carolus Franciscus a Breno Ord. Min. strictioris observantiae *in suo manuali missionariorum orientalium tom. 2. lib. 1. cap. 3. quaest. 21.* hanc proponit quaestionem: *An bona ecclesiastica ab infidelibus redempta restitui necessario debeant vel saltem transactio adhiberi?* ac respondet: restituenda esse, tum quia christianus, sciens bona illa ecclesiae esse, alienam rem mala fide possideret, tum quia non potuit infidelis raptor in emptorem christianum transferre jus majus illo, quod ipsemet in bona divendita habebat. Ideoque, si venditor, propter rapinae vitium, nullum omnino jus habuit in rem violenter ablatam, occupatam et postea divenditam nil pariter juris in eamdem acquisivisse dicendus est, qui eam mercatus fuit: tum denique, quia regula generalis est quod etiam ille, qui furti ignarus a fure aliquid emit, in foro conscientiae ad restitutionem tenetur, simul ac verus legitimusque dominus occurrit. Invehit deinde in eos, qui quum ab infidelibus aliquid ad ecclesiam pertinens mercati sint debiti sui partes implere se putant, si parochos, ad quorum ecclesias res emptae pertinent, ad convivia et coenas invitent. Non omittit Pater a Breno saepememorata decreta anno 1630 condita commemorare; sed ea pertinere censet tantummodo ad bona mobilia a piratis capta ac inde christianis divendita, quorum dominus sperari nequit ut ad ea redimenda compareat. Denique sibi objicit, quod qui numerata pecunia ab infidelibus emit ecclesiae bona rem eidem ecclesiae utilem gesserit; ideoque non solum nullum exinde damnum pati, verum etiam aliquam, si fieri potest, utilitatem percipere debeat: huic autem argumento respondet, emptores, qui rem ab infidelibus redemerint, id emolumenti ex emptione capere, ut ab ecclesia

pretium repetant aut ad aliquam cum ipsa compositionem deveniant: *Ementes bona ecclesiae ab usurpatoribus infidelibus restituere quidem tenentur, quum sua bona illa non sint, sed accepto pretio vel alia compositione cum Praelatis habita.* Verum quum auctor ad aliam ex prima consequentem quaestionem gradum faciat, videlicet utrum emptor restituere bona teneatur, etiamsi Praesul nec pretium reddere nec compositionem ullam facere velit, et hujusmodi quaestioni affirmative respondeat, videtur profecto id, quod antea affirmaverat, evertere et non cohaerenter ratiocinari: *Si vero Praelatus quidquam ipsis redimentibus restituere nollet aut transactionem vel compositionem ullam facere, adhuc emptores seu redimentes illi restituere omnino tenerentur, quum bona illa reipsa sint ecclesiae, ac infortunio suo tribuere, quod emerint rem alienam, eo modo, quo discurrimus de ementibus a fure, quotiescumque ab ipso repetere pretium minime possint.*

§. 21. Quibus sane diximus auctorem evertere id quod antea affirmaverat. Superius namque voluerat, emptorem a vero domino pretium recuperare: nunc autem ipsius domini arbitrio permittens hujusmodi pretium reddere vult porro, rem ab emptore, etiam sine pretii recuperatione, restitui. Diximus etiam, eundem non cohaerenter ratiocinari. Quum enim statuerit, immobilium dominium semper remanere nec unquam ad emptorem transiisse, ex hoc satis aperte consequitur, non quidem rei pretium solvendum esse a legitimo domino, qui eam recuperare intendit, sed potius rem ipsam, sine ulla solutione aut pretii restitutione ab eo recuperandam esse; aliter enim rem suam emere cogeretur. Quod si aliquis responderet, id ab aequitate et justitia alienum non esse, quoniam juxta decreta anni 1630 idem omnino contingit in mobilibus, quae sine solutione pretii a domino recuperari non possunt, respondetur, dominium mobilium, quamvis resolubile, in emptorem transire, qui deinde illa domino pretium offerenti restituere tenetur; id autem minime accidere emptori immobilium, quorum dominium remanet semper apud legitimum dominum. Rerum porro dominium a priore domino ad alterum non transfertur, nisi id aut lex jubeat aut hominis voluntas praescribat. Emptores autem tam rerum mobilium quam immobilium pro eo quod ad legem attinet aequali prorsus jure censetur. Nulla enim lege praescriptum est, ut dominium rerum sive mobilium sive immobilium a vero domino ad illum, qui eas ab invasoribus ac raptoribus mercatus fuerit, transferatur. Sed differentia, quae inter mobilium ac immobilium emptorem intercedit, ab hominis voluntate oritur, quia nimirum domini voluntas, ut supra dictum est, illi, non autem isti, favere praesumitur.

§. 22. Itaque decretis anni 1630 nullo modo contraire nobis videmur, si asseramus, satis fundatam esse opinionem illam, quae immobilium domino jus tribuit, ut sine ulla pretii restitutione recuperare valeat bona sua, cum omnibus fructibus inde perceptis, ab illo, qui numerata pecunia ea ipsa ab invasoribus emit. Id enim exigit natura belli injusti, in quo hujusmodi bona occupata fuerunt: Id expetit eorum auctorum sententia, qui optima ratione docent, eum, qui furtivam rem se emere dubitat aut suspicatur, non posse deinde a domino repetere pretium, quod furi numeravit: *Emptor malae fidei si sibi emit rem, quam vel sciebat vel dubitabat seu suspicabatur esse furtivam, non potest a domino illius rei repetere pretium, quod numeravit furi venditori, quoniam talis repetitionis nullum habet justum titulum*: verba sunt Sylvii *in 2. 2. s. Thomae quaest. 62. quaesit. 6. art. 6. conclus. 3. pag. 361.* ultimae editionis Antuerpiae: Id exigit opinio communis eorum, qui docent, etiam illum, qui rem furto sublatam, bona fide, vel ab ipso fure vel ab alio mercatus fuit, teneri eandem domino reddere nec solutum pretium ab eo repetere posse, ut videre est apud Sanchez *in summa lib. 2. cap. 23. num. 2.* et apud Bonacinam *tom. 2. de restitutione in genere, disput. 1. quaest. 2. punct. 1. proposit. 1. num. 4.* Id ipsum deducitur ex regula, quam sequuntur majora tribunalia; quorum videlicet auctoritate decernitur, bona immobilia ecclesiarum ab haereticis occupata, statim ac ab ipsorum manibus elapsa fuerint, ipso jure redire ad ecclesias, ad quas pertinebant, uti videre est in decisionibus *Herbipolen. Monasterii 10. Junii 1707. et 17. ejusdem mensis* coram bon. mem. Caffarellio, confirmatis *in decis. 562. num. 1. tom. 5.* coram bon. mem. Lancetta Decano. Ita praescribit famigeratus textus Innocentii III. *in cap. Saepe, de restitutione spoliatorum.* Quum enim jus civile beneficium interdicti *Unde vi* sive restitutionis concessisset dumtaxat adversus illum,

qui per vim alium de possessione dejecerat, et contra ejus haeredem universalem, ut habet *Lex 1. §. ult.* et *lex 2. ff. Unde vi*; minime vero contra illum, in cujus potestatem res furto ablata devenerat, ut patet ex *L. 7. ff. eod. tit.*; etiamsi ille, dum rem emit, furtivam eam esse non ignorasset; idque ea ratione, quod interdictum *Unde vi* directe propositum fuerat adversus eum, qui vim intulisset: *Unde tu illum vi dejecisti*: magno illi Pontifici parum tuta visa est haec juris civilis dispositio, ideoque decrevit, ut remedium possessorii *Unde vi* locum etiam haberet adversus illum, qui spolium quidem non commiserat, sed rem, quam alienam ac furto sublatam esse non ignorabat, a spoliatore mercatus fuerat: *non obstante juris civilis rigore sancimus, ut si quis de caetero scienter rem talem acceperit, quum spoliatori quasi succedat in vitium etc., contra possessorem et hujusmodi spoliato per restitutionis beneficium succurratur.* Atque sequentem decreti sui attulit rationem: *Eo quod multum intersit quoad periculum animae, injuste detinere aut invadere alienum.* Hoc denique postulat canonici juris adagium, quod est *in can. Rapinam 14. quaest. 5.* ubi sic legitur: *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut, cui est ablata, reddatur.*

§. 23. Si autem ea, quae hactenus dicta sunt, locum habent in casu eorum, qui fundos ab injustis invasoribus occupatos emerunt, et hi quidem illos, nullo recepto pretio, restituere tenentur, quanam excusatione tueri se poterunt alii illi, qui, ut refert Archiepiscopus Antibarensis, agros et fundos ad ecclesias et monasteria spectantes ipsi furtim invaserunt et per occasionem adjacentiae aut vicinitatis usurparunt? Quomodo hi ab obligatione restitutionis, qua manifeste tenentur, se eximere poterunt? Leges civiles usucapionem longi temporis in rebus furtivis, ob malae fidei vitium, nequaquam admittunt. Cum autem inter antiquos prudentes orta esset quaestio, an furtum in solis rebus mobilibus, an vero etiam in rebus immobilibus locum haberet, cumque eorum valuisset opinio, qui asserebant, furtum de mobilibus tantummodo intelligendum esse, ulterius deinde progressi in eo convenerunt, ut, si quis, absque vi, licet mala fide, alicujus rei immobilis possessionem usurpasset, non ipse quidem posset hujusmodi rem usucapione suam facere, posset tamen alius, qui ab ipso rem illam bona fide accepisset: ut videre est *in L. furtum 37. §. 1.* ac in *L. sequ. ff. de Usucap.* atque in institutionibus Justiniani *eodem titulo.* Sed neque hic substitit immoderata laxitas actorum juris civilis, qui ad inducendum usucapionis jus satis habuerunt, bonam fidem initio adeptae possessionis adfuisse; parum solliciti si mala fides deinde supervenisset, ut videre licet *in L. 48. §. 1. ff. de acquirendo rerum dominio*, et in *L. unic. C. de usucap.* At sacri ecclesiae canones nil aliud, quam aequitatem animarumque salutem respicientes, tot inutiles subtilitates sustulerunt, statuentes, nullam praescriptionem induci, nisi bona fides et initium possessionis et medium et finem comitetur: *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet, ut qui praescribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae*: Verba sunt Innocentii III. *in cap. ult. de praescriptionibus.* Haec autem bona fides in nemine sane eorum, de quibus nunc sermo est, admitti potest, quum incredibile sit, in toto assertae usucapionis decursu nullam eis suppetiisse notitiam, quod bona occupata ad ecclesiam pertinuerint.

§. 24. Quod si praedicti possessores hoc saltem contenderent, se bona hujusmodi retinere posse tamquam a dominis, nimirum ab ecclesiis et monasteriis, derelicta, quo casu bona fiunt occupantis, juxta §. *penult. et ult. institutionum de rerum divisione*, et *L. 1. et sequ. ff. pro derelicto*, in magno quidem errore versarentur. Etenim inter bona derelicta numerari non possunt illa, quae dominus ob impotentiam non recuperat, ut accidit in casu nostro, sed illa dumtaxat, quae quis sponte deserit ac derelinquit, propterea quod eorum possessionem detinere nihili pendit: *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim dominus ejus esse desinit.* Quocirca derelictae nequaquam censentur res, quae a domino navis, ut naufragium effugiat, in mare projiciuntur; et si quis illas lucri causa recuperat, furtum committit. *Alia sane causa est earum rerum, quae in*

tempestate, levandae navis causa, ejiciuntur: hae enim dominorum permanent, quia palam est, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa si quis eas fluctibus expulsat vel etiam in ipso mari nactus lucrandi animo abstulerit, furtum committit. Haec omnia verba sunt textus civilis in citatis duobus ultimis paragraphis tituli institut. *de rerum divisione.*

§. 25. En tibi, dil. Fili, quicquid in unum congerere Nobis datum est, ut quaestionibus ab Archiepiscopo Antibarensi propositis responderemus; quod quidem in summa sententiae Congregationis de propaganda Fide, quam Nobis retulisti, consentaneum dici potest; verum non ideo Nobis plane satis factum esse profitemur. Innuit in suis litteris Archiepiscopus, id quod Antibari accidit in aliis quoque Albaniae civitatibus contingere, ubi complures sunt christiani, qui bona immobilia ecclesiarum aut empta de Turcis aut de facto occupata possident. Ulterius itaque progreditur prudens ille Praesul; cumque magnopere cupiat aliquam sibi viam patefieri ad pacandas conscientias illasque a censuris, quibus propter injustam ecclesiasticarum possessionum detentionem adstrictae sunt, absolvendas, nihilominus aeque vereri se ostendit, ne turbae excitentur, si hodiernis possessoribus, ut justitiae ratio postularet, injungeretur aut fundorum aut fructuum vel alicujus portionis eorum restitutio. Animadvertendum quoque est, Antibarum aliasque Albaniae civitates, de quibus nunc agitur, sub temporali Othomanica ditione consistere; unde minimum quod metuere possemus, aliqua exoriente perturbatione, id esset, ut prodiret decretum: *uti possidetis, ita possideatis*, quod ad pacandas conscientias nihili valeret, nisi etiam deterius aliquid in christianorum sanctaeque nostrae religionis perniciem contingeret. Hoc illud est, quod animum nostrum commovet atque perturbat Nosque eo adducit, ut nisi nova et certiora nobis suppeditentur indicia, ex quibus intelligamus, quid maxime in praedictis regionibus timeri posset, si huic negocio manus admoveantur, nihil Nos statuere posse existimemus de instructionibus aut facultatibus circa haec Antibarensi Archiepiscopo communicandis. Quod nunc tibi significare possumus et de quo tibi mandamus, ut ipsam Congregationem certiorem facias, illud est. Nos ita animo esse comparatos, ut suprema qua fungimur auctoritate, *pro generalis bonorum ecclesiasticorum administratoris officio*, hujusmodi bonorum possessoribus perceptos fructus condonemus eosque ad retinendam possessionem fundorum, quamvis injuste occupatorum et detentorum, idoneos reddamus et ab incursis censuris absolvamus ne forte christianae religionis eversionem intueri in illis regionibus, in quibus, licet sub Turcarum dominatione degentibus, eadem adhuc Deo miserante viget, neve Episcoporum ejectiones aut innocuorum christifidelium persecutiones et vexationes audire cogamur, Nobisque tot mala imputari, propterea quod auctoritatem illam in his interponere neglexerimus, quam nobis Deus *in aedificationem et non in destructionem* largitus est quaque Praedecessores nostri similibus in casibus uti non dubitarunt.

§. 26. Quum tempore Mariae Angliae Reginae bo. mem. Reginaldo Cardinali Polo gravissima demandata fuisset provincia Angliam ipsam ecclesiae romanae reconciliandi, Pontifex Julius III. in brevi expedito *die 8· Martii 1554.* facultatem ei concessit, cum his qui ecclesiasticorum bonorum possessionem injuste occupaverant quique ad ecclesiae romanae sinum redirent, concordandi et transigendi super fructibus male perceptis et super mobilibus consumptis *restitutis prius, si tibi expedire videbitur, immobilibus per eos indebite detentis*, uti videre est *in tom. 4.* conciliorum magnae Britanniae. At quia in rei executione fortasse compertum est, ejusmodi facultates nimis angustas esse, in alio brevi expedito *die 28. Junii ejusdem anni* praefato Cardinali plenam ac liberam largitus est potestatem *cum quibuscumque bonorum ecclesiasticorum tam mobilium quam immobilium in praefato regno possessoribus seu detentoribus, pro quibus ipsa serenissima Regina Maria intercesserit, de bonis per eos indebite detentis, arbitrio tuo, auctoritate nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi et cum eis, ut praefata sine ullo scrupulo in posterum retinere possint, dispensandi, omnia et singula alia, quae in his et circa ea quomodolibet necessaria et opportuna fuerint, consulendi et faciendi, salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem haec sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et praefatae Sedis beneplacito et confirmatione.* Breve hoc editum est *in citato tom. 4. pag.*

102. et 103. et in annalibus Raynaldi *ad annum Christi 1554. num. 8.* Praedictus vero Cardinalis, *ne novae inde turbae concitarentur, ordinibus postulantibus et urgentibus, adactus est publico instrumento Pontificis nomine et auctoritate omnes de ejusmodi bonis et possessionibus, quoad poenas et censuras canonicas, in perpetuum securos et absolutos declarare:* Verba sunt Spondani *ad eundem annum 1554. num. 4.* Hisque consentiunt Sanderus *de schismate anglicano lib. 2. pag. 349. edit. rom. ann. 1586.* Davanzatus *in sua historia schismatis anglicani* edita Florentiae *anno 1628. pag. 91.*, qui omnes pariter conveniunt in celebranda praefati Cardinalis prudentia, qua difficillimum negocium, servata ecclesiae dignitate, transegit.

§. 27. P. Schmalzgrueber *in suo citato consilio lib. 15. tom. 2.* casum perpendit haeretici Principis, qui augustanam confessionem deferens catholicam amplectitur religionem ac quaerit, quomodo gerere se debeat quoad bona ecclesiastica, quae auctoritate pacis Westfaliae ab ecclesia reprobatae possidet; et quidem *ejusdem consilii quaesit. 2. num. 22.* concludit, quod *vel restituere illa tenetur vel ad ea retinenda apostolicae Sedis dispensationem sollicitare*, exemplum afferens Ducis Neuburgi Wolfgangi Willhelmi ac ejus filii Electoris Palatini Willhelmi; et asserens, quod erga conversos ad fidem catholicam *adeo benigna esse solet Sedes apostolica, ut etiamsi justa sit causa retentionem illorum*, idest immobilium ecclesiae bonorum, *ipsis dispensative concedat.*

§. 28. Denique Praedecessor noster Clemens Papa XI. ad Augustum II. Poloniae regem in literis datis *die 10. Novembris anni 1712 in tom. 2. illius brevium editorum pag. 243.*, ut eum ad promovendam fidei catholicae propagationem in suis Saxoniae ditionibus excitaret, ita scripsit: *Certam reddimus Majestatem tuam, quod neque a te neque a tuis successoribus catholicis aut ab aliquo alio, qui sanctam ibi religionem nostram amplexurus sit, Nos unquam illorum bonorum, quae per Saxoniam antiquitus ad ecclesias pertinebant, restitutionem postulaturi sumus: quinimmo ad pacandas conscientias eorum, qui illa occupant, si haeresi ejurata ad catholicam fidem redire constituant, nos ipsis praefata bona omnia in perpetuum condonabimus; idque ea ratione ac forma exequemur, ut ne a nostris quidem Successoribus in posterum quicquam adversus haec postulari queat.* Atque hoc promissum adimplens Clemens XII. in sua constitutione, quae incipit: *Sedes apostolica, num. 67. in tom. XIV. bullarii romani Luxemburgi editi pag. 223.* illis Saxoniae incolis, qui bona ad ecclesias antiquitus pertinentia possidentes haeresim aut ejurassent aut ejuraturi forent, concessit, ut bona, quae possidebant, retinere ac de illis, tamquam de rebus suis, disponere libere possent; omnesque praeterea fructus ex ipsis antea perceptos illis condonavit.

§. 29. Allata haec exempla nostro sane casui per omnia nequaquam similia esse cognoscimus; ibi enim agebatur de impedimento removendo ab illis, qui sanctae romanae ecclesiae gremium ingredi cupiebant, hic autem sermo est de hominibus, qui nostrarum partium sunt quique christiana et catholica professione censentur. Verumtamen rationis fundamentum idem omnino in allatis exemplis ac in nostra facti specie Nobis esse videtur, ut scilicet suprema apostolica auctoritas adhibenda sit in gravibus, publicis ac urgentibus casibus, quibus per ordinariae auctoritatis usum satis provideri nequit. Eos vero, qui recedendi a Nobis tentatione sollicitari possent, a praecipiti casu, quantum fas est, remorari, si non idem est ac viam sternere illis, qui ad Nos accedere cupiunt, non multum sane ab eo differre Nobis videtur. Haec habebamus tibi significanda tibique, dilecte Fili, apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die XIX. Martii MDCCLII.

d) Modus et obligatio.

Vd. p. 142. n. 15. *Bona eccles.* (transactiones. etc.); p. 1099. b. c.

Senen.

Notum est eos qui ecclesiae vel piorum locorum bona vel redditus occupaverint ad omnimodam restitutionem teneri, *Conc. Lat. sub Leone X. sess. 9. et 10. cap. Praedia cum seq. 12. 9. 2,* quod confirmavit declaravitque dein s. Tridentina synodus *sess. 22. cap. 11. de refor.* hisce verbis: »*Si quem clericorum vel laicorum . . . . . . cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis beneficii, montium pietatis aliorumque locorum piorum bona,*

census ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta etc. . . in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit . . . . in anathemate tamdiu subjaceat, quamdiu bona, res, fructus et redditus, quos occupaverit, ecclesiae ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit ac deinde a romano Pontifice absolutionem obtinuerit.

Die 15. Julii 1820.

Amerina.

Certe si rectores negligant vel omittant quod utile est ecclesiae, ex qua negligentia vel omissione sequatur perditio vel minoratio bonorum ecclesiae, statuit *text. in can. quicumque 12. quaest. 4.*, quod iidem rectores teneantur propriis bonis damnum resurcire ad instar tutoris, qui negligenter res pupilli curavit, *Glos. in dicto can. quicumq. ver., aut neglectum*, ibi *Barb. num. 1.*

Die 24. Novbr. 1821.

XVIII. **Transactiones super bonis eccles. cum beneplacito apost. fieri debent.**

Capitulum 24 Canonicis circiter constans in Siciliae insula ad instar juris decimarum super quibusdam piscationibus praestationem quamdam singulis annis percipiebat. Cum autem anno 1825 ejusmodi Canonicorum jus percipiendi hanc annuam praestationem controverteretur, capitulum suam defensionem suscipiens victoriam non sine gravibus dispendiis reportavit. Anno 1855 iterum in judicium capitulum vocatum fuit ac disputatum est super gravitate hujus annuae praestationis et in hac nova palaestra capitulum victum mansit. Hinc expedire visa est quaedam transactio inter capitulum et piscationum dictarum dominum et loco praestationis acceptos habuit capitulum quosdam adsignatos redditus ex publico debito, et transactio coram tabellione sine apostolica auctoritate firmata est.

Expensae autem in harum litium agitatione pertigisse dicebantur ad summam ducatorum 1176. Existimans autem capitulum ejusmodi litium sumptus solvi debere non solum a praesentibus Canonicis, sed etiam a futuris, quia sumptus impensi erant ad jura capitularia tuenda, in consilium devenit rejiciendi ejusmodi onus in capitularem massam eo modo quo sequitur. Quoniam quatuor ex Canonicis administrabant bona, quae ad duo loca pia pertinebant, ex hujusmodi bonis desumpserunt ducatos 1050 quibus constitutum est debitum fructiferum, persoluto scilicet duobus locis piis interusurio ducatorum sex in singula centena. Ducatos autem 126, qui supererant praesentes Canonici persolverunt. Ejusmodi porro acta, auctoritate propria gesta et coram publico tabellione firmata, approbata fuerunt a Vicario generali.

Cum autem haec omnia Archiepiscopo denunciata non fuissent, qui gravi morbo eo tempore laborabat, in cognitionem harum rerum deinde deveniens, eo modo quo convenit, officium suum implevit; patefecit nempe capitulo quantum a recto ss. canonum tramite in iis negotiis pertractandis deflexerit, ac remedia suggerebat.

Ne creemus humano lectori fastidium omittimus factorum historiam, quae post haec evenerunt rudemque modum quo Canonici se gesserunt. Quod autem praetermitti non potest illud est, quod scilicet Canonici causam suam deduxerunt coram civili magistratu pedemontano, ut approbationem obtinerent eorum, quae contra ss. canonum sanctiones gesta erant. Deinde re delata ad S. C. Episc. et Reg. Canonici ad bonam frugem revertentes quemdam proposuerunt modum extinguendi praefatum debitum depositis annuis ratis, praeter interusurium, ita ut intra spatium decem circiter annorum constitutum debitum extingueretur. Causa itaque sub infrascriptis dubiis S. C. Episc. et Reg. proposita est.

Prae caeteris *ex officio* animadvertebatur, quamvis ecclesia pacis amantissima nullimode a concordiis abhorreat, quinimo favore easdem quantum decet prosequatur, nihilominus transactiones super ecclesiarum juribus sine interventu suae auctoritatis omnino prohiberi. *Extravag. Ambitiosae*, Petra in *Const. V. Pauli II. sect. 4. n. 9*, Rota *decis. 316 n. 10. recen.*, S. C. Conc. *in Viterbien. die 19. Septem. 1767. §. 5. et passim.* Praesertim cum capituli juribus subrogati erant quidam redditus debiti publici.*) Trans-

*) Neque inopportunum erit heic referre paragraphum 12. *cap. VII.*†) *de pretii investimento*, quae legitur in perutili opusculo Aloisii advocati Trombetta cui titulus *Praxeos regulae circa contractus rerum eccles. etc.* de quo locuti sumus supra: *Bona eccles.* (contractus emptionis etc.) In hac paragrapho haec habentur: »Praeterea quaeri potest, an inve-

†) Vd. *p. 1084. §.: Septimum.*

actio ergo super ecclesiae capitularis juribus suo robore destituta erat.

Nonnullis insuper animadversis circa administratorum et capituli arbitrium in debito fructifero absque apostolico beneplacito constituendo animadvertebatur Canonicos non effugisse censuras a ss. canonibus inflictas et nominatim a constit. Martini V. et Innocentii VIII., de Nigris *de vacat. benef. cap. 56. n. 1. et seqq.*, ob interpositum recursum ad laicam potestatem.

Verum quoniam Canonici consnetudine Siciliae se tueri praesument, objicientes extravagantem *Ambitiosae* ea in insula vim non habere ideoque opus non esse apostolico beneplacito in alienationis actis: observabatur de hac consnetudine nullimode constare, quinimo contrarium demonstrari posse. Facta autem hypothesi existentiae hujus consuetudinis ea potius corruptela quam consuetudo appellari debuisset. Ea enim adversaretur dictae constitutioni: *Ambitiosae* quae hisce verbis sancitur: »Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis et innovationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.« Cui constitutioni ab aliis Pontificibus innovatae ac in vigore jugiter retentae consuetudo adversari non potest, juxta ea quae docet Petra in *const. V. Pauli II. sect. III. num. 37. et seq.*

Post haec tamen observare non praetermittebatur quod Canonici non liberationem a contracto debito solvendo postulabant, sed ratis depositis singulis annis tantum temporis dilationem, quae nullum praejudicium afferebat sive massae capitulari sive dictis locis piis, quibus interea interusurium solvebatur usque ad debiti extinctionem. Hisce aliisque animadversis proponebantur

Dubia:

I. An et quomodo consulendum sit dictis irregularitatibus in casu?

II. An et quomodo supplicandum sit SSmo pro approbatione propositi modi extinctionis debiti in casu?

Resolutio. Sacra Congregatio Episc. et Reg. comitiis habitis die 28. Aprilis 1865 respondere censuit

Ad I: *Supplicandum SSmo pro culpabilium absolutione a censuris et pro dispensatione super irregularitate quovis modo contracta, recitatis semel septem psalmis poeni-*

stiri valeat pecunia in emptione reddituum ab aerario publico constitutorum, ac in publicis mensis nummulariis vel capsis publicis? Per se hoc non esset canonicum investimentum; nam nuper abunde satis ostendi, investimentum a ss. canonibus approbatum illud dumtaxat esse †), quod fit in stabilibus tutis et fructiferis, iisque deficientibus, in censu. Hinc, ut inquit De-Rosa, »Reinvestitio debet necessario fieri in bonis stabilibus, ut expresse dicitur in brevi per clausulam: — *Aeque stabilium.* — Unde cum mihi esset directum breve pro venditione certarum domorum ecclesiae Cathedralis Bisarciensis praetendebant procuratores investire pretium in emptione annuorum introituum; sed obstiti acriter et dicebam me non posse hoc admittere, quia esset contra formam brevis continentis facultatem limitatam: contra me sentiebat quidem Episcopus, sed re delata ad Urbem pro me responsum fuit.« *De exequut. liter. apostolic. part. 1 cap. 4. num. 353.* At ad emptionem reddituum aerarii publici hujus almae Urbis quod attinet, in praesenti rerum statu, s. Congregatio, summo Pontifice auctorante, permittere solet hujusmodi investimenta, dummodo fiant in *schedis debiti publici pontificii nominalibus*, exclusis schedis, ut ajunt — *al portatore* — praevia speciali facultate ad id obtinenda. Quod vero spectat ad mensas nummularias, aedes sacras et capsas publicas, praesertim ad capsam parsimonialem, vulgo dictam *De' Risparmi*, generaliter haud consuevisse in eis sacras Congregationes investimenta permittere dignovi: quia non est hoc canonicum investimentum, ceu ex superius dictis liquido patet. Praeterea archiconfraternitas peregrinorum et convalescentium in Urbe cum quasdam dotales summas investire quotannis teneretur favore puellarum De-Siccis, donec nuberent, se eximere ab onere praedicti annui investimenti cupiens facultatem a s. Congregatione Concili expostulabat: »ut deponeret quotannis in sacro pietatis monte in beneficium puellarum De-Siccis annuam summam scut. 30 provenientem ex dicto pio legato cum onere investimenti: vel exequendi idem depositum in capsa parsimoniali ex qua fructus annuus percipitur scut. 4 in singula centena, ita ut in utroque casu eadem confraternitas eximatur a qualibet praetensa obligatione exequendi suo nomine annuum investimentum.« Hinc proposito dubio: »An et quomodo annuendum sit precibus venerabilis archiconfraternitatis in casu? Eadem s. Congregatio in generalibus comitiis diei 8. Julii 1854 respondit: »*Negative in omnibus etc.*« Illud vero peculiari animadversione dignum occurrit, quod in capsa parsimoniali *De' Risparmi* nec deposita pro summis in stabilibus investiendis fieri permittuntur, quia cum ea peragenda sint ex sacrarum Congregationum mandato dumtaxat in aede sacra vel capsa publica cum investimenti vinculo, memorata capsa parsimonialis vinculum minime praestare solet favore locorum piorum, ut adeo deposita facillime distrahi possint ac deperire, quin investimentum perficiatur, ceu non raro ex reclamationibus accidisse deprehendi, bene tamen ea fieri possunt in aede sacra montis pietatis, quia vinculum praestat investimenti, nec deposita restituit nisi parata illius extet occasio.«

†) Vd. *p. 1089. XI.*

tentialibus, necnon pro sanatione et revalidatione transactionis diei 15. Novembris 1860.

Ad II: *Affirmative pro sanatione impositionis praefati debiti et pro approbatione praepositi modi extinctionis, ita tamen ut si actuales Capitulares integrum debitum non extinguant teneantur eorum successores.*

Ex iis colliges:

I. Transactiones super ecclesiarum bonis seu juribus inter actus alienationis recenseri. Intervenit enim aliqua jurium cessio. Proindeque easdem sine apostolico beneplacito vim non habere.

II. Capitulum non posse debitum constituere in gravamen capitularis mensae, quamvis id faciat ad redintegrandas graves litium expensas, quae actae sint ad jura capitularia tuenda. Hujusmodi enim inductum gravamen species est alienationis, eget proinde requisitis solemnitatibus.

III. Maxime autem in praesenti casu in quo et alia circumstantia concurrebat reprobatione digna. Vis enim pecuniae proprio arbitrio desumpta est e locis piis, quae desumptio speciem quamdam usurpationis redolere in casu videbatur.

IV. Ejusmodi actis sine interventu competentis auctoritatis gestis culmen impietatis adjectum fuisse per approbationem a laica potestate undequaque illegitima petitam. Proindeque Canonicos id scienter agentes neque a censuris neque ab irregularitate exinde contracta fuisse immunes.

XIX. **Usufructuarius. Quae ei competunt?**

Vd. p. 1095. XVI.

XX. **Venditio et acquisitio novorum bonorum vel schedularum.**

Vd. *Bona eccles.* (licitatio p. 1191.); p. 1095. XVI; 1189.

Ex quo viae ferreae in pontificia ditione construi coeptae sunt, identidem accidit, ut ex facto principis, idest ex legibus ab eodem constitutis, bona occuparentur, quorum directum dominium ad ecclesiam, utile vero ad personas privatas pertineret. Quocirca quaestio prorsus nova, quippe quae nunquam agitari potuerat, saepenumero suborta est inter ecclesiam tamquam dominam directam et privatos tamquam dominos utiles, an pretium ex coacta illa venditione redactum inter utrosque dividi et qua ratione deberet an vero idem pretium in fundis stabilibus ac tutis collocari opporteret ita ut fundus ille loco boni venditi staret, cujus fruitio emphyteutae cederet; firma remanente obligatione consueti annui canonis, velut antea, persolvendi.

Anno 1865 penes S. C. Ep. et Reg. duae hujus generis controversiae sub judice pendebant, quarum prima e dioecesi A., altera e dioesesi B. erat. Hac itaque occasione capta opportunum, ne dicam necessarium, visum fuit, ut norma generalis constans ac tuta, quae deerat, constabiliretur, qua posita omnes, quae suboriri possent, quaestiones facillimo negotio dirimentur. Quapropter mandatum est, ut sub unica consultatione eo ipso, quo peculiares controversiae tum dioecesis A. tum dioecesis B. disceptarentur, argumentum, de quo res est, ita numeris omnibus generatim absolveretur, ut norma illa firmari posset, quae in omnibus casibus particularibus usui tutissime foret.

Quam ad rem ne lucidus ordo desideretur, inprimis de duabus quaestionibus particularibus singillatim disceptabimus, deinde quaestionem generice consideratam paullo accuratius ac plenius ventilandam suscipiemus.

De quaestione dioecesis A.

Dioecesanum seminarium directum quorumdam bonorum dominium obtinebat, quorum utile dominium ad loci municipium absque limitatione temporis seu in perpetuum pertinebat. Cum itaque illac ferrearum viarum opera ducerentur, illud factum est, ut unus ex emphiteuticis hujusmodi fundis a sociis illorum operum institoribus occuparetur et juxta leges hac de re a civili gubernio latas pretium rite aestimatum ac praefinitum in aede publica deponeretur. Interim inter seminarii deputatos, uti dominos directos, et loci municipes, ut dominos utiles, non levis animorum discrepantia efferbuit: deputati enim contendebant pretium a seminario totum esse accipiendum, reducto canone pro rata portione juxta quantitatem in coacta venditione deperditam.

At vero municipes mordicus obsistebant sibique potius pretium illud esse adjudicandum, firmo remanente onere totius canonis non secus ac antea pensitandi, affirmabant. Antequam utriusque partis opiniones in consultationem vocarentur, de more ambarum deductiones in scriptis exquisitae sunt una cum Episcopi sententia, quae deputatis omni ex parte suffragabatur.

Qua ratione sententiam suam deputati fulcirent.

Ponebant in primis id, quod revera factum erat, nempe fundum emphyteuticum uti talem penitus defecisse: neque enim amplius coli et fructus consuetus percipi poterat. Et sane; ejus naturam socii institores immutaverant ac primitivis dominis eripuerant. Jamvero quomodo cessat emphyteusis, quando ex. gr. domus emphyteutica penitus corruit aut ex fluminis alluvione fundus vel in parte vel in toto depereat, ita etiam in casu fieri dicendum esse autumabant deputati; nam ex vi, cui resisti non poterat, nempe ex facto principis, fundus vendi ac deperdi debuerat; quae res fortuitae ruinae et alluvioni in jure aequiparatur. Deficiente itaque materia emphyteusis deficiebat una simul et ipsa emphyteusis; adeoque si quod ex facto hujusmodi pretio aestimabile reliquum erat, ratio ipsa monebat, id utpote omni vinculo resolutum ac liberum domino directo cedere, facta domino utili juxta aequitatem ea canonis remissione, quae jacturae acceptae cumulate responderet.

Qua ratione municipes suam sententiam tuerentur.

Confugium habebant municipes ad edictalem gubernii legem diei 3. Julii 1852, in qua ad articulum numero vigesimum disponitur apertis verbis, ut pretium obveniens ex fundis distractis in coacta venditione per Principem jussa, quod in ferreis viis nunc contingit, loco fundorum alienatorum apprime succedat et in pretium ipsum ex ministerio legis transferantur vincula omnia, hypothecae ac jura hactenus fundis inhaerentia. Itaque ex fictione juris res eo statu perdurabat quo ante venditionem versabatur; quamvis enim fundus reapse deperditus fuisset, attamen ejus loco manebat pretium cui ex ministerio legis inerant quaelibet antecedentia onera vel jura, adeoque etiam vincula emphyteutica. Hoc posito quomodo fundus penes emphyteutam usufruendus remanet cum obligatione depactae responsionis persolvendae, ita pretium quoque ex alienatione coacta derivans in manibus emphyteutae administrandum relinqui necesse erat, ita tamen ut ejus proprietas domino directo sarta tectaque foret et canon consuetus usque ad emphyteusis cessationem eidem persolvi pergeret. Quando vero ex *fictione juris* res veluti antea perstaret, animadvertebant municipes, argumentum ex alluvione vel ruina desumptum locum habere non posse: hisce siquidem constitutis perinde erat ac si nulla immutatio in fundo emphyteutico contigisset.

De quaestione dioecesis B.

Collegiatae capitulum die 4. Martii anni 1793 quaedam bona capitularia in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam Bernardino concesserat. Bernardinus, qui ex pacto primam generationem efformabat, e vita jam decesserat. Superstes ei tum erat filius secundam generationem constituens; et huic ad annos septuaginta jam provecto duo erant filii, quorum natu minor aetatem annorum viginti supra septem numerabat. Hinc fiebat, ut non diutinum post annorum lapsum utile praediorum dominium cum directo consolidari debuisset. Inter haec nonnulla ex hisce praediis sortem cum aliis communem passa sunt, videlicet, ut a sociis viarum ferrearum institoribus eum in usum occuparentur.

Inter capitulum et emphyteutam dissensio non erat: conveniebant enim, pretium ex coacta alienatione susceptum pro rata portione inter utrosque juxta peritorum judicium esse dividendum. At vero Episcopus id minime justitiae consonum arbitratus suum consensum praebere detrectabat: itaque per socios memoratos in aede publica pretium depositum est. Porro Episcopus animadvertens non multum temporis superesse, quo tertia generatione deficiente bona emphyteutica omni vinculo resoluta ac libera ad capitulum redirent, autumabat quidem emphyteutam indemnem et immunem ab omni detrimento reddendum esse, canone remisso et condonato juxta mensuram ex legis aequitate a peritis praefiniendo, sed pecuniam a capitulo accipiendam esse et ejusdem favore in bonis tutis ac frugiferis collocandam. Sed et insuper dubitatio suboriebatur, qua ratione damna computari deberent: nam Episcopus quam minimam ob proximam devolutionem aestimationem faciendam esse putabat: at emphyteuta viceversa huic rei, utpote sibi perniciosae, acerrime refragabatur. Itaque ad S. C. Ep. et Reg. quaestio delata est, quae partes et Episcopum de more in scriptis audiri mandavit et eorum deductiones ponderandas assumpsit.

Quid emphyteuta afferret ut suum propositum demonstraret.

Ajebat itaque emphyteuta, dubio procul emphyteusim circa fundum alienatum veluti resolutam finitam considerandam esse: materia siquidem, circa quam contractus constitutus erat, ex facto principis ablata fuerat neque amplius in manu domini sive directi sive utilis remanebat. Quae quidem ratio, etsi diversis verbis substantialiter eo recidit, quod superius deputati seminarii dioecesis A. propugnabant. At vero acrior exardebat lis in stabilienda proportione, quae inter capitulum et dominum utilem adoptari debebat in pretii solvendi distributione. Emphyteuta enim, cum emphyteusis in secunda generatione versaretur, de sententia peritorum viarum ferrearum contendebat capitalem sortem, relate ad canonem, aestimandam esse tribus scutatis cum dimidio: cum itaque totum pretium ex venditione proveniens summam attingeret scutatorum 684: 77, et canon pro integra emphyteusi persolvendus ad scutata ascenderet 25: 10, jam hic ad summam scutat. 16: 46 reduci debuisset, ac propterea summa scut. 408: 93 de eodem pretio emphyteutae ipsi, summa reliqua 275: 84 capitulo obtingeret.

Hujusmodi vero proportionis sequendae ratio nedum cum aequitate et communi sensu convenire videbatur, sed et fundamentum ac praesidium obtinebat in edictali lege anni 1848, cujus vi emphyteutici contractus liberari vulgo *francari* poterant: ibi siquidem sancitum fuit, ut tum, cum emphyteusis ad secundam generationem pervenisse deprehenderetur, canon in proportione trium scutatorum cum dimidio pro quolibet centenario computaretur: hinc ille, qui canonem trium scutatorum cum dimidio pensitaret, fundum liberari posset soluta summa scutatorum centum; qui scutata septem rependeret, scutata biscentum, et sic deinceps. Quam quidem legem licet transitoriam esse emphyteuta fateretur, nihilominus eamdem, utpote aequam et justam in simili casu a gubernio deprehensam, normam faciliorem tutioremque privatis personis praebere posse autumabat.

Quid responderet Ordinarius emphyteutae argumentis.

Negabat Ordinarius emphyteusim in casu, de qua agebatur, tanquam resolutam considerandam esse; utque id, quod asserebat, comprobaret, ad legem edictalem diei 3. Julii 1859 confugium et ipse habebat: in ea enim *per fictionem juris* praescriptum fuisse, ut contractus emphyteuticus in pretio cum omnibus qualitatibus emphyteusi infixis velut antea perdurare deberet non secus ac si nulla mutatio intercessisset.

Vehementius autem proportioni adversabatur, quae in pretii partitione sequi voluisset emphyteuta. Viri enim peritioris ope adscita ostendebat, perperam ac male a peritis viarum ferrearum scutata tria cum dimidio pro singulis centenis scutatis praefixa fuisse; quamvis enim emphyteusis in secunda generatione per id temporis consisteret, attamen cum emphyteuta septuagenarius jam foret, justitia et veritati magis consonum esse, ut emphyteusis ad tertiam generationem pervenisse reputaretur; deinde ex ipsorum peritorum judicio fundum ejusdem feracitatis per omnes partes aestimatum fuisse, cum id veritati minime conveniret. Denique edictalem legem anni 1848 nullam in hoc casu normam afferre posse; eam siquidem praeter alias res generaliter latam fuisse pro omnibus casibus in eadem comprehensis, qui accidere poterant, tametsi in aliquibus casibus particularibus nec aequa nec justa fortasse videri posset: legislatorem enim summae casuum rationem habentem de minimis nequaquam curam habere; quodque communius ac frequentius accidit id pro norma sequi. Jamvero ne quid ecclesia detrimenti caperet, regulam in ea lege sancitam negligere ac relinquere necesse esse, quoties a justitia et veritate in casibus particularibus abhorreret, quod reapse in themate contingeret, si emphiteutae praetensioni auscultatum fuisset.

De quaestione generatim considerata.

Qui consultationis conscribendae munus habebat, totum argumentum juxta propositum finem complecti et confici posse ratus est, si quatuor, quae in calce exhibentur, dubia disceptanda sumerentur. Nos tamen in primi dubii pertractatione referenda tantummodo immorabimur ac de caeteris nullum nobis negotium facessemus. Nam tota controversiae vis in primo dubio continetur, quod cum resolveris, caetera resoluta quodammodo dici possunt: ac deinde responsio affirmativa, qua dubium primum dimissum

fuit, illud facit, ut nullus secundo, tertio ac quarto dubio locus reliquus sit. Itaque in primo dubio querebatur, an emphyteusis repraesentaretur duratque in pretio subrogato perinde ac si coacta venditio non accidisset, seu potius quoad partem alienatam eadem cessasse dicenda foret.

Quae pro admittenda continuatione emphyteusis in pretio surrogato proferrentur.

In comprobationem ac praesidium sententiae affirmativae in medium afferrebatur edictalis lex diei 3. Julii anni 1852, cujus verba latine reddita recitamus: *Dominium fundorum alienatorum ad publicam administrationem liberum transit ab omnibus vinculis, hypothecis ac juribus realibus, quibus antea gravabatur. Pretium succedit loco fundorum eorumdem ac super ipsum ex ministerio legis transferuntur omnia vincula hypothecae ac jura superius memorata.* Jamvero (ita subsumebatur) fundi repraesentatio in pretio per legem constituto tam clara et evidens est, ut majore claritate non indigeat: ex fictione enim juris emphyteusis in se habet ac si nullam mutationem passa fuisset.

Indubitati enim juris est, quod *subrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum subrogatur*, ut ait Barbosa *Axioma jur. 213;* quandoquidem talis est *qualitas subrogatorum, ut eadem induant naturam ejus, in cujus locum subrogantur*, veluti docet Rota in *Romana Spolii seu Immis. super loc. Mont. 1. Julii 1718* §. *Paulum, coram Crispo* et *decis. 6. coram Ratto n. 7.*, et passim in recentioribus, ut videre est in earum indice generali *v. Subrogatio.*

Perperam vero objiceretur, emphyteusim utpote contractum realem constitui non posse nisi in bonis immobilibus, quae culturae vel manutentioni sunt obnoxia, prouti sunt agri et aedificia. Id enim in casu, de quo agitur, nullam involvere difficultatem, quoniam huic defectui cumulate supplet dispositio supremi Principis, qui pretium subrogatum loco fundi stare praecipit. Et re quidem vera s. Rota in *Romana Fideicom. 9. Junii 1699 n. 10.* post de Luca *Mantiss. v. 2. lib. X. de fideic. decis. 65.* de fideicommissis verba faciens quae cum emphyteusi hac in re affinitatem habent ita docet: *Quoniam cum alienatio praecesserit ex causa necessaria retractus scilicet coactivi in vim bullae Gregorianae districte praecipientis, quod pretium reinvestiatur, et obnoxia remaneat omnibus dispositionibus, prohibitionibus et oneribus, quibus res vendita subjacebat, et de facto loca montium ad formam dictae constitutionis fuerint comparata, non videbatur haesitandum, quin adhuc super illis uti distractae domus subrogatis vigeat fideicommissum, juxta naturam subrogatorum . . . supplente ipsamet lege factum hominis de cujus voluntate subrogavit.*

Quam quidem objectionem eo minus ponderis habere, quod non agitur de emphyteusi qualis ab initio esse debuerat, sed qualis effecta est in posterum tempus ex facto principis, veluti de Luca *de emphyt. disc. 36. n. 20.* consultissime ratiocinatur circa bona in vim bullae 41. Clem. VIII. per baronum congregationem coactive alienata —: *cum tunc* (sic ipse) *nulla adsit implicantia ut illa feudalis sive emphyteutica seu fideicommissaria qualitas, quae in ipsa re inerat, ita translata sit ac resideat in pretio, tanquam subrogato, cum princeps in iis quae juris non naturae fictionem continet, illam veritati assimilare valeat atque facere, ut ea, quae sunt ficta, habeantur pro veris.*

Inconsulto etiam opponi posse: pretium, utpote siccam pecuniam continens, nullum fructum dare posse; ideoque nec emphyteutam ex ea capere neque dominum directum canonem posse merito exigere, ex quo fiat, ut ex natura rei fictio principis nullum operetur effectum. Quomodo enim antiquitus quando agebatur de bulla baronum vel de const. Gregoriana pretium in locis montium collocabatur et ita fructiferum considerabatur, sic et hodie, quando fundus immobilis in promptu non sit in quo pretium investiatur, adsunt schedulae publici debiti, vulgo *consolidato*, quae rei venditae locum teneant et fructum afferant: quod et reapse factum est occasione legis edictalis diei 9. Apr. 1748, in qua statutum fuit, ut loca pia directaria canonem ab aerario acciperent. Quapropter hanc ad rem a gubernio quamdam certam reddituum summam constitutam fuisse inalienabilem et debito respondentem, qua quotannis canones ipsi pensitari tuto possent. Jamvero nihil impediebat, quominus etiam in collocando pretio ex coactivis venditionibus de quibus agitur derivante eaedem schedulae publici debiti acquiri possent, quae fundorum ven-

ditorum vicem et locum usque ad finem emphyteusis obtinerent.

Quae momenta promebantur pro negativa sententia adstruenda.

Ex notione contractus emphyteutici (ita argumentabatur), qualis a natura ejusdem trahitur et ab interpretibus communiter admittitur, illud sequitur, ut ad ejusdem contractus substantiam constituendam tria requirantur, nempe consensus, res et canon. Jamvero simul ac venditioni coactivae locus factus est, haec tria evanescunt. Et revera evanescit partium consensus, qui ab initio intercessit ac virtualiter perduravit usquedum in utriusque domini manu res fuit, postquam vero in manus principis pervenit, consensus iste omnino defecit: partes enim id minime praevidere potuerunt, quia *animus non fertur ad incognita.* Evanuit etiam res, prout patet; idque ob factum, quod neque domino utili neque directo imputabile est. Denique evanescit canon: sive enim hic accipiatur ut *signum recognitionis dominii*; at hoc amplius locum non habet, nam cessante dominio cesset necesse est et ejusdem recognitio: sive autem accipiatur ut correspectivum pro fructibus qui ab emphyteuta ex re percipiuntur; jam et hoc etiam in casu correspectivum exulat, cum exinde nullus fructus percipi possit.

Nec meliori consilio invocantur principia a subrogatorum natura proficiscentia: nam ut ipse Barbosa animadvertebat *Axiom. 213 n. 2.: subrogatum non sapit naturam ejus, cujus loco subrogatur, nisi vel in subsidium, vel quando subrogatio est in plenum jus. Intellige etiam, ut supra tetigimus n. 1, quando subrogatum habet qualitates ejus, in cujus locum subrogatur, quia si qualitas vel unum ex requisitis necessariis subrogato deficiat vel diversa inter utrumque datur qualitas, ejus naturam, in cujus locum subrogatur, non sapit.* — Hanc ipsam doctrinam recipit et communiter tradit Rota romana, ut videre est in *indice generali recentiorum* verbo: *subrogatum.* Jamvero ex praemissis luculentissime elucet diversitas naturae, quam habet pretium et natura quae rei emphyteuticae inhaeret. Quibus accedit, emphyteusim culturam aut manutentionem (quando ex. gr. in emphyteusim aliquis domum jam aedificatam accipit) necessario secum importare: neutrum vero pretio convenire quisque videt.

Denique cum plura sint onera et jura dominii utilis erga dominum directum et domini directi erga utilem, quae fuse explicant doctores, difficillimum, ne dicam impossibile, accidit, ut una cum alteris componere et conciliare, ut suum jus unicuique, ceu justitia postulat, reddi possit.

Neque vero hisce incommodis consultum satis esse dici posset ex investimento pretii in bona immobilia vel in schedulas debiti publici peragendo, exemplo sumpto ex coactis venditionibus in vim bullae Gregorianae vel baronum vel legis edictalis 9. Martii 1848. In hisce siquidem casibus ex diserta Pontificis dispositione praescriptum fuerat, ut pretium vel in loca montium vel in schedulas debiti publici collocari oporteret. At contra in lege edictali 3. Julii 1852 praescribitur quidem, ut pretium rem venditam repraesentet et in ipsum omnia onera vel jura transferantur, neutiquam vero proceditur ulterius, ullam aliam obligationem partibus, quarum interest, imponendo. Itaque dominus tam directus quam utilis, cum nulla lege adigatur, liber est in eligendo bona immobilia vel schedulas publici debiti acquirendo necne aut etiam nullum novum contractum ineundo. Quid igitur superest, nisi pretium inter utrumque partiri et sinere, ut alteruter de ipso pro sua voluntate et arbitrio disponat? Aliter enim pretium illud infructiferum perpetuo jacebit neque fini, quem sibi proposuit princeps respondere poterit neque ullum emolumentum domino sive directo sive utili allaturum erit. Quandoquidem pecunia, nisi humana accedat industria, quae in aliquo negotio utili eam impendat, iners et inutile jacet pondus, nullum producens effectum.

Expositio dubiorum.

I. An emphyteusis repraesentetur ac perseveret in pretio subrogato perinde ac si expropriatio non accidisset, an cessat circa bona expropriata in casu?

Quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam:

II. An praedictum pretium in toto cedat directario, accedente reductione canonis et qua mensura?

III. An potius cedat domino utili, salvo canone omni ex parte persolvendo?

Quatenus negative ad utrumque:

IV. An sit locus repartitioni inter directarium et dominum utilem et qua mensura in casu?

Emi Patres die 28. Julii 1865 rescripserunt: *Dilata et ad D. Pro-Secretarium cum SSmo.* — Hoc significat, R. D. Pro-Secretarium rem agere debere cum summo Pontifice pro opportuna resolutione ineunda. Facta autem relatione a R. P. D. Pro-Secretario SSmo D. N. Pio Papa IX. in audientia habita die 4. Augusti ejusdem anni Sanctitas Sua per haec verba (latine hic reddita) rescribi mandavit: *Ad mentem: et mens est, constanter retinendam esse hanc normam, ut pretium fundorum emphyteuticorum expropriatorum, spectantium ad causas pias, debeat reinvestiri vel in acquisitione fundorum rusticorum vel schedularum debiti publici pontificii* (vulgo consolidato) *vinculati et inscripti directario cum mentione domini utilis, cujus in utilitatem debeant cedere fructus sortis capitalis hac ratione investiti pro toto tempore, quo duraverit emphyteusis. Sartum tectum directario remanet jus erigendi pristinum canonem, laudemia et quindemnia in casibus prout de jure tam supra sortem capitalem investitam quam supra partem fundi non expropriatam.*

Ex his colliges:

I. Pretium redactum ex venditione coacta partialium bonorum emphyteuticorum ad directum ecclesiae dominium pertinentium, ut viae ferreae transitus ad publicum bonum aperiantur, investiendum esse acquisitione bonorum rusticorum vel schedularum debiti publici pontificii.

II. Novam ejusmodi acquisitionem sive bonorum sive schedularum subrogatam intelligi parti fundi emphyteutici ex coacta venditione divulsi; proindeque naturam induere emphyteutici fundi cujus loco subrogatur.

III. Quare novam hanc acquisitionem iisdem contractus legibus intelligendam esse subjectam.

IV. Colliges demum schedulas debiti publici pontificii loco fundorum posse identidem subrogari.

XXI. Venditio licita pro reaedificatione ecclesiae paroch.

Alienat. bonor. eccles.; *Beneficium* (applicatio p. 370 etc.: mutatio p. 617 etc.) *Bona eccles.* (alienatio — beneplacit. apost. — p. 1075.)

Fanen.

Vincentius Monti ecclesiae sub titulo s. Mariae Nosciani Fanensis dioecesis parochus postulavit a s. Congregatione facultatem vendendi nonnullas domunculas et tres census ad paraeciam spectantes ac insuper bona legati pii Pedruzzi, ut ex congesta pecunia posset novam a fundamentis erigere ecclesiam in area, quam ipsi cedere exhibuerant confratres ssmi Sacramenti, quia actualis jam vetustate fatiscens, nimium ad excipiendos parochianos angusta, nec refici nec ampliari poterat. Episcopus ad quem preces remissae fuerunt, ut de expositis distincte referret, auditis omnibus interesse habentibus, ac praesertim de vera impotentia supplendi ex redditibus paraeciae vel aliis remediis s. Concilii Tridentini, haec habuit in prima informatione: »*Novam ecclesiae aedificationem necessariam duco, quum vetus illa, quae extat . . . ., infirma indecoraque sit. Per presbyterum meo jussu aditi sunt ejusdem paraeciae incolae, iique suum praestiterunt assensum. Confratres quoque ssmi Sacramenti in eamdem convenere sententiam cedendo pro area novae ecclesiae domus ipsius societatis pactionibus eidem proficuis expressis in folio, quod mitto una cum statu activo et passivo, ex quo ejusdem annui redditus ac onera constant. Impensa ad fabricam necessaria est scutorum 1650 circiter ut declaravit peritus ex officio deputatus. Cumque et paraeciae redditus impares sint ad eam substinendam, quomodo ex ipsius statu activo et passivo dignoscitur, neque alia quemadmodum novi suppetant remedia a s. Trid. Conc. praescripta, hinc orator ipse alienationem proponit quarumdam domuncularum trium censuum ac bonorum haereditatis Pedruzzi. Aediculae praedictae sunt valoris scutorum 197. 30. quod peritia comprobat. Trium censuum summa eadem est ac illa, quam orator exposuit (nimirum in sorte scutorum 143.) Praedia denique haereditatis Pedruzzi ascendunt ad summam scutorum 285. Tres praedicti census totidemque exiguae domus gravantur annuis legatis missarum centum. Bona Pedruzzi subjacent oneri tot missarum, quot ex eorum fructibus possunt celebrari, ut in particula ultimae dispositionis conjugum Pedruzzi, iidemque fructus ascendunt ad annua scuta 11 et obulos 40 ut ipsa peritia confirmat.«*

Cum ex propositis mediis nonnisi sum-

ma scutorum circiter sexcentum colligeretur, quae impar omnino erat operi conficiendo juxta periti ex officio deputati relationem, juxta quam summa requirebatur scutorum 1650, hinc sub die 14. Januarii praeteriti anni rescriptum est: »*Docent de mediis conficiendi sumptus pro explenda fabrica ad formam peritiae.*« Novas tunc parochus obtulit preces, quibus syllabum retulit largitionum a piis fidelibus oblatarum in summa scut. 650. et parochianos gratuito manuum opere subsidium aedificationi praestare paratos esse. Iterum exquisita est Episcopi sententia, ut auditis praesertim subventoribus referret de mediis sufficientibus, pro explendis fabricae sumptibus ad formam peritiae.

Haec autem in nova hac informatione habet Episcopus: »*Supervacaneum arbitror aliquid repetere de necessitate aedificationis novae supradictae ecclesiae, cessione domus a societate ssmi Sacramenti exhibita, de alienatione bonorum ad dictam paraeciam spectantium et aliorum ex legato Pedruzzi provenientium. Sat enim alia mea relatione ad sacram Congregationem transmissa sub die prima Januarii anni currentis super iisdem disserui.*«

Liceat prius mihi referre de necessariis expensis pro consummatione petitae aedificationis, quae juxta fabri murarii peritiam summam praeseferunt scutor. 1642. 50. Exhibuit parochus orator in prima instantia nonnulla media, ex quibus retrahi poterat summa scutorum 808. 71. prout apparet in principio speculi demonstrativi signati lit. A. Nunc autem in promptu habet alia scuta 855., quae ex largitate emanant piorum virorum, quibus maximopere cordi est religio et templi decor et qui folium subscripserunt penes me originaliter existens, cujus copiam EE. VV. transmitto sub lit. B.

Haec summa pecuniarum, una cum alia prius exhibita, facto calculo, omnino respondet summae in peritia contentae ideoque praesto sunt, quae necessaria evadunt pro expensis aedificationis ecclesiae, prout constat ex dicto calculo demonstrativo lit. B.

De veritate characterum asserere minime dubito; de facili subsidiorum exigibilitate non immerito mihi suadeo. Subscripti enim a me requisiti promissionem et recognoverunt et cum ii pares sint pro satisfactione assumptae obligationis indubium arbitror eos esse promissam summam libenti animo persoluturos.

Ut magis magisque appareat securitas conficiendi et absolvendi opus, non praetermittam EE. VV. Rmis ante oculos ponere promissionem, quam emiserunt nonnulli ex parochianis gratuitam operam praestandi in dicta aedificatione, prout ex copia folii et subscripti et cruce signati, quam hic pariter adnecto, apparet sub lit. C., quae promissio minuit etiam summam in peritia contentam.»

Parochus orator etiam animo voluit expensis parcere et domum ssmi Sacramenti non humi evertere et demoliri et alteram construere, sed. eam alio muro et fortitudine firmatam pro sui habitatione eligere et prope eamdem novam aedificare ecclesiam pro minori sumptu et faciliori dictae ecclesiae confectione. Hisce praemissis et enarratis arbitror juxta meam sententiam parochum praedictum posse sui voti compotem evadere.

Cautum in jure canonico est novam ecclesiae aedificationem non esse permittendam si vetus reparari possit. At in praesenti casu ex prima Episcopi informatione constat de necessitate construendi novam ecclesiam, quia actualis pro numero parochianorum nimis angusta est et ob fatiscentium murorum vetustatem nequit ullo modo ampliari juxta juratam periti ex officio deputati relationem.

Perita vero necessitate novae construendae ecclesiae inquirendum est de mediis, nimirum utrum probanda sint, quae parochus orator proponit, vel alia sint requirenda. Jubet ss. Tridentina synodus *sess. 21. cap. 7. de reform.* ecclesias fatiscentes *refici et instaurari ex fructibus et proventibus ad easdem ecclesias quomodocumque provenientibus, qui si non fuerint sufficientes omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant.*

Quoad *primum medium*, nimirum redditus ipsius ecclesiae, nequit in calculo haberi ob illorum tenuitatem. Siquidem ex statu activo et passivo a parocho exhibito et ab Episcopo approbato colligitur, redditum paraeciae, deductis expensis, esse scutorum septuaginta in singulos annos, quibus addi poterunt alia scuta quindecim, qui parochus in exitu signavit pro missis pro populo.

Attamen hi redditus, qui neque congruam scutorum centum attingunt, nequeunt pro expensis reaedificationis minui.

Alterum medium praesto minime est cum nec ulli sint ecclesiae patroni nec alii praeter parochum ipsius ecclesiae parochialis redditus percipiant.

Ex *tertio medio*, cogendi nimirum parochianos, jam summa scutorum 835 coacta est ex piis fidelium oblationibus, inter quos ipse parochus pro summa scut. 140 obsignatus recensetur, alii vero parochiani sese obligarunt gratuitam manuum suarum operam reaedificationi praestituros.

Exhaustis mediis a ss. Tridentino Concilio praescriptis novum haud est, ut haec s. Congregatio extraordinariis mediis necessitati fabricae ecclesiae occurrat. Ita *in Senogallien Fabricae ecclesiae 20. Februarii 1796 ad II. dubium*, in *Camerinen. Suspensionis 20. Novembris 1802* et in *Ferentina Reaedificationis ecclesiae 25. Maji 1805* et in *Tyburtina Suspensionis capellaniae 13. Januarii 1816.* Videant nunc singillatim EE. Patres, an extraordinaria media proposita ad implendam summam pro aedificatione necessariam probanda sint.

Sane vetat notissima *Extrav.: Ambitiosae de reb. eccles. non alien.* bonorum ecclesiae alienationem, quam tamen obtento apostolico indulto permittit, si vera concurrit necessitas. Videtur haec necessitas in casu concurrere, cum exhaustis aliis mediis medietas tantum summae pro aedificatione necessariae coacervari datum sit, unde altera medietas exquirenda sit ex venditione domuncularum, censuum ad paraeciam et bonorum ad haereditatem Pedruzzi spectantium. Si placeat EE. Patribus hanc venditionem, utpote necessariam, praescribere, cavendum erit, ut solemnia a canonico jure ecclesiae praescripta serventur, praesertim ut publicentur edicta ad alliciendos oblatores, a quibus melior fiat ipsius ecclesiae conditio.

Animadvertendum etiam est super domos et census impositum esse onus centum missarum annuatim celebrandarum. Parochus sese exhibet paratum suscipere annuum onus missarum *quindecim*, e contra Episcopus putat numerum missarum ad *sexaginta* esse producendum. Pro haereditate Pedruzzi, cujus redditus sunt in annuis scut. 11. 40, parochus *decem* tantum missas celebrandas proponit, Episcopus *quadraginta*.

Tandem speciali apostolica approbatione indiget permutatio a confratribus ssmi Sacramenti sub certis conditionibus proposita. Etenim cum permutationes sub alienationis nomine lato modo sumpto vocabulo veniant, illas etiam sub censura laudatae *Extravag. Ambitiosae* cadere notissimi juris est.

Dubia proponuntur:

I. *An et quomodo ecclesia parochialis, de qua agitur, sit reaedificanda in casu?*

II. *An et quomodo sit concedendum indultum pro venditione bonorum, de quibus agitur, in casu?*

III. *An et quae onera missarum sint perpetuo imponenda oratori et parochis successoribus in casu?*

IV. *An et quomodo sit approbanda permutatio, de qua agitur, in casu?*

S. C. resp.

Ad I. Affirmative juxta votum Episcopi.

Ad II. Affirmative servatis de jure servandis.

Ad III. Affirmative imposito perpetuo onere missarum quadraginta pro legatis impositis super censibus et domunculis et aliarum viginti pro bonis Petruzzi in singulos annos celebrandarum.

Ad IV. Affirmative juxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo quoad omnia, et ad mentem.

Die 12. Junii et 18. Septb. 1819.

4) Regularis saecularizati.

Vd. *Bona* (renunciatio ante professionem solem.)

5) Regularis promovendus ad dignitates bona renuntiare debet.

Ex Ord. FFr. Min. ss. Francisci et Dominici.

Quod fratres minores conventuales ordinis s. Francisci ad episcopatus et alias dignitates promoti libros et alia eorum bona ordini resignare teneantur.

Alexander PP. IV.

Dilectis filiis generali et provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte vestra Nobis fuit intimatum quod cum contingat interdum ad episcopalem et alias superiores seu inferiores dignitates

aliquos de fratribus vestri ordinis promoveri ipsi libros et alia, quae tempore suae promotionis habent, licet non ad eos, cum proprium eis habere non liceat, sed ad ordinem pertineant memoratum, propriis usibus applicare praesumunt in suarum perniciem animarum. Quare suppliciter postulastis a Nobis, ut providere super hoc salubriter curaremus.

§. 1. Nos igitur eorumdem fratrum saluti et indemnitati vestri ordinis paterna volentes sollicitudine providere, ut libros et alia, quae ipsos promotionis suae tempore habuisse seu habere constiterit, tibi, fili generalis minister vel tuis provincialibus ministris, submota qualibet dilatione, resignent, ipsis fratribus jam promotis in virtute obedientiae, illis autem, quos promoveri contigerit, ne resignare differant, auctoritate praesentium duximus injungendum, nisi forsan vos ipsorum usum eis ad tempus concesseritis de gratia speciali.

Datum die 5. Decembris 1255.

(Bull. r. t. III. p. 628. Ed. Aug. Taur.)

Quod fratres ordinis Praedicatorum s. Dominici ad praelaturas extra ordinem assumpti, antequam consecrationis munus recipiant, omnia quae ab ordine habent, conventui resignent.

Clemens PP. IV.

Dilectis filiis magistro et universis prioribus et fratribus ordinis Praedicatorum salutem et apostolicam benedictionem.

Providentia laudabilis et salubris in cunctis vestris haberi debet operibus, ut exinde claritatem nominis in conspectu Dei et hominum habeatis.

§. 1. Cum itaque sicut asseritis contingat interdum, quod illi ex vobis, qui de ordine vestro ad archiepiscopatus et episcopatus et alias praelaturas ecclesiasticas assumuntur, non considerantes, quod ex professione in ipso emissa ordine nihil habent proprium, quod sibi specialiter valeant retinere, libros et alia, quae apud eos hujusmodi tempore promotionis habent, usibus propriis applicare secumque portare praesumant, in propriae salutis dispendium et dicti ordinis non modicum detrimentum.

§. 2. Nos praesumptioni hujusmodi volentes salubriter refragari universis fratribus dicti ordinis, ad hujusmodi archiepiscopatus et praelaturas de caetero assumendis, auctoritate praesentium districtius inhibemus, ne consecrationis munus quoquomodo recipiant, antequam libros et bona contingentia ordinem memoratum, quae apud eos tempore suae promotionis habere contigerit, prioribus et conventibus, de quibus assumpti fuerunt, cum integritate resignent, nisi forsan iidem priores, de consensu ipsorum conventuum, usum illorum ad certum tempus eis duxerint concedendum. Alioquin eo ipso ab executione pontificalis ministerii noverint se suspensos. Inter hujusmodi autem libros non intelligimus comprehendi qnaternulos et illas chartulas vel membranas, in quibus dicti fratres sibi certa notabilia cum aliquibus privatis sermonibus collegerunt.

Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Viterbii die 9. Junii 1268.

Interdicitur Regularibus omnibus, ad quascumque dignitates ecclesiasticas promotis, ne secum extra coenobia ulla bona adsportare audeant.

Benedictus Papa XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Postulat humilitati Nostrae divina dispensatione commissum sacrosancti apostolatus officium, ut quaecumque respiciunt bonum, tranquillitatem et commodum ordinum regularium, unde plurimum omni tempore non modo splendoris ac ornamenti, verum etiam utilitatis atque praesidii catholicae ecclesiae accessisse ac in dies magis accedere satis omnibus notum est, et quorum in coetu, nempe in ordine fratrum Praedicatorum, Nos ipsos olim fuisse pluriumque annorum spatio versatos esse in Domino gloriamur, propensis studiis paternaque charitate et solicitudine promovere non omittamus; ac ea praesertim, quae ad tollendos abusus, arcendam proprietatis labem et inviolatum custodiendum in eisdem ordinibus paupertatis votum a romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris provido justoque consilio sancita fuisse noscuntur, ut serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae munimine roboremus et alias desuper concessae Nobis caelitus auctoritatis partes interponamus, prout rerum ac temporum conditio exigit et Nos omnibus maturae considerationis trutina perpensis ad majorem omnipotentis Dei gloriam, prosperum praedictorum ordinum regularium statum ac animarum pretiosissimo Christi sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Dudum siquidem fel. rec. Alexander Papa IV. Praedecessor Noster, cum expositum illi fuisset aliquando contingere, ut fratres ordinis minorum conventualium s Francisci ad episcopalem et alias superiores seu inferiores dignitates promoti secum adsportare propriisque usibus applicare praesumerent libros et alia, quae tempore suae promotionis haberent, tametsi non ad eos, quibus nihil proprium habere licet, sed ad ordinem pertinerent, ad ejusdem abusum submovendum et consulendum praefati ordinis indemnitati quasdam suas desuper promulgavit literas apostolicas tenoris sequentis videlicet: *Alexander Episcopus.* (Vd. sequentia p. 1119.)

§. 2. Deinde, cum memoratus abusus in ordinem quoque fratrum Praedicatorum irrepsisset, recol. mem. Clemens Papa IV. Praedecessor itidem Noster pro suo pastorali zelo eum extirpandum curavit per suas consimiles literas apostolicas, quarum tenor hic subjicietur: *Clemens Episcopus.* (Vd. *sequentia* p. 1120.)

§. 3. Quamvis autem praeinsertarum apostolicarum literarum tenorem a memoratis regularibus, pro quibus emanarunt, religiose hactenus observatum fuisse et adhuc observari minime vereamur, nihilominus nonnullis justis et gravibus adductis rationibus, ad obstruendum fraudibus, quae forsan inposterum committi possent, quemcumque aditum easdem Alexandri et Clementis Praedecessorum literas cum omnibus et singulis in eis contentis confirmandas et innovandas esse duximus, prout motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura constitutione illas et in eis contenta quaecumque (iis tantum exceptis, quae eidem Nostrae constitutioni adversantur, ut infra) amplissime confirmamus, approbamus ac innovamus et quatenus opus sit adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quoquomodo praetendi posset, restituimus, pristinum in statum reponimus ac plenarie integramus.

§. 4. Praeterea, etsi satis constet saluberrimam praedictam literarum dispositionem non ad eos dumtaxat, de quibus loquitur, sed ad universos etiam alios regulares ordines pertinere, cum ratio voti solemnis paupertatis, cui illa unice initirur, vigeat locumque habeat generatim absque ulla prorsus differentia in omnibus ordinibus, quorum professores eodem paupertatis voto aequaliter obstringuntur: adeoque sicut iidem professores indiscriminatim nihil proprium possidere possunt, et quidquid acquirunt, monasterio et ordini acquirunt, ita sane absque ullo discrimine, quando ad praelaturas ecclesiasticas assumuntur, bona, quae ante earum assecutionem habeant, secum asportare propriosque in usus convertere nequaquam possunt, sed monasterio et ordini, cui acquisita sunt, ex integro relinquere ac resignare tenentur. Nihilominus ad quamcumque ambiguitatem submovendam ac penitus e medio tollendam, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus memoratas Alexandri et Clementis Praedecessorum literas tenore praesentium expresse extendimus ac ampliamus ad omnes etiam et singulos alios catholicae ecclesiae ordines, congregationes ac instituta regularia, monastica et alia quocumque nomine et titulo nuncupata, nullo prorsus excepto, a quibus et ab eorum professoribus deinceps illas in omnibus et singulis, quae praesenti constitutioni non adversantur, exactissime observari volumus, praecipimus et mandamus, perinde ac si ipsaemet literae a praefatis Praedecessoribus Nostris pro singulis aliis ordinibus, congregationibus ac institutis praedictis eorumque professoribus quibuscumque editae et promulgatae fuissent et non alias nec alio modo.

§. 5. Cupientes insuper, ut omnis ansa et occasio quibuscumque alienis, extraneis aut subdolis praedictarum literarum interpretationibus praesecetur Ordinumque regularium quorumcumque praefatorum indemnitati plenius etiam atque uberius consultum sit: motu, scientia et potestatis plenitudine similibus omnibus et singulis regularibus personis cujuscumque ordinis, congregationis ac instituti, ut praefertur, quae a Nobis et a romano Pontifice pro tempore existente ad patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus vel quascumque alias praelaturas et dignitates ecclesiasticas inposterum assumentur, tenore praesentium strictissime interdicimus ac inhibemus ne secum adsportare propriisque usibus applicare audeant libros, pecunias, credita, deposita et bona mobilia seu immobilia cujus-

cumque generis et speciei quae eos tempore suae promotionis penes se vel alios habere contigerit, *exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis et breviario;* sed ea omnia, statim ac suae promotioni consenserint et antequam consecrationis munus suscipiant, superiori locali et capitulo coenobii, conventus aut domus, ubi degunt, integra et intacta absque ulla prorsus diminutione, cum eorum notula seu inventario bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum coenobio, conventui vel domui applicari possint ac debeant, cui juxta constitutiones et consuetudines cujusque ordinis, congregationis ac instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint et huic nostrae ordinationi non obtemperare praesumpserint, contra facientes, ultra poenam suspensionis ab exercitio pontificalis ministerii in praefatis Clementis IV. literis constitutam, suspensionis insuper a Divinis poenam ipso facto incurrant, cujus relaxationem Nobis tantum et romano Pontifici pro tempore existenti (sublata ceteris omnibus, etiam poenitentiariae apostolicae officio et majori Poenitentiario, eam, etiam ad tempus, relaxandi facultate) specialiter et expresse reservatam esse volumus et mandamus.

§. 6. Postremo, cum aequum et salutare imo etiam necessarium arbitremur, ut occurratur ac opportunum adhibeatur remedium praejudiciis et detrimentis, quae hactenus illata fuisse novimus ac etiam de cetero inferri posse animadvertimus ordinibus regularibus, coenobiis, conventibus ac domibus praedictis ex facultate, quae ab Alexandro Praedecessore ministro generali et provincialibus ordinis fratrum minorum conventualium s. Francisci et a Clemente itidem Praedecessore ministro generali ac Prioribus ordinum fratrum Praedicatorum, ut praefertur, tributa fuit concedendi promotis ad episcopalem et alias ecclesiasticas dignitates, usum ad tempus librorum aliorumque bonorum quae tempore suae promotionis habebant, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus tenore praesentium nedum praefatis sed etiam omnibus et singulis aliis Superioribus quorumcumque aliorum ordinum, congregationum ac institutorum regularium praedictorum, ad quae praeinsertas Alexandri et Clementis Praedecessorum literas ut supra extendimus et ampliamus, etiamsi Abbates, magistri, ministri et praepositi provinciales aut generales fuerint vel quacumque alia denominatione ac titulo ordinibus, congregationibus et institutis antedictis praefuerint necnon eorumdem coenobiorum, conventuum domorumque Superioribus localibus et capitulis quibuscumque praedictam facultatem concedendi ad tempus usum librorum aliorumque mobilium praefatorum prorsus adimimus, auferimus et abrogamus ac pro adempta, sublata et prorsus abrogata ab omnibus inposterum haberi volumus, statuimus et declaramus, itaut perpetuis futuris temporibus ejusmodi facultate uti amplius non possint nec debeant, perinde ac si ipsis a praefatis Praedecessoribus Nostris nunquam tributa et concessa fuisset et non alias, aliter nec alio modo: sub poena, si secus fecerint, suspensionis a Divinis eo ipso incurrenda, cujus relaxationem Nobis et romano Pontifici pro tempore existenti, privative quoad omnes alios, reservamus et reservatam esse statuimus, praecipimus ac mandamus.

§. Decernentes praesentes literas semper validas, firmas et efficaces existere ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Datum Romae apud sanctum Petrum 1725 Nonis Martii.

(Bull. r. t. XIII. p. 143. Ed. Luxbg.)

6) Regularium.

(Alienatio.)

Vd. *Alienat. bonor. eccl.* (alienat. a regul. superiorib. facienda t. I. p. 464., 479., 438. g.)

7) Renunciatio ante professionem solemnem.

Initio hujus saeculi Livius quidam, natione Hispanus, in coenobio fratrum minimorum s. Francisci de Paula Hispaniae solemnem professionem emisit, Romam inde est translatus.

Non constat, an bonis sibi pertinentibus vel futuris ante religiosam professionem renunciaverit: constat vero ejus patrem et matrem morti proximos Livium religiosum una cum aliis filiis haeredem instituisse.

Cognito testamento patris, qui decessit anno 1821, Livius fratri testamentario executori scripsit, ut valorem portionis suae cognosceret, simul ei significans, se nullam supplantationem aequo animo laturum.

Anno subsequenti 1822. ejus quoque mater decessit, quae instituens etiam Livium religiosum haeredem hanc clausulam in testamento adjunxerat: ut portio haereditaria Livii religiosi maneret apud executorem testamentarium, donec de hac haereditaria portione Livius disponeret.

Tempore paternae maternaeque mortis deposuisset jam Livius religiosas vestes necne, ex documentis in causa adductis non satis constat. Notum sed est, eum anno 1825 penes s. Congregationem super regularium disciplina institisse, ut facultatem obtineret disponendi *de illis bonis, quae suis sacerdotalibus laboribus vel alio quovis licito modo sibi pertinerent;* et in eodem supplici libello exposuisse, *sibi apostolicum saecularizationis perpetuae indultum jam fuisse concessum.* Quae supplices preces fuerunt dimissae rescripto pro gratia *juxta petita dummodo aliquod legatum relinquat favore conventus ubi magis moram fecit, alias alicujus suae provinciae.*

Post haec Livium tamquam rerum suarum dominum se gessisse satis est compertum. Immo anno 1845 insistens civili Hispanae legi latae anno 1837, quae ordinabat, religiosos utriusque sexus redintegrari in civilibus juribus, bona provenientia ex haereditate parentum sibi vindicavit.

Itaque anno 1864 testamentum condidit, quo inter ceteras dispositiones jussit bonis suis in Hispania existentibus capellaniam cum onere missae quotidianae ab Archiepiscopo N. erigendam atque conferendam alicui ex suis agnatis.

Livio denique vita functo ejus nepotes, unice superstites, testamentum patrui cognoscentes, supplicem libellum s. Congregationi Epis. et Reg. porrexerunt, quo arguentes, nequivisse Livium, tempore paternae maternaeque mortis religiosum, haereditaria bona acquirere neque regulare coenobium, cui jus fortasse haereditatem adeundi pertinuisset, quidquam unquam obmussitasse et legem civilem anni 1837 effectum retroactivum habere non potuisse, petebant, ut s. Sedes dignaretur quaestionem dirimere antequam praescripta capellania erigeretur.

Remissis ejusmodi precibus ad Archiepiscopum N. pro informatione et voto atque ut partes audiret necnon referret, num petitio jura aliis quaesita laederet, ipse his omnibus satisfaciens votum suum pro validitate testamenti emisit, atque inter cetera animadvertit: parentes Livii certo scisse religiosum professum eum esse et cohaeredem illum bonorum cum aliis instituisse; unde conjicere licere, eos voluisse Livium partem haereditatis habere vel pro suis usibus cum licentia superiorum Ordinis applicandam vel ut posset sustentari si extra claustra degere cogeretur, prout tunc temporis probabile videbatur.

Rogatus quoque fuit procurator generalis ordinis s. Francisci a Paula, qui declaravit, nullo jamdiu existente minimorum coenobio in Hispania a tempore suppressionis nihil excipiendum se habere quaecumque fuerit s. Congregationis resolutio.

Ea quae contra testamenti validitatem animadversa sunt ex officio.

Qui ex officio consultationes s. Congregationi proponendas scribit, animadvertit, vulgati juris esse, quicumque solemnem professionem emittat in religione quavis adprobata, statum mutare atque illico transire in omnimodam superiorum regularium potestatem; Ferraris *biblioth. can. verbo*: *Regularis professio 106*; ideoque professum aequiparandum servo aut arrogato, qui personam propriam quodammodo non habet: licet autem regularis professio non destruat vincula sanguinis et successionis, tamen professum omnia sua jura in monasterium transferre; unde regulam juris: *Quidquid monachus acquirit, non sibi sed monasterio acquirit;* item *ex cap. Cum ad monaster., de stat. monach.*, Concilium Trid. *sess. 25. de Regul. c. 2.*, Clemens VIII. decretis gener. de reformatione Regularium, *Nullus omnino § 3.*

In facto, posita renunciationis existentia prout asserebant instantes, Livium in monasterii potestatem transiisse, quin ullum in monasterium jus suum transferret, nec quidquam proinde monasterium acquirere potuisse.

His praejactis ex communi jure esse praescriptum, neminem testamento acquirere posse, qui *testamenti factionem* saltem *passivam* non habeat, hoc est acquirendi potestatem, *Inst. de haered. qualit. et diff.* §. *In extraneis*, ubi Justinianus tradidit: *In extraneis haeredibus illud observatur, ut sit cum eis testamenti factio . . . . . et id duobus temporibus inspicitur, testamenti quidem facti ut constiterit institutio, mortis vero testatoris ut effectum habeat.* Voet ad *Pandect. lib. 28. tit. 5. n. 21* aliique. In facto au-

tem constare, Livium utriusque testamenti confectionis tempore et mortis utriusque parentum professum solemniter jamdiu fuisse, et, prout asserebant instantes, in monasterio adhuc mansisse; ideoque nullam testamenti factionem habuisse: proindeque neque Livium ex persona propria succedere potuisse neque monasterium ob renunciationis existentiam.

Neque regeri posse, renunciationem jura ipsi renunciationi posteriora comprehendere nequivisse: veriorem enim esse sententiam, quae docet, etiam spem futurorum jurium renunciari posse: ergo easdem haereditarias portiones utpote in renunciatione virtualiter comprehensas haeredibus institutis accrescere.

Verum, facta quoque hypothesi, renunciationem non existere vel ipsam bona post emissam renunciationem supervenientia non comprehendere, semper redire, haereditates monasterio unice cedere debere, quo haereditates Livii non adeunte, nec eas aliquo modo sibi vindicante, ipso jure ad institutos haeredes devolvi. Injuste ergo Livium religiosum ejusmodi haereditates sibi vindicasse deque iis, tamquam de re propria, disposuisse.

Minus etiam obesse, Livium obtinuisse saecularizationis indultum, quasi vero ex hoc indulto inferri possit capacitas acquirendi: canonem namque juris esse, capacitatem extra tempus lege praestitutum supervenientem ad effectum quemlibet, nihili esse ad eundem effectum, s. Rota in *Albanen. Capellaniae 9. Decembris 1822.* §. *coram Gamberini* et alibi. Eo magis si capacitas superveniens cedat in praejudicium aliorum jurium, Rota *ibidem;* Card. de Luca *de renunciat. disc. 17. n. 17*, ubi scripsit: »Verior videtur opinio, ut ista restitutio saeculo quae ex facto Papae provenerit non debeat habere oculos retro neque tollere jus tertio quaesitum, nisi expresse voluntas accedat, ad instar eorum, quae sub *tit. de Regul.* etc. habentur circa potestatem Papae tollendi jus tertii, ut id in dubio praesumendum non sit sed semper gratia vel aliud factum Principis intelligi debeat sine praejudicio.«

Demum, Livium indultum perpetuae saecularizationis consequutum esse, erui tantum ex supplicibus ejus precibus oblatis s. Congregationi anno 1825; sed ejusmodi indultum nullimode afferri nec ejus extensionem esse notam; atque omnino praesumendum habuisse consuetam clausulam, qua datur quidem facultas vivendi extra claustrum, sed votis firmis manentibus *in substantialibus cum novo statu compatibilibus*; ideoque vi hujus indulti neque acquirere et bona possidere potuisse (quod voto paupertatis opponeretur), sine novo atque necessario s. Sedis indulto, quemadmodum quotidiana praxis s. Congregationis ostendit.

Quod si anno 1825 Livius obtinuit facultatem *testandi* vel *disponendi* atque proinde si ejusmodi facultas implicite alteram quoque contineret bona acquirendi, eam tamen limitatam fuisse *ad ea bona quae suis sacerdotalibus laboribus vel quovis alio licito modo sibi pertinerent*: pontificium enim indultum nullam omnino fecisse mentionem de portionibus haereditariis: neque ejusmodi mentionis carentiam suppleri posse praesumptione: praesumptionem immo in contrarium militare, sive ut aliorum praejudicium evitetur sive ob clausulas ejusmodi indultis apponi solitas: *dummodo non agatur de bonis sub speciali renunciatione comprehensis;* sive ob facultatem, quae identidem conceditur, adeundi haereditates, obligatione indultario imposita de his disponendi pro illis, ad quos bona vi renunciationis pertinerent.

Ea, quae pro validitate testamenti adnotabantur.

Adnotabatur pariter ex officio, renunciationem esse actum mere facultativum et a tironum voluntate pendere, quod et declaravit s. Congregatio Epis. et Reg. decreto 31. Aprilis 1756.

Jam vero, posita hujus actus libertate, non esse ejus existentiam praesumendam, sed luculenter probandam, tum in genere tum in specie; et num ipsa fuerit translativa vel extinctiva, ut id quod consequatur cognosci possit. Etiamsi enim in genere probaretur, amplissimam renunciationem locum habuisse, in specie obstare semper juris criterium, quo esset receptum, hujusmodi quamvis amplissimas renunciationes haereditates intestatas, non eas, quae testamento devolverentur, comprehendere, Marin. *lib. 2 resol. 194*, Surd. *decis. 14*, Rota *decis. 543. part. 5. recent.* Sed cum nihil hujusmodi ab actoribus afferretur, nihil videri impedire, quominus successio saltem testata in bonis parentum, si non in persona Livii religiosi, in persona monasterii consisteret.

Sed postea monasterium a successione mansisse exclusum ob obtentum a Livio saecularizationis perpetuae indultum: vi enim hujus indulti quemadmodum professus a monasterio solvitur ita quoque eundem videri recuperare suam juridicam personalitatem quoad jura sanguinis et successionis, eo fere modo, quo juxta romanam jurisprudentiam captivi qui patriam regrederentur *postliminio* recuperabant omnia jura per captivitatem suspensa, *l. 32. §. 1. ff. de haered. instit.* ubi legitur: »*Is qui apud hostes est recte haeres instituitur, quia jure postliminii omnia jura civitatis in personam ejus in suspenso retinentur.*« Card. de Luca *de fideicom. disc. 69. n. 22.* et alii.

At vero, quum religiosus professus non solum non sit habilis ad acquirendum in persona propria dum in monasterio manet, sed sub superiorum potestate etiam extra claustrum vi perpetui voti paupertatis, simplex saecularizationis indultum potuisse quidem Livium juvare quoad usum jurium recuperatorum per subtractionem a potestate superiorum regularium, non tamen quoad plenam possessionem liberumque dominium; ad quem effectum necessariam fuisse novam dispensationem a paupertatis voto, Pyrrus Corradus *in praxi dispens. l. 10. c. 4 n. 1*, Card. de Luca *de testament. disc. 9.* aliique.

Sed Livium praeter saecularizationis indultum obtinuisse quoque facultatem *testandi vel disponendi de illis bonis, quae suis sacerdotalibus laboribus aut quovis alio licito modo sibi pertinerent:* quae quidem facultas, etsi mentionem non faceret de jure acquirendi, eam tamen omnino supponeret: ex qua etiam conjici posse, hoc acquirendi jus eidem Livio jam fuisse concessum cum ipso saecularizationis indulto. Quamobrem quamquam Livius non posset jura consequi, quae fortasse aliis jam essent quaesita (non enim praesumitur Pontificem per indulta jura aliis quaesita laedere velle), in ejus tamen fuisse potestate consequendi id quod sibi pertineret quod aliis non esset devolutum, Barbosa *de jur. eccles. univ. l. 1. c. 42. n. 247.* aliique.

Jamvero portiones haereditarias paternam et maternam Livii tempore relati indulti non fuisse a monasterio acquisitas: nec portionem haereditariam maternam monasterio adire volenti cedere potuisse ob clausulam testamenti adjectam *donec Livius de ea non disposuisset:* nihil ergo dubii superesse videri, quominus Livius acquirere portiones suas et iis capellaniam fundare potuerit.

Tandem, si per hypothesim exceptiones supplicantium admitti vellent, eas non esse validas in eorumdem supplicantium persona. Vel enim esse impugnandum valorem dispositionum parentum Livii vel jus ejusdem Livii ad haereditatem consequendam. In primo casu impugnari judicium testatorum a supplicantibus jam accepto habitum, quod fieri nequiret, *l. 10. ff. de in off. testam.*: »*Illud notissimum est, eum, qui legatum percepit, non recte de inofficioso testamento dicturum, nisi id totum alii administravit.*« Item *l. 5. ff. de his, quae ut indignis.* In secundo, monasterii jura in medium deducentes exceptionem de jure tertii opponerent, quae nullum contra possessorem valorem haberent, *l. 53. ff. de acquir. vel amittend. poss.* »*Adversus extraneos vitiosa possessio prodesse solet*« et alibi.

Quod si judicium ferretur contra Livium, non supplicantibus sed religioni fratrum minimorum jus super Livii portionibus delatum intelligi. Nec praescriptionem objici posse contra fratrum minimorum jura, multoque minus renunciationem a procuratore generali factam; siquidem, ceteris omissis, vulgati juris esse, *contra ignorantem et non valentem agere non currit praescriptio*: et renunciationem juris, quod ad religionem pertineat, speciem alienationis secumferre, quae absque solemnitatibus praescriptis sive in ordinis constitutionibus sive ex communi jure valorem non haberet.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium:

An constet de nullitate dispositionis testamentariae regularis *(Livii)* quoad institutionem capellaniae, ita ut et cui deferenda sint relativa bona in casu?

Resolutio. S. Congregatio Episc. et Reg. causa cognita die 2. Septembris 1870 respondere censuit:

Negative in omnibus et Archiepiscopus curet exsecutionem voluntatis testatoris et communicetur ex officio.

Ex quibus colliges:

I. Generatim renunciationem bonorum sive in genere sive in specie ante professio-

nem solemnem factam non praesumi, sed probari luculenter debere. *)

II. Renunciatione autem bonorum non facta bona religiosi professi ipso jure monasterio cedere, si monasterium jus possidendi habeat.

III. Idem verum esse, sive agatur de bonis actu ad professum pertinentibus sive de bonis adventitiis vel in spe positis.

IV. Professo e religione exeunte per saecularizationis indultum atque proinde a potestate superiorum Regularium soluto, jure fere postliminii suam juridicam personalitatem recuperare ad vindicanda coram civili lege ea jura sanguinis et successionis, quae aliis non fuerint antea quaesita.

V. Usum tamen proprietatemque bonorum habere non posse ob votum quod ei obstat paupertatis, quum illud firmum maneat etiam post saecularizationis indultum.

VI. Quare ad usum habendum bonorum, quae honestam sustentationem excedant, necnon ad facultatem de bonis disponendi, praesertim per testamentum, necessaria regulari saecularizato esse alia pontificia indulta; quae esse videntur quaedam partiales dispensationes super voto paupertatis quaeque strictae sunt interpretationis.

VII. In themate Livium, religiosum saecularizatum, potuisse vindicare patrimonialia bona, quum ea nec monasterio nec suis fratribus essent quaesita, iisque ope apostolici indulti uti atque de iisdem disponere sive per testamentum sive alia ratione, prout ferebatur indulti tenor.

VIII. Eundem, sua religione per universam Hispaniam extincta, ita de bonis disposuisse per testamentum, ut capellaniam pro agnatis instituens neque ecclesiam neque suam familiam defraudaverit.

*) Quid juris, si constaret renunciationem fuisse factam in genere et in specie bonorum patrimonialium in favorem fratrum? Poteratne Livius a monasterio solutus ea patrimonialia bona juridice vindicare?

Videtur posse: ratio est, quod causa renunciationis cessaverat per egressum e religione, cessante autem causa renunciationis renunciatio cessabat quoad ea bona quae non fuerant aliis quaesita, quaeque veluti in suspenso manebant, adstipulante quoque voluntate testatorum, qui Livium, etsi religiosum professum noscerent, cohaeredem instituerant.

Breve Apostolicum.

1) Differentia inter Breve apost. et Bullam.

(Cf. Ferraris.)

Brevia et bullae inter se multipliciter differunt.

Primo quia brevia a curia romana expediuntur per secretariam apostolicam sub annulo Piscatoris, bullae vero expediuntur per cancellariam apostolicam sub sigillo plumbeo habente hisce temporibus ex una parte imaginem ss. Petri et Pauli et ex altera nomen Papae regnantis impressum, quod sigillum est suum ultimum complementum, adeo ut ipsae bullae ante illius appensionem necdum expeditae censeantur; *cap. Licet 5. de crimine falsi*; Rota *p. 5. tom. 2. dec. 560. num. 5.*

Secundo quia brevia scribuntur in membranis magis nigris et grossis seu rudibus.

Tertio quia brevia scribuntur charactere latino, juxta nostrum usum intelligibili, nitido et eleganti, bullae vero scribuntur charactere antiquo gallico, licet latino, nulla linea nec puncto adhibito nec servata orthographia, sicut in brevibus observatur.

Quarto quia in brevibus data fit incipiendo annum a die Nativitatis, in bullis vero a die Incarnationis.

Quinto quia in brevibus ponitur *data* temporis brevior, in bullis vero *data* longior.

Sexto quia brevia incipiunt cum his verbis ad formam tituli: *Pius Papa VI.*, bullae vero incipiunt cum verbis: *Pius Episcopus Servus Servorum Dei*, non in medio et forma tituli, sed a capite versiculi.

Septimo quia brevia expediuntur etiam ante Papae coronationem, sed quae ante Papae coronationem expediuntur, non semper annulo Piscatoris signantur, sed aliquando sigillo, quo utebatur Pontifex ante suam electionem. Quod exstat in Urbevetanae Urbis archivio Innocentii VII. breve exemplum esto, quod his verbis clauditur: *datum Romae apud sanctum Petrum die assumptionis nostrae* (fuit is dies Octobris 17. ann. 1404.) *sub parvo signato, quo utebamur, cum eramus in minoribus constituti*: bullae vero regulariter solum post Papae coronationem, et dato quod ratione dilatae coronationis expediatur ante ipsam aliqua bulla, quae etiam media seu dimidia bulla ideo appellatur, quia Pontifices tunc temporis non bullant bulla integra, sed mediam tantum bullam ponunt seu sigillum plumbeum, habens ex uno latere capita ss. apostolorum Petri et Pauli insculpta, et ex alio latere, quo ponitur nomen, bulla est sine nomine. Vide *Fagnan. in cap.: Licet, de electione, num. 9.* Tunc inscribitur pontificatus, ut infra: *Datum suscepti a Nobis apostolatus officii anno etc.*, ubi post coronationem inscribitur pontificatus absolute, ut infra; *Datum pontificatus nostri anno* etc. incipiendo tantum annos pontificatus a die coronationis, ut observavit *Fagnan. lib. 1. decret. in cap. Licet 6. de elect. num. 9. et 10.* Et quoad supradictas et alias differentias inter brevia et bullas vide *Corrad. in praxi dispensat. lib. 2. cap. 7. num. 19.*, *Rosam de Executione literar. apostolicar. cap. 2. num. 67.*, *Gonzal. ad regul. 8. cancellariae*)*, *Card. de Luca in relation. romanae curiae discurs. 7.*, *Ameyden. de stylo Datariae*, *Reiffenstuel lib. 1. decretal. tit. 2. §. 1. num. 19. et 20.* et alios canonistas passim.

2) Executio.

Regien.

Literarum apostolicarum executionem in Collegiata fieri inconsulto Episcopo contendit Praepositus. Primo enim literae apostolicae ab executore deputato posse absque Episcopi venia effectui mandari tradit *Ferraris in sua bibliotheca* verb.: *Executor. literar. apostol.*, id ipsum docetur in *Turritana 15. Novemb. 1704* quando agitur de ecclesiis non negativa, sed positiva independentia instructis quibus onerosis privilegiis per generales Pontificum constitutiones non fuit derogatum, *Fagnan. in cap. Venientes num. 6. de transact.* et in *cap. 24. de confirm. utili vel inutili*, aliique. Quod tamen ad indulgentiarum publicationem non extenditur, cum ab hoc ipso S. O. super *cap. 9. sess. 12. de reform.* recognitio Brevium quibus indulgentiae conceduntur loci Ordinariis tributa fuerit, uti habetur ex *Monacell. Formular. tom. 2. tit. 15. form. 6. num. 8.*, nisi loci vicinitas omnem falsi suspicionem excludat.

Non alii quam Ordinario literarum apostolicarum, si quae expediantur, executionem demandandam esse respondet Episcopus. Vel enim de indulgentiis agant et Episcopum eas decet exequi ex concessione ipsius Pontificis, vel de rebus spiritualibus, et idem porro jus obtinet *cap. 9. sess. 21. de ref.*, *Monacell. par. 3. tit. 1. form. 14. num. 14. et 16.*, vel ad matrimoniales causas pertinent, et tum nonnisi iis, qui habent territorium separatum et jurisdictionem quasiepiscopalem, ut effectum suum sortiantur, committuntur *cap. 3. sess. 22. de ref.*, *Garcias par. 9. cap. 2. n. 147. de benef.* Territorium autem separatum requiri, ut absque Ordinarii auctoritate apostolicae literae alii Praelato exequi liceat, translatitii juris est. *Rota dec. 346. num. 7. cor. Coccini* et alibi.

Die 19. Dec. 1835.

3) Gratiae etc. expediendae per secretariam brevium.

Divisio materiarum et gratiarum apostolicarum, quae per Datariam apostolicam, quaeque per secretariam brevium secretorum sunt expediendae.

Benedictus PP. XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Gravissimum ecclesiae universae reique publicae regimen humilitati nostrae concreditum optima quantum Nobis ex alto conceditur ratione moderari simulque ab omnibus iis, quorum opera ac ministeriis utimur, concordibus atque in unicum publicae utilitatis scopum collineantibus studiis procurari cupientes id maxime interesse arbitramur, ut singulis officiis, quibus tam justitiae administratio quam gratiarum dispensatio continetur, proprias atque distinctas in republica partes certosque tum auctoritatis tum jurisdictionis limites designemus: con-

*) Vd. *p. 820.*

stat enim, non aliunde certiorem gubernii concordiam quam ex recta divisione munerum et officiorum partitione coalescere nec magis firmam corporis stabilitatem quam ex apta atque ordinata membrorum omnium distinctione consistere. Quapropter, cum anno proxime elapso, editis apostolicis literis XII. Calendas Januarii, quarum initium est: *Romanae curiae praestantiam*, hujusmodi munerum et jurisdictionum divisionem pro judicibus et tribunalibus hujus Nostrae curiae in iis, quae pertinent ad legitima causarum judicia, opportune statuerimus: animum in praesentia adjicimus ad certos constituendos fines, intra quos ea quoque officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio gratiarum, quae de apostolicae Sedis liberalitate tam in universos christifideles quam in subditos ditioni Nostrae populos assidue diffunduntur.

§. 1. Porro ad expedienda complura hujusmodi gratiarum genera inter caeteros apostolicae Sedis ministros et officiales unus in Dataria apostolica ab immemorabili tempore extitit, *Magister Brevium nuncupatus*, cujus electionem ante pontificatum felicis recordationis Praedecessoris Nostri Pauli Papae V. ad collegium secretariorum apostolicorum absque controversia pertinuisse dignoscitur. Verum quum de anno 1614 post obitum olim Joannis Mileti ad hujusmodi officium Magistri Brevium a praedicto collegio secretariorum apostolicorum electi super jure novum Magistrum brevium eligendi et deputandi triangularis orta esset lis et controversia, num scilicet ad Datariam apostolicam, an vero ad praedictum collegium secretariorum apostolicorum vel potius ad collegium scriptorum Brevium praedicti officialis electio et deputatio spectaret eaque lis et causa coram bon. mem. Marco Aurelio Maraldo tunc temporis Datario discuteretur atque adhuc indecisa penderet, idem Praedecessor Paulus hujusmodi litem et causam auctoritate apostolica ad se advocavit atque omnibus rite perpensis per suam schedulam motus proprii decrevit et declaravit, electionem personae, quae officium Magistri Brevium exerceret, a praedicto collegio secretariorum apostolicorum semper faciendam esse et fore factamque tunc ab ipso collegio electionem in persona Joannis Jacobi Bulgarini ratam habuit, approbavit et confirmavit.

§. 2. Postea vero recolendae memoriae *Praedecessor pariter Noster Gregorius Papa XV. anno MDCXXII. officium hujusmodi Magistri Brevium in officium vacabile* sub eodem titulo, cum adnexis praelaturae insigniis et honoribus, et cum facultate illud resignandi pro justo pretio, ad instar aliorum officiorum vacabilium, erexit ipsique pro tempore praelato hujusmodi officii possessori omnia et singula emolumenta, quae de caetero in gratiarum expeditionibus a Magistro Brevium percipi et exigi consueverant, perpetuo cessit et assignavit; atque ita de una in alteram personam transeundo officium praedictum in proprietatem devenit venerabilis fratris Alexandri de Abbatibus nunc Viterbiensis Episcopi. Cum autem Nos conservandis augendisque apostolici aerarii utilitatibus solicite intenti uberes ejusdem officii redditus, cum primum illud ex persona moderni ipsius possessoris vacare contigisset, camerae Nostrae apostolicae in perpetuum applicare et appropriare statuissemus, ut etiam citius hujusmodi applicatio et appropriatio suum sortirentur effectum, officium ipsum a praedicto Alexandro Episcopo pro competenti pretio resignari curavimus.

Quod quum ipse de facto in manibus Nostris sponte resignasset Nos resignationem hujusmodi admittentes ad commodum et favorem ejusdem camerae apostolicae per speciale chirographum manu Nostra signatum sub die 6. Junii anni Domini MDCCX. mandavimus, ipsi resignanti persolvi ex pecuniis praedictae camerae tredecim milia scutorum monetae romanae de juliis decem pro quolibet scuto, pro pretio convento praedicti officii, quemadmodum soluta fuerunt; et ex tunc hujusmodi officii Magistri Brevium nuncupati annuum fructum et emolumenta ex ipsius officii exercitio pro tempore redigenda eidem camerae apostolicae applicavimus et perpetuo incorporavimus, ita tamen, ut a Nostro et Pontificum successorum Nostrorum pro tempore Datario unus aliquis officialis eligi et cum congrua mercedis assignatione deputari debeat ad hoc ut sub ejusdem Datarii directione, nomine vero camerae apostolicae, officium ipsum fideliter exerceat et administret, prout supradictus Alexander Episcopus ejusque in dicto officio Praedecessores pro tempore exercuerunt, ac de perceptis seu exactis emolumentis, statutis temporibus et quandocumque opportunum visum fuerit rationem

reddat, prout in praedicto chirographo manu Nostra signato et in instrumento itidem per acta dilecti Filii Gregorii Castellani unius ex ejusdem camerae apostolicae secretariis sub die quinta Julii ejusdem anni confecto et stipulato latius et uberius continetur.

§. 3. Ut autem certa ratione constet, quaenam gratiarum et concessionum genera per Datariam praedictam et per organum hujusmodi magistri Brevium in posterum expediri opporteat, quaenam vero sint expeditiones, quae per literas sub annulo Piscatoris et per secretariam brevium Nostrorum secretorum fieri permittuntur omnisque inordinatio et confusio tollatur, quae ex promiscuo recursu ad praedictas Datariam et secretariam brevium alias usitato oriebatur, non sine fraudum periculo et officiorum vacabilium de expeditionibus participantium, adeoque ipsius camerae Nostrae apostolicae detrimento, mandavimus dilecto Filio Nostro Dominico tituli sancti Bernardi ad Thermas sanctae romanae ecclesiae presbytero Cardinali Passioneo nuncupato brevium Nostrorum secretorum secretario necnon dilecto Filio magistro Joanni Jacobo Millo Datario Nostro, ut unanimi studio, perpensis veteri stylo et consuetudine atque etiam ipsa multiplicis generis gratiarum et concessionum natura, consilium suum Nobis aperirent super hujusmodi negociorum divisione et congrua partitione inter praedicta officia inviolabiliter in posterum stabilienda et respective servanda.

§. 4. Ipsi vero praemissa omnia sedulo et accurate pensantes, auditis etiam utriusque officii praedicti ministris in eorum praxi, stilo et consuetudinibus respective peritis, post maturum examen, elenchum quemdam communi ipsorum consensu conceptum et utriusque subscriptione signatum Nobis obtulerunt, in quo singillatim continebantur materiarum seu gratiarum apostolicarum genera:

I. earum, quarum expeditionem ad dictam secretariam brevium secretorum privative,

II. earum, quarum expeditionem tam ad ipsam secretariam quam ad Datariam apostolicam promiscue,

III. demum earum, quarum expeditionem ad ipsam Datariam privative spectare debere convenientius judicarunt.

§. 5. *Porro concessiones et gratiae, quarum expeditio, juxta praedictum elenchum, secretariae brevium secretorum privative tribuitur, tales sunt:*

Altaria portatilia, altaria privilegiata, concessiones habitus militiae Domini Nostri Jesu Christi aut alterius militiae similis, advocationes causarum et extinctiones litium, abbreviatoriae nuntiaturarum, indulta gaudendi privilegio antianitatis pro advocatis consistorialibus coadjutoribus, creationes in militem auratae militiae et in comitem Palatinum, licentiae ingrediendi in monasterium educationis causa, facultates permanendi in monasterio in habitu saeculari, capiendi possessionem nomine camerae, vescendi prohibitis, brevia facultativa magnis magistris cujuslibet ordinis equestris vel militiae, benedictiones agrorum contra animalia nociva, commutationes voluntatis, confirmationes decretorum congregationum et literarum patentium Nuntiorum aut Legatorum Sedis apostolicae, commutationes officii divini in alias preces, creationes in Generalem aut alios officiales regulares, clericatus camerae, admissiones ad privilegia civitatis vulgo Cittadinanze, deputationes coadjutorum in officiis et muneribus saecularibus, communicationes privilegiorum et indulgentiarum, confirmationes electionum personarum non tamen super re beneficiaria, creationes magistrorum, Abbatum et aliorum graduatorum regularium, commissiones contra Episcopos, dispensationes super defectu aetatis tredecim mensium vel alterius temporis ad effectum suscipiendi ordines, declarationes capellae publicae, derogationes fideicommissorum, doctoratus, deputationes commissariorum, visitatorum, collectorum, auditorum et notariorum Nuntiaturarum et aliorum similium, dispensationes super bigamia aut alio simili impedimento obsistente receptioni in militiis et ordinibus equestribus, licentiae concedendi bona ecclesiastica in emphyteusim ad tempus et ad tertiam generationem, dummodo tamen canon aut census annuus summam decem ducatorum auri de camera non excedat, prout reperitur in regestis, erectiones marchionatus in principatum aut ducatum vel comitatum, erectiones montium, Collegiorum et provinciarum pro regularibus, dismembrationes conventuum ab aliqua provincia ad effectum erigendi aliam, oeconomatus, erectiones archiconfraternitatum cum facultate aggregandi, facultates universitatibus studi-

orum, facultates Episcopis suscipiendi munus consecrationis, licentiae patrocinandi in causis civilibus, retinendi famulam in monasterio, facultates absolvendi a casibus reservatis, retinendi sacrum oleum infirmorum et asservandi ss. Eucharistiae sacramentum, facultates S. R. E. Cardinalium, Legatorum, Nuntiorum et Episcoporum pontificio solio assistentium, facultates assumendi nomen et titulum Archiepiscopi, etiamsi pallium quis non habeat, gubernia, indulgentiae ordinariae et extraordinariae, indulta emittendi professionem ante completum annum novitiatus, emittendi pariter professionem in conventu non destinato, utendi birettino, non incedendi in habitu, ratione pensionum, juxta constitutionem Sixti V. ad triennium, impositiones super ecclesiasticis, cruciatae, prorogationes pensionum, exemptiones a vectigalibus, processionibus et oneribus, licentiae ingrediendi monasteria et pernoctandi in eis: creandi census eosque extinguendi, permutationes bonorum, non tamen super materia beneficiali vel ecclesiastica, indulta capiendi possessionem post signatam supplicationem et ante expeditionem literarum tam pro Episcopis quam pro quocumque beneficio ecclesiastico ad sex menses, percipiendi fructus in absentia et non residendo, permanendi extra statum ecclesiasticum, habendi fenestram, cancellos et januam in publicis ecclesiis, recipiendi sacram communionem in privatis domus oratoriis, retinendi et legendi libros prohibitos, exercendi opera servilia diebus festivis, celebrandi in loco patrati delicti, incedendi in habitu laicali ad effectum dumtaxat gaudendi privilegio fori et retinendi pensiones, ut supra: legitimationes, concessiones habendi locum in consilio Ferrarien. aut alterius civitatis et terrae status ecclesiastici, dispensationes matrimoniales pro principibus supremis, oratoria privata, creationes Protonotariorum apostolicorum non participantium, prohibitiones extrahendi libros, paramenta et utensilia sacra, revocationes talium prohibitionum, prorogationes ad tempus, non tamen ad praesentandum aut publicandum vel ad suscipiendos ordines sive aliquem gradum, juxta decretum appositum in supplicatione per Datariam, facultates privative imprimendi libros, revalidatoriae seu perinde valere super brevibus jam expeditis, loca seu officia quadraginta virorum reformatorum status libertatis civitatis Bononien. et resignationis eorumdem locorum seu officiorum, restitutiones in integrum dummodo non sint in materia beneficiaria, reductiones onerum et missarum, concessiones privativae venationis, provisiones ecclesiarum in partibus infidelium ad instantiam vel commodum Congregationis de propaganda fide, favore Vicariorum necnon ecclesiarum Scotiae et Hiberniae, quae a praedicta secretaria gratis conceduntur, auditoratus Rotae Maceraten., Ferrarien. et Bononien., officia signaturae, alia officia et munera saecularia, quae a romano Pontifice saecularibus conferuntur et quae per Breve expediri consueverunt et similia, quae respiciunt saecularitatem sine ulla connexione cum re beneficiaria, cujusmodi sunt capitaneatus, baroncellatus, fiscalatus et similia; necnon deputationes coadjutorum in eisdem, licentia personis ecclesiasticis suscipiendi tutelam filiorum, item personis ecclesiasticis studendi juri in publicis studiorum universitatibus, extrahendi reliquias, versandi cum haereticis, locandi ad tempus et indulta liberandi reos pro confraternitatibus.

§. 6. *Gratiae autem et concessiones, quae tam per secretariam brevium praedictorum quam per Datariam apostolicam promiscue, juxta dictum elenchum, poterunt expediri, sunt quae sequuntur:*

Confirmationes contractuum, statutorum, privilegiorum, ordinationum, concordiarum et transactionum tam in forma communi quam in forma specifica, absolutiones cum dispensationibus ad ordines super irregularitate proveniente ex defectu corporis vel ex delicto, non tamen homicidii in statu ecclesiastico commissi, confirmationes decreti judicis, derogationes statutorum Urbis, Spoletan. et aliarum civitatum super excessu dotis, dispensationes super praemissis irregularitatibus cum praedictis restrictivis, extra tempora tam pro Italis quam pro Ultramontanis, erectiones confraternitatum, indulta medendi et exercendi chirurgiam, indulgentiae perpetuae pro confraternitatibus, licentiae transeundi ad ordinem strictiorem, licentiae se immiscendi in criminalibus et restitutiones adversus lapsum quinquennii.

§. 7. *Demum concessiones et gratiae, quarum expeditio, juxta relatum elenchum, Datariae apostolicae privative quoad secretariam praedictam reservatur, sunt generaliter quaecumque aliae concessiones et gratiae in superioribus non comprehensae nec expressae*

et signanter illae omnes, in quarum expeditione de stilo et consuetudine immemorabili solvenda est compositio in ipsa Dataria aut taxa cancellariae sive jocalium.

§. 8. Nos igitur, quum praemissam materiarum et gratiarum apostolicarum divisionem et partitionem justa lance libraverimus eamdemque rationabilem et aequitati consonâm et tam secretariae et Datariae praedictarum juribus congruenter distinguendis quam camerae et cancellariae apostolicarum illarumque respective ministrorum, officialium et collegiorum indemnitatibus conservandis et stabiliendis, aptam opportunamque agnoverimus, non modo ipsam, prout superius expressa est, ratam et gratam habemus, verum etiam perpetuae ipsius firmitati et observantiae consulere et providere volentes motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris *eamdem apostolica auctoritate tenore praesentium in perpetuum approbamus et confirmamus* illique inviolabilem sanctionis Nostrae firmitatem et robur adjicimus.

Decernentes et eadem auctoritate statuentes, quod gratiae et concessiones apostolicae alterutri ex secretaria Brevium et Datariae praedictis privative ut praemittitur attributae, si quas forte per alterum ex dictis officiis, contra hujusmodi partitionis et divisionis praescriptum, expediri quandocumque in posterum contingat, necnon ipsae literae apostolicae super iisdem confectae nullitatis et invaliditatis vitio subjaceant, prout nos illas ex nunc prout ex tunc et e contra tamquam non rite et legitime seu etiam nullo modo expeditas, processusque forsan habitos vel habendos per easdem, cum omnibus et singulis inde quomodolibet secutis et sequendis, dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium annullamus, irritamus et invalidamus neminique ad quemcumque effectum ullatenus suffragari posse decernimus.

§. 9. Quamobrem iisdem Dominico Cardinali et magistro Joanni Jacobo Datario eorumque pro tempore in muneribus hujusmodi respective successoribus per easdem praesentes districte praecipimus et injungimus, ut ipsi in posterum in quarumcumque gratiarum et concessionum apostolicarum expeditione, superius praescriptam divisionem et partitionem prae oculis habentes, eam firmiter observent ac ab omnibus et singulis sibi respective subjectis personis, officialibus vel ministris inviolabiliter observari faciant. Et pro hujusmodi observantia omnes et quascumque petitiones aut supplicationes pro impetratione gratiarum in alterutro ex dictis officiis per sollicitatores, agentes, negotiorum expeditores aut alios quoscumque, contra praescriptae petitionis normam, forsan porrectas et praesentatas seu quandocumque porrigendas et praesentandas ad alterum ex eisdem officiis, ad quod, juxta praemissae partitionis continentiam, pertinere dignoscuntur, fideliter dirigant et remittant: non obstantibus aliis quibuscumque ipsarum petitionum aut supplicationum remissionibus, quae forsan ab alio quolibet ex Nostris administris et officialibus etiam a secretaria Nostra supplicum libellorum ac Nostro et romani pro tempore Pontificis nomine ac etiam a quacumque ex Congregationibus sanctae romanae ecclesiae Cardinalium emanaverint vel extortae fuerint. Nos enim remissiones ejusmodi, contra memoratae partitionis praescriptum quomodolibet pro tempore emanatas vel obtentas, nisi illae de speciali Nostro aut successorum Nostrorum mandato expressam ipsarum praesentium derogationem contineant, tamquam per errorem factas sive per subreptionem aut obreptionem obtentas, ab ipsis Brevium secretario atque Datario eorumque successoribus praedictis omnino spernendas et nullatenus attendendas fore declaramus.

§. 10. Praesentes quoque literas de subreptionis, obreptionis aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio intentionisque Nostrae ac quocumque alio defectu etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel habere praetendentes illis non consenserint ac ad ea vocati et auditi non fuerint, vel quocumque alio colore, praetextu, occasione vel causa a quoquam notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari nullatenus unquam posse, sed eas semper et perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari: sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios aut delegatos, etiam causarum palatii apostolici Auditores ac praedictae sanctae romanae ecclesiae Cardinales et alios quoscumque quavis auctoritate et potestate fun-

gentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi et interpretandi facultate, judicari, declarari et interpretari debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

§. 11. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quatenus opus sit de non tollendo jure quaesito aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regularis necnon privilegiis, indultis, facultatibus et literis apostolicis ejusdem sanctae romanae ecclesiae Cardinali Brevium praedictorum secretario ac Datario seu Prodatario pro tempore existentibus, quomodolibet et ex quacumque causa hic forsan concessis, approbatis et innovatis, usibus quoque, stilis, tolerantiis, permissionibus et consuetudinibus etiam diuturnis et inveteratis, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan facientibus vel extantibus.

Die 26. Novb. 1745.

(Bull. Bened. XIV. t. I. p. 591.)

4) Sigillum.

Tales literae pontificiae seu Brevia apostolica signantur annulo Piscatoris, sic dicto ab insculpta imagine s. Petri eo modo, quo a navicula in mari piscabatur, quo annulo simpliciter usum fuisse divum Petrum traditur. Caute servatur apud intimum familiarem Papae, post cujus mortem statim frangitur per Cardinalem Camerarium.

5) Subscriptio.

Vd. supra n. 1. p. 1126.

Brevia subscribuntur tantum a secretario Brevium, qui solet esse aliquis magnus praelatus vel Cardinalis maximae doctrinae et apprime versatus in sacris canonibus et in variis stylis Sedis apostolicae pro concedendis gratiis et expediendis literis pontificiis.

Bulla.

1) In collatione beneficiorum a SS. Pontifice facta.

Romanus Pontifex in collatione beneficiorum dat diplomata, quae bullae dicuntur quaeque a pluribus Datariae et cancellariae ministris obsignantur. Earum aliae dicuntur *in forma gratiosa*, aliae *in forma dignum*, aliae demum *in forma commissaria*. Literae *in forma gratiosa* dantur ad clericum, qui sui Episcopi exhibito testimonio beneficium obtinuit, eaeque veram secumferunt beneficii collationem. Literae *in forma dignum*, quae ita dicuntur, quod ab eo verbo exordiantur, locum habent, cum illud Episcopi testimonium, ex quo pateat idoneum esse clericum, in medium allatum minime fuit: ea propter ad Episcopum mittuntur, cujus est certo clerico beneficium conferre. Denique *in forma commissaria* conceduntur literae, cum clericus illud quidem dedit Episcopi testimonium, sed multa adhuc a se narrata summo Pontifici, ut beneficium consequatur, demonstrare debet coram designatis exequutoribus, vocatis omnibus quorum interest. Atque hae literae non veram collationem continent, sed tantum *mandatum*, ut ajunt, *de conferendo*.

2) Cruciatae (quoad absolutionem et confessarios.)

Vd. t. I. p. 146. h.

3) Definitio.

Nomine bullae veniunt illae literae pontificiae, quae expediuntur sub plumbo sive sigillo plumbeo pendente ex chordulis, conscriptae in membrana magis nigra et rudi atque antiquo charactere gothico; *Card. de Luca tom. 3. de relat. curiae discurs. 7. n. 9., Rebuff. ad regul. cancell. 34.**) *circa finem*, ubi addit, sicuti praxis habet, quod si bulla expediatur in materia gratiae, sigillum plumbeum pendeat ex corda serica: si vero fuerit bulla justitiae seu data in materia contentiosa, illud pendeat ex corda de canaba, ut observavit *Felinus in cap.: Postulasti num. 1. §. Dum declarat de rescriptis*, et hoc sigillum custoditur in palatio Vaticano per praesidem plumbi et statim rumpitur post obitum Pontificis sicut annulus Piscatoris. Bullae scribuntur in membranis rudibus cum charactere gallico licet latino, ducto tali usu ab eo tempore, quo Sedes apostolica residebat in civitate Avenionensi; *Card. de Luca loc. cit. num. 18.* Bulla vocatur a *Boule*, quo nuncupabantur ornamenta quaedam orbicularia; *Carolus Dufresne in glossario*, verb.: *Bulla;* et ex hoc existimatur morem invaluisse, ut sigilla quoque propter formam orbicularem nuncuparentur bullae: Bulla enim proprie erat Imperatoris sigillum, quod apponi consueverat in literis ardua continentibus; *cap. Licet, de crimine falsi*, et quia sigillum erat aureum, dicebantur hujusmodi imperiales literae bullae aureae, juxta gloss. *verb.: Aurea Bulla, in Clement. 1. de jurejurando.* Sicque bullare idem est ac sigillare et literae bullatae sigillatae significantur; Arnoldus *Histor. Sclavor. l. 7. c. 14.*, ibi: *Et Rex vade, ait, et post modicum revertere et invenies literas bullatas.*

*) *Vd. p. 830.*

4) Differentia int. bullam et breve apost.

Vd. *Breve apost.* (differentia etc. 1126.)

5) Pars juris canonici sunt bullae.

Romanorum Pontificum bullae, quamvis extra corpus juris canonici vagent, attamen ipsius juris partem efficiunt. Earum aliae sunt consistoriales, quae in consistorio expediuntur, adhibito consilio Cardinalium, a quibus subscribuntur, et hae aliud praeterea sigillum *ad formam crucis* habere solent. Aliae vero sunt non consistoriales, quae extra consistorium nullis Cardinalium subscriptionibus emittuntur. Sunt etiam *bullae dimidiae* quae tali hoc vocantur nomine, quod in sigillo impressum non habent Nomen Pontificis, qui eas fert antequam consecretur.

B.

Pag.

Bachanalia.
Baculus. 5
Balneum Regularium. 5
Balsamum. 6
Baptismus.
1. Adulti. 7
   a) Ante Catechismum saepe collatus. . 7
   b) In ecclesiis singulis parochialibus conferendus est 7
   c) Intentio 7
   d) Moribundi adulti 7
   e) Requisita 7
2. Annus, in quo petentibus infidelibus baptismus conferri potest 7
3. Aqua corpus tangere debet . . . 7
4. Baptizans 7
5. In Cathedrali 7
6. Cognatio spiritualis non est procuratoris in baptismate iterato 7
7. Collatio 8
   a) Ad depellendos daemones, morbos etc. 8
   b) Ficta non permissa 8
   c) Ante matrimonium contrahendum . 8
   d) A Sacerdote non baptizato . . . 8
   e) In Sacristia 8
   f) Valida sitne, cum fas non sit baptizare? 8
   g) Violenta 8
8. Sub conditione iterandus 8
9. Sub conditione non iterandus . . . 25
10. Confessio estne in baptismate exigenda? 35
11. Consensus 35
   a) Baptizandi 35
   b) Parentum 35
   c) Parentum eorum puerorum, qui rationis compotes baptismum petunt . . 35
12. Demersio 35
13. In diebus sabbatis ante Pascha et Pentec. olim collatus 35
14. In die Epiphaniae non conferendus . . 39
15. Dilatio 39
16. In Domo 39
17. In ecclesia conferendus 40
18. In ecclesia baptizandi privilegio donata . 40
19. In ecclesia cathedrali 45
20. In ecclesia parochiali 45
21. In ecclesiis Regularium 54
22. Extra ecclesiam 54
23. Ab Episcopo olim conferebatur in Cathedrali. 54
24. Filiorum 54
25. Forma 54
   a) Conditionata 54
   b) Corrupta 54
   c) Dubia 59
26. Ab Haereticis et Criminosis collatus. . 60

Pag.

27. Haereticis sub conditione quando conferendus? 61
28. Infantium 64
   a) A parentibus expositorum . . . 64
   b) Apud infideles parentes permanentium 64
   c) Invitis parentibus 64
   d) Ex civili contubernio natorum . . 64
   e) Eorum, qui occultatores fidei christianae sunt 65
   f) Judaeorum 65
   g) Principum 65
   h) Servorum 65
29. Intentio baptizati Adulti. . . . 65
30. Interrogationes 65
31. Num Invitis et Nolentibus conferendus est? 66
32. Irregularitas propter reiterationem baptismi 67
33. Irritus 75
34. Iteratio sub conditione vel non . . 75
35. Judaei pueri clam baptizati . . . 75
36. Judaeorum 76
   I. De Baptismo Judaeorum infantium . 80
   II. De baptismo Judaeorum adultorum . 89
37. Jus baptizandi est parochiale . . 110
38. Liber baptismi quae probat? . . 112
39. Linqua, in qua baptismus conferendus est? 112
40. Literae de collato baptismo ad contrahendum matrimonium 112
41. Minister 112
   a) In baptismo filior. infidelium . . 112
   b) Bigamus 112
   c) Laicus 113
   d) Missionarius 113
   e) Nemo se ipsum baptizare potest . . 113
   f) Parochus Cathedralis 113
   g) Parochus domicilii 113
   h) Plures ministri 113
   i) Sacerdos non baptizatus . . . 114
   k) Vicarius generalis 114
42. In necessitate conferendus . . . 114
43. Nomen imponendum 114
44. Ab obstetricibus dubie collatus . . 114
45. Patrinus 115
   a) Annus 115
   b) Clerici saecul. utrum esse possint patrini? 115
   c) Num haereticus esse potest? . . 115
   d) Regulares esse non possunt patrini . 116
46. Praesumptio baptismi accepti . . . 116
47. Probatio 117
48. Procurator 122
49. Reiteratio 123
   a) Irregularitas propter reiterat. baptismi 123
   b) Quando facienda? 123

Pag.
c) Vetita est et nullam contrahit cognationem spiritualem 124
50. In sacristia non solemniter administrandus. 124
51. Saxonum 125
52. Schedulae 125
a) Appositae in collo infantium expositorum 125
b) Transmissio ab ecclesia baptizandi privilegio donata ad parochos proprios 125
53. Tempus suscipiendi 125
Baptisterium.
1. In Cathedralibus 126
2. Ab ecclesia separatum 126
3. In ecclesiis parochialibus 126
4. Intra ecclesiam 126
5. Sepultura non licita 127
Barba Regularium. 127
Basiliani. (Regularum declaratio.) 127
De reductione Basilianorum in unam Congregationem 128
De Basilianis in regnis Hispaniarum 128
Basilica.
1. S. Mariae Majoris Romae 128
2. Vaticana 128
Bellum. In quantum inducit irregularitatem. 128
Benedictini.
1. Congregatio Benedict. in regno Portugalliae 128
2. Congregatio Bavarica 128
Benedictio.
1. Abbatis 129
2. Abbatissae 129
3. Apostolica 129
4. Fontis baptismalis 132
5. Nuptiarum 132
Beneficiatus.
1. Administrator bonorum beneficii 133
2. Aetas 133
3. Alimenta beneficii privati vel suspensi sacerdotis 133
4. Amovibilitas 133
5. Applicare quando debet missam fundatam? 136
6. Assistentia in functionib. eccles. 136
7. Canonicus, qui simul est 137
8. Canonicus simul honorarius satisfacitne officiis beneficii in qualitate canonicali? 138
9. A celebrando quando se abstinere potest? 139
10. Clerici omnes olim nominabantur beneficiati 139
11. In collegium „beneficiatorum“ assumendus 139
12. Confessiones audiendi obligatio 142
13. Confirmatio et Institutio Episcopi 142
14. Ei subveniendum est, quando redditus sunt imminuti 142
15. Fundos imminutos restituere quando debet? 142
16. Habitus et honestas 144
a) Episcopi decreta servanda circa habitum clerical. edita 144
b) Poenae in contrafacientes 144
17. Illegitimus possessor 154
18. Infirmus quando tenetur missas per alium celebrare? 154
19. Institutio 162
20. Ministrans et inserviens in functionibus pontificalibus 162

Pag.
21. Missam fundatam ipsene celebrare debet? 164
a) Dispensatio ab obligatione concessa 164
b) Dispensatio non concessa 170
c) Obligatio est 171
d) Obligatio non est 173
e) Per substitutum quando celebrare potest? 173
22. Ordinari infra quod tempus debet? 175
23. Pensionem solvere tenetur 180
24. Procurationes contribuere tenetur 180
25. Professio fidei 180
a) Obligatio et coram quo praestanda? 180
b) Poenae in non praestantes 181
c) Per procuratorem praestanda 181
26. Qualitas recusanda 181
27. Qualitas requisita ex fundatione 185
28. Qualitates in genere requisitae 232
29. Regularis 235
30. Residentia 236
31. Sacerdotio non insignitus 236
a) Dispensatio concessa 236
b) Dispensatio non concessa 314
c) Dispensatio dilata 348
d) Quando constat de caducitate beneficii si beneficiatus intra tempus sacerdotio non est insignitus? 351
32. Usufructuarius 352
Beneficium.
1. Adjici quando potest onus novum a fundatore? 353
2. Adjici potest novum onus auctoritate apostolica 357
3. Adjici potestne onus a benefactore beneficii? 358
4. Quid et utrum ab Episcop aliquid adjici possit? 358
5. Quid et quando adjicere possit patronus? 362
6. Adjicere nihil potest Vicar. generalis 362
7. Administratio 362
a) Aliquando patrono concessa 362
b) Non competit patrono 362
8. Admissio 365
Ad Benef. admitti possunt filii etc. ejus, qui de haeresi inquisitus et absolutus fuit 365
9. Aetas adipiscendi 366
10. Affectio 366
11. Affectum 366
12. Alternativa 367
13. Amissio 367
14. Amovibile factum 367
15. Applicatio bonorum 370
a) In augmentum dotationis parochiae 370
b) Pro manutentione ecclesiae 372
c) In favorem mensae episcopalis 373
d) In commodum Seminarii concessa 374
e) In commod. Seminarii non concessa 381
f) In usum Sacrarii et capellae musicalis 382
g) In subventionem scholae 383
16. Archiepiscopi facultas quoad beneficia vacantia in dioecesi Suffraganei 383
17. Beneficia sub eodem tecto quae sunt? 383
18. Bona 384
a) Administratio sine patrono 384
b) Alienatio quoad patronum 389
c) Applicatio 389
d) Inventarium et redditio rationis Episcopo facienda 389
e) Reficienda quando sunt bona? 392

Pag.
19. Caducitas 394
20. Canonicatus est beneficium 394
21. Capax quis est? 394
22. A capellaniis in quantum differt? 394
23. Capellaniam eccles. et beneficium eodem jure censeri 394
24. Cessio in congruam parochi 394
25. Collatio 397
a) Acceptio personae 397
b) Apostolica Sede vacante 397
c) Appellatio de collatione 397
d) Beneficii consanguineis resignati 397
e) Beneficii non vacantis irrita est 398
f) Beneficii de cujus possessoris morte nihil certe constat 399
g) Canonica debet esse 399
h) A Capitulo Cathedralis 400
i) A capitulo Cathed. non est facienda 400
k) A Cardinalibus et Regibus 401
l) Causa 401
m) Civibus conferenda praecipue juxta fundationem 401
n) Consanguineis 404
o) Dignioribus ex competentibus 404
p) Dignis et idoneis 404
q) Dignior et magis idoneus quis reputatur? 411
r) Dioecesanis 412
s) Ab Episcopis 413
I. Consanguineis et familiaribus 413
II. Jure devolutivo 413
III. Jus est 413
IV. Jus non est 414
V. Inauditis patronis et tempore de jure non elapso 417
t) Ab Episcopis Germaniae in mensibus papalibus 418
u) Ab Excommunicatis 419
v) Forma 419
w) Habitu clericali dimisso 420
x) Haereticis absolutis etc. est danda 420
y) Jus triplex 420
z) A laicis 421
aa) A Legatis a latere est facienda 421
bb) A Legatis a latere non est facienda 422
cc) Libera 423
dd) Magistro Theologo et Poenitentiario num et quando conferri possit? 423
ee) Modus 423
ff) A Nuntiis apostolicis 428
gg) Patronis inauditis 429
hh) Personis designatis 429
ii) A summo Pontifice 429
kk) Puero conferri potestne? 433
ll) Quibus personis est danda? 433
mm) Quibus personis non est danda? 435
nn) Recursus a collatione 440
oo) Per regulas cancellariae apostol. 440
pp) Sacerdotibus, qui vitam communem gerunt 440
qq) Saecularis beneficii 440
rr) A Schismaticis 440
ss) Sede vacante episcopali pertinet collatio ad Sedem apostol. ubi viget regul. ll. cancellariae 440
tt) Simoniaca 443
I. Est 443
II. Non est 475

Pag.
III. Propositio damnata ab Alexdr. VII. 497
IV. Quae circumstantiae constituunt simoniam? 498
uu) Subdiacono danda est 498
vv) Suspensio concessa 498
I. Pro reparatione altaris 498
II. In commodum clerici studentis 499
III. Pro reparatione ecclesiae 501
ww) A Suspensis 502
xx) Taxa pro collatione 502
yy) Tempus intra quod facienda 502
zz) Post tempus a jure praescriptum 503
aaa) Valida 503
I. Quando est? 503
II. Quando non est? 504
III. Debet esse 504
bbb) A Vicario generali 505
ccc) Venalitas 505
26. Commenda beneficium est 505
27. Commutatio in alium finem quam a testatore fixatum non concessa 506
I. In bonum hospitalis non concessa 506
II. In bonum Seminarii non concessa 508
28. Quoad Concordata 511
29. Concursus pro collat. beneficior. 514
30. Conditiones addendae 514
a) Approbatio Episcopi 514
b) A fundatore faciendae 514
31. Congrua 515
32. Confidentia 515
33. Curatum 515
34. Dapiferi 516
35. Difforme quod est? 517
36. Dimissio 517
37. Dimittens beneficium amittit jus percipiendi fructus 517
38. Dismembratio odiosa 517
39. Dissimile quod est? 518
40. Divisio 518
a) Concessa 518
b) Non concessa 519
c) Multiplex 521
d) A Vicario generali 523
41. Dos 523
42. Duplex 523
43. Ecclesiasticum 524
a) Definitio 524
b) Divisio 524
c) Dubium 524
d) Laicus possidere potestne? 529
e) Quod est? 530
f) In servitutem redigi non potest 543
44. Electio 546
a) Acceptio personae 546
b) Simoniaca 546
c) Per sortes vetita est 546
d) Valida 546
45. Electivum 546
46. Episcopi facultas in beneficia et curam animarum exercentes 546
47. Erectio 547
a) Ex abbatia suppressa 547
b) In altari certo 547
c) Alteratio 548
d) Ex capellania 551
e) Ex capellania, legato etc. cum jurepatr. 551
f) Causae 551

Pag.
g) Conditiones in erectione addendae . 552
h) Consensus et auctoritas Episcopi . 552
i) Consensus interesse habentium . . 553
k) Dos 554
l) Simonia quando intercedit? . . 554
48. De essentia quae sunt? 555
49. Examen pro altero Nemo deponere debet ad obtinendum beneficium . . . 555
50. Expensae motae litis de causis benef. . 556
51. Finis 556
52. Fructus 557
a) Anni primi haeredibus defuncti beneficiati reservandi 557
b) Applicatio fructus beneficii vacant. pro fabrica ecclesiae 557
c) Beneficii renunciati 557
d) Cessio vetita 557
e) Collatione pendente 559
f) Divisio pluribus beneficiis communem massam constituentibus . . . 559
g) Illegitime possessi 564
h) Lite pendente 568
i) Post obitum beneficiati ad quem spectant? 568
k) Percepti a patrono 573
l) Percipiendi non sunt relicto beneficio 575
m) Percipiendi tempore absentiae ex legitima causa 576
n) Percipiendi ex quo tempore? . . 579
o) Privatio ab Episcopo 580
p) Restitutio 580
q) Superflui deletis oneribus patronis concessi 588
r) Superflui ex unione beneficiorum in commodum Cathedralis 589
s) Venditio vetita est 590
53. Fundi quando restitui debent? . . 590
54. Immutatio 590
55. Incapaces 590
56. Incompatibilitas 590
a) Adest 590
I. Prioratus cum canonicatu . . 590
II. Propter celebrationem missae . 593
III Propter residentiam et alia onera implenda 595
IV. Canonicatus cum Vicaria perpetua in eadem ecclesia . . . 602
V. Vicaria perpetua cum praefectura musicorum 603
VI. Parochiae cum Oblatura . . 604
b) Non est 606
I. Residentia non obstante . . 606
II. Beneficium cum canonicatu . . 608
III. Parochia cum canonicatu . . 610
IV. Capellaniarum laicalium . . 614
c) Causae 614
d) Consuetudo plura benef. incompatibilia possidendi 614
e) Dispensationis causae 614
f) Petens prioris beneficii mentionem facere debet 616
g) Possessio triennalis, decennalis beneficii incompatibilis 616
57. Institutio canonica 616
58. Interpretatio in beneficialibus causis . 616
59. Laicale 616
60. Locatio 616
61. Majus et minus 616

Pag.
62. Manuale 617
a) Concursus 617
b) Obligatio 617
c) Quod est? 617
63. Mutatio 617
a) Apostolica facultas 617
b) In capellanias 617
c) In commendas 620
d) Consensus Patroni 622
e) Episcopi facultas 622
f) In legatum pium missarum . . . 623
g) In mansionarias 629
h) Patroni facultas 634
i) Simoniaca 634
k) Tempus 634
64. Nominatio 635
a) Confirmata favore unius ex pluribus competentibus 635
b) Non firmata 691
c) Non confirmata propter deficientem aetatem 694
d) Cumulativa non vetita 694
e) Dubia 694
f) Habitu clericali jam dimisso . . 694
g) Illegitima 694
h) Irrita 694
i) Jus 694
I. Dubium 694
II. Non est 700
III. Patroni 703
k) Lite pendente 706
l) Modus et species 706
m) Omissa devolvitur ad Episcopum . 706
n) Origo 706
o) Pater filium nominat 706
p) Patroni omnes vocandi sunt . . 706
q) Plures nominare potest patronus laicus 706
r) Privatio juris nominandi . . . 707
s) A Regularibus suppressis . . . 707
t) Simoniaca 707
u) Suspensio 708
I. Causa non concedendi . . . 708
II. Non concessa 708
III. Juri adversatur 708
IV. Non prorogata 708
V. Raro facienda 712
VI. Temporanea 712
α) In favorem clerici . . . 712
β) In favorem patroni et familiae 717
v) Tempus intra quod debet fieri . . 722
w) Ad vacatura beneficia non licet . . 723
x) Valida 723
65. Officium praestandum 723
66. Onera adjicienda 724
67. Onera implenda 724
68. Ab oneribus implendis dispensatio . . 726
69. Onus novum adjici potestne . . . 726
70. Origo 726
71. Patrimonii familiaris loco esse potestne? 727
72. Pensio est beneficium 730
73. Permutatio simoniaca 730
74. Perpetuum esse debet 730
75. Personale 731
76. Plura possidentes 731
a) Consuetudo circa possessionem plur. beneficiorum 731
b) Dispensatio 737

Pag.
I. Causae concedendi . . . 737
II. Ab apostolica Sede . . . 742
III. Dispens. apostolica in quibus beneficiis requiritur? . . . 748
IV. Episcopus quando dispensare potest? 749
V. Episcopus quando dispensare non potest? 750
VI. Excusationes 750
VII. Necessaria est 750
c) Quando licet plura beneficia possidere? 751
d) Peccatum committit, qui sine dispensatione plura benef. possidet . . 751
e) Poenae 752
f) Terminus praefigendus, ut alterutrum beneficium quis dimittat . . . 753
g) Vetitum est plura benef. possidere . 753
77. Possessio 755
a) Capienda 755
b) Decennalis, triennalis 757
78. Praesentatio 758
79. Praestimonium quando est beneficium? . 758
80. Privatio 758
a) Causae 758
I. Propter alienationem bonorum . 758
II. Propter depositum habitum clericalem 759
III. Propter non impletas conditiones impositas 759
IV. Propter rebellionem . . . 778
V. Propter indecentiam et inobedientiam 784
VI. Propter non residendum . . 784
VII. Propter non residendum et ludos in theatro 785
VIII. Propter neglectam curam animarum et mores inhonestos . . 787
b) Citatio et monitio antecedere debet . 790
c) Distinguenda ab oeconomica remotione 791
d) Ab Episcopo ex informata conscientia lata 791
e) Qualitas causarum 799
81. Probatio 800
82. Promissio ad beneficia vacatura . . 800
83. Provisio de beneficio, de cujus possessoris morte nihil certe constat 800
84. Qualitates exprimendae 803
85. Reductio 803
86. Regulares possidere possuntne? . . 803
87. Regulare 803
a) Concursus 803
b) Qui possunt possidere? . . . 803
c) Quod est? 803
88. Reintegratio 803
89. Renuntiatio 805
a) Nullitas non constat 805
b) Nullitas constat 809
c) Effectus 811
90. Reservatio 811
a) Clausa et non clausa 811
b) Differentia inter reservationem et affectionem 812
c) A Legato a latere 813
d) A Papa 813
e) A Papa per appositionem manus . 813
91. Reservatum 814
a) SSmo Pontifici Sede apost. vacante . 814

Pag.
b) SS. Pontifici 814
c) SS. Pontifici juxta regulas cancellariae apostolicae 817
I. Reservationes generales et speciales 818
II. Reservatio cathedralium ecclesiarum et monasteriorum ac de tempore vacationis episcopatuum vacaturorum beneficiorum . . 818
III. Extensio reservationis beneficiorum per assequutionem pacificam vacaturorum 818
IV. Reservatio Dignitatum necnon suorum et S. R. E. Cardinalium familiarium beneficiorum . . 819
V. Reservatio beneficiorum collectorum et subcollectorum . . 820
VI. Reservatio beneficiorum curialium, dum curia transfertur . . . 820
VII. Reservatio beneficiorum cubiculariorum et cursorum . . . 820
VIII. Reservatio beneficiorum ecclesiarum s. Joannis Lateranensis et s. Petri ac B. Mariae Majoris de Urbe et beneficiorum titulorum Cardinalium a curia absentium . 820
IX. Reservatio mensium apostolicorum et Alternativa pro Episcopis residentibus 820
X. De literis in forma »Rationi congruit«, expediendis 823
XI. Declaratio reservationis ecclesiarum et beneficiorum per Praedecessores reservatorum . . 823
XII. Revalidatio literarum Praedecessoris gratiae et justitiae intra annum concessarum . . . 823
XIII. Revocatio Unionum . . . 823
XIV. Revocatio facultatum quibusvis concessarum 824
XV. Revocatio facultatum conferendi beneficia reservata . . . 824
XVI. De Dictionibus numeralibus . 825
XVII. De concurrentibus in Data . 825
XVIII. De non tollendo jus quaesitum 822
XIX. Regula de viginti . . . 825
XX. De idiomate 826
XXI. De non impetrando beneficium per obitum viventis 826
XXII. De unionibus et unionum confirmatione 826
XXIII. De mendicantibus transferendis . 826
XXIV. De male promotis . . . 826
XXV. De Moneta 826
XXVI. De beneficiis vacaturis per promotionem ad ecclesias et monasteria. 826
XXVII. De non judicando juxta formam supplicationum, sed literarum expeditarum 827
XXVIII. De Regulis Cancellariae producendis 827
XXIX. De subrogandis Collitigantibus . 827
XXX. De verosimili Notitia . . . 828
XXXI. Non valeant commissiones causarum nisi literis expeditis . . 828
XXXII. De impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium . 829

Pag.

XXXIII. Super eadem Familiaritate . . 829
XXXIV. Signatura per »Fiat« praeferatur 830
XXXV. De annali Possessore . . . 830
XXXVI. De Triennali 830
XXXVII. De non apellando ante sententiam definitivam 831
XXXVIII. Non stetur Commissioni post conclusionem 832
XXXIX. De literis Religiosorum expediendis 832
XL. De clausula ponenda in literis permutationis beneficiorum . . 832
XLI. De supplendis defectibus . . 832
XLII. De derogatione jurispatronatus . 832
XLIII. De Commendis 832
XLIV. De Reformationibus . . . 832
XLV. De Consensu in Resignationibus et Pensionibus 832
XLVI. De Ingressu religionis . . 833
XLVII. Non valet impetratio facta per modum in cancellaria exprimendum 833
XLVIII. De executione facienda . . 833
XLIX. De Dispensationibus in gradibus Consanguinitatis 833
L. Super Defectu Natalium . . 833
LI. Super dispensationibus . . 833
LII. Nulli suffragetur dispensatio nisi literis confectis 833
LIII. De Clausulis ponendis in literis indulgentiarum 833
LIV. De Indulgentiis concessis ad instar 833
LV. De exprimendo valore beneficiorum in impetrationibus . . . 833
LVI. De clausulis in beneficiis vacantibus ponendis 834
LVII. De Expressione qualitatum beneficiorum in impetrationibus . 834
LVIII. De Beneficiis vacantibus per contractum matrimonii . . . 834
LIX. De Clausulis ponendis in literis religiosorum 834
LX. De Translatione Religiosorum . 834
LXI. De Clausula »Si est ita« . . 834
LXII. Petenti provideri de vacaturo dentur literae de vacanti . . . 835
LXIII. Revocatio Decimarum et aliarum impositionum 835
LXIV. Revocatio facultatum percipiendi pretium Officiorum . . . 835
LXV. Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulae . 836
LXVI. De Insordescentibus . . . 836
LXVII. Officiales nihil exigant ultra debitum 836
LXVIII. Reservatio beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante . . 836
LXIX. Revocatio indultorum Supervenientiae 837
LXX. Quod Cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis . 837
LXXI. Quod Regulae cancellariae non comprehendantur sub generalibus derogationibus 837
LXXII. De potestate Reverendissimi Domini Vicecancellarii et Cancellariam Regentis 837
d) Quae beneficia sunt hodie reserv. SS. Pont. juxta concordata Germaniae? . 838

Pag.

e) Quae non sunt hodie juxta concordata Germaniae reservata SS. Pontifici . 838
92. Residentiale 840
a) Quod est? 840
b) Regulares possidere non possunt . 840
93. Resignatio 840
a) Abusus 840
b) Annullatio 848
c) Beneficii ex patrimonio erecti . . 848
d) Beneficii in cujus titulum aliquis est ordinatus 848
e) Beneficii, cujus bona Beneficiatus deterioravit 851
f) Capitulum Cath., quas resignationes recipere potest sede vacante? . . 851
g) Capitulum Cathedralis quas resignationes recipere non potest sede vacante? 851
h) In commodum Consanguineorum vetita est 852
i) Consensus Patronor. non requiritur, si resignatio in manibus SS. Pontificis libere facta fuit 852
k) Consensus resignantis 852
l) Episcopus admittere quando non potest resignationem? 852
m) Episcopi probatio 852
n) In favorem tertii 852
o) Forma 856
p) Legatus admittere non potest . . 859
q) Patrono invito 859
r) Cum pensione reservata . . . 861
s) Requisita 863
t) Cum reservatione omnium fructuum . 865
u) Simoniaca quando est? . . . 865
v) Tempus 867
w) Vicarius gen. recipere non potest . 867
94. Resignatum 867
95. Sacerdotale 867
a) Cui conferendum? 867
b) Probatio 867
c) Non sacerdotale 868
96. Saeculare 868
a) A Regulare extra claustra degente possessum 868
b) Saeculare benef. Saecularibus et regulare Regularibus conferendum est . 868
c) Regulares saecularizati num possidere possunt? 869
d) Regulares quando possidere possunt? 880
e) Propter beneficii saecul. adeptionem egressus e monasterio Regulari converso laico est concessus 885
97. Simile quod est? 886
98. Simonia in collat., erectione et resignatione etc. beneficiorum 886
99. Simplex 886
100. Species 887
101. Sufficiens quod est? 887
102. Suppressio 888
a) Causae 888
b) In commodum academiae . . . 889
c) In commodum archipresbyteratus . 890
d) In commodum Eccles. Collegiatae . 891
e) In commodum monasterii mulierum piarum praeceptricum in scholis publicis 895
f) In commodum parochorum . . . 897
g) In commodum pauperum Patronorum 898

Pag.

h) In commodum sacrarii ecclesiae . . 899
i) In commodum Seminarii . . . 901
k) Consensus interessentium . . . 903
l) In erectionem commendae Ord. Hierosolymitani 903
m) In erectionem parochiae . . . 905
n) In pios usus 912
o) In simplicem celebrationem missarum 913
103. Suppressio et divisio bonorum inter patronos 914
104. Suspensio 914
a) Causae 914
b) Concessa 915
I. Ad aes alienum dimittendum . 915
II. In commod. paup. patronorum . 917
III. In restaurationem ecclesiae . 921
c) Non concessa in commodum pauper. patronorum 922
d) Prorogata 927
105. Titulus Ordinationis 932
106. Translatio 932
a) Assensus Patroni 932
b) Causae concedendi 932
c) Concessa 933
I. In aliam dioecesim . . . 933
II. In aliam ecclesiam 934
III. A Cathedrale in hospitalis ecclesiam 944
IV. Ex Ecclesia profanata et diruta . 945
V. In Oratorium publicum . . 949
VI. E publico Oratorio in ecclesiam parochialem 949
d) Non concessa 951
I. Ex ecclesia restauranda . . 951
II. In aliam dioecesim . . . 954
e) Episcopi facultas 958
f) Episcopi unitarum dioecesium facultas 958
g) Temporanea 958
107. Uniforme 961
108. Unio 961
a) Ab Abbatibus et aliis Episcopo Inferioribus 961
b) Accessoria 961
c) Aeque principalis 961
d) Ab Archiepiscopo 961
e) Beneficiorum, quae sunt jurispatronatus 962
f) A Capitulo Cathedralis . . . 962
g) Causae concedendi 962
h) Concessa 965
I. In augmentum congruae parochi 965
II. Cum beneficio alterius dioecesis . 970
III. Beneficii alterius dioecesis in commodum mensae capitularis collegiatae et praebendarum theologalis et poenitent. 971
IV. Beneficiorum variarum ecclesiarum cum beneficiis Cathedralis . 972
V. Cum Canonicatu alterius dioecesis 674
VI. In commodum beneficiati . . 978
VII. In commodum Canonicatus . 984
VIII. In commodum ecclesiae inopis (parochialis.) 985
IX. In commodum pii loci . . 987
X. In commodum rectoris ecclesiae xenodochii 988
XI. In commodum seminarii . . 989
XII. In erectionem Canonicatus curati 990
XIII In erectionem Coadjutoriae . 991

Pag.

XIV. In commodum servitii chori . 994
XV. In commod. praebendarum theol. et poenit. Cathedralis . . 994
XVI. Cum mensa capitulari ejusdem dioecesis 999
XVII. Cum mensa capitulari alterius dioecesis 999
XVIII. Cum mensa capituli Canonicorum et Canonicarum 999
XIX. Pro mensa episcopali . . . 1001
XX. In titulum Ordinationis . . 1001
i) Non concessa 1004
I. Cum beneficiis alterius dioecesis ad constituendam massam distributionum 1004
II. Beneficiorum saecularium cum regularibus 1010
III. In commodum beneficiati et ecclesiae 1010
IV. In commod. ecclesiae parochialis 1011
V. In erectionem parochiae . . 1014
VI. In levamen parochi pro alendis pauperibus parochianis . . 1016
VII. Cum monasterio Monachorum . 1018
k) Conditiones 1018
l) Consensus 1024
I. Capituli 1024
II. Interesse habentium . . . 1024
III. Patronorum 1025
m) Consuetudo quoad unionem beneficior. 1025
n) Definitio 1025
o) Derogatio 1025
p) Dissolutionis causae 1025
q) Duplex 1025
r) Effectus 1026
s) Episcopo facultas est 1026
t) Episcopo facultas non est . . . 1027
u) Extinctiva 1033
v) A Legato a latere 1033
w) Legitimatio 1033
x) Modi 1033
y) A Papa 1034
z) Perpetua 1034
aa) Principalis 1034
bb) Probatio 1035
cc) Revocatio 1035
dd) Ante Tridentini publicationem . . 1035
ee) Quae beneficia uniri possunt? . . 1036
ff) Quoad regulas cancellariae . . 1036
gg) Subjectiva 1036
hh) Temporalis 1036
ii) A Vicario generali 1036
109. Unio et Translatio 1036
a) In commod. ecclesiae 1036
b) In commodum mensae capitularis . 1037
c) In erectionem praebendarum theologalis et poenitentialis 1038
d) In subsidium Mansionariorum . . 1041
110. Unitum 1043
111. Vacans 1043
a) Collatio 1043
b) Fructus cui competunt? . . . 1043
c) Sede episcopali vacante . . . 1043
112. Vacatio 1043
a) Causae 1043
b) Clausulae ponendae 1049
c) Diuturna 1049

Pag.

d) In mensibus papalibus . . . 1049
e) Quando vacat si Beneficiatus intra tempus constitutum sacerdotio non est insignitus? 1049
113. Valor exprimendus 1052
114. Vicaria perpetua beneficium est . . 1052

Beneplacitum Apost. quoad alienationem bonor. ecclesiast.
1. Forma commissaria 1052
2. Nullum quando est? 1052
3. Praesumptio 1056

Bigamia.
1. Contracta ex dimisso clericatu et inito matrimonio cum vidua 1056
2. Non dispensatur a bigamia vera. Prohibitio ad sacros ordines promoveri . . 1058

Bigamus.
1. Minister baptismi 1060
2. Ordinandus non est 1060

Blasphemia.
1. Poenae 1061
2. Prohibitio 1061

Bona.
1. Beneficii 1064
a) Administratio 1064
b) Alienatio 1064
c) Applicatio in varios usus . . . 1064
2. Capellaniae laicalis 1064
3. Ecclesiastica 1066
I. Acquisitionis modus 1066
II. Administratio Episcopo subest . . 1067
III. Administrator Episcopo rationem reddere debet 1071
IV. Administrator ab Episcopo amoveri potest 1075
V. Alienatio 1075
a) Beneplacit. apost. requiritur . 1075
b) Excommunicatio in alienantes, usurpantes etc. sine beneplacito apost. 1078
c) Parochia vacante vel rectore bonorum deficiente alienari num debent? 1078
VI. Contractus emptionis et venditionis quando validus? 1079
VII. Divisio non concessa . . . 1085
VIII. In Emphiteusim quando et quomodo danda? 1088

Pag.

IX. Episcopi jus circa ea . . . 1088
X. Excommunicatio in alienantes, usurpantes etc. sine beneplacito apost. 1088
XI. Investiendi modus 1089
XII. Licitatio 1089
XIII. Licitatio et emptio alieno nomine . 1091
XIV. Poenae in raptores etc. . . . 1093
XV. Possessor universalis est ecclesia . 1095
XVI. Pretium solutum ex venditione propter faciendam viam ferream facta competit beneficio 1095
XVII. Restitutio 1098
a) Dispensatio 1098
b) A non legitimo possessore sunt restituenda 1099
c) Eorum bonorum quae ab infidelibus occupata postea in christianor. potestate sunt 1099
d) Modus et obligatio . . . 1109
XVIII. Transactiones super bonis eccles. cum beneplacito apost. fieri debent . 1110
XIX. Usufructuarius. Quae ei competunt? 1112
XX. Venditio et acquisitio . . . 1112
XXI. Venditio licita pro reaedificatione ecclesiae paroch. 1117
4. Regularis saecularizati 1119
5. Regularis promovendus ad dignitates bona renuntiare debet 1119
6. Regularium 1122
7. Renunciatio ante professionem solemnem 1122

Breve Apostolicum.
1. Differentia inter Breve apost. et Bullam. 1126
2 Executio 1127
3. Gratiae etc. expediendae per secretariam 1127
brevium 1127
4. Sigillum 1132
5. Subscriptio 1132

Bulla.
1. In collatione beneficiorum a SS. Pontifice facta 1132
2. Cruciatae (quoad absolutionem et confessarios.) 1132
3. Definitio 1132
4 Differentia int. bullam et breve apost. . 1133
5. Pars juris canonici sunt bullae . . 1133
